


ANNALES ECCLESIASTICI

AVCTORE

CÆSARE BARONIO

SORANO

CONGREGATIONIS

ORATORII

PRESBYTERO.

Tomus Tertius.

ROMAE

Ex Typographia Torneriana. M.D.XCII.

PHILIPPO II.

HISPANIARVM REGI

CATHOLICO POTENTISSIMO ET INVICTISSIMO

CAESAR BARONIVS SORANVS CONGREGATIONIS Oratorij Presbyter ſempiternam felicitatem.

QVID Deo, quid Principibus debeatur, Apoſtolorum Princeps breui *1.Petr.2.* illa ſententia definiuit: Deum timete, Regem honorificate. Qui vero inter Deum atque Reges medij intercedunt Sacerdotes, duplici dignos honore Paulus *1.Timoth.7.* Apoſtolus iudicauit. His ego legibus parens, ante omnes ſummo totius Chriſtianæ religionis Antiſtiti duplex munus, nempe primum & ſecundum Annalium tomos obtuli: Hic vero tertius ex Conſtantini Magni magnis rebus geſtis contextus, tibi, PHILIPPE Regum maxime, de induſtria (quod Sa- *1.Reg.9.* muel dixit) ſeruatus eſt, Regium plane munus, ex Regijs depromptum theſauris, Rege maxime pio

dignum: Regum namque est Annales legere; quos ex eorum lectione magnos constat fecisse progressus, animumque ad res magnas inchoandas & perficiendas erexisse. cuius rei etsi complura suppetere possent exempla: vnum vel alterum ex sacris litteris adduxisse, contenti erimus. Certe ex Annalium lectione potentissimus ille Rex Assuerus, quid virtuti, quid sceleri deberetur, accepit; summoque iustitiæ libramento, suum cuique tribuens, periclitantem sub gladio Dei populum liberauit, atque superbissimum Aman infami supplicio condemnauit.

Esther. 6.

1. Esdr. 6. Sed & Darius Rex vna Annalium inspectione pietatem didicit, cum ex Cyri Regis præscripto non solum aduersarios Iudæorum ædificantium Dei templum cohibuit, verum etiam immensæ molis opus suis sumptibus absoluendum, & sacrificia immolanda, vt dignum erat Regia munificentia, curauit; nouitque Deum timere, quem & Iudæorum precibus optauit sibi esse placatum.

Quod igitur Regem decet accipere, æque congruit a sacerdote tibi ortu & origine subdito impertiri. Non enim eximit sacerdotium ab illa pensitatione tributi, qua scilicet Reges possint effici sanctiores; persoluentibus alijs censum, ex quo ditiores reddantur. Docuit nos Dominus, quodnam sacerdotes pendere debeant Regibus tributum, staterem nempe, eumdemque in ore piscis inuentum; quem & iussu Domini Petrus hamo piscatus esset; quatuor drachmarum pretij nummum. Quibus sym-

Matth. 17.

ſymbolicis formulis, veluti hieroglyphicis characteribus, vna fides Catholica quatuor Euangelijs conſignata, oreque Apoſtolico prædicata oſtenditur.

Quod quidem tributi genus a me Ampliſsimæ Maieſtati tuæ, non vt indigenti perſoluitur, vtpote hiſce diuitijs largiter affluenti, ex eiſque vniuerſum Nouum Orbem (quod plane eſt valde admirandum) vbertim locupletanti; ſed quòd religio, pietaſq. tua id iure ſuo quodammodò exigat; & obſequium, ſtudium, obſeruantiaque in te mea hoc ipſum poſtulare omnino videatur. Quamobrem quod mearum partium eſt, imperatum diuina lege tributum infero in magnum illud tuæ pietatis Aerarium, perſoluens ſtaterem illum in ore illius piſcis inuentum, quem Chriſtus ipſe ſalutari ſigno, mira quadam ratione de cælo piſcatus, oſtenſa nimirum cælitus Cruce, velut hamo, vincendi ſpe, dulci captum eſca, e fluctibus impietatis ad littus eductum Eccleſiæ, pertraxit ad fidem: magnus ſane piſcis, in cuius ore ſtater inuentus tot poſteros ditauit Imperatores. Penditur hic ipſe a me tibi, dum quæ ab eodem Conſtantino in fide capeſſenda, tuenda, illuſtranda, amplificanda, & ad exteros longe lateque propaganda geſta ſunt, annis ſingulis, tertio hoc Annalium tomo, ſumma fide potiſsimum exhibentur.

Accipe ergo grato animo, quod pio affectu perſoluitur, ſacerdotale tributum, ſtaterem ſacrum, numiſma nobile imagine Cæſaris inſignitum, tibi tamquam Cæſari debitum, a Cæſare exhibitum,

Regique Catholico iure pensum; quod & præclaro fidei signo, salutiferæ Crucis vexillo extat impressum: illud vero tunc locupletius exhibendum, cum ex suscepto semel munere, res a te pie sanctèque gestæ annis singulis, ijsdem Annalibus suo quæque tempore feliciter intexentur; quas posteri Reges sint admiraturi, vtinam & imitaturi; cum de te longe plura atque maiora vere narrata esse comperient, quàm nec Xenophon in Cyro effinxit, neque de Christianis Principibus multa abhinc retro sæcula conspexere. Vale, Rex inclyte, Christianorum Regum maximum decus & ornamentum: teque ardentissimo studio Catholicam fidem strenue protegentem, ac latissime propagantem, diu superstitem Deus conseruet incolumem; atque demum immortalis quoque gloriæ corona fulgentissima auctum, in consortium Regni cælestis accipiat.

AVGVSTINO CVSANO
S. R. E. PRESBYTERO CARD.
AMPLISSIMO
CAESAR BARONIVS
FELICITATEM.

EXIGIT officium, quod æquitas imperat, atque in primis ratio persuadet, Cardinalis amplissime, vt Annales nostri tandem, licet sero, de acceptis beneficiis gratias relaturi, te conueniant, quos adhuc in cunabulis positos beneuolentia fouisti, munificentiaque lactasti. Cum enim magno Dei consilio negotia illa domestica te quietis amantem, vel inuitum, Romam pertraxerint; quamuis paterent tibi, si voluisses, perampla ad habitandum palatia; tu tamen Augustine, Hieronymi gloriæ æmulus, illis omnino spretis, ad Bethlehem diuertisti, ad nostras inquam sub titulo Deiparæ Virginis humiles ædes: vbi biennio commoratus, cum primum oculos in meas lucubrationes adhuc plane informes & rudes coniecisti, illarum amore captus, ad eas excolendas, & ocyus absoluendas, opem sedulo contulisti. Liceat mihi, quod in angulo gestum est, prædicare, auctoritate Domini, super tecta: nec non de te illud Apostoli magnum gloriæ præconium vsurpare: Nullus mihi communicauit in ratione dati & accepti, nisi tu solus. *Matth. 10. Luc. 12. Philip. 4.*

Atqui quamuis magna sint hæc, & qualibet gratiarum actione maiora videri possint, minima tamen apparent, si conferantur cum vberrimo illo ceterarum virtutum tuarum promptuario, tunc nobis mille actibus patefacto, cum ex eis quid seniores in te mirarentur, imitarenturque iuniores, copiosissime inuenirent: quippe cum teipsum in omnibus exhiberes absolutissimum virtutum exemplar, nec illud quidem recens efformatum, sed longiore vsu iam ante probatum: Cuius cum natura ipsa rerum magistra, prima quædam lineamenta duxisset probitatis, eaque adeo nota, vt te domo primo egredientem cum adolescentulum suscepissent florentissimæ Italiæ Academiæ iuris prudentia imbuendum; admirantibus ferme omnibus præ miraculo, seniorem te ipsum magistrumque morum inuenerint: accedens insuper præcellens manus artificis Caroli Borromæi Cardinalis S. Praxedis, patriæ tuæ Archiepiscopi dignæ memoriæ, numeris omnibus absolutum reddidit.

Ita quidem in te olim a pueritia summus ille rerum opifex Deus Optimus Maximus statuendæ in Templo sancto suo ingentis columnæ iecit fundamenta virtutum; magnamq. desuper molem erigens, cunctantem te, detrectantemque, nec nisi spirituali obsequentem imperio, ad amplissimorum magistratuum vocauit honestissimam functionem, atque demum elegit S. R. E. Diaconum Cardinalem, auxitque presbyteratu. Quo tanto dignatus honore, quamuis intus ob præstantem illam animi tui humilitatem sub purpura duplo palleas, foris tamen præ oculis omnium maxima resplendes claritudine, atque illa quidem non tam ex dignitatis splendore, quàm ex virtutum radijs longe lateque fulgentibus comparata. Quo nomine cum boni omnes Deo se plurimum debere fateantur, quòd

in tan-

in tanta sæculi huius prauorum morum offusa caligine, latentem lucernam sub modio, extulit super candelabrum lucentem omnibus: ego in primis, qui eo amplius tam magno bono fruor, quo diuturna consuetudine tibi propius accedo, Deo me magis deuinctum esse profiteor; tibique cum ob virtutum præclara merita, tum ob collata tua in me plurima beneficia obstrictum quàm maxime.

Quorum gratia, cum tomi huius oblatio, leuissima compensatio videatur: finge tibi, quot in eo sunt chartæ, quot versus, dictiones, syllabæ, litteræ, ac denique apices, tot esse ora clamantia, iugiterque dicentia: Gratias tibi referimus immortales, cuius munere coaluimus, vt e latebris in apertam lucem progrederemur. Nec nos modo id ipsum ingenue profiteri æquum fuerit, sed & vniuersam Oratorij Congregationem, matrem nostram: cui per te, nimirum opera tua, pio sane ac saluberrimo consilio, te inquam promotore, te auctore, incomparabilis thesaurus ille obuenit, sanctorum videlicet martyrum Papiæ & Mauri corporum pignus duplex a Sixto V. Pontifice Maximo ad æternam rei memoriam ipsi dono datum. Quamobrem quantum præclara ista tam sinceri tamque eximij tui erga nos amoris monumenta excreuerint, tantumdem nostræ in te obseruantiæ debitæque gratitudinis subinde augebitur cumulus; & tanta demum vtrinque fiet accessio, quantam venturorum deinceps sæculorum nulla vmquam delere possit obliuio. Vale.

PIO

PIO AC VERITATIS STVDIOSO
LECTORI
CAESAR BARONIVS. S.

ECCE tertium tibi, Lector, exhibemus nostrorum Annalium Tomum, quem te auidius expetisse, expectasseque scimus; vtpote qui probe noueris difficillimas in eo pertractandas esse quæstiones, perplexitatesque pene insolubiles enodandas: vt & iure existimare potueris, haud ita liberam atque securam, vt in ceteris, esse progressuram orationem dubiarum rerum trepidatione cunctantem. Ita sane: At illud certe quidem non te præterit, a labore improbo vinci omnia, si præsertim diuinus fauor aspiret, cui potissimum inniti consueuimus.

Quid autem in hoc Tomo elaborando vigilans nostrum studium tibi præstiterit, iudicabis tu ipse, cum magno otio cuncta perlegeris: non enim te volumus tantummodo eorumdem Annalium inspectorem, sed curiosissimum exploratorem, & (quod magis expetimus) proficuum tibi, alijsque fructuosum esse lectorem. Huius namque rei gratia eiusmodi suscepimus laboris immensi prouinciam; nimirum, vt excurrendo ab exordio Christi Regni in præsentem vsque diem annorum singulorum periodos, vnam eamdemque semper fuisse intelligas Catholicam fidem, perseuerasseque iugiter vnam Ecclesiam, vicissitudine tamen rerum & temporum agitatam. Vt enim catenam vnam conficiunt connexi annulis annuli, ita anni annis coniuncti pluribus annorum circulis vnum idemq. opus perficiunt, atque vnam tibi eamdemque semper existentem repræsentant Ecclesiam: quo quidem piæ menti, verique solummodo cupidæ nihil accidere gratius, nihilque potest esse iucundius; dum Christianam fidem, quam credit, eamdem ab ipso Ecclesiæ exordio cunctis sæculis traditam, illibate seruatam, sancteque custoditam considerat.

Sed & doceant te (qui scopus historiæ est) maiorum facta prudentiam, illam videlicet, quæ diuini Spiritus est, atque pacem, ex sententia Apostoli, Rom. 8. *vitamque conciliat: admoneantque te pariter, vt deuites huic longe contrariam fatuam illam sæculi prudentiam, tetro mortis nomine definitam, a filijs Agar, reprobis scilicet omnibus, tantopere perquisitam. Hæc quidem* Baruch. 3. *perfacile assequeris, cum totum hunc Annalium cursum (qui, sicut omne tempus die ac nocte, contrariarum rerum vicissitudine voluitur & interpolatur) attente contemplans; quid bonum, quidve sit malum, intelliges; qui item lucis, quive filij sint tenebrarum, addisces; qui denique regia gradiantur via, quive non recto pede incedant ad Euangelij veritatem, vel claudicent in vtramque partem, plane cognosces. Sunt enim, proh dolor, & Ecclesiæ filij, & fidei Catholicæ professores, qui etsi Baby-*

lonicæ

lonicæ fornacis ignem impietate succensum cauent, fumo tamen non carent, dum inconsulte nimis Ecclesiasticam auctoritatem deprimunt atque contemnunt, quam recentiores hæretici penitus conuellere atque prosternere satagunt: Cum par esset, hoc potissimum tempore, quo ea ab aduersarijs impugnatur, a filijs Ecclesiæ defendi, erigi, atque firmari; ipsamque imitari naturam, quæ tunc assurgit vehementiore conatu, cum contrarijs lacessitur; legeque Spiritus tunc ardentioribus animis repugnare, cum acerbiora aduersariorum certamina ingruunt. Nam in Christi fidelibus tunc Ecclesia fortior semper apparuit, cum grauioribus fuit prœlijs appetita.

Luc. 11. *At quid hoc perditissimo tempore? Cum enim Dominus dicat: Qui non colligit mecum, dispergit; & qui non est mecum, contra me est: cuiusnam, quæso, ordinis hi censendi erunt, & in quorum redigendi classem; qui hac ex parte, etsi non cum aduersarijs, pro aduersarijs tamen eo modo dimicare noscuntur? Tu ipse dicas, quid sentias. Sed hæc hactenus. Prouoco te in omnibus ad ipsorum Annalium lectionem, in quibus expressam quolibet tempore habes cum fidei Christianæ veritate, eam quæ ex Deo est, & a Sanctis receptam, probatamque vsu prudentiam. Hos, Lector, lege ex Annalibus fructus, ijsdemque fruere, atque vale.*

S I X.

SIXTVS PAPA V.

Dilecto Filio Cæsari Baronio Sorano Presbytero Congregationis Oratorij nuncupatæ.

DILECTE Fili Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius noster Antonius tt. S. Ioannis, & Pauli Presbyter Cardinalis Carafa nuncupatus Bibliothecarius Apostolicus nobis retulerit, a te primum Annalium Ecclesiasticorum volumen editum, aliaq. propediem edenda esse, opus non minus docte, quàm fideliter a te scriptum, & ad totius antiquitatis Ecclesiasticæ notitiam comparandam valde vtile: quibus nimirum non tantum res gestæ exacte per annos singulos recensentur; & quæ de his obortæ sunt controuersiæ elucidantur: sed etiam ipsi Apostolicarum Traditionum fontes purissimi aperiuntur, atque hæreticorum mendacia confutantur: Nos qui eruditorum omnium fouere solemus ingenia: cum tuam in primis industriam, & egregiam pro Catholica Ecclesia nauatam operam magnopere in Domino commendemus; Cupientes vt ijdem a te editi, VEL EDENDI ANNALES ECCLESIASTICI ad integram rerum veritatem custodiendam seruentur penitus incorrupti, & quàm diligentissime fieri potest typis excudantur; ac demum ne a quoquam seu negligentia, seu malitia mendis deformari, aut aliter etiam forsan titulo mutato vel forma, mutari, corrumpi, vel deprauari possint: Motu proprio, & certa nostra scientia omnibus, & singulis Christi fidelibus, præsertim librorum Impressoribus, ac bibliopolis, quouis nomine nuncupatis, tam in Vrbe, & illius districtu, ac statu, & ditione temporali nobis & S. R. E. mediate, vel immediate subiecta, sub quingentorum ducatorum auri Cameræ Apostolicæ eo ipso applicandorum, necnon amissionis librorum atque typorum: quàm etiam per totam Italiam, & extra eam vbiuis gentium, & locorum constitutis sub Excommunicationis maioris latæ sententiæ pœnis eo ipso absque alia declaratione incurrendis: Auctoritate Apostolica, tenore præsentium interdicimus & inhibemus, ne per decem annos a data præsentium computandos, primum Tomum Annalium a te editum, ET ALIOS SINGVLOS A TE EDENDOS, totidem annorum spatio ab vniuscuiusque eorum editione numerando, absque tua licentia imprimere, aliove titulo, vel forma, quouis prætextu mutatos, vel alio quocumque idiomate versos edere, vel sic editos vendere, seu venales tenere audeant, vel præsumant. Mandantes vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & alijs locorum ordinarijs, eorumq. Vicarijs, seu officialibus in spiritualibus, generalibus, ac in dicto nostro statu Ecclesiastico Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, & alijs Officialibus: vt quando, & quoties per te vel tuo nomine fuerint requisiti, præmissa contra inobedientes exequantur, & obseruari faciant, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis quibusuis personis quomodolibet concessis, & confirmatis. Quibus omnibus, illorum tenores, ac si ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq. contrarijs quibuscumque. Volumus autem vt præsentium litterarum exemplis etiam in ipsis voluminibus impressis eadem vbique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris Die xxvj. Iunij. M. D. LXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Tho. Thom. Gualterutius.

CAESARI BARONIO SORANO
VIRO OPTIMO, DOCTISSIMO,
AMICISSIMO
Consaluus Ponce de Leon Hispalensis.

Quid potuit madidum sacrato sanguine ferrum,
Tela, ferae, flammae, spicula, saxa, cruces?
Obruta quid tenebris, mutisq; oppressa sepulchris,
Inuidia Gentis, NOMINIS acta pij?
Ecce renascuntur tempus victura perenne,
Qua surgit lucis, qua requiescit honos.
Caesaris id praestat calamus, praestantior ense
Caesaris: hic vitam sustulit, ille dedit.

Tertius Annalium Tomus incipit ab Imperio Constantini Magni, perduciturq. vsque ad Constantij eius filij obitum: complectitur annos quinquaginta quinque, sextum ex parte tantum attingit.

ANNALES ECCLESIASTICI.

A BENE & nobis illud accidit, quod de rebus diuinis diuinum prodit Oraculum [a]: Cum consummauerit homo, tunc incipiet.] Siquidem absoluto secundo Annalium Tomo, cum post immensos labores optata quies iure captanda fuisset: iam tertius eorumdem sit inchoandus; ac velut in itinere constitutis, in ea, ad quam peruenimus stationem, non liceat conquiescere, sed ex ipsa in aliam proficisci, & e secunda sit ad tertiam commigrandum; atque instar filiorum Israel, e Socoth secunda eorum mansione in Etham [b] pariter transeundum, e tabernaculorum angustiis scilicet (vt harum vocum se habet interpretatio [c]) ex humili inquam Ecclesiæ statu, ad amplissimam eius gloriam, Crucis fortitudine comparatam. Par vtriusque ratio. sicut enim illis in eadem mansione tertia consistentibus primum diuinæ præsentiæ visibi-
B le signum apparuit in columna ignis & nubis die nocteq. perspicuum: ita & in hac tertia, ad quam peruenimus stationem, Crucis fulgor diuinitus e cælo coruscans Constantino apparens, perinde ac digitus Dei & lingua cælestis errantes docuit, atque ad rectam semitam reuocauit, summaque claritudine fulgoris sui, ea quæ humilia despectaque esse videbantur, sublimia ac plane diuina monstrauit; abolitisque indecoris & ignominiæ titulis illis, scandali atque stultitiæ, Iudæorum ac Gentilium opinione compositis, manifestioribus indiciis paradoxum illud Apostoli [d] declarauit: Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.] Hæc autem adeo eximia & excelsa, oratione digne persequi, vt magnitudo postulat argumenti, diuino opus esse auxilio intelligimus, quo veritatis recto tramite ipsa oratio haud hæsitans secura ducatur. Faueat cæleste numen a nobis hoc itinere sæpius imploratum; atque ex hac eius tertia statione effulgeat menti no-
C stræ, atque præcedat nos sublimior illa & excelsior animata columna, in qua multo felicius humano generi visibilis Deus apparuit; ipsa inquam Dei Genitrix beatissima virgo Maria suæ pulchritudinis fulgore corusca gradiens antecedat, ac ducens, & docens, non sinat vel latum vnguem nos ab arcta semita veritatis excedere, vel leuiter aberrare.

a Eccles. 18.
PROOEMIVM CVM IMPLORATIONE NVMINIS.
b Exod. 12. 13.
c Hieron. epist. ad Fabiolam. 127. mans. 3.
d 1. Corinth. 1.

IESV CHRISTI ANNVS	MARCELLI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
306.	3.	1.

TRECENTESIMO SEXTO CHRISTI REDEMPTORIS nostri anno, Olympiadis ducentesimæ septuagesimæprimæ anno primo, Constantio atque Galerio Augg. sextum Consulibus, cùm octauo Kalēdas Augusti idem Constantius Eboraci in Britannia diem clausisset extremum, Constantinus
D eius filius maior natu ex Helena genitus Imperij heres ex testamento relictus, id decernente diuino numine, ac totius exercitus suffragantibus votis, paternum accepit Imperium. Cum igitur tum ex Olympiadum supputatione, tum ex Consularibus Fastis tam certus exploratusque habeatur annus quo auspicatus est Imperium Cōstātinus: Cassiodori Chronicon erroris arguitur, dum post biennium sub Consulatu decimo Diocletiani, & Maximi seu potius Maximiani septimo, ponit exordium Constantini: quod

CONSTANTINVS HERES IMPERII.

a Hist.Trip.lib.1 c.vlt. quidem ex eiusdem historia Tripartita[a], quam collegit, manifestissime inspicere licet, dum ait ex Socrate, eumdem Constantinum defunctum, cum imperasset annos triginta & vnum, Feliciano & Titiano Coss. qua ratione oportuit ipsum hoc anno imperare cœpisse. Hisce igitur firmissimis rationibus oportuit stabilijsse exordium Imperij Constantini, quòd sciamus complures errore lapsos, dum post biennium numerare aggressi sunt annos eiusdem Imperatoris, & in re grauissima, nempe de tempore Nicæni Concilij, aliisque rebus magni momenti, in errores non leues incidisse. A

Quod autem ad gesta rei historiam pertinet, hæc de ingressu Constantini in Imperium quo modo se habuerint (præter illa quæ in fine secundi Annalium Tomi, cum de eiusdem Constantini opportuno aduentu in Britanniam, & de Constantij obitu dicta sunt) iam ordine prosequamur, ac in primis quæ Eusebius res ab eo gestas fusius prosequutus narrat his[b] verbis: Neque tamen Imperium Imperatore destitutum permansit: quippe Constantinus paterna purpura indutus, primum e paternis ædibus egressus est; & patrem tamquam a mortuis ad Imperium regendum denuo reuocatum, suo ipsius vultu & effigie omnibus repræsentauit. Deinde magna paternorum amicorum turba cum comitante, funeri præiuit, patremque produxit; quin etiam infinita populi multitudine, militumque constipanti agmine partim antecedentium, partim subsequentium genitorem sanctissimum cum omni splendore & maxima pompa extulit: faustis acclamationibus, suaui hymnorũ concentu, omnes beatissimum illum celebrant: et consentientibus animis, filium iam in Imperij gradu locatum, patrem ad vitam quodammodo reuocasse existimant. Extemplo igitur secundo & prospero applausu nouum Regẽ, Imperatorem, & Augustum ipsa prima voce contentius prędicant. Quibus acclamationibus tam auspicato in filium editis, patri mortuo non nihil ornamenti allatum est: filium cuncti beatum putant, qui talis patris fuit successor declaratus: omnes gentes, quæ ipsius obsequebantur Imperio, incredibili lætitia efferũtur, & gaudio pene inexplicabili propterea complentur, quòd illustri & præclaro Imperatore, ne breuissimo quidem temporis momento caruissent. Hunc morum vitæque pie & religiose ad virtutem institutæ exitum esse, in Imperatore Constantio vniuerso generi mortalium, qui nostra memoria vixerunt, Deus euidenter demonstrauit. Finem autem vitæ aliorum, qui Dei ecclesias bellico quodam more & modo exagitarint, minime consentaneum iudicaui, quem præsenti sermoni mandarem: neque bonorum memoriam, eorum appositione, qui secus se gesserint in vita, omnino debere contaminari. Rerum enim experientia illis solum, qui ipso oculorum obtutu calamitates cuiusque tyranni aspexerint, quiq. earumdem cognitionẽ auribus perceperint, satis videtur esse ad vitam modestius deinceps sanctiusq. moderandam. Sic igitur Constantinum talis parentis satu editum Principem & Imperatorem Deus omnium auctor & totius mundi gubernator suo solum arbitrio delegit: eo consilio, vt cum alij omnes Imperatores hominũ suffragiis ad eum dignitatis gradũ ascendere consueuerint; de hoc Imperatore solo ad honorẽ efferendo, nemo mortalis omnino gloriaretur.] hucusque Eusebius.

b Euseb. in Vit. Cõstantin. lib. 1. c.16.17.

FVNVS CONSTANTII IMP.

B

C

D

At nec Ethnicus auctor (quisquis ille fuerit, clarissimus certe Orator illorũ temporum) de diuinitus facta electione Imperij Constantini discrepat ab Eusebio; nisi tantum, quòd hic veram diuinitatem minus intelligens, quod a Deo optimo maximo factum est, diis tribuit; qui & hæc[c] præloquitur de Constantio: Vere enim profecto illum superum templa petierunt, receptus est consessu cæli, Ioue ipso dexteram porrigente. Quinimmo statim sententiam rogatus, cui Imperium decerneret, vt decebat, dixit: CONSTANTINVM PIVM: manifeste enim sententia patris electus est Imperator: quod ita nos dicere, cum veritas iubet, tum pietati tuæ, vt video, gratissimum est. Sed cur tantummodo priuatis tuis affectibus blandiamur; cum omnium deorum fuerit illa sententia, & quidem iam auctoritate præscripta, quæ tum pleno firmata sit consilio? Iam tunc enim cælestibus signis suffragiis ad salutem Reipublicæ vocabaris, cũ ad tempus ipsum, quo pater in Britanniam transfretabat, classi iam vela facienti, repentinus tuus aduentus illuxit, vt non aduectus cursu publico, sed diuino quodam adnolasse curriculo videreris.] hæc ille: qui quod sciebat diuino factum numine, diis tribuit, quòd nullum præter eos numen in cælo esse putaret. at quales erant, quos nominat deos erga Constantinum propitios, qui eum sibi aduersarium, ipsorumque cultus euersorem fore non viderint? E

c Gallicanus in Panegyrico 4. Constantini.

DEI NVTV CONSTANTINVS IMPERAT.

Sed quid idem addat de cunctatione Constantini in suscipiendo Imperio, audiamus: Illico enim atque ille terris fuerat exemptus, vniuersus in te consedit exercitus, te omnium mentes oculique signarunt: et quamquam tu ad seniores Principes de summa Reipublicæ, quid fieri placeret, retulisses; præuenerunt tamen studio, quod illi mox iudicio probauerunt

STVDIVM MILITVM ERGA CONSTANTIN.

A bauerunt. Purpuram statim tibi, cum primum copiam tui fecit egressus, milites vtilitati publicæ magis quàm tuis affectibus seruientes, iniecere lacrymanti: neque enim fas erat diutius fleri Principem consecratum. Diceris etiam, Imperator inuicte, ardorem illum te deposcentis exercitus fugere conatus, equum calcaribus incitasse: quod quidem, vt verum audias, adolescentiæ errore faciebas: quis enim te Cyllarus, aut Arion posset eripere, quem sequebatur Imperium?] hæc ipse, & alia plura; sed non semper tutum attexere encomia historicæ puritati. Verum licet tum a patre, tum ab exercitu Constantinus fuerit renunciatus & acclamatus Augustus: numquam tamen nisi Cæsaris nomen tunc accepit, Augusti vero postea, cum Faustam filiam Maximiani Herculij vxorem duxit. Hæc enim idem auctor [a] his verbis: Cum tibi pater Imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus expectare malueris, vt idem te qui illum declararet Augustum: siquidem ipsum Imperium hoc fore pulchrius iudicabas, si id non hereditarium ex successione cepisses, sed virtutibus tuis debitum a summo Imperatore meruisses: neque enim dubium, quin tibi mature sacrum istud fastigium diuinæ potestatis astrueret, qui te iam olim sibi generum, etiam antequam petere posses, sponte delegerat. Hoc enim, vt audio, imago illa declarat in Aquileiensi palatio ad ipsum conuiuij posita aspectum: vbi puella iam diuino decore venerabilis, sed adhuc impar oneri suo, sustinet atque offert tibi etiam tum puero galeam auro gemmisque radiantem, & pennis pulchræ alitis eminentem: vt te, quod vix vlla possunt habitus ornamenta præstare, sponsale munus faciat pulchriorem.] Sic igitur Constātinus a funere patris nomen Cæsaris vsque ad nuptias cum Fausta retinuit, quando & auctus est nomine Augusti, cum alioqui voce militum omnium Augustus fuerit salutatus; de quo Eusebius [b] cum agit de obitu Constantij: Huius, inquit, filius Constantinus statim vt Imperij gubernacula susceperat, Imperator summus & Augustus cum ab exercitibus, tum multo antea ab ipso Deo summo omnium Imperatore declaratus, se paternæ pietatis erga nostræ religionis disciplinam æmulum & imitatorem præstitit.]

a Panegyric. 1. Maximian. & Constantin.

B — CONSTANTINVS CONTENTVS NOMINE CAESARIS.

b Euseb. lib. 1. c. 26.

C

Antequam autē à Constātino res gestas vlterius prosequamur, de eius genere atque natalibus aliqua præfari, ad difficultates non leues soluendas, necessarium existimamus. Quod ad paternum genus spectat, a Claudio iuniore Imperatore originem ducere, secūdo Annalium Tomo pluribus dictum est, cum de eius patre Constantio sermonem habuimus. Si vero eiusdem stēmatis principium altius repetatur, Trebellius [c] auctor est, eum a Vespasiano Augusto descendere, vnde Flauię gētis est nomen & insignia consequutus, ante tamen Vespasianū obscuræ; nam Suetonius [d] hæc de eo: Mediocritatem pristinam neque dissimulauit vmquam, ac frequenter etiā præsetulit: quin & conantes quosdam originem Flauij generis ad conditores Reatinos, comitemq. Herculis, cuius monumentū extat via Salaria, referre, irrisit vltro.]

CONSTANTINI PATERNVM GENVS.

c Trebel. in Claudio.

d Sueton. in Vespasiano. c. 12.

D

Quod vero ad maternum genus attinet; cum constet natum ex Helena; vnde illa, ex qua prosapia, prouincia, & ciuitate sit orta, non leuis est controuersia. Scimus Græcorum recentiores (Eusebius enim, licet rerum Græcarum amplificator egregius, hæc silentio prętermisit) Nicephorum [e] & alios, qui cōmenticiæ historiæ fidem præstiterūt, eam fuisse Bithynam genere, affirmare; de qua & eiusmodi fabulam concinnarunt, cum de Constantio patre ad Persas Legato misso hæc memoriæ cōmendarūt, quæ idem Nicephorus narrat his verbis: Is ab Occidēte Orientem versus nauigans, ad locum, qui Drepanū dicitur, applicat (situm est Drepanum ad Nicomediæ sinum ad altū mare longius prominens:) ibi Constātio desideriū concubitus incessit: quod vbi cognouit hospes eius, magnificentia & splēdore cohortis ipsius regio permotus, filiam ei suā venusta forma, ætatisque flore iam nubilem puellam cōciliat. Ille cum

HELENAE PATRIA ET GENVS.

e Niceph. lib. 7. c. 18.

E ea rem habet, concubitusque mercedem peplum ei purpura intextum donat. Nocte ea Constantio mirifica visio est oblata, quæ eum timore quodam perculit. Quapropter & puellæ patrem est cohortatus, vt filiam, quæ insigne quoddam donarium gereret, impollutā diligentius asseruaret: & quod ex ea natū esset, accuratius educaret. Vidisse quippe se ea, qua dictum est, nocte aiebat, in tabernaculo suo præter naturā ab Occidentali Oceano orientem Solem. Ceterū legatione recte obita, Cōstantius alio itinere Romā reuersus vna cum Galerio Maximiano Cæsar creatus est, neque ita post longum tēpus vterque Augustus factus.] & paulo post:

Accidit deinceps, vt oratores alij ad Parthos mitterentur, qui & ipsi Drepanum diuertegrunt: et qui Constantij ex hospitis filia Helena progenitus erat infantulus, puerilem ludū ludens, a quodam ex oratorum numero offensus, admodū ei succensuit, & obiurgationes eius indignissime tulit: ibi tum mater, Constantij eum puerū esse, indicauit: eamque rem, peplum illud purpura exornatum proferens, confirmauit; & facies ipsa, indolesque generosa, filium illius esse, satis testabatur. Ea re Constantius ex Legatorum sermone cognita, postea

comitatu regio puerum vnà cum matre Romam adduci curauit. Veritus autem, ne illis absurdi quidquam a Theodora legitima vxore sua per zelotypiã, & coniugalem æmulationem accideret; Constantinum filium Nicomediam ad Diocletianum, qui ibi cum Galerio Maximiano genero erat, misit. Atque ibi ille benigne susceptus, in Palatio apud Imperatorem vixit, & inter domesticos scholarum adscitus, Græcas litteras addidicit, simulque Christianismum complexus est] hæc Nicephorus de materno genere atque cunabulis Constantini. A

DE HELENA CONFVTATVR HISTORIA COMMENTICIA.

Sed pluribus tum Nicephori tum aliorum mendacissima historia confutatur; ac primum quidem si ea ad lapidem Lydium admoueatur, si inquam cum recta ratione temporis conferatur, plane conuincetur curiosi hominis esse figmentum. Si enim, vt ipse vult, eo anno natus est Constantinus, quo Constantius pater rediens e legatione creatus est Cæsar (quod contigisse certum est anno Domini ducentesimo nonagesimo secundo) necesse est affirmare hoc ipso anno, quo cepit Imperium Constantinus, fuisse quatuordecim tantum annorum ætatis; quem tamen ex sententia Eusebij, qui eo familiarissime vsus est, & [a] aliorum, constat hoc tempore, quo est auspicatus Imperium, iam trigintaduos annos ætatis, vel saltem trigintaunum attigisse: cum enim dicat ipsum imperasse annos trigintaunum vel trigintaduos, præter paucos menses & dies, addatque totidem annos absque Imperio vixisse [b]; manifestũ est, eo tempore, quo Nicephorus, eum natum vult, Cõstantinum iam annos decem & septem ætatis egisse. Hoc vno igitur eius historiæ tam insigni patefacto mendacio, totum illud excogitatum commentum exploditur, cum præsertim ex scriptoribus illius temporis, quo in loco natus sit Constantinus, possit apertissime demonstrari, nempe in Britannia, vt dicemus. Facile namque potuit accidisse, vt scriptoris incuria alicubi Bithynia loco Britanniæ scriptum esset, vnde & reliqua confingendi occasio sit accepta: cum præsertim ille color accederet, quòd Drepane dictum oppidum in Bithynia, ab eadem Helena admodum illustratum, fuerit postea Helenopolis appellatum. Sed qua occasione sic ea ciuitas fuerit nominata, suo loco inferius pluribus sane quidem peregregie mentitus est auctor, dum ait Constantinum Drepane natum esse in Bithynia, quem apertissime constat in Britannia ortum esse id quidẽ disertis verbis coram amplissimo conuentu tunc temporis habito: cum celebratæ sunt nuptiæ Constantini & Faustæ filiæ Maximiani Herculij, testatur celebris ille Gallicanus Orator, dum ait hæc de patre Constantio, & eius filio Constantino: Liberauit ille Britannias seruitute: tu etiam nobiles, illic oriundo, fecisti.] Quid igitur ijs apertius dici potest? quibus adeo manifestis velle refragari, quis non extremæ ducat esse dementiæ? Qua pariter ratione æquius est dicere, Helenam fuisse Britannam, quàm Bithynam; quam certum est peperisse in Britannia Constantinum, idque tẽpore Aureliani Imperatoris, a quo missus est Constantius Claudij Imp. recenti memoria clarus cum exercitu in Britanniam, vt populum illum sæpius tumultuari solitum in officio & fide Aureliani contineret. Contigit autem Constantini natalis, ex Eusebij sententia superius recitata, qui totidem annos eum ante Imperium vixisse tradit, quot imperauit, Aureliano secundum & Iulio Capitolino Coss. anno quinto eiusdẽ Aureliani Imperatoris. sed de annis eius inferius pluribus. B C D

a Euseb. in Vit. Constantin. lib. 4. cap. 53. Epiphan. lib. de mẽs. Hieronym. in Chronic. Aurel. Vict. in Constantino in fin. & alij.

b Euseb. in Vit. Constantin. lib. 1. c. 1.

HELENA NVM CONCVBINA VEL VXOR CONSTANTII IMP.

Quod ad Helenam rursus spectat; adhæserit ne concubina Constantio, an legitima vxor fuerit: auctor est Zonaras [c], controuersia agitatum, dicentibus alijs eam concubinam fuisse Constantij, aliis legitimo illi iunctam esse coniugio affirmantibus: ipse verò abstinens, nec quicquam definiens, litem reliquit sub iudice. At mea quidem sententia res eo statu posita est, vt ad huiusmodi iudicium terminandum, opus non sit perendina dilatione. Nam exploratum quidem habetur apud omnes antiquos historicos, qui res Constantij sunt prosequuti, Maximianum Herculium, cum sibi eumdem Constantium adoptasset in filium, vt ei coniungeret in matrimonium Theodoram priuignam suam, coegisse repudiare eam quam prius vxorem acceperat, id Eutropio [d], Victore [e], ac reliquis historicis attestantibus. Certe quidem repudium vxoris tãtummodo dici solet, non autem feminæ subinductæ; nec dari repudium cõcubinæ, quis vmquam dictum inueniet: quamobrem cum iussus esse dicatur Constantius a Maximiano vxori dare repudium, vt acciperet Theodoram: ex quadam necessitate compellimur dicere, Helenam legitimam coniugem, non autem concubinam fuisse Constantij. Nec est quod ab aliquo dici possit, aliam ab Helena feminam, eamdemque vxorem Constantij ab eo esse repudiatam: nam nulla prorsus est memoria, Constantium aliam aliquam habuisse vxorem, præter Helenam & Theodoram. Rursum verò quo modo quis dicere poterit Helenam adhæsisse Constantio concubinam, cum publicis attestationibus eiusdem Constantij continentia mirifice commendetur? nam cùm Gallicanus Orator [f] coram Maximiano ac Constantino, eorumdem celebrans laudes, Panegyricum E

c Zonar. Annal. tom. 3. in Constantino.

d Eutrop. lib. 9.

e Victor in Diocl.

f Panegyric. 1. Constantini.

ricum dixit, hæc habet in apostrophe ad Constantinum:

Neque enim forma tantum in te patris, Constantine, sed etiam continentia, fortitudo, iustitia, prudentia sese votis gentium præsentant: quo enim magis continentiā patris æquare potuisti, quàm quòd te ab ipso fine pueritiæ illico matrimonij legibus tradidisti, vt primo ingressu adolescētiæ formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ętati voluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres? Nouum iam tum miraculū, iuuenis vxorius, sed vt res est, mente præsaga omnibus te verecundiæ obseruationibus imbuebas, talem postea ducturus vxorem.] hæc ibi auctor pro concione, spectantibus magistratibus, dixit, cum Maximianus eidem Constātino Faustam copulauit fœdere nuptiarum: quæ a nobis

CONSTANTII IMP. SPECTATA CASTITAS.

A non tam in commendationem continentiæ Constantini, quàm Constantij patris, sunt recitata, cuius ille imitator factus, nullam ante vxorem legitimam, feminam aliam prorsus nouerit. At qua fronte, quæso, nobilis orator in publicis nuptiarum solemnitatibus, coram nobilissimo ac florentissimo auditorio cuncta sciente, hæc de patre Constantio prædicare adeo potuisset, si Helenam concubinam, ex qua etiam ipse Constantinus natus esset, antequam legitimam vxorem Theodoram duceret, habuisset? Ex ijs igitur cum ceteri omnes, qui dicunt natum Constantinum ex concubina, tum Zosimus [a] Comes mendacij redarguitur, dum ait eum genitum ex consuetudine mulieris, quæ materfamilias minus esset. Ethnicus homo addictissimus Ethnicismo, & in Christianam religionem infensissimus, cum de Christianorum rebus agit, manifestus sæpe conuincitur proditor veritatis, & in Constantinum pariter

[a] Zosim. lib. 2.

B iniquissimus, quem vt desertorem deorum exagitat contumeliis; vt intelligas hominem in Constantinum Philippicas potius, quàm Constantini historiam conscripsisse.

At vndenam apud nonnullos antiquos historicos manasse potuit eiusmodi opinio de Helena, quòd fuerit potius Constantij concubina quàm coniux? aperiam. Romanorum legibus cautum erat (quod testatur Papinianus [b] I.C.) vt si Præfectus cohortis, vel equitum, aut Tribunus contra interdictum, vxorem duceret in ea prouincia, in qua officium gerebat, matrimonium non esset, cum ratio potentatus, vt ait, eiusmodi nuptias prohiberet. Quam ob causam sic acceptam Helenam a Constantio putarint potius concubinam, quàm coniugem. Sed quid Paulus [c] I. C. respondit? Si post depositum officium eiusmodi in eadem voluntate perseueret, iustas nuptias effici. Quid huic simile scripsit Vlpianus [d], legem Papiam interpre-

CVR HELENA DICTA CONCVBINA.

[b] l. Præfect. ff. de ritu nuptiarum.

[c] l. eos qui. ff. eodem.

[d] l. si quis in Senatorio. ff. eodē.

C tatus, qua cùm Senatores vetiti essent in vxorem ducere libertinam: si tamen duxisset; quamuis (inquit) vxor eius non sit: tamen ea condicione, si desierit esse Senator, tunc vxor eius esse incipiet.] Talis namque fuisse videtur causa Helenæ cum Constantio, vt sic eam duxerit, vt cum a prouincia discessisset ac magistratum deposuisset, vere coniux esset ac matrimonium ratum: quod quidem declarauit euetus: nam quam semel accepisset, nūquam dimisit vsque ad nuptias Theodoræ, cum Maximianus Imperator coegit (quod dictum est superius) dare Helenæ priori coniugi libellum repudij.

Confutatis igitur de natalibus Constantini Græcorum figmentis, explosa simul & illorum sententia, qui dixerunt Helenā non vxorem, sed concubinam adhæsisse Constantio: reliquum est, vt de eiusdē Helenę generē pauca dicamus. Eutropius [e] cum affirmet eam cōiugem fuisse

[e] Eutrop. lib. 10. in princip.

D Cōstantij, obscuro tamen loco natam testari videtur, dum ait: Constātinus ex obscuriori matrimonio eius filius in Britānia creatus est Imperator.] Sed quis est qui neget respectu clarissimarum nuptiarum, quas postea cum Theodora filia Imperatoris contraxit, quibus & Imperium consequutus est, obscurius dici debere prius coniugium Constantij cum Helena, ex quo natus est Constantinus? Scimus tamē S. Ambrosij [f] testimonio, fuisse eamdem Helenam, Stabulariam nominatam; nam ait: Stabulariam hanc primo fuisse, asserunt, sic cognitam Constantio seniori, qui postea regnum adeptus est.] Sed eo plane nomine vulgo dicta, quòd hospitis, apud quem diuertit Constantius in Britannia, filia fuisset. Sed qualis hospitis, qui ducem totius exercitus domi exciperet? certe haud infimi ordinis inter Britannos, & mediocrium facultatū; sed par est credere (vt euenire solet in hospitalitatibus militaribus) qui in

[f] Ambros. orat. in funer. Theod.

HELENA CVR STABVLARIA DICTA.

E ciuitate nobiliores ac ditiores sunt, eos qui digniores pariter militiæ ducunt ordines hospitari solere. quamobrem qui antiquas res Britannicas sunt prosequuti (quod compertum habuerunt ex antiquis Annalibus) Helenam filiam fuisse tradunt vnius ex Britanniæ Regulis Coel nomine, apud quem (vt dictum est) Constantius hospitatus, quam pulcherrimam nouit, eius filiam Helenam accepit in coniugem: obscurumque existimatū est eiusmodi coniugium, quod cum externa, barbara, & non Romana femina contractū esset a tanto viro, ab ipso scilicet nepote Claudij Imperatoris, & Romani exercitus in Britannia duce; sed & obscurius sane redditum, cum creatus est Imperator, & vna cum Imperio Theodoram accepit vxorem.

 Cum

Cum igitur, vt accidit ijs qui temporibus & felicioribus rebus inseruiunt, in posteriorem coniugem eamdemque Augustam omnes conuerterent oculos; vilis admodum & abiecta visa est illa prior, quæ iussu Hercul ij Imperatoris repudiata fuisset, ac proinde contemptus gratia, Stabularia nominata; sicut & Galerius Maximianus, qui eodem tempore imperauit, ob humile genus vulgo Armentarius dicebatur. At de Helena modo hactenus, ex qua Constantium genuisse alium filium vel filiam præter Constantinum, memoria nulla est. Ex Theodora autem Augusta complures suscepit liberos, nempe Constantium, qui pater fuit Galli & Iuliani, Dalmatium, Anniballianum parentem Dalmatij iunioris, addunt aliqui alium Constantinum; filias vero Constantiam, quæ postea Licinio Imperatori nupsit, Eutropiam coniugem Nepotiani, &, vt putant alij, Anastasiam. Quibus omnibus posthabitis, Constantinum Helena genitum Imperij reliquit heredem. A

FILII CONSTANTII IMP.

Postquam autem res in Britannia gestæ, essent Romam perlatæ, & noui Imperatoris Constantini imago Romæ ex more (inquit Zosimus [a]) esset exhibita: Maxentius Maximiani Herculij filius, non tolerandum ratus, Constantino quidem ex animi sententia rem succedere, qui muliere non matrona genitus esset: se vero talis Imperatoris filiũ desidẽ hærere domi, aliis paternum Imperium obtinentibus; adiunctis sibi conatus huius administris Marcelliano & Marcello Tribunis militum, & Luciano suillæ carnis præbitore, quam Fiscus populo Romano largiebatur, & aulicis præterea militibus, quos Prætorianos vocant, in regium ab illis solium collocatus est, magnis se vicissim muneribus affecturum pollicitus eos, a quibus hoc consequutus esset.] ita Zosimus. Facta autem hæc sunt à Maxentio hoc anno, septimo Kalendas Octobris. Maxentius vero licet vt Maximiani Herculij filius educatus esset, atque in virum creuisset: tamen non vere ex illo natum, sed plane terræ filium ab Eutropia illius vxore esse suppositum [b], creditum fuit; quod videtur etiam apud Maximianum fidem inuenisse, ac propterea cum se abdicasset, in successione Imperij prætulisse illi Constantium. B

a Zosim. hist. lib. 2.

MAXENTIVS INFENSVS CONSTANTINO.

b Victor in Maximian. & alij.

Cum autem scisset Constantinus Maxentium Romæ Imperium occupasse, quæsiuit cum eo res componere, habereque socium atque collegam; sed recusauit ille. id quidem testatur Nazarius [c], dum eius consilij rationem affert, sic dicens: Quin extorques animo tuo conueniendi studium, & concordiæ voluntatem? si concordiam quàm veniam appellari fas est, cum qui potest vincere, optat ignoscere. Et non dubito quin hanc rationem cælestis prudentia tua duxerit, quòd coniunctione sua flagrantissimas hominis cupiditates vel extingueret penitus, vel modice temperaret. nulla quippe est libido tam vecors, quam non capiat (vincat scilicet) cum in consortium temperantia venerit. Deijcit oculos deformis ignauia, vbi ei pulchritudo virtutis obiecta est: tergiuersari atque hærere petulantiam videas grauitate, modestia, & decore confusam: vt appareat te, Imperator optime, concordia imperanda non illi impunitatem vexandæ vrbis daturum, sed leniorem petijsse victoriam, cum malles vitia eius quàm arma superare. Sed profecto nulla vi possunt coire, quæ naturali diuortio dissident: nec vlla tam fidelis est copula, quæ in diuersum tendentia nexu suo teneat. Perpendit scilicet tecum excellens prudentia tua, eique semper pietas applicata, omnes concordiæ commoditates; illam esse fundamentum & radicem otij, bonorum ciuium seminarium, quietis publicæ segetem, & almam pacis altricem. Sed o quàm æger est ad honestatem recursus his qui gradum ex nequitia protulerunt! Vocas ad societatem: appetitum tuum refugit, aduersatur, horrescit: nihil sibi putat tecum commune; quia nihil est simile.] hæc Nazarius. C D

c Nazar. in Panegyric. Constantin.

CONSTANTINVS QVALIS ERGA MAXENTIVM.

Maxentius autem vt sibi omni ex parte Imperium stabiliret, cõciliaretque animos: ne quos haberet sibi aduersantes, Constantino autem fauentes; sciens Christianos, quibus tum Vrbs ipsa, tum etiam prouinciæ confertæ essent, erga Constantinum esse propensiores; studuit animos horum omnium officiis demereri, ac beneficiis deuincire, vsque adeo, vt Christianam religionem se suscepturum, illos demulcens, veteratorie simularet: quod Eusebius [d] testatur his verbis: Huius, nempe Maximiani, filius Maxentius, qui Romæ tyrannidem occupare instituit, in ipso Imperij sui ingressu, fidem nostram se complecti, quo populo Romano placeret, eumque blanditiis deliniret, & assentatione callide simulauit, & ea de re illis qui eius parebant Imperio, in mandatis dedit, vt persecutionem contra Christianos remitterent: tantamque pietatis speciem præsetulit, vt humanus & valde mansuetus præ illis, qui Imperium ante tenuissent, cuique videretur.] ita Eusebius. E

MAXENTIVS SE SIMVLAT CHRISTIANVM.

d Euseb. lib. 8. cap. 26.

Ad hæc quoque spectare videtur, quod apud S. Augustinum [e] scribitur, Melchiadem hoc tempore Romanum presbyterum, postea Papam, misisse Stratonem diaconum vna cum aliis,

e August. in Breuic. dies tert. c. 18.

aliis, acceptis litteris Maxentij Imperatoris, atque Præfecti prætorio, ad Præfectum Vrbis, vt ab eo loca reciperet, quæ persecutionis violentia abstulisset. Hæc enim ex quibusdam Actis recitarunt Donatistæ, conantes Melchiadi crimen traditionis impingere. ait [a] autem de Donatistis: Adhuc dies erat, quando volentes destruere iudicium Romani Episcopi Melchiadis, quo purgatus & absolutus est Cæcilianus; etiam ipsum Melchiadem Traditorem fuisse dixerunt. Cuius criminationis cum ab eis esset exacta probatio, gesta prolixissima recitarunt, vbi Melchiadis nomen, quòd aliquid tradiderit, non fuit: et recitauerunt etiam alia gesta, vbi Melchiadem legebatur misisse diaconos cum litteris Maxentij Imperatoris, & Præfecti prætorio ad Præfectum Vrbis, vt reciperet loca, quæ fuerant a Christianis tempore
A persecutionis ablata. Vbi cum Melchiadis crimen penitus nullum appareret: dixerunt superioribus traditionis gestis, Traditorem Stratonem fuisse recitatum.] sicque ex hoc quoque ipsorum calumnia in Melchiadem confutata est. Redditam etiam fuisse Africanæ Ecclesiæ pacem per Maxentium Imperatorem, Optatus pariter testatur, qui ait [b]: Tempestas persecutionis peracta & definita est; iubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta] hæc ipse.

[a] Aug. li. ad Donatist. post Collat. ca. 12. in fin. & cap. 13.

[b] Optat. lib. 1. contra Parmenian.

Ceterum Eusebius [c] affirmat, Occidentales oras, atque ipsam Africam & Mauritaniam a persecutione quieuisse, non quidem Maxentij indulgentia, qui nondum Imperium inuaserat, sed abdicatione Maximiani, cum in locum eius successit Constantius de Christianis optime meritus; adeo vt nec biênio integro, vt ait, eædem prouinciæ fuerint persecutione illa ve-
B xatæ. Quamobrem quod attinet ad indulgentiam tunc ab ipso Maxentio in Africam missam, haud pertinuisse putamus ad sopiendam persecutionem in Christianos excitatam, quæ iam ante biennium, vt dictum est, compressa fuerat; sed potius ipsum remisisse ea indulgentia iras, quibus hactenus haud leuiter sæuierat in Africanos: nam Zosimus [d] auctor est, Maxentium in Africanos milites primum succensuisse, quòd perlatam in Africam eius imaginem prohibuerint circumferri: & quòd insuper Alexandro fauissent, qui ex Præfecto prætorio Imperatoriam quoque purpuram induisset: quo per Volusianum extincto (inquit Zosimus) quotquot in Africa vel genere, vel opibus præstabant, veluti Alexandri partium sectatores deferendi, nec vllis omnino parcebatur, dum alij necarentur, alij facultates suas amitterent: quin & Romæ triumphatum est ob perpetrata Carthagine mala.] Sed & Panegyricis quo-
C que Constantino dictis, sæuisse in Africanos Maxentium, diserte narratur. Indulgentia igitur a Maxentio in Africam missa, post patrata quamplurima mala, vt tandem a rapina & gladio cessaretur, effectum est: et eo tantum modo respexit Christianos, quòd eis sicut ceteris intercepta ciuili bello libertas, vt ait, fuerit restituta.

[c] Euseb. lib. 8. cap. 25. in fin.

AFRICANA QVIES VNDE.

[d] Zosim. hist. lib. 2.

Quo tempore factum est, concessa Ecclesijs vbique pace, vt Carthaginem conuenirent Episcopi, atque in locum defuncti Mensurij ordinarent Cæcilianum diaconum Episcopum Carthaginensem. Quod indigne ferentes qui ambitionis ardore flagrabant, ingens illud ac immane schisma conflarunt, quod postea a Donato nomen accepit. Hæc autem quo modo se habuerint, Optatus [e] Mileuitanus fideliter narrat his verbis: Botrus & Cælesius, vt dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt, vt absentibus Numidis, soli
D vicini Episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc suffragio totius populi Cæcilianus eligitur: et manus imponente Felice Aptungitano Episcopo, ordinatur: Botrus & Cælesius de spe sua deiecti sunt. Breuis auri & argenti sedenti Cæciliano, sicut delegatum a Mensurio fuerat, traditur adhibitis testibus.] erat hæc schedula, qua conscripta habebantur vasa cuncta auri & argenti, quæ ne raperent persecutores, Mensurius prædecessor senioribus commendauerat, relicto illorum indice, quod Commemoratorium vocat, cuidam fideli aniculæ. Creato igitur Cæciliano Episcopo, scriptum illud eidem Cæciliano, vt Mensurius iusserat, datur. Quid autem post hæc sequutum sit, cum a presbyteris Cæcilianus depositum Ecclesiæ exigeret, idem Optatus rei gestæ narrationem prosequens, tradit his verbis:

CAECILIANVS ELIGITVR EPISC. CARTHAGIN.

[e] Optat. lib. 1. contra Parmen.

E Conuocãtur supramemorati seniores, qui faucibus auaritiæ cõmendatam ebiberant prædã. Cum reddere cogerẽtur, subduxerũt cõmunioni plebẽ. Non minus & ambitores, quibus & ordinari non contigit (nempe Botrus & Cælesius) nec non & Lucilla, quæ iamdudũ ferre non potuit disciplinam, cum omnibus suis potẽs factiosa femina communioni misceri noluit: sic tribus conuenientibus causis & personis, factum est, vt malignitas haberet effectũ. Schisma igitur illo tempore confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutriuit, auaritia roborauit. Ab ijs tribus personis contra Cæcilianum causæ confictæ sunt, vt vitiosa eius ordinatio diceretur. Ad Secundum Tigisitanum missum est (erat is Primas Numidiæ, de quo multa superius)

SCHISMATIS DONATISTARVM ORIGO.

perius) vt Carthaginem veniretur: proficiſcuntur omnes ſupramemorati Traditores (nempe Donatus Maſculitanus, Victor Ruſſicadienſis, Marinus ab Aquis Tibilitanis, Donatus Calamenſis, Purpurius Limatenſis, Menalus, & alij plures, omnes Epiſcopi) ſuſcepti hoſpitio ab auaris, ab ambitoribus, ab iratis, non a Catholicis, quorum petitione Cæcilianus fuerat ordinatus. Interea ad baſilicam, vbi cum Cæciliano tota ciuitas in frequentia fuerat, nullus de ſupradictis acceſſit. Tunc a Cæciliano mandatum eſt: Si eſt quod in me probetur, exeat accuſator, & probet. Illo tempore a tot inimicis nihil in illum potuit confingi: ſed de ordinatore ſuo, quòd ab ijs falſo Traditor diceretur, meruit infamari. Iterum a Cæciliano mandatum eſt: vt ſi Felix in ſe, ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet: ipſi tamquam adhuc diaconum ordinarent Cæcilianum. Tunc Purpurius ſolita malitia fretus, quaſi & Cæcilianus A
filius ſororis eius eſſet (quem occiderat) ſic ait: Exeat huc, quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de pœnitentia. His rebus compertis, tota Eccleſia Cæcilianum retinuit, ne ſe latronibus tradidiſſet.] hæc Optatus.

Porro hunc ipſum locum Optati, quòd Cæcilianus non excuſaſſet Felicem Aptūgitanum ordinatorem ſuum, ſed dixerit: Si ille nihil contuliſſet, ipſi venirent, & ſe tamquam adhuc diaconum ordinarent Epiſcopum: hæc inquam a Cæciliano ſic dicta poſteriores Donatiſtæ arripientes, in Cæcilianum ipſum conuerterunt, quaſi eius confeſſione conſtaret, ordinatum fuiſſe a Traditore, vt S. Auguſtinus [a] de eiſdem teſtatur, ſic dicens: Dixerũt etiam, ſcripſiſſe Optatum, quòd Cæcilianus dixerit: Si Traditores ſunt qui me ordinauerunt; ipſi veniant, & ordinent me. Quod quidem ſi dictum eſt, ita dici potuit ad illos irridendos, quibus hoc B
mandaſſe perhibetur, quoniam certus erat, ordinatores ſuos non eſſe Traditores. Non enim ait, quia Traditores ſunt: ſed, ſi Traditores ſunt; vt innocentia eorum probanda reſtaret, vbi probari recte potuiſſet.]

[a] Auguſtin. in Breuic. Collat. diei tert. c. 16.

Quòd vero Cæcilianus, non vocatis Numidis Epiſcopis longe poſitis, ſed ab his qui proximi eſſent, ordinari voluiſſet: idem S. Auguſtinus [b], agens contra eoſdem Donatiſtas hæc eadem in Cæcilianum obijcientes, ſic aſſerit: Quòd non expectauerit Cæcilianus, vt princeps a principe ordinaretur (nempe Primas prouinciæ Africæ a Primate Numidiæ Secundo Tigiſitano) cum aliud habeat Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo, vt non Numidiæ, ſed propinquiores Epiſcopi Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginenſis ordinent: ſicut nec Romanæ Eccleſiæ ordinat aliquis Epiſcopus Metropolitanus, ſed de proximo Oſtienſis Epiſcopus. Hoc autem C
dicentes de ſua conſuetudine, quam neſcio quando inſtituerunt, Eccleſiæ Catholicæ præiudicare conabantur: quæ conſuetudo ſi antiqua eſſet, hoc ipſum obieciſſent Cæciliano, quando eum abſentem damnauerunt.] hæc Auguſtinus. Porro vt principaliorum ſediũ Epiſcopi non ordinarentur a Primatibus aliis, vel Archiepiſcopis, ſed a vicinioribus, in Oriente quoque ſtatutum videmus, cum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum ordinare ſoleret, qui illi propinquior eſſet, Epiſcopus Heracleæ. Sed de his alias.

[b] Ibid. paulo ſuperius.

Quomodo autem ſchiſmatici, qui aduerſum Cæcilianũ Carthagine conuenerant, ſeorſum ab eo cocuntes, aduerſus eum creauerint Pſeudoepiſcopum Maiorinum, idem Optatus [c] rem geſtam proſequitur his verbis: Illo tempore, aut reus debebat expelli, aut communicari debuit innocenti: conferta erat Eccleſia populis plena, erat cathedra Epiſcopalis, erat altare D
loco ſuo in quo pacifici Epiſcopi retro temporis obtulerunt, Cyprianus, Lucianus, & ceteri. Sic exitum eſt foras: et altare contra altare erectum eſt, & ordinatio illicite celebrata eſt: et Maiorinus, qui lector in Diaconio Cæciliani fuerat domeſticus Lucillæ, ipſa ſuffragante, Epiſcopus ordinatus eſt a Traditoribus, qui in Concilio Numidiæ (vt ſuperius diximus) crimina ſua confeſſi ſunt, & indulgentiam ſibi inuicem tribuerunt. Manifeſtum eſt ergo exiiſſe de Eccleſia & ordinatores qui tradiderunt, & Maiorinum qui ordinatus eſt. Interea de ſuorum criminum fonte, qui apud eos multorum flagitiorũ venis exuberauerat, vnum traditionis conuicium in ordinatorem Cæciliani deriuandum eſſe putauerunt: prouidentes, quòd fama duas res ſimiles vno tempore loqui non poſſent: Vt crimina in ſilentium mitterent ſua, vitam infamare conati ſunt alienam: & cum poſſent ipſi ab innocentibus argui, innocentes E
arguere ſtuduerunt; mittentes vbique litteras, Liliore dictante, conſcriptas; quas inter ceteros actus habemus in poſterum. Adhuc Carthagine poſiti præceſſerunt ſe epiſtolis ſuis, vt rumoribus falſis cunctorum auribus inſererent mendacium, ſparſa fama per populos. Et dum de vno celebrata ſunt falſa, ſupradictorum veriſſima crimina ſub ſilentio latuerunt. Frequenter ſolet erubeſci de crimine; ſed illo tempore non fuit, cui erubeſceretur: quia præter paucos Catholicos peccauerant vniuerſi; & quod imago fuerat innocentiæ, inter multos nefas admiſſum: paruum erat traditionis facinus, quod per Donatum Maſculitanum & ceteros

[c] Optat. contra Parmen. lib. 1.

MAIORINVS PSEVDOEPISC. CARTHAGIN.

A teros supradictos constabat admissum: etiam ingens flagitium schismatis traditioni iunxerunt. Vides ergo, Parmeniane, hæc duo crimina tam mala, tam grauia, traditionis & schismatis ad tuos principes pertinere.] hucusque Optatus.

Eadem quoque omnia Augustinus ipse commemorat, paucisque perstringit, sic [a] dicens: Legant qui volunt, quæ narret, & quibus documentis, quàm multa persuadeat venerabilis memoriæ Mileuitanus Episcopus Catholicæ communionis Optatus, siue de Lucilla pecuniosissima tunc & factiosissima femina, quam pro Ecclesiæ disciplina sanctus Cæcilianus adhuc diaconus læserat: vel de ceteris factiosis eius consortibus, siue furibus Ecclesiastici argenti, siue ad Episcopatum se non peruenisse dolentibus, & sibi prælarum Cæcilianum, insidiis, quibus poterant insectantibus; siue de Numidis Episcopis, quos ista factio consecrauerat ad perniciem Cæciliani, vt illo deposito, alter eis ordinaretur: qui venientes cum Primate suo B tunc Secundo Tigisitano, & aliis quibus traditionis confessa crimina Secundus ipse donauerat, veluti paci consulens, sicut Ecclesiastica Gesta testantur, absentem Cæcilianum sine vlla dilatione diligentioris inquisitionis, nullo responsionis loco seruato, Traditorem esse censuerunt, vt ei videlicet obessent absenti traditionis crimina tantummodo obiecta, cum sibimetipsis præsentes confessa donauerint.] hæc Augustinus.

[a] *Augustin. contra Parmenian. lib. 1. c. 3.*

Ad hæc igitur tam enormia principia schismatis sæpius oportuit prouocare Donatistas, vt videntes e quàm turpissima cloaca defluxerint, obmutescerent: nam & ipse quoque Optatus superius Parmenianum compellans, ex iisdem principiis docet Donatistas omnes schismaticos esse; quippe qui cùm ipso sui exordio a Cæciliano, qui Petri cathedræ iunctus esset, communicatione desciuerint, a b vnione Catholica pariter aberrasent; vnde ait [b]: Sed video te adhuc ignorare schisma apud Carthaginem a vestris principibus factum: quære ha- C rum originem rerum; & inuenies hanc te in vos dixisse sententiam, cum schismaticis hæreticos sociasti. Non enim Cæcilianus exiuit a Maiorino auo tuo, sed Maiorinus a Cæciliano: nec Cæcilianus recessit a cathedra Petri, vel Cypriani, sed Maiorinus: cuius tu cathedram sedes, quæ ante ipsum Maiorinum originem non habebat.] hæc ipse.

[b] *Optat. contra Parmen. lib. 1.*

CONCILIVM SCHISMATICORVM DONATIST.

Quod rursum ad Cæciliani causam pertinet, gloriabantur Donatistæ, coactum fuisse Concilium ferme septuaginta Episcoporũ Carthagine, in quo Cæcilianum absentem, vocatum, & non parẽtem fuisse dãnatum, & alios vna simul cum eo appareret. De eodem vero Episcoporum Conuentu, hæc Augustinus [c]: Recitatum est Concilium ferme septuaginta Episcoporum contra Cæcilianum apud Carthaginem factum, vbi eum absentem damnauerunt, quòd ad eos venire noluerit, tamquam a Traditoribus ordinatus: & quia cùm esset diaconus, victum afferri martyribus in custodia constitutis, prohibuisse dicebatur. Nominati sunt D etiam quidam collegæ Cæciliani, qui Traditores asserebantur publicis Gestis, quæ tamen Gesta non legebantur. Inter hos autem maxime Felix Aptungensis acerbius accusatus est, ita vt fons malorum omnium diceretur: deinde sententiæ a singulis dictæ sunt: primitus a Secundo Tigisitano, qui eorum princeps fuit, deinde a ceteris, quibus expresserunt, se Cæciliano, & collegis eius non communicare.] hæc summa totius Concilij. Quid autem aduersus hæc Catholici in magna illa collatione obiecerint, suo loco dicetur: constat tamen eiusmodi ab illis editum fuisse Concilium non habens diem nec Consulem, vt sciretur quo potissimum anno fuerit celebratum.

[c] *Augustin. in Breuic. Collat. diei 3. c. 14.*

Ceterum si non hæc fuit impostura Donatistarum, & effictum dolose commentum, existimandum est eiusmodi Concilium hoc ipso anno factum esse eo tempore, quo (vt dictum est) aduersus Cæcilianum accersiti sunt Episcopi ex Numidia, venisseq. eos vna cum Primate E ipso ac principe Traditorum Secundo Tigisitano. Plane hunc Conuentum fuisse ex iisdem Episcopis Traditoribus congregatum, qui aduersus Cæcilianum euexerunt Maiorinum in Pseudoepiscopum, idem S. Augustinus [d] agens contra Cresconium alibi docet; ac proinde satis colligi posse videtur, hoc eodem anno, ab iisdem schismaticis illum fuisse habitum, idque conante vi pecuniarum Lucilla illa potentissima femina. Idem etiam demonstrat, dictos Episcopos sic Carthaginem conuenientes, primo damnasse Cæcilianum, ac postea loco ipsius creasse, quem diximus, Maiorinum; ait enim:

[d] *Augustin. contra Crescon. lib. 3. c. 27. & 28.*

SCHISMATICI TRADITORES.

Hos tu Traditores, qui cum alijs apud Carthaginem in Cæcilianũ & socios eius dixerunt sententias, inter quos & Siluanus Cirtensis fuit, de cuius traditione Gesta mox inseram, præclara videlicet ratione defendis.] & paulo post: Hos ergo Traditores, quibus confessis territus Secundus ignouit, secum habuit in Carthaginensi Concilio, & in absentes non cõfessos dixerunt sententias, qui præsentes de sua non sunt confessione damnati: Hoc Concilium non maneret, nec in posteritatis memoria perduraret, nisi describeretur ab alijs, conseruaretur

uaretur ab eis qui eo se defendere præparabant, si quis eis eadem crimina postea, quæ illic A
relaxata sunt, obiecisset. Intererat etiam Secundi ipsius, vt appareret, eum ne schisma fieret,
quod solent præ ceteris pacifici præcauere, illa omnia diuino iudicio dimisisse: quod multo
magis facere deberet in Concilio Carthaginensi, vbi contra absentes nulli constiterant, nisi
Lucilla tunc præpotens & pecuniosissima femina odijs accensa furialibus, vehementer instaret,
vt contra Cæcilianum veluti damnatum alter ordinaretur Episcopus. Quod in Zenophili
Consularis iudicio postea commemoratum est per quemdam Nundinarium Siluani Cirtensis
tunc vestri Episcopi diaconum: qui cum memorato Episcopo suo, quem perpessus fuerat
inimicum, sicuti volebat, concordare non potuit. Egerat sane hoc apud collegas eius magis
terribiliter, ne omnia proderet, quàm suppliciter, vt veniam mereretur.]

ACTA PROCONSVLARIA SVB ZENOPHILO.

Hæc Augustinus, quibus cum plane demonstret, Concilium Carthaginense a schismaticis
institutum, contra Cæcilianum habitum esse ante Acta publica coram Zenophilo Consulari: B
rursumq. cum appareat (vt paulo post dicemus) ex iisdem Actis, dictum Nundinarium expertum
esse coram dicto Zenophilo hoc ipso anno; necesse est affirmare, dictum Concilium
schismaticorum absque die & Consule editum, hoc eodem anno habitum esse. Consignantur
ipsa Acta sub Zenophilo Coss. Constantio Augusto & Constantino Cæsare, qui hoc eodem
anno in locum patris suffectus est. Sed quæ ab ipso Augustino ex eisdem Actis exscripta
sunt, hic reddamus: Ex illius, inquit [a], iudicij Gestis hæc pauca interposui, Constantio Maximo
Augusto, & Constantino iuniore nobilissimo Cæsare Coss. Idibus Decembris ex tota
Mociacensi inducto & applicito Victore Grammatico, astante etiam Nundinario diacono,
Zenophilus Consularis dixit: Quis vocaris, &c.] prætermissis autem ceteris ibidem ex prioribus
Actis recitatis, quæ suo loco a nobis sunt posita, quæ postremo loco habentur de libello
oblato a Nundinario diacono, hic ex iisdem Actis describemus. C

a August. contra Crescon. lib. 3. c. 29.

Exemplar libelli traditi Episcopis a Nundinario diacono: Testis est Christus & Angeli
eius, quoniam Traditoribus communicastis: id est Siluanus a Cirta Traditor est & fur rerum
pauperum: quod omnes vos Episcopi, presbyteri, & diaconi, & seniores scitis, & de quadringentis
follibus Lucillæ clarissimæ feminæ: pro quo vobis coniurastis, vt fieret Maiorinus Episcopus,
& inde factum est schisma. Nam & Victor fullo vestri præsentia & populi dedit folles
viginti, vt factus * esset presbyter, quod scit Christus & Angeli eius, &c.] & alio loco:
Quibus lectis Zenophilus Consularis dixit: Et Actis & litteris, quæ recitatæ sunt, Traditorem
constat esse Siluanum, &c.] Addit inferius de eodem Siluano in exilium amandato ab
Vrsacio atque Zenophilo. Eadem de Siluano Cirtensi Episcopo idem Augustinus memorat,
scribens ad Donatistas [b], & alia epistola ad Generosum [c]; sed & ad Cresconium [d] rursum,
agensq. contra Petilianum [e]. Quod autem ad Zenophilum spectat, hunc illum puto, qui longa
Vrbis Præfectura lassatus, meruit cum collega Dalmatio Consulatum, tempore eiusdem D
Constantini, anno Domini trecentesimo trigesimotertio, de quo & in Actis Siluestri hæc leguntur:
Huic socius datus est Zenophilus Præfectorius vir, qui Consulatum idcirco promeruit,
quia cum sæpenumero Præfectus fuerit, numquam penitus ab aliquo munus qualecumque
suscepit.] De pretio autem follium, quibus collatis, a schismaticis ordinatio facta est, dicturi
sumus inferius opportuniori occasione.

* fieret.

b August. epist. 162.
c Idem epist. 165.
d August. contra Cresc. lib. 4. c. 26.
e August. contra litt. Petil. lib. 1. c. 21. lib. 3. c. 57. & 58.

SCHISMA DONAT. PROPAGATVR.

Ceterum non satis fuit schismaticis Episcopis hæc contra Cæcilianum egisse; sed ab eius
communicatione conati sunt omnes auertere: nam datis vbique per totam Africam litteris
aduersus eum, quem dicebant in Concilio damnatum; pellexere ad suam quoque communicationem
Episcopos Mauritaniæ, vt suo loco dicemus. Quæ autem fiducia fuerit Cæciliani
tot hostium numero circumsepti; idem Augustinus scribens de eo Concilio pluribus ad E
Episcopos Donatistas [f] illud ostentantes, demonstrat satis sibi visum esse tutum, quòd iunctus
esset communicatione Romanæ Ecclesiæ Episcopo, ex quo omnis communicatio Catholica
nomen semper accipere consueuit; nam ait: Posset non curare conspirantem multitudinem
inimicorum, cum se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ
viguit principatus, & cunctis terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias
litteras esse coniunctum; vbi paratus esset suam causam dicere, si aduersarij
eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur, &c.] Quo modo autem post sequentem annum
schismatici Episcopi in Africa ampliori numero conuenere, suo loco dicemus.

f Aug. epist. 162.

Cur autem factum fuerit, vt cum schisma (vt vidimus) conflatum præcipue sit a Botro &
Cælesio, qui illam sedem ambiebant, & a senioribus deposita Ecclesiæ ornamenta negantibus,
auctumq. fuerit a Secundo Episcopo Tigisitano Primate Numidiæ, in creatione vero
Maiorini demonstratum, ac firmiter stabilitum: cur, inquam, acciderit, vt eiusmodi schismatici

A matici a nullo dictorum nomen acceperint, sed dicti sint Donatistæ a Donato: id accuratius exquirendum est. Inualuit ea opinio, qua ore ferme omnium diceretur; Donatistas dictos a Donato, qui Maiorino successit in schismate in sede Carthaginensi; quod & iactarent etiam ipsi Donatistæ: cum tamen si ab auctore nomen (vt solet) deducendum fuisset, nulla subesse videatur ratio, vt qui ante Donatum exorti auctiq. numero essent, & Concilia celebrassent, sine nomine essent, vel ab eo id acceperint, qui longe post obortum schisma, post Maiorinum videlicet, tenuerit in schismate sedem Carthaginensem: quin potius, si ab auctore schismatis nomen (vt par erat) deducendum fuisset, ab illo Donato, qui a loco est dictus, a Casisnigris, principe schismatis, quem ceteri illi inhærentes fuerant consequuti, debuissent nomen accipere, vt Donatistæ dicerentur, seu, vt malebat Cresconius [a], Donatiani. Quòd vero idem nomen esset commune tum auctori, tum etiam propagatori impietatis, errare in eis contigit B Augustino[b], qui in Retractationum libris hæc ait: Item quod dixi, Donatum, cuius epistolam refellebam, rogasse, vt Imperator inter ipsum & Cæcilianum transmarinos Episcopos iudices daret: non ipsum, sed alium Donatum eiusdem tamen schismatis hoc fecisse, probabilius inuenitur. Ille autem non erat Carthaginiensis Donatistarum Episcopus, sed a Casisnigris, qui tamen primus apud Carthaginem ipsum nefarium schisma commisit.] hæc ipse.

SCHISMATICI DONATISTAE VNDE SIC DICTI.

a August. contra Cresc. lib. 2. c. 1.

b Aug. Retract. lib. 1 cap. 21.

At refugiebant Donatistæ denominari a priori Donato, quem constaret [c] a Melchiade Papa esse damnatum, vnde potius a Donato postea Episcopo Carthaginensi nomen se accepisse dicebant: quem pro magno [d] habebant, ac ab omni labe purissimum defendebant. Quanti autem hunc fecerint, idem Augustinus [e] alibi his verbis significat: Donatum Donatistæ pro Christo habent; si audiant aliquem Paganorum detrahentem Christo, forsitan patienter ferant, quàm si audiant detrahentem Donato.] sed de his pluribus agendum inferius.

c Aug. in Breuic. Collat. diei tert. c. 18. & 20.

d Idem lib. post Collat. c. 13.

e Idem fragmen. c. 6. edit. Plantin. tom. 10. pag. 628

C Porro illo priori Donato vsa est Lucilla administro ad conflandum schisma, qui operam dedit, vt altare contra altare Carthagine erigeretur: immo adhuc Cæciliano diacono operatum schisma fuisse, publico iudicio conuictus est, de quo alibi [f] ait: Vbi etiam Donatus a Casisnigris in præsenti conuictus est, adhuc Cæciliano diacono, schisma fecisse Carthagine. De Carthaginis enim schismate exorta est aduersus Ecclesiam Catholicam pars Donati.] sed & Theodoretus [g]: Lucilla, inquit, aduersus eum; nempe Cæcilianum, excitauit Donatum.]

f Aug. in Breuic. Coll. diei 3. c. 12.

g Theodor. hæret. fabul. lib. 3.

Sic igitur Donatus a Casisnigris, ac proinde filius tenebrarum, primus auctor habetur schismatis Donatistarum. Quòd vero Donatus Episcopus Carthaginensis nomen potius schismati dederit, illam afferunt causam, quòd scilicet viribus eloquentiæ, qua pollebat, errorem labantem firmius stabilierit; sicq. non a priore Donato auctore, sed a posteriori propagatore, secta illa nomen fuerit consequuta, vt cum de vtroque agit Augustinus testatur [h], sic D dicens: Huius hæresis principem accepimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, & contra Cæcilianum Christianam diuidens plebem, adiunctis sibi eiusdem factionis Episcopis, Maiorinum apud Carthaginem ordinauit Episcopum. Cui Maiorino Donatus Episcopus alius in eadem diuisione successit, qui eloquentia sua sic confirmauit hanc hæresin, vt multi existiment, propter ipsum potius eos Donatistas vocari: extant scripta eius, vbi apparet, eum etiam non Catholicam de Trinitate habuisse sententiam; sed quamuis eiusdem substantiæ, minorē tamen Patre Filium, & minorem Filio putasse Spiritum sanctum. Verùm in hunc, quē de Trinitate habuit, eius errorem, Donatistarum multitudo intenta non fuit, nec facile ex eis quisquam, qui hoc illum sensisse nouerit, inuenitur.] hæc Augustinus: qui, & cur iidem Romæ appellati sint Montenses, rationem affert; sed de ea re nos suo loco inferius. Ex eorum ergo sententia, qui dicebant a posteriori Donato Donatistas esse denominatos, idem [i] Augustinus E nomine clericorum Hipponensium ad Ianuarium scribentium, ait: Pars Donati, quæ primo apud Carthaginem pars Maiorini dicebatur, vltro accusauit Cæcilianum tunc Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis apud Imperatorem illum antiqnum Constantinum, &c.] at de nomine & origine Donatistarum modo satis, cetera autem annis singulis, quibus sunt gesta, narrabimus.

h August. de hæresib. c. 69.

i Aug. epist. 68.

Hoc eodem quoque anno Domini trecentesimosexto, infaustum illud schisma a Meletio Episcopo Lycopolis in Aegypto conflatum est. Quod primum ad tempus spectat, id quidem hoc anno cœptum esse, S. Athanasij testimonio comprobatur: qui dum agit de ipsorum, nec non Arianorum origine, hæc [k] ait: Erat iam pridem malitia & calumnia Meletianorū omnibus nota; nec impietas, Arianorum, Deoq. infesta hæresis vsquam obscura fuit: neque enim parum temporis intercessit: nam illi abhinc ante quinquagesimumquintū annum schismatici facti sunt: isti vero ante trigesimumsextum hæretici declarati, & ab Ecclesia summoti, idq. iudicio Synodi vniuersalis.] hæc Athanasius: qui cum numeret annos trigintasex a tempore Nicæni

SCHISMA MELETII IN AEGYPTO.

k Athanas. orat. 1. contra Arian. prope fin.

Nicæni Concilij, quod celebratum est anno Domini trecentesimo vigesimoquinto, vsque ad A tempus quo eam habuit orationem, nempe anno trecentesimo sexagesimoprimo; rursusq. ab hoc termino vsque ad tempus quo exortum est schisma Meletianum, dicat annos intercedere quinquagintaquinque: iam satis liquido apparet, illud cœptum esse hoc ipso anno trecentesimosexto.

His igitur hunc in modum de tempore oborti schismatis elucidatis, rei gestæ narrationem aggrediamur; sed eam primo quam in hæc verba Epiphanius [a] prosequutus est: Hic Meletius contemporaneus prædicti Hieracis fuit, & deinceps successit: fuit item sancti Petri Alexandriæ Episcopi contemporaneus: et hi omnes tempore persecutionis fuerunt, quæ facta est tempore Diocletiani & Maximiani. At vero Meletij causa hoc modo se habet: sectam fecit, non tamen a fide discessit. Hic in tempore persecutionis vna cum Petro sancto Episcopo & martyre, & alijs martyribus, captus est ab ijs, qui ad hoc a Rege destinati fuerant, nempe a ducibus B Alexandriæ & Aegypti eius temporis. Erat autem Culcianus Præses Thebaidis, Alexandriæ vero Hierocles. Et Meletius quidem in carcere detentus erat vna cum prædictis martyribus, ac Petro Alexandriæ Archiepiscopo. Videbatur autem & Meletius præeminere inter Episcopos Aegypti, vt qui secundum locum habebat post Petrum in Archiepiscopatu, velut adiuuandi eius gratia sub ipso existens, & sub ipso Ecclesiastica curans. Hic enim mos obtinet, vt Alexandriæ Episcopus, totius Aegypti, ac Thebaidis, Mareotæq. ac Libyæ, Ammoniacæq. ac Mareotidis, ac Pentapolis Ecclesiasticam habeat administrationem.

[a] Epiphan. hæres. 68. in princ.

MELETII ACTA TEMPORE PERSECVTIONIS.

Postquam igitur capti hi omnes, martyrij gratia in carcere degebant, & multo tempore conclusi mansissent; alij vero ante ipsos traditi, martyrij testimonium subijssent, & honorem præmij accepissent, ac obdormiuissent: hi vero velut principes ac maiores in posterum seruarentur, cum aliqui quidem martyrium subijssent, alij vero a martyrio excidissent, & nefarium C idolorum cultum fecissent, & coacti etiam sacrificassent: qui sane lapsi sunt, sacrificaruntq. ac transgressi sunt, accesserunt ad Confessores ac Martyres, quo misericordiam assequerentur per pœnitentiam, partim milites, partim clerici, diuersæ sortis, partim presbyteri & diaconi, atque alij. Commotio facta est inter Martyres & tumultus non vulgaris: cum alij dicerent, semel lapsos, & qui abnegassent, & in fortitudine non permansissent, neque decertassent, non oportere dignos fieri pœnitentia; vt ne etiam ij, qui adhuc restarent, minus curarent increpationem ac pœnam propter talem veniam citius eis datam, atque sic præuaricarentur, & ad abnegationem Dei ac nefariam Græcismi operationē deuenirent: et erat sane rationi consentaneum hoc, quod ab ipsis Confessoribus dicebatur: erant autē hi, qui hoc dicebant, Meletius & Peleus, & quidam alij plures Martyres ac Cōfessores vna cum ipsis: zelum itaque pro Deo ostendentes videlicet, hæc dicebant: pronunciabant autem finita persecutione, post multum D tempus dandum esse prædictis pœnitentiæ locum, in tempore factæ pacis, si reuera pœnitentiam agant, & pœnitentiæ suæ fructum ostendant; non tamen vt vnusquisque exciperetur in propriam sortem, sed post tēporis spatium colligeretur in Ecclesiam, & in communitatem, & in contubernium, at non in sortes. Et erat hoc ex veritatis amore profectum, & zeli plenum.

At vero sanctissimus Petrus misericordia præditus, & velut pater omnium existens, rogabat & supplicabat dicens: Suscipiamus ipsos pœnitentes, & ordinemus ipsis pœnitentiam, vt assideant Ecclesiæ, & ne auersemur ipsos, neque sortem, velut fama ad nos perlata habet; ne forte qui semel ad confusionem præ imbecillitate ac infirmitate a diabolo concussi ac conquassati sunt, etiam propter temporis moram perfecte subuertantur, & non sanentur; veluti scriptum est: Non debere claudum subuerti, sed potius sanari. Et erat quidem Petri oratio pro misericordia & humanitate: verum Meletij, & eorum qui ipsi adhærebant, pro veritate ac E zelo. Hinc propter faciem argumenti, quod ab vtrisque pium videbatur, facta est secta; his quidem hoc asserentibus, illis vero illud alterum. Quando enim videret Petrus Archiepiscopus, quòd Meletius cum suis zelo diuino nimium ducti, resisterent consilio humanitatis ipsius: ipse Petrus velum etexit, in medio carcere pallio expanso, hoc est lodice, & præconium fecit: Qui mecum sentiunt, inquit, accedant ad me: et qui Meletij sententiæ adhærent, ad Meletium transeant. Et distributa est multitudo ad Meletium, Episcoporum, ac monachorum, & presbyterorum, atque aliorum ordinum. Pauci vero omnino ad Petrum diuerterunt Archiepiscopum Episcopi & alij pauci. Et de cetero hi priuatim preces faciebant, & illi priuatim item: sed & alia sacrificia similiter singuli seorsum perficiebant.] hæc vsque ad Petri martyrium prosequutus est Epiphanius; quæ autem subdit accidisse post eius martyrium, suo loco dicenda erunt.

Sed pace dixerim Epiphanij, non ab alio quàm a Meletiano quopiam de Petro atque Meletio

A lectio scriptam historiam, nesciens mutuatus est; quàm enim longe, hæc sic narrans, a scopo veritatis aberret, fidelissimus testis accedat Athanasius, qui hæc quæ ob oculos habuit, scriptorum quoque memoriæ commendauit; cuius magis quàm Epiphanij, omnium recte sentientiũ iudicio, hac præsertim in re, fidem esse sequendam, prudens nemo non dixerit. Athanasius igitur in Apologia [a] hæc de Petro atque Meletio habet: Petrus apud nos ante persecutionem Episcopus, & in persecutione martyr declaratus, Meletium Episcopum Aegypti nominatum, multis conuictum criminibus, & in primis quòd idolis sacrificasset, in communi Episcoporum Synodo deposuit: Meletius autem nõ ad aliam Synodum cõfugit, neque eorum successoribus se studuit purgare, sed schisma fecit; adeo vt illius sectatores etiam nunc pro Christianis, Meletiani, vocitentur. Ac iam tum in Episcopos conuicia dicere incepit, & primum Petrum, deinde eius successorem Achillam calumniatus est, & post Achillam, Alexandrum, idq. magna B cum calliditate, exemplum ab Absalone mutuatus, vt pudorem depositionis suæ calumnijs innocentium vlcisceretur.] hæc Athanasius.

ACTA MELETII CONFUTANTUR.

[a] Athanas. Apolog. 2.

Quonam pacto igitur Epiphanius inter confessores & martyres detentos in carcere Meletium recenset, quem constat terrore tormentorum victum sacrificasse? vel quo modo ipse Episcopus secundus a Petro erat, in carcere illi resistens, qui iam propter lapsum ab Episcoporum conuentu depositus erat? Et qua rursus ratione lapsos reijciebat a pœnitentia ipse lapsorum antesignanus? At quod commentum, auctorẽ schismatis Petrum constituere, & Meletij summopere in Deum zelum commẽdare, eidemq. fauere, fingereq. eumdem Meletium se cõstanter erigere contra lapsos, ipsum lapsum atque depositum? Vt plane appareat hæc eadem confinxisse Meletianos in Aegypto, quæ in Africa Traditores, dicti postea Donatistæ; quippe qui conuicti traditionis criminis, quo se purgarent, id ipsum retorserint in innocentes ac fide per- C stantes. Sed adhuc accuratius Meletianorum de origine schismatis concinnata mendacia disquiramus: in eos enim a quibus ille accepit, non autem in Epiphanium, stylum conuertimus, quippe qui in historiam ab illis scriptam incautus impegit. Dicant, quæso, quanam ratione Petrus adeo segniter potuit remisisse neruos Ecclesiasticæ disciplinæ, qui anno præterito, ipso (vt dictum est) quarto persecutionis excitatæ, de lapsis, quanam singuli animaduersione atque cẽsura afficiendi essent, tot canones, quos recensuimus, instituerat? adeo quòd si de Petro expostulandum fuisset, eo nomine potius, quòd lapsos austeriori videretur afficere disciplina, quàm de maturata citius indulgentia queri, contingere potuisset. At qualis fuerit causa Meletij, post Athanasium Socrates [b] quoque hæc scribit in eamdẽ sententiam: Meletius ciuitatis cuiusdam in Aegypto Episcopus a Petro Alexandriæ Episcopo, qui regnante Diocletiano mortẽ obierat martyrio, cùm multis alijs de causis, tum maxime quòd tempore persecutionis fidẽ inficiatus, D idolis immolauerat, munere Episcopatus abdicatus est: qui cum esset abdicatus, compluresq. haberet qui erant ipsius dicto audientes, illis qui ab illo vsque tempore ad hodiernum diem in Aegypto Meletiani vocantur, ducem hæresis se præbuit: et cum nullam iustam excusationem causamve afferre posset, cur se ab Ecclesia separasset; verbo tantum affirmauit, sibi esse factam iniuriam; Petrumq. maledictis figere, conuicijsq. lacerare cœpit.] hęc Socrates. Quid autẽ post Petri martyrium Meletius tentarit, idem oratione prosequitur. Addit ad hæc Sozomenus [c] de Ario, Meletio primum studente: Meletio res nouas molienti adiumento fuit; cuius partes cum deseruisset, a Petro Episcopo Alexandrino diaconus ordinatus est, & rursus ab eodem Ecclesia eiectus: quandoquidem cum Petrus fautores abdicasset Meletij, & eius baptisma improbasset, hic Arius in res a Petro gestas grauiter inuectus est, & quiescere nullo modo potuit.] Quod vero ait Petrum improbasse eius baptismum, non sic accipiendum, vt baptizatos ab eo E non reciperet: sed (quod tradit Nicephorus [d]) ne baptizaret in Ecclesia, vetuisse; idemq. de fide Christi ab eo abiurata, & idolis facta immolatione testatur. Manifestum igitur ex ijs est, Epiphanium in falsa Acta Meletij incidisse, quibus deceptus, iterum cum agit de Arianorum principio, nominat [e] eumdem Meletium confessorem, Dei testem, atque martyrem.

[b] Socrat. lib. 1. c. 3.

[c] Sozom. lib. 1. c. 14.

[d] Niceph. lib. 8. c. 5.

[e] Epiphan. hæres. 69.

Rursum vero si consulas Acta eiusdẽ Petri martyrij, inuenies Petri assertione Meletium non tantum fidem negasse, & sacra dijs Gentium fecisse; sed etiam pro Maximino Imperatore tum aduersus ipsum Petrum, tum ceteros eiusdem Ecclesiæ fideles persecutionẽ exercuisse: qua Petrus coactus fuit latebras quærere, atque fugã capessere: non enim, vt eius Acta edita testatur, in exilium ductus est in Palæstinam, vel in alia loca quæ ibidem recensentur in mari posita: sed sponte recessit, cum (vt habet scriptus Codex [f]) quæreretur ad necem, ne eius causa ciuitas Alexandrina, aduersantibus Christianis, tumultu exagitaretur; quando tum in Palæstina, tum etiam in adiacentibus insulis diu latuit, litteris interea suos roborans, ac præsertim Phileam, Hesychium, & Theodorum, quos omnium cõfessorum, qui tenebãtur in carcere vltra sexcẽtos sexaginta numero, signiferos vocat & pręceptores: eosq. cum cõsummatos martyrio audisset,

ACTA PETRI ALEXANDRINI GERMANA.

[f] Codex Vatic. cui noster pariter assentitur.

ingenti se lætitia affectũ esse testatur; pro quorũ agone semper Deum precibus interpellauerat. A

Hunc Hesychium a Petro adeo commendatum, in Aegypto Episcopum illum puto Hesychium, cuius celebris est & frequens memoria apud S. Hieronymum [a], qui eum auctorem vocat nouæ editionis diuinæ scripturæ, quæ Alexandrinis & Aegyptijs vsui esset; ait enim: Alexandria & Aegyptus in septuaginta suis Hesychium laudant auctorem.] meminit Eusebius [b] quoque Hesychij Episcopi huius persecutionis tempore mirifice illustrati. Præter hunc autem nemo eius nominis in Aegypto celebris reperitur. Sed ad verba Petri: Ipse, inquit, scribens ad Mesopotamiam, sæpius designaui, qualia ab inimicis nobis inferebantur supplicia. Dolor nãque magnus & solicitudo stringebat me pro populi mei salute, ne forte aliquis subuerteretur a prædicatoribus falsis: amplius enim quàm sexcenti sexaginta viri de clericis vel laicis anathematizantes ritum Gentilium, in carcerem retrusi, diuersa sustinentes supplicia, coronam martyrum meruerunt; quorum victoriam ego audiens, lætus adoraui Dominum Deum B meum, qui eos confortauit, & elegit in numero martyrum suorum. Mihi vero quanta ostensa sint in Lycaonia ab hæreticis, credo quia nec vos latet: quo modo Meletius Christianorum gregem ab Ecclesia separauit: pro quo Dei filius animam suam posuit, & effudit sanguinem pretiosum: aduersus quem Meletius impie repugnans, sanctos Episcopos ac religiosos viros in carcerem claudebat, ac tribulabat, cogens eos præuaricari.] et paulo post: Comperi autem quòd impius Meletius contra me multa mala testificetur, vt amplius tyranni Maximini furor excitetur, & me interficiat.] hæc ibi ex dictis Actis Petri Alexandrini, quæ ab Anastasio bibliothecario Latinitate donata feruntur. An autem quæ eorum sunt reliqua in omnibus probẽtur, dicturi sumus inferius, cum agemus de eiusdem Petri martyrio. at de exordio Meletiani schismatis hactenus: iam ad res gestas anni sequentis progrediamur.

a Hier. epist. 107. 123. & Apolog. aduers. Ruffin.
b Euseb. lib. 8. c. 25.

IESV CHRISTI ANNVS	MARCELLI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
307.	4.	2.

C

SEVERI CAESARIS INTERITVS.

TRecentesimus septimus Christi annus Constantini Cæsaris Consulatu ordinario consignatur, cuius collega rectius ponitur Maximianus nouies, quàm Diocletianus eodem numero auctus: cum constet nouum Consulatum Diocletiani ante biennium incidisse. Hoc ipso anno Seuerus Cæsar a Maxentio occiditur: vt autem id factum sit, Zosimus [c] rem gestam sic narrat: Maximianus Galerius (quem nonnulli errore ducti Maximinum nominant) his cognitis (quæ scilicet tyrannice a Maxentio gerebantur) Seuerum Cæsarem ablegat, bellum Maxentio facturum: eum Mediolano profectum, cum & Maurorum ordinibus accedentem, Maxentius militum animis maiori ex parte pecunia corruptis, atque etiam Præfecto prætorio D Anullino sibi conciliato, nullo negotio vicit. Seuerus fuga Rauennam elapsus est, vrbem munitam, & populosam, quæq. copiam victus tantam haberet, quanta tum ipsi, tum militibus eius sufficeret. His intellectis Maximianus Herculius pro filio Maxentio non ab re solicitus, Lucania relicta, in qua id temporis erat, Rauennam contendebat: cumq. perspexisset Seuerum hac inuitum eijci non posse, quòd munita foret, & commeatu abundaret, sacramentis circumuento, Romam vt iret, persuasit: quo quidem pergens, vbi quemdam ad locum venisset, quem Tres tabernas vocant, ab insidijs, quas eo loco Maxentius collocauerat, apprehensus necatur, ceruicibus laqueo fractis. Ceterum Maximianus Galerius haud æquo ferens animo, quæ in Seuerum Cæsarem designata fuerant, ab Oriente Romam eundum statuit, & meritas a Maxentio pœnas exigendas. Vt in Italiam appulerat, parum fidos erga se militum animos sentiens, ad Orientem nullo commisso prœlio redijt. E

c Zosim. lib. 2.

MAXIMIANVS ITERVM AFFECTAT IMPERIVM.

Tunc & Maximianus Herculius eas turbas, quæ Rempublicam vexarent, indigne ferens, ad Diocletianum id temporis Carnuti (oppidum hoc Celticum est) degentem venit: eiq. persuadere nititur, Imperium resumat; nec id patiatur, tam diuturno tempore, tantisq. laboribus ipsorum conseruatum, insanienti iuuentæ, ac illorum dementiæ a quibus occupatum esset, expositum quassari. Sed Diocletiano postulatis eius non assentiente, sed negotiorum occupationi quietem anteferente (nam fortassis etiam rerum perturbationem sequuturam prospiciebat, vt erat religionis obseruantissimus) Herculius eo conatu frustratus, & Rauennam vsque progressus, rursum versus Alpes contendit, vt ibi commorantem Constantinum conueniret. Cumq. natura curiosus & infidus esset, promissa illi Fausta filia, eoq. promisso impleto, fallere conabatur hominem, & persuadere, discedentem ex Italia Galerium Maximianum persequeretur, & insidias Maxentio strueret.] hæc Zosimus vsque ad nuptias Constantini: Eutropius autem Rauennæ tradit fuisse interfectum Seuerum, cum obsidens vrbem, a suis derelictus, eo confugisset. Sed ad Constantinum.

Tam

A Tam breui tempore a Constantij parentis obitu, cum necdum Augustum, sed tantum Cæsarem ageret Constantinus, duos compressit barbaros Reges, timoremq. vniuersis incussit: hæc enim pro concione publice [a] sic dicta sunt: Multa ille (nempe pater) Francorum millia, qui Batauiam, aliasq. cis Rhenum terras inuaserant, interfecit, depulit, abduxit: tu iam ab ipsis eorum Regibus auspicatus es, simulq. & præterita illorum scelera punisti, & totius gentis lubricam fidem timore * iunxisti.] sed & Nazarius [b] ex his quoque magnum sibi eius laudandi comparat argumentum, cum ait: Tu ferocissimis Regibus Ascarico, & Comite Gaiso captis, tanta laude res bellicas auspicatus es, vt iam inauditæ magnitudinis obsidem teneremus. Vt Herculem ferunt tenerum adhuc, atque lactentem, duos angues manu elisisse, vt iam infantulo indoles futuri roboris immicaret: sic tu Imperator in ipsis Imperij tui cunabulis quasi geminos dracones necares, per sæuissimorum

CONSTANTINVS QVID IN BARBAROS.
a Panegyr. Maximiano & Constantini 1.
* vinxisti.
b Nazar. in Paneg. Constantino 3.

B Regum famosa supplicia ludebas.] Eusebius [c] res ab eo item gestas recensens, hæc narrat his verbis: Itaque vt primum fuit in regni solio tuto locatus; Imperij portioni, quam rexisset pater, studiose prospexit: commodisq. omnium gentium, quarum dominatum pater ante tenuisset, summa cum humanitate & clementia assidue consuluit: omnia autem barbarorum genera circa fluuium Rhenum & Oceanum versus Occidentem incolentia, quæ audacia & temeritate impulsa seditionem conflassent, penitus repressit, & ex indomitis immanitateq. efferatis mansueta effecit & ratione tractabilia. Alia vero quorum animos adeo insanabiles animaduertebat, vt ad vitam quiete pacificeq. degendam nullo modo viderentur posse traduci, seclusit ab Imperio, & tamquam agrestes belluas a patriæ finibus prorsus exturbauit.] hæc tot scriptorum illorum temporum ore vulgata, a Zosimo sunt prætermissa, quòd non historiam (vt sibi videbatur) sed Philippicas potius in Constantinum scribens detonaret.

c Euseb. in Vita Constantini lib. 1 c. 19.

C Cum igitur ipso sui Imperij exordio, tam modico temporis interuallo, tam præclara tum militaris præstantiæ, tum in rebus gerendis consilij specimina edidisset, præiudiciaq. hæc essent maiorum in dies accessionum ad Imperij propagationem: videns Maximianus Herculius male consultum fore Maxentio, quamdiu Constantini res starent; perinde atque Saul in Dauid, gloriæ illius æmulationis stimulis exagitatus, nihil non prætermittere intẽtatum decreuit, quo illum de medio tolleret: simulat (quod tradit Eutropius [d]) cum Maxentio filio inimicitias: eaq. occasione depositum resumit Imperium: fœdus cum Constantino componere, illudq. vinculo nuptiarum stringere velle, videri cœpit: hęcq. omnia vt Constantinum his officijs promeritum, tutum redditum interficeret: sed audiamus Eutropium hæc narrantem: Herculius tamen Maximianus post hæc in concione exercitu filium Maxentium nudare conatus, seditionem & conuicia militum tulit: inde ad Gallias profectus est, dolo composito, tamquam a filio

d Eutrop. lib. 10.
MAXIMIANI INSIDIAE IN CONSTANTINVM.

D esset expulsus, vt Constantino genero iungeretur, moliens tamen Constantinum reperta occasione interficere, qui in Gallijs & militum & prouincialium ingenti iam fauore regnabat, cæsis Francis, atque Alemannis, captisq. eorum Regibus, quos etiam bestijs, cum magnificum spectaculum muneris parasset, obiecit.] hæc Eutropius.

At quæ dicit de exercitu Maxentij Maximianum Herculium conuicijs insectante, hæc postea contigerunt; nam antea cum Seueri bellum instaret, tunc Vrbs ipsa, & positus in ea exercitus ipsum acclamauit Maximianum: id quidem in laudatione illa in nuptijs habita recte videtur exprimi, cum dicitur [e]: Fecit enim Roma ipsa pro maiestate nominis sui, vt ostẽderet posse se etiam Imperatoribus imperare: abduxit exercitus suos, ac tibi reddidit. Et cum ad sedandos animos auctoritatem priuati Principis attulisses: supplices tibi manus tendens, vel potius queribunda clamauit: Quousque hoc Maximiane patiar, me quati, & quiescere?] hæc ibi,

e Panegyr. 2.

E & alia multa: quibus declarat ab amplissimo Senatu coactum ipsum Maximianum Imperium resumpsisse, non alio quidem consilio, quàm vt illud Maxentio filio stabiliret; cuius rei gratia cetera quæ postmodum sequuta sunt, velut in scena ex composito videntur esse repræsentata, nempe iræ in Maxentium, & nuptiæ Constantini cum eiusdem Maximiani filia Fausta: quę celebratæ sunt cum ipse Maximianus Roma fuga lapsus, vna cum suis in Gallias ad Constantinum se contulit, vt quæ dicentur inferius declarabunt; licet hæc omnia fero accidisse alij tradant; reuera tamen Maximianum fuisse in Constantinum animo infensissimo, certum est.

NVPTIAE CONSTANTINI ET FAVSTAE.

Quod primum ad Constantini cum Fausta coniugium spectat: idem Maximianus Herculius, qui olim Theodoram priuignam ex Eutropia genitam in vxorem coniunxisset Constantio, & cum ea Imperium eidem tradidisset; modo filiam Faustam ex eadem quoque Eutropia genitam iunxit matrimonio Constantino; & Imperium quod iterum susceperat, deponendo iterum, in eumdem Constantinum transferre videri volebat. At non hanc primam Constantinus in vxorem accepit; sed iam antea, vt ex ephębis excessit, vxorem duxit,

a *Victor in Constantin. & Zosim. lib. 2.*
MINERVINA VXOR CONSTANTINI.
b *Panegyr. 1.*

duxit, ne cōiunctione aliqua illegitima fœdaretur: hancq. fuisse Mineruinam, ex qua natus est A
Crispus, verior sententia est; licet Victor [a] & Zosimus, eam Crispi matrem Mineruinam, fuisse illi non coniugem, sed concubinam, tradant. Sed quid hac de re pro concione dictum sit tunc in Panegyrico habito in his nuptijs cum Fausta initis, repetamus: haud enim in tam celebri conuentu auctorem mentiri potuisse putandum. Præclarus ergo illorum temporum Orator, cum Constantini commendat cōtinentiam, Constantij patris exemplo seruatam, hęc ait [b]: Quo enim magis continentiam patris æquare potuisti; quàm quòd te ab ipso fine pueritiæ illico matrimonij legibus tradidisti, vt primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres? nouum iam tum miraculum, iuuenis vxotius; sed vt res est mente præsaga omnibus te verecundiæ obseruationibus imbuebas, talem postea ducturus vxorem.]

c *Euseb. in Vit. Constantin. lib. 1. c. 1. in fin. & lib. 4. cap. 53.*
d *Nazar. in Panegyr. Constant.*
CONSTANTINVS DICTVS AVGVSTVS.

Hæc auctor de primo coniugio, ex quo Crispus est genitus, qui hoc ipso tempore iam excesserat pueritiam, aspectu pulcherrimus, talisq. ætate & forma egregia, quem (vt suo loco dicemus) Fausta ipsa noua coniux incesto amore succensa turpiter deperiret. Sic igitur etiam ex Crispi ætate, Constantini patris annos metiri licet, atque verum exploratumq. reddi, quod testatur Eusebius [c], totidem annos natum fuisse Constantinum, cum suscepit Imperium, quot vixit postea Imperator, nempe attigisse saltem trigesimumprimum annum. Quamobrem qui ætate iuniorem capessisse Imperium tradunt, respectu seniorum Imperatorum locuti esse videntur; vt cum Nazarius [d] ait in Panegyrico: Tu Imperator optime, inito principatu adhuc æui immaturus, sed iam maturus Imperio, ostendisti cursum ætatis non expectandum in festinatione virtutis.] His ergo nuptijs initis, Constantino Cæsari additum nomen Augusti, summamq. est Imperij consequutus. Sunt (inquit auctor Panegyrici in ijsdem nuptijs dicti) huius propria lætitiæ, qua tibi Cæsari additum est nomen Imperij, & istarum cæelestium nuptiarum C
festa celebrātur.] et inferius: Cum tibi pater Imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus, expectare malueris, vt idem te, qui illum, declararet Augustum.] Verum anni eius Imperij cœpti sunt numerari ab obitu patris eius Constantij.

e *Zosim. lib. 2.*
MAXIMIANI INTERITVS.

Quæ vero Dei clementia super Constantinum, quem fore Christianum præuidebat, maxime inuigilans operata sit, cum a Maximiani insidijs illum tutatus est, iam dicāmus: etenim accidit, vt Fausta coniux in virum propensior, quàm in parētem, omnes technas ac dolos, quos meditabatur pater in ipsum, eidem palam faceret Constantino. Qui cum rursus Imperium affectantem, resumentemq. cum exercitu insequutus, fugam capessere impulit; sed cum fugiens Massiliam peruenisset, de salute desperans, laqueo sibi parauit interitum. Errat Zosimus [e], cum eum Tarsi morbo perijsse tradat, qui rem gestam sic narrat: Ad hæc Maximianus, cum illum obsequentem nactus esset, a Constantino discedens, Imperium recuperare nitebatur, ea spe, D
quòd ad odia mutua Constantinum generum & filium Maxentium impulsurus esset.] et paulo post: Eidem recuperando, ceu diximus, intentus Maximianus Herculius, vt milites a beneuolentia & studijs erga Maxentium alienaret, operam dabat. At cum is largitionibus & miseris supplicationibus suas in partes eos pertraxisset: Constantino struere nitebatur insidias eorum opera militum, quos ille penes se habebat. Verum quòd Fausta conatum illius anteuertisset, ac rem totam Constantino indicasset: in desperationem rerum omnium adductus Herculius, apud Tarsum morbo extinguitur.] hæc de his Zosimus: at quæ dicit de militibus a Maxentio abalienatis, ante nuptias accidisse, ex dicto Panegyrico satis est demonstratum. Quòd vero

f *Socrat. lib. 1. c. 2.*
g *Victor in Maximiano.*
h *Eutrop. lib. 9.*
i *Oros. lib. 7. c. 28.*
k *Euseb. in Chronic.*
l *Euseb. lib. 8. c. 26*
m *ibidem c. 29.*

Tarsi ait ipsum perijsse, errore lapsus esse conuincitur, sicut & Socrates [f] & aliqui ex recentioribus: nam non Maximianus Herculius, sed Maximianus Galerius (vt auctor est Victor) Tarsi diem obijt: qui item Victor [g], de eodem Maximiano, de quo est sermo, agens, hæc ait: Maximianus Herculius a Constantino apud Massiliam obsessus, deinde captus, pœnas mortis ge- E
nere postremo, fractis laqueo ceruicibus, luit.] alij autem (vt dictum est) seipsum laqueo strangulasse tradunt. Eutropius [h] pariter Massiliæ dedisse meritas pęnas Herculium testatur, itemq. Orosius [i], & ante omnes Eusebius [k], qui id accidisse ponit hoc anno secundo Imperij Constantini, idq. ait [l], quòd insidias molitus Constantino deprehensus fuisset, & ob id turpissima eum morte vitam clausisse, dum (vt inferius [m] inquit) dæmonis incitatione ac pulsu extremum vitæ laqueo interrupit.

n *Panegyric. Constant. 4.*

Id vero certissimum esse, oratio Panegyrica eidem Constantino mox post eiusdem Maximiani Herculij interitum dicta, fidem facit, qua ipsius res gestę exacte narrantur, ac primū cùm illa apostrophe in Maximianum beneficiorum immemorem his verbis auctor [n] inuehitur: Vt enim alia mittam; hoc ipsum non ne fati necessitas tulit, vt ille tuæ pietati hanc referret vicem; quem tu ab Vrbe pulsum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum, tuis prouincijs, tuis copijs, tuo

A pijs, tuo palatio cepisti? Quid, oro, sibi voluit? quid optauit? aut quid amplius adipisceretur his, quæ a te fuerat consequutus, cui tu summa & diuersissima bona, priuatum otium, & regias opes dederas; cui digredienti ad annulos sederas?] ad annulos autem sedere, quod maximum obsequium reputatur, Maximiano hospiti digredienti a Constantino exhibitum; illud existimo; comitatum illum fuisse vsque deorsum, vbi parati equi annulis ferreis muro innixis alligari soliti manerent; ibiq. sederet Constantinus, donec Maximianus equo conscenso, recederet. Addit hæc & de ceteris obsequijs: Cui impensius etiam, quàm tibi occurrere, obsequia nostra mandaueras: cuius omnibus iussis sic statueras obedire, vt penes te habitus, penes illum potestas esset Imperij. Quisnam ille tantus fuit non ardor potentiæ? quid enim te imperante non posset? sed error iam desipientis ætatis, vt tot natus annos grauissimas curas & bellum ciuile susciperet.] et post nonnulla in laudem Diocletiani auctor effusus, & contra eum-
B dem Maximianum, quòd bis depositum Imperium tertio iam quæreret vsurpare, pluribusq. res post gestas, & obsidionem Massiliæ, quo ille confugerat, prosequutus, hæc de spontaneo eius obitu addit: Quod ad pietatem tuam pertinet, Imperator, & illum, & omnes quos ceperat, reseruasti: sibi imputet quisquis vti noluit beneficio tuo, nec se dignum vita iudicauit, cum per te liceret, vt viueret. Tu, quod sufficit conscientiæ tuæ, etiam non merentibus pepercisti. Sed ignosce dicto. Non omnia potes: dij te vindicant & inuitum.] hæc ibi de Maximiani Herculij spontaneo interitu auctor habet. Prænunciauerat Victor insignis miles Christianus, natione Maurus, ex illis quos in Galliam Cisalpinam ab eodem ductos diximus, eius obitum: quippe cum eiusdē Maximiani mandato ob Christi nominis confessionem multa passus, tandem duci iussus; cum plectendus esset, ait ad milites: Dicite Imperatori Maximiano, hoc anno illum abiturum e vita.] extant eius martyrij Acta [a] Mediolani habita. Hunc igitur tandē [a] Apud Sur. tomo 3. die 8. May
C consequutus est finem Christiani nominis immanissimus hostis, carnifex sanctorum martyrū.

At vero, quod pertinet ad Constantinum Imperatorem, licet sineret Christianos quiete agere, de eisdemq. officijs omnibus optime mereretur: ipse tamen nec dum conceperat animo Christianam religionem: quippe cum dijs sacra faceret, & ex Gentiliciæ superstitionis præscripto vitam in omnibus institueret: quod quidem cum ex multis appareat, idem quoque auctor eadem oratione ijs verbis perspicuum reddit, cum quid ab eo gestum esset post expeditionem illam contra Maximianum susceptam, narrans, hæc ait [b]: Ipsa hoc sic ornante fortuna, vt te ibi rerum tuarum felicitas admoneret, dijs immortalibus ferre quæ voueras: vbi deflexisses ad templum toto Orbe pulcherrimum, immo ad præsentem vt venisti deum. Vidisti enim, credo, Constantine Apollinem tuum, comitante Victoria, coronas tibi laureas offerentem, qui tricenum singulæ ferunt omen annorum.] et paulo post: Merito igitur Augustissima illa delubra
D tantis donarijs honestasti, vt iam vetera non quærant, iam omnia te vocare ad se templa videantur, præcipueq. Apollo noster.] hæc & alia plura id genus auctor de eodem narrat. Sed & adhuc antiquæ visuntur nummorum inscriptiones, in quibus hæc leguntur: FL. VAL. CONSTANTINVS NOB. C. GENIO POP. ROM. S. A. P. T. R. et signum Genij; aliæ rursum A V G. titulo & Martis, cum Martis signo; Iouis aliæ, Solis plures, Victoriæ etiam cum eorumdem numinum imaginibus. Hæc de Constantino voluimus tradidisse, vt appareat eum, cum nihil minus, quod spectat ad numinum cultum, haberet a ceteris Imperatoribus, qui ante ipsum Imperium administrarant, non tamen eorum causa Christianis hoc tempore negotium facessisse, sed indulsisse, de ijsdemq. optime meritum esse.

CONSTANTINVS CVLTOR DEORVM.

[b] Panegyr. Constantin. 4.

Quo autem statu res Orientalis Ecclesiæ hoc anno essent, quam adhuc persecutionis furor exagitabat, ex Eusebio qui hęc scribit [c], accipiamus: Ad annum sextū, inquit, cum persecutio-
E nis tempestas contra nos vehementer ingrueret, forte in loco quodam Thebaidis, Porphyritæ appellato, qui iam ante ex vena lapidis porphyritæ, quæ ibi nascitur, nomen deduxerat, ingens turba veræ in Deum pietatis confessorum versabatur: ex quibus cētum viri cum mulieribus & tenellis admodum liberis (tres solum ab eo numero aberant) ad Præsidem Palæstinę, Firmilianum scilicet, qui iam locum Vrbani in Præfectura obtinuerat, mittebantur: quibus, cum Deum omniū creatorē & Christum confessi fuissent, præcepit, idq. de sententia Imperatoris, non modo sinistrorū pedum cōmissuras cum ipsis neruis ignito ferro præcidi, sed etiā oculos dexteros: primum ficis cum ipsis pupillis & membranis, quibus tegebantur, effodi: deinde cauterijs candentibus omnino ad ipsas intimas fibras, & quasi radices labefactari: ac postea ipsos ad metallorū venas, quæ erant in prouincia, quo graui ærumna & afflictatione torquerentur, ablegat. neque satis erat istos solum eiusmodi tormenta perpetientes oculis vidisse: sed etiā e Palæstinis, quos paulo ante diximus, ad singularia pugillatus certamina ineunda condemnatos, coram conspicari voluit: idque cum fuissent neque cibarijs ex penu regio sustentati, neque essent in vllo

[c] Euseb. lib. 8. c. 12.

PERSECVTIONIS ANNVS SEXTVS.

exercitationis genere, quod ad pugillatum pertinebat, aliquando versati. Iam vero non procuratoribus Imperatoris solum istud declararunt, sed coram ipso etiam Imperatore Maximino ea de re comparentes, cellissimam in Christo confitendo cõstantiam, tum famis tolerantia, tum verberum perpessione commonstrarũt, & similia tormenta cum ijs, quos modo posuimus, cumq. alijs confessoribus ex ipsa Cæsarea ad ipsorum numerum adiectis sustinuerunt. A

Post istos autem alij e uestigio, propterea quòd homines, quo sacrarum litterarum lectioni interessent, in vnum coegerant, in vrbe Gaza capti fuerunt: quorum alij easdem cum ijs, tum oculorum, tum pedum vexationes subierunt: alij tormentis in vtrumque latus inflictis, multo grauiores cruciatus subierunt. Inter quos vna quædam corpore mulier, animi autem magnitudine plane vir, cum stupri minas ferre non posset, & tale verbum esset cõtra Tyrannũ loquuta: nempe rectionem Reipublicæ Iudicibus admodum crudelibus ab eo esse commissam: primum verberibus cæditur, deinde sublimis in ligno erecto suspensa, acerbos laterum cruciatus B perfert. Vbi autem qui ad eam rem erant designati ex Iudicis mandato acria acerbaq. tormenta illi incusserant: alia mulier quę multo maiorem laudẽ, quàm illi quos Græci μαχοτὰς vocant, hoc est pugiles (qui ob alacrem & erectum in dimicando animum pleno ore prædicantur) promerita est: quæq. pari ratione cum illa priore virginitatis scopum sibi proposuerat, corporis forma, vt videbatur, admodum sordida, vultu quidem abiecta, sed animo reuera robusto, & maiorem animi celsitatem, quàm corporis species præseferebat, in pectore complexa, cum pati non posset, vt tam dire crudeliter & inhumane cum illa ageretur, e media turba in Iudicem vociferatur: Quousque tam acerbe sororem meam torques? Ille iracundia magis exæstuans, statim illam comprehendi iubet: ea deinde rapitur in medium: quam quidem libere venerandum Saluatoris nomen profitentem, primum verbis ad immolandum solicitauit. verum vbi resistebat, vi ad altare trahitur. Illa tum suæ indoli germana & conuenientia obiens, & nihil de C priore animi alacritate remittens, pede intrepido & fidenti in aram ruit, in eamq. insultat calcibus; et quæ in ea erant, vnà cum lignorum strue penitus euertit. Vnde Iudex tamquàm truculenta bellua bile & rabie excandescens; primum tot tormenta in eius latera impingi præcepit, quot nemini vmquam antea; et præ furore propemodum crudis eius carnibus se saturare gestijt. Postea autem quàm eius insania satietatem ceperat, ambas simul iunctas, hanc nempe cum ea, quam sororem ante appellauerat, flammarum incendio absumendas adduxit: quarum priorem ex regione Gazensium ortam, alteram nomine Valentinam ex Cæsariensium genere fuisse prognatam, multisq. cognitam, intelligendum est.

PAVLI MARTYRIVM.

Martyrium porro quod statim post beatissimus Paulus perpetiebatur, quo pacto pro dignitate explicare queo? eodem enim temporis articulo, cum illis mulieribus vna sententia morti adiudicatus, ad extremum a lictore, cum eius caput esset iamiam amputaturus, paululum temporis sibi concedi postulauit. quo impetrato, primum clara & canora voce a Deo exposcit, vt D Christiani tribules sui eius gratiæ reconciliarentur; et vt quàm citissime illis daretur libertas, supplex obtestatur: deinde pro Iudæis, vt ad eum per Christum se totos transferrent, orat: deinde paulum in oratione progressus, eadẽ pro Samaritanis eflagitat: tum vt omnes Gẽtiles, qui in errore & cæca Dei ignoratione versabantur, ad diuinam cognitionem venirent, & veram pietatem reciperent, deprecatur: neque vniuersam multitudinem, quæ vndique circumstabat, omnino tamquam neglectam, & deprecatione sua destitutam reliquit: post quos vniuersos (o immensam & ineffabilem animi lenitatem & tolerãtiam!) etiam pro Iudice qui illum morti addixerat, proq. Imperatoribus, pro carnifice item, qui mox esset caput eius ceruicibus abscissurus, eo ipso (carnificem dico) & omnibus qui aderant audientibus, Dei omnipotentis numen implorauit, ne illis hoc facinus in ipsum admissum peccati loco numeraret. Hæc & eiusmodi alta voce precatus, tamquam qui immerito plane neci addictus fuisset, omnes propemodum ad misericordiam & lacrymas attraxit: ipse tamen seipsum ad mortem adornans, & ceruicem nudam gladio feriendam libenter submittens, diuino & beato martyrio vigesimo E quinto die mensis Panemi, hoc est, ad octauum Kalendas Augusti, eximie decoratus fuit. atque istæ istorum martyrum res gestæ talem habuere exitum. Tempore porro non longo progrediente, rursum ex Aegyptiorum regione centum & triginta insignes fidei & confessionis in Christum athletę ex mandato Maximini in ipsa Aegypto eosdem oculorum & pedum cruciatus, cum illis quos diximus, sustinuerunt, quorum nonnulli ad metalla in Palæstina damnati erant, alij ad metalla in Cilicia relegati.

Simulatque vero tam multis, tamq. egregijs magnanimorum Christi martyrum facinoribus ingens persecutionis æstus deferbuerat, & velut sacro illorum cruore flamma eius extincta erat; et iam remissio & libertas confessoribus ex Thebaide, qui metallorum in eo loco

A nascentium laboribus oppressi fuerant, concessa; & nos Christiani tamquam pulchra quadam pacis serenitate nos ipsos eramus iam recreaturi:deintegro certe ipse penes quem persequendi potestas erat, nescio quo pacto, quave animi commotione, rursus contra Christianos minire inflammatur. Proinde ex improuiso Maximini litteræ contra nos vbique in singulas prouincias missæ fuerunt: vnde Præsides & summus dux totius Imperatoris exercitus, tabulis, epistolis, & publicis edictis ciuitatis cuiusque curatoribus vna cum Præfectis præsidiorum, & tabellarijs præcipiunt, vt edictum Imperatoris ad exitum perducere maturent; mandauitque, vt cum omni celeritate idolorum delubra, quæ ceciderant, reficerent, & denuo ædificarent: quin etiam efficerent, vt omnes omnino viri cum vxoribus, famulis, & pueris matrum vbera adhuc sugentibus, immolarent, libamina offerrent, & ipsa sacrificia reipsa degustarent, & cibaria in foro venalia impuris sacrificiorum libationibus contaminarentur; & pro foribus deB nique balnearum quidam quasi custodes constituerentur, vt qui in his essent sordibus abluti, post scelestis & nefarijs illis victimis se inquinarent. MAXIMINVS QVID CONTRA CHRISTIANOS.

Quibus rebus hunc in modum confectis; cum nostri deintegro, vt verisimile erat, maximis curis & mærore tenerentur implicati, & Gentiles ipsi de intolerabili & nimia horum scelerum absurditate admodum conquererentur (nam illis ista nimium fastidij, nimiumq. importunitatis complecti visa sunt) & calamitosissima tempestas passim omnibus impenderet, diuina Saluatoris nostri virtus & potentia ijs athletis tantam denuo animi iniecit fiduciam, & quasi cælitus inspirauit; vt cum nemo illos vi impelleret, raperetque ad fidei suæ confessionem, vltro offerrent sese, & omnes eiusmodi terrores ac minas strenue protererent, & tamquam pedibus prorsus conculcarent. Idcirco tres ex fidelibus simul vno animorum consensu contra Præsidem immolantem insiliunt, & alta voce tali errore atque amentia desistere hortantur: MARTYRES PALAESTINI.
C Nam non alium esse Deum, præter eum qui omnium rerum effector & architectus est, asserunt. Rogati ergo, quinam essent? Christianos se audacter confitentur. Qua de causa Firmilianus acrius & vehementius concitatus, absque vllo alio supplicij genere, capite multandos tradidit: quorum vnus presbyter erat, nomine Antoninus: alter Zebinas vocabatur, ex ciuitate Eleutheriopoli prognatus: tertio Germanus nomen fuit. decimotertio die mensis qui Dius dicitur, id est, Idibus Nouembris, hæc de istis acta sunt.

Eodem die mulier quædam, Ennathas nomine, ex vrbe Scythopoli orta, virginitatis quasi coronis pulchre adornata vnà cum illis martyribus eo accessit: quæ non vltro se obtulit, vt illi, sed vi tracta fuit, & ad Iudicem adducta: idcirco post verbera & graues contumeliosósq. cruciatus, quos Iudex ei infligendos curauerat, Tribunus quidem qui illic in proximo magistratum gerebat, appellatus Maxys, homo non tam nomine, quàm tota vitæ ratione nequam, &
D vt aliis rebus scelestus & perditus, ita tum corporis viribus supra modum robustus, tum moribus ferus & crudelis, tum apud omnes qui illum norant, infamia & dedecore notatus, absque auctoritate maioris potestatis hanc beatã virginem aggreditur, eamque omni vestitu vsque eo exuit, vt corpus a lumbis solum ad pedes contegeretur, reliquum autem nudum existeret. Hanc per vniuersam ciuitatem Cæsaream vndique circumduxit: lorisque per totum forum & publicas plateas tractam non sine quadam animi sui oblectatione verberauit: quam post tot cruciatus cum constantissimam animi firmitudinem pro tribunali, vbi Præfectus considere solebat, in fide tuenda ostendisset, Iudex viuam igne cremandam tradidit.

Iste igitur immanitate longius progrediens, & rabiem prope belluinam contra pios in dies adaugens, adeo extra naturæ leges penitus egressus est, vti in inanimis sanctorum virorum corporibus sepulturam impudens inuideret: et propterea cadauera sub dio, vt a bestijs dilaE niarentur, noctu assidue & interdiu seruari præcepit. Itaque non exiguum hominum numerum multorum dierum spatio huic immani & barbaro mandato inseruientium cernere licebat. Quin etiam alij ex specula & loco edito, tamquam operæpretium facturi, ne cadauera subriperentur, sedulo obseruabant. Itaque agrestes bestiæ, canes, & aues carniuoræ membra discerpserunt humana, eaque huc illuc dispersterunt, & tota ciuitas vndique visceribus ossibusque hominũ constrata fuit: adeo vt illis ipsis, qui ante fuissent infesto animo in nos affecti, nihil vmquam crudelius, nihil aspectu horribilius videretur; neque tam eorum calamitatem, in quos hæc admissa erant, quàm cum suam ipsorum, tum communis parentis naturæ ignominiam deplorabant. Spectaculum enim humanarum carnium non vno loco deuoratarum, sed vbique misere disiectarum (quod omnem dicendi facultatem, omnemque tragœdiæ speciem longe superat) prope ciuitatis portas cuiusque oculis subiectum fuit. Nonnulli autem membra, cadauera integra, & viscerum partes etiam intra portas se vidisse dixerunt. PERSECVTIONIS SAEVITIA.

Dum permultis diebus ista gerebantur; tale quoddam miraculum accidit. Cum clara esset serenitas

PRODIGIA. serenitas, & aer pulchre splendesceret, totiusque cæli omnia suo complexu ambientis summa extaret tranquillitas, derepente columnæ ciuitatis, quæ publicas & communes porticus sustentabant, multas veluti lacrymarum guttas quodammodo ex se profuderunt: Forum item & plateæ, nulla pluuiæ gutta ex aere decidente, nescio vnde, quove modo, aqua aspersæ maduerunt: sic vt illico rumor per omnium ora volitaret, terram vtpote rerum id temporis gestarum scelus & impietatem non ferentem, inexplicabili quadam ratione lacrymarum vim ex se fundere, & lapides naturamque inanimem nefaria ea facinora deflere, quo hominum naturam tam ferream, tam immitem, tamque omni affectione vacuam iusta reprehensione coargueret. Verum nugæ & fabulæ, prope dixerim, hæc quidem oratio fortasse posteritati videbitur; non tamen ijs, qui eo ipso tempore præsentes, de rei veritate satis persuasi fuerunt.] hæc Eusebius. A

Idemque rursus quid vltimo huius anni tempore, nempe die decimaquarta Decembris, ibidem in Palæstina actum sit, narrat [a] his verbis: Decimoquarto die mensis Appellæi proxime insequentis, hoc est ad decimumnonum Kalendas Ianuarij, quidam pij viri ex Aegypto profecti (in Ciliciam namque iter susceperant, vt confessores, qui ibi versabantur, sua curatione subleuarent) Cæsareæ ab ijs qui diligenter homines ad portas ciuitatis accedentes perscrutantur, capti sunt. Ex quibus alij eamdem cum illis, quibus erant inseruituri, sententiam & condemnationem subierunt, vt oculi nempe & pedes cruciatu illis labefactarentur. Tres autem illorum Ascalone, vbi capti erant, admirabilem fortitudinis vim in fidei suæ confessione ostendentes, varijs martyrij generibus defuncti sunt: nam vnus illorum in rogum coniectus fuit, cui nomen, Ares; reliquis duobus, qui Promus, & Elias appellabantur, capita amputata.] hæc ipse, qui his iungit martyres sequenti anno passos, ab ipso mense Ianuarij, quos nos pro exacta temporis ratione suo loco ponemus. B

a Euseb. lib. 8. c. 20.

Quòd autem nouis edictis in Oriente persecutio hoc anno in Christianos acrius recruduerit: nulla alia ratio afferri posse videtur, nisi quòd euecto in Cæsarem Galerio Maximino, vt diximus, collataq. illi administratione Imperij, ad patrui sui, a quo vocatus est in eam curam, Galerij Maximiani imitationem mores conformare, animumq. componere pro viribus studuit: ac proinde cum nosset, nihil illi esse molestius, quàm Christianam gentem pro arbitrio deos contemnere & detestari, atque aliud numen colere; eius vestigia consectatus, quòd friguisse prope viderentur priora lata in Christianos edicta, nouis additis, recentioribusque excogitatis, persecutionem in eos quibusdam veluti lignis appositis efferuescere fecit. Hac fortasse via promereri conabatur gratiam ipsius Galerij Maximiani, cum præsertim æmulationis stimulis noui collegæ Licinij Cæsaris videretur exagitari. C

Hoc namque anno occiso Seuero Cæsare (vt dictum est) in Italia, Galerius Maximianus Licinium Cæsarem creauit; de quo Eutropius [b]: Per hoc tempus (quo scilicet Maximianus Herculius Massiliæ male perijt) Licinius a Galerio Imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, & in bello quod aduersus Narseum gesserat, strenuis laboribus, & officiis acceptus.] Zosimus [c] quoque hoc anno, ante tamen quàm Maximianus Herculius moreretur, Licinium creatum Cæsarem tradit. quamobrē erroris arguuntur qui in aliud tempus Licinij Imperatoris exordium collocant. Vt hūc crearet Cæsarem, Galerij animum ea ex re impulsum existimamus, quòd hoc ipso anno in Oriente Valens inuasit Imperium: ad quem debellandū, homine opus esse, qui præstaret militari virtute atque peritia, intellexit. Talis erat Licinius, qui aduersus eum expeditionem agēs, statim ipsum compressit, atque debellatū occidit. Maximinus vero quòd esset vita turpissimus, laboribus militaribus impar existimatus est. D

b Eutrop. lib. 10.
LICINIVS CAESAR CREATVR.
c Zosim. lib. 2.

Huius autem mores ad omnem turpitudinem comparatos Eusebius [d] recēset his verbis: Maximinus tyrannus in Oriente, cum Maxentio, qui Romæ imperabat, tamquam cum fratre in omni scelerum genere sui simillimo amicitiā animo simulato contraxit & veteratorio: eamque longo tempore callide obtegere laborauit: verum postea tandem deprehensus debitas simulationis pœnas persoluit. Videtur plane dignum admiratione, quo pacto iste finitima & germana scelera cum tyranno, qui Romæ rexit Imperium, consciuerit; immo vero etiam nequitiæ & improbitatis priores partes omnino obtinuerit. Nam qui arte magica & falsis præstigijs pollebāt maxime, ab isto maximum dignitatis gradum adepti sunt: quandoquidem erat inprimis meticulosus, & vana superstitione obligatus, errorumque illum in suscitandis idolorum & dæmonum oraculis plurimi faciebat. Etenim absque diuinationibus & oraculis nec transuersum vnguem (quod aiunt) se audebat cōmouere. Ob quam causam grauiorē & crebriorem persecutionē, quàm maiores sui, contra nos concitauit. Tēpla autem deorum in singulis ciuitatibus erigi, & delubra temporis longinquitate vastata mature reuocari præcepit, idolorumq. in E

d Euseb. lib. 8. c. 17.
MAXIMINI MORES.

omni

A omni loco & ciuitate constituit sacerdotes: et his in singulis prouincijs Pōtificem vnum, qui in omni munere egregie obeundo, & luculenter ceteris in Republica viris præstare videretur cohorte & satellitio stipatum præfecit; et omnibus denique maleficis & præstigiatoribus, tamquam religiosis & deorum numini caris præfecturarum dignitates & maxima priuilegia impartiri non erubuit.

Deinceps ab his ad alia nequitiæ genera se transtulit: et non vnam ciuitatē, aut regionem, sed omnes omnino prouincias suo Imperio subiectas, auri, argenti, & ingentium facultatum exactionibus mandatis grauissimis, & aliis aliquando mulctis suprà modum diuexauit, oppressitque; locupletum etiam fortunas ipsis a maioribus traditas vi abstulit, quo diuitias & pecuniarum tamquam cumulos aceruatim suis assentatoribus largiretur. Eo porro temulentiæ & ebrietatis ferebatur, vt insaniret inter pocula, & de mentis gradu deturbatus, rabie quadam fureret; et ea imperaret ebrius, quorum postridie sobrium maxime pœniteret. In crapulæ & effusæ libidinis exuberantia nemini secundus fuit, improbitatis magistrum tum magistratibus, tum subiectis suis seipsum effecit. Atque vt suos induxit milites, vt omni luxu & intemperantia diffluerent: sic Præsides & Prætores incitauit, vt omnibus rapinarum & auaritiæ vijs contra subiectos insisterent, & fere cum illo tyrannidem vsurparent. Quid vesana & temeraria viri flagitia commemorem? quidve connumerem multitudinem mulierum ab eo constupratarum? nullam enim ciuitatem aliquando ipse prætérijt, in qua non pudicas mulieres vitiarit, in qua virginum raptiones non fecerit. Atque ista eius facinora non contra Christianos solum, qui morte contempta eius tyrannidem pro nihilo putarunt, sed & contra alios omnes grassabantur.

B

Nam quod ad Christianos attinet: qui vincti erant, ignis, ferri, clauorum transfixorum cruciatus, immanes bestias, maris profundos gurgites, membrorum amputationes, ignitorum instrumentorum inustiones, oculos extumulatos, effossosque, corporis partium extremitates abscissas, famem præterea, metallorum & vinculorum denique ærumnas exantlarunt: atque hæc omnia pro pietate patienter & tranquillo animo ferre maluerunt, quàm Dei cultum cum idolorum veneratione commutare. Atque ex mulieribus non minus ipsis viris a doctrina diuini Verbi animatis, roboratisque pars eadem cum viris certamina subeuntes, æqua virtutis præmia reportarunt: pars ad corruptelam & obscœnam libidinis turpitudinē inuitæ attractæ, vitam citius interneciONI, quàm corpus dedecori tradere instituerunt. CHRISTIANI DIRE VEXATI.

C

Sola namque mulier quædam Christiana inter alias a Tyrāno adulterij labe turpificatas ex Alexandrinis mulieribus nobilissima splendidissimaq. Maximini animum libidine furētem & lasciuientem intemperantia, magnitudine quàm altissimi animi deuicit: quæ quamquā aliis rebus, vt opibus, generis splēdore, & exquisita doctrina insignis fuit; tamen ista omnia præ pudicitia posthabuit. Istam quidem Maximinus, licet sæpe orasset, vti ipsius cupiditati obsequeretur; eaque denegasset, seque mori paratam ostenderet; tamen interficere non potuit (quippe libido potius quàm iracundia mentis suæ tenebat Imperium) sed illam fuga mulctatam, omnibus facultatibus spoliauit. Innumerabiles etiam aliæ Christianæ, quoniam stupri minas, quibus prouinciarum Præfecti eas terrere conabantur, ferre non poterant, omnia cruciamētorum, distorsionum, & mortiferi supplicij genera libēter subierunt: atque hæ sane permagna admiratione dignæ sunt.] hucusque de Maximini deprauatis moribus Eusebius, hic a nobis ea (vt dictum est) occasione narratis, quòd hoc anno persecutionem in Christianos iam sexennij spatij diuturnitate flaccescentem, ex integro valentiorem acerbiori conatu restituit. MAXIMINI LIBIDO.

D

Quòd vero spectat ad clarissimam natalibus, diuitiis opulentissimam, florentissimamque pulchritudine, & scientijs disertissimam feminam illam Alexandrinam, quam deperiit Maximinus: hanc fuisse illam fama in Ecclesia celeberrimam nomine Catherinàm, seu potius Hecaterinam dictam, vt credamus, inducimur; cuius Eusebius (quem contigit complures alios insignes Aegypti martyres omnino prætermisisse) primi certaminis tantummodò nobilem victoriam attigit, cum opibus omnibus spoliari libentissime passa est, ne illibatæ integritatis dispendium pateretur. Haud enim putandum, Maximini libidinis faces fuisse possessione diuitiarum illius extinctas, & qui pollebat rerum Imperio, insequi desijsse abreptam fuga ab anhelantibus faucibus prædam tam ardenter amatam ac cupidissime conquisitam. Nec retardat fidem nostram, quòd Ruffinus hanc ipsam nominat Dorotheam: nam quòd Hecaterinæ ab Hecate nomen deriuatum esse videtur, id illi fuisse inditum apparet, cum adhuc Gentilis esset; factam autem Christianam (vt de multis accidit) mutasse nomen, ac dictam esse Dorotheam, sed priori nomine magis notam. Verum vnde Ruffinus [a] eiusmodi nomen acceperit, nescimus; certe non ab Eusebio, apud quem nulla est de eo mentio. Et quid mirum CATHERINAE CERTAMEN. a Ruffin. lib. 8. c. 17.

E

mirum, si Eusebius cetera ipsius certamina ignorauit; cũ eius, quam illustrissimã prærogatiuis egregiis prædicet, tamen videatur nomen, quod non exprimit, sicut aliorum, ignorasse? A

Dignum plane est existimare, eam quam disertissimam sciret, per Gentiles philosophos, quibus vrbs Alexandrina abundare solebat, Maximinum conatum esse a Christiana religione diuellere, ipsamque eos omnes tum scientia, qua egregie imbuta erat, tum etiam diuinitus inspirata sibi sapientia superasse. Quod quidem haud mirabitur, qui alteram feminam itidem Alexandrinam, Hypatiam nomine, insignem eruditione, perspectam habuerit, quæ claruit (vt tradit Socrates [a]) sub Theodosio iuniore, ex quo hæc modo pauca referimus: Hæc tantos in litteris fecit progressus, vt omnes philosophos sui temporis longe superaret: ac non modo in scholam Platonicam a Plotino deductam succederet, verum omnes philosophorum omnium præceptiones & disciplinas omnibus qui eam audire volebant, explicaret: quapropter quotquot philosophiæ studio incendebantur, vndique ad illam confluebant.] hæc & alia de ea Socrates, atque Suidas [b] a nobis exempli causa tantum adducta. B

a Socrat. lib. 7. c. 15.

b Suid. in histori.

Quod insuper eadẽ fuga lapsa dicatur: contigisse item credimus, ipsam montes Arabiæ petijsse (consueuerunt enim perfugæ Christiani Alexandrini in persecutione adire montes Arabiæ, vt diximus ex Eusebio [c]) eamque fido comitatu Christianorum, conscendisse verticem Sinæ montis: sed & (quod Thessalonicensibus quoque feminis hac eadem persecutione euenisse, alibi dictum est) perquisitam denuo, inuentamque, atque tormentis exagitatã, fuisse martyrio coronatam; eoque corpus (vt tradunt) diuinitus translatum, vbi latebras nacta fuisset in fuga. Quæ cum doleamus ab Eusebio prætermissa; magis angimur, ab incerto auctore, quo fusius, eo minus fideliter, quàm par erat, Acta eiusdem nobilissimæ martyris fuisse conscripta. Præstat namque in rebus gestis martyrum, aliorumque sanctorum, multa desiderari, quàm omni ex parte nutantia plurima cumulari: melius enim consulitur Ecclesiasticæ veritati rerum quæ non sunt adeo exploratę silentio, quàm mendacio aliquo, veris licet admixto, atque adulteratæ orationis eloquio. Nam in illis quantumlibet paucis, sed veritate subnixis animus acquiescit, & ex ijs quæ certa accipit, cetera nouit mente concipere, meditari, ac ferme oculis contemplari, quæ verisimilis coniectura innitens veritati demonstrat: In his vero plane accidit, vt aliquo vel leui mendacio semel offensus legentis animus, nutet in reliquis, atque vacillet in veris; nec valeat tuto firmoque pede consistere, sed vera quoque suspecta habeat qui in mendacium semel impegit. At de his hactenus. C

c Euseb. lib. 6. c. 34.

CATHERINAE LATEBRAE ET MARTYRIUM.

Sub eodem etiam Maximino (certus tamen annus ignoratur) cum idem in Oriente, in Galliis Constantinus, Maxentius vero in Italia imperarent, accidit vt illustris martyr Mennas ex Aegypti Præfecto Augustali, quòd Christianus esset, sit martyrium consequutus, nec non eius successor Hermogenes. At horum quidem nec leuiter saltem Eusebius, aliquot in Aegypto martyres passos recensens, habuit mentionem. Quòd enim ex ijs quæ hoc anno facta esse ipso suæ narrationis exordio (vt vidimus) tradit [d], ex confessoribus Thebaide in Aegypto commorantibus centum missos esse in Palæstinam ad illius prouinciæ Præsidem Firmilianum, qui in eos pro arbitrio animaduerteret: vnde nouitas hæc acciderit, vt cum Aegypti Præfectus (vt alias diximus) reliquos prouinciarum Præsides auctoritate & dignitate pariter antecelleret, oportuerit tamen ad alterius prouinciæ, & inferioris ordinis Præsidem mittere eius iudicium experturos confessores: nisi quia tunc Mennas Aegypti Præfectus Christianus detectus, dignus potius qui iudicio subijceretur alterius, quàm qui Christianos ipse Christianus iudicaret, habitus est? Iste quidem, vt eius martyrij Acta [e] significant, patria Atheniensis, ordinis Senatorij, ob incredibilem quamdam in rebus gerendis prudentiam atque solertiam, domi forisque spectatus, Imperatori intimus erat, & cum Christianum occulte ageret, ne id illi innotesceret, sedulo studio procurauit. D E

MENNAE PRAEFECTI CERTAMEN.

d Euseb. lib. 8. c. 18.

e Extant apud Metaph. die 10. Decemb. ex quo alij eadem dic.

Opportune quoque nuper acciderat, vt cùm causa Christianæ religionis Alexandrini grauiter tumultuati essent; ad eos compescendos, atque in officio continendos Mennas Augustali Præfectura auctus ab Imperatore Alexandriam mitteretur: qui mira quadam, qua pollebat in maximis negotijs obeundis dexteritate & aptitudine, Alexandrinorum animos composuit, sibi vero eos ob animi sui facilitatem, morumque præstantiam deuinxit, in diesque magis magisque collatis officiis obligauit; vsque adeo vt nonnullos ex illis ad Christianam fidem capessendam induceret, editisque quibusdam miraculis, certioribus ijs, quæ olim a Vespasiano, vel Tyanæo ad conciliandos sibi Alexandrinorum animos fuissent exhibita, in quamplurimos Gentiles Christianitatem propagaret. Cum autem res eo perducta esset, vt iam in occulto amplius esse non posset; Maximinus litteris Gentiliũ certior factus, ad vlciscendum facinus mittit Hermogenem Alexandriam, qui Mennæ succedat, inque eum vt impium animad-

A animaduertat. Erat Hermogenes & ipse Atheniensis, at licet Ethnicus, tamen quæ secundum optimos mores est, vitam instituerat. Hic cum uenisset Alexandriam; Mennam nactum satellitio destitutum (est enim consuetudo in Aegypto, vt cum proxime accedit nouus qui ab Imperatore delectus est Augustalis Præfectus, ille prior confestim magistratum deponat) detrudi iussit in carcerem; eumque sequenti die pro tribunali sedens audiuit rationem reddentem Christianæ a se susceptæ religionis, non quidem temere, sed mature admodum atque consulto; quippe qui antea post perscrutatas omnes philosophorum Gentilium disciplinas, libros quoque Christianæ religionis impensius legisset, & quæ in ijs essent, accuratius disquisisset; cum veritatis, quam in eis adinuenisset, præpotenti vi quadam permotus atque captus nonnihil esset. Sic primo atque secundo auditus Mennas, & iam de Christiana fide a se suscepta parans defensionem, Hermogenem in se acrius concitauit: qui primo (quod incomparabile tormenti genus habebatur) illius pedum plantas excoriari iussit, linguam præcidi, oculosque conuelli, sicque pene exanimem & extinctum reddi carceri. Sed prudentior factus, nimiæ crudelitatis, quam in Mennam tantum virum præter morem exercuisset, se ipsum redarguit; atque adeo, vt lacrymas angoris animi indices abundantius fuderit; et quem in carcere defunctum putabat, honesto funere mane sepelire decreuerit. Sed præter spem accidit, vt cum de asportando e carcere corpore, militibus mandasset, eum viuere atque pristinæ naturæ officijs esse diuinitus restitutũ audiuerit; testesque milites de carceris fulgore corusco, numinisque præsentia firmius affirmantes, & fidem Christianam palam profitentes, atque in alios hæc miranda adeo diffamantes, expauit; remque altius contemplatus, Christi cœpit mirari potentiam; eiusque diuinitatis, docente Menna, originem accuratius perscrutari; diuinæque illi gratiæ lumine affulgente, de fide suscipienda consilium inijt; quod & baptismate sacro suscepto perfecit.

Sed delata hæc cum essent per quemdam Rusticum Maximino, collapsamque penitus duorum Præfectorum opera Gentiliciam superstitionem audiret; idem ipse e uestigio Alexãdriam venit, Hermogenemque primum in fidei confessione perstantem, manibus ac pedibus amputatis, direque admodum verberatum vna cum Menna alijs tormentis exagitato, capite truncari iussit. Sed & quidam Eugraphus olim Mennæ minister, quòd coram Imperatore magna constantia Christum confessus esset, ab eodem indignatione furente gladio confossus occubuit. Hæc sunt ex Græcorum Menologio accepta: quæ autem prolixiora eorumdem martyrum Acta extant, nonnulla habent fide nutantia, sed & fide omnino carentia, vt quæ in eis de Hermogene leguntur creato eius ciuitatis Episcopo, cum certum sit eidem Ecclesiæ his temporibus Petrum Antistitem præfuisse. Sic igitur siue Mennæ, siue Hermogenis Præfecturæ D tempore accidisse videtur, vt qui in Thebaide confessores essent (vt dictum est) ab illius prouinciæ Præside non amplius (vt erat in more) mitterentur Alexandriam iudicandi, sed (quod tradit Eusebius [a]) amãdarentur ad Firmilianum Præsidem Palæstinæ. Celebris est horum tam illustrium martyrum etiam in Occidente memoria, decima Decembris die tabulis sacris adscripta. At de his satis.

a Euseb. lib. 8. c. 18.

IESV CHRISTI ANNVS	MARCELLI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
308.	5.	3.

CHristi annus trecentesimus octauus adscriptus Fastis habetur Coss. Diocletiano decimum & Galerio Maximiano septimum, qui & septimus numeratur annus persecutionis, quo Eusebius [b] res in Palæstina gestas enarrans, ab ipso Ianuarij mense passos martyres recensens, hæc ait: Vndecimo die mensis Audinæi, id est ad tertium Idus Ianuarij, Petrus, qui & Apselamus dicebatur ἀσκητής, id est religiosus, vel monachus, vitam solitariam & meditationi deditam sequutus, ex pago Anea in finibus Eleutheropolis sita prognatus, cum Iudex, & qui ei aderant in consilio, sæpissime eum orassent, vt sui ipsius misereretur, suæque adolescentiæ & ætati florenti parceret: eorum hortationibus penitus neglectis, & spe quam in Deo omnipotẽte collocasset, cùm alijs rebus omnibus, tum vitæ * ipsius longe prælata, Cæsareæ per ignem, veluti aurum purissimum, fidem in Christum Dei generoso & excelso animo accurate probauit. Cum isto vna Aesculapius Episcopus, vt videbatur, errore Marcionitarum, zelo pietatis (vt ille putabat) sed non illius quæ est secundum scientiam, vno & eodem rogo combustus exiuit e vita.] Verum hæc hactenus.

PERSECVTIONIS ANNVS SEPTIMVS.

b Euseb. lib. 8. c. 10. 11.

* suæ

Tempus iam eo me vocat, vt illustre quasi theatrum martyrum, qui cum Pamphilo, cuius

nomen

PAMPHILI MARTYRIS CERTAMEN. nomen mihi semper optatissimum fuit, mortem oppetiuerunt, in hoc sermone ante oculos A
cuiusque ad intuendum proponam. Duodecim quidem erant, & non modo quodam prophetico dono, aut potius Apostolico, sed Apostolorum etiam numero dignati, quorum coryphæus & princeps solus Pamphilus, presbyterij dignitate Cæsareæ ornatus, extitit: vir toto vitæ cursu omni virtutum genere eximius, abiectione, & contemptu sæculi insignis, facultatum in pauperes largitione magnificus; spei quæ in caducis mundi rebus defigi solet, despicientia mirus, ratione viuendi, & consuetudine vero philosopho digna singularis: quin etiam ardenti diuini eloquij, & sacrarum litterarum studio præter ceteros nostræ memoriæ homines egregius attentissima, & prope inexhausta in eas res industria & assiduitate, quas apud animum proposuerat, præstabilis, & in cognatis propinquisque iuuandis perliberalis. Cetera virtutis eius officia & recte facta, quoniam longiore explicatione eguerunt, in separato & proprio volumine de eius vita perscripto, inque tres libros dispertito, iam pridem pluribus B
verbis tradidimus. Eos ergo, qui acri illius vitæ, & virtutum in ea elucentium plenius cognoscendarum cupiditate incenduntur, eo amandamus: nos autem illis solis in præsentia insistemus, quæ ad martyres cum eo in supplicium adductos pertinent.

VALENTIS ET PAULI MARTYRIUM. Secundus post Pamphilum in certamen descēdit veneranda canitie honoratus Valēs Aeliæ ciuitatis diaconus, ipso aspectu senex grauissimus, diuinarum scripturarum, si quisquam alius, in primis peritus: nam tantam illarum memoriam in pectus suum incluserat, vt si quando aliquem locum citare vellet, perinde expedite illud posset absque scripto efficere, atque ex scripto legere. Tertius Paulus pietate maxime inflammatus, & spiritu non minus feruidus, ex ciuitate Iamnitarum, in qua fama percelebris fuit, prognatus: qui ante martyrium cauteriorum exustiones perpessus, egregium certamen pro fidei confessione confecit. His in carcere toto biennij spatio commorantibus, fit martyrij dilatio. C

AEGYPTII MARTYRES. Interea fratrum Aegyptiorum, qui cum illis vna martyrium subierūt, accessio facta est. Isti Aegyptij simul atque confessores illos, qui erant ex Cilicia, ad metalla vsque, quæ ibi erant, perduxerant, domum redierunt. Qui similiter apud ipsos portarum Cæsareæ introitus a custodibus (barbari autem isti erant & moribus agrestes) quinam essent, & vnde venissent interrogati: cum veritatem occultare non possent, tamquam malefici in ipso facinore manifesto prehensi tenebantur. quinque erant numero: qui quidem ad Tyrannum perducti, & coram illo libere fidem confessi, statim in carcerem contruduntur. Postridie (hoc erat decimo sexto die mensis Peritij, id est secundum Romanos, ad decimum quartum Kalendas Martij) hi pariter cum Pamphilo, & reliquis eius sociis, quos supra posuimus, ex mandato ad Iudicem perducuntur. Iste primum inexpugnabilis Aegyptiorum constantiæ & firmitatis animi, diuersis cuiusque modi tormentorum formis, nouis peregrinarum & variarum machinarum in- D
uentis periculum fecit. Et simulac illum, qui inter eos omnes principatum tenuit, his certaminibus exercuerat, quisnam esset, primum sciscitatus est. Deinde vbi pro proprio nomine, prophetæ cuiusdam nomen ab eo acceperat: hoc enim ab illis factum erat, quod pro nominibus idolorum, quæ erant forte a parentibus ipsis imposita, noua nomina, facta mutatione, ipsi sibi adsciuissent: Eliæ enim, Hieremiæ, Esaiæ, Samuelis, & Danielis nomine seipsos nuncupasse, & germanum ac verum Dei Israelem, qui Iudæis erat in occulto, non solum rebus ipsis, sed nominibus proprie & significanter explicatis commonstrasse, audire potuisses. Vbi inquam tale nomen a martyre acceperat Firmilianus, non in verbi vim & significationem animum omnino intendens; secundo loco eum interrogauit, quæ illius patria esset. Ille nomen priori apte respondens effert; Hierusalem suam patriam esse ait, eam certe intelli-
a Galat. 4. gens, de qua apud Paulum [a] dicitur: Quæ sursum est Hierusalem, libera est, & quæ est mater E
b Hebr. 12. omnium nostrum. Item alio loco [b]: Accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cælestem. is quidem hanc plane intellexit. Sed Firmilianus cogitatione sua humi abiecta: quæ tandem ciuitas illa esset, & vbi terrarum sita, accurate, & curiose disquirit: vnde cruciatu illum affligit, vt verum fateretur. Hic manibus a tergo vinctis obtortisque, & pedibus machinamentis peregrinis inusitatisque diuulsis excruciatus, verum se dixisse, constanter asseuerat. Deinceps Iudice rursus sæpe quærente, quisnam esset, & quo loco ciuitas illa, quam dicebat, locaretur: eam affirmat piorum solum patriam esse, neque alios præter hos solos illius fore participes: illamque ad Orientem, vbi Sol primo mane suos radios fundere incipit, positam. Atque in istis denuo proferendis, seorsum apud animum suum ita diuinitus philosophatus est, vt eorum qui illum vndique tormentis diuexabant, nullam prorsus rationem duceret, sed tamquam carnis corporisque expers, ne minimum quidem videretur doloris sensum percepisse.

A Iudex animo hæsitans, intra se tumultuari cœpit: putabatque Christianos eam ciuitatem, de qua martyr loquutus fuisset, infestam omnino & inimicam Romanis effecturos. Multum igitur de ea re scrutari; et vbinam tandem illa regio, quæ in Oriente ferebatur, existeret, admodum conquirere.] Videas in his mirificam quamdam expressam pectoris Christiani constantiam, quæ in summa tormentorum perpessione sic ludendo traduceret anxium Iudicis animum. porro quòd occultum esset illi agenti in Palæstina Hierusalem ciuitatis nomen: iam satis liquido demonstratur, antiquatum penitus fuisse vetus Hierosolymæ nomen, Aeliamque ab omnibus vocari solitam. Sed sequitur[a]: Postquam autem adolescentulum verberibus sæpius dilaniatum, & tormentis cuiusque generis discruciatum, firma & immutabili mentis constantia illis quæ ante dixerat, adhærescere animaduertit: ad extremum mortis sententiam, vt securi percuteretur, contra eum protulit. Talem igitur is velut vitæ suæ peregit fabulam. Ceteri eius socij paribus certaminibus a Iudice exagitati, pari mortis genere e vita cesserunt.

[a] Euseb. lib. 8. c. 21.

B Postea demum Firmilianus, quamquam prope defatigatus erat, & frustra viros illos supplicio affici cernebat, sua tamen cupiditate eorum morte exaturata, ad Pamphilum & eius socios se contulit. Et quia satis expertus erat, quàm inflexibilem in fide tuenda constantiam etiam iam antea in tormentis ostendissent: iterum interrogat, vtrum deinceps modo illi morem gererent. Atque cum a singulis eorum definitum & postremum responsum de fidei confessione, quæ est martyrij propria, recepisset: similem cum prioribus pœnam & supplicium illis irrogat. Quibus ad exitum perductis, adolescentulus quidam ex famulis Pamphili, qui ita erat excultus instructusque, vt dignus ingenua talis & tanti viri educatione & disciplina merito videretur; simulatque Iudicis sententiam contra dominum suum pronunciatam intellexit,

PAMPHILVS RVRSVM EXAGITATVR.

C e media hominum multitudine exclamat; et vt illius aliorumque sociorum corpora, cum e vita decederent, terræ mandarentur, postulat. Iudex vero non hominis, sed belluæ, aut si quid sit bellua immanius, naturam sequutus, ne adolescentulo quidem ætatis causa quicquam veniæ tribuit: sed vt primum eum rogarat, essetne Christianus; ipseque se esse responderat; iracundiæ æstu intumescens, quasi telo saucius, tortoribus in mandatis dedit, vt omnes suas vires & impetus contra eum exercerent. Postquàm vero, cum immolare ei iussum esset, recusantem videbat; non vt hominem carne circumdatum, sed vt statuam ex lapidibus aut ligno aut alia quapiam re confectam, ad ossa vsque & intimos viscerum recessus acriter & absque vlla remissione deradi, dilacerarique præcepit. Quo supplicij genere diu sustentato: Iudex cum illum nec vocem emittere, nec sensum doloris vllum præseferre vidit; idque cum parum abesset quin illius corpus esset omnino inanimatum, & tormẽtis pene contritum exhaustumq.

D se illum frustra torquere respexit: tamen animo duro, ferreo, & omnis humanitatis experte perstans, confestim igni pedetentim exardescente & remisso comburi decernit.

Hic igitur adolescentulus postremus ante Pamphili mortem, qui erat dominus eius secundum carnem, in certamen ingressus, ante illum e corporis vinculis solutus fuit, propterea quòd qui erant in alijs cruciandis occupati, tardare videbantur. Licuerat ergo Porphyrium videre (hoc namque adolescentulo nomen erat) iam in omni certaminum genere exercitatum incredibili studio & ardore, more hominis pro augusta & sacra victoria decertantis, incensum, corpore quidem puluere conspersο sordidatum, sed decoro oris habitu eximium, erecta & generosa animi elatione post tantos cruciatus ad mortem gradientem, diuino spiritu reuera completum, habitu philosophico quo vti solebat, hoc est indumento ad modum pallij humeros solum obtegentis, vestitum, familiaribus suis, quid illos sui causa facere vellet, modesto & tranquillo animo præcipientem, nutuque significantem: et cum iam ad palum esset alligatus, vul-

PORPHYRII MARTYRIVM.

E tum splendidum & hilarem seruantem; quin etiã cum rogus longo interuallo ab illo tamquam in ambitu, orbemque exardesceret, hinc illincq. flammam ore ad se abripientem: et post hæc verba, quæ iam flammarum incendio primum corpus attingente, clara voce profundebat (nẽpe Iesum filium Dei sibi adiutorem fore) cõstantissime cum silentio omnes cruciatus ad extremum vsque spiritum tolerantem. Talem Porphyrij in martyrio certamen fuisse constat.

Cuius vitæ exitum Seleucus confessor quidam ex militum numero Pamphilo nũciauit; qui, vt par erat, ex huiusmodi nuncij ministro, quamprimum fuit eadem sorte cum illis martyribus dignatus: nam mox vt mortem annunciauerat Porphyrij, & vnum ex martyribus osculo sancto salutauerat; eum milites quidam cõprehendentes, ad Præsidem deducunt. Iste tãquam sui profectionem maturãs, quo Porphyrio comes itineris ad cælum suscepti adiungeretur, extemplo capitis supplicio mulctari iubet: hic in Cappadocia natus, præ delecto iuuenum globo, qui in exercitu Romano militabant, præq. illis qui erant apud Romanos in amplis dignitatum

SELEVCI MARTYRIVM.

gradibus locati, non exiguum honorem adeptus est: ætate enim florente, robore, proceritate, A
firmitateque corporis plurimum omnibus militibus antecelluit: adeo vt aspectus eius celebris
& omnium sermone prædicatus existeret, tota corporis forma & specie tum ob magnitudinem, tum ob pulchritudinem & aptam membrorum compositionem admirabilis: qui in ipso
persecutionis initio, plagarum perpessione in certaminibus pro fidei confessione susceptis, admodum enituit: et vbi militiæ munere, quo fungebatur, spoliatus fuit, eorum qui ἀσκηταί,
id est pietatis cultores, vel monachi, qui dies noctesq. diuinis meditationibus se exercent, æmulum se & imitatorem effecit: orphanis desertis, viduis omni ope destitutis, hominibus inopia
& corporis infirmitate afflictatis, instar patris alicuius indulgentis & curatoris, benigne prospexit, & opitulatus est. Vnde merito quidem, cum Deus ab huiusmodi pietatis officiis plus
capiat oblectationis, quàm a victimis fumo redundantibus & sanguine aspersis, ad insigne &
eximium martyrij decus per eius gratiam accersitus fuit. Hic decimus athleta inter eos, quos B
supra ostendimus, vno eodemque die mortem oppetijt: quo certe, vt apparet, maxima, quasi
cæli porta, Pamphili martyrio decora illa quidem & congruens patefacta, tum illi, tum alijs
qui cum eo erât, in regnū cælorum aditū dedit perfacilem.] hæc de Seleuci martyrio Eusebius.

CHRISTIANI INFAMIA NOTATI.

Qui cum dicat, hunc, ipso persecutionis exordio, quòd Christianus esset, fuisse militia spoliatum: plane declarat, confirmatque quod superius dictum est, Christianos omnes Imperatorum edicto esse notatos infamia, & tamquam infames militia fuisse existimatos indignos.
Ignominiosa enim hæc dicebatur missio, cum ob delictum quis militia solutus esset; cui inter
alias pœnas, nec in Vrbe, nec alibi vbi Imperator esset, morari [a] licebat. cōsulto igitur Seleucus Christianæ religionis causa exauctoratus, & ignominiosa missione ablegatus, monasticæ
vitæ institutum arripuit. Videas ex his insuper, non fuisse asceticam vitā, cui se Seleucus mancipauit, institutionem anachoreticam ab hominum remotam consortio; quippe qui viduarum C
ac pupillorum prospiciebat necessitatibus; sed in illorum vitæ statu positum, quos communiori
voce Religiosos nominamus: fuisseque in Ecclesia præter anachoretas, vel monachos qui degerent solitarij, aliud quoque genus Christianorum, etiam necessitatibus fratrū post precum
studia inseruientium. At prosequamur reliquorum certamina ex eodem Eusebio, qui sic ait:

a l. 2. §. ignominia. ff. de his qui not. infam.

THEODVLI ET IVLIANI MARTYRIVM.

Theodulus item grauis quidem & religiosus senex, vnus ex Præfecti Firmiliani familia, & ab
eo plus quàm ceteri omnes domestici honoratus, partim prouectæ ætatis causa (proauus enim
erat, id est tertiæ progeniei pater) partim propter beneuolentiā & fidelem animum, quem erga
ipsum semper seruauerat, iisdem vestigiis cum Seleuco insistens, & facinus illius facinori haud
quaquam dissimile admittens, ad Firmilianum dominum suum deductus fuit, eique maiorem bilem quàm superiores commouens, tandem crucis afflictationi addictus, idemque martyrij genus, quod Saluator olim, lubens perpessus est. Deinceps quoniam vnus adhuc resta- D
bat, qui inter martyres commemoratos locum duodecimum expleret: idcirco Iulianus eum
expleturus accessit: qui peregre iam eo aduentans, & locum adhuc minime ingressus, simulac inter vias de eorum morte intellexerat, extemplo ad insigne martyrum spectaculum recta
se contulit: atque vt humi posita sanctorum vidit corpora, solido expletus gaudio, singillatim
ea complexus, salutauit. Quod dum faciebat, lictores & cædis ministri eum prehensum ad
Firmilianum ducunt. Qui ea quæ sibi erant suæque crudeli naturæ consentanea executus,
lento & remisso igni eum cremandum tradit. Iulianus ergo præ lætitia exultare, valdeque gestire, atque clara voce gratias agens Domino, qui eum talibus præmijs, tamque insigni splendore afficere dignatus fuerat, præclara martyrum corona donatur. Erat hic quidem Cappadocum genere secundum carnem oriundus, moribus & vita sanctissimus, fidelissimus, & maxime ingenuus, & cum in aliis rebus spectatus, tum diuino ipsius sancti Spiritus afflatu imbu- E
tus. Talis erat caterua eorum, qui per Dei gratiam in martyrij societatem cum beato Pamphilo adsciti fuerunt. Sacra autem & sancta reuera istorum corpora ex impij Præsidis mandato
quatuor diebus, totidemque noctibus, vt a bestijs auibusque carniuoris deuorarentur, sub
dio seruabantur. Verum tāquam miraculo quodam, nulla neque bestia, neque volucris, neque
canis ad ea accedebat: rursus per diuinæ prouidentiæ dispensationem integra illæsaque inde
ablata fuerunt. Et exequiarum iustis potita, sepulturæ (vt moris est) honorifice cōmendantur.

HADRIANI ET EVBVLI MARTYRIVM.

Porro dum sæuitia aduersus istos vsurpata, in omnium ore & sermone versabatur, Hadrianus & Eubulus, ex regione, quæ Manganea dicitur, ad reliquos confessores Cæsaream versus accedentes, ad portas vrbis causam sui itineris eo suscepti rogantur. Deinde rei veritatem ingenue confessi, deducuntur ad Firmilianum. Iste nulla dilatione aut mora interposita,
post multa tormenta, quæ in eorum latera impegerat, bestijs dilaniandos condemnat. Biduo autem interiecto, Hadrianus quinto die mensis Dystri, hoc est ad tertium Nonas Martij,
die

A die festo, quo natalitia Fortunæ Cæsariensium, sic enim putabatur, celebrari solent, leoni primum, ad discerpendum proiectus fuit: deinde gladio iugulatus, obijt mortem. Eubulus autem perendino die ad meridiē, ipsis Nonis Martij, qui est septimus dies Dystri, cum Iudex admodum illum rogaret, vt hostias immolaret idolis, quo libertate eorum legibus decreta poriretur: gloriosam mortem pro pietate susceptam huic vitæ breui & caducæ præposuit: et post bestiarum laniatus, gladio, vt socius ante illum, trucidatus fuit; omniaque martyrum certamina confecta suo sanguine postremus obsignauit.

Ceterum operæpretium est hoc loco commemorare, quo pacto tandem, idque non longo tempore post, cælestis & diuina prouidentia eos impios magistratus cum ipsis tyrannis vlta sit. Nam Firmilianus, qui tam petulanter & contumeliose in Christi martyres debacchatus fuisset, cum alijs eiusdem sceleris participibus extrema supplicia subiens, gladio finem viuendi fe-

FIRMILIANVS DAT POENAS.

B cit. Atque hæc sunt martyria, quæ Cæsareæ toto persecutionis tempore gesta sunt.] hæc autem cum septimo persecutionis anno contigisse, ex Eusebij sententia dictum sit: tamen eius testificatione [a] constat, hanc eamdem persecutionem vsque ad annum decimum perdurasse: quamobrem dicendum est, non in omnibus locis ipsam eadem grassatione sæuijsse, cum de Palæstina hæc idem auctor testetur: at id quidem non indulgentia Principum, sed quòd mitiorem fortasse sunt Præsidem nacti: nam pro Præsidum humanitate vel sæuitia, vt [b] Tertullianus affirmat, intensior vel remissior persecutio in prouincijs esse solebat: vel accidit, vt de rebus patriis Eusebius scribens, hoc anno scribendi finem fecerit, vel siquid postea addidit, omnino perierit: nam præter recensitos ab eo martyres hac eadem persecutione passos, alij quoque Cæsareæ in Palæstina passi habentur; quorum, licet insignium, nullam prorsus ipse habuit mentionem. ponemus nos eos paulo post. Sed quæ reliqua sunt de Pamphilo, mo-

a Euseb. lib. 8. c. 27. prope fin.

b Tertul. ad Scapul. c. 2. 3. 4.

C do dicamus.

Adnumeratur Pamphilus presbyter Cæsariensis non tantum inter nobiles martyres, sed inter insignes scriptores Ecclesiasticos, quem præ ceteris Hieronymus [c] eiusmodi ornat elogio: Pamphilus presbyter Eusebij Cæsariensis Episcopi necessarius tanto bibliothecæ diuinæ amore flagrauit, vt maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit, quæ vsque hodie in Cæsariensi bibliotheca habentur. Sed & in duodecim Prophetas vigintiquinque ἐξηγήσεων Origenis volumina manu eius exarata reperi, quæ tanto amplector & seruo gaudio, vt Crœsi opes habere me credam. Si enim lætitia est vnam epistolam habere martyris, quanto magis tot millia versuum, per quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia? Scripsit, antequam Eusebius scriberet, Apologeticum pro Origene, & passus est Cæsareæ Palæstinæ sub persecutione Maximini] hucusque Hieronymus. De Apologia vero pro Origene conscripta

PAMPHILI MART. LVCVBRATIONES.

c Hieronym. de script. Eccles. in Pamphilo.

D Pamphili nomine superius actum est: ob egregiam namque Pamphili martyris laudem Eusebius, vt præclarissimo quodam ornamento, eiusdem Pamphili sibi nomen addidit, voluitq. dici Eusebius Pamphili: vtinam sic feliciter, ac gloriose: quantam autem nomini sancto, sectando hæresin, ignominiam irrogarit, inferius dicturi sumus. Nec prætermittendum putamus, eumdem Pamphilum ordinatum fuisse presbyterum ab egregio viro Episcopo Agapio, de quo hæc summa cũ laude idem scribit Eusebius [d]: Vbi Teotecnus Episcopatum Cæsareæ Palæstinæ diligentissime fuisset executus, mortemque oppetijsset, illud ministerium Agapio tributum fuit, quem maximum laborem in eo obeundo collocasse, & accuratissimam suscepisse prouisionem in populo gubernando, & maxime omnium, quasi plena manu eos qui in egestate versabantur, subleuasse cognouimus; cuius temporibus Pamphilum virum disertissimum, & ipsa vitæ ratione verum philosophum in ea Ecclesia presbyterij dignitate dona-

d Euseb. lib. 7. c. vltimo.

E tum accepimus, &c.]

His de Palæstinis martyribus huius anni ordine temporis enarratis; subdemus hic paucos alios in tabulis Ecclesiasticis claros, qui in eadem prouincia Palæstinæ passi sunt. Siquidem Bibli gloriosum pro Christi nomine certamen exegit Aquilina virgo duodecim annos nata; quod hoc præconio in ijsdem monumentis [e] Ecclesiasticis reperitur adscriptum: Sub Diocletiano Imperatore, & Volusiano Iudice, ob fidei confessionem colaphis & verberibus cæsa, & subulis candentibus perforata, demum percussa gladio virginitatem martyrio consecrauit.] extant eius agonis Acta [f]. Sed & Fortunata [g] virgo, eadem vrgente persecutione, Cæsareæ in Palæstina passa est, experta equuleum, ignes, & bestias. Nolumus hic præterijsse Procopium in Palæstina itidem passum, aliũ prorsus diuersumq. ab eo, quem Eusebius [h] anno primo persecutionis necatum esse tradit. Nam ille momentaneo ferme martyrio sublatus est; iste autem longo certamine fatigatus, plurima meruit de diuersis tormentis exantlatis varijs temporibus cõfessionis stipendia. Cuius quidẽ Acta perpaucis emendatis legitima atque germana

DIVERSI MARTYRES.

e Martyrolog. Rom. die 13. Iunij.

f Metaph. eadē die 13. Iunij.

g Martyrolog. Rom. 14. Octob.

h Euseb. lib. 8. c. 12.

esse censentur, ab ipso auctore conscripta ante Imperium Iuliani. Nam cum ab eo Saluatoris statua ab Hæmorrhoissa erecta, fuerit penitus comminuta, & in aliam conflata, vt suo loco dicemus: ipse tamen auctor cum eius meminit, dicit esse superstitē. De eiusdem quoque martyris sublimi vocatione atque martyrio hæc summatim Nicephorus [a]: Nobilis quoque ille Procopius Cęsareæ Palęstinæ natus inter martyres eodem tēpore illustris maxime fuit, cui Diocletianus ducalem quidē in Oriente * sublimitatem dedit: Christus autem eum e cælo ad se veluti Paulum vocauit. Et is quidē illa accepta, inexpugnabili vero Crucis armatura perinde atque generosus & fortis miles armatus, primum aduersus eos qui sensu percipiuntur, deinde etiam in eos qui mente sola perspiciuntur, hostes depugnauit. Aureis namque & argenteis, quos sibi fieri curauerat, dijs comminutis, eorumque pretio in pauperes expenso, mox etiam aduersus eos qui friuolos adulterinosque deos propugnabant, bello congressus, illorumque infirmitate per infamiam notata, ipsius vero Iesu Christi immensa, naturamque supergressa potentia magnifice laudata, quas non ille pœnas fortiter tolerauit? quæ illum fidiculæ & torturæ prætereiere, quibus vngulis cutis eius concisa non est? quos ignes, quasve faces mēbra eius experta non sunt? quorum ferramentorum mucronumque corpori eius intentatorum acies hebetatæ non sunt? Per quæ atque his similia tormenta quamplurimis ex primis intimisq. Imperatorum consiliarijs ad Deum præmissis, postremo & ipse gladio percussus cum incredibili lætitia ad dudum sibi desideratum Christum concessit.] hucusque Nicephorus.

a Niceph. lib. 7. c. 15.
* Ægypto

EX ACTIS PROCOPII MART.

Libuit hic quoque intexere ex eisdem Actis Procopij citatum ac recitatum fragmentum in Concilio Nicæno [b] secundo his verbis: Stephanus Dei amantissimus diaconus & Referendarius Sacri secreti legit: Ex martyrio beati martyris Procopij, cuius initium, Per eadem tempora regnum obtinebat Diocletianus tyrannus, inter cetera: Neanias (id est Procopius) gaudio magno perfusus, & fide audens, rem bene gessit, similiter illius omnes comites: ea autem nocte cum militibus reuersus est. Venit autem Scythopolim, & omne sodalitium aurifabrorum & argentifusorum conuocans interrogauit eos dicens: Potestis ne mihi facere vas aliquod, quod ego tradam vobis? Illi vero hominis austeritate deterriti, communi consilio statuerunt apud illum vnum ex omnibus, quem optimum artificem existimabāt, nomen illi Marcus erat, dicentes: Siquis est qui voluntati tuæ domine satisfaciat, hic erit. et paulo post: Marcus autem nequaquam obedire volebat iuueni: persuasit tamen tandem is dicens: Hoc mysterium Regi vsque ad vitam numquam reuelauero.]agebat enim cum eo, vt Crucē, quam ferret ad collum suspensam, ex argento auroque conficeret. Sed rursum ibi: Persuasus itaque Marcus, in abdito ex auro & argento noctu Crucem fabricauit. Cum autem opus consummatum erigeretur, tres in eo imagines apparuerunt. Scriptum autem erat Hebraico dialecto in superiore parte, Emmanuel, & vtrinque in summitate alarum Michael, & Gabriel. Voluit autem Marcus, sibi timens, expungere imagines; verum non potuit: confestim enim manus illius sicca permansit. Sub gallicinium autem Dux, qui dicebatur Neanias, ad ædes Marci, quo Crucem auferret, properat. Videns autem illam, protinus adorauit. ait autem ad Marcum: Quæ sunt eæ personæ? Quæq. hæc inscriptio? Domine, in qua hora Crux a me erigebatur, imagines istæ per se enatæ sunt; neque ego cognosco quænam, aut cuius sit inscriptio. Neanias vero cognoscens virtutem quamdam in his esse, adorata Cruce, Marco artifici copiosam mercedem soluit, profectusque est in ciuitatem suam.] hucusque ex Actis Procopij recitata sunt in Nicæno Concilio, quæ habentur in eisdem Actis, quæ hodie extant [c]. Ibique narratur, eumdem Procopium liberasse ciuitatem Scythopolitanam obsessam a sex millibus Agarenis, quos omnes virtute Crucis cōfisus duabus tantum militum cohortibus quas ducebat occidit, nullo penitus ex suis desiderato. Quo modo autem postea lararium matris ingressus, deos aureos & argenteos comminuit, ac frustatim concisos in pauperes erogauit, cuius rei causa ab eadem ipsius matre apud Imperatorem constitutus est reus impietatis; et quonam pacto ab eo scribitur ad Præsidem Palæstinæ, vt in eum legibus agat: et rursum quo modo de eodem sæpius a Iudice quæstionibus repetitis, diuersis tormentorum generibus sæpe exagitatus, demum gladio capite truncatus promeruit coronam martyrij, eiusdem Acta pluribus narrant, adduntq. de duarum cohortium militibus Christianis cum eorum ducibus Antiocho & Nicostrato ab eodem Procopio ad coronam præmissis; nec non Theodosię eius matris ad Christum conuersæ cum duodecim alijs feminis Senatorijs nobile pro Christi fide certamen atque victoriam fusius prosequuntur; ad quæ inspicienda lectorem reijcimus.

b Concil. Nic. 2. Act. 4.
c Metaph. die 8. Iulij apud Sur. tom. 4.

Sed vt ad Eusebium redeamus: ad huius septimi persecutionis anni terminum eiusmodi appendicem addit [d], sic dicens: Quæ vero interea temporis contra Ecclesiarum Præsides transigi contigerit; et quo pacto diuina iustitia peccati vltrix, pro pastoribus ouium & gregis Christi rationalis

d Euseb. lib. 8. c. 12.
MORES DEPRAVATI.

A rationalis,cui parum prudenter & considerate præfuissent, non modo camelorum (quod est animalis genus cum rationis expers, tum maxime natura incuruatum & deforme) curatores effecerit, illique quasi debito illis supplicio addixerit, verum etiam equis Imperatorum alendis destinarit. Quot etiam contumelias, quot ignominiæ notas, quot tormentorum genera ab Imperatorum procuratoribus & magistratibus per varia tempora pro sacris Ecclesiarum vasis & thesauro ipsi subierint; quanta ambitione, honorumque cupiditate multi eorum flagrarint, quàm temere & contra leges manus nonnullis imposuerint: quæ inter ipsos fidei confessores schismata:quæ mala nuper quidam seditiosi contra Ecclesiæ membra, quæ reliqua erant, dum nouas res vnam post aliam excogitare laborabant toto pectore, vt dicitur,machinati fuerint, inclementerque asperis persecutionis calamitatibus obtriuerint, & mala denique malis exaggerarint: hæc omnia a me prætereunda esse arbitror; præsertim cum ea memoriæ commendare, sicut in principio huius libri posui, minime nostrarum partium esse putem; quippe qui eorum explicationem admodum euitare & effugere cupiam. Verum siquæ decora sint, quæq. verbum Dei commendent, siqua virtus sit,siqua laus in Ecclesia splenduerit: ista explanare, ista scribere, ista fidelibus auribus inculcare, mihi in primis accommodatum arbitratus, præclaris eximiorum martyrum rebus gestis,& pace quæ nobis postea cęlitus elucebat,extremam partem huius libri mihi illustrandam censeo.] hucusque Eusebius, iam ad ea quæ octauo persecutionis anno contigerunt, stylum conuertens.

At eiusmodi eius consilium (quod & superius diximus) animũ non mediocriter in suspicionem adducit; cur qui hactenus schismata & hæreses,prauosq. mores,qui in Ecclesiam quouis tẽpore irrepserunt,dicere non prætermiserit;nunc præter accurati historici officium ab his abstineat. Rursus vero quòd illis vitio tribuat, qui Præsides cùm essent Ecclesiarum,camelorum vel equorum curæ fuerint mancipati, ac ne vasa thesaurosque Ecclesiæ proderent, acriter excruciati, idque illis ignominiæ vertat; cùm alioqui etiamsi fuissent antea vita turpissimi,flagitiosissimique, confessione tamen nominis Christi ea omnia patientes (nam si negassent,haud eiusmodi supplicia subijssent) omnes apud Deum & homines ignominiæ anteactæ vitæ notas expungere,& immensis gloriæ cumulis augeri potuissent:quòd inquam hoc nomine eis detrahat, atque condemnet, infensum in eos præsefert animum,& priuatis affectibus mentem indicat exagitatam:quamobrem, vt illud de eo opiner,inducit:hominem (quod dictum est) semel lapsum, ab Episcopis communicatione fidelium, vt moris est,interdictum,hisce eos contumelijs proscidisse, iniurijs lacerasse, criminaque coaceruando, confessionis & martyrij summam eorum gloriam obscurare voluisse. EVSEBII FIDES SVSPECTA.

Ceterum quod ad eiusmodi supplicij genus spectat, quo Episcopi confitentes, ad maiorem contumeliam, quàm si millies mortis supplicio afficerentur, curæ iumentorum adscriberentur: hoc ipso tempore id passum esse a Maxentio tyranno Marcellum Papam, liber in primis de Romanis Pontificibus docet his verbis: Hic coarctatus & tentus est, eo quòd Ecclesiam ordinaret, & comprehensus a Maxentio, vt negaret se esse Episcopum, & sacrificijs se humiliaret dæmoniorum: qui semper contemnens & deridens præcepta Maxentij, damnatus est in catabulum.] fuisse autem catabulum stabulum iumentorum, quæ publicæ inseruirent vtilitati, satis declarauimus in nostris Notis [a]. idem est ergo quod dicitur damnatum esse Marcellum in catabulum, quod apud Eusebium de alijs quoque traditur, esse destinatos ad alendos equos Imperatorum. EPISCOPI DAMNATI AD CATABVLVM. a Not. ad Martyrolog.Rom. die 16.Ianuar.c.

Porro vt in præsentiarum de Maxentio Marcellum Romæ vexante agamus: ex ijs quæ superius de eo dicta sunt, constat vafrum hominem simulasse Christianam se fidem sectari velle, & de Christianis omnibus tum in Africa, & vbique sub eius ditione, tum Romæ præsertim agentibus fuisse optime meritum. Cum autem extinctis Seuero Cæsare, & Alexandro in Africa res nouas molientibus, firmasse Imperium, sibi visus est: quod intus latebat impietatis, aperuit, & Marcellum Romæ primum appetijt, blandis antea verbis suadens a fide Christiana recedere, ac dijs patrijs immolare. Extat eiusdem Marcelli ad Maxentium hoc argumento scripta epistola; de qua haud adeo mirari quis debet, si ipse Marcellus Maxentium perinde ac hominem propemodũ Christianum compellet,quippe(quod sæpius repetendũ est)Maxentius fidem Christianã se percepisse simularat. quòd vero diuersi ab ordinarijs in ea Cõsules scripti legantur:ciuile inter Imperatores conflatũ bellum potuit esse in causa, vt quisque trium Imperatorum ex sententia Consules sponte crearet, nec ea in re cum alijs consentiret:nam & secũdi,immo & quarti Consulatus Maxentij in libro de Romanis Pontificibus mẽtio habetur,cum tamen nullus Maxentij Consulatus scriptus reperiatur in Fastis.Sed in his non immoramur, quòd alijs testificationibus Acta Marcelli sarta tecta cõfirmataq. habeãtur. MAXENTIVS QVID IN MARCELLVM.

Ceterum epistolam illam additamentum aliquod extrinsecus accepisse putamus, quòd res ibi scriptæ parum sibi cohæreāt: sed hæc alijs relinquimus, & de ipso Marcello alias opportunius. A

At non in Christianos tantum, sed & in ciues omnes Maxentius, spolians eos diuitiis, auitisq. substātijs, grassabatur: hic quippe illc annus est millesimus sexagesimus ab Vrbe condita, cuius meminit Orator ille in Panegyrico dicto post victoriam Constantino, cum [a] ait: Mille & sexaginta annis contractas ex toto Orbe diuitias, monstrum illud redemptis in ciuile latrocinium manibus, ingesserat: ad hoc aliena matrimonia, innocentium capita, cum bonis passim donando, vsque ad mortem deuotionis obstrinxerat, parricidas omnes insidiatos sibi, aut palam aliquid pro libertate conatos pœnis affecerat, armis oppresserat: et inter hæc vtebatur eius Vrbis maiestate quam ceperat, totam Italiam conductis ad omne facinus satellitibus oppleuerat.] hæc ibi; sed ad Eusebium redeamus.

a Panegyric. Constantin. 1.

Inter Episcopos autem qui his persecutionis temporibus in crimen ab eo proditæ fidei adducuntur, vnus nominatur Stephanus Laodicensis Ecclesiæ, quæ est in Syria, Præses, de quo hæc alibi [b] ait: Anatolio e vita exeunte, postremus ante persecutionem illi Ecclesiæ præficitur Stephanus: qui quamquam cum propter philosophiæ cognitionem, tum propter reliquam liberalem eruditionem apud multos in magna admiratione fuit: tamen propter animum eius, quo erat erga sacram fidem haud sincere affectus, non tantum laudis meruit, sicut tempore persecutionis progrediente (quod illum simulatorem, timidū, & ignauum potius, quàm verum philosophum declarabat) perspicue patefactum fuit. et quamuis eius inconstantia & leuitate Ecclesiæ illius status videretur ruina collapsurus: fuit tamen Dei Saluatoris clementia sustentatus: idque quia confestim Theodotus, vir sane & re ipsa, & proprio nomine (Theodotus a Deo datus dicitur) illius Ecclesiæ Episcopus designatus, se vere Episcopum demonstrauit: nam vt in medicina, quæ ad corporum curationem pertinet, sic in animorum morbis sanandis primas fere tulit; humanitatis autem, morum probitatis, clementiæ, commiserationis, & studij causa, quod in eos ostendit, qui opem ab eo poscebant, facile omnes superauit: in sacris quoque disciplinis multus erat ei vsus & crebra exercitatio. Sed de eo satis.] Passi autem in eadem Laodicensi Ecclesia hac persecutione reperiuntur Trophimus & Thalus [c], sub Præfecto Asclepiade; alia vero die ibidem pro fide Christi tuenda Artemon [d] presbyter strenue concertauit. horum omnium memoria tum apud Græcos, tum etiam apud Latinos perseuerat, diebus natalitijs solita repeti annuatim. At de his modo satis. B C

b Euseb. lib. 7. c. vltim.

EPISCOPI LAODICENSES.

c Martyrolog. Rom. 11. Martij.

d Martyrolog. Rom. 8. Octobr.

Eodem quoque anno, qui numeratur tertius Imperij Maximini, Quirinus (inquit Eusebius [e]) Episcopus Sciscianus (est Sciscia ciuitas in Illyrico) gloriose pro Christo interficitur: nam manuali mola ad collum ligata, e ponte præcipitatus in flumen, diutissime supernatauit, & cum spectantibus collocutus, ne sui terrerentur exemplo, vix orans, vt mergeretur, obtinuit.] hæc Eusebius. At Prudentius [f] cecinit eius martyrium sacro hymno. Eadem quoque persecutione vrgente in Illyrico passus est Vrsicius martyr sub Aristide Præside: Spalati Felix, Sirmij Irenæus Episcopus sub Præside Probo acerrimis tormentis vexatus, longoque carcere afflictatus, tandem abscisso capite martyrium magna gloria consummauit. Drizipare eiusdem prouinciæ ciuitate passus est Alexander martyr miraculorum post obitum virtute Orbi notissimus. Eodem quoque tempore penes Græcos Maximus, Quintilianus, & Dada idem certamen obierunt. extant eorum Acta, sed deprauata nonnihil. Insuper & Theodorus, Oceanus, Ammianus, ac Iulianus, alio vero loco Charitine, sed & alia quoque die Eusebius, Neon, Leontius, Longinus, & alij, quorum omnium memoria, natalitiis diebus anniuersaria [g] celebritate repetitis, hactenus in Ecclesia perseuerat. D

e Euseb. in Chronic. hoc anno.

QVIRINI ET ALIORVM CERTAMEN.

f Prudent. Peristeph. hym. 7.

g Martyrolog. Rom. diuersis diebus.

Quod vero spectat ad res in Africana Ecclesia gestas, conflato semel (vt pluribus dictum est) aduersum Cæcilianum Episcopum Carthaginensem schismate Donatistarum, Maiorino contra eum in sede locato; adiunctis ad eam factionem Numidis Episcopis, solicitatisque Mauritanis, datis vbique litteris calumnijs in Cæcilianum refertis, allectisque ad suam ipsorum communicationem etiā ijs qui in persecutione lapsi essent, impiis Traditoribus; ijdem totam pene Africam suis partibus adiunxerunt, & hoc ipso anno trecentesimooctauo, qui numeratur quadragesimus ante tempora Macariana, quæ cœperunt anno Domini trecentesimo quadragesimooctauo (vt suo loco perspicuum fiet) collegerunt Concilium (mirum dictu) ducentorum septuaginta Episcoporum, cuius S. Augustinus meminit ex Tychonij cōmentarijs, cum scribens ad Vincentium, ait [h]: Scribit enim ille Tychonius, homo, vt dixi, vestræ communionis, a ducentis & septuaginta Episcopis vestris Concilium Carthagine celebratum. In quo Concilio per septuaginta & quinque dies, postpositis omnibus præteritis, limatā esse sententiam atque decretā, vt Traditoribus immensi criminis reis, si baptizari nollent, pro integris communi- E

CONCILIVM SCHISMATICORVM IN AFRICA.

h August. Epist. 48.

A communicaretur. Deuterium etiam Macrinensem Episcopum communionis vestræ dicit Traditorum plebem congregatam Ecclesiæ miscuisse, & secundum statuta illius Concilij a ducentis & septuaginta Episcopis vestris facti, fecisse cum Traditoribus vnitatem, eiq. Deuterio post hoc factum iugiter communicasse Donatum; nec solum huic Deuterio, sed etiam vniuersis Maurorum Episcopis per quadraginta annos, quos dicit vsque ad persecutionem per Macarium factam, Traditoribus sine baptismo communicasse.] hęc de numeroso Concilio schismaticorum.

Sed cur huius memoria penes ipsos remansit penitus antiquata, cum de Concilio paucorum Episcoporum ante biennium contra Cæcilianum Carthagine itidem congregato, frequentissima sit apud eos mentio (citarunt enim illud sæpe, secumq. attulerunt, & publice recitari petierunt in maximo illo Conuentu, quo ex Imperatoris mandato publica Collatio decre- CONCILIVM CVR SVPPRES-SVM.
B ta est) huius vero memoria, quæ celebrior esse debuisset, penitus visa est excidisse? Sed ea apertissima omnibus causa præcessit, quòd cum schismatici traditionis labe fœdati (vt dictum est) se purissimos esse atque innocentissimos ostentarent, nec se, nec suos vmquam eiusmodi criminis labe esse maculatos, bellumq. se gerere aduersus Cæcilianum ac eius socios eiusmodi nota conspersos iustitiæ amore iactarent: cum ex dicto numeroso Concilio redargui possent ex Traditorum gregibus collectam esse suam ipsorum, quam ostentare solerēt, copiosam multitudinem: magno studio curarunt, vt dictum Concilium ab hominum memoria penitus deleretur. quamobrem S. Augustinus post multa ab se scripta ad Vincentium, mox pergit, sic eum compellans [a]: Sed dicis: Quis est iste Tychonius? (qui scilicet hæc de eo Concilio meminit) [a] Ead. epist. 48.
Ille est Tychonius quem Parmenianus (princeps Donatistarum erat iste) rescribendo compescit, & eum deterret ne talia scribat: non tamen refellit ea ipsa quæ scribit; sed vno, sicut supra
C dixi, eum premit, quòd cum talia diceret de Ecclesia toto Orbe diffusa, & quod neminem in eius vnitate macularent aliena peccata; ab Afrorum se tamen quasi Traditorum contagione remouebat, & erat in parte Donati. Posset autem dicere Parmenianus, ista cum omnia esse mentitum. Sed sicut idem Tychonius commemorat, adhuc viuebant multi, per quos hæc certissima & apertissima esse ostenderentur.] hucusque Augustinus, qui alias sæpe de eodem Donatistarum Concilio meminit. Quid autem post hæc ab ijsdem schismaticis actum sit, cum Constantinus Roma, Maxentio deuicto, potitus est, suo loco dicemus.

IESV CHRISTI ANNVS	MARCELLI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
309.	6.	4.

D QVI sequitur annus Christi trecentesimusnonus, nullis nouis creatis Consulibus adscribitur Consularibus Fastis; sed quòd deessent Consules ordinarij, vel potius qui subrogati fuerant, expuncti essent, idem annus post Consulatum anni superioris, nempe Diocletiani & Maximiani, notatus a Cassiodoro atque alijs ponitur. In libro autem de Romanis Pontificibus annus præsens adscriptus videtur Consulatu Maxentij quarto atque Maximi: Maxentius enim etiam anno superiore, vna cum filio Romulo, suffectum gesserat Consulatum: quem Cæsarem creans, M. Aurelium Valerium Maxentium nominauit, vt veteres docent inscriptiones [b]. Sic igitur præsentem annum nequaquam Consulibus ordinarijs caruisse putamus, sed quòd Consulatu Maxentij notatus esset, ipso a Constantino superato, & ob ipsius in Romanos ciues sæuitiam, duramq. tyrannidem, Romanæ Reipublicæ perduelle iudicato, eius [b] Recitat eas Panuin. in Fastorū comment. CONSVLATVS E TABVLIS DEMPTI.
E memoria e publicis monumentis abrasa penitus fuerit, sicq. annus Maxentij Consulatu notatus, post Consulatum Diocletiani ac Maximiani habeatur inscriptus: licet olim ea fuisset penes Romanos (vt tradit Tacitus [c]) consuetudo, ne Consules, quantumlibet criminosi fuissent, expungerentur e publicis tabulis. Nam cum de abradendo a Fastis nomine Pisonis, qui reus haberetur Germanici obitus, esset sententia Aurelij Cottæ Consulis: ab Imperatore tamen secus decretum est; cum, vt aiebat, Marci Antonij qui patriæ bellum fecisset, & Iulij Antonij qui domum Augusti violasset, nomina adscripta Fastis manerent: quod etiam ad hæc tempora seruatum esse constat, cum turpissimi quoque homines, quiq. Imperium tyrannide occupauerint, creati Consules, notati in Fastis Consularibus perseuerent. Fit præterea, vt dictum est, mentio in eodem Commentario in Melchiade, de secundo Consulatu Maxentij, & vt existimo, ordinario; qui tamen habita Consulatuum suffectorum ratione, quartus adnumeratur. Quis enim credere posset toto sexennio, quo Maxentius gessit Imperium, numquam egisse Consulem ordinarium? nec tamen vllus eorum annus eius Consulatu adscriptus in Fastis habetur, [c] Tacit. lib. 3. Annal.

habetur; cum alioqui præsens annus, Maxentij & Maximi Consulatu, citato loco notatus habeatur. A

MARCELLI PAP. EXITVS.

Quibus Consulibus S. Marcellus Papa mortuus ponitur, cum sedisset annos quinque, mensem vnum, & dies vigintiquinque: licet de mensium numero alij aliter statuant: habito tamen respectu ad annum, mensem, atque diem, quo prædecessor Marcellinus vita functus est, recensitum superius tempus sedis eius recte numeratum inuenies. De rebus autem ab eo gestis, hæc in eodem libro scripta habentur: Hic fecit cœmeterium via Salaria, & vigintiquinque Titulos in Vrbe constituit, quasi diœceses propter baptismum & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex Paganis, & propter sepulturas martyrum.] Quòd enim (vt diximus ex Eusebio atque Optato) ipso sui Imperij exordio fauere admodum videretur Maxentius Christianis, componendi dissipatam longa persecutione Ecclesiam Marcellus Papa consilium inijt, atque perfecit: quòd vero maior in dies ex Gentilibus ad Ecclesiam accessio fieret, parœcias B illas per diuersas Vrbis regiones commoditati publicæ consecrauit. Tantum abfuit, vt, quod Imperatoribus persecutoribus erat in optatis, de religione Christiana penitus tollenda, effici potuerit, vt potius longe lateq. eadem fuerit amplius propagata; cum & ad sepulturas martyrum Tituli illi a Marcello compositi esse tradantur: nam illud quoque videtur a Maxentio fuisse Ecclesiæ Romanæ concessum, vt corpora Christianorum martyrum sepelire liceret intra Vrbem, quod olim vetitum erat lege duodecim [a] Tabularum: Cæsari vero tantum a Senatu (vt tradit Dio [b]) concessum fuit intra mœnia sepeliri. Rursus vero ibidem: Hic ordinauit vigintiquinque presbyteros in Vrbe Roma, & duos diaconos per mensem Decembrem, Episcopos per diuersa loca vigintiunum] inter quos numeratur Emygdius Episcopus Asculanus, qui sub eadem Diocletiani persecutione martyrij coronam accepit Nonis Augusti.

a Cic. de Legib. lib. 2.
b Dio hist. Rom. lib. 44.

At de Marcello hæc ibidem de his quæ sub eodem Maxentio passus est; quæ alia occasione C superius relata sunt: Hic coarctatus & tentus est, quòd Ecclesiam ordinaret, & comprehensus a Maxentio, vt negaret se esse Episcopum, & sacrificijs se humiliaret dæmoniorum: qui semper contemnens & deridens præcepta Maxentij, damnatus est in catabulum (stabulum scilicet iumentorum publico vsui adscriptorum) qui dum multis diebus seruiret in catabulo, orationibus & ieiunijs Domino seruire non cessabat. Mense autem nono venerunt clerici eius omnes, & eruerunt eum noctu de catabulo. Matrona autem quædam, nomine Lucina vidua, quę vixerat cum viro Marco annis quindecim, & in viduitate sua habebat annos nouendecim, suscepit beatum virum, quæ & domum suam nomine Tituli beati Marcelli dedicauit, vbi diu noctuq. hymnis & orationibus Domino Iesu Christo confitebantur. His auditis a Maxentio; misit & tenuit iterum beatum Marcellum, & iussit in eadem ecclesia iterum plancas exsterni (nempe tabulas planas, vt Festus declarat) vt ibidem animalia catabuli congregata starent, & D ipsis beatus Marcellus deseruiret. Qui tandem in seruitio animalium nudus, amictus cilicio, defunctus est. Cuius corpus collegit beata Lucina, & sepeliuit in cœmeterio Priscillæ via Salaria, decimoseptimo Kalendas Februarij: et cessauit Episcopatus eius dies viginti: Lucina vero proscriptione damnata est.] hucusque ibi.

c Apud Sur. tomo 1. die 16. Ianuarij.

MARCELLI ACTA MENDOSA.

Extant Marcelli Papæ Acta [c], in nonnullis tamen (vt superius quoque attigimus) corrigenda; vt quod ad præsentem rem spectat, de tempore quo Marcellus passus, loco Maximini, Maxentius restituendus est. Rursum vero cum in ijsdem agitur de Cyriaco diacono cum Largo atque Smaragdo misso a Diocletiano ad Saporem Regem Persarum, vt eius filiam a dæmone obsessam liberaret, & quæ habentur de eodem Rege Persarum ab eodem baptizato, haud nobis satis arrident. nam cum duo fuerint Sapores Reges Persarum, senior claruit temporibus Valeriani Imperatoris, quem & captiuum duxit, & ignominiose vsque ad obitum vsus est, de E quo Iulius Capitolinus [d], Trebellius, Victor, Eutropius, Zosimus, & alij: hunc vero victum ab Odenato Palmyrenorum Rege, Trebellius [e] auctor est. Post hunc vero regnasse ponũtur in Perside [f] Hormisdas, & Vararanes, ac tertio loco Narses. Est mentio de Narsete apud Vopiscum in Probo; hũc vero fuisse auum Saporis iunioris atque Hormisdę eius fratris, testatur Eutropius [g], aduersus quem bellum gessit (vt dictum est secundo Tomo Annalium) Galerius Maximianus, de quo triumphum egisse Diocletianum anno decimooctauo sui Imperij, Eusebius tradit in Chronico; licet Cassiodorus, quem refellimus, eiusmodi triumphum, in aliud tempus referat. Huic autem Narseti successisse Misdatem, tenuisseq. regnum annos septem & menses nouem, testatur Agathias [h], post quem regnasse Saporem affirmat, quem dicimus iuniorem, regnumque cepisse hoc anno, dici fortasse posse videtur, si Narsetem desijsse regnare dixerimus ab eo tempore, quo a Romanis est superatus. Sic igitur nullo pacto seniori, sed iuniori Sapori potius ea quæ scribuntur in Actis Marcelli forent aptanda. Verum nulla est memoria, eum

d Iul. Capitol. in Gordiano.
Trebel. in Valer.
Victor in Valer.
Eutropius lib. 9.
Zosimus. lib. 1.

SERIES REGVM PERSARVM.

e Trebell. in Galliene.
f Agath. hist. lib. 4.
g Eutrop. lib 9.
h Agath. vbi supra lib. 4.

A eum fuisse aliquando Christianum; quod non reticuisset Constantinus, cum ad eum litteras scribens, quæ adhuc extant [a], commendat illi Christianos, qui erant in Perside. porro ab hoc eodem Sapore diram persecutionē aduersus Christianos fuisse excitatam, Sozomenus [b], Theodoretus [c], & alij testantur. Quamobrem tota illa historia de profectione Cyriaci cum socijs in Persiden, deq. filia Regis, ipsoq. Sapore cum alijs baptizatis, fide nutat, ac veritate vacillat. Si secus alijs placet, ipsi viderint: nos pro recta ratione temporum hæc oportuit discussisse.

a Apud Euseb. in Vita Constantin. lib. 4. c. 9 usque 13. & Theodoret. lib. 1. c. 25. b Sozom. lib. 2. c. 8. c Theodoret. lib. 1. c. 24. in fine.

Ceterum quod spectat ad chronologiam Regum Persarum, in quam obiter incidimus; antiquorum neminem præter vnum Agathiam reperi, qui eam ordine temporum texat, incipiens ab Artaxerse, quem regnare cœpisse tradit anno quarto post Alexandrum Imp. est is annus Domini ducentesimus quadragesimus, eumq. tenuisse regnū ait annos quindecim minus duobus mensibus: huic autē successisse Saporem seniorem, regnasseq. annos triginta integros, inq.

B locum eius suffectum Hormisdam, qui annum tantum, decemque insuper dies regnarit; post quem Vararanes idem tenuerit annos tres & menses quatuor; Narses vero in eius locum subrogatus, regnum possederit annos septem, & menses nouem, totidem Misdates * eius successor, post quem successerit Sapor iunior, de quo est sermo, quem vixisse Regem tradit annos septuaginta: vt non mirum sit si vsque ad Consulatum tertium Gratiani cum Equitio, qui contigit anno Domini trecentesimo septuagesimoquarto, memoria extet eiusdem Saporis aduersus Romanos bellantis [d]. Sed Agathias errare conuincitur, primo in Narsete, cuius regni exordium secundum statutam ab eo chronologiam perperam incidere videtur in annum Domini ducentesimum nonagesimum; cum constet ex Vopisco [e], sub Probo ante uixisse, & saltem vsque ad decimumoctauum annum Diocletiani vitam produxisse. Verum & in eo corrigēdus est, dum de Sapore iuniore, quem diximus, agens, ait vigesimoquarto anno regni sui accepisse

* al. Arbasira

d Apud Ammian. lib. 30.

e Vopisc. in Probo.

C a Iouiniano tunc creato Imperatore oblatam Nisibin ciuitatem, quod contigit anno Domini trecentesimo sexagesimotertio: qua ratione dicendū esset, inchoatū esse regnum Saporis anno Domini trecentesimo trigesimonono, biennio post obitum Constantini: quod quidem absurdissimum est, cum ex ijs quæ dicta sunt, constet eum vixisse etiam sub Constantino. At de his modo satis: quæ voluimus inculcasse ad exactiorem rerum ac temporum veritatem insinuandam. Marcello igitur, vt dictum est, martyrio coronato, cum sedes cessasset dies viginti, quinta Februarij creatur Eusebius natione Græcus.

EVSEBIVS PAPA.

Quod vero pertinet ad Lucinæ proscriptionem; quòd enim donasset bona sua Ecclesiæ (vt citata Acta declarant) videtur eiusmodi de proscriptione subijsse iudicium: vetitum id edicto

D Imperatoris erat: quam legem Constantinus [f] postea abrogauit. His plane temporibus accidisse putamus, quæ incerto annò scribit Zosimus Romæ contigisse de incenso Fortunæ templo, & turbis ea de causa excitatis: narrat enim hæc ipse his verbis [g]: Romæ tunc orto igne, incertum ex aere, an e terra, templum Fortunæ conflagrauit. Cumq. restinguendi incendij causa concurrissent omnes, contumeliosis quibusdam in ipsum numen a milite quodam prolatis verbis, atque propterea interempto a plebe, quæ religionis causa hominem adorta fuerat: seditio militaris est concitata, qua milites parum abfuit quin ad Vrbis internecionem progrederentur, nisi Maxentius eorum furorem celerius mitigasset.] hucusque Zosimus; qui cum religionis causa hæc dicat concitata; facile adducor, vt credam fuisse illum militem Christianum, qui spreti numinis causa a plebe necatus est.

f De Episc. & Cler. l. 4. Cod. Theodosian.

g Zosim. lib. 2.

Rursum quod ad Maxentium spectat, quanta turpitudine cum crudelitate cōiuncta affectus

E fuerit, atque diris & enormibus facinoribus Dei Ecclesiā Romę exagitarit, Eusebius [h] tradit his verbis: In omnia scelera præceps delapsus, nullum impietatis, nullum intēperantiæ facinus prætermisit; quippe adulterij, & cuiuscumque vitiositatis corruptela se contaminauit: legitimas vxores viris eripuit, easq. turpissima ignominia contumeliaq. affectas ad viros denuo remisit: atque hæc non in ignobiles solum & obscuros quidem homines moliri cœpit, sed in illos, qui in Senatu Romano principem locum tenuerunt, quiq. fuerunt facile præstantissimi, effrenatius insultare. Omnes vero tum populus, tum magistratus illum grauiter metuentes, acerba vexabantur tyrannide, neque tamen ipsis, quantumuis pacato & tranquillo animo asperam ferentibus seruitutem, vlla extitit liberatio tyrannicæ crudelitatis in eorum internecionem grassantis. Nam quodam tempore leui admodum occasione arrepta, populum in cædem satellitibus suis exposuit: infinitaq. populi Romani multitudo in media ciuitate, non Scytharum, non barbarorum, sed domesticorum suorum hastis & armis cuiuscumque generis misere trucidata fuit. Quanta cædes facta sit; qui Senatorum propter insidias, quæ parabātur illorum diuitijs, erant,

MAXENTII SAEVITIA, ET TVRPITVDO.

h Euseb. lib. 8. c. 26.

nunc

nunc vno nunc alio crimine falso in eos confictọ, e medio sublati, vix percenseri potest. Ad A extremum vero istius scelera delabebantur ad magicarum præstigiarum commēta: quippe interdum mulieres grauidas diffecuit, nonnumquam tenerorum infantium scrutatus est viscera, aliquando leones mactauit; nefandas non raro adiurationes ad dæmones excitandos, quo illorum subsidio bellum ingruens depelleret auerteretq. vsurpauit. Istarum namque rerum adiumento spes in illius mente insidebat, victoriam ex animi sententia sibi successuram.

Iste igitur Romæ tyrannidem exercens, vix dici poterit, quæ molitus sit, quo homines suo Imperio subiectos in seruitutem redigeret: vsque adeo, vt iam in tanta penuria & egestate alimentorum ad vitam necessariorum constituerentur, quantam non alias Romæ viguisse, homines nostri temporis affirmant.] et post multa de rebus Maximini, deprauatisq. eius vitæ moribus dicta, ad Maxentium rursum rediens, hæc ait de Romana muliere: Verum illa mulier Romæ maxime admirabilis, quæ ex omnibus, quibuscum Maxentius tyrannus ibi non dissimilem B a Maximino turpitudinem admittere conabatur, & nobilissima reuera & modestissima fuit. Hæc enim simulatque audierat, eos qui Tyranni rogatu talia administrare solent, pro foribus ædium astare (Christiana etiam ipsa erat) & virum suum, qui fuit Præfectus Romanorum, metus causa, eos ipsam arreptam permisisse abducere; paulolum temporis poposcit, vt corpus suum decenter exornaret. Itaque cubiculum ingreditur, & cum sola esset, ense seipsam transfigit, & mortua statim concidit, cadauere perductoribus Imperatoris relicto. Quæ suis rebus gestis omni voce ac sono multo clarius personantibus, omnibus hominibus, cum qui iam sunt, tum qui post futuri sunt, palam fecit, solam Christianorum continentiam nec pecunia expugnari, nec morte extingui posse.] hæc Eusebius.

SOPHRONIAE ROMANAE FEMINAE CONSTANTIA.

At quamuis sibi violentas manus inferre, nec Gentilis nec lex Christiana concedat: tamen (quod de Sampsone S. Augustinus [a] ait) quia latenter Spiritum sanctum hoc iussisse putādum, C extra illorum classem reponenda est Sophronia (sic eam Ruffinus [b] appellat) qui tædio vitæ vel desperatione viuendi eiusmodi scelus perpetrasse dicuntur. At certe Lucretiæ præferenda, quod illa post pollutum sordibus corpus, etsi non animum, mortem sibi consciuit; hæc autem antequam corpus, vel vestis ipsa a Tyranno contingeretur, gladio seipsam, eluso Imperatore, animo inuicto transfodit. Sed & Lucretiæ illas S. Augustinus feminas Christianas præfert, quæ vim passæ a nece sui temperauerunt: nam ait [c]: Non hoc feminæ Christianæ fecerunt, quę passæ similia viuunt: tamen nec in se vltæ sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua, si quoniam hostes in eis concupiscendo stupra commiserant, illæ in seipsis homicidia erubescendo committerent. habent quidem gloriam castitatis, testimonium conscientiæ: habent autem coram oculis Dei sui, nec requirunt amplius, vbi quid recte faciant, non amplius habent, ne deuient ab auctoritate legis diuinæ, cum male deuitant offensionem suspicionis hu- D manæ.] hæc Augustinus.

a Aug. de Ciuit. Dei lib. 1. c. 21.
b Ruffin. lib. 8. c. 17.
c Aug. eod. lib. c. 19.

Ceterum quod ad Sophroniæ spectat exemplum; non vna, sed plures feminæ Christianæ, ne dispendium castitatis vel in corpore paterentur, idem durum iter consciscendæ sibi mortis ante arripuerunt; vt inter alias Pelagia virgo Antiochena, eiusdemq. mater & sorores, quas simul S. Ambrosius [d] mirifice laudat, dum res ab eis gestas his verbis describit: S. Pelagia apud Antiochiam quondam fuit annorum fere quindecim soror virginum & ipsa virgo. Hæc primo domi classico persecutionis inclusa, cum se a prædonibus fidei vel pudoris circumsederi videret, absente matre & sororibus, vacua præsidio, sed Deo plenior: Quid agimus, inquit, nisi prospicias, captiua virginitas? & votum est, & metus est mori, quia mors non excipitur, sed asciscitur. Moriamur scilicet, vel si nolunt licere, moriamur. Deus remedio non offenditur, & facinus fides ableuat. Certe si vim ipsam nominis cogitemus; quæuis voluntaria, illa magis est vis, mori E velle, nec posse. Nec difficultatē veremur. Quis enim est, qui vult mori, & nō possit, cum sint ad mortem tam procliues viæ? Iam enim sacrilegas aras præcipitata subuertam, & accensos focos cruore restinguā. Non timeo ne dextera deficiens non peragat ictum, nec pectus se dolore subducat. Nullum peccatū carni relinquam, non verebor ne desit gladius. Possumus mori nostris armis, possumus mori sine carnificis beneficio. Matris in gremio fertur ornasse caput, nuptialē induisse vestē; vt non ad mortē ire diceres, sed ad sponsum.] hæc de Pelagia virgine S. Ambrosius, quæ e sublimi domus tecto spōtaneo pręcipitio manus carnificis, & sententiā Principis, qui lenonibus Christianas feminas condemnabat, elusit: quam etiā gentilis eius S. Ioānes Chrysostomus sæpe pro cōcione laudauit: extant [e] enim duæ eo argumēto ab ipso dictæ pręclaræ orationes. Est etiā illustris mentio in Actis [f] Luciani martyris presbyteri Antiocheni de eadē Pelagia in hæc verba: Aiunt autem Pelagiam quoque fuisse ex eius (nempe Luciani) discipulis, quæ Antiochiæ Syriæ vixit: quæ etiā dicitur e tecto altissimo seipsam deiecisse, cum accessissent qui

PELAGIA VIRGO.
d Ambros. de Virgin. lib. 3.
e Habetur ap. Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 3. die 9. Iunij.
f Apud Sur. tomo 1. die 7. Ianuarij ex Græc.

A eam erant comprehensuri; timens ne abominandum quid per vim sustineret (erat enim virgo:) & eo modo esse mortuam: quam etiam in hodiernum vsque diem honorant, tamquam martyrem, qui sunt amantes martyrum.] hæc ibi ex Ioanne presbytero Nicomediensi, qui Acta Luciani conscripsit.

At quid Pelagiæ mater, quidve sorores in eodem discrimine positæ, fecerint; idem Ambrosius eamdem prosequutus historiam, narrat, sic dicens: Ast vbi detestandi persecutores ereptā sibi viderunt prædam pudoris, matrem & sororem cœperunt quærere. Verum illæ spirituali volatu iam campum castitatis tenebant. Cum subito hinc persecutoribus iniminentibus, inde torrente fluuio exclusæ a fuga, inclusæ ad coronam: Quid veremur? inquiunt: Ecce aqua: quis nos baptizari prohibet? Et hoc baptisma est, quo peccata donantur, regna quæruntur: & hoc baptisma est, post quod nemo delinquit. Excipiat nos aqua, quæ regenerare consue- PELAGIAE MATER, ET SORORES.
B uit: excipiat nos aqua, quæ virgines facit: excipiat nos aqua, quæ cælum aperit, infirmos tegit, mortem abscondit, martyres reddit. Te rerum conditor precamur, Deus, ne exanimata spiritu corpora vel vnda dispergat, ne mors separet funera, quarum vitam non separauit affectus: sed sit vna constantia, vna mors, vna etiam sepultura.

Hæc effatæ, & suspensæ, paululum incincto * sinu, quo pudorem tegerent, nec gressum impedirent, consertis manibus, tamquam chorus ducerent, in medium progrediuntur alueum; vbi vnda torrentior, vbi profundum abruptius, illuc vestigia dirigenres: nulla pedem retulit: nulla suspendit incessum: nulla tentauit vbi gressum figeret: anxiæ, dum terra occurreret, offensæ vado, lætæ profundo. Videres piam matrem stringentem nodo manus, gaudere de pignore, timere de casu, ne sibi filias vel fluctus auferret: Has tibi, inquit, hostias, Christe, immolo, præsules virginitatis, duces castitatis, comites passionis. Sed quis miretur tantam vi- * succincto
C uentibus fuisse constantiam; cum etiam defunctæ immobilem stationem corporum vendicauerint? non cadauera vnda nudauit, non rapidi cursus fluminis volutarunt: quin etiam sancta mater, licet sensu carens, pietatis tamen adhuc seruabat amplexum; & religiosum, quem strinxerat nodum, nec morte laxabat; vt quæ religioni debitum soluerat, pietate herede, mereretur: nam quas ad martyrium iunxerat, vsque ad tumulum vendicabat.] hucusque sanctus Ambrosius.

Eamdem prope historiam de matre ac duabus filiabus virginibus Antiochenis narrat Eusebius, ab Ambrosio paulo diuerse: vt a nonnullis reuocetur in dubium, num vna eademq. personarum earumdem sit contexta narratio. quamobrem quæ sunt ab Eusebio [a] scripta, hic attexere, dignum putamus. Agens enim de martyribus Antiochenis, hæc ait: Ex quibus nonnulli priusquam capti erant, & in manus insidiatorum venerant, ne rei periculum facerent, ex a Euseb. lib. 8. c. 24.
D altis ædium tabulatis se præcipites deiecerunt; sicq. sua morte insignire, impios præda, quam in illis affectandis se capturos sperabant, omnino priuare statuerūt.] his Eusebius plane noscitur signasse Pelagiam; at quæ sequuntur, matrem atque sorores monstrare videntur, licet paulo diuerse ab Ambrosio rem gestam recenseat, cum ait: Inter quos erat mulier quædam sancta, admirabilis, corporis figura mulier quidem, virtute autem animi plane vir, alijsq. rebus præ ceteris Antiochiæ ciuibus, vt diuitijs, generis nobilitate, & gloria apud omnes eximia: quæ quidem geminas filias virgines, corporis pulchritudine, & ætate integra præstantes habuit, easq. pietatis institutis studiose educauerat. Hæc mulier, cum quidam improbi in eam eiusq. filias graui inuidia incensi, illas in obscuro latitantes omni ratione vestigandas curiose laborassent: et postea certiores facti ipsas in aliena regione versari, Antiochiam accersendas sedulo curassent, ac iam plane quasi satellitum retibus circumiectæ tenerentur: hæc mulier,
E inquam, simulac cùm se, tum filias in eiusmodi discrimina venisse videret; & acerba tormenta, quæ ab hominibus infligerentur, illis oratione exposuisset; & de stupro, re plane tormentis intolerabiliore, quo aduersarij eas violaturos minarentur (de quo ne verbum quidem ad extremas aures vel ipsa vel illæ allabi sinere deberent) eas sedulo admonuisset: cum etiam animas dæmonum seruituti tradere, omnibus mortis & exitij generibus deterius esse docuisset: omnium istorum malorum liberationē esse, ad Deum tamquam ad portum salutis confugere. Vnde omnes simul vno animorum consensu & sententia conueniunt; corpora vestibus decenter adornant: ac cum ad medium iter ventum esset; paululum de via decedendi, naturalis necessitatis explendæ causa, postulant a satellitibus, qui eas ducebant, potestatem; qua impetrata, derepente ad fluuij ripam profectæ, se in profluentem gurgitem præcipitarunt. Atque istæ quidem hoc genere mortis se sua sponte affecerunt.] hæc de his Eusebius.

Sed vt ad Pelagiam redeamus, quam se dedisse præcipitem, ne a satellitibus teneretur, iam diximus: Natalis dies eius tabulis Ecclesiasticis celebritate annua repetendus, & festo die colendus

lendus (vt S. Ioannes Chryſoſtomus tradit) Antiochiæ ſolemnis erat; cum alioqui eius memoria tam Orientali, quàm etiam Occidentali Eccleſiæ ab rei euentus exordio in præſens celebris perſeueret. At non tantum ipſam, ſed & matrem & ſorores, quæ ſeſe flumini, ab eo abſumendas dedere, antiquitas Eccleſiaſtica habuit in honore. Harum enim meminiſſe viſus eſt S. Auguſtinus [a], qui paulo temperantius agens, quòd ſuo tempore Circumcellionum, qui ſtulta cupiditate martyrij, mortē ſibi cōſciſcerent, vigebat inſania, hæc de his ait: Sed quædam, inquiunt, ſanctæ feminæ tempore perſecutionis, vt inſectatores ſuæ pudicitiæ deuitarent, in rapturum atque necaturum ſe flumen proiecerunt; eoq. modo defunctæ ſunt: earumq. martyria in Catholica Eccleſia, veneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temere audeo iudicare. Vtrum enim Eccleſiæ aliquibus fide dignis teſtificationibus, vt earum memoriam ſic honoret, diuina perſuaſerit auctoritas, neſcio: et fieri poteſt, vt ita ſit. Quid enim ſi hoc fecerunt, non humanitus deceptæ, ſed diuinitus iuſſæ, nec errantes, ſed obedientes; ſicut de Sampſone aliud nobis fas non eſt credere? Cum autem Deus iubet, ſeq. iubere, ſine vllis ambagibus intimat: quis obedientiam in crimen vocet? quis obſequium pietatis accuſet? &c.] at de his hactenus.

a Aug. de Ciuit. Dei lib. 1. c. 26.

PERSECVTIONIS ANNVS OCTAVVS.

Iam res geſtas in Oriente hoc anno, qui ab Euſebio numeratur perſecutionis octauus, eodem auctore deſcribendas aggrediamur: Cum ſeptimus (inquit [b]) annus perſecutionis contra nos intentatæ iam prope eſſet confectus, & res noſtræ ſenſim, & quaſi tacito greſſu ad quādam tranquillitatem ſecuritatemq. prolaberentur, & ad octauum annum deflecterent, in quo non exigua confeſſorum multitudo apud metalla in Palæſtina cogebatur: qui magna iam in ritibus religionis perfungendis vtebantur libertate; adeo vt domos in eccleſias ædificarent: Præfectus prouinciæ vir ſæuus & improbus, qualem ſcelera eius in martyres Chriſti admiſſa ipſum plane commonſtrabant, eo ſtatim profectus; ſimulatque facta & vitæ inſtitutionem eorum, qui ibi agebant, audierat, Imperatorem facit per litteras certiorem; et in ijſdem ea quæ ad eorum famam violandam maxime valere putabat, ad eum perſcribit. Vnde qui metallorum venis præerat, eo acceſſit, & tamquam ex Imperatoris mandato confeſſorum ſegregauit multitudinem, ſicq. diſtribuit, vt deinceps alij Cyprum, alij Libanum incolerent; alios etiam in alia Palæſtinæ loca diſpertiens, omnes varijs laborum moleſtijs vexari, conteriq. præcepit: deinde quatuor ex eorum numero eximens, qui principem locum inter eos tenere videbantur, ad Magiſtrum equitum mittit. Quorum duo, Peleus, & Nilus, appellabantur Aegyptiorum Epiſcopi, tertius presbyter fuit; his etiam quartus acceſſit Patermythius, vir propter ſingulare erga omnes pietatis ſtudium facile clariſſimus. Ex quibus Magiſter equitum religionis & fidei in Chriſtum inficiationem poſtulat; atque haud voti compos factus, eos ignis incendijs cremandos tradit. Alij rurſum ex confeſſoribus, qui aut propter ingraueſcentem ætatem, aut membra inutilia, aut alias corporis infirmitates erant illo operum miniſterio ſoluti, illuc in locum ſeparatum ad incolendum amandati; quorum primas tulit Siluanus Epiſcopus Gazæ, qui pium virtutis ſpecimen & egregium exemplar Chriſtianiſmi omnibus oſtendit. Iſte a prima die perſecutionis (prope dixerim) ad extremum vſque per totum temporis ſpatium varijs certaminibus pro crebra fidei confeſſione decurſis nobilitatus, ad illum temporis articulum reſeruabatur, vt omnia certamina martyrum in Palæſtina interfectorum, poſtremus quaſi ſigillo cruoris obſignaret.

b Euſeb. lib. 8. c. 22.

IOANNES AEGYPTIVS CAECVS.

Cum eo coniuncti erant ex Aegypto complures, inter quos erat Ioannes, qui memoriæ bonitate facile omnes noſtri temporis ſuperauit: et quamquam antea luminibus orbatus erat; tamen tortores adeo ſæui, truculenti, crudeles & immanes fuerunt, vt propter egregiam in Chriſti nomine confitendo conſtantiam, qua magnopere excellebat, tum ignitis cauterijs eius pedem pari ratione cum alijs prorſus labefactarent, tum pupillam oculi, quæ viſum amiſerat, candente ferro exurerent. Eum autem ob morum probitatem, & piam viuendi rationem, præſertim cum cæcus eſſet, non eſt cur quiſquam tantopere admiretur; quandoquidem illud non tantum habet admirationis, quantum memoriæ vis, quæ quidem integros ſacrarum Scripturarum libros, non in tabulis lapideis, vt ait [c] S. Apoſtolus, neque in animaliū pellibus, membranis, aut charta, quæ vel tineæ conficiunt, vel temporis inſumit diuturnitas, ſed in tabulis reuera cordis carneis, id eſt in animo ſolerti, & ſincera mentis intelligentia, tamquam ſcriptos habuit: adeo vt quando viſum erat, interdum Legis & Prophetarum teſtimonia, ſæpe hiſtorias, nonnumquam Euangelia, aut Apoſtolorum ſcripta memoriter ex animi domicilio, tamquam ex quodam litterarum theſauro proferre potuerit. Ipſe quidem fateor, me, cum primum hominem in media Eccleſiæ multitudine ac frequentia ſtantem, & quaſdam diuinæ Scripturæ partes recitantem animaduerterem, penitus obſtupuiſſe. Nam quamdiu vocem illius ſolum

c 2. Corinth. 3.

A audire licebat, tamdiu aliquem (vti in populi conuentibus in Ecclesia mos est) ex scripto legisse putabam: sed vbi quamproxime ad eum accedens, quod factum erat, euidenter conspicabar, & alios omnes integris oculis & apertis vndique circumsistentes, hunc autem solis mentis luminibus vtentem, & reuera non pauca velut Prophetam proloquentem, & multis partibus eos, quibus corporis sensus sani & valentes erant, superantem: non potui, non Deum ea de re tum summis laudibus efferre, tum in primis admirari. Et euidens certe ac firmum argumentum mihi videre videbar, eum reipsa & veritate hominem esse, qui non externa corporis forma & specie oculis subijcitur, sed qui in ipso animo & interiore cogitatione residet: qui quidem in isto, licet corpus deformatum mancumq. esset, maiorem tamen interioris suæ facultatis virtutem declarauit. Illis autem, quos diximus, in loco separato commorantibus, & consueta ipsorum vitæ instituta in orationibus, in ieiunijs, in reliquis exercitationibus exequenti-
B bus, Deus ipse dexteram benignam & propitiam porrigens, largitus est, vt per martyrium salutarem vitæ exitum consequerentur. Hostis namque & aduersarius noster diabolus eos quidem, vtpote precibus attentissime ad Deum fusis, contra ipsum armatos non amplius ferre poterat; sed sicuti putabat, molestiam ipsi exhibentes, trucidare, & e terra tollere instituit. Quippe Deus illi hoc agere molienti, potestatem concessit; vt pariter nec ipse ab improbitate, quam dedita opera decreuisset, vlla ex parte arceretur; et hi præclara pro multis suis & varijs certaminibus præmia iam tandem acciperent. Ea de causa ex scelestissimi Maximini Imperatoris mandato, vno die vndequadraginta martyres capitis pœna mulctantur. Ista sunt martyria octo annis integris in Palæstina patrata.] hucusque Eusebius anni huius persecutionis octaui prosequutus est Sanctorum martyria.

Quæ vero acciderint duobus alijs vltimis annis, nempe nono ac decimo; haud ita distincte,
C sed paucis exceptis, diuersarum prouinciarum martyres tantum generatim complexus est: ac primum de his quæ gesta essent in Phrygia, digna memoria, eiusmodi narrationem [a] instituit: Verum quid opus est multa persequi, & nouas piorum martyrum per Orbem dimicationes alteras alteri succedentes proferre, eorum quidem maxime, qui non communi lege, sed more & instituto bellico essent vndique obsessi, oppugnatique? Iamdudum enim vrbs Christianorũ, quæ est in Phrygia, vniuersa vnà cum populo eiusdẽ, ab hominibus armatis obsidione vndique cincta fuit; et dum viri simul cum ceteris liberis, & vxoribus, Christi Dei omnipotentis opem inuocabant, facibus ardentibus iniectis incensa: propterea quòd tum vniuersus populus, qui ciuitatem incoluit, tum Curator eiusdem, & Præfectus Præsidij pariter cum magistratibus & priuatis omnibus, se Christianos ingenue profitebantur: neque infidelibus, qui eos idolis hostias offerre mandauerant, vlla ex parte volebant obtemperare. Quidam autem Adaucus
D nomine, dignitate a Romanis ornatus, genere apud Italos clarus, omni fere honorum gradu ab Imperatoribus potitus, & Magistri officiorum, & Quæstoris generalis munera integre & incorrupte executus, & præter hæc omnia præclaris pietatis officijs & confessionibus fidei in Christum insigniter nobilitatus; tandem Quæstoris generalis, pro pietatis defensione, dum adhuc munere fungebatur, certamen ingressus, illustri martyrij corona gloriose redimitus fuit.] hæc de his ipse. Sed & Lactantius, qui his temporibus docebat (vt dictum est) Rhetoricam Nicomediæ, exprobrans multis Imperatoris sæuitiam, & Iudicum illi parentium immanitatem condemnans, de vniuerso populo ab vno illorum in Phrygia concremato meminit, his plane quæ narrata sunt ab Eusebio, consentientia sic [b] scribens:

Ijs igitur hominibus, qui deorum suorum moribus congruunt, quia grauis est & acerba iustitia, eamdem impietatem suam, qua in ceteris rebus vtuntur, aduersus iustos violenter exer-
E cent: nec immerito a Prophetis bestiæ nominantur. præclare itaque M. Tullius: Etenim si nemo est (inquit) qui mori malit, quàm conuerti in aliquam figuram bestiæ, quamuis mentem hominis habiturus: quanto est miserius in hominis figura animo esse efferato? mihi quidem tanto videtur, quanto est præstabilior animus corpore. aspernantur itaque corpora belluarum, quibus sunt ipsi sæuiores, sibiq. adeo placent quòd homines sint nati, quorum nihil nisi lineamenta & summam figuram gerunt. Nam quis Caucasus, quæ India, quæ Hyrcania tam immanes, tam sanguinarias bestias vnquam aluit? Quoniam ferarum omnium rabies vsque ad ventris satietatem furit, fameq. sedata, protinus conquiescit: illa est vera bestia, cuius vna iussione funditur ater vbique cruor, crudelis vbique luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago. Nemo huius tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ vno loco recubans, tamen per totum Orbem dentibus ferreis sæuit, & non tantum artus hominũ dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres fundit, ne quis extet sepulturæ locus: quasi vero id affectent, qui Deum confitentur, vt ad eorũ sepulchra veniatur, ac non vt ipsi ad eum perueniãt.

[a] Euseb. lib. 8. c. 13.

PHRYGES MARTYRES.

[b] Lactant. lib. 5. c. 11.

Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem viuis, terram mortuis denegasse? A

Dico igitur nihil esse miserius ijs hominibus, quos ministros furoris alieni, quos satellites impiæ iussionis necessitas aut inuenit, aut fecit. Non enim honor ille, aut prouectio dignitatis fuit, sed hominis damnatio ad carnificinam, Dei vero ad pœnam sempiternam. Quæ autem per totum Orbem singuli gesserint, enarrare impossibile est: quis enim voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? Accepta enim potestate pro suis moribus quisque sæuit. Alij præ nimia timiditate plus ausi sunt, quàm iubebantur: alij suo proprio aduersus iustos odio: quidam naturali mentis feritate: nonnulli vt placerent, & hoc officio viam sibi ad altiora munirent: alij ad occidendum præcipites extiterunt, sicut vnus in Phrygia, qui vniuersum populum cum ipso pariter conuenticulo concremauit. sed hic quanto sæuior, tanto clementior inuenitur: illud vero pessimum genus est, cui clementiæ species falsa blanditur; ille sæuior, ille grauior est carnifex, qui neminem statuit occidere. Itaque dici non B potest, huiusmodi Iudices quanta & quàm grauia tormentorum genera excogitauerint, vt ad effectum propositi sui peruenirent, &c.] subdit his alia quæ gesta sunt in Bithynia, de quibus nos suo loco superius.

Sed vt quæ ab Eusebio scripta sunt, ordine prosequamur: post enarratos qui in Phrygia passi sunt ciues omnes ciuitatis vnius Christiani martyres, & quæ in Arabia, Mesopotamia, & Cappadocia aduersus fideles gesta sunt summatim collecta, quæ superius alio loco posuimus, hæc adijcit [a] de martyribus Antiochenis: Quid opus etiam eorum qui Antiochiæ martyrium subierunt, memoriam renouare? quorum alij candentibus craticulis suppositis ad mortem vsque, sed ad longinquum & diuturnum cruciatum assati; alij dexteram in rogum immittere maluerunt, quàm eadem detestandas victimas attingere?] et post narrata quæ a nobis paulo ante recensita sunt de Pelagia præcipitio extincta, ac matre cum sororibus seipsas in flumen C dantibus, hæc addit: At alias geminas virgines etiam Antiochiæ, omnibus rebus valde præstabiles, vere germanas sorores, inclytas genere, vitæ integritate insignes, ætate adolescentulas, venustas corpore, animo graues & venerandas, moribus pias, studio & industria admirabiles, adeo vt terra impia, non digna videretur, quæ tales sustentaret; in vastos maris fluctus nefarij dæmonum ministri immergere præceperunt.] hæc de geminis Antiochenis virginibus Eusebius. Sed dignum est, vt quæ de alia quoque Antiochena virgine ab Ambrosio pereleganti scripta sunt stylo, his attexamus; quod personarum, loci, ac temporis ratio postulare videtur: nimirum vt virginibus virginem coniungamus, gentilem gentilibus; quæ & hoc nouissimo quoque persecutionis tempore passa esse censeatur, quod declarat dum his verbis narrationem [b] aggreditur:

a Eusseb. lib. 8. c. 24.

b Ambros. lib. 3. de Virg.

VIRGO A PROSTIBVLO LIBERATA.

Recens vobis exemplum profero, vt intelligatis, Apostolum non vnius esse doctorem, sed D omnium. Antiochiæ nuper virgo quædam fuit fugitans publici vsus: sed quo magis virorum vitabat aspectum, eo amplius incendebat: pulchritudo enim audita nec visa plus desideratur, duobus stimulis cupiditatum, amoris & cognitionis, dum & nihil occurrit, quod minus placeat, & plus putatur esse, quod placeat, quod non iudex oculus explorat, sed animus amator exoptat. Itaque sancta virgo, ne diutius alerentur potiendæ spe cupiditatis, integritatem pudoris professa, sic restinxit improborum faces, vt non iam amaretur, sed produceretur. Ecce persecutio: puella fugere nescia, certe pauida, ne incideret in insidiatores pudoris, animum ad virtutem parauit; tam religiosa, vt mortem non timeret; tam pudica, vt expectaret. Venit coronæ dies; maxima omnium expectatio. Producitur puella duplex professa certamen, & castitatis, & religionis. Sed vbi viderunt constantiam professionis, metum pudoris, paratam ad cruciatus, erubescentem ad aspectus; excogitare cœperunt, quemadmodum specie castita- E tis religionem tollerent: vt cum id abstulissent quod erat amplius, etiam id eriperent quod reliquerant. Aut sacrificare virginem, aut lupanari prostitui iubent. Quo modo deos suos colunt, qui sic vindicant: aut quemadmodum ipsi viuunt, qui ita iudicant?

Hic puella, non quòd de religione ambigeret, sed de pudore trepidaret ipsa secum: Quid agimus hodie? Aut martyr, aut virgo; altera nobis inuidetur corona: sed nec virginis nomen agnoscitur, vbi virginitatis auctor negatur. Nam quemadmodum virgo, si meretricem colas? quemadmodum virgo, si adulteros diligas? quemadmodum virgo, si amorem petas? Tolerabilius est enim mentem virginem, quàm carnem habere: vtrumque bonum, si liceat: si non liceat, saltem non homini castæ, sed Deo simus. Et Raab meretrix fuit, sed postquam Deo credidit, salutem inuenit. Et Iudith se, vt adultero placeret, ornauit: quæ tamen quia hoc religione, nó amore faciebat, nemo eam adulteram iudicabat. Bene successit exemplum. Nam si illa, quæ se commisit religioni, & pudorem seruauit, & patriam: fortassis & nos seruando religioné, seruabi-

A seruabimus etiam castitatem. quòd si Iudith pudicitiam religioni præferre voluisset, perdita patria etiam pudicitiam perdidisset. Itaque talibus informata exemplis, simul animo tenens verba Domini, quibus ait [a]: Quicumque perdiderit animam suam propter me, inueniet eam: [a] Matth. 10. fleuit & tacuit, ne eam vel loquentem adulter audiret; nec pudoris elegit iniuriam, sed Christi recusauit. Aestimate vtrum adulterare potuerit corpus, quæ nec vocem adulterauit.

Iam dudum verecundatur oratio mea, & quasi audire gestorum seriem criminosam, atque explanare formidat: claudant aurem virgines Dei. Ducitur puella Dei ad lupanar: sed aperite aurem virgines Dei: Virgo prostitui potest, adulterari non potest. Vbicumque Dei virgo est, Dei templum est: nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam. Ingens petulantium concursus ad fornicem. Discite martyrum miracula, sanctæ virgines dediscite locorum vocabula. Clauditur intus columba: strepunt accipitres foris: certant singuli, qui prædam primus inuadat. B At illa manibus ad cælum leuatis, quasi ad domum venisset orationis, non ad libidinis diuersorium: Christe (inquit) qui domuisti Danieli virgini feros leones, potes etiam domare hominum feras mentes. Chaldæis rorauit ignis: Iudæis se vnda suspendit misericordia tua, non natura sua: Susanna ad supplicium genu fixit, & de adulteris triumphauit. Aruit dextera, quæ templi tui dona violabat. Nunc templum ipsum attrectatur tuum: ne patiaris incestum sacrilegij, qui non passus es furtum: Benedicatur & nunc nomen tuum, vt quæ ad adulterium veni, virgo discedam.

Vix compleuerat precem, & ecce vir militis specie terribilis irrupit. Quemadmodum eum virgo vidit, tremuit, cui populus tremens cessit. Sed non illa immemor lectionis: Et [b] Daniel [b] Daniel. 13. (inquit) suppliciū Susannæ spectaturus aduenerat; & quam populus damnauit, vnus absoluit: potest & in hoc lupi habitu ouis latere: habet & Christus milites suos, qui etiā legiones haber. C Aut fortasse percussor intrauit: ne verear e anima, talis solet martyres facere. O virgo, Fides tua te saluā fecit. Cui miles: Ne quæso paueas, soror: frater huc veni, saluare animam, nō perdere. Serua me, vt ipsa serueris. quasi adulter ingressus; si vis, martyr egrediar. Vestiméta mutemus: conueniunt mihi tua, & mea tibi, sed vtraque Christo. Tua vestis me verum militē faciet, mea te virginem. bene tu vestieris; ego melius exuar, vt me persecutor agnoscat. Sume habitum qui abscondat feminam; trade qui cōsecret martyrem: induere chlamydem, quæ occultet membra virginis, seruet pudorem. sume pileum, qui tegat crines, abscondat ora. Solent erubescere qui lupanar intrauerint. Sane cum egressa fueris, ne respicias retro, memor vxoris Loth [c], quę naturam [c] Genes. 19. suam, quia impudicos, licet castis oculis, aspexit, amisit. Nec vereare ne quid pereat sacrificio. Ego pro te hostiam Deo reddo: tu pro me militem Christo: habes bonā militiam castitatis, quæ stipendijs militat sempiternis, loricam iustitiæ, quæ spiritali munimine corpus includat; D scutum fidei, quo vulnus repellas, galeam salutis: ibi enim est præsidium nostræ salutis, vbi Christus est: quoniam mulieris caput vir, virginis Christus. Et intra hæc verba chlamydem exuit; suspectus tamen adhuc habitus & persecutoris & adulteri. Virgo ceruicem, chlamydem cœpit miles offerre. Quæ pompa illa, quæ gratia, cum in lupanari de martyrio certarent? Adduntur personæ, miles & virgo, hoc est dissimiles inter se natura, sed Dei miseratione consimiles, vt compleatur oraculum [d]: Tunc lupi & agni simul pascentur. Ecce agna & lupus, non so- [d] Esai. 65. lum pascuntur simul, sed etiam immolantur. Quid plura? mutato habitu, euolat puella de laqueo, iam non suis alis, vtpote quæ spiritalibus ferebatur, & (quod nulla vmquam viderunt sæcula) egreditur de lupanari virgo, sed Christi. At illi qui videbant oculis, & non videbant, ceu raptores ad agnam, lupi fremere ad prædam.

Vnus qui erat immodice districtior, introiuit. sed vbi hausit oculis rei textum: Quid hoc E (inquit) est? puella ingressa est, vir videtur: ecce non fabulosum illud, cerua pro virgine; sed quod verum est, miles ex virgine. At etiam audieram, & non credideram, quòd aquas Christus in vina conuertit [e]: iam mutare cœpit & sexus. Recedamus hinc, dum adhuc qui fuimus, [e] Ioan. 2. sumus: numquid & ipse mutatus sum, qui aliud cerno, quàm credo? Ad lupanar veni, cerno vadimonium, & tamen mutatus egrediar: pudicus exibo, qui adulter intraui. Indicio rei, quia debebátur tanto corona victori; damnatus est pro virgine, qui pro virgine comprehensus est. Ita de lupanari non solum virgo, sed etiam martyres exierunt. Fertur puella ad locum supplicij cucurrisse, certasse ambo de nece; cum ille diceret: Ego sum iussus occidi: te absoluit sententia, quando me tenuit. At illa clamare cœpit: Non ego te mortis vadem elegi, sed prædem pudoris optaui. Si pudor quæritur, manet sexus; si sanguis exposcitur, fideiussorem non desidero: habeo vnde dissoluam: in me lata est ista sententia, quæ pro me lata est. Certe si pecuniæ te fideiussorem dedissem, & absente me Iudex tuum censum fœneratori adiudicasset, eadem me sententia conuenires, meo patrimonio soluerem tuos nexus: si recusarem, quis me indi-

gnam morte censeret? quanto maior est capitis huius vsura? moriar innocens, ne moriar nocens. nihil hic medium est: hodie aut rea ero tui sanguinis, aut martyr mei. Si cito redij; quis me audet excludere? Si moram feci; quis audet absoluere? plus legibus debeo rea non solum fugæ meæ, sed etiam cædis alienæ: sufficiunt membra morti, quæ non sufficiebant iniuriæ: est in virgine vulneri locus, qui non erat contumeliæ: ego opprobrium declinaui, non martyrium tibi cessi. Vestem, non professionem mutaui. quòd si mihi præripis mortem, non redemisti me, sed circumuenisti: caue ne quæso contendas, caue ne contradicere audiaris. noli eripere beneficium quod dedisti; dum mihi hanc sententiam negas, illam restituis superiorem. Sententia enim sententia superiore mutatur. Si posterior me non tenet, superior tenet. Possumus vterque satisfacere sententiæ, si me prius patiaris occidi. In te non habent aliam quàm exerceant pœnam; in virgine obnoxius pudor est. Itaque gloriosior eris, si videaris de adultera martyrem fecisse, quàm de martyre adulteram reddidisse. Quid expectatis? duo contenderunt, & ambo vicerunt; nec diuisa est corona, sed addita. Ita sancti martyres inuicem sibi beneficia conferentes, altera principium martyrij dedit, alter dedit effectum.] hæc S. Ambrosius de agone virginis Antiochenæ, & militis eius pudorem seruantis, & martyrium promerentis. A B

VIRGINES PROSTITVTAE ET LIBERATAE.

a Basil. de vera Virginitate.

Quòd porro frequens esset, hac potissimum persecutione nouissima, Christianas feminas in confessione perstantes, tradi prostibulo illudẽdas, vt compluribus exemplis superius est demonstratum, dictumq. ex S. Basilij [a] sententia Christum eisdem semper præsto fuisse, varijsq. modis a turpitudine vindicasse: haud mirum videri debet, si his quæ scribit S. Ambrosius persimilia facta legantur in alijs quoque virginibus. Et quid ni præstãtes virtute milites Christiani, cum viderent candidas integritate Christi columbas tradi lenonibus deturpandas, hæc, hisq. maiora prẽstarent? quis fidelium videns sic prostitui castissimas virgines, corde excruciatus non omne volueret mente consilium, agitaretq. animo curam omnem vt eas ab imminenti periculo liberaret? Dulce plane cuiquam videri posset dispendium vitæ, quo ab auaro turpiq. lenone redimeretur pretiosa virginitas, comparareturq. celsior corona martyrij, duplici insignita victoria, confessione fidei & defensione pudoris; cuius causa consequendæ, cum se daret occasio, laborasse fideles, nullus iure poterit dubitare. quamobrem haud mirum, inquam, videri debet, si persimiles casus diuersis in locis acciderint: vt in primis quod Alexandriæ contigisse traditur de Didymo Christiano homine, qui vt nobilem virginem Alexandrinã Theodoram nomine ad lupanar damnatam eriperet, galeam, ocreas, & cetera militaria superinduens indumenta, comparato sibi, ex more, maiori pecuniarum vi aditu, accessit ad virginem; quam, galea tecto vnà cum vultu capite, accinctam gladio, baltheoq. decoram abire coegit: et re comperta, qui loco virginis remanserat obses, damnatus capite, martyrium consequutus est, illa omnino libera permanente: vt appareat hanc esse diuersam ab illa, quæ ab Ambrosio describitur. Extat rei insigniter gestæ nobile monumentum, ipsa inquam Acta [b] accurate conscripta & fide perstantia. Rursus alia extant Acta [c] de Antonina virgine & Alexandro, qui eadem quoque arte ipsam a stupro vindicauit: cum postea ambo dire cruciati, manibus præcisis, igne absumendi traditi, coronam martyrij consequuti sunt: quorum omnium natalitijs diebus in Ecclesia Dei tum apud Græcos, tum etiam Latinos, memoria viget. Sed & Palladius [d] Corinthi persimile memoratis exemplis accidisse testatur de Christiano homine, Agente in rebus (erat is magistratus in militia Palatina) qui persoluto pro virgine prostituta ingenti prioris noctis pretio, illam suo induram habitu liberauit, cum Præses indignatus sic se ab eo esse delusum, ad bestias hominem damnauit: qui earum feritate discerptus, martyrij corona donatus a Deo est. Et quid mirum si sic liberatæ sunt a viris virgines prostitutæ, cum & Lacedæmonios viros feminæ coninges (quod tradit Valerius [e]) eadem quoque arte ex arcto carcere, habitu item mentito, subduxerint? C D E

b Ex Metaphraste apud Sur. tomo 2. die 5. Apr.

c Apud eundem die 4. May.

d Pallad. in Lausiac. c. 53.

e Valer. Max. lib. 4. c. 6. exter. c. 3.

EVPHRASIAE EGREGIVM FACTVM.

f Niceph. lib. 7. c. 13.

At præter hæc, quæ Antiochiæ, Alexandriæ, & Corinthi accidisse vidimus; Nicomediæ quoque contigit nobile facinus Euphrasiæ virginis, quæ hac eadem Diocletiani persecutione vrgente, cum illi sedi (vt dictum est) S. Anthimus præesset Episcopus, ad lupanar itidem damnata, mira quadam arte excogitata, & virginitatis integritati prospexit, & coronæ martyrij percupide lucrum fecit; de qua post alia hæc tradit Nicephorus [f]: Vbi iam in eodem est conclaui cum improbo iuuene clausa: techna quadam illum circumuenit; veneficam se esse profitetur, mercedemq. ingentem conseruatæ pudicitiæ pollicetur, quæ eum a morte conseruet, pharmacum scilicet, quo ille perunctus, in bellorum certaminibus & prælijs nullo prorsus telo aut ferro violari, aut confici posset. Quòd si de tali remedio (inquit) periculum

A lum facere vis, illico id tibi manifeste exhibebo. Ille id statim parari permittit. Tum illa vere sapiens ceram oleo liquefactam, manibusq. subactam, collo suo circumcirca inungens, illinit. quod vbi perfecit; petere eum iugulum suum ense quibus posset viribus adacto, remedijq. eius vim & efficaciam experiri iubet. Atque ille quàm potuit validissime ensem in eam demisit, caputq. eius ictu vno resecuit.] hæc Nicephorus: quæ vulgaris Poeta ille vulgo plane atque triuio tantum dignus, hacq. ex parte nec nominandus, temere & impie pariter poeticis figmentis attexere non est veritus, e rebus quoque sacris procaciter sibi comparans argumentum. At de virginibus a prostibulo liberatis modo satis. ad Antiochenos martyres redeamus.

Passi itidem Antiochiæ hac persecutione habentur Iulianus, Basilissa, Antonius presbyter, Anastasius, atque alij cõplures ordinis Ecclesiastici viri, quibus accessit Marcionilla cum Celso puero, septemq. fratres, & alij plures, quorum omnium vnà est natalis dies perpetua memoria consecratus [a]. Sed est & alia Basilissa [b] nouem annorum puella Nicomediæ, quæ cum sub Alexandro Præside verbera, ignes, ac bestias superasset, Deum orans, spiritum reddidit. Cum in Syria, quæ Cœle dicitur, plurimi martyres passi habeãtur: in superiori Syria, quæ appellata est Augusta Euphratesia, Sergius & Bacchus clarissimi martyres occubuerũt: quorũ memoria virtute miraculorum, non in Christianos tantum, sed etiam in infideles, vt suo loco dicturi sumus, propagata est. Extant eorum Acta, sed in aliquibus emendanda. Ad Bacchum quemdam rescriptum [c] legitur Diocletiani; sed num hic ille, vel quisnam fuerit, ignoramus.

MARTYRES ANTIOCHENI.

B

a Martyrol. Roman. 9. Ianuar.
b Ibidem die 3. Septemb.

c l. 1. C. ad leg. Visel.

IESV CHRISTI ANNVS	EVSEBII PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
310.	2.	5.

C

Redemptoris nostri annus decimus supra trecentesimum, quòd nullis creatis nouis Consulibus Fastis haberetur adscriptus, post Consulatum Diocletiani secundo notatus reperitur. Vnde autem acciderit, vt duorum annorum Consules desint, anno præterito disseruimus, eamq. attulimus rationem, quòd deleta Maxentij tyranni memoria, ex Fastis pariter expũcti sunt Cõsulatus eiusdem, sed id præter antiquum morem, vt ex [d] Tacito superius dictum est. Cum vero tyrannorum Consulatus deleri cœperunt, vel ex alia causa noui Consules creati non sunt; ne in Fastos, in quibus tempora accuratissime numerari solerent, ob vacuos laterculos Consulatuum error irreperet: optime consultum est, vt sequentes anni post vltimos Consules, signarentur post Consulatum illorum, primo, vel secundo, prout vacasse contigisset. vsitatius itaque inuenitur, vt cum quid post Consulatum factum legitur, intelligi debeat contigisse illud anno sequenti a superioris anni Consulibus, quod Acta [e] a S. Augustino citata declarant. Sed & in Concilio Africano hæc leguntur: Quòd si adhuc eius anni Paschæ dies incertus est: ille præcedens adiungatur, in Formatis scilicet litteris: quo modo solet, Post Consulatum, in publicis Gestis adscribi.] Sed & accidit plerumque, vt etiam cum certi sint alicuius anni Consules, tamen Acta publica post Consulatum anni superioris Consulum interdum consignata habeantur: quod aliquando honoris causa factum esse videri potest: nam Acta Concilij Ephesini adnotantur, Post Consulatum Theodosij Imperatoris & Valentiniani: cum tamen constet eodem anno Consules creatos esse Bassum & Antiochum. hæc igitur ad elucidationem temporum non oportuit præterijsse: quòd frequenter accidat reperiri in Fastis notatos annos, Post Consulatum.

d Tacit. Annal. lib. 3.

POST CONSVLATVM QVANDO NOTATI ANNI.

D

e August. in Breuic. Collat. diei 3. c. 17.

Sed iam quæ hoc ipso anno gesta sunt; ordine temporum prosequamur. Numeratur ex his quæ dicta sunt superius ex Eusebij calculo annus hic nonus cœptæ a Diocletiano persecutionis: quo ipso anno (vt idem tradit Eusebius [f]) magnus ille Petrus Episcopus Alexandrinus martyrium consummauit: ait enim hæc de eo: Hic duodecim annis continuis in eo officio fungendo summa cum dignitate inter primos floruit: qui cum triennium prope ante persecutionis tempus in Ecclesia illa gubernanda contriuisset, de reliquo vitam duriore exercitatione ac magis seuera traduxit: et (vti omnibus constabat) Ecclesiarum vtilitati omni cura ac studio prospexit: ac propterea nono persecutionis anno, capite amputato, fuit a Deo insigni martyrij corona donatus.] hæc Eusebius: vnde idem ipse corrigitur, dum habet in Chronico, anno septimo Constantini Achillam Petro esse suffectum; perperamq. ponit anno Domini trecentesimo decimooctauo id contigisse. Verum potius dixerim, mendum in codicẽ irrepsisse, quàm eumdem auctorem sibiipsi contrariũ adeo enormiter lapsum esse. Ideimq. de restituta sub Maximino persecutione dum agit, hæc ait [g] de Petro: Per idem tempus Petrus, qui Ecclesiæ Alexãdrinæ maxima cum dignitate præfuerat, quiq. præter ceteros sanctos & diuinos Episcopos,

E

PERSECVTIONIS ANNVS NONVS.

f Euseb. lib. 7. c. vlt. in fine.

g Euseb. lib. 9. c. 5.

cum virtutis causa, quæ in eius vita elucebat, tum studij & vigiliarum, quas in sacras litteras contulerat, prope miraculum extitit: nulla de causa culpave, cum minime expectabat, abreptus subito, ita vt erat, ex Maximini mandato, iniuste capite plectitur; alijq. complures qui in Aegypto erant Episcopi idem cum illo supplicij genus perpessi sunt.] hæc ipse de eius aliorumq. martyrio. Sed idem quoque dum alibi [a] celebriores recenset martyres hac eadem persecutione passos, inter alios adnumerat eumdem Petrum Alexandrinum. Esto igitur firmum ratumq. ex Eusebio annos quibus sedit Petrus exacte definiente, ipsum passum esse anno sedis suæ duodecimo, persecutionis vero nono, tribus antea primis annis in pace Ecclesiæ (vt ait) euolutis. A

[a] Euseb. lib. 8. c. 25.

PETRVS ALEX. EPISC. QVID CVM ARIO.

Sed iam res gestas de eius martyrio fusius prosequamur. Post enim illa, quæ dicta sunt de fuga cum alijs in Palæstinam, aliaq. de carcere, ac schismate a Meletio aduersus ipsum conflato, & iniunctis eius decreto pœnitentijs lapsis: reliquum est, vt de ijs quæ ad eius martyrium spectant, paulo fusius agamus: sed primum, quæ dum esset in carcere ab eo gesta sunt, percurramus. Extant Acta eius martyrij; quæ ex Græco, vt dictum est superius, Anastasius bibliothecarius Latinitate donauit; nonnihil diuersa ab ijs quæ eius nomine edita [b] habentur, sed vberiora, quorum meminimus in Notationibus nostris. De his acturi in primis monemus lectorem, in editis atque hic citatis in margine, perperam legi excommunicatum fuisse Arium diaconum a Petro Episcopo Alexandrino ob hæresin ab ipso excogitatam de Filio Dei, quem minorem Patre asseruisset. hæc quidem in dictis germanis Petri martyrij Actis nequaquam leguntur: sed tantum de Ario, ab ipso Petro Ecclesiastica communione interdictum illi fuisse non ob hæresin aliquam a se inuentam, sed ob schisma, quod cum Meletio, de quo plura superius, conniuisset: a quo cum indulgentiam, rediens ad Ecclesiam, impetrasset, ab eodem Petro postea ordinatus fuit diaconus: sed cum iterum ad Meletium desciuisset; ne amplius reciperetur, idem Petrus admirabili quadam visione admonitus suos contestatus est. quænam vero hæc fuerit, cum paulo ante martyrium interpellatus esset ab Achilla & Alexandro presbyteris Alexandrinis, vt Arium communionem Catholicam iterum dolose affectantem reciperet; his verbis declarant citata a nobis Acta: B C

[b] Sur. tom. 6. die 25. Nouemb.

VISIO OSTENSA PETRO DE ARIO.

Paululum eos Petrus segregauit a ceteris, & clauso eorum sermone, dixit ad eos: Nolite me fratres tamquam inhumanum ac rigidum accipere. Reuera enim & ego homo sum sub lege peccati degens: sed credite meis sermonibus. latens est Arij dolus, omnem superegreditur impietatem. Et hoc non a me ipso asserens, eius sancio segregationem. Hac etenim nocte, dum solemniter preces ad Dominum funderem, astitit mihi quidam puer, quasi duodecim annorum, cuius faciei claritatem ferre non poteram: nam tota hæc cella, in qua stamus, immenso lumine radiabat; ipse autem linostimum erat indutus colobium, scissum in partes vtrasque a collo vsque ad pedes: tenensq. gemina manu colobij scissuras, applicabat eas pectori suo, quatenus propriam tegeret nuditatem. Ad hanc quidem visionem ego miratus, obstupui. Mox vbi data est mihi loquendi fiducia, exclamans dixi: Domine quis scidit tibi indumentum? & ille: Arius mihi scidit: sed præcaue omnino, ne eum in communionem recipias. Ecce enim crastina die venturi sunt, qui te pro eo postulabunt. Vide ne suscipias, acquiescens illis: quin potius iubeto Achillæ & pariter Alexandro presbyteris, qui post tuum exitum recturi sunt Ecclesiam meam, ne aliquatenus illum recipiant. Tu autem futurus es martyr, mortem velocius expleturus.] hæc de Ario. D

A quo nihil de ijs, quæ ad fidem spectant, deductum fuisse in controuersiam, ibi significatur; sed tantum de conniuentia cum Meletio, & leuitate animi eius, vel potius calliditate, qua vt studeret partibus Meletij, subdole Catholicam communionem captabat: quem vt euitaret, diuinitus admonitus Petrus, suos pro ipso interpellantes, quid de Ario in præsentiarum agendum esset, reddidit pariter ex diuino consilio certiores. magni plane negotij res erat, præmonuisse ne Arius reciperetur amplius in Ecclesiam, quam foret scelestissime conscissurus: etenim eo quidem symbolo non tantum quid iam fecisset Arius a partibus Meletij stans, sed quid etiam per hæresin effecturus esset in posterum, fuit sanctissimo martyri demonstratum. Qui igitur ab eodem Petro ob schisma est ab Ecclesia segregatus, postea subdole se Petri successori insinuans ab eo incaute receptus est, & presbyter ordinatus: inde vero ab Alexandro Achillæ successore, vt S. Athanasius [c] ait, noua intercedente hæresis causa, fuit ab Ecclesia Dei fideliumq. communione primo reiectus. Quamobrem vt edita illa Acta adulterata mentiuntur, ita pariter cum eis hallucinantur, qui dicunt Arium a Petro hæresis causa ab Ecclesia fuisse proscriptum; cum nefas sit Athanasio non acquiescere, Alexandro primas ea in re tribuenti. E

[c] Athanas. orat. 1. contra Arianos.

Hæc

A Hæc pridie eius diei, quo martyriũ subijt, contigerunt: quo pariter accidit, vt cum de Imperatoris Maximini rescripto de nece Petro Episcopo inferẽda rumor Alexãdriæ fuisset peruulgatus, Christiani Alexandrini (horum numerus immẽsus erat, & qui si voluissent, magnas turbas ciere, totumq. statum ciuitatis perturbare potuissent) sui pastoris cupidissimi glomeratim ad carcerem, vbi sanctus Episcopus tenebatur, accurrerent, indigno ferentes animo in eum quidquam conflari; parati quoque militiæ armatæ resistere, vitamque ipsam pro carissimo omnium parẽte profundere. Inter eos autem cõplures fuisse sanctissimos monachos, qui vt cõfessoribus in carcere cõstitutis opitularentur, ac præsto essent, e solitudine desertisq. locis Alexandriam venerant, eadem Acta testantur. Sed quinam isti fuerint, post narrationem de Petri martyrio inferius dicturi sumus. Hæc Tribunus militum intelligens, & considerans ne si vi vellet rem agere, dubiam iaceret aleam, temperauit; expectans, vt nocte adueniente, populus B qui pro foribus carceris stabat, ad propria remearet: cum illi vt in omnibus prospectum esset vitæ Antistitis, quæuis mala potius pati, quàm stationem relinquere, parati essent. Quod considerans Petrus, tum amore martyrij, quo diutius flagrarat; tum timore, ne sui causa Christiani cum militibus manus consererent; imminenti periculo præsentis iactura vitæ opportune consulturus, misit sibi inhærentẽ lateri a responsis seniorem ad Tribunum, secreto eum admonens, & viam aperiens, qua collectam frustraret multitudinem; nimirum, vt a parte posteriore carceris, summa nocte cum latomis per posticum via secreta veniret, murumque eo loco perfoderet, quo se intus pulsantem audiret. Quid plura? Res accidit ex vtriusque sententia; effosso pariete, per foramen Petrus clãculo egressus, sese expectantibus dedit militibus, a quibus ducitur ad locum, qui ab incolis dicitur Bucula, vbi S. Marcus quoque martyrium consummauerat, cui & eiusdem Sancti cœmeterium inhærebat: quod, concedente Tribuno, C Petro ingredi licuit, & orare: quibus quidem precibus suum per Marcum Deo martyrium commendauit, Ecclesiam quoque Alexandrinam, omnesque qui tunc erant & futuri essent ibi fideles, vt protegeret, omniumque saluti prospiceret, Deum rogauit; ac denique vt exulem Ecclesiæ pacem tandem postliminio restitueret, enixis precibus postulauit. PETRI ALEX. EPISC. MARTYRIVM.

Sed accidit, vt eodem plane articulo tẽporis sacrata Christo virgo petitionis illius ignara, ijs qui aderant, has a numine allatas voces se audisse, fidem faceret, videlicet: Petrus initium Apostolorum: Petrus finis Episcoporum martyrum Alexandriæ. quod & ex oraculo omnino completum est: nam nouissimus omnium martyrum Episcoporum, qui in Gentilium persecutione sint passi, Petrus habetur. Quid tandem? Absolutis precibus, ad martyrium subeundum se libens volensque composuit: cum milites reueriti maiestatem viri, de eo feriendo hæsitarent, pariterque trepidarent; vix ex eis inuentus est vnus, qui pro pretio quinque solidis D aureis acceptis, exerto gladio, Christi Pontificis caput ictu valido amputauit, sexto Kalendas Decembris prope illucescente iam die; cum sedisset (vt eadem habent Acta) annos duodecim, tres in pace Ecclesiæ, nouem vero persecutionis postea excitatæ temporibus. Sed irrepsit mendum in notam numeri annorum Domini, dum in eis legitur creatus Episcopus anno Domini ducentesimo octogesimoquinto.

His in hunc modum gestis, sub silentio milites recessere; ne fieret aliqua violenta a Christianis impressio, quod admodum metuebant. Sed mirum dictu, abscisso capite in terram delapso, reliqua pars corporis innixa genibus, erecta, firma, immobilisque permansit; donec rem gestam tãdem qui in carcere agebant excubias Christiani audientes accurrerent; qui & sacro pignori circumfusi, irarum obliti, officij memores, prehensare sacrum caput, & veneranda martyris membra amplecti, exosculari, colligere guttas sanguinis, aliaque digna tanto mar- E tyri exhibentes pietatis obsequia, de tumulando corpore honorificentissimo funere consilium iniere, licet de loco fuissent inter se aliquantulum altercati; contendentibus alijs, esse sepeliendum in proximo cœmeterio S. Marci, in quo & sepulti essent prædecessores Episcopi; alijs rursum affirmantibus, in cœmeterium ab eo constructum esse inferendum; quorum sententia frequentiori suffragio obtinuit firmitatem; sicque indutum (vt habent eadem Acta) sanctum Episcopum vestibus sacerdotalibus albi coloris, colobio, & homoforio, nauiculæ impositum (prope litus enim erat) nauigantes retro Pharum per locum qui dicitur Leucada, venerunt ad partem Occidentalem, versus locum vbi erat martyrum cœmeterium, apud quod ab eo pacis tempore erecta fuerat Dei Genitricis Memoria, confluentibus vndique Christianis: satagentibusque singulis suprema pietatis officia cumulate persoluere, eumdem sic indutum sacerdotalibus vestibus perinde ac viuentem in sede S. Marci collocant, indeque sublatum humeris venerandum corpus gestantes triumphali pompa procedunt, habentes in manibus victrices palmas, ardentesque cereos, thuribulaque odoribus incensis fumantia, sacrosque FVNVS ET SEPVLTVRA PETRI ALEXAND. EPISC.

victoriæ

victoriæ hymnos concinentes ad locum perueniunt, vbi cœmeterium a se constructum erat; A
ibique eum honorificentissime, ex more, delibutum vnguentis, sepulturæ mandarunt: quo in loco quiescens, miraculorum virtute viuẽs semper in posterum suis opem exhibuit. hæc omnia fusius scripta a nobis summatim collecta habent germana eius martyrij Acta, quæ e Græcis accepta Anastasius Bibliothecarius Latinis tradidit.

EX THRONO EPISCOPALI MIRA.

Ex quibus illud etiam memoria dignum ab eodem Petro magnæ animi summissionis specimen editũ his attexere æquum existimamus: cum enim ibi agitur de Petri cadauere in Episcopali throno a populo id enixius contendente collocato: cur hoc ipsum præter morem officium fuerit illi a fidelium plebe tunc exhibitum, dum causæ ratio redditur, in hæc propemodum verba historia contexitur: Hic enim beatus Antistes, quando diuini mysterij sacramenta celebrabat, non sicut Ecclesiasticus mos habet, in Pontificali throno, sed in eius suppedaneo scabello sedebat: quod populi aspicientes ægre accipiebant, & conquerentes acclamabant: In tua sede cathedra: et cum crebro idipsum repeterent, surgens Dei minister eiusmodi querelas tranquilla voce sedabat: et iterum in eodem scabello residebat. Cunctis autem hoc humilitatis gratia agi uidebatur. Quadam vero magnæ festiuitatis die, cum sacra mysteria Missæ solemniter perageret; et tale quid facere vellet: non solum populus, sed & clerus consona voce conclamantes dixerunt: Sede in tua sede Episcope. ille autem cuiusdam mysterij conscius hoc audire dissimulauit: datoque tacendi indicio (neque enim quisquam obsistere pertinacius audebat) silere omnes fecit, & nihilominus eidem scabello sedis subsedit: celebratisque ex more Missarum solemnijs, quisque fidelium ad propria repedauit. Vir autem Domini clericis accersitis, intima serenitate tranquillus, arguens eos temeritatis; Cur, inquit, laicorum vocibus admixti, obiurgare me non erubuistis? Attamen quia talis obiurgatio non de iactantiæ cœnoso torrente, sed de purissimo fonte dilectionis manauit: aperiam vobis huius mysterij secretum. Plerumque cùm throno illi approximare volo, video quamdam in eo diuinam sedere virtutem fulgore luminis admodum radiantem: mox ego inter gaudium & pauorem suspensus, agnosco me tantæ sessionis prorsus indignum: et nisi scandali seminarium populo inferre timuissem; haud quidem ipsi scabello sedere ausus fuissem. Inde est, carissimi filij, quòd vobis in hoc pontificalem regulam excedere videor. Veruntamen multoties, quando eam vacantem aspicio (sicuti ipsi testes adestis) more solito in illa sedere non abnuo. quapropter huiusmodi scientes arcanum, & pro certo expertum habentes, quia si mihi fuerit indultum, sedebo super eam, non parui pendens ordinis dignitatem; omittite iam popularibus vlterius fauere inclamationibus. Hæc nimirum pater sanctissimus, dum aduiueret, ad sacrum clerum coactus exposuit.] hucusque de his ibi. Populus itaque, qui reuerentia eius, dum viueret, sæpe in ijs victus fuerat, iam defunctum voluit superasse, collocans venerandum corpus eius, superposito secto capite, in cathedra pontificia. D

a Sophron. Prat. spirit. c. 198.

DE BAPTISMO DOCTRINA.

Sed nec illud de eodem Petro fas est prætermittere, quod de ipso Sophronius [a] suis scriptis testatum reliquit, Athanasij testimonio confirmatum, his verbis: Interrogatus est aliquando prædictus S. Athanasius, postquam Alexandriæ Episcopus constitutus fuit; an posset quisquam sine fide baptizari secundum ritum & prædicationem Christianorum: aut si credere se simulans, aliquibus alijs occasionibus baptizatus fuisset; quid de illo sentiendum; aut quo modo suscipiat illum Deus? Et respondit, dicens: Audiui aliquando a senioribus nostris, quod beato Petro Episcopo & martyri, cum facta esset mortalitas, & plerique ad baptisma mortis timore confugerent: apparuerit Angelus humana specie dicens: Quamdiu huc mittitis marsupia ista, signata quidem, inania autem prorsus, & vacua, & nihil intus habentia? Erunt itaque, quantum ex Angeli voce conijcere licet, signum habentes baptismi; E
quoniam & beneficium aliquod existimarunt se consequi, si baptisma susciperent, atque idcirco baptizati sunt.] significans nimirum, eiusmodi sacramentum esse consequutos, non autem, quod aiunt, rem sacramenti, ipsam gratiam abluentem peccata. hæc de Petro. Porrò remansisse eius memoriam illatam in tabulas Ecclesiasticas percelebrem; consueuisseque Alexandrinos anniuersaria celebritate diem natalem eius maximo hominum cœtu, pompa splendida celebrare, testatur Sozomenus [b], eiusdemque diei festi meminit pariter Ruffinus [c]. At sicut operatione insignis & martyrio nobilitatus Petrus effulsit, ita & rerum diuinarum eruditione egregie imbutus enituit: cuius felicis ingenij pauca tantum reliqua sunt monumenta, nempe Canones de lapsis, indices vigentis eo etiam persecutionis tempore Ecclesiasticæ disciplinæ; sed & ex commentario ab eodem de Diuinitate conscripto in Concilio Chalcedonensi [d] recitatum fragmentum: odoratus fortasse Arij impietatem, nondum tamen foras expositam, de ea re scribendi aucupatus est argumentum.

b Sozom. lib. 1. c. 16.
c Ruffin. lib. 1. c. 14.
d Concil. Chalced. Act. 1.

Post

ACHILLAS EPISC. ALEXANDRIAE.

A Poſt Petrum martyrem ſubrogatus eſt in ſedem Alexandrinam Achillas, non autem Alexander, vt perperam apud Epiphanium [a] legitur ex Meletianorum commento. Qualis autem Achillas fuerit, cum presbyter eſſet, ab Euſebio [b] hiſce laudibus prædicatur: Quo tempore (nempe Theonæ Epiſcopi Alexandrini) Achillas presbyterio vna cum Pierio donatus, cœpit hominum fama celebrari: qui ſcholæ ſacratæ Chriſti fidei inſtituendæ præfectus, in ſingulari ac plane rariſſimo pietatis munere exequendo, nemini ſecundus fuit, & vitæ inſtitutioniſque Euangelicæ modum atque rationem ingenue excoluit.] hæc de illo Euſebius. Verum in Achilla nimia animi facilitas ab aliquibus reprehenditur; quippe qui conteſtationum prædeceſſoris ſui Petri martyris oblitus, Arium pœnitentiam ſimulantem, & callida arte ſeſe in eius amicitiam inſinuantem, non reiecit, vt commonitus erat, ſed accepit, fouit, atque honoribus auxit: vt inter alios Sozomenus [c] teſtatur his verbis: Vbi
B vero Petrus martyrio occubuerat, Arius venia ab Achilla petita, non ſolum permiſſus eſt diaconatu fungi, verum etiam ad presbyterij gradum elatus eſt.] Porro Eccleſia Alexandrina, cui præfectus eſt Arius, Baucalidis * dicta eſt, cuius Epiphanius [d] meminit. Accidiſſe videtur, vt in odium Meletianorum ſchiſmaticorum, quos Achillas vehementer eſt auerſatus, ipſe tunc Arium ab illis deficere profitentem ſuſceperit, & presbyterio honeſtauerit. Sicut enim aduerſus Petrum, ita pariter Achillam & Alexandrum eius ſucceſſorem, Meletianos maximas turbas concitaſſe, Athanaſius [e] fidem facit, qui ait: Memores igitur ipſi, quo modo ſeſe primum aduerſus beatum martyrem Petrum, deinde contra magnum Achillam, poſtremo contra beatum Alexandrum geſſerint, &c.].

a Epiph. hæreſ. 68.
b Euſeb. lib. 7. c. vltim.
c Sozom. lib. 1. c. 14.
d Epiphan. hæreſ. 68 & 69.
* Baucalis
e Athan. orat. 1. contra Arian. prope finem.

DE MELETIO FALSA ASSERTIO.

Sed quid præterea de Meletio ſchiſmatico, verum ex Meletianis falſa accepta hiſtoria, Epiphanius [f] ſcribat, non vt probemus, ſed vt confutemus, hic reddamus: Contigit (inquit)
C Petrum martyrium ſubire: et deceſſit beatus ille, ſucceſſore relicto Alexandro in Alexandria: hic enim ſucceſſit in thronum poſt prædictum Petrum. Meletius autem & alij multi in exilium relegati ſunt, exterminati in Phœnenſia metalla: et tunc de cetero, qui ſequebantur confeſſores cum Meletio erant. Et ipſe Meletius in carcere, in profectione per ſingulas regiones ac ſingula loca tranſiens, conſtituebat clericos, Epiſcopoſque, ac presbyteros & diaconos, & ædificabat proprias eccleſias: et neque hi cum illis communicabant, neque illi cum his: inſcribebant autem ſinguli in propria Eccleſia; qui quidem Petro ſucceſſerunt veteres habentes Eccleſias, dicebantur, Eccleſia Catholica: qui vero Meletio adhærebãt, Eccleſia martyrum. Vnde & in Eleutheropoli, & in Gaza atque Aelia, cum acceſſiſſet quidem Meletius, multos ſic elegit: et contigit, vt ipſe multum temporis tereret in dictis metallis. At interim liberantur a metallis confeſſores, tum qui Petri partium erant (multi enim adhuc ſuper-
D erant) tum Meletij ſectatores: neque enim in metallis inter ſe communitatem habebant, aut ſimul preces fundebant. Contigit autem Meletium adhuc ad tempus in mundo vitam agere, vt etiam floruerit cum Alexandro Petri ſucceſſore, & in amicitia eius eſſet, curaretque res Eccleſiæ ac fidei: dixit enim ſæpe: Nihil habui diuerſum, aut adulteratum.] hæc ibi: quæ quidem quantum aduerſentur ijs, quæ nuper ex Athanaſio recitauimus; aut quæ ſuperius, cùm de origine Meletiani ſchiſmatis actum eſt, tum ex eodem, tum etiam ex alijs auctoribus dicta ſunt; prudens lector accurate perpendat; ne ſpecioſo nomine Epiphanij in errorem incaute labatur, & eius eſſe putet, quod haud aliunde quàm a Meletianis contra hiſtoriæ veritatem apparet acceptum eſſe.

f Epiphan. hæreſ. 69.

TEMPVS SEDIS ACHILLAE.

De annis autem, quot Achillas ſederit, non leuis eſt controuerſia. Euſebius ſua hiſtoria proſequutus ſeriem Alexandrinorum Epiſcoporum, eam ad martyrium Petri vſque per-
E duxit: Chronicon autem eius in his vltimis temporibus in multis conſtat eſſe deprauatum; vbi tamen cum perperam ponatur ingreſſus Achillæ anno Domini trecenteſimo decimooctauo, vſque ad trecenteſimum vigeſimumtertium ſedem propagaſſe ibidem legitur; quibus ſi aſſentiri quis velit, in monſtruoſas plane abſurditates incidat neceſſe eſt. Epiphanius [g] tribuit Achillæ ſedi tres tantum menſes. ſed illud plane male, dum Alexandro tradit fuiſſe ſuffectum. Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in Chronologia, a ſe ſcripta, quam & Anaſtaſius bibliothecarius in Latinum tranſtulit, annum tantum Achillam ſediſſe affirmat.

g Epiphan. hæreſ. 69.

In tanta igitur ſententiarum diſcrepantia, ſententiam illam de breui tempore ſedis Achillæ, adeo vt nõ exceſſerit vnius anni curriculũ, cum multa, tum illud potiſsimum nos ſequi perſuadet; quoniam ſi ſub Epiſcopatu Alexãdri (quod teſtantur Ruffinus [h], atque Sozomenus [i]) illa contigerunt de luſu puerorum, inter quos Athanaſius puer egit Epiſcopum; quo modo, ſi Achil-

h Ruffin. lib. 1. c. 14.
i Sozom. lib. 2. c. 16.

si Achillas diutius superuixit, tam cito ponunt, tempore Nicæni Concilij adeo prouectæ ætatis fuisse, vt maximi momenti eidem negotium crederetur? nempe cum Ario de Filij Dei diuinitate concertatio, & postea eodem anno ad Constantinum obita legatio; cum hæc & alia habeantur minus digna, quæ committerentur adolescentulo vix ephebiam superanti. His persuasi, cogimur, nisi hoc anno, saltem sequenti, subrogationem ponere Alexandri in locum Achillæ. A

Sed iam reliqua, quæ ad persecutionem in Aegypto Christianis illatam spectant, hic apponamus. Eusebius [a] narrato Petri Episcopi Alexandrini martyrio, hæc mox subdit: Alij quoque complures, qui in Aegypto erant Episcopi, idem cum illo genus supplicij perpessi sunt.] Licet autem Alexandrinorum martyrum Petrus (vt dictum est) vltimus prædicetur, in alijs tamen Aegypti locis in sequentem vsque annum, licet paulo remissius, persecutionem grassatam esse (nam ad decimum vsque annum producta est) nulli dubium esse potest. At quoniam multi sunt martyres passi in Aegypto, nec quo potissimum huius persecutionis anno coronam sint martyrij consequuti, exploratum habetur; hic eos simul recensere, qui ex tabulis Ecclesiasticis sunt notiores, adscriptis in ijsdem natalitiis eorum diebus, operæpretium existimamus. B

a Euseb. lib. 9. c. 5.

ANTONIVS MAGNVS MARTYRII CVPIDVS ALEXANDRIAM PETIT.

At in primis quæ hac eadem vrgente persecutione ab Antonio Magno gesta esse, Magnus quoque Athanasius tradit, nempe officia martyribus & confessoribus in carcere constitutis exhibita vsque in præsentem annum, quo Petrus martyrium consummauit, hic enarrare dignum putamus. Primordia Antonij, quo consilio petierit solitudinem, allegerit discipulos, & monasteria ante præsens tempus in eremo propagauerit, Athanasius [b] sincere pureque eius res gestas conscribens, pluribus narrat, quibus quæ ad hæc tempora spectant, sic subdit: His rebus transactis, cum persecutio impiissima Maximiani furore vesano vastaret Ecclesiam, sanctis quoque martyribus Alexandriam perductis: relicto & ipse monasterio, sequutus est futuras victimas, dicens: Pergamus ad gloriosos fratrum triumphos, vt aut ipsi congrediamur, aut spectemus alios præliantes. Et amore quidem iam martyr erat: sed cum tradere se vltra non valeret, & sociari confessoribus in metallis, vel in carceribus constitutis, magna cum libertate & cura ingrediens ad Iudicem, exhortabatur, ne terrore impiorum subacti, Dominum negarent: iamque sententia coronatos exultans, quasi ipse vicisset, ad locum felicis sanguinis prosequebatur. C

b Athan. in vita Antonij.

Quamobrem commotus Iudex ob Antonij sociorumque eius constantiam, præcepit, nullum penitus monachorum obseruare iudicium, aut in ciuitate versari. Et ceteris quidem omnibus in illa die placuit abscondi: Antonius autem impauidus, neglecto persecutoris imperio, lauit ependiten, id est scapulare suum. Et alia die stans in quodam eminenti loco, candente procinctus veste, procedentem Iudicem suo prouocabat aspectu, flagrans cupiditate martyrij: ostendebatque nobis contemptorem pœnarum, & mortis, Christiani animum perseuerare debere: in tantum vt contristaretur, quia volenti pati pro Dei nomine, martyrium non dabatur. Sed Dominus, qui suo gregi parabat magistrum, seruauit Antonium: vt institutio (sicuti factum est) monachorum, non solum oratione eius, sed & conspectibus firmaretur. Numquam tamen a sanctorum confessorum vestigiis separatus est; quin anxia circa eos cura, & charitatis vinculis colligatus, magis carcerem patiebatur exclusus. Postquam auté persecutionis turbo defluxerat, & beato Episcopo Petro iam ob martyrij gloriam coronato, ad pristinum monasterium regressus, quotidianum fidei ac conscientiæ martyrium merebatur; acrioribus se ieiuniis, vigiliisque conficiens, vestimento cilicino intrinsecus, desuper pelliceo vtebatur, &c.] hæc Athanasius, qui ceteras admirandas & pene incredibiles ab eo res gestas prosequitur, quarum nonnullas (vt opportuna sese offeret occasio) pro ratione temporum inferius attingemus. D E

DE POTAMENIA VIRGINE ET MART.

Sed, vt (quod instituimus) hic ad extremum de Aegyptijs martyribus agamus, qui passi licet sint hac persecutione, annus tamen certus, quo quisque necatus sit, incompertus habetur; primo loco occurrunt, quæ de Potamenia virgine ex eodem Antonio accepta, Palladius [c] narrat his verbis: Iste Isidorus, qui benedictum quondam vidit Antonium, dignam rem memoria litterarum retulit mihi, quam ab ipso se dicebat audisse. Potamenia quædam puella admodum pulchra, ancilla cuiusdam erat tempore Maximiani persecutoris: quam multis frequenter ac varijs promissionibus dominus suus tentans, stuprare non potuit: ita vt ad postremum amore atque insania præceps traderet eam illi, qui tunc Alexandriæ Præfecturam gerebat, scilicet, vt Christianam, ac maledicentem de per-

c Pallad. in Lausiac. c. 1.

A de persecutionis sæuitia Imperatoribus: pecuniam ei sub hac pactione promittens, si eius acquiesceret voluntati, sine vllo eam supplicio reseruaret, ac redderet: sin vero in contradicendo, proposito permaneret; petijt vt tormentis deficeret; ne si vixisset, libidinis domini sui contemptrix videretur. Quæ cum exhibita ante tribunal fuisset, eiusque Iudex varijs cruciatibus atque tormentis cuperet expugnare deuotam voluntatem: et inter diuersa supplicia vas quoque æris immensum ac feruenti pice repletum acerrima flamma succenderet: duplicem ei Præfectus immitis posuit conditionem: Aut vade (inquit) & domini tui obtempera voluntati: aut scias in feruẽtem hanc picem esse mittendam. Cui puella respondit, dicens: Numquam fit alter monitor talis, qui addici iubet libidini castitatem. Ob quod ille nimio furore perculsus, præcepit spoliatam eam in vas, quod feruebat, immitti. Hæc autem vox illius fuit: Per caput (inquit) Imperatoris tui, quod tu vereris, obtestor: vt si apud te statutum est his me tormentis B necare; non simul totam, sed paulatim me in feruentem mitti iubeas picem; vt possis videre, quantam mihi dederit ignotus tibi patientiam Christus. Quæ per vnius horæ spatium paulatim in ahenum candens demissa, defecit, vbi primum pix ebulliens ad eius colla peruenit.] hucusque ea quæ Isidorus ab Antonio, rei forsitan inspectore, cum Alexandriæ (vt dictum est) versaretur, accepit, Palladius narrat. Hæc autem, si nomen, sique vltimi supplicij genus spectes, vna eademque videri posset cum ea, quæ ponitur ab Eusebio [a]. Porro diuersam hanc esse ab illa, differentiæ plures constituunt, nimirum diuersus personarum status, nam illa ingenua, hæc serua, diuersumque supplicij tempus plane declarat: passa hæc sub Maximiano, sed sub Seuero illa, quæ non Potamenia, sed Potamiœna dicta habetur, verum non in lebetem immissa, sed tantum pice perfusa. Ceterum & eiusdem quoque nominis fuisse diuersis temporibus plures virgines, ijsdemque pœnis affectas, in amplissima ciuitate, quis neget, faC cile potuisse contingere?

a Euseb. lib. 6. c. 4.

Rursum verò cum recapitulatione quadam Eusebius [b] recenset insigniores quosdam passos in Aegypto martyres; & prærogatiua excellentiæ ceteris Petrum Episcopum Alexandrinum, de quo dictum est, anteponit; iungit & vna Faustum, Didium, & Ammonium eiusdem Ecclesiæ presbyteros, & quos etiam ante Petrum consummasse martyrium diximus, Phileam, Hesychium, Theodorum, atque Pachomium; quos vna simul iunctos, additosque his sexcentos sexaginta vna die veneranda antiquitas [c] Ecclesiastica celebrare consueuit. Seorsum ab his recenset [d] passos itidem Alexandriæ hac eadem persecutione Apollinem, Isacium, & Crotatem. Sed & Paphnutij Episcopi (cuius autem Ecclesiæ Præses fuerit, ignoratur) celebris est memoria, qui vna cum alijs pluribus passus esse traditur. Ceterum eiusdẽ nominis in ea persecutione, effosso oculo, clarus enituit alter Paphnutius confessor, de quo celebris est memoria in D Actis Nicæni Concilij; verum de eo suo loco dicturi sumus. Sed & Marcianus, Nicanor, Apollonius & socij hoc quoque tempore in Aegypto itidem martyrij palmam acceperunt. Accedit his Nicander, qui reliquias martyrum studiose perquirens, & ipse martyr effici meruit. Sed & Ischyras militum ductor, & alij quinque commilitones, eodẽ quoque certamine pro Christi fide suscepto, victores insignis martyrij corona donati sunt. Eorum etiam qui in Thebaide passi sunt, perillustres habentur Leonides, Ascla, alijque complures sub Ariano Præside; qui & ipse victus potenti Christi virtute, dans manus, & Christianus effectus, pro fide quoque nobile certamen subijt. Verum & in Philemone Coraule miro quodam modo Christi virtus effulsit. Nam Apollonius lector tormenta expauescens, ne fidem omnino negaret, quatuor Philemoni dedit aureos, vt se Apollonius mutato habitu fingeret, ac coram Præside vna cum alijs immolaret: at mente diuinitus illustratus, martyrumq. accensus exemplo; qui alie- E nam gerebat personam, vt negaret, propriam repræsentans, se vere in Christum credere constanti voce professus, & tormentis exagitatus, iterum atque iterum idipsum affirmans, insigni meruit corona martyrij decorari: cuius exemplo Apollonius roboratus, forti animo idem certamen obijt. Extant horum Acta [e] fusius scripta. Sed & apud Aegyptum inter alios complures martyres Cyrene passos, perpetua memoria commendata est Cyrilla, quæ in hac eadem persecutione ardentes carbones cum thure super manum positos diu immobilis tenuit, ne leui motu excutiendo ardentes prunas, thus idolo obtulisse videretur: deinde sæuissime laniata, egregie decorata migrauit ad sponsum; hoc quippe elogio natalis eius Martyrologio habetur adscriptus. Cyrene itidem Theodorus Episcopus sub Digniano Præside plumbatis cæsus, abscissa lingua, sed superstes in pace Ecclesiæ confessor occubuit. Horum omnium dies natales notati habentur, quibus passi sunt.

b Euseb. lib. 8. c. 25.

MARTYRES AEGYPTII.

c Martyrolog. Rom. die 26. Nouemb.

d ibid. 21. April.

APOLLONII MIRA CONFESSIO.

e Ex Metaph. 14. Decemb. Lipom. & Sur. tom. 6. post Acta Thyrsi & sociorum.

A

IESV CHRISTI ANNVS 311. | EVSEBII PAP. ANNVS 3. | CONSTANTINI IMP. ANNVS 6.

PERSECVTIONIS ANNVS DECIMVS.

CHristi annus trecentesimus vndecimus notatur Cõsulibus Galerio Maximiano octauum atque Licinio; idemq. decimus ac nouissimus excitatæ per Diocletianum persecutionis ab Eusebio adnumeratur; qui summatim relegens mala, quæ persecutionis huius causa contigerunt, hæc ait [a]: Toto decem annorum spatio, persecutione longe lateque manante; nihil horum, quæ vel ad insidias, vel ad bellum intestinum spectabant, ab illis abesse videbatur: nullum enim mare tuto traijci poterat; neque hominibus integrum erat alicunde tranare, quin omnibus diuexarentur supplicijs, vt distorsione membrorum, laterum dilaceratione, & tormentis cuiusque generis, dum quæstio de illis habebatur, num ab hostibus venissent: et ad extremum crucibus, aut incendij flammis torquerentur.] & paulo post: Eiusmodi erant ea mala, quæ toto persecutionis tempore regnarunt, cuius æstus vt octauo anno (Dei iuuante gratia) cœpit paulum deferuescere, sic decimo anno consopitus fuit.] Sed quo modo nouissimis huius persecutionis temporibus remissius actum sit, alibi declarat his verbis [b]: Ista igitur calamitatum genera, quæ sequuntur, postremum locum obtinuerunt; cum malorum nobis impositorum exuberantia deinceps defessi essent, & in hominum cæde defatigati, & satietatem ac fastidium in sanguinis effusione cepissent; et ad tantam clementiam ac facilitatem, vt ab illis putabatur, se conuertissent, vti de reliquo nihil acerbitatis contra nos moliri viderentur: non enim decere, aiebant, ciuitates intestino cruore contaminare; neque propter crudelitatem Imperium eorum, qui principatum tenebant, vtpote omnibus tam clemens & mansuetum, ignominiæ nota afficere; sed potius beneficentiam humanæ & vere regiæ potestatis in omnes patere oportere; vti nulli de reliquo morte mulctarentur: hocque contra nos supplicij genus propter Imperatorum benignitatem remitti, relaxarique debere: tum oculos effodi, alterum crus suffringi solum præcipiebatur: ista enim apud illos mitia admodum cruciamenta, atque lenissima supplicia, quibus nos torquerent, videbantur: adeo vt dicendo explicare non possimus innumerabilem fere multitudinem eorum, quorum ob istam impiorum mansuetudinem non solum oculi dextri sicis ante eruti fuerunt & excisi (quibus euulsis, loca in quibus inerant, ferro candente exusserunt) sed læui pedes etiam in ipsis flexuum commissuris cauterio ambusti fuerunt, & prorsus debilitati: ac postea isti ad æris metalla in singulis prouinciis, non tam ministerij causa, quàm afflictationis & cruciatus, condemnati. Ad extremum autem alij eorum, quos nec recensere quisquam poterit (strenuæ enim illorum & viriles res gestæ omnem dicendi facultatem euincunt) in alia certamina fortuito inciderunt.] hæc Eusebius, qui eamdem prosequens orationem, recẽset quosdam insignioris nominis, hoc persecutionis tempore decertantes, coronam martyrij tandem consequutos, quorum a nobis superius facta est mentio, præterquàm Luciani presbyteri Antiocheni, de quo hæc ait [c]:

B

C

D

[a] Euseb. lib. 8. c. 17. in fin. & c. 18.

[b] Euseb. lib 8. c. 24. prope fin.

[c] Euseb. lib. 8. c. 25.

LVCIANI RES GESTAE ET MARTYRIVM.

Ex martyribus autem Antiochiæ, Lucianum illius Ecclesiæ presbyterum, pijs vitæ institutis facile præstantissimum, qui Nicomediæ, etiam Imperatore præsente, cæleste Christi regnum, primum sermone per Apologiam, deinde rebus gestis palam prædicauit.] hæc ibi: inferius [d] vero Apologiam ab eo recitatam coram illius vrbis Præfecto tradit his verbis: Lucianus item Ecclesiæ Antiochenæ presbyter, vir cùm aliis rebus omnibus facile primus, tum continentia eximius, tum in sacris disciplinis diu multumque exercitatus, ad ciuitatem Nicomediensium, in qua tunc Imperator commoratus est, deductus, cum coram vrbis Præfecto Apologiam pro Christi doctrina, cuius patrocinium susceperat, recitasset; in carcerem coniectus est, ibique trucidatus.] hæc ipse. Porro contigisse martyrium Luciani, postquam Petrus Episcopus Alexandrinus eo coronatus iam fuerat, tum ex ijs quæ nouissimo loco ab Eusebio de Luciano post martyrium Petri narrata sunt, tum ex rebus gestis [e] ipsius, & quidem germanis, scriptorum perpetua memoria commendatis, manifeste apparet; quorum etiam auctoritate constat, ipsum subijsse martyrium sub Galerio Maximiano, non autem Maximino, nempe hoc anno, septima Ianuarij, cum adhuc idem Maximianus superstes esset.

E

[d] Idem lib. 9. c. 5.

[e] Metaph. die 7. Ianuar. ex quo Lipom. & Sur.

Ceterum cum antea sæpe idem Lucianus furẽtem persecutionem caute declinasset, & ab iis qui eum quærebant ad necem, se subtraxisset: demum proditus a quodam Pancratio presbytero hæresis Sabellianæ, a persecutoribus tentus est. Quid vero quàmq. egregie operatus sit in via, cum captiuus duceretur, erga lapsos, in ijsdem Actis sic describitur: Cum autem Lucianus, dum deduceretur, venisset in Cappadociam, & conuenisset quosdam illic milites,

qui

A qui erant quidem Christiani, coacti autem fuerāt abnegare; eorum mentem reuocauit, ostendens, & exponens, quòd sit omnium turpissimum, viros, eosque milites, videri ignauos ac pusillanimes, & ad mortis periculum adeundum timidissimos, quibus quædam iam feminæ atque adeo pueri fuere superiores: Quo modo autem vos (inquit) pro Rege caduco & terreno pericula adibitis, qui cælestem tam cito prodideritis? Quod autem vobis erit munimentum, aut præsidium salutis; si ille vos mox hinc accersierit? Non cogitatis eum hoc vniuersum & regere & administrare? illumque esse & vitæ dispensatorem, & mortis dominum? Est ergo longe melius, præsentem vitam minus curantes, consequi quæ apud illum numquam desinit beatitudinem, quàm vitam, quæ hic est, amplectentes, ab hac nihilo secius excidere, vt qui forte sitis & hac priuandi ab hostibus, & illam non assequuturi, & præterea daturi pœnas puniendi immortales. Illi ergo cum hæc audissent, resipuerunt, eosque B pœnituit se negasse. Et cum rursus ad se redijssent, & libere essent loquuti, plurimi propter Christum mortem subierunt, cum essent non pauciores numero quàm quadraginta: nonnulli autem cum decertassent aduersus omnia genera suppliciorum, vixerunt adhuc, cum nihil turpe & ignauum præsetulissent in secunda experientia, sed prius quoque iudicium negationis inuicta deinceps pro pietate constantia deleuissent.] hæc ibi de lapsis ad martyrium restitutis. Nicomediam pariter cum perductus esset, nonnullos itidem lapsos, quos ante nouisset, paucorum dierum pœnitentia Ecclesiæ restituendos curauit. LAPSI REVOCATI AD CERTAMEN.

Audiuit eum Maximianus trans velum positum; tumque Apologiam pro Christiana religione dixisse putamus. Verum cum blandimentis valde sed frustra pertentatus fuisset, mors illi longa decernitur, & in carcere; de cuius supplicij genere apud Origenis [a] Cōmentarios in Iob (vt ex hoc ipso saltem cognoscas alterius potius auctoris opus illud esse, quàm Origenis, C qui longe ante hæc tempora ex hac vita decessisset) præclarum extat elogium in hæc verba conscriptum: Quòd autem secundum ipsam historiam testis, lacerati atque pernecati fuerint sancti martyres, manifestum est atque irrefutabile. Nam post vniuersa tormenta recludentes eos in carceres, & testas pollinas in eis sternentes, per quatuor partes eos impij ipsi extendentes, crudeli morte eos pernecabant. Ita consummatus est beatus atque gloriosus Lucianus, lucidus vita, lucidus & fide, lucidus etiam tolerantiæ consummatione: ob hoc enim Lucianus cognominatus est, tamquam lucidus, aut proprio lumine sibi fulgens, aut alijs prælucens. Hic namque beatus duodecim diebus supra testas pollinas extensus, tertiadecima die est consummatus: alij quoque innumeri sancti martyres eodem modo mortem trahentes, consummati sunt.] hucusque ibi: quibus quidem Acta [b] eius martyrij, quæ hactenus extant, in omnibus germana atque legitima esse demonstrantur; nam hæc eadem de eius martyrio D egregie expressa habent:

[a] Orig. in Iob lib. 2.

[b] Apud Metaph. die. 7. Ianuar.

Insuper præclarum de eodem exemplum, quonam pacto eo situ, quo super testas iacebat, Deo obtulerit sacrificium (vt rem egregie testatam, dignumque antiquitatis monumentum) his pariter coniungamus; sed primum quo situ quove modo ipsum contigerit in carcere super testas iacere, ex ijsdem Actis hic recitemus: etenim post enarrata complura de martyre, hæc ibi leguntur: Cum eum ergo accepissent ij, quibus hoc erat imperatum, ipsum multis & varijs affecere cruciatibus, quibus erat quidem grauem accepturus dolorem, longo autem tempore in pœnis duraturus: et nunc quidem in cippum (est autem hoc tormenti genus oblongum) ambos eius pedes immittebant, ad quatuor distrahentes foramina: quod quidem est in hoc supplicio grauissimum, cum vtrinque coxendices violenter e suis mouerentur articulis: nunc autem in toto dorso graues testarum aculeos densos & continuos maligno E animo substernebant: et vt ne liceret quidem viro iusto se vertere, & ne moueri quidem, dum talibus sauciaretur aculeis; eius manibus extensis, eas vinciebant in quodam ligno, quod erat positum super eius caput. Quin etiam alijs quoque multis eum afficiebant probris ac contumelijs; et eum etiam arcebant ab omni cibo, nisi vellet vesci ijs, quæ ab ipsis sacrificabantur: ea enim affatim porrigebant. Ille autem maluisset subire mortes vel innumerabiles, & lubentius manens ieiunus, paulatim a fame esset consumptus, quàm vel illorum solum passus esset conspectum. Sic igitur permansit Christi seruus, qui a fame consumebatur, totos quatuordecim dies faciens consueta, & verbis doctrinæ animum addens ijs, qui pro Christo erant inclusi in carcere, & eos confirmans constantissimis & perpetuis precibus. LVCIANVS STRATVS OBTVLIT SACRIFICIVM.

Cum autē aliquot iam dies trāsissent, ex quo eo modo quo diximus, affligebatur, & iam appropinquaret quidem dies festus Theophaniorum: discipulos autem (iam enim plures ei aderant ex Antiochia & ex alijs locis congregati) subijsset tristitia; reputantes fore, vt eis statim

relictis, abeat quidem magister, non valens resistere diuturnæ illi fami: ipsi autem nequaquam digni censeantur, qui Theophaniæ diem festum cum eo celebrent: videbatur enim eis esse adhuc valde remotus, & non posse magistri corpus vsque ad eum diem sufficere, vtpote quòd inedia illum iam magna ex parte consumpsisset: vir ille inclytus eos consolans, iubebat esse bono animo: Ero enim (inquit) vobiscum, & diem festum Theophaniorum vobiscum celebrabo: recedam autem postridie. Ad effectum autem deductum fuit id quod dixerat, aperte in hoc diuina ostensa virtute. Cum ergo aduenisset dies festus, qui expectabatur; desiderabant quidem discipuli hanc vltimam a magistro consequi mysterij diuini celebrationem. Videbatur autem esse dubium, quonam modo mensam quidem in carcerem inferrent, aut laterent impiorum oculos, cum multi quidem tunc partim illic adessent, partim autem accederent. Ille vero: Mensa quidem (inquit) erit nobis hoc meum pectus; non (vt arbitror) Deo futura minus honesta ea quæ fit ex inanima materia. Templum autem sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circumdantes. Et sic hæc facta quidem sunt hoc modo. Iam enim, vt quod esset facturus in fine vitæ, remissi erant custodes (Deo, vt ego quidem arbitror, qui martyrem honorare volebat, & suorum discipulorum non sustinebat inconsolabile videri desiderium, efficiente) vt citra impedimentum fierent ea quæ erant proposita. Nam cum omnes eos martyr fecisset in orbem consistere, vt inter se inuicem alter prope alterum stantes eum tuto comprehenderent: iussit suo pectori imponi signa diuini sacrificij. Postquam autem hæc fecissent, & in cælum protinus sustulit obtutum; cum iam vix posset extollere; preces peregit consuetas. Deinde cum diuina plurima esset effatus, & sacro ritu omnia peregisset proposita: et ipse fuit particeps sacramentorum, & transmisit ad eos, qui aberant, vt ipse quoque ostendit in vltima ad eos epistola. et hunc quidem diem cum eis transegit, vt erat pollicitus. postridie autem cum venissent quidam ab Imperatore, visuri an adhuc viueret (videbatur eis valde mirandum, quòd vitam hucusque produxisset) postquam prope se stantes aspexit eos, qui aduenerant; cum se, quantum poterat, extendisset, & ter dixisset, Sum Christianus; simul cum vltima voce emisit spiritum.] hæc ibi. Porro admiranda quæ sequuta sunt, postquam corpus eius alligato illi lapide proiectum est in mare, & delphini obsequio litori restitutum, Acta ipsa fusius explicant.

LVCIANVS QVID AD SVOS. (margin) — A, B, C (margin letters)

LVCIANI FELIX EXITVS.

Quid præterea de eius lucubrationibus ijsdem Actis scriptum habeatur, hic reddimus. Is ergo cum vidisset Sacros libros esse valde adulteratos; cum & tempus multa in eis corrupisset, continuaque ab alijs in alia translatio; et quidam homines sceleratissimi, qui Gentilitati præerant, conati essent peruertere eorum intelligentiam: ipse omnes rursus sumpsit, & ex lingua renouauit Hebraica, quam ipsam quoque sciebat accuratissime, in eis corrigendis plurimum laboris conferens.] Sed & Suidas de eo cum agit, eius vitæ institutum ac lucubrationes, ex eiusdem Actis acceptas recenset in Historicis. Rursum de eius laudata vigilantia in Sacris litteris hæc habet S. Hieronymus [a]: Tantum in litterarum studio laborauit, vt vsque nunc quædam exemplaria Scripturarum, Lucianea nuncupentur.] eis namque omnes Ecclesias, quæ ab Antiochia Constantinopolim vsque interiacent, vti consueuisse, idem auctor [b] affirmat. Totus enim orbis Orientalis tripliciter distinctus, triplici vtebatur editione distincte. nam, vt ait: Alexandria & Aegyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem: Constantinopolis vsque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat: mediæ inter has prouinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos, Eusebius & Pamphilus vulgauerunt: totusque Orbis hac inter se trifaria variatione compugnat.] hæc ipse, qui harum trium Vulgatam atque communem κοινὴν, dictam esse, Palæstinam editionem affirmat [c].

LVCIANI SCRIPTA.

a Hieronym. de Script. Eccles. in Luciano.

b Hieron. epist. 107. & Apolog. aduersus Ruffin.

c Idē epist. 135.

Feruntur rursum eiusdem Luciani (idem inquit Hieronymus [d]) de Fide libelli, & breues ad nonnullos epistolæ.] fuit illi ab epistolis Antoninus eruditissimus eius discipulus, vt ipsius martyrij citata superius Acta testantur. Quod vero pertinet ad libellos fidei, quorum S. Hieronymus meminit: eidem plane accidit, quod contigisse superius diximus Magno illi Gregorio Episcopo Neocæsariensi, cognomento Thaumaturgo, & (quod magis proprium est exemplum) Dionysio Alexandrino. Dum enim in aduersarios conciti nimis feruntur, lineam visi sunt esse transgressi rectæ sententiæ: dum inquam cum Dionysius, tum Lucianus acerrime Sabellij hæresin oppugnarent (hic enim eius rei causa, vt dictum est, a Pancratio Sabelliano presbytero Gentilibus eum quærētibus proditus est) vterque creditus est materiā Ario præparasse. Vnde accidit, vt sicut in Dionysium, ita pariter in Lucianum Patres sanctissimi conclamarint; adeo ut ipsos Arianos Lucianistas appellarint a Luciano; vt fecisse videtur Alexander Episcopus Alexandrinus [e] scribens ad Alexandrum Episcopum, Marius Victorinus [f], & fortasse

d Hieronym. de Script. Eccles. in Luciano.

e Apud Theodoret. lib. 1. c. 4.

f Mar. Victor. aduers. Arian. lib. 1.

D

E

A fortasse alij. Nam gloriabatur & Arius tali auctore; ac proinde suæ hæresis sectarios, Collucianistas dicere consueuit [a], vt qui iactarent se esse discipulos Luciani martyris celeberrimi. [a Apud Epiph. hæres. 69. & Theodor lib. 1. c. 5.]

Verum quod ad Dionysium pertinet, de eo præter illa quæ in Notis ad Romanum Martyrologium dicta sunt, superius quoque secundo Tomo fusius est pertractatum. De libello autem fidei Luciani ab Arianis citari solito, in ijsdem Notis suo loco monstrauimus esse Catholicæ fidei consentientẽ, vtpote Filij vnius cum Patre substantiæ assertorem, sed idcirco ab Arianis tamquam sibi fauentem solitum recitari, quia in eo Lucianus Consubstãtiale verbum omiserit; quod postea ad eludendas [b] varias Arianorum strophas in Concilio Nicæno appositum, vsitatius inter Catholicos esse cœpit. Sed Luciani libellum de fide suo loco inferius opportune ponemus. At de Luciano omnis prorsus cesset dubitatio; cum ipse S. [c] Athanasius, vt hominem a Catholicorum partibus stantem, dum agit de eius editione, Lucianea appel- B lata, eiusmodi laudet elogio: Septima & postrema sancti Luciani, magni, religiosi, & martyris est; qui & ipse cum in prædictas versiones & Hebraicos libros incidisset, & diligenter quæ vel veritati deerant, vel superflua aderant, inspexisset, ac suis quæque locis correxisset; versionem hanc Christianis fratribus edidit: quæ sane post eius certamen & martyrium, quod sub Diocletiano & Maximiano tyrannis sustinuit, libro videlicet propria ipsius manu conscripto, comprehensa, Nicomediæ sub Constantino Rege Magno apud Iudæos in pariete Armarij calce circumlinito, vbi custodiæ gratia posita fuerat, inuenta est.] hæc Athanasius. At de his iterum fusius agemus inferius, cum epistola illa Alexandri eo anno quo scripta est, fuerit recensenda. Quod vero Athanasius ait passum sub Maximiano Lucianum, de Galerio Maximiano intelligendum est: nam ille Maximianus Herculius iam longe antè diem obierat: vel quod alias sæpe superius dictum est, cœpta semel Diocletiani & Maximiani nomine persecu- C tio, eadem, licet ipsis extinctis, vsque ad decennium est appellata. Porro hic Galerius Maximianus apud Eusebium Maximianus semper appellatus inuenitur: vnde & factum est, vt Lucianus sub Maximino a S. Hieronymo passus dicatur, qui in hunc annum excitatam a Diocletiano persecutionem propagauit, quo & (vt dicemus) Ecclesiæ pacem reddidit. [LVCIANVS DEFENDITVR.] [b Athanas. in decret. contra Arian.] [c Athanas. in Synopsi in fin.]

Reliquit post se Lucianus complures discipulos, quorum licet nonnulli se sequi magistri vestigia mendaciter atque petulanter gloriarentur: reuera tamen Arij imbuti sunt postea disciplina, sed antea idololatria maculati; de quibus hæc apud Nicephorum [d]: Huius discipulos esse dicunt, Eusebium Nicomediensem, Marin Chalcedonensem, Theognidem Nicænum, Leontium, qui deinde Antiochiæ Episcopus fuit, Antonium, vel Antoninum, Tarsi Ciliciæ Antistitem, Numerium, Eudoxium item Alexandrum & Asterium Cappadocem, quos ad Græcorum superstitionem deflexisse, fama est, tyrannorum crudelitati cedentes: postea au- D tem, lapsui & errori, opem ferente eis ad pœnitentiam præceptore, renunciasse: quamuis iterum non idem sibi cum magistro sentiendum esse delegerint, Arij opinionem ex professo complexi.] recensentur & feminæ quoque ab eo disciplina excultæ, hæque numerantur in Actis ipsius, Eustolia, Dorothea, Seuera, & Pelagia martyr Antiochena. [DISCIPVLI LVCIANI DEGENERES.] [d Niceph. lib. 8. c. 31.]

His igitur de Luciano Nicomediæ passo narratis (quòd hic annus decimus & vltimus persecutionis censeatur) reliquos ibidem diuersis temporibus martyres passos, quorum certum passionis tempus, quòd sit inexploratum, non licuit certo anno superius consignare; hic attexere dignum existimamus: ac primum duorum puerorum admirandum plane certamen, quod ijsdem Luciani germanis Actis conscriptum habetur his verbis: Maximianus cum duos quosdam pueros genere fratres, illustri loco natos, curasset sistendos; primo quidem conabatur eos quibusdam promissis inescare, quibus existimabat pueros maxime al- E liciendos: postea iussit eis afferri ex ijs, quæ erant apud ipsum, sacrificijs, & quæ, videntibus pueris, sacrificauerat; vt & gustarent, & nullis malis afficerentur. Illis autem auersantibus & deflentibus, & vt poterant, lingua eis balbutiente dicentibus, quòd non sic didicissent a parentibus, sed alius esset modus, quo ij vtebantur: minatus est, ab ira mutatus; quin etiam variis eos affecit verberibus. Cum vero pueri fortiter resisterent, & nullo modo cederent, eos vtique diuina roborante virtute; quidam e Sophistis, qui illic aderat simul cum Imperatore, & ad hæc eum maxime incitabat, & inducebat, pollicitus est se statim effecturum, vt ipsi comederent: ridiculum enim esse dicebat, si a pueris adhuc balbutientibus viderentur superari Romani Imperatores. Tale quid ergo machinatur. Cum sinapis quamdam acutissimam & toleratu difficillimam excogitasset confectionem, eorum quidem capita pilis nudauit: cum autem medicamenti id quod erat crassissimum illeuisset, vt ex maiore materia, repentina & maior simul virtus profundum penetraret, in igne accensum eos intulit balneum. Hoc in loco pueri, cum veluti quodam fulmine icta essent eorum capita, hac [DVORVM PVERORVM CERTAMEN.]

ipsa hora fuerunt inclinati ad solum vsque: nec multo post cadens eorum ætate minor, prior est mortuus, cum non potuisset resistere magnitudini flammæ accensæ in caluaria. Cum autem alter vidisset fratrem cecidisse, quàm maxima potuit voce, bona verba est effatus, fratris exultans victoria, eumq. amplexatus est, & osculatus, & eum proclamauit victorem, assidue exclamans: Frater mi vicisti: donec hoc dictum eloquens, eumq. complectens & osculans, ipse quoque expirauit, & iacuit, fratrem iam vlnis tenens. Accidit autem illo tempore hæc perpessio maxima, & ijs qui videbant, maxime miserabilis; ipsa quidem certe ætate attrahente plurimorum animos ad misericordiam. Et eos quidem ij, qui ad ipsos genere attinebant, cum sustulissent, sepelierunt cum alijs pueris propter causæ communitatem. Et hoc est Martyrium (nempe Ecclesia Martyrum) circa Nicomediam; quod nominatur, Martyrium infantium, vsque in hodiernum diem.] hæc de ijs Luciani Acta. A

MARTYRES PASSI NICOMEDIAE.

Quòd vero ibi tum Diocletianus olim, vt dictum est, postea vero Galerius Maximianus degere consueuerunt: inde accidit, vt Nicomediensis ciuitas præ ceteris alijs haberetur celebris quædam sanctorum martyrum carnificina. Nam præter illos, de quibus superius, ab ipso propemodum persecutionis exordio, mentio facta est; alij complures insigniores martyres Nicomediæ passi habentur, nempe Iuliana Africani filia virgo insignis, passa sub Euilasio Præfecto, Cyriaca, & quinque aliæ virgines, Philoterus filius Paciani Proconsulis, Cyprianus olim magus, atque Iustina virgo, itemque alij viginti martyres; ibidemque Pantaleon medicus quoque, Hermolaus presbyter, Hermippus atque Hermocrates fratres, insigne pro fidei confessione certamen obeuntes, martyrij palmas acceperunt. Sed & Pancharius ciuis Romanus ibidem passus est, Pastor quoque Victorinus & socij: itemque Anicetus & Photinus fratres, ac cum eis alij plures donati sunt in eadem ciuitate martyrij corona; vt Agatonicus atque Zoticus cum socijs. Quin etiam præclarum ibidem edidit specimen fidei confessionis Hadrianus vna cum alijs vigintitribus, qui omnes post alia tormenta crurifragio interempti sunt. B C

Porro cum horum, quos Nicomediæ passos esse recensuimus, extent martyrij Acta: omnes tamen certis diebus, quibus eorum natalitia celebrantur, adscripti sunt tabulis Ecclesiasticis, sicut & illorum quoque qui in eiusdem Bithyniæ prouinciæ ciuitate Chalcedonia

MARTYRES PASSI CHALCEDONE ET ALIBI.

necati sunt, nempe illustris martyr Euphemia; sed & Sosthenes quoque & Victor sunt ibidem coronati, nec non Solochanus ac socij milites: auctus est etiam numerus Chalcedonensium martyrum vndequinquaginta militibus, qui post certamen Euphemiæ damnati ad bestias, sed diuinitus liberati, gladio percussi sunt. In eadem pariter prouincia passus habetur Eutonomus Episcopus, ex Italia illuc accedens. tres itidē virgines sorores, Menodora, Metrodora, & Nymphodora ibidē sub Frontone Præside passæ reperiuntur. Nicææ quoque in Bithynia Cyrilla virgo sub Priscilliano Præside perdifficile certamen subiens, superatis tormētis, victrix coronam accepit. Diomedes medicus ibidem pariter coronatus est. Tunc etiam Byzantij Acàcius Centurio admirandum edidit Christianæ constantiæ experimentum. Eleutherius quoque martyr eamdem ciuitatem fuso in ea sanguine illustrauit, sicut & Mutius martyr, cuius memoria extitit posteris celeberrima. Hadrianopoli vero Maximus, Theodorus, & Asclepiodotus eadem persecutione insigniter decertantes, martyrij coronam consecuti sunt. Cyzici vero in Hellesponto tunc itidem passi sunt nobilissimi martyres Fausta virgo & Euilasius, alia vero die Sisinnius martyr. Sed & Cleonicus, Eutropius, & Basiliscus eodem tempore necati sunt. Meminisse hic oportuit Agapeti Synadorum Episcopi, de quo hæc habet Suidas [a]: Agapetus Synadorum Episcopus, quem Eusebius Pamphili multum celebrat, mentionem faciens ingentium eius miraculorum: vt sunt translationes montium & fluminum, & mortuorum resuscitationes: quem, dum miles esset, Maximinus occidere voluerit, quòd multos eius facta supra modum mirari videret.] hucusque Suidas: sed cum apud Eusebij, quæ extat, historiam huiusmodi nequaquam legantur, ea accepisse existimamus ex aliquo illorum commentariorum, quos eiusdem auctoris recenset [b], nobis autem incomperto. D E

a Suid. histori. in Agapeto.

b Suid. in Eusebio Pamphili.

MINORIS ARMENIAE MARTYRES.

At nec tacendum de ijs qui in Armenia passi sunt martyres: qui enim Romano Imperio subiacebant, eadem quoque persecutionis procella vexati sunt. Sebaste in primis Acacius presbyter, septemq. mulieres dirissime excruciati sunt sub Præside Hierenarcho, qui admiratus constantiam martyrum, diuina luce mente perfusus, & ipse credens vna cum Acacio securi percutitur. Quo etiam tempore ibidem Athenogenes Episcopus, decemque eius discipuli idem certamen magna cum gloria obierunt. Sebaste quoque pro Christi fide Eustratius, Auxētius, Eugenius, Mardarius, & Orestes sub Agricolao diuersis locis martyrium

consum-

A consummarunt, quorum res gestæ ab Eusebio monacho scriptæ sunt, & Auracinis traditæ. Cum autem idem auctor in fine ipsorum Actorum hæc habeat: Sanctissimus vero Episcopus Blasius cum Sancti accepisset reliquias, easq. cum S. Orestis reliquiis composuisset, omnia impleuit quæ ipsi mandata fuerant in testamento S. Eustratij, &c.] hæc inquam cum auctor tradat, constetque Blasium sub Agricolao Præside in Armenia martyrium consummasse, compellimur dicere, post dictos martyres ipsum coronatum esse martyrio, & tempore Licinij, quo idem Præses Agricolaus eidem Præfectus prouinciæ, complures sanctos martyres necauit, & inter alios quadraginta illos insignes milites Sebastenos; de quibus omnibus suo loco dicturi sumus.

In eadem quoque prouincia Armeniæ Satalis ciuitas insignior reddita est confessione & sanguine gloriosorum militum Orentij, Herois, Pharnacij, Firmini, Firmi, Cyriaci, atque Longini. Melitinæ item Armeniæ vrbe passi tunc sunt Hiero, Nicander, Hesychius, & alij triginta sub Lysia Præside. Sed longe maior ille militum numerus, nempe mille centum & quaruor, qui vna cum Eudoxio, Zenone, & Macario, ingenti gloria ex martyrio comparata, certamen fidei obierunt. Melitinæ itidem in Armenia Polyeuctus, Victor, & Donatus hac eadem persecutione necati sunt nobiles milites, licet alij Cæsareæ eorum certamen contigisse referant. In Actis Andreæ ducis exercitus, quorum meminimus, de Eutychio Polyeucti filio vnà cum alijs multis sub Antiocho Præside passis mentio quoque habetur. In Arabisso autem Cęsarius, qui fuit pater Eudoxij, coronatus est, cuius martyrium Suidas paucis perstringens ait: Cæsarius sub Maximiano martyrij corona est redimitus, quamuis prius indulsisset voluptatibus: sed priores maculas martyrij sanguine voluit eluere: nam vtroque pede magnis clauis sex transfixo, in ignem est coniectus; et cum statim flammæ admotus expirasset, semiustulatum
C & integrum cadauer cognati eius in agro quodam, Subelo nomine, condiderunt.] hæc Suidas. Sed quam degener filius eius a parente Eudoxius Arianorum omnium scelestissimus?

In superiori autem Armenia, cui Tiridates præerat, facta est ingens persecutio in ea Ecclesia, cuius postea Gregorius a Leontio Episcopo Cæsareæ Cappadociæ, de quo plura inferius, ordinatus est Episcopus. Non solum enim Gregorius ipse grauissima ab eodem passus est; sed & Ripsimes vnà cum socijs virginibus trigintatribus Deo dicatis pro tuenda castitate & fide, post dira tormenta necatæ sunt, inter quas Caiana aliarum monitrix celebrior prædicatur, quæ adiunctis sibi duabus socijs virginibus, crudelioribus tormentis exagitata, mirificum Christianæ constantiæ specimen edidit: cum Tiridates a numine ob immanem impietatem percussus insania, tandem ope eiusdem Gregorij pristinæ mentis sanitati restitutus, quos ante fuerat persecutus, coluit Christianos, eosque omnibus officijs prose-
D quutus est, cuius tempore magna facta est in ea regione ad Christianam religionem accessio, ipso etiam Rege ad Christum conuerso, aduersus quem (vt dicemus) Maximinus diutius decertauit.

MARTYRES MAIORIS ARMENIAE.

Non inficias iuerim Acta illa Gregorij complura habere, quæ haud cunctis arrident in omnibus. Ceterum scimus ea citata esse ab Euthymio [a] accuratissimo auctore, cum ait: Itaque S. etiam Gregorius Magnæ Pręsul Armeniæ ante omnes iussit Cruces ligneas quibusdam in locis a se collocatas adorari, ad easque tamquam ad sacra perfugia cócurri; idque cum non dum esset Pontifex declaratus, easque nec ablutione, nec clauo, nec sanguine expiasset.] hæc ipse. est autem locus in Actis ipsius Gregorij his verbis expressus: Itaque accensis lampadibus & cereis transfert capsas martyrum, & earum vnamquamque proprius accipit locus; et diuinus Gregorius signum Dominicæ passionis, venerandam Christi Crucem statuit in vnaqua-
E que earum. Non autem solum sepulchra fuere ædificata, sed etiam templum, &c.] & paulo post: Martyr igitur Crucem hic quoque statuit, & iubet multitudinem, quæ illic assidue versabatur, & eo ventitabat, prompto & alacri animi studio Deo cultum offerre per adorationem Crucis.] hæc ibi de loco citato ab Euthymio, qui ex ijsdem, vt ait, Armeniorum libris (sic enim vocat Acta Gregorij) hæc rursum citat: Cum enim a dæmonibus ante baptismum agitarentur, decreuerunt ieiunare sexaginta dies. Deinde cum eos esset baptizaturus, triginta dierum ieiunium illis præscripsit, vt in ipsis quoque Armeniorum libris memoriæ proditum est.] hæc Euthymius; quæ quidem in ijsdem Gregorij Actis habentur his verbis expressa: Cum totos ergo triginta dies eis ieiunium imperasset, & orationem, ab ipso Rege incipiens, & a Regina, & sorore, & per eos postea qui magistratus gerebant, & per ceteros demum peruadens, baptizat omnes in Euphrate, & reddidit filios lucis & diei. Deinde aliud templum excitat prope Euphratem, & in eo diuina celebrat mysteria; atque, vt par est, sacrificat. Christus quidem ne hic sane obliuiscitur miraculorum.

[a] Euthym. in Panopl. part. 2. tit. 10.

ACTA GREGORII EPISC. IN ARMENIA.

Sed illi quidem baptizabantur in Euphrate, eius autem retinebatur fluentum, & videbatur columna lucis tamquam super basim posita super aquas, simul autem cum ea Crux oriebatur in capite, &c.] A

De ordinatione autem eiusdem Gregorij facta ab Episcopo Cæsareæ Cappadociæ Leontio, meminit S. Nicon in epistola ad Enclystium [a], cum redarguit recentiores Armenos, dicēs: Deinde cum Magnus Gregorius, qui fuit magnæ Armeniæ Episcopus, cauisset Armeniæ Episcopum a nullo alio esse ordinandum, quàm ab illius temporis Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopo, vt ipse fuerat ordinatus, & horrendæ execrationes & anathema in eos sit intentatum, qui aliter faciunt; hæc quidem illi transgrediuntur, &c.] Fulgebat hoc tempore, totumque Orientem illustrabat Leontij Episcopi Cæsareæ Cappadociæ nomen insigne: ea de causa superioris Armeniæ Princeps Gregorium eo misit ordinandum. Extant hactenus litteræ ad Leontium hac de re tunc scriptæ his verbis [b]: B

[a] Extat tom. 1. Biblioth. Sanct.

[b] Apud Sur. tom. 5. die 30. Septemb.

EPISTOLA TIRIDATIS REGIS ARMENIAE.

Profundæ tenebræ, cum aliorum peccatorum, tum impietatis maxime, nos diu operuerunt: hinc factum est, vt nec ad veritatem aspicere, nec communem omnium opificem potuerimus olim intelligere. Cum enim & alium nobis Solem in terra Magnum misisset Gregorium, & sanctas ostendisset virgines, vt per ipsas nos quoque agnosceremus illius bonitatem & humanitatem, eos immanissime præ furore puniuimus; et ipsæ quidem miserabiliter, prò dolor, a nobis interfectæ fuerunt: hic autem Dei inuicta confirmatus virtute, sæuitiæ nostræ, & insidiis semper superfuit. Verum nec sic quidem abyssus ille miserationum, & infinitum pelagus clementiæ nos despexit pereuntes: sed huius diuini Gregorij doctrina & precibus, & gloriosarum illarum virginum & martyrum intercessionibus crassam illam caliginem abstulit a nostris animæ oculis, & ad lucem veritatis deduxit, illiusque agnitionem & fidem. Eum ergo, qui fuit nobis auctor tot bonorum, nostræque salutis dux certus & dispensator, doctorem & pastorem reliquæ vitæ & virtutis non nos solum elegimus, sed diuina quoque visio talem sententiam e supernis obsignauit: per quam ipsum quoque annuentem ad vestram misimus sanctitatem, vt ab eius manu & lingua ipse consecretur in Pontificatu: et cito nobis, qui grex eius sumus, reddatur.] hactenus eius litteræ. sed post hæc rursum Acta: C

GREGORIVS ORDINATVR A LEONTIO.

Hac accepta epistola Leontius Magnum Gregorium & Legatos accipit honorifice; et cum eum, simul adhibitis aliis qui aderant Episcopis, consecrasset; cum pari humanitate dimittit & honore. Illinc ergo reuersus diuinus Gregorius, quos in prope viam sitis ciuitatibus vidisset dignos, qui fierent sacerdotes, & aptos, quorum fidei crederetur verbum doctrinæ, eis ea suasit, quibus erat opus: et illos assumens adduxit in pietate sibi opem laturos, futurosque sacerdotes ipsius Armeniæ & propinquarum gentium. Cum autem iam ingredius esset fines Armeniæ, nunciatur ei relictum esse quoddam templum Herculis situm super flumen Euphratem, & in eo esse aram, in qua dæmonibus & Herculi fiunt sacra. Cum ergo ad hoc templum venisset, sola oratione (neque enim ei quisquam humanas admouit manus) qui in eo erant dæmonibus machinis omnibus & spectris depugnantibus aduersus euersionem, ab ipsis euertit fundamentis; et alterum excitat Domino, quod ei exaduerso responderet, in eoque deponit reliquias Præcursoris Baptistæ, & martyris Athenogenis: eæ enim inferebantur. postmodum etiam aram consecrat, & in ea Deo incruenta offert sacrificia, &c.] hæc modo satis de Ecclesia in Maiori Armenia iuxta Euphratem coalescente. D

Quod autem spectat ad reliquias Athenogenis: fuerat hic Episcopus Sebastenus Minoris Armeniæ ante paucos annos sub hac eadem persecutione Diocletiani martyrio coronatus, cuius mentio facta est: dignum vero est credere, hoc ipso itinere Gregorium Sebaste pertranseuntem, eumdem martyrem veneratum, eiusdem accepisse reliquias, quibus nouam ecclesiam consecrauit. Sic igitur Ecclesia in Maiori Armenia, facto iam Rege Christiano, magnopere est illustrata, propagataque Christiana religio ad eiusdem successorem Arsacem, qui a Iuliano apostata Christianitatis causa (quod narrat Sozomenus [c]) dire exagitatus, demum a Sapore Rege Persarum per insidias captus, multa passus, interijt [d]. Sed hæc suis locis vberius. At de Tiridate atque Gregorio hæc demum Nicephorus [e]: Sunt qui Gregorium vna cum Tiridate ad Imperatorem Magnum Constantinum venisse tradant; eumque tam miranda & inopinata audientem, magnopere lætatum esse.] sed hæc puto accidisse cum Constantinus abijt in Orientem, quando ad eum e remotissimis Orbis partibus (vt tradit Eusebius [f]) legationes venerunt. At de rebus in Armenia gestis tempore huius persecutionis hæc satis. E

[c] Sozom. lib. 6. c. 1.

[d] Ammian. Marcellin. lib. 27.

[e] Niceph. lib. 8. c. 35. in fine.

[f] Euseb. lib. 4. c. 7. in Vit. Constant.

Sed nec caruit Mesopotamia, ad Euphratem posita regio, gladio persecutoris: dirissima namque

A namque supplicia ibi passos esse Fideles, in primis Eusebij [a] testimonio cõprobatur. Sicut enim antiquissima, ita & florentissima erat eius prouinciæ Ecclesia. Palmyra quoque eadem clade vexata est, agentibus hæc Lysimacho Præside, Primo addito illi comite, ac Seleno: cum inter alios martyres Febronia virgo Deo dicata Sibapoli ob innumera perpessionum genera facile princeps enituit; cuius quidem res gestæ fidelissime scriptis tunc mandatæ sunt a Thomaide sacra virgine diaconissa, tum ex ijs quæ vidit, tum etiam quæ a Lysimacho ad Christum postea conuerso accepit [b]. At de martyribus hoc decennio passis hactenus; sed ex innumeris paucos retulimus, quorum celebrior est memoria, eademq. certa in Ecclesiastica monumenta relata, atque anniuersaria cõmemoratione tam a Græcis quàm a Latinis repeti solita. Porro non omnes, qui modo recensiti a nobis sunt diuersarum prouinciarum martyres, licet sub hac persecutione passi sint, hoc tamen ipso anno necatos esse contendimus; sed libuit nouissimo hoc B Diocletiani persecutionis anno nonnullorum martyrum meminisse, qui eadem persecutione martyrio coronati traduntur, quo tamen potissimum anno id acciderit, ignoratur.

a Euseb. lib. 8. c. 24. MARTYRES IN MESOPOTAMIA.

b Apud Metaph. die 15. Iunij.

Verum qua occasione hoc ipso anno eadem persecutio conquieuerit; quid ea de re scribat Eusebius [c], audiamus: Eiusmodi, inquit, erant ea mala, quæ toto persecutionis tempore regnarunt, cuius æstus, vt octauo anno (Dei iuuante gratia) cœpit paululum deferuescere, sic decimo anno consopitus fuit. Nam cum diuina & cælestis gratia clementem suum & propitium obtutum in nos ostendere dignata esset: tum Imperatores nostri temporis, illos dico per quos iamdudum persecutionis tempestates in nos excitatæ fuissent, sententia sua, tamquam miraculo quodam diuino commutata, palinodiam (vt aiunt) cecinerunt: et benignis edictis atque decretis humanissimis de nobis promulgatis, persecutionis ardorem in primis efferuescentem prorsus extinxerunt. Neque quisquam mutationis huius causam ad humanum auxilium, aut C ad Imperatorum (vt fortasse aliquis dixerit) commiserationem aut clementiam referat (multum sane abest, cum præsertim in dies singulos plures suppliciorum formæ, & acerbiores ab initio ad illud vsque tempus contra nos ab illis excogitatæ sint, dum cruciamenta nobis inflicta varijs machinis aliàs aliter innouare studebant) sed ad Deum reuera, qui tam benigne nobis prospexit, accommodandam: quiq. non modo populo reconciliatus fuit, verum etiam ipsum malorum tamquam architectum, & cladis totius persecutionis præcipuum auctorem insectatus, grauiter exagitauit.

c Euseb. lib. 8. c. 18. & 29. PAX REDDITA ECCLESIAE ORIENTALI.

Et quamuis ista diuino iudicio & decreto fieri oporteret: tamen, Væ, inquit sacer Dei sermo [d], per quem scandalum venit. Illum ergo castigatio & pœna cælitus inuecta occupauit, & ex ipsa carne exorsa peruasit ad animum. Ex improuiso enim in illis corporis partibus, quas natura ob verecundiam contexit atque abdidit, nascitur apostema: deinde in interioribus corD poris recessibus vlcus purulentum & fistulosum; atque istorum insanabilis morsus intima depascebatur viscera, quæ quidem infinita vermium multitudine redundarunt, vnde fœtor letalis & pestifer efflatur: quandoquidem vniuersa corporis moles ex nimia eius, antequam in morbum delaberetur, helluatione & ingluuie in immensam pinguedinem commutata erat; quę cum putredine contabefacta, intolerabile & horrendum spectaculum ijs, qui appropinquabãt, exhibuit. Proinde ex medicis alij, qui exuberantem fœtoris graueolentiam ferre omnino non poterant, fuere eius iussu trucidati: alij tota corporis mole intumescente, & in salutis desperationem delapsa, cum nihil opis afferre valerent, crudeliter interfecti. Atqui Tyrannus tantis cum miserijs colluctans, tandem sua maleficia in pios homines admissa animo recognoscere cœpit. Mentem igitur recolligens, & tamquam rediens ad se, primum Deo omnium rerum creatori confitetur: deinde suis ad se accersitis, persecutionem contra ChristiaE nos sine dilatione sedare & comprimere iubet, lege & decreto Imperatorio ipsos Christianos templa sua exædificare, rem maturare, consueta officia in illis facere, preces pro Imperij statu fundere. Statim ergo ipso facto verbis probe consentiente, edicta Imperatoria in singulis ciuitatibus palam diuulgantur, quæ quasi palinodiam & retractationem iniuriarum nobis illatarum complexa sunt in hunc modum [e]:

d Matth. 18. DIVINA VLTIO IN GALERIVM MAXIMIANVM.

e Apud Euseb. lib. 8. c. 28.

Imperator Cæsar Galerius Maximinus*, Inuictus, Augustus, Pontifex Maximus, Thebaicus Max. Sarmaticus Max. V. Persarum Max. Germanicus Max. Aegyptiacus Max. II. Corporum Max. VI. Armeniorum Max. Medorum Max. Adiabenorum Max. Trib. potest. XX. Dictator XIX. Cos. VIII. Pater patriæ, Procos. & Imperator Cæsar Flauius Valerius Constantius*, Pius, Fortunatus, Inuictus, Augustus Pontifex Max. Tribunit. potest. Dictator V. Cos. Pater patriæ Procos.

* Maximianus. GALER. MAXIM. EDICTVM PRO CHRISTIANIS. * Constantinus.

Inter cetera, quæ pro communi Reipublicæ vtilitate & commodo statuimus, volebamus iam antea ex veterum legum institutis & publica Romanorum disciplina omnia corrigi, inq. pristinum

ſtinum ſtatum reſtitui, & prouidentiam ac curam haberi, vt Chriſtiani, qui maiorum ſuorum ſectam & religionem deſeruiſſent, ad rectam eiuſdem inſtitutionem reuerterentur. Verum quoniam illi tanta animi inſolentia inflati ſunt, tantaq. elati arrogantia, vt quæ erant a veteribus decreta (quæ quidem fortaſſe maiores eorum ſanciuerant) nullo modo ſequerentur; ſed ſuo quodam inſtituto, & vt cuique viſum erat, ſic quiſque ſibi tum leges promulgare, tum eaſdem obſeruare, tum in varijs locis varios hominum conuentus cogere vellet: Nos propterea edictum illico tulimus, vt ad veterum inſtituta ſe transferrent; vnde complures periculo vitæ obiecti, nonnulli grauiter perturbati varia mortis genera ſuſtinuerunt. A

Et quoniam non pauci in eadem peruicacia perſiſtebant; et eos nec dijs cæleſtibus debitum cultum tribuere, neque Chriſtianorum Deo venerationem adhibere videbamus: nos idcirco ad manſuetudinem noſtram, & diuturnam clementiæ noſtræ cõſuetudinem, qua veniam omnibus hominibus impertire ſolebamus, oculos conuertentes; libentiſſime iſtud conceſſimus, vt homines denuo ſe libere Chriſtianos profiteantur; vt ædes, in quibus conuenire ſolent, reſarciant: ſic tamen, vt nihil contra publicam Romanorum diſciplinam moliantur. Per alias item litteras Iudicibus ſignificabimus, quid ipſos obſeruare oporteat. Vnde Chriſtiani hac indulgentia a nobis conceſſa deuincti, debent Deo ſuo obnixe ſupplicare pro noſtra, pro Reipublicæ, pro ſua ipſorum ſalute; vt quouis modo, cum publicus rerũ ſtatus integer & incolumis retineatur, tum ipſi in ſuis familijs abſque cura & ſolicitudine vitam traducere queant.] hucuſque Galerij edictum. B

Sed in eo primũ deprauatum eſt, quòd in inſcriptione ſui Maximinũ habeat pro Maximiano: dictũ namque fuiſſe Galeriũ Maximianum, nõ Maximinum, ex mille propemodũ antiquis inſcriptionibus conſtat, quod & ſuperius demõſtrauimus. Rurſum vero mendũ irrepſit, vt loco Conſtantini poſitus legatur Conſtantius, quẽ ante quinque annos ex hac vita deceſſiſſe, certũ eſt. Apparet igitur tum ex Conſulatu octauo Galerij, tum etiã ex Tribunitia poteſtate vigeſies iterata (tot enim fluxerunt anni ex quo creatus eſt Cæſar, poteſtasq. Tribunitia eidem collata fuit) in ſuperiori poſita inſcriptione, hoc ipſo anno eiuſmodi edictum fuiſſe ab eodem Galerio promulgatũ, quo item anno mortuus eſt, vt idem Euſebius mox indicat dicens: Quin ille ipſe, qui huius edicti auctor fuit, non longo tempore poſt huiuſmodi confeſſionem habitam e vita migrauit, doloribus, quibus oppreſſus erat, liberatus. Iſtum etiam fertur primum, præcipuumq. calamitatis, quæ Chriſtianis in perſecutione contigerat, auctorem extitiſſe, & iam pridem ante tumultum a ceteris Imperatoribus concitatum, Chriſtianos, cum qui in militia verſabantur, tum primum omnium qui in ipſius familia degebant, vi ex fide auertere conatum; et illos ex dignitatis militaris gradu, in quo locabantur, deieciſſe; hos autem maxima contumelia & dedecore affeciſſe: iam vero alijs intuliſſe mortem; ad extremum ceteros Imperatores, qui erant cum ipſo in illa honoris amplitudine coniuncti, ad omnes Chriſtianos perſequendos commouiſſe.] hæc Euſebius, qui Diocletiani & Maximiani exitum miſerabilem refert: ſed de his ſuis locis opportunius, quibus ea contigerunt. C D

GALER. MAXIM. OBITVS.

a Euſeb. lib. 9. c. 1.

Quæ vero poſt hæc ſequuta ſint, idem [a] declarat his verbis: Hæc palinodia, ſiue retractatio, auctoritate Imperatorum Galerij Maximiani & Conſtantini, quos ſupra poſuimus, edita, paſſim in omnibus Aſiæ partibus, inq. ſingulis eiuſdem prouincijs diuulgata fuit. Qua re in hunc modum confecta, Iouius Maximinus in hunc modum in Oriente tyrannidem exercens, ſceleſtiſſimus ille quidem, maximeq. impius (ſi quiſquam alius) & pietatis in Deum rerum omnium ſatorem hoſtis acerrimus, cum litteræ, quibus hæc retractatio continebatur, neutiquam ipſi arriderent, pro mandato, quod ſcripto in illis erat enunciatum, verbis ſolum magiſtratibus ipſius Imperio ſubiectis mandat, vt perſecutionis bellum contra nos excitatum remittant. Nam cum ei non integrum eſſet, eorum iudicio, qui priores Imperij partes tenebant, aliter refragari; decretum retractationis omnibus propoſitum in obſcuro collocare, & aliqua ex parte ſupprimere molitur; totoq. animo connitens, ne Imperij partibus ſub ipſius ditionem ſubiectis in apertum proferretur; magiſtratibus ei obſequentibus edicto non ſcripto mandat, vt perſecutionem contra nos excitatam relaxent. His litteris ſe ipſi mutuo de mandato certiores faciunt. Nam Sabinus, qui ſummus prouinciarum Præfectus, & maximo in honore apud Imperatores fuit, Maximini ſententiam ac voluntatem prouinciarum Præſidibus per epiſtolam Latinis litteris ſcriptam ſignificat in hunc modum: E

MAXIMINVS QVALIS.

SABINI PRAEF. EPISTOLA PRO CHRISTIANIS.

Diuina Imperatorum DD. noſtrorum ſanctiſſimorum maieſtas incredibili ac ſingulari ſtudio inflammata, omnium hominum mentes ad ſanctam rectamq. viuendi viam traducere iam pridem decreuerat, quo hi qui religionis inſtitutionem & conſuetudinem a Romanorum more alienam ſequi videbantur, deinceps iuſtos debitoſq. cultus dijs immortalibus impertirent.

Verum

A Verum quorumdam pertinacia & peruersa voluntas eo temeritatis processit, vti neque recta mādati præscriptione a proprio instituto recedere voluerint, neque suppliciū ipsis inflictum eos vlla ex parte potuerit perterrere. Quare quoniā accidit, vt nōnulli ea de causa se in graue periculum coniecerint; diuina dominorum nostrorū potentissimorum Imperatorum celsitudo propter eximiam suæ insignis pietatis præstātiam, alienum a diuinissima ipsorum voluntate ac proposito statuens, vt homines huiusmodi de causa in discrimen veniant; præcepit, vt ipse ad tuam prudentiam litteras exararem, vt si Christianorum quisquam religionē suæ gentis sequi & obseruare comperiatur, illum molestia & periculo ipsi intentato eximas, & neminem eiusmodi de causa pœna mulctandum statuas: præsertim cum longa temporis progressione satis explorate cognitum & perspectum sit, illos nullo modo, nullaq. ratione persuaderi posse, vt ab eiusmodi contumacia aliquando desciscant. Quocirca tua perspicax solertia ad Curatores, Præfectos B præsidiorum, & Præpositos cuiusque ciuitatis & pagi, litteras scribere debet, vt intelligant se debere sedulo præcauere, ne extra cancellos huius edicti egrediantur.] hucusque Sabini litteræ. Sed pergit Eusebius:

Ob hanc causam, hi qui in singulis prouincijs præerant, sententiam eorum, quæ ad ipsos scripta erant, in primis veram arbitrati, Curatoribus, Præfectis præsidiorum, & Præpositis in singulis agris constitutis, Imperatoris voluntatem per litteras palam fecerunt. Neque ista scriptis solum commode processerunt, sed rebus ipsis etiam multo magis: nam hæc, perinde ac si ab Imperatore imperata fuissent, reuera ad exitum perduxerunt; et tam hos, quos carceribus inclusos propter fidei in Deum professionem tenebant, quàm illos, quos cruciatus causa ad metalla condemnauerant, in apertum educentes, liberos dimiserunt. hoc enim reipsa Imperatori visum esse, suspicati sunt, sed falso quidem.

C Istis igitur rebus hoc modo constitutis, derepente ab omnibus ciuitatibus Christianorum Conuentus frequentes in vnum coalescentes, & crebros congressus, qui inter istos de more in ritibus suis obeundis fieri solent, tamquam lumen quoddam post tenebras & noctem opacam effulgens, cernere licuit. Vnde tota infidelium gentium multitudo non parum obstupefacta, cum incredibilem tantæ mutationis rationē admirando, tum propterea solum Christianorum Deum, verum & magnum Deum esse, voce contenta exclamando. Ex nostris autem illi, qui persecutionis certamen fideliter & magno animo obijssent, præ ceteris omnibus permagnam animis lætitiam denuo perceperunt. At qui fide ægri & infirmi fuissent, & iam propterea conscientias haberent quasi tempestate iactatas, libenter remedium sibi inuenire maturarunt; et ijs qui erant robusti in fide, supplicare, eorum dexterā salutarem sibi porrigi, exposcere; et Deum ipsis propitium fore, obtestari cœperunt. Deinde generosi & magnanimi pietatis athletæ, me- D tallorum afflictatione liberati, ad suam patriam redierūt, hilariq. & læto aspectu per quamque ciuitatē profecti sunt, & gaudio pene inexplicabili, animorumq. alacritate, quæ nulla oratione explicari poterit, completi. Ingētes igitur hominū cateruæ per medias vias ac publicas plateas transeuntes, hymnis & psalmis Deum laudauere, sicq. itineris sui deuorauere molestias. Atque illos, qui vt captiui supplicio crudelissimo paulo ante excruciati fuissent, & patria sua eiecti, læto atque hilari vultu se ad suos proprios lares recipiētes vidisses, vsque eo, vti etiam illi qui nos neci dare magnopere expetiuissent, vbi hanc mutationem adeo mirandum in modum factam conspexerunt, nobiscum vna de rerū euentis non nihil lætari viderentur.] hucusque Eusebius. Quæ autem Maximinus rursum aduersus Christianos statuerit, paulo inferius dicemus.

Pace reddita floret ecclesia.

Hoc eodem anno, vigesimasexta Septembris moritur Eusebius Papa (ipsa enim quoque die natalis eius adscriptus habetur in tabulis Ecclesiasticis) cum sedisset annos duos, menses se- E ptem, dies sexdecim: cum alioqui sciamus in Eusebij Chronico septem tantum menses Eusebio tribui; rursus vero nimis discrepans ab his tempus reperitur adscriptum in tabulis Ecclesiasticis, nimirum annorū sex, mensis vnius, & dierum trium: sed in his magis placuit sequi indicem Cresconianum, in quo Eusebij sedes duorum annorū, mensis vnius, & dierū vigintiquinque spatio notata habetur. Verum quod ad numerum mensium & dierum attinet, habita considerationе exordij sedis eius, cœptæ (vt dictū est) quinta Februarij, vsque ad vigesimamsextā Septēbris, quo in Ecclesia agitur ipsius dies natalis; eum sic, vt diximus, oportuit definisse. His accedit, quòd cum in libro de Romanis Pontificibus mēdose legatur, eum sedisse a Consulatu Maximini nono (cum nullus in Fastis adscriptus sit, nec adscribi potuerit Cōsulatus Maximini nonus, cuius nec vnius quidem memoria est Consulatus) de vltimo Consulatu Galerij Maximiani, qui in hunc annum incidit, esse intelligendum, putamus; licet nec dicendus sit nonus, sed octauus: neque est quòd ad Consulatum nonum Maximiani Herculij referri possit, quo adscriptus est annus Domini trecentesimusseptimus: nam eo tempore Marcellum sedisse, exploratissimum

Eusebii papa obitus.

tissimum est; quem propagasse sedem vsque ad annum notatum, post eiusdem Consulatum, A
qui est trecentesimus nonus, eiusdem quoque libri auctoritate testatum habetur.

Quod pertinet ad res ab eo gestas; obscura plane, inopia scriptorum, vel scriptarum rerum iactura, eius memoria est. Sed quæ in eodem commentariolo de Romanis Pontificibus de eo scripta habentur, hic prodimus, scilicet: Huius tempore Crux Domini nostri Iesu Christi quinto Nonas Maij inuenta est, baptizatus quoque Iudas, post Quiriacus vocatus, Crucis inuentor.] hæc de inuentione Crucis ibi; quibus scimus quamplurimos aduersari, & in eam pedibus ire sententiam, vt id factum sit, postquam celebratum est Nicænum Concilium, cum Constantinus vnà cum matre ageret in Oriente. Certe quidem refragatur his vehementer, quòd ex Eusebio [a] certum illud affirmatur, Helenam post Constantinum Christianam religionem amplexatam esse: quamobrem si hoc tempore Eusebij Papæ, nec Constantinus Christianus erat, quo modo Helena & ipsa deorum cultrix potuit inueniendæ Crucis Christi adeo studiosa fuisse, atque solicita? At de Crucis inuentione suo loco agendum inferius. B

De crucis inventione sub Eusebio papa.

a Euseb. lib. 3. c. 46.

Sed de Eusebio rursum in eodem libro hæc scripta habentur: Hic fecit ordinationem vnam mense Decembris, presbyteros tredecim, diaconos tres, Episcopos per loca quatuordecim. Sepultus est in cœmeterio Callisti, via Appia, quarto Nonas * Octobris, & cessauit Episcopatus eius dies septem.] hæc ibi. De eodem quoque Eusebio Papa scriptum legitur in Actis S. Eusebij illustris nominis Episcopi Vercellensis, hoc tempore e Sardinia insula ad ipsum venisse Restitutam nobilem feminam Christianam viduam, secumq. duxisse filium, & Eusebio Papæ tradidisse; quem idem Pontifex egregie fide Christiana imbutum baptizauit, suoq. nomine nuncupauit, atque Eusebium nominauit; dignum plane tanti Pontificis germen, quo fides Catholica in Oriente propemodum extincta cœpit lætiori propagine reuiuiscere. Sed de eo pluribus suo loco. At de Eusebio Papa satis, quem Theodoretus [b] non agnouit, sicut nec Marcellū: C nam Melchiadem successisse Marcellino affirmat. Verum non nostrates modo, sed etiam transmarini vtrumque nouerūt, vt Optatus [c] Mileuitanus, & S. Augustinus [d], alijq. recentiores omnes. Cum igitur, vt dictum est, post obitum Eusebij diebus septem Episcopatus cessasset, tertia die Octobris sedere cœpit Melchiades *.

**Kalendas*

Eusebii Vercellensis primordia.

b Theodoret. lib. 1. c. 3.

c Optat. Mileuit. contra Parmen. lib. 2.

d August. epist. 165.

**Miltiades Melciades*

MELCHIADES PAPA.

Cum vero in libro de Romanis Pontificibus hæc tradantur de Melchiade: Fuit natione Afer, sedit annos tres, menses septem, dies octo, Consulatu Maximini nonò vsque ad Maxentium secundò Consulem, qui fuit mense Septembris, Volusiano & Ruffino Coss.] omnia plane inuersa esse constat: nam nihil commune habet Maxenrij Consulatus secundus cum Consulatu Volusiani atque Ruffini, qui biennio post occisum Maxentium contigit. Quamobrem nulla prorsus spes restituendi loci omni ex parte corrupti esse potest. Iam vero ad ea, quæ huius anni reliqua sunt Maximini Imperatoris, orationem reuocemus. D

Melchiadis papae successio.

Eodem namque anno, cum necdum menses sex a reddita pace Ecclesiæ præterlapsi essent, Maximinus Imperator, qui vna cum Licinio Orientale regebat Imperium, eam contrarijs edictis in Christianos editis, alijsq. nouis ad Christianam fidem penitus conuellendam excogitatis, penitus abstulit, bellumq. immane restituit. Hæc autem quo modo se habuerint, Eusebius [e] his verbis enarrat: Verum Tyrannus, quem partes versus Orientem regere diximus, quia probitatis osor fuit maximus, & omnium bonorum insidiator, ista amplius ferre non potuit: neque ad sex menses integros ita cum rebus nostris agi passus est. Nam quæcumque ad pacis & tranquillitatis nostræ euersionem facere videbantur, omnibus (vt dicitur) opibus, viribusque machinatus, primum occasione arrepta, nos conuentu, qui in cœmeterijs a nobis fieri solet, interdicere conatur: deinde per nefarios quosdam & perditos viros ipse, quo suo animo satisfaceret, legationem mittit, ciues Antiochiæ hortaturus, vt illi tum ab ipso maximi beneficij loco flagitarent, vti nullus Christianus ipsorum patriam incolere permitteretur, tum alios etiam ad idem præstandum impellerent. Quarum rerum omnium gerendarum dux fuit & princeps Theotecnus, in ipsa Antiochia natus, & eiusdem ciuitatis Curator, vir crudelis, vafer, improbus, & a sua appellatione maxime alienus. E

Maximinus imp. persequitur ecclesiam.

e Euseb. lib. 9. c. 2.

Hic igitur postquam nos grauiter oppugnauerat, & omnibus modis nostros tamquam impios quosdam fures celeriter ex latebris eruerat, & omnia ad calumniam nobis & criminationem inferendam molitus erat, & mortis auctor ac causa infinitis prope extiterat: tandem idolum & simulacrum quoddam Iouis φιλίου, idest, qui amicitijs contrahendis præest, erigit:

Falsa miracula addita.

A inq. eo magicis præstigijs falsa edit miracula, & ad eius cultum nefaria mysteria, initiationes impuras, & scelestas expiationes excogitat: efficitq. vt oraculorum præstigiæ, quibus ea quæ instituebat absoluit, ad aures Imperatoris peruenirent. Quin etiam quo assentatione & blanditijs in Imperatoris animum influeret, dæmonem contra Christianos excitat: asseritq. Deum præcepisse, vt illos tamquam ipsi infestos, ex vrbe, agrisq. penitus expellere properarent.] hucusque Eusebius. At quod ad miracula spectat: affectare simulata miracula Gentiles consueuisse, quæ dicta sunt in Vespasiano, atque etiam in obitu Hadriani, necnon temporibus Antonini, satis aperte demonstrant.

Sed ad conatus Maximini contra Christianos redeamus. Cum igitur (inquit Eusebius[a]) Theotecnus primus hæc ex sententia gessisset, ceteri omnes magistratus, qui ciuitates Maximini Imperio subditas incolebant, simile suffragium contra Christianos ferre instituerunt. Vbi B etiam Præfecti prouinciarum hoc Imperatori pergratum esse perspiciebant, idemq. ipsum subiectis suis transfigendum suggesserant; et Tyrannus ipse per rescripta eorum sententijs & decretis libentissime assensus erat: persecutionis flamma contra nos deintegro incenditur. Statuarum igitur & simulacrorum sacerdotes, Pontifices etiam viri in Reipublicæ negotijs obeundis eximij, & in omni ministerij genere ad deos spectantes, præstabiles, & in quibus incredibile studium insidebat obsequij idolis præstandi, in singulis ciuitatibus a Maximino creantur. Nam absurda Imperatoris superstitio (vt breui comprehendam) tum magistratus, tum priuatos omnes omnia contra nos moliri, quo illi gratificari possent, induxit: quippe pro beneficijs, quæ ab illo se assequuturos sperabant, se illi, si mortem nobis inferrent, aliaq. noua & inaudita scelera aduersus nos ederent, maxime gratificaturos putarunt.

a Euseb. lib. 9. c. 3. 4. 5.

Pilati præterea & Saluatoris nostri rerum gestarum, tamquam commentarios quosdam omni C blasphemia & conuicio contra Christum refertos confinxerunt: quos de sententia Imperatoris in totum regnum, quod eius ditioni parebat, mittunt; perq. litteras iubent, vt in quibusq. locis, agris, & ciuitatibus hi palam omnibus exponerentur, & ludimagistri pro alijs disciplinis pueros in hisce sedulo exercerent, hosq. illis memoriæ mandandos traderent. Quibus hunc in modum confectis, alius dux exercituum apud Damascum Phœniciæ mulierculas quasdam infames impurasq. e medio foro arripit; illisq. adeo grauia se tormenta inflicturum interminatur, vti eas asseueranter dicere cogat, cum quòd olim fuissent Christianæ, tum quòd nefandi sceleris cum Christianis consciæ extitissent; tum quòd in suis ipsorum templis, quæ Græci Dominica vocant, res obscœnas & libidinosas gessissent; et alia etiam, quæ eas in nostræ religionis reprehensionem & ignominiam falso effutire voluit: quarum voces in commentarios relatas, Imperatori etiam ostendendas curauit; cuius iussu in singulis vrbibus locisq. hæc scripta D diuulgantur. Verum dux iste, non longo temporis interuallo interposito, sibiipsi manus graues inferens, debitum suæ improbitatis supplicium luit.]

PROBROSA PILATI NOMINE ACTA SVPPOSITA.

Post hæc sequitur narratio de martyrio Siluani Emesæ Episcopi, Petri Episcopi Alexandrini, & Luciani presbyteri Antiocheni, quæ quidem alterius potius auctoris, quàm Eusebij esse putamus; nisi velimus eum sibiipsi esse contrarium, & turpiter hallucinatum; cum (vt dictum est) tam asseueranter ante testetur, Petrum Alexandrinum nono persecutionis anno sub Diocletiano excitatæ passum esse, duodecimq. tantum annos sedisse, eorumq. tres ante persecutionem in pace transegisse. Quòd si dixerimus ipsum sub Maximino hoc anno esse necatum, ipsum sibi in omnibus aduersantem constituemus. Cum igitur tum Eusebius, vt dictum est, tum Acta eius ante hæc tēpora, nempe sub Maximiano, esse passum, & post eum, Lucianum subijsse martyrium, itidem Eusebius, Actaq. ipsius, & Athanasius[b] affirment: cesset omnis dubi- E tatio de tempore martyrij Petri & Luciani, quos suo loco nos secundum exactam rationem temporis collocauimus. Nequaquam enim progressam esse vsque ad sanguinem restitutam eiusmodi per Maximinum in Christianos persecutionem, ex eius priore edicto pro Christianis, tempore Constantini dato, cuius litteras ad Sabinum Eusebius[c] recitat, plane declaratur. Porro quæ hic veluti ab Eusebio ponuntur de illorum martyrio, alterius potius esse additamentum, inde magis persuademur; dum quæ post illa narrata sequuntur, ijs quæ superius dixerat de Actis Pilati confictis, magis aptari videntur, quàm importunæ adiectæ de martyribus narrationi: nam sequitur[d]: In medijs porro ciuitatibus (quod numquam alias contigerat) cum vrbis cuiusque in nos decreta, tum ipsius Imperatoris præterea rescripta in columellas æneas incisa eriguntur. Pueri quoque in ludis litterarijs Iesum & Pilatum, commentariosq. ad Christi contumeliam confictos, in ore & sermone quotidie habuerunt. Atque hoc loco mihi necessarium videtur, illud ipsum Maximini rescriptum in columellis æneis palam propositum citare, quo pariter & insolens ac superba viri, impietatis odijq. in Deum peruicacia, & diuina vltio,

ADDITAMENTVM AD EVSEBIVM.

b Athanas. in Synopsi in fine.

c Euseb. lib. 9. c. 8.

d Euseb. lib. 9. c. 6.

quæ

quæ cum breui post insectabatur, quæq. ob nequitiæ odium, quo tenetur, & ad impios puniendos assiduè & vigilanter incumbit, manifesto appareat: qua quidem impulsus non longo tempore post, contraria de nobis consilia inijt, & legis scriptis sanciuit eadem, stabiliuitque. sed primum rescriptum totidem verbis explicatum ad hunc modum se habet: A

MAXIMINI IN CHRISTIANOS RESCRIPTVM. Exemplar rescripti Maximini ad ciuitatum decreta contra nos sancita respondentis ex columna ærea Tyri descripti.

Quoniam omnis erroris caligo, & tamquam nebula, quæ quidem antehac hominum non tantum impietate imbutorum, quàm inscitia misere cæcutientium sensus perniciosis ignorationis tenebris inuolutos obsederat, penitus discussa est, & dissipata: imbecilla humanæ mentis vis iam tandem facile perspicere potest, se benigna deorum immortalium prouidentia solum & gubernatam esse, & corroboratam. Atque res est dictu prope incredibilis, quàm gratum, quàm iucundum, & acceptum nobis fuerit, quòd tam insigne & clarum vestri pij erga deos instituti specimen ediderítis. Quin etiam ante hoc tempus nemini obscurum erat, qua obseruantia, quo cultu, erga deos immortales vti consueueritis: quibus vestra fides non nudis solum & inanibus verbis, sed continuis & admirabilibus rebus gestis satis cognita est & perspecta. Quapropter vestra ciuitas merito quidem, & optimo iure, deorum immortalium sedes & domicilium nuncupetur: multis enim exemplis liquet, eam deorum cælestium præsentia perpetuo floruisse. Ecce ergo vestra ciuitas, omnibus illis rebus, quæ ad eius commodum interesse videbantur, neglectis; et petitionibus, quibus pro suo ipsius statu vti solebat, penitus omissis; quando denuo execrabilis Christianismi inanitatis professores ac duces, velut incendium consopitum illud quidem, spretum tamen (quod facibus reuiuiscentibus maximas flammas & ardores rursus ex se fundit) incipere longius serpere senserat; protinus absque mora ad nostram religiosam maiestatem, tamquam ad cuiusque cultus & pietatis magistram ac patronam confugit, & ab ea remedium & auxilium supplex efflagitauit. Quam quidem salutarem cogitationem, propter constantem in vestra religione tuenda fidem, deos animis vestris iniecisse, perspicuum est. Ille namque, ille inquam altissimus & maximus Iuppiter, qui vestræ vrbis splendori & amplitudini præsidet, qui vestros deos patrios, vxores, liberos, lares, & domos, ab omni pestifera ac letali internecione liberat, in vestris mentibus hoc salutare consilium inseuit; aperteq. ostendit, indicauitq. quàm eximium, quàm magnificum, quàm salubre sit debita cum veneratione deorum immortalium religioni & sacrosancto cultui diligenter attendere. B C

DE DIIS FALSA PRAEDICATIO.

Quis enim tam amens, tamq. ab omni ratione alienus reperiri poterit, qui non animaduertat, clementi deorum in homines studio factum esse, vt neque terra semina sibi mandata cum fœnore reddere deneget, neque agricolarum spem inani expectatione fallat: neque rursus impius Mars tam horridus absque impedimento in terra vigeat, & roboretur; neque in æquabili cæli temperatione perturbata, corpora peste infecta, ægraq. celeriter ad mortem rapiantur: neque mare rigidis immoderatorum ventorum flatibus agitatum turgescat: neque repentinæ procellæ & abruptæ naufragam & periculosam tempestatem excitent: neque terra prætereа, quæ est omnium nutrix & parens, ab imis quasi visceribus graui cum trepidatione dehiscat: neque montes eius radicibus nixi, ingenti hiatu patefacto, deglutiantur? Quæ quidem mala omnia, hisq. multo grauiora, nemo est, qui ignoret ante hoc tempus sæpenumero obtigisse. Atque ista vniuersa acciderunt ob perniciosum illum & vanum errorem hominum nequam & improborum, Christianorum videlicet errorem: qui quidem cum in eorum animos illaberetur, vniuersum, prope dixerim, Orbem terrarum confusione quadam oppressit.] Hæc cum his litteris exprimat Maximinus, apertissime declarantur quæ Patres suis aduersus Gentes scriptis Apologijs validissime refellere conati sunt, nimirum consueuisse Gentiles non tantum cuncta beneficia cælitus impertiri solita dijs accepta ferre, sed mala omnia, quę ex quacumque occasione in Orbem essent illata, Christianis adscribere; quorum causa illiberaliter atque crudeliter pariter eos, vt Orbis faces, pœnis afficere, supplicijs exagitare, varijs horrendisq. mortis generibus subijcere non cessabant. Sed ad litteras Imperatoris redeamus, quibus (inquit Eusebius) idem hæc paulo post subdit: D E

CHRISTIANIS MALA OMNIA ADSCRIBI SOLITA.

Conuertant iam oculos ad camporum planiciem longe lateq. patentem; considerent lætas florentesq. segetes spicarum vbertate redundantes; prata intueantur propter fœcundos & moderatos imbres herbis & floribus splendescentia; aeris temperationem animaduertant, quàm æquabilis & quàm amœna sit. De reliquo omnes perfundantur lætitia, quòd per vestrã religionem, sacras victimas, & honorem dijs adhibitum, vis & impetus potentissimi robustissimiq. Martis placatus sit: et propterea placidissima pace constanter, & cum securitate ac quiete

A quiete sese oblectent. Et quicumque cæco illo Christianismi errore, & tamquam itinere deuio decedentes, ad rectam & præclaram mentem redierunt, multo magis lætentur animo, perinde ac si ex tempestate improuisa, aut morbo graui erepti fuerint; et in posterum iucundissimis vitæ commodis cum voluptate fruantur. Quòd si qui ex illis sint, qui in detestabili illa inanitate & inscitia obstinate persistant, longo locorum interuallo a vestra vrbe, & agris eam vndique ambientibus (sicuti a nobis postulastis) segregati, in exilium eijciantur: vt vestra ciuitas, secundum consentaneam vestri studij in hac causa positi rationem, ita omni erroris labe & impietate liberata, cum debito cultu, sicut in eius voluntate naturaliter insitum est, augustæ deorum immortalium venerationi, & obsequio se totam tradat. Vt igitur intelligatis, quàm grata nobis fuerit vestra in hac re petitio: animus noster, qui est ad gratificandum paratissimus, absque decretis, absque postulatione, vestris religiosis mentibus liberam cuiuscumque B beneficij & magnifici muneris pro isto vestro diuino proposito petendi facit potestatem. Iam ergo hoc petite, vt sitis voti compotes; nam absque mora ipsum consequimini. Quod quidem vestræ ciuitati donatum, cum vestræ singularis in deos immortales pietatis & religionis in perpetuum perhibebit testimonium; tum satis perspicue vestris filijs & posteritati declarabit, vos huius vestri pij instituti causa, digna præmia a nostra benignitate consequutos.] sunt hæ Maximini litteræ ad Tyrios. sed prosequitur Eusebius institutam narrationem:

Hæc igitur in columellis & tabulis incisa contra nos in singulis prouinciis diuulgata fuerunt: quæ sane omnem aditum ad bene sperandum nobis (quantum in hominum situm erat potestate) penitus intercludebant: adeo vt secundum illud diuinum Christi oraculum [a], etiam electi, si fieri potuisset, his de rebus offendiculo impegissent. Verum quamquam auxilij expectatio, quæ in multorum animis insederat, pene sublata erat, & extincta: tamen prope ex inopinato C inter vias, dum ministri huius edicti contra nos promulgati iter in nonnullis regionibus faciebant; Deus, qui est Ecclesiæ suæ constans propugnator, arrogante Tyranni contra nos ostentatione pene refrenata & compressa, suum cæleste præsidium nobis benignus præstitit. Imbres igitur & pluuia, quæ hiberno tempore fieri consueuerunt, solitam suam terræ irrigandæ consuetudinem intermiserunt. Vnde fames præter omnium expectationem passim grassari, & pestis deinceps oberrare cœpit; morbi etiam cuiusdam noui & peregrini (exulceratio quædam, quæ æstus & feruoris proprio nomine anthrax, id est carbunculus, appellatur) grauis & violenta impressio: qui per vniuersum corpus pererrans, mortifera his, qui eo perturbabantur, iniecit pericula. Quin etiam quoniam in oculis potissimum eius insidebat cruciatus, infinitos fere viros cum coniugibus & liberis cæcos reddidit.

DIVINA VITIO MENDACIA ARGVIT.

a Matth. 24.

Ijsdem temporibus bellum a Tyranno contra Armenios concitatur, viros iam vsque ab an-D tiquis sæculis cum Romanis amicitia & societate coniunctos: quos quidem, quoniam Christiani erant, & veram in Deum pietatem magno studio & diligentia colebant, iste Deo infestus Tyrannus ad hostias idolis & dæmonibus immolandas cogere conatus, inimicos pro amicis, & hostes pro socijs effecit. Ista cum repente omnia in idem tempus concurrerent, arrogantem audaciam & temerariam contra Deum iactationem Tyranni, qui obseruantiæ suæ in idola collatæ, & obsidionis contra nos susceptæ causa, nec famem, nec pestem, nec bellum denique suis temporibus accidisse, fuisset insolenter gloriatus, perspicue coarguerunt.] hucusque Eusebius; quæ quidem hoc anno cœpta mala, sequenti quoque infelicius grassata sunt, atque nouis insuper adaucta, vt suo loco dicturi sumus. Rerum igitur hoc anno in Oriente gestarum narrationis hic finis esto: quo persecutio sub Diocletiano excitata, cum ad decennium producta esset, desijt: (decennij enim tempus tantum attigit, non absoluit, adeo vt Theo-E doretus [b], & alij sint qui numerent annos tantum nouem eius persecutionis, absolutos videlicet:) quo item Ecclesiæ Orientali concessa pace per Galerium Maximianum; eo vita functo post sex menses, hoc eodem anno per Maximinum bellum in Christianos renouatum est. Sed quo modo cito extinctum fuerit, sequentis anni historia plenius declarabit. Quid autem Romæ hoc ipso anno contigerit, cum Maxentius diram tyrannidem exerceret, & Melchiades Romanæ Ecclesiæ præesset, atque Tarquinius Perpenna Præfecturam Vrbanam gereret, dicendum est.

b Theodoret. lib. 5. c. 38.

Ipsorum Siluestri Papæ Actorum exordio, Timothei Antiocheni narratur ea occasione martyrium, quòd Siluester eum hospitio accipiens, atque pro illo defensionem suscipiens, Christum confessus sit. Accidit namque, vt Timotheus Antiochia Romam veniens, apud Siluestrum manens, cuius æstuabat ardore, Christi fidem publice prædicaret: quamobrem Gentilium prouocauit inuidiam: qui eum apprehendentes, Tarquinio Perpennæ Vrbi Præfecto, vt impietatis reum, Romanorum legibus puniendum tradiderunt. a quo diu

TIMOTHEVS ROMAE PASSVS.

tormentis afflictus, & longo carcere maceratus, tandem capitali supplicio affectus, martyrio coronatur: cuius corpus clam a Siluestro subreptum, atque domum suam allatum est; illucq. accedente Melchiade Papa, solitis exhiberi sanctis martyribus officijs, ab eodem collatis, inter martyres receptus est, atque tabulis Ecclesiasticis eius natalis dies, celebritate annua repetendus, adscriptus fuit: sepultum vero post hæc fuit corpus ipsius a Theodora matrona in horto suo, non longe a Pauli Apostoli sepulchro, via Ostiensi, in cuius basili ea postea fuit honestissime collocatum. Pergunt Acta post Timothei martyrium, narrare Siluestri confessionem & carcerem, e quo liberatus est, abtepto improuisa morte eodem Præfecto Vrbi Tarquinio Perpenna; sed fusius hæc ibi scripta habetur. Cum vero subditur in ijsdem, eodem tempore, ipsum Siluestrum, postquam præclarum cōsummatæ virtutis in Christi nominis confessione edidisset exemplum, a Melchiade fuisse S. R. E. diaconum ordinatum: falsum plane esse redarguitur ex ijs quæ S. Augustinus [a] scribit contra Petilianum, vbi inter alios Siluester Marcellini Papæ presbyter nominatur. Vides igitur ex ijs Acta Siluestri non in omnibus sibi constare, sed aliqua superaddita, quibus cetera licet vera sint, fide vacillent. Habebimus in illis recensendis delectum; explosoq. in primis falso Eusebij Cæsariensis titulo, quo ea in plerisque codicibus inscripta inuenimus, cetera quæ sint vera, quæ spuria, vel dubia, magno adhibito veritatis examine disquiremus.

NVTANT ACTA SILVESTRI.

a August. contra Petil. de vnic. Baptism. c. 16.

Sed quid tandem accidit de Timotheo martyre? cum enim tempore Constantini Imperatoris passum esse constet, perperam in codice scripto legimus, in persecutione eiusdem Constantini subijsse martyrium. At licet aliquando Constantinus breui temporis spatio a Christianitate visus sit alienus: id tamen longe post hæc tempora accidit, vt suo loco dicemus: Timothei vero martyrium contigit sub Melchiade, hoc anno, dum Præfecturam Perpenna gereret, antequam Constantinus se Romam conferret: nam alij qui sequuntur Melchiadis Papæ anni, alijs Præfectis Vrbanis notati habentur: quamobrem nihil est, quòd ea quæ dicimus, ad Constantini tempora referri possint: decepti verò nos errore scripti codicis, in nostris Notationibus ad Romanum Martyrologium, cum de Timotheo egimus, plura superflue de Constantini in Christianos indignatione disseruimus, alio loco inferius opportunius collocanda, ac pariter emendanda. Sed & de Timotheo martyre illud non prætermittendum, perperam eius martyrium poni sub sexto Consulatu Constantij [b] ante quinque annos: nam cum appareat, passum, sedente Melchiade Papa, nequaquam aptari potest tempori illi quo Romanæ Ecclesiæ constat præfuisse Marcellum.

b Apud Cuspin. de Cōsulibus sub sexto Consulatu Constantij.

ALEXANDER EPISCOPVS ALEXANDRINVS.

Hoc eodem anno, si non superiori (vt pluribus dictum est) cum Achillas Episcopus Alexandrinus ex hac vita migrasset, subrogatus est in locum eius Alexander, cuius Episcopatus exordio ea contigisse videntur, quæ de Athanasio puero cum sodalibus colludente scribunt Ruffinus [c] atque Sozomenus [d]. Ait enim Ruffinus: Tempore, quo apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander Episcopus agebat; cum post expleta solemnia conuenturos ad conuiuium suum clericos expectaret in loco mari vicino, videt eminus puerorum super oram maris ludum, imitantium, vt fieri solet, Episcopum, atque ea quæ in ecclesijs geri mos est. Sed cum intentius diutine pueros inspectaret, videt ab his geri quædam etiam secretiora, & mystica. Perturbatus illico, vocari ad se clericos iubet; atque eis, quid eminus ipse videret, ostendit. Tum abire eos, & comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat. Cumq. adessent: quis eis ludus, & quid egissent, vel quo modo, percunctatur. Illi, vt talis habet ætas, pauidi negare primo: deinde rem gestam per ordinem pandunt; et baptizatos a se esse quosdam cathecumenos confitentur per Athanasium, qui Indi illius puerilis Episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his, qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderint, simul & ab eo qui interrogauerat: vbi videt, secundum religionis nostræ ritum cuncta constare: colloquutus cum Concilio clericorum, statuisse traditur, illis quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea quæ a sacerdotibus mos est. Athanasium vero, atque eos, quos ludus ille vel presbyteros habere visus fuerat, vel ministros, conuocatis parentibus, sub Dei obtestatione tradidit Ecclesiæ suæ nutriendos. Paruo autem tempore cum a Notario integre, & Grammatico sufficienter Athanasius fuisset instructus; continuo tamquam fidele Domini commendatum, a parentibus restituitur Sacerdoti, ac velut Samuel quidam in templo Domini nutritur, & ab eo pergente ad Patres in senectute bona, ad portandum post se ephod sacerdotale deligitur.] hactenus Ruffinus. eadem fere ad verbum Sozomenus: qui addit, Alexandrum conuictorem suum ac scribam Athanasium constituisse. At non sic puerum Athanasium fuisse, vt a pubertate longius esset, quæ de eo

c Ruffin. lib. 1. c. 14.
d Sozom. lib. 2. c. 16.

ATHANASII PVERI LVDVS PROPHETICVS.

A B C D E

A anno ſuperiori ſunt dicta, ſignificare videntur: quamobrem nequaquam minorem natu fuiſſe annis duodecim, ex eo poteſt intelligi, quòd creatus eſt (vt dicemus) Epiſcopus Alexandrinus anno ſequenti poſt Nicænum Concilium, qui numeratur annus Domini trecenteſimus vigeſimusſextus, poſt annos abhinc quindecim. At non ſemper apud Alexandrum manſiſſe, ſed profectum in eremum adhæſiſſe Magno illi Antonio, ipſe in eius vita a ſe ſcripta ſignificat. Quod vero ad eruditionem pertinet; non tantum fuit valde imbutus Theologicis facultatibus, ſed etiam Iuris ſcientiam apprime calluit: Seuerus [a] enim nominat eum Iuriſconſultum. at de Athanaſij primordijs hactenus.

[a] Seuer. hiſt. lib. 2.

IESV CHRISTI ANNVS	MELCHIADIS PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
312.	2.	7.

B

TRecenteſimus duodecimus Chriſti annus, Conſtantini & Licinij ſecundo Conſulatu in tabulis Conſulum ordinariorum adſcribitur, Eccleſiæ Dei omni ex parte feliciſſimus, quo in primis in Oriente furentis iterum Maximini in Chriſtianos impetus, immiſſis a Deo cladibus multiplicibus, retardantur ac penitus reprimuntur, & in Occidente Maxentius tyrannus a Conſtantino virtute Crucis victus atque extinctus penitus fuit. Sed a rebus Orientalis Imperij, vt ſuperioribus contexatur oratio intermiſſa, narrationis ſumamus anni præſentis exordium. Cum (vt dictum eſt) aduerſus Chriſtianos poſtliminio reſtitutos, & iam ſex menſibus tranquilla pace potitos, Maximinus Imperator nouis artibus acerbiorem perſecutionem pararet, iamq. Tyrijs, & Antiochenis, atque alijs ciuitatibus de pellendis Chriſtianis C poſtulatum ab eis reſcriptum libentiſſime conceſſiſſet; ijs grauiora in Chriſtianos experturus, magna Dei potentia impios multipliciter vlciſcente, omnis præter ſententiam conatus illius intercipitur, fame, peſte, & bello eius Imperio diriſſime afflictato: magnaq. diuinæ iuſtitiæ diſpenſatione factum eſt, vt qui ex inſperato quietum ſtatum Eccleſiæ perturbaſſet, ex inopinato quoque feliciſſimus ipſius Imperij ſtatus, quo mirifice extollebatur, accepta ferens cuncta Gentium dijs, in maximum omni ex parte periculum laberetur. Sed quem cœpta tot mala habuerint exitum [b], Euſebius rei geſtæ narrationem ſemel aggreſſus, his verbis proſequitur:

ANNVS ECCLESIAE FELICISSIMVS.

[b] Euſeb. lib. 9. c. 7.

Hæc igitur mala, quæ pariter in eumdem temporis articulum incidebant, Tyranni calamitoſi exitus tamquam procemia quædam complexa ſunt. Vt ille in bello contra Armenios adminiſtrato vna cum exercitu grauem cladem accepit: ita ceteri, qui ciuitates eius Imperio D parentes incolebant, fuerunt fame ſimul & peſte acerbe afflictati: vſque eo, vti pro vna tritici menſura bis mille & quingentas drachmas Atticas perſoluerent. Infiniti ergo in ſingulis ciuitatibus mortui ſunt: complures etiam in agris & vicis extincti: vt iam parum abeſſet, quin colonorum cenſus, qui iamdudum innumerabiles eſſe ſolebant, penitus deficerent, propterea quòd derepente fere omnes iam inedia, alimenti penuria, & peſtifero morbo interiſſent. Nonnulli vel pro minima cibi particula res ſibi cariſſimas locupletioribus vendiderunt. Alij ſuis poſſeſſionibus pedetentim diuenditis, ad extremam egeſtatem tandem deuenerunt. Iam vero non pauci exigua fœni ſegmenta confecere dentibus, & abſque delectu herbas quaſdam peſtiferas ac letales, & quæ corporis habitum labefactant, deuorantes, miſere periere.

IMPERIVM BELLO, FAME, ET PESTE VEXATVM.

Quin etiam mulieres quędam nobiles in ſingulis ciuitatibus ad tam importunam impudentemq. neceſſitatem erant præ indigentia detruſæ, vt in forum & plateas publicas mendicatum prodirent: quæ quidem verecundo vultus ſui pudore & exquiſita veſtitus elegantia euidens ſuæ liberalis, lautæque obſoniorum affluentiæ indiciũ, qua antea abundauerant, perſpicue declararunt. Alij plerique homines erant, qui tamquam ſimulacra mortua, macie tabefacti, huc illucque agitati, concuſſique, & animo plane deficientes, præ virium imbecillitate in medijs conciderunt plateis; et proni in terra extenſi, ſibi paruum fruſtum panis porrigi, ſuppliciter popoſcerunt; et cum vitæ extremum ſpiritum eſſent iam edituri, ſe fame confici clamarunt; et ad hanc vocem acerbiſſimam ſolam fundendam, ſatis habuiſſe virium viſi ſunt. Multi qui ditiores videbantur, præ mendicantium turba obſtupefacti, poſt infinitas facultates in egentes erogatas, deinceps in duram quamdam & inflexibilem animi affectionem propterea venerunt, quòd eamdem pene calamitatem cum mendicis ſe breui perpeſſuros expectabant. Quare iam in medio foro, plateis, & angiportis mortua & nuda corpora proiecta, multorum dierum ſpatio inſepulta, miſerandum ſpectaculum oculis intuentium exhibuerunt.

E (margin letter beside "temq. neceſſitatem")

Iam vero nonnulli extincti, canum laniatus & præda facti sunt: quam ob causam qui adhuc erant superstites, ad canes interimendos se conuerterunt, timore quodam perculsi, ne insana rabie furentes, homines etiam viuos deuorarent. A

Pestis autem omnes domos integras & familias penitus depascebatur, & eos vel maxime, quos fames propter alimentorum affluentiam, qua fruebantur, consumere & conficere non poterat. Magistratus & Præfecti, alijq. prope infiniti, qui cum potestate & imperio erant, omniumq. rerum copia circumfluebant, perinde ac si fames quasi de industria eos missos fecisset, vt peste interirent, acerbissimam mortem & maxime repentinam sustinuerunt. Omnia igitur loca, angiportus, forum, plateæ, lacrymis, mærore, & planctu redundabant: neque aliud quidquam spectare licebat, quàm miserabiles fletus, quos pro tibiarum cantu & strepitu ipsis in more posito ediderunt. Quocirca mors his duobus telis, quæ supra dixi, peste videlicet & fame, hoc modo bellum gerens, vniuersas familias breui temporis spatio absumpsit, & depasta est: B adeo vt iam plane conspicari licuisset duo aut tria mortuorum corpora ex vnis ædibus pariter ad sepulturam elata. Arrogantis Tyranni Maximini ostentationis, & decretorum per singulas ciuitates contra nos sancitorum tale præmium ac merces fuit.

CHRISTIANORVM OFFICIA PIETATIS.

Quo quidem tempore clara singularis Christianorum erga quęque & studij & pij animi indicia apud omnes increbuerunt. Nam hi solum in tanto malorum cumulo suis recte factis & pijs officijs misericordiam declarabant & benignitatem: quorum alij in dies singulos mortuorum funeribus & sepulturæ (infiniti enim erant, quibus sepeliendis nemo curam adhibuit) diligentem nauarunt operam: alij multitudine eorum, qui per totam ciuitatem fame vrgebantur, in vnum coacta, omnibus panes dispertierunt: vsque adeo, vt hoc præclarum facinus per omnes homines constanti fama & magna celebritate peruaderet; et singuli, Christianorum Deum gloria & laude prædicarent, eosq. solos & veros Dei cultores, re & factis comprobatos faterentur. C Pro quibus rebus hunc in modum confectis, magnus ille & cælestis Christianorum propugnator Deus, simulatque his calamitatibus, quas supra cōmemorauimus, in omnes infideles pro maleficijs, quæ præter æquum in nos admisissent, terrorem suum & indignationem palam ostenderat, clementem & eximium suæ de nobis prouidentiæ splendorem de integro erga nos effudit; nobisq. tamquam in profunda tenebrarum caligine constitutis, mirādum in modum præclarum pacis suæ lumen cælitus demisit; et omnibus planum fecit, se Deum esse, qui nostrarum rerum semper diligentem rationem ducit; qui populum suum castigat; qui rebus afflictis, cum tempus postulat, eum coercet: qui rursus, vbi suos disciplina & correctione satis afflixerit, se propitium & beneuolum ijs qui in eo spem ponunt, manifesto declarat.] hucusque Eusebius de cladibus, quibus Gentilium aduersus Christianos in singulis ciuitatibus tumultuantium punita atque repressa est petulantia, quibus & Maximini illos præconio celebrantis, & rescriptis fauentis peruicacia coercita est, nec non pariter declaratur persecutionem magnis principijs inchoatam cito friguisse, ac penitus euanuisse: nam, vt idem testatur Eusebius [a], a tempore, quo in columnis contra Christianos edicta Maximini affixa sunt, vsque ad edictum ab eodem pro eorundem pace promulgatum, nec integri anni tempus intercessit. D

[a] Euseb. lib. 9. c. 8. in fine.

Si quæ igitur Maximini diuturnior atque acerbior aduersus Fideles persecutio sæuijsse dicitur (quod in Actis sanctorū martyrum & apud alios auctores facile est reperire) non vtique ad hæc tempora, quibus post Galerium Maximianum defunctum ipse cum Licinio administrauit Orientis Imperium, referenda est, sed ad sex annos illos, quibus (vt dictum est) eodem viuente Galerio illi crudelitate non impare, sed moribus turpiore, Fideles persecutione vbique vehementer exagitauit. Ceterum, eo defuncto, concessæ ab eodem pacis pertæsus, ad immaniorem persecutionem viam strauit, quæ tot hisce malis repētinis obortis cito sublata est: quamobrem nec decennalis persecutionis periodus alio persecutionis Maximini augetur anno, vt vndecim annorum spatio continuata dicatur, quæ sub Diocletiano semel cœpta, licet ipse cum collega Imperio cesserit, tamen succedentium Imperatorum opera propagata eodem numero & titulo, quo cœpta semel est, vsque ad decennium progressa dicitur; sed ad vndecimum quoque annum eam perseuerasse, affirmandum esset, si annus etiam pręsens adderetur: verum breuioris pacis terminus, nempe sex mensium, qui medius extitit, haud tantæ considerationis fuit, vt eiusdem Imperatoris duas persecutiones efficeret, sed nullius momenti habita est, quæ cito præterijt, nec ad gladium vsque peruenit. Quo modo autem hoc eodem anno postea idem Maximinus, audita Constantini victoria, & nece Maxentij, euestigio noua pro Christianis, prioribus aduersantia promulgarit edicta, suo loco narrabitur; sed iam de clade Maxentij disseramus. E

Hoc

A Hoc eodem anno, iisdem Consulibus, Maxentius Imperator vltimo die natalis sui, Imperij expleto sexennio, antequam septenium inchoaret, a Constantino victus, in Tiberim prolapsus occubuit. Quod in primis ad tempus spectat, hæc vt sunt posita, contigisse, fidem facit Panegyricus dictus Constantino post debellatum eundem Maxenrium, in quo hæc[a] leguntur: Sed diuina mens, & ipsius Vrbis æterna maiestas nefario homini eripuere consilium: vt ex inueterato illo torpore ac fœdissimis latebris subito prorumperet, & consumpto per desidias senio, ipsum diem natalis sui vltima sua cæde signaret, ne septenarium numerum sacrum & religiosum inchoando violaret.] hæc ibi, & infrà totum eius Imperij tempus appellat cladem sexennij. Porro Eusebius in Chronico sic ponit eum annis sex imperasse, vt tamen hoc anno, quo Constantinus Augustus auspicatur septennium, obitum eius referat. Quod ad mensem ac diem huius anni pertinet; qui[b] id contigisse ait septimo Kalendas Octobris, vnde id acceperit, non inuenimus: nam nec quæ citar loca id aliquo modo testantur. Qualisnam autem

B esset Vrbis & Occidentalis Imperij sub Maxentio starus: nihilò certe melior eo, quem præfati sumus, postea fuit, sed in deterius prolabebatur in dies, in omnes existens ipse sæuissimus atque turpissimus, militibus tantum addictus, ad quos sibi conciliandos, ad omne scelus laxabat illis habenas: quoties enim milites in concionem vocabat, se solum cum illis Imperatorem, alios per limites pro se militare, iactabat: Fruimini, aiebat, dissipate, prodigite.] hæc in publica illa laudatione[c] Constantini dicta sunt. Atque adeo non Vrbs tantum, totumq. illi subiectum Romanum Imperium tyrannum vnum Maxentium passum est, sed tot tyrannos, quot milites; ac proinde non Vrbs tantum, vbi aderat, sed & Africa (vt ibi dicitur) exhausta erat, & insulæ tot prædonum manibus exinanitæ.

MAXENTIVS VICTVS A CONSTANTINO QVANDO.

[a] Panegyr. Constantini 2.

[b] Panuin. lib. 2. Fastor.

[c] Panegyric. 2. in laud. Constantini post vict. Maxent.

De rebus ab eo Romæ gestis in cines, Senatorum ac populi immensa cæde, facultatum direptione, matronarum violatione, ad magicas artes puerorum ac feminarum euisceratione,

C alijsq. portentosis immanis ac pariter insani hominis facinoribus Eusebius[d] rursum: quæ & tanguntur in citato nuper Panegyrico post victoriam illi dicto, insinuante pariter causam, qua ad inferendum illi bellum permotus fuerit Constantinus: ac primum in hunc modum auctor Constantinum compellat: Hæc omnia, Imperator, cum cogitares, scires, videres; nec te paterna grauitas, nec tua natura temerarium esse pateretur: dic, quæso, quid in consilio, nisi diuinum numen habuisti? An illa te ratio ducebat (sua enim cuique prudentia Deus est) quòd in tam dispari contentione non poterat melior causa non superare, & innumerabiles licet ille copias pro se obijceret, pro te tamen iustitia pugnaret? Vt enim omittam illa quæ non decet comparari, quòd erat ille Maximiani suppositus, tu Constantij pij filius; ille despectissimæ prauitatis, detortis solutisq. membris, nomine ipso abusiua appellatione mutilato (nempe quòd

D loco Maximiani paterni nominis, Maxentius diceretur) tu quod sufficit dicere, tantus, & talis: vt hoc, inquam, omittam, te Constantine paterna pietas sequebatur, illum, vt falso generi non inuideamus, impietas: te clementia, illum crudelitas: te pudicitia sola dicata coniugio, illum libido stupris omnibus contaminata: te diuina præcepta, illum superstitiosa maleficia: illum denique spoliatorum templorum, trucidati Senatus, plebis Romanæ fame enectæ piacula; te abolitarum calumniarum, te prohibitarum delationum, te conseruatio, & homicidarum sanguinis gratulatio. In tam diuersa causarum ratione diuino consilio, Imperator, hoc est tuo, non militum multitudinem, sed partium merita numerasti.] Sed quibus insuper alijs causis Constantinus prouocatus fuerit ad inferendum Maxentio bellum, diligentius est exquirendum.

DIRA TYRANNIS MAXENTII.

[d] Euseb. lib. 8. c. 16. & in Vit. Constantin. lib. 1 c. 27. 28. 29. 30.

Meminisse debemus, iam ab ipso exordio Imperij Constantini a Maximiano primum Ma-

E xentij patre nominato, sub coniugij fœdere fuisse illi paratas insidias; sed Deo vindice, ereptum; respuisse Maxentium quam ille offerebat pacem, recusasseq. eum habere collegam Imperij, atque adeo dictis factisq. infensum semper se illi hostem exhibuisse; qui occasionem numquam vel leuem prætermisit, qua illum quoquo modo lædere posset: nam (quod habet Nazarius[e]) Constantini deiecit imagines, easq. affecit iniuria: sunt enim eiusdem auctoris eiusmodi de scelere nefando querelæ: Ecce enim (prò dolor, verba vix suppetunt) venerandarum imaginum acerba deiectio, & diuini vultus litura deformis. o manus impiæ! o truces oculi! ita non caligastis? in quo lumen mundi obscurabatis, meritas ipsi tenebras non imbibistis? Commouere tandem conscia virtus, nec permittas hoc furori, cui de re aliud non licebat. Sed quid tandem assequeris cæca dementia? aboleri hic vultus non potest: vniuersorum pectoribus infixus est, nec commendatione ceræ, aut pigmentorum fucis renitet, sed desiderio efflorescit animorum. Vna demum Constantini obliuio est, humani generis occasio. Nunc vero commendabiliorem iniuria tua faciet patientiam

CONSTANTINVS QVIBVS EST PERMOTVS IN MAXENTIVM.

[e] Nazar. in Panegyr. Constantini.

eius; auidius expetent, quem pictura non reddit: flagrantiora sunt animorum desideria, cum oculorum solatia perdiderunt. Nihil profecto grauius, nihilmiserius Roma doluisti.] hæc Nazarius, pluribusq. commendat Vrbis de Constantino desiderium: occulte namque ab Vrbe ad eum missos esse Legatos, qui animum illius aduersus Tyrannum concitarent, vrgerentque, complures [a] affirmant. A

a Zonar. & Cedren. in Annal.

NVMINA FAVENT, CONSTANTINO.

Verum cum Constantinus inire cum Maxentio pacem optasset, renuente illo, impellente numine, cælitus quoque copijs missis, cum expeditionem in Italiam comparasse, & ad Tyranni interitum properasse, idem Nazarius his verbis significat: Pugnasti igitur, Imperator, coactus quidem; sed hoc maxime victoriam meruisti, quia non desiderabas: optasti pacem; sed ignosce, si plus omnium vota valuerunt: nec illa diuinitas obsecundare cœptis tuis solita, in hoc refragata est: sed aliquid e sententia tua non cecedit, vt plus pro meritis iniret: negata est cōcordia, cui erat parata victoria. In ore denique est omnium Galliarum, exercitus visos, qui se diuinitus missos præseferebant. Et quamuis cælestia sub oculis hominum venire non soleant, quòd crassam & caligantem aciem simplex & inconcreta substantia naturæ tenuis eludat: illi tamen auxiliatores tui aspici, audiriq. patientes; vbi meritum tuum testificati sunt, mortalis visus contagium refugerunt. Sed quænam illa fuisse dicitur species, qui vigor corporum, quæ amplitudo membrorum, quæ alacritas voluntatum? flagrabant verendum nescio quid, vmbones corusci, & cælestium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, vt tui crederentur. Hæc eorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Constantinum petimus: Constantino imus auxilio. Habent profecto & diuina iactantiam, & cælestia quoque tangit ambitio. Illi cælo lapsi, illi diuinitus missi gloriabantur, quòd tibi militabant. Ducebat hos, credo, Constantius pater, qui terrarum triumphis altiori tibi cesserat: diuinas expeditiones iam diuinus agitabat. Magnus hic quoque pietatis tuæ fructus, quòd quamuis particeps cæli, ampliorem se fieri gratia tua senserit; et cuius munera in alios influere iam possint, in eum ipsum tua munera redundarunt. B C

Cedat tibi non recentium sæculorum modo, sed totius memoriæ vetustas: quamuis illa recti appetens, & nullo vmquam deprauata in officio, glorietur penes se sanctitatis famam stetisse: sed nec leguntur præconia hominum, vbi quæruntur iudicia diuina. Illi igitur veteres laudati vitæ moderatores, qui refrenandis cupiditatibus, restricte, compteq. vixerunt, quorum omnis ætas armis conterebatur; quando tantam in prælio diuinam opem pro merito integritatis habuerunt? vt qui longe a virtutibus tuis distant, in proximo saltem iustitiæ gradu reponantur. Romano quodam in bello ferunt duos cum equis iuuenes extitisse spectatos forma pariter ac viribus, quia in dimicando præter ceteros insignes fuissent, iussu Imperatoris ad remunerandum requisitos: vbi nullus inueniebatur, fides habita est, diuinos fuisse, quòd laborem sedulo communicauissent, laboris pretium respuissent. Equidem historiæ non inuitus assentior: neque enim in hoc veri interpolatrix tenenda, quæ se non vanam antiquitatis nunciam pollicetur; sed tamen illi, qui hoc Annalium monumentis alligauerunt, verebantur ne apud posteros miraculi fides claudicaret. Estote, o grauissimi auctores, de scriptorum religione securi; credamus facta, qui maiora nunc sensimus: magnitudo Principis nostri veterum fidem conciliat, sed miraculum detrahit; pro auxilij copia, negotiorum ratio metienda est. duo quondam iuuenes, sed nunc exercitus visi; hoc certe vberius, nec infirmius veritate. stat argumento duplici fides nixa; sic Constantinus iuuari meruit, sic debuit Roma seruari. D

Magnum hoc Imperator maxime, sed de tua pietate non mirum: adesse tibi in omnibus summam illam maiestatem, quæ te circumflexa tueatur, coniectura mentium tenebamus, etsi nondum ad fidem patebat oculorum. Etenim cum mens tua mortali contagione secreta, pura omnis, funditus sincera, vbique se promerendo Deo præstet, cum gloria tua humanum modum supergressa sit: quis est hominum quin opitulari Deum credat; cum id & vita mereatur, & rerum gestarum magnitudo testetur?] hucusque Nazarius, licet Gentilis Orator, qui quidem non vno vel altero teste, sed omnibus Gallijs astipulantibus, rem adeo admirandam Senatui amplissimo & alijs astantibus notam vulgatamque egregie testatam, fideq. publica consignatam posterorum memoriæ commendauit: quæ voluimus eiusdem auctoris verbis hic descripsisse, quo maiorem concilient sibi fidem. At plane decebat, vt cælitus missæ copiæ, cæleste diuinumq. signum pariter secum ferrent; illud nempe, de quo sic sacris litteris proditum est, dum agitur de Christo cum maiestate venturo [b]: Tunc parebit signum filij hominis in cælo.] de quo & alibi [c]: Vidi alterum Angelum ascendentē ab ortu Solis habentem signum Dei viui.] quod ipsum factum esse diuinitus e cælo conspicuum Constantino, E

b Matth. 24.
c Apocal. 7.

A stantino, cum scriptores omnes affirment; Eusebius in re adeo mirifica recensenda, ipsiusmet Constantini hæc sibi iuramento quoque contestantis, fidem obligat.

Quod licet Ethnici scriptores ignorarint, aut potius dissimularint: illud certe palam testati sunt, cælitus promissam fuisse victoriã Constantino; eaque numinis spõsione, ipsum certũ atque securum, contra militum omnium sententiam, longe imparem copiis, perdifficilem ac periculosam expeditionem in Maxẽtium suscepisse; vnde post adeptam victoriam, hæc coram Constantino Orator est [a] pro cõcione loquutus: Quisnam, inquit, te Deus, quæ tam præsens hortata est maiestas, vt non omnibus fere tuis comitibus & ducibus, non solum tacite mussantibus, sed omen aperte timentibus, contra consilia hominum, contra auspicum monita, ipse per temet liberandæ Vrbis tempus venisse sentires? Habes profecto aliquid cum illa mente diuina, Constantine, secretum, quæ delegata nostri dijs minoribus cura, vni se tibi dignatur B ostendere: alioquin fortissime Imperator, sic quoque cum viceris, redde rationem. Rhenum tu quidem toto limite dispositis exercitibus tutum reliqueras: sed hoc maiores pro te suscepimus metus, quòd nobis potius, quàm tibi consulebas; nostramque pacem magis, quàm bellum, quod aggrediebare, firmaueras: næ tu Imperator nimio nostri amore nescisti ad securitatem nobis vere prouidere, qui non omnia tecum arma mouisti, cum in tua conseruatione salus nostra sit.

DE PROMISSA DIVINITVS VICTORIA.

[a] Panegyric. 2. post vict. Constantini.

Et quid opus erat ipsi Rheno instructis tot militibus & classibus, quem iam pridem barbaris nationibus virtutis tuæ terror obstruxerat? An ostentare voluisti diligentiam tuam diuisis copijs inter custodiam pacis & belli? aut etiam iactanter & gloriose probare, liberandæ Vrbi te sufficere cum paucis? Vix enim quarta parte exercitus contra centum millia armatorum hostium Alpes transgressus es: vt appareret penitus considerantibus, id quod nos fugit in amore C trepidantes, non dubiam te, sed promissam diuinitus petere victoriam. Duxerat magnum Seuerus exercitum, & hostem suum perfidia desertus armauerat. Maiores postea copias Maximianus admouerat; et ipse transfugis videbatur prospere refugisse.] hæc ipse, quem nec opinio sua fefellit; nempe verum fuisse, Constantinum diuinitus accepto de futura victoria nuncio, eo persuasum, eoq. armatum, ad certam victoriam, relicta magna exercitus parte, aduersus Maxentium in Italiam properasse.

Sed audiamus Eusebium [b], qui Constantino postea intimus, quæ ab eo se accepisse testatur, posteris scriptorum memoriæ commendauit, sic dicens: Constantinus deinde, post debellatos barbaros, in vniuersum totius Mundi ambitum, tamquam in corpus quoddam immensum aciem mentis intendens; et ciuitatem illam quæ quasi caput mundi est, totiusq. Romani Imperij moderatrix, tyrannis in seruitutem datam perspiciens; primum eius in liberta- D tem vindicandæ potestatem illis, qui reliquas Imperij partes procurabant, vtpote eum honoris gradum ante ipsum adeptis, permisit. Verum vbi nullus eorum illi malo remedium potuit afferre; sed qui periculum facere in animum inducebant, turpem habuere exitum: ipse nec vitam sibi vitalem fore dixit, si ciuitatem omnium dominam & reginam ita ægre affectam & afflictam esse pateretur: et propterea ea parare sedulo studebat, quæ videbantur ad delendam tyrannidem spectare. At cum accurate ratione animoque lustrando comperisset, propter maleficas & fallaces magorum præstigias a Tyranno studiose conquisitas multo firmiore præsidio sibi opus esse, quàm quod res militaris suppeditare soleret, Deum quæsiuit adiutorem; ratus auxiliis, quæ ex armis & militum manu petuntur, vix secundas tribuendas; at quæ sunt ex Deo, nec viribus expugnari, nec vlla frangi violentia posse. Mente igitur diligenter complexus est, quisnam Deus sibi in subsidium esset adsciscendus. Ac quærenti illi talis subiit co- E gitatio; eorum qui antea Rempublicam attigissent, plerumque omnes suam spem in deos complures coniecisse, eosque victimis & monumentis coluisse; ac primum diuinationum inuitamentis, deinde oraculis, quæ fausta feliciaque auspicia ipsis denunciabant, in fraudem inductos, infelicem reperisse exitum, & plane calamitosum; neque quemquam deorum vel benigne illis opem tulisse, vel prohibuisse quominus nefanda internecione cælitus inuecta opprimerentur. Solum eius patrem ad contrariam viam, & eorum institutis longe dissimilem diuertisse, eorum condemnasse errorem; ipsum solum Deum omnium rerum administratorem toto vitæ spatio obseruantia veneratum esse, eumq. conseruatorem & custodem regni, omnisque boni largitorem comperisse.

[b] Euseb. in Vita Constantin. lib. 1. c. 20. 21. 22. 23.

CONSTANTINI DE VRBE LIBERANDA CONSILIVM.

Ista cum secum exquisite in vtramque partem versaret, iudicioque sedulo expenderet, quemadmodum illi multitudine deorum confisi, in varias clades & exitia incidissent; adeo vt nec generis, nec sobolis, nec stirpis, nec nominis, nec memoriæ vel vestigium quidẽ inter homines esset relictum; et qua ratione Deus patris sui euidentia, variaq. suæ virtutis & potentiæ indicia

CONSTANTINVS DE VERI DEI CVLTV DELIBERAT.

dicia ei dedisset; atque adeo illi, qui iam antea contra Tyrannum prælium inijssent, speque in A decorum multitudine locata, aciem contra hostem instruxissent, ad turpem exitum essent perducti; alter enim, infecta re, cum ignominia a prælio discessit, alter in ipso medio exercitu trucidatus, tamquam superuacanea mortis accessio factus est. Ista, inquam, omnia cum mente, tamquam in vnum, collegisset, in dijs qui non sunt colendi, tantam inanitatẽ consectari, postq. periculum factũ, cæco errore duci, summæ putauit esse dementiæ: Deumque, quem pater sanćte adorauisset, solum obseruandum, colendumque statuit. Quocirca huius opem precibus implorauit, hunc orauit, hunc obtestatus est; vt tum quisnam esset, illi vellet significare; tum rebus, quas apud animum proposuisset, dexteram velut adiutricem porrigere. Imperatori igitur ista precanti, obnixeque flagitanti visio quædam diuina & in primis admirabilis apparuit: quam si quis forte alius dixisset, non tam facile hominibus potuisset persuaderi. Verum cum Imperator ipse victor, nobis ipsis, qui hanc historiam iam litteris prosequimur, longo tempore B post, cum notitia eramus & familiari colloquio ab eo dignati, narraret, & sermonem iureiurando confirmaret; cui dubium esse poterit, quin sit rei ita commemoratæ fides omnino adhibenda; præsertim cum tempus postea consequutum, ratum orationi testimonium dederit?

SIGNVM CRVCIS APPARET CONSTANTINO.

Cum iam Sol ad medium cælum ascendisset, die in pomeridianum tẽpus paululum inclinante, dixit, se Crucis signum ex lucis splendore figuratum in ipso cælo Soli imminens, manifesto oculis aspexisse, inque eo inscriptionem consignatam, quæ hæc verba complectebatur: ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ: IN HOC VINCE. Admiratio ingens ipsum, & totum exercitum, qui cum quopiam iter facientem comitabatur, atque adeo huius prodigij spectator factus erat, incessit. Sed dubitatione admodum intra se distrahi, quidnam ostentum illud sibi vellet, asseruit. Atque eum diu multumque de eo cogitantem oppressit nox. Ibi ei dormienti Christum Dei cum signo in cælo monstrato visum esse, præcepisseque, vt exẽplari, ad imitationem illius C signi quod in cælo apparuerat, fabricato, eo tamquam præsidio in prælijs cum hostibus cõmittendis vteretur.] hæc de visione Crucis Constantino totiq. exercitui ostensa, deq. secreto facta illi apparitione Eusebius cum dicat, addatq. ancipitem primo fuisse Imperatoris animum quid signum illud demonstratum cælitus portendere vellet: nobis in mentem reuocat, quod nuper dictum est ex Panegyrica illa post victoriã habita oratione, duces exercitus aliquo fuisse prodigio atque portento deterritos, vt eiusmodi expeditionem inuiti susciperent, mussitarentque rem tantam contra auspicum responsa tentari. Quid enim aruspices, quid ceteri deorum sacrifici, alijq. eorumdem addicti culturæ præsagire de viso Crucis signo nouissent, quod hominibus letale & execrabile esse scirent; nisi immanem, turpemque totius exercitus cladem portendere, elusumque ex eo Imperatorem, totumque exercitum dicerent? cui signo infamis supplicij victoria sponderetur: quippe frequenti rerum vsu de oraculis deorum didicissent, interdum falsa esse solere, & læta responsa sæpe luctuosos exitus consequutos. D

ARTEMII PRAEFECTI ASSERTIO.

Ceterum de Crucis signo tunc viso, litterarum notis victoriam promittente; qui tunc in eodem exercitu militabat Artemius, cum temporibus Iuliani exutus Augustali Præfectura, quòd Christianus esset, causam diceret coram eo, inter alia his quoque verbis eumdem compellans, hæc ait, prosequens pro Constantino defensionem, quem ille contumelijs infamabat: Ad Christum (inquit) declinauit ab illo vocatus, quando difficillimum commisit prælium aduersus Maxentium. Tunc enim ei in meridie apparuit signum Crucis, radijs Solis splendidius, & litteris aureis belli significans victoriam. Nam nos quoque ipsi aspeximus, cum bello interessemus, & litteras legimus: quin etiam totus quoque id est contemplatus exercitus; et multi huius sunt testes in exercitu tuo.] hæc Artemius in Iulianum: extant eius Acta [a], & quidem legitima atque sincera. Sed dubitabit fortasse quispiã; quidnam sit, quòd Gentiles scriptores, E atque ij potissimum qui in Constantini laudem Panegyricas scripsere orationes, hæc de Cruce dicere prætermiserint, cum inde eius laudandi tam nobile suppeteret argumentum? At certe si tunc illi de Cruce tacuerunt, haud mirum, quòd eiusmodi signum æque omnes inter infausta prodigia reiecissent: adhuc enim, cum ea sunt perorata, Constantinus inter Ethnicos (vt dicemus) profitebatur, necdum aperte dans nomen Christianæ religioni erat adscriptus: non enim res agebatur inter Aegyptios, penes quos Crucis signum erat salutis & vitæ hieroglyphicum, sed penes Romanos, quibus Crux vt seruile supplicium, & latronum exitium notis ceteris execrabilior erat: hinc illud apud eos imprecari solitum: Abi in malam crucem. detestabile namque fuisse Crucis signum sacra dijs facientibus, quæ suo loco dicentur de Iuliano Apostata, exemplis pluribus demonstrabunt. quid igitur mirandum, si coram Senatu Gentilium hominum, & Imperatore adhuc inter Gentiles agente, Ethnici Oratores de eo signo dicere prætermiserint, quod tum ab omnibus (quod dictum

a Apud Metaphrast. die 20. Octobr.

A ctum est) vt infaustum, erat explosum; cum ijdem ex alijs locis eamdem petierint dicẽdi materiã, quod est superius declaratum? ceterum de eodem subobscure ab ipso Oratore Gallicano dictum esse, cum ait exercitum infausto prodigio fuisse perterritum, nuper demonstratum est.

Sed quid postea, cum eam visionem Constantinus viderit, opere perficiendũ curarit, idem Eusebius [a] narrat his verbis: Ille, simulatque dies illuxit, surgens, primùm arcanum illud visum amicis exponit; deinde artificibus, qui aurum & lapides pretiosos affabre sculpere norant, accersitis, medio inter illos loco assidet, verbis signi describit effigiem, eam auro & lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mandat: quam quidem effigiem, contigit, vt nos olim oculis contemplaremur; ipse enim Imperator, Deo illud largiente, eam nobis ostendere dignatus est. Erat autem tali figura fabricata: Hastile oblongum, erectumq. auro vndique obductum fuit, quod cornu habuit transuersum ad formã Crucis constructum, supra in fastigio eius B operis corona affixa lapidibus pretiosis & auro polite circumtexta. In ea salutaris appellationis Saluatoris nota inscripta, duobus solũ expressa elemẽtis, id est duabus primis litteris Græcis nominis Christi. erat, P, in medio litterę, X, ☧ curiose & subtiliter inserta, quę totum Christi nomen perspicue significarunt. Quas quidem litteras deinceps semper Imperator in galea gestare consueuit. Ad cornu illius particulæ, quæ ex transuerso erat per hastile traiecta, velamen quoddam pertenue appẽsum adhæsit, regalis videlicet & magnifica textura mirabili varietate lapidum pretiosorũ artificiose coniũctorum, lucisq. suæ claritate pulchre resplendescentiũ depicta, & multo auro intexta: quæ dici non potest, quantam spectatoribus ob suam pulchritudinem excitarit admirationem. Istud igitur velamen ad cornu affixum, longitudinis, latitudinisque Crucis mensuram penitus exæquauit. Oblongum vero & erectum hastile in sublimi appensum, cuius pars inferior versus basim longius ducta fuit, sub ipsum Crucis insigne ad tex- C turæ discurrentis fimbrias, aureã pij Imperatoris pariter ac liberorũ suorum effigiem ad pectus vsque concinne descriptam continuit. Isto igitur salutari signo Imperator, tãquam hostilis cuiusque & infestæ violẽtiæ propugnaculo semper vsus est, cuius expressæ similitudines mãdauit, vt vniuersum exercitũ perpetuo antecederent. Verũ ista paulo post acciderunt.] hæc Eusebius.

a Euseb. in Vit. Constãtin. lib. 1. c. 24. 25. 26.

CONSTANTINVS CRVCIS CVLTOR LABARVM CRVCE ORNAT.

Curauimus, Lector, hic tibi ex antiquis monumentis Labari imaginem reddere, ac in primis ex Constantini numismate sic, vt vides, expressam: cum tamen illud diuersis modis effigiatum reperiri, non ignoremus.

b



D Habes in Labaro per X P, ☧ Christi nomen expressum; per litteram enim, X, consueuisse Christi nomen intelligi, fidem facit etiã Iulianus Apostata in Misopogone. In hoc vero & illud obseruandum, mira concinnitate ijsdem elementis exprimi simul Christi nomẽ & Crucis signum, vt Crux in Christo, & Christus in Cruce monstretur: per X, enim Crux, licet transuersa, notatur, quam in rectam lineam sic alij deducebant ⳨, & id quidem hoc sæculo: in cœmeterio enim Priscillæ via Salaria tabula effossa est cum eiusmodi inscriptione atque signo ad finem posito:

b Complura numismata id genus extant, sed hoc accepimus a D. Horatio Tygrio de Marijs. Rom.

MIRAE INNOCENTIAE AC SAPIENTIAE PVERO MARCIANO QVI VIXIT ANN. IIII. ET MENSES IIII. DIES II. QVIESCIT IN
E PACE D. PRID. KAL. DEC. ARBETIONE ET LOLLIANO COSS. PARENTES FECERVNT. ⳨

c



sub hac inscriptione idem character hieroglyphicus sic habetur expressus ⳨, quem imago togata ibidem sculpta, dextera tenet. Contigit horum Consulatus anno XIX. Constantij, D. vero CCCLV.

c Extat ipsum numisma apud D. Fuluiũ Vrsinum V. C. Rom.

Ceterum expressimus etiã tibi hic aliam formam Labari Crucem puram habentis, in quam formã Valens Imp. restituit labefactatũ ipsum Labarum a Iuliano. Sed rursum Eusebius.

Tempore

CONSTANTINUS CHRISTI CULTORES ACCERSIT.

Tempore autem supra commemorato, Constantinus admiranda illa visione obstupefactus, nullum alium Deum, quàm qui ipsi apparuisset, colendum esse statuens, sacerdotes & professores religionis, & verbo illius initiatos accersit: quis esset Deus ille, sciscitatur: quid etiam sibi vellet visio illa, quæ de signo fuisset ipsi patefacta. Hi hunc Deum respondent Dei vnius ac solius vnigenitum filium esse: signum autem, quod apparuerat, immortalitatis vitam esse, trophæumque victoriæ illius de morte reportatæ, quam olim, cum in terra versabatur, fuisset assecutus. Causas etiam docent eius aduentus, accuratamque illius inter homines œconomiæ rationem ei suggerunt. His rationibus quamquam probe erudiebatur ille quidem, visionis tamen ipsius oculis subiectæ adhuc tenebatur admiratione. Atque tandem, vbi cæleste visum cum sacerdotum interpretatione contulerat, animo confirmatus fuit: pro certo persuasus, earum rerum cognitionem sibi diuinitus oblatam esse; ac propterea in diuinam sacrarum litterarum lectionem iam omni cura & cogitatione incumbere secum decreuit. Itaque primum Dei sacerdotibus sibi tamquam assessoribus adscitis, statuit Deum, qui ipsi apparuisset, omni genere cultus & obseruantiæ venerari. Deinde, spe bona in illo posita, firme munitus, de cetero permagna cupiditate ferebatur, ardentes incendij tyrannici faces ad terrorem intentatas penitus extinguendi.] hucusque Eusebius. A B

a Tertul. in Apolog. c. 16.

MILITARIA SIGNA CRUCE DECORA.

* labarorum.

b Minut. Felix in Octauio.

* labara.

At hic primo dicendū non Labarum modo, sed alia quoque fuisse in exercitu militaria signa longe ante Constantini tempora signum Crucis præferentia. Siquidem Tertullianus [a], qui Seueri Imperatoris temporibus scripsit Apologeticum, de eis sic meminit, dicens: Sypara illa vexillorum, & cantabrorum * stolæ Crucum sunt: laudo diligentiam; noluistis nudas & incultas Cruces consecrare.] hæc ipse de velis illis loquens, quæ in hastula illa transuersa Labari alligata, Crucem quodammodo vestire videbantur. Sed & hæc Minutius Felix [b]: Ipsa signa & cantabra* & vexilla castrorū, quid aliud, quàm inauratæ Cruces sunt & ornatæ?] Verū ante hos omnes Iustinus Martyr ad Antoninum Pium scribens Apologiam, sic ait: Quin & signa vestra figuræ huius vim præferunt & declarant: vexillorum signa dico, aliorumque insignium & trophæorum, quæ per progressus a vobis in publicum quouis locorum fiunt; Imperij & potestatis indicia in his ostendentibus, licet hoc non intelligentes faciatis. Et qui apud vos moriuntur, Imperatorum imagines forma ista consecratis.] hæc Iustinus, qui cum non vnius generis signum, sed vexilla dicat Crucis formam expressisse, illud plane significare videtur, non tantum signum illud, quod dicimus Labarum, sed & alia quoque eamdem figuram repræsentasse, nempe ea etiam, quæ hastis affixas continerent imagines Imperatoris exculptas totulis inhærentes, & aliam in summo hastæ vertice collocatam, in cuius itidem hastæ parte superiori alligata esset hastula transuersa egregie reddens imaginem Crucis, in cuius cornibus hinc inde vitta penderet: eius formæ complures egregie exculptæ visuntur in Traiani columna cochlide, in qua etiam cum aliorum militarium signorum, tum etiam Labarorum formæ habentur expressæ, quæ etiam visuntur in nobilibus illis victoriæ M. Aurelij Antonini monumentis, quæ olim in arcu triumphali posita, hodie vero extant in Capitollo, ipso primo scalarum conscensu palatij Conseruatorum, in quibus sunt eadem signa simul plura numero, sicut & in columna cochlide eiusdem Antonini, & expressius in arcu Seueri: vt appareat plane hallucinatos esse eos, qui dixerunt, id genus signi non nisi vnum esse solere in toto exercitu Imperatoris. Extat & in fronte ingressus Titi arcus idem vexillum in manu Victoriæ, idemque & in quamplurimis antiquis nummis. C D

c Prudent. aduers. Symmach. lib. 1.

Sed ad Constantinum redeamus, in cuius exercitu, vult Prudentius [c], non tantum in Labaro, sed & in militum scutis atque galeis fuisse idipsum Christi nomen affixum, cum ait: E

CHRISTI NOMEN ET CRUX IN ARMIS.

Christus purpureum gemmati textus in auro
Signabat Labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis Crux addita cristis.]

Quod igitur Prudentius dicat non tantum in Labaro fuisse Christi nomen intextum; sed etiam armis, nempe scutis & galeis, idem sanctissimum nomen effigiari solitum: consuluimus de his, vt licuit, quæ Romæ extant vetera monumenta, in antiquis numismatibus germana fide hactenus conseruata; inuenimusque ex eis vnum Constantini Magni imaginem præferens, in cuius galea (quod & ex Eusebio dictum est supra) duobus illis litteris superius explicatis, X. & P. vna complexis Christi nomen habetur expressum: quod quidem formis sincerissime redditum hic summa diligentia cudendum curauimus.

At Euse-

A



a



a Ex nũmo æreo qui extat apud Angelum Breuentanum Papienſem. Vidimus Romæ.

B

At Euſebius tradit, Conſtantinum ipſum tantummodo eiuſmodi ſigna geſtare conſueuiſſe: vnde reor, Prudentium, ſecundum ea quæ geri ſuo tempore videbat a militibus Chriſtianis, tunc quoque facta putaſſe: nam tum Modeſtus [b], tum etiam Vegetius [c] expreſſe teſtantur, ſignum in galea ferre, fuiſſe tantummodo Centurionum inſigne. Verum ſicut alia multa, ita Conſtantinus hæc quoque viſus eſt pia religione mutaſſe.

b Modeſt. de vocab. rei milit. c Veget. lib. 2. c. 13.

DE LABARO.

Sed vt de Labari agamus antiquitate: facilius erit in antiquis Imperatorum victoriæ monumentis ſculpta oculis ſpectare Labaro ſigna ſimilia, quàm eius nomen apud veteres Ethnicos ſcriptores legere. nulla certe eius eſt mentio apud Modeſtum, qui omnes ſimul voces rei militaris complexus, explanans, ad Tacitum Imperatorem libellum ſcripſit; nec etiam apud Vegetium, qui ad Valentinianum Auguſtum eiuſdem argumẽti commentarium dedit, vllũ plane de Labaro verbũ reperias. Cum ergo cõſtet rem ipſam fuiſſe, at nomen Labari ignoratum; neceſſe eſt affirmare, tale ſignũ alio ab antiquioribus nomine dictum fuiſſe; ſed quonam, eſt exquirendum. Modeſtus, quem citauimus, dum agit de primaria cohorte, ſic ait: Hæc enim ſuſcipit Aquilam, quæ præcipuum ſignum in Romano eſt ſemper exercitu, & totius legionis inſigne imagines Imperatorum: has enim imagines tamquam diuina & præſentia ſigna ſinguli venerantur.] & inferius: Aquiliferi, qui Aquilam portant: Imaginarij, qui Imperatoris imagines ferunt: Signiferi, qui ſigna portant, quos nunc, Draconarios, vocant.] hæc Modeſtus. Vegetius [d] eadem de ſignis militaribus in hunc modum: Aquiliferi, qui Aquilam ferunt. Imaginarij vel Imaginiferi, qui imagines Imperatoris portant.] & alibi [e] hæc numerans militiæ ſigna ait: Muta ſigna ſunt, Aquilæ, Dracones, Vexilla, Flammulæ rufæ, Pinnæ.] ſicque de Labaro cum nulla prorſus ſit mentio; vexillorum nomine illud eſſe expreſſum, manifeſtum eſt, atque fuiſſe olim Cantabrum appellatum, qnod, vt diximus ex Tertulliano atque Minutio, Crucis veſtitæ præſeferret imaginem.

C

d Veget. lib. 2. c. 7. e idem lib. 3. c. 5.

D

CANTABRVM MILITARE SIGNVM.

Sed vnde quæſo apud eoſdem vox, Cãtabrum? eam quidem germanam eſſe lectionem, Pamelio rem perſpicacius intuenti non inuitus aſſentior: cum enim apud Minutium Felicem itidem legatur, Cantabra, & ſcripti antiqui codices omnes pariter ita habeant, nefas putamus antiquam conuellere lectionem; cum præſertim in Codice Theodoſiano mentio habeatur de [f] Signiferis & Cantabrarijs, ijs ſcilicet, qui Cantabra & alia ſigna portabant. Quamobrem (quod in re obſcuriſſima agere coniectura licet) Cantabra a Cantabris in Hiſpania populis, quos tandem magnis laboribus, multoque fuſo Romano ſanguine Auguſtus debellauit, eſſe dicta putamus. Mutuari namque ſolitos eſſe Romanos, imitarique ſigna hoſtium, quos ſubiugaſſent, de Draconibus ſignis manifeſtum exemplum eſt; qui non ante eſſe cœperunt in vexillis Romanorum inſignia, quàm Traianus Dacos viciſſet, qui ſignis eiuſmodi vtebantur in bello. Sed nec diſpliceret de hac voce coniectura Turnebi viri inſignis eruditionis, dum vnius litteræ immutatione legendum putat pro Cantabrum, Contabrum, a conto, cui ſuſpenderetur militare ſignum, quod Labarum dictum putant: niſi omnium locorum ſuperius de Cantabris & Cantabrarijs citatorum, eadem eſſet lectio; niſi etiam eadem ratione reliqua quoque ſigna, quòd conto geſtarentur, Contabra dicenda pariter eſſent.

f l. 2. Cod. Theodoſ. eod. tit.

E

LABARI ET CANTABRI DIFFERENTIA.

Porro licet Cantabra & Labara eadem eſſe ſigna videri poſſent: fuiſſe tamen differentia aliqua inter ſe diſtincta, eorum figuræ lapidibus exculptæ, vel nũmis impreſſæ declarant: ſiquidem in veteri illa forma ante tempora Conſtantini, ſic velum illud tranſuerſæ haſtulæ alligatum erat, vt rugas aliquas ſui contractione admitteret: quod vero Labaro inhærebat velum, ſic erat expanſum atque extenſum, vt nullum prorſus ſinum contraheret, & omni ex parte planum, depictas in ſe imagines demonſtraret. Sed & ea quoque differentia Labarum a Cantabro diſtinctum erat, quòd in exercitu (vt locis citatis vidimus) complura Cantabra erant,

Labarum

LABARVM VNDE DICTVM SIT. Labarum verò, ex quo eius introductus est vsus & nomen, non nisi vnum esse in exercitu A
consueuit.

a Greg. Nazian. in Iulian. orat. 1. Sed vnde Labarum ipsum dictũ est? Audiamus quid scribat Gregorius Nazianzenus [a], dum inuehitur in Iulianũ Apostatam, qui Labarũ Cruce decorũ abstulerat: Quin eo, inquit, audaciç quoque prorupit, vt aduersus magnum illud vexillum præceps ferretur, quod simul cum Cruce magnifice & cum insigni pompa exercitum ducit, in sublime euectum, quod soluendorũ laborum vim habet, ab eoque apud Latinos nomen trahit; principatumque, vt ita dicam, in reliqua omnia vexilla tenet; tam quæ Imperatorum imaginibus, atque expansis texturis in varijs tinctionibus, litterarumque picturis illustrantur, quasique gestiunt; quàm quæ horrendis draconum hiatibus super summas hastas elatis inuolantia, ac per tractus contextis squamis distinctos ventilata iucundissimum simul & formidolosum spectaculum oculis præbent.] hæc Gregorius: qui cum dicat, quòd soluendorum laborum vim habeat, Labarum a Latinis esse B
dictum: contrarium plane videtur, vt ab eisdem a labore sit nominatum, quòd labori imponat terminum. Quamobrem sic a Latina voce, laborẽ, Labarum dictum Gregorium significare voluisse putamus, vt & a Græca voce simul coniuncta nomen accipiat, ὅρος, quod est finis & terminus, seu limes; sicque secundum Gregorium idem sit Labarum, quod laboris ὅρος, λαβόρου, laboris terminus, sic primitus nominatum a Constantino (ignotam enim fuisse maioribus eiusmodi vocem, superius dictum est;) vel quòd Vrbem a tyrannide Maxentij liberando, tot tantisque malis ac laboribus finem imponeret; vel quòd Crucis fulgore rutilante, persecutionis laboribus terminus figeretur: siue etiam (vt scribunt Eusebius [b] & Sozomenus [c]) quòd cum cohors aliqua laboraret, ad subsidium laborantium militum Constantinus iuberet inferri Labarum; cuius aduentu mox victores existerent. Vel, si velimus, dicere possumus etiam, dictum Labarum, a Latina & Græca voce composita dictione a labore, & ἄρος [d], quod est vtilitas, C
sitque Labarum laborum vtilitas; nisi constaret apud Græcos non Labarum, sed Laborum nominatum esse.

b Euseb. in Vit. Constantin. lib. 2. c. 7. c Sozom. lib. 1. c. 4. d Eusta. Lexic.

Quod enim Labarum dicimus, Græci Laborum nominabant, vt ex Græco habet Latina vox reddita in hunc modum in Codice Iustinianeo, titulo de Præpositis Laborum, & ibi posita ipsa [e] lege his verbis: Qui Præpositi Laborum nostro iudicio promouentur, clarissimi sunt inter electos; ita vt ex Consularibus habeantur: nam & immunitate digni sunt, quos nostri lateris Comitatus illustrat.] hæc Imperator: sed in Codice Theodosiano [f] hæc paulo fusius: Qui ex deuotissimis domesticorum scholis Præpositi Laborum nostro iudicio & stipendiorum sudoribus promouentur, ad similitudinem decem primorum domesticorum, clarissimi sint inter allectos, ita vt ex Consularibus habeantur: nam & Senatorio nomine & immunitate digni sunt, quos nostri lateris Comitatus illustrat. Dat. III. Id. Nouemb. Constantinopoli. D
Theodosio A. VII. & Palladio Coss.] λάβωρον ipsum quoque vocat Sozomenus [g], licet alij legant Labarum: sed Laborum legendum, obseruauit Cuiacius [h] ex Nicæno secundo Concilio ex verbis Sozomeni sic dicentis: θατέρῳ δὲ τῶν σκήπτρων ὃ Ῥωμαῖοι λάβωρον καλοῦσιν: quam lectionem æque probat Turnebus [i], qui & eodem etiam modo, Laborum, & non Labarum legi in antiquo Lexico, se reperisse testatur. Sed præterierũt hæc omnia Alciatum [k], dum minus æque inuehitur in Accursium. De Præfectis enim Labarorum, hoc est, Vexillarijs, illic agi, certum est, de quibus Eusebius [l] meminit, electos dicens a Constantino Imperatore quinquaginta viros virtute præstantes, quibus per vices portandi Labarum onus incumberet, de quibus pluribus suo loco dicemus. atque de Labaro modo hactenus.

e l. 1. de Præpositis Laborum Cod. lib. 12. f Cod. Theod. lib. 6. tit. 25. g Sozom. lib. 1. c. 4. h De Præpos. Laborũ Cod. lib. 12. i Turneb. Aduersarior. lib. 15. c. 16. k Alciat. Annot. in tres lib. post Cod. lib. 12. l Euseb. in Vita Constantini lib. 2. c. 8.

CONSTANTINI IN MAXENTIVM EXPEDITIO. Iam Constantinum cum exercitu in Italiam proficiscentem prosequamur. Non amplius quàm vnius anni spatiũ hâc in Maxẽtium expeditionẽ cõplexam esse Panegyrici auctor incertus affirmat, cuius testimonio Eutropius redargui videtur, dum ait, Constantinum anno quinto sui Imperij aduersus Maxentium prælium mouisse. Quod vero ad copiarum numerum tam Constantini quàm Maxentij pertinet: non est eadem omnium sententia: siquidem demonstratum est auctoritate Panegyrici illius post victoriam Constantino dicti, ipsum vix quarta exercitus parte pugnasse aduersus cẽtum millia armatorũ: sed et eadem quoque oratione hæc eodem argumento: Magnus [m] Alexander, cum præter Macedonas suos, cunctæ Græciæ, vniuerso Illyrico innumerabilem delectum posset indicere, numquam maiores quadraginta millibus copias duxit; inhabile regenti ratus quidquid excederet, & turbam potius, quàm exercitum. Tu vero etiam minoribus copijs bellum multo maius aggressus es, tanto scilicet tua virtute propria potior, quanto ille numero instructior.] hæc ibi: ex quibus Zosimus mẽdacij coarguitur, dum ait [n]: Constantinus autem, qui hominem & antea suspectum haberet, tunc magis ad gerendum aduersus eum bellum se comparabat: ideoque collectis copijs ex redactis in potestatem E

m Panegyric. 2. Constantin. n Zosim. lib. 2.

A potestatem barbaris, & Germanis, & alijs Celticis nationibus, itemque de Britannia coactis militibus, qui omnes erant ad nonaginta millia peditum, & octo millia equitum, ex Alpibus in Italiam mouebat, ac oppida quidem per inducias se dedentia, nullo damno mulctabat; ad arma vero tendentia in ditionem redigebat. Cum Maxentio longe maioribus copijs instructo, Romanorum & Italorum octoginta millia se ad belli societatem coniunxerant, itemque Thusci quotquot vniuersam oram maritimam incolebant; præbebant & Carthaginenses exercitum quadraginta millium, & præter hos Siculi: adeo quidem, vt totus exercitus centum & septuaginta peditum, & decem & octo millibus equitum constaret.] hæc Zosimus.

Sed quis apparatus vtriusque, & ad victoriam vnde cuique ipsorum comparata fiducia? De Constantino audiuimus; de Maxentio ex ipso in primis Zosimo hæc discamus: Maxentius (inquit) intra muros inclusus dijs victimas offerebat, & aruspices de belli euentu consulebat, ipsis quoque Sibyllinis oraculis peruestigatis. cumque reperisset oraculum, quo significaretur, in fatis esse, vt qui ad perniciem Populi Romani spectantia designaret, miserabili morte periret: de semetipso id accipiebat, qui quasi Romam adortos, eamque capere cogitantes, propulsaret.] hæc ipse. Sed & Eusebius[a]: Cum vero Maxentius machinis præstigiarum magis quàm subiectorum beneuolentia confideret, & nullo modo extra portas ciuitatis egredi ausus esset; et omnem locum, agrum, & ciuitatem etiam, quæ ipsius subijciebatur Imperio, ingenti armatorum multitudine, & infinitis copijs muniuisset: Imperator Constantinus Dei auxilio nixus, primam, secundam, & tertiam Tyranni aciem adoritur, & omnibus primo impetu perfacile subactis, vniuersam prope Italorum peragrat regionem, adeo vt iam quàm proxime Romam aduentaret.] hæc ipse. Sed quo ordine hæc facta sint, in Panegyrica in primis oratione narratur, cum dicitur[b]: Probauit hoc prima obstinatio eorum, qui sub ipsis Alpium iugis munitissimo licet muro ac situ tenentes oppidum, ausi fuerunt, te imminente, resistere, ac portas claudere, non credentes illi quidem (vt audio) te ipsum adesse. Quis enim crederet tam cito a Rheno ad Alpes Imperatorem cum exercitu peruolasse? sed tamen qui non solum præsenti numini tuo, verum etiam nunciato nomini cedere debuissent, luerunt igitur illico dementiæ suæ pœnas, cum oblatam sibi a clementia tua veniam recusassent.] Quænam autem hæc ciuitas esset, Nazarius[c] nominat dicens: Primam igitur Segusiensium ciuitatem, quam primam iter dederat, victoria facilis amplexa est: quæ resistendi pertinacia, ita in se Imperatoris vim conuertit, vt pietatem tamen non alienauerit. Nam cum introitus vi manu quæreretur, & portarum inflammatio ignem late distulisset, cuius facilis per adiuncta contagio partu pestifero valescebat, maxima benignissimi Imperatoris fuit cura, non modo vt incendium non adiutum senescetet, sed oppressum emori posset: et longe operosior clementia, quàm fortitudo perfecta est, cum plus in seruanda vrbe, quàm in capienda fuerat laboris, oriretur.

Itaque digrediens, sic cupiditatem sui fecit, vt eam ad omne obsequium, non victoriæ metus componeret, sed admiratio lenitatis. Optima, aiunt, esse remedia quæ ad vsum corrigendi nostri ex aliena calamitate nascuntur: verum animus prauitate velut morbo impeditus, delectum boni non habet. Ecce iam apud Taurinos venientem pugna grauior expectat: nec Segusiensium vastitas monet, vt sibi caueant: nec cogitant, quòd cum Principe res futura sit, quòd neque vis eius resistendi spem faciat, nec mansuetudo rationem. Campum late iacentem tantus miles oppleuerat, vt non improbaret fiduciam, qui instructos videret. Quæ enim illa fuisse dicitur species? quàm atrox visu, quam formidolosa? operimento ferri equi atque homines pariter obsepti. Clibanarijs in exercitu nomen est, superne omnibus tectis equorum pectoribus, demissa lorica & crurum tenus pendens sine impedimento gressus a noxa vulneris vindicabat.] Quid vero demum tunc factum, sic ad postremum absoluit vna sententia: Ad vnum interfectis omnibus, tuis integris, horrorem armorum ad miraculum victoriæ transtulerunt, quòd qui inuulnerabiles habebantur, sine tuorum vulneribus interijssent.] hæc Nazarius. Probauit plane euentus, quod dixerat, Angelorum acies in Constantini exercitu militasse: hic namque primum quanta vis esset sanctissimæ Crucis, qua Christo Labarum consecrarat, expertus est. Taurinum primum, vbi tota vis belli, & non tantum difficilium Alpium præruptis montibus, sed & ferratis legionibus aditus fuerat ad Italiam interclusus, sensit numen pro Constantino pugnasse, quo duce (mira res) cesserit ferrum ligno.

Quæ autem post hæc sequuta sint, idem auctor breui compendio relegens potius, quàm enarrans, hæc ait: Quid ego referam post tantam & tam grauem pugnam, quòd apud Brixiam magnus

Marginal notes: APPARATVS MAXENTII. — a Euseb. in Vita Constantin. lib. 1. c. 31. — b Panegyric. 2. Constantini. — c Nazar. in Panegyric. Constantini. — CONSTANTINI PVGNA APVD TAVRINOS. — CONSTANTINI VERONAM ADVENTVS.

Margin letters: B (at "xentius"), C (at "sint"), D (at "ris fuit cura"), E (at "atque homines").

magnus quidam & acer equitatus esset fuga quàm visu astutior, & primo impetu tuo pulsus, A
Veronam vsque contendit ad præsidia maiora? neque id dedecori fuit, quod excusati fugiunt, qui tibi cedunt, contingat: quin immo timiditati miseræ res ostentanda fuga, quæ habuerit dignitatem. Ipsa autem Verona freta immanibus copijs, quas in vnum aduentus tui formido conduxerat, cum multorum iam cladem accepisset, facta est parumper metu cunctatior, non ratione fidelior, muris se ab impetu vindicat. Aderat quidem Ruricius experientissimus belli, & tyrannicorum ducum columen: per tota admodum mœnia magna vis hominum, & apud Brixiam plerique iam fracti: vt in corpore cum aliqua pars ægra est, valetudo omnis contaminari solet: sic illius multitudinis portio malo affecta, totum exercitum timoris contagio dissiparat. quàm faciles lapsus infirmitas habet, cum eam intempestiua mouit audacia, cum sæpe alias, tum maxime in illa obsidione perspectum est. Clausi impetum faciunt; et qui se aliquandiu latendo a morte defenderant, facta pugnandi causa, pœnas eruptionis temerariæ pependerunt: idemque Ruricius magna suorum clade reiectus in mœnia, spe iam lassa, & adhuc mente vesana, cum se Veronam proripuisset, nouos eodem egit exercitus, & præcipitante iam die, bellum non detrectauit, pugnæ auidior, quàm salutis: sed eum exitus magis quàm merita fefellerunt: nam furorem mors domuit, quem non potuerat considerati ratio, nec victi formido sanare. O nox illa æternis sæculis monumentisque mandanda, cum spiris tenebrisque congressis * fortunæ totum liceret! B

* al. congressus

VICTORIA ADVERSVS RVRICIVM.

Tu tamen Imperator non intutior tempore, quàm a Deo tectior, sæuissimo hosti multus instares, & libertate cædis exultans, donum noctis duceres, quòd pugnantem nemo seruaret. Per infestas acies interritus vadis, densissima quæque prorumpis, deijcis, proteris: mortis decus perdunt, quos ignoratus affligis, nisi quòd te ipsa vis tua cogit agnosci. Nihil enim te permouent tubarum fractæ voces, horrendus militum clamor, permixta casibus vulnera, illisi cominus gladij, cadentium graues gemitus, arma late strepentia, & in vnum quemdam sonitum diuersi fragoris acta confusio, quòd hæc omnia aut virtus negligit, aut ira non sentit. Nox ipsa, iustissima bellantibus causa terroris, vehementiorem te agendis stragibus fecerat; quod solum virtutis tuæ impedimentum est, miserationem tenebræ non habent: vt intelligi liceat, quantum illo in bello vis tua perfecerit, pietate non retenta, & maiestate secura. Prælio vix summa nocte confecto, fessus cædibus, anhelus ex bello, cruore oblitus, sed hostili, ad obsidionis vigilias recurrebas. O fortuna, o præpotens Roma, quam tu vmquam gratiam pro tantis his laboribus referes? &c.] Alia quoque oratione hæc ipsa fusius de Veronensium obsidione, & deleto cum Duce Ruricio exercitu Romanorum, deque ingenti in pugnando Constantini robore: quod tamen auctor minus in Imperatore probauit, cum vnà cum sua totius Romani Imperij salutem periculosæ aleæ subiecisset; vt iure meritoque illud inculcet [a]: Quid egeras Imperator? in quæ nos fata proieceras, nisi te diuina virtus tua vindicasset?] Tantam quippe ex Christi numine Crucisque virtute fiduciam animo conceperat, vt ardua quæque ac dura, dixerim & impossibilia, illi facilia, plana viderentur, atque secura: oraculo namque illo semel persuaso; In hoc vince, vel vinces; semper sibi idem visum est esse vocale; illudque propheticum veluti cælesti classico iugiter intonari: Ego [b] ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.] quo præuio, expugnat cetera post hæc, quæ erant a Maxentij partibus trans Padum præsidia, Mutinam, & Aquileiam, alijs Imperatoribus, bellis ciuilibus inconcessas. C D

a Panegyric. post victor. Constantini 2.

b Isaia. 45.

MAXENTIVS OCCVRRIT CONSTANTINO.

c Panegyric. post vict. Constantin. 2.

His omnibus Dei nutu mira facilitate atque felicitate confectis, Vrbem cogitat, eo dirigit iter; nullo facto in via obice, lætus aduentat: cum tandem Maxentius, magnis paucendisque copijs comparatis, trans pontem Miluium nouissima armis experturus expectat; sed prodigijs exagitatus: Quid enim (inquit Gallicanus Orator) aliud illum sperasse credendum est, qui iam ante biduum Palatio emigrauerat, & cum vxore ac filio in priuatam domum sponte concesserat? vt res est, omnibus terribilibus agitatus, & nocturnis pulsus vltricibus, vt tu iam olim expectatus habitator, sacris illis ædibus diu exhalatis, expiatisque succederes, & adeo ipse verum sibi dixerat, & venturo tibi cesserat, quamuis in prælium ingrederetur armatus, cum excedendo Palatio, iam se abdicasset Imperio.] addit his Zosimus [d]: Cum Maxentius ex Vrbe copias produxisset, iamque pontem, quem ipse iunxerat, transijsset, infinita quædam multitudo noctuarum deuolans muros complebat.] atque hæc de prodigijs. sed de instructa ab eo acie, pugnandique loco delecto, in Panegyrico paulo superius hæc habentur [e]: E

d Zosim. lib. 2.

e Panegyric. Constantini post victor. 2.

At quo modo instruxit aciem tot annorum vernula purpuratus? ita prorsus, ne quis euadere,

A euadere, ne quis, vt fit, loco motus referre gradum, & instaurare prælium posset, cum a fronte armis, a tergo Tiberi flumine premeretur. In quo ille non mehercule cogitauit necessitatem resistendi, sed propinquitatem refugiendi: nisi forte iam sentiens diem sibi venisse fatalem, ad solatium suæ mortis, voluit secum trahere quamplurimos, vt omnes essent exitus sui comites, qui scelerum participes extitissent.] & Nazarius [a]: Quod ita ratio disponendi exercitus docuit illum mente perdita, implicatoque consilio, cum eum pugnæ locum caperet, vt interclusa fuga, moriendi necessitatem imponeret, cum spem victoriæ non haberet.] & paulo post: Apud Tiberim igitur suos instruxit sic ripæ locatos, vt vltimorum vestigia præsagio quodam euenturæ cladis vnda fatalis allueret; ita vero multitudine suppeditante, vt vltra quàm visus agi posset, extenta acies pertineret, non quo frons imbecilla tractu inualido duceretur, sed tãta subsidiorum atque ordinum confirmatione, vt acies non porrectior quàm robustior murum B vtrinque præberet, quòd eam nec constipatio cõtraxisset, nec longitudo tenuarat.] Addit Eusebius [b], ad vires dolos quoque Maxentium addidisse, pontem insidijs fabricasse, ea fraudulenta arte cõpactum, vt artificis arbitrio, nullo propemodum negotio solueretur; de industria factum, vt Constantinum illum occupantem cum suis, rapidi amnis vortices labentem obruerent. Sed de ponte constructo a Maxentio cum meminit Zosimus, de prætensis ex eo insidijs nihil habet.

a Nazar. in Panegyric. Constantini.

b Euseb. lib. 9. c. 8. & in Vita Constantini lib. 1. c. 32.

Sic igitur (vt dictum est) a Maxentio rebus dispositis, Nazarius [c] tradit, Constantinum veluti numine concitatum, de periculo tutum, de victoria certum se proripuisse primum in hostes: Inuadis (inquit) primus aciem, solus irrumpis, obumbrant euntem telorum irriti iactus, sonat ictibus vmbo.] quid demum? virtute ducis ceteri incalescentes, maiori impetu feruntur in equites, qui in prima Maxentij acie dimicabant; qui tandem cedentes ac tur-C piter terga dantes, tum sibi, tum peditibus facti sunt violenti compressione ruina. Non enim (inquit supra Nazarius) qui bellorum euentus solet esse, per varios & volubiles casus maris dubius errauit; nec fortunæ vicissitudo, quæ plerunque prosperis rebus triste aliquid adglutinat, victorum lætitiam vulnerauit; sed tanta hostium, & tam ampla cædes, tam felix & incruenta victoria fuit, vt credas non bello ancipiti dimicatum, sed solas impiorum pœnas expetitas.] hæc Nazarius; totumque id tribuens diuinitati: Illa (inquit) pietatem tuam texit: illa nefandi illius Tyranni fregit amentiam: illa inuictum exercitum tuum, tot victoriarum conscientia plenis pectoribus ardentem, tantis insuper viribus iuuit, quantas præstare aut Deus potuit, aut amor tuus debuit; vt horrendas acies, vt incognita ferri & corporum robora fulmineus miles euerteret; vt quidquid instruxerat diuturni sceleris longa molitio, felici congressione consumeres.]

c Nazar. in Panegyric. Constantini.

PVGNA CONSTANTINI ADVERSVS MAXENTIVM.

D Sed quodnam fuerit par sceleri insperatum exitium post cladem fugamque suorum, sic a Gallicano Oratore narratur [d]: Ad primum igitur aspectum maiestatis tuæ, primumque impetum totius tui victoris exercitus, hostes territi, fugatique, & angustijs Miluij pontis exclusi, exceptis latrocinij illius primis auctoribus, qui desperata venia, locum quem pugnæ sumpserant, texere corporibus, ceteri omnes in fluuium abiere præcipites, vt tandem aliquod cædis compendium, fessis tuorum dexteris, eueniret. Cum impios Tiberis hausisset, ipsum etiam illum, Maxentium videlicet, cum equo & armis insignibus frustra conatum per abrupta ripæ vlterioris euadere, idem Tiberis correptum gurgite deuorauit, ne tam deforme prodigium vel hanc obitus sui relinqueret famam, quòd alicuius viri fortis gladio telove cecidisset.] hucusque de rebus gestis Constantini aduersus Maxentium Panegyricæ orationes, e quibus illa tantum descripsimus, quæ historicæ puritati consentientia probata sunt; E ceteris, in quibus auctores ex suscepta laudatione visi essent luxuriati in verborum pampinis, amputatis; quòd sciamus Rhetorum fucos ab historica simplicitate abhorrere; redditque suspectum, esse confictum, quidquid varijs diuersisque coloribus noscitur esse depictum.

d Panegyric. 2. Constantini.

MAXENTII INTERITVS.

Ceterum in eo, quod historica narratione sunt prosequuti; quòd rem agerent coram amplissimo auditorio rerum gestarum optime conscio, religio sit dicere illos esse mentitos; cum non laudare, sed ignominiam irrogare visi essent, si falsa dixisse, audientium risu redargui potuissent, in rebus præsertim nequaquam intra parietes agitatis, sed ore omnium diffamatis, & cunctorum auditione perceptis. De quibus, ne vel leuiter quidem Constantini laudatores suspectos habeas, apponimus testem, eius alioqui inimicum & vituperatorem, Zosimum [e] impium, qui rem gestam paucis perstringens hæc ait: Cum exercitus vtrinque cornibus aduersis starent, equitatum Constantinus immisit: is equitatum hostilem adortus fudit: peditibus quoque signo oblato, rite, compositeq. in hostem illi tẽdebant. Acri conferto prælio,

e Zosim. lib. 3.

Romani quidem ipsi, & Itali socij segniores ad obeunda pericula se præbebant, quòd acerba tyrannide se liberari optarent: reliquorum vero militum innumerabilis quædam multitudo cecidit tum ab equitibus proculcata, tum a peditibus interempta. Enimuero quamdiu resistebat equitatus, aliqua Maxentio spes esse reliqua videbatur: sed equitibus iam succumbentibus, fuga cum reliquis abrepta, per pontem fluminis ad Vrbem contendebat: tignis autem minime sustinentibus eam vim oneris, adeoque ruptis, cum cetera multitudine Maxentius etiam fluminis impetu abripiebatur.] hucusque ad Maxentij necem spectantia Zosimus. A

Sed quæ ea de re à Christiano scriptore sunt perpetuæ memoriæ commendata, præterijsse nefas est, quem, cum Constantinus illo familiarissime vsus sit, ab ipso, sicut alia complura, accepisse æquum est credere: sunt enim hæc ab eo hunc in modum conscripta [a]: Quemadmodum enim ipsius Moysis, & antiquorum ac piorum Hebræorum temporibus currus Pharaonis, eiusque copias deiecit in altum, & delectos ascensores, satellitesque regios in mari Rubro demersit: sic & Maxentius, quiq. cum eo erant armati, & stipatores, velut lapis, in profundum Tiberis gurgitem præcipites deciderunt. Nam cum Tyrannus, Dei virtute Constantino opem ferente, terga dedisset, & in fuga flumen ex aduerso obiectum (in quo lintribus iunctis, & ponte artificiose fabricato, machinam qua Constantinum adeo carum Deo e medio sublaturum sperauit, ad suum ipsius interitum construxerat) traijcere cœpisset, Deusque Constantino benignus præsto tulisset auxilium; et Tyrannus eius ope destitutus clandestinas & occultas machinas miser contra seipsum fabricasset: adeo vt illud commode in ipsum dici possit [b]: Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit: Conuertatur labor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendat: tum Dei nutu machinarum in pontis iunctione collocatarum, & fraudis in eisdem latitantis transitus, tempore minime sperato subsidit, ruitque, ac de improuiso lintres cum ipsis viris in altum gurgitem præcipitati sunt: ipseque infelix primus, deinde eius satellites & stipatores (sicut diuina loquuntur oracula) in rapidum flumen tamquam plumbum delapsi; vti Constantinus cum suo exercitu Dei præsidio victoriam assequutus, merito sane, licet non verbis, re tamen ipsa similiter cum Israelitis & egregio Dei famulo Moyse eadem ipsa, quæ ille olim contra impium tyrannum Pharaonem cecinisset, sic quodammodo suaui concentu fuderit, dixeritque [c]: Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est; equum & ascensorem deiecit in mare: adiutor & protector factus est mihi in salutem. Et quis similis tibi in dijs Domine, quis similis tibi? gloriosus in Sanctis, admirabilis, & præclare faciens prodigia.] hæc Eusebius de Constantino, gratias Deo agente etsi non his verbis (nondum enim Christianus plene erat) re tamen his paria meditante, ac labijs proferente. Sunt & Prudentij aduersus Symmachum scribentis de victoria in Maxentium virtute Crucis obtenta hi versus [d]: B C D

[a] Euseb. in Vit. Constantin lib. 1. c. 32. & hist. lib. 9. c. 8.

[b] Psalm. 7.

[c] Exod. 15.

[d] Prudent. aduers. Symmach. lib. 1. de potentia Crucis.

Testis Christicolæ ducis aduentantis ad Vrbem
Miluius exceptum Tiberina in stagna Tyrannum
Præcipitans, quanam victricia viderit arma
Maiestate regi, quod signum dextera vindex
Prætulerit, quali radiarunt stemmata pila.] hæc & alia plura ille: sed nos historiam prosequamur.

CAPVT MAXENTII PILO SVPER POSITVM.

Vbi autem de Tyranno in Tiberim prolapso atque extincto nuncium ad Constantinum perlatum est: mox eius corpus ab vrinatoribus quæri iubet: quo reperto, sectum caput summæ hastæ affigendum curauit, Romamque deferri. Sed de his hæc in Panegyricis [e]: Aliorum quidem hostium corpora & arma præceps fluuius voluẽdo deuexit; illum autem eodem quo extinxerat loco tenuit.] & paulo post: Reperto igitur, & trucidato corpore; vniuersus in gaudia & vindictam Populus Romanus exarsit.] Sed Constantini ingressus triumphalis in Vrbem a Nazario egregie sic describitur: Nullus post Vrbem conditam dies Romano illuxit Imperio, cuius tam effusa, tamque insignis gratulatio aut fuerit, aut esse debuerit; nulli tam læti triumphi, quos Annalium vetustas consecratos in litteris habet. Non agebantur quidem ante carrum vincti duces; sed incedebat tandem soluta nobilitas: non coniecti in carcerem barbari, sed deducti carcere Consulares; non captiui alienigenæ introitum illum honestauerunt; sed Roma iam libera, nil ex hostico accepit, sed seipsam recuperauit, nec præda auctior facta est, sed esse præda desijt: et quo nil adijci ad gloriæ magnitudinem potest, Imperium recepit, quæ seruitiũ sustinebat. Duci sane omnibus videbatur subacta vitiorum agmina, quæ Vrbem grauiter obsederant; scelus domitũ, victa perfidia, diffidẽs sibi audacia & importu- E

[e] Panegyric. post victor. Constantin. 2.

A importunitas catenata; furor vinctus, & cuncta crudelitas inani furore frendebat; superbia atque arrogantia debellatæ, luxuries coercita, & libido constricta nexu ferreo tenebantur. Sequebatur hunc comitatum suum Tyranni ipsius teterrimum caput, ac si qua referentibus fides est, suberat adhuc sæuitia, & horrendæ frontis minas mors ipsa non vicerat. Inijciebantur vulgo contumeliosissimæ voces: nam & ludibrijs oppressoris sui auspicari libertatem iuuabat, & mira voluptate conceptus e vita terroris insultatione interitus obterebatur. Quis triumphus illustrior? quæ species pulchrior? quæ pompa felicior?] & paulo post: Iam quidem lætitiam gestæ rei diffuderat fama velox, & ad celeritatem nuncij pennata Victoria insequebatur, tamen vberiore cum gaudio ipsius rei fructus, quòd ad animum languidius accedunt, quæ aurium via manant, quàm quæ oculis hauriuntur. Itaque tanti per Italiam concursus hominum excitabantur, tantæ ex oppidis effusiones, vt ante acti terroris testificatio in
B præsenti exultatione luceret. Pari studio missum eiusdem Tyranni ad permulcendam Africam caput; vt quam maxime viuus afflixerat, laceratus expleret; et nondum satis tempestiuo mari, affuerunt tamen nauigantibus felices auræ & fluctus secundi, beatissimamque victoriam ipsa etiam elementa iuuerunt. Caput, in quo titulus tantæ laudis circumferebatur, reddidit Tiberis, prosequuti sunt venti, maria seruarunt. Quonam modo te potens Africa, quanto lætitiæ fremitu, quàm insolenti voluptate iactasti?] hæc & alia Nazarius.

Tantum munus Deo omnium creatori, non militum robori, Constantinus de beneficio gratus acceptum tulit: quod ipse quidem ea oratione, quam postea habuit ad Sanctum cœtum, ingenue his verbis professus est [a]: Ego certe & prosperam meam fortunam, & meas res omnes pietati acceptas refero. Testis est etiam rerum omnium ex animi sententia euentus; *CONSTANTINI PIETAS.* *a Euseb. Orat. ad Sanct. cœtum c. 22.*
C testes sunt præclara facinora; testes victoria contra hostes, atque trophæa. Iuxta mecum hæc nouit, & cum laude propterea Deum celebrat illustris & eximia ciuitas Roma. Assentitur item populus Vrbis mihi carissimæ, licet falsa spe deceptus, Principem se indignum delegerit: qui quidem extemplo pro sceleribus ab ipso admissis iustas debitasque pœnas persoluit. Quæ certe commemorare non est integrum, mihi præsertim, qui apud te, o Pietas, dissero, omnique studio & industria incumbo, quo pacto te verbis castis decorisque affari queam. Dicam tamen fortassis aliquid, o Pietas, quod nec turpitudinis nec indecori quidquam in se complectitur, furore tamen & crudelitate redundans. Cum bellum pestiferum contra omnes sanctissimas tuas Ecclesias a Tyrannis excitaretur, & nonnulli in Vrbe Roma se tantis malis & tam insigniter improbis oblectare non desisterent, campusque esset ad pugnam præstitutus; tu in medium progressa, te ipsam fide in Deum roboratam, munitamque aduersarijs op-
D posuisti.] hæc ille, & alia plura, quibus inuehitur in Tyrannum Romanos grauiter exagitantem.

Sed iam ad ipsum Constantini Magni triumphum gestientem conuertamus orationem: reliqua autem ab Eusebio scripta, suo loco opportunius inserenda. Extat adhuc tantæ victoriæ nobile monumentum inter Palatinum & Cælium montem, haud longe a Domitiani Amphitheatro, ea parte quæ spectat ad Occidentem, triumphalis arcus a Senatu illi constructus; qui cum positus sit ea regione, plane significatur, ipsum nequaquam per Miluium pontem via Flaminia ingressum fuisse in Vrbem, sed quòd potius, ea ad læuam relicta (fracto enim ponte ruina Maxentij & exercitus eius, interclusus erat omnis illac ad Vrbem accessus) per prata Neronis iter faciens, viæ se immiserit Triumphali, cui in Vaticano posita adiacet insignis a dextris Memoria Principis Apostolorum, antiquorum, vt dictum est, præconijs *TRIVMPHVS CONSTANTINI.*
E celebrata, quam se ei obuiam offerentem adijsse, illicque pro collatis tam insignibus beneficijs, immensas Deo gratias reddidisse, dignum est existimare; cum præsertim exhibita postea loco illi præ ceteris ab eo pietatis obsequia id ipsum manifeste arguere videantur.

Quis enim in animum inducere possit, Imperatorem Cruce vincentem, quæ primo occurrerunt illi Christianæ religionis trophæa Crucis, in Petri sepultura, facta iam sui claritudine toto Orbi conspicua, præterijsse insalutata, quorum nec si voluisset, declinare potuisset aspectum? cum præsertim qui de eius aduersus Maxentium diuini numinis fauore obtenta victoria laudationes scripserunt, nihil prorsus de Capitolij genibus, vt Dio [b] tradit, solita fieri ab Imperatoribus conscensione, ad referendas gratias dijs, meminerint; cum ijdem tamen aliàs non tacuerint in Panegyrica oratione eidem Constãtino dicta post Maximiani Herculium Massiliæ extinctum, de gratijs ab eo diis actis, Apollini potissimum, cuius templum immensis donarijs cumulauit: hoc ipsum, inquam, illorum de ascensu ad Iouem Capitolinum ex *b Dio hist. Rom. lib. 43. & 60.*

more silentium clamat, perfunctū illud ab eo (quod diximus) munus in Vaticano. Sicq. Crucis gloria coruscante, ex nouis admirandisq. eius prodigijs admiranda quoque facinora sunt consequuta; cedit ferrum, vincit lignum, & Vaticanus collis mutatur in Capitolium, vel potius Capitolio auctus est mons Vaticanus, instar montis illius prophetici, cuius est domus Domini in vertice montium, quem ascensuræ sint omnes gentes: quæ enim tam barbara ac fera natio iugo Crucis submissa, ac proinde libertate donata, quæ Apostolorum limina ex more non petierit? A

GLORIA VATICANI COLLIS.

Expectabat lassus per campos effusus, sanguineque hostium & sudore conspersus, adhuc labore recenti anhelus miles; dum viam Triumphalem, eiusdemque nominis pontem ingressurus, illic disponitur ad triumphi pompam, vbi modo super altissimum obeliscum aurata Crux fulgore coruscat, non sine diuinitatis instinctu a Sanctissimo D. N. Sixto Papa Quinto tantæ gloriæ memoria restituta, ac magnificentissime illustrata. Via igitur Triumphali triumphans Constantinus ad Palatinum montem peruenit, in domumque Imperatoriam se recepit, ad cuius radices (vt declaratum est) fuit illud perpetuæ gloriæ monumentum ex Senatusconsulto postea fabricatum, in cuius fronte hæc inscriptio legitur: B

ARCVS TRIVMPHALIS CONSTANTINI.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO
P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R

QVOD. INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS
MAGNITVDINE. CVM. EXERCITV. SVO
TAM. DE. TYRANNO. QVAM. DE. OMNI. EIVS
FACTIONE. VNO. TEMPORE. IVSTIS C
REMPVBLICAM. VLTVS. EST. ARMIS
ARCVM. TRIVMPHIS. INSIGNEM. DICAVIT

intra fornicem a dextris: LIBERATORI. VRBIS
a sinistris: FVNDATORI. QVIETIS
et ab ea parte quæ spectat Amphitheatrum, in eius fronte:
VOTIS DECEM. SIC DECEM] & ex aduersa:
VOTIS. XX. SIC XX.] Solebant non tantum nuncupari vota ad quinquennium, vel decennium, sed eadem multiplicari augerique annorum numero: quod docent complures antiquorum inscriptiones, vt in nummo eiusdem Constantini:
IMP. CONSTANTINVS MAX. P. F. AVG.
VOTIS V. MVLT. X.] & in nummis Constantij eius filij: D
CONSTANTIVS AVGVSTVS
VICTORIAE DD. NN. AVGG. VOT. XX. MVLT. XXX. SIS.] sunt & alia complura eius generis [a], quæ hic describere prætermittimus. Quod insuper ad Arcus titulum spectat: ad hunc ipsum allusisse Prudentius [b] visus est versibus illis, quibus sic Vrbem ipsam alloquitur:

a Descripsit & edidit Adolph. Occ.
b Pruden. aduers. Symmach. lib. 1.

Dic quibus hunc scribis titulum? nisi quòd trucis Orci
Imperium, veræ ceu maiestatis, adoras?
E quibus implicita squallebat Regia summi
Imperij, tractis maiorum ab origine sacris: E
Cum Princeps gemini bis victor cæde Tyranni,
Pulchra triumphali respexit mœnia vultu.]

At qui hunc extruendum curauit, Senatui, quòd adhuc Gentilis erat, se eo opere Christianum prorsus profiteri non licuit, ob idq. nec vexillum Crucis erigere: sed quòd æque sciret Constātinum auersari deorum cultum, palamq. profiteri veri Dei auxilio se tot Tyranni exercitus superasse, ipsumque Tyrānum denique extinxisse; idcirco ipso inscriptionis exordio, ex animi sui sententia, illa posuerūt verba: QVOD INSTINCTV DIVINITATIS.] Rem igitur ita moderati sunt, vt eo officio sic esset Imperatoris pietati prospectum, vt tamen Senatus, quod non erat, se Christianum noluerit profiteri. Constantinus vero cum victricia Crucis arma, cui omnia ex diuinitus sibi impertito oraculo sciret se accepta ferre debere, in eo minus exculpta fuisse videret, quod intelligeret Senatus dedicantis religione vetitum: ne quid gloriæ

A gloriæ Crucis videretur esse detractum; seorsum, in ipso Vrbis meditullio, signum illud sublime posuit, clarissima illa inscriptione notatum; quò amplissima Crucis gloria, illis licet inuitis, quot litteris, tot linguis digno præconio magnificentissime extolleretur. recitat Eusebius titulum illum, postquam ea quæ idem Imperator præstitit Senatui Populoq. Romano, ac potissimum Christianis, narrauit, & post recensitam gratiarum actionem Deo Optimo Maximo ab eo accepti memore beneficij: quod tradit his verbis [a]:

a Euseb. Vit. Constantin. lib. 1. c. 33.

CONSTANTINI INGRESSVS IN VRBEM.

Constantinus igitur cum ista, aliaq. eiusmodi germana ac similia Deo omnium duci & auctori victoriæ, eximium Dei famulum Moysen imitatus, cecinisset: in Vrbem, quæ omnium regina est, cum triumpho & celeri pompa ingreditur. Ibi tum frequentes, tam qui ex Senatorio ordine, quàm qui alijs dignitatis ornamentis ibi clari erant & eximij, tamquam ex seruitutis custodia liberati, eum vniuerso Populo Romano, læto oculorum obtutu, lubentibus animis, B faustis acclamationibus, & insatiabili gaudio eum exceperunt. viri etiam euiuscumque generis vna cum mulieribus, liberis, & infinita famulorum turba illum liberatorem, conseruatorem, & beneficum patronum ingenti clamore prædicarunt. At ille, vtpote pietate in Deum tamquam naturaliter menti insita imbutus, non applausu illo populari & strepitu insolenter se iactans, non laudum elatus præconio, sed præsidij a Deo allati admodum conscius, extemplo preces cum gratiarum actione auctori victoriæ impertijt; atque illustribus inscriptionibus, columellisq. erectis, omnibus hominibus salutaris Christi signi virtutem promulgauit: inq. Vrbe media, quæ præ ceteris principem locum facile obtinet, ingens istud trophæum contra hostes erexit: et hoc salutare signum characteribus, qui nullo modo deleri poterant, in eo insculptis, Romanorum, aliorumq. omnium Imperio subiectorum propugnaculum esse demonstrauit, palamq. omnibus proposuit ad intuendum. Ac statim vbi erectum hastile ad formam C Crucis in manum propriæ imaginis in statua expressæ insertum Romæ in loco celebri ac multum a populo frequentato locatum fuit, hanc inscriptionem Latino sermone in eo mandat incidere:

HOC SALVTARI SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI, ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINAE AMPLITVDINI, ET SPLENDORI RESTITVI.]

b Euseb. ibid. c. 34. 35. 36.

CONSTANTINVS DE CHRISTIANA RELIGIONE BENE MERETVR.

Pergit Eusebius [b]: Plus igitur Imperator ista Crucis victricis confessione nobilitatus, cum magna dicendi libertate Filium Dei ipsis Romanis palam diuulgare cœpit. Omnes igitur omnino, qui ciuitatem incoluerunt, tam Senatus, quàm populus, velut acerbo & tyrannico dominatu leuati, clarioribus lucis radijs frui visi sunt, & nouæ cuiusdam & quasi renascentis vitę D modo rationeq. potiri. Ac gentes vniuersæ, quæ oris Oceani ad occasum vergentis circumdantur, prioribus malis, quibus implicatæ tenebantur, liberatæ, insignem dierum festorum celebritatem lætis animis, agentes, Constantinum victorem, pium, ac communem omnium patronum eximie prædicarunt; dixeruntq. vna voce, vnoq. ore omnes, illum tamquam commune quoddam bonum hominibus Dei benignitate & clementia donatum, illuxisse. Imperatorium porro passim diuulgabatur edictum; quod quidem & his qui erant fortunis suis spoliati, concessit auctoritatem rebus suis & facultatibus potiundi; et eos qui iniquum exilium perpessi fuissent, ad proprios lares reuocauit: alios item vinculis, omniq. periculo ac metu, quibus per Tyranni crudelitatem vexabantur, penitus eripuit. Ipse porro Imperator Dei ministros accersere, cultu & obseruantia honorifice complecti, & tum re, tum verbis, tamquam viros Deo suo consecratos humanitus excipere, & maxima beneuolentia prosequi cœpit. Quippe licet E homines fuerint ipsius formæ habitu ad aspectum abiecti, ab eo tamen non eius generis existimati sunt: sed quia non hominem, qui sub aspectum oculorum cadit, sed Deum ipsum, qui in eorum animis insidebat, considerare visus est, illos suæ mensæ effecit participes: illos, quocumque iter capiebat, secum duxit: atque ea de re Deum, quem sancte colebant, sibi credidit fore propitium. Porro Ecclesijs copiosa suppeditare subsidia, templa in sublime erecta, exædificataq. adaugere, plurimis monumentis augusta Ecclesiæ sacraria illustrare, varia pecuniarum largitione egentium inopiam subleuare.] hucusque Eusebius, simul postea congerens quæ a Constantino diuersis temporibus gesta sunt, non autem hoc anno perfici potuerunt, quo, rebellantibus in Germania barbaris, illuc quàm citissime auolare compulsus est.

Rursum vero ad nobile illud victoriæ Constantini trophæum postliminio reuocetur oratio: sunt enim complura de eo elucidanda, quæ haud inuitum antiquariæ rei cupidum poterunt detinere lectorem. Quòd igitur ad ipsum Triumphalem arcum spectat: præter illa quæ de eo nuper dicta sunt, illud in eo propensius considerandum est, mirificum quoddam & incredibile

erga

erga Constantinum Senatus studium declaratum esse, dum ad opus extruendũ minime detre- A
ctauerit illorum Imperatorum memorias demoliri, quos omnium carissimos habuisset; indeq.
DE ARCV TRIVMPHALI CONSTAN. ELVCIDATIO. egregie diuersis formis exculptos lapides sublatos, ad Constantini triumphalem fornicem extruendum conferre, ex monumentis scilicet victoriarum Marci Aurelij ablata nobilia sculpturæ opera, diuersis in locis Constantini arcui intexta fuisse: quod non modo rerum antiquarum perito, sed cuique etiam rudi erit facile iudicare, dum conspicit diuersæ sculpturæ opus esse compactum, alterius quidem egregiæ & perinsignis affabre factæ, alterius vero longe disparis, crassioris Mineruæ, rudis & impolitæ; antiquiora illa; hæc autem eius temporis, quo (vt superius nos dixisse meminimus) ob ingentem persecutionem, qua Christiani omnes insigniores eius artis opifices sublati essent, ars statuaria collapsa penitus videbatur. Quæ ergo habentur ornatus causa in eodem arcu diuersis locis aptata, quæ præsertim symbola reddũt idololatriæ, nihil prorsus noscuntur cum Constantino habere commune; cum cæcutientis etiam patere B
possit aspectui, illa dictorum Imperatorũ esse memorias, operaq. insigniorum artificum. Condonauit hoc Senatui Constantinus, quem nosset mordicus auitam religionem retinere, laudans illorum omnium erga se studium, quod præsetulerant in demoliendis illorum trophæis, quos præ ceteris Imperatoribus coluissent, vt ex illis victoriæ suæ monumentũ augustius exornarent: quæ nec religiosa posteritas abstulit, cum ea ad operis ornamentum esse viderentur imposita; ex quibus quantum ceteris laudatissimis Imperatoribus emineret maiestas Christiani Imperatoris, facile appareret; dum & quæ illic essent signa superstitionis Gentiliciæ posita, eamdem ipsam subiugatam, velut trophæa victoriæ demonstrarent; quòd moris esset, hostes superatos, honoris ergo eiusmodi, triumphalibus tabulis insculpi.

CONSTANTINVS QVOS COLVIT IMPERATORES. Ceterum videri potest, haud inuito Constantino, factum esse, vt super eumdem fornicem ponerentur, quæ alijs in locis collocatæ erant, nobilissimæ statuæ M. Aurelij, & Antonini Pij C
(quorum capita noctu furto sunt sublata, nostro tempore, ob egregiam operis excellentiam:) nam ambos hos Imperatores ipsum plurimum coluisse, obseruasseque, Lampridius auctor est in Heliogabalo, eorumdemq. imagines aureas formasse tradit, dum ait: Antoninorum nomen, tu Constantine sacratissime, ita veneraris, vt Marcum & Pium inter Constãtios Claudiosque, velut maiores tuos, aureos formaueris, adoptans virtutes veterum tuis moribus congruentes, & tibi amicas carasque.] hæc ipse: quibus vides Constantinum eo temperamento colere cœpisse Christianam religionem, vt non (quod multi perperam putant ab Eusebij præconijs persuasi) confestim cuncta spreuerit, quæ fuerant pietati aduersantia; sed quæ Gentium essent, ex ijs aliqua tolerasse, atque ea ex parte coluisse ac suscepisse, quæ ex optima morum institutione sibi gloriam comparassent, a cunctisque pariter in honore haberi cognosceret.

CHRISTI IMAGO AVREA A SENATV ERECTA. Rursum vero, quod ad Senatus officia spectat; alijs quoque præclaris æternæ gloriæ monu- D
mentis, quæ ipsi gratiora sciret, coluit Constantinum: siquidem de eo hæc habentur expressa in Oratoris Gallicani Panegyrica illa oratione sæpe superius citata [a]: Merito igitur (inquit auctor) tibi Constantine Imperator, Senatus signum Dei, & paulo ante Italia scutum & coronam, cuncta aurea, dedicarunt; vt conscientiæ debitum aliqua ex parte releuarent: etenim sæpe debetur & diuinitati simulacrum aureum, & virtuti scutum, & corona pietati.] hæc ibi. Sed quid, quæso, signum Dei, idemq. simulacrum aureum? Neminem adeo puto vesanum, qui vel mente concipere possit, alicuius deorum Gentium aurea statua a Senatu Constantinum esse donatum, immo cõtumelia muneris prouocatum, atque delusum; quem scirent Christianorum Dei præsidio niti, ipsumq. ab eo propensius coli, ac proinde omnes deos Gentium execrari, exhorrescere, & detestari; nec passurum cuipiam illorum adscribi victoriæ titulum, quam nossent ipsum Christianorum numini acceptam ferre, idq. prof. ssum esse tam cõspicuo E
atque perspicuo, quod Eusebius recitat, gloriæ monumento, eo videlicet titulo (vt eadem rursus repetamus:) Hoc salutari signo, vero fortitudinis indicio, ciuitatem vestram tyrannidis iugo liberaui, & S. P. Q. R. in libertatem vindicans, pristinæ amplitudini & splendori restitui.]

[a] Panegyric. 2. Constantin.

Non alio igitur signo Dei potuit a Senatu Constãtinus coli, quàm eius, quem videbat ipsum publica attestatione professum: aliàs videri potuisset, contrario & illi opposito signo eum prouocare magis, quàm honorare, voluisse. signum itaque illud Dei, posito a Constantino signo fuisse conforme, non autem aduersarium, par est credere; idq. præstitisse Senatum licet inuitum; quem omnes sciunt, qui Cæsarum historias callent, consueuisse illis etiam, quos detestaretur, Imperatoribus, officijs plurimis & insolentibus turpiter adulari, quod Lampridius in Commodo & alijs Impp. pluribus attestatur. Possumus igitur illud Dei signum, simulacrumq. aureum æque recte existimare fuisse Dei Christianorum, nempe Christi Saluatoris nostri formam reddentem statuam efformatam, Romæ non ignotam effigiem, quam (vt dictum est)

A Alexander Imperator inter alios, quos colebat deos, in suo larario collocauerat: nec ob eam causam videri poterat Senatus Christo statuam erigens ab auita superstitione desciscere, sicut nec Alexander, cum eiusdem imaginem, in loco quem precum causa quotidie adire solebat, cum alijs deorum imaginibus posuit.

Extant eiusdem victoriæ Constantini aliæ publicæ inscriptiones: vt quæ in foro Romano in basi statuæ legitur his verbis:

RESTITVTORI. VRBIS. ROMAE. ATQVE. EXTINCTORI. PESTIFERAE. TYRANNIDIS
D.N. FL. IVL. CONSTANTINO. VICT. AC. TRIVMPHATORI. SEMPER. AVGVSTO
NERATIVS. CEREALIS. V.C. PRAEFECTVS. VRBI. VICESACRATVS. IVDICANS
B D.N.M. QVE. EIVS

sunt & alij eius gloriæ tituli publicis monumentis exculpti, de quibus inferius.

At de publicis inscriptionibus hactenus: priuatorum modo scriptorum de Constantini pietate atque victoria elogia ab auctoribus horum temporum petita, huiusq. sęculi, his pariter attexamus, & in primis Lactantij, qui Christiano Imperatore dignum munus exhibuit, dum Diuinarum institutionum summa eruditione & eloquentia elaboratos commentarios postea ei obtulit, quorũ exordio prima hęc eius pietatis & glorię signans tẽpora, sic ait [a]: Quod opus nũc nominis tui auspicio inchoamus, Constantine Imperator Maxime: qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, maiestatem Dei singularis ac veri & cognouisti, & honestasti. Nam cũ ille dies felicissimus Orbi terrarũ illuxisset, quo te Deus summus ad beatũ Imperij cul-
C mẽn euexit, salutarem vniuersis & optabilem Principatum præclaro initio auspicatus es, cum euersam sublatamq. iustitiam reducẽs, teterrimum aliorũ facinus expiasti. Pro quo facto dabit tibi Deus felicitatem, virtutem, diuturnitatem; vt eadẽ iustitia, qua iuuenis exorsus es, gubernaculum Reipublicæ etiã senex teneas, tuisq. liberis, vt ipse a patre accepisti, tutelam Romani nominis tradas. Nam malis, qui adhuc aduersus iustos in alijs terrarũ partibus sæuiunt, quanto serius, tanto vehementius idem Omnipotens mercedẽ sceleris exoluet; quia vt est erga pios indulgentissimus pater, sic aduersus impios rectissimus iudex.] hæc Lactantius sugillans Licinium, qui postea Christianos insectatus est, & vt ipse veluti oraculo diuino prænunciat, de impietate atque sæuitia meritas pœnas dedit. sed de eo inferius.

PRAECONIA DE VICTORIA CONSTANTINI.

a Lactãt. Diuin. Institut. lib. 1. c. 1.

Quid autem acceperit virtute Crucis Roma aduentu atque victoria Constantini, Prudentius [b], qui huius sæculi in fine vixit, aduersus Symmachum Præfectum Vrbis, Christiani no-
D minis hostem ac refractarium, agens, his verbis docet:

Hoc signo inuictus, transmissis Alpibus, vltor
Seruitium soluit miserabile Constantinus:
Cum te pestifera premeret Maxentius aula,
Lugebas longo damnatos carcere centum,
Vt scis, ipsa Patres, aut sponsus fœdera pacta
Intercepta gemens, diroq. satellite raptæ
Immersus tenebris dura inter vincla luebat.
Aut si nupta thorum Regis conscendere iussa
Cœperat impurum domini oblectare furorem,
E *Morte maritalis dabat indignatio pœnas.*] ex his vnam fuisse Sophroniam, superius dictum est. sed & subdit ad hæc:

Plena puellarum, Patrumq. ergastula sæui
Principis. abducta genitor si virgine mussans
Tristius ingemuit, non ille impune dolorem
Prodidit, aut connexa animis suspiria traxit
Vim libertatis nimiæ, patriumq. dolorem.] et post recensitam virtute Crucis illatam Tyranno necem, Vrbemq. funesta clade sepultam, Crucis quoque potentia liberatam, hæc adijcit carmina:

b Prudent. aduers. Symmach. lib. 1. de potentia Crucis.

ROMA PER CHRISTI CRVCEM LIBERATA.

Ipse Senatorum meminit clarissimus ordo,
Qui te concreto præcessit crine, catenis

Squallens

Squallens carcereis, aut nexus compede vasta; A
Complexusq. pedes victoris; ad inclyta flendo
Procubuit vexilla iacens. Tunc ille Senatus
Militiæ vltricis titulum, Christiq. verendum
Nomen adorauit, quod collucebat in armis.]

At hæc non sic sunt intelligenda, vt ipse Senatus mox factus fuerit Christianus, sed quòd ipsum Labarum, tamquam primarium militiæ signum ex more salutās, fuerit veneratus: siquidem Senatus magna ex parte, quibus erat obuolutus tenebris ignorantiæ, in ijsdem diu, deorum cultus errore detentus, volens libensq. permansit. Verum magnam accessionem factam esse fidei Christianæ, tanto Crucis patefacto miraculo, & Imperatore credente, nemo iure poterit dubitare: qui enim viderant Christianam religionem tot annorum spatio acerbissime B exagitatam, protritam vbique, penitusq. compressam, atque pene sepultam: eamdem cum mox rediuiuam conspicerent, cernerentq. efflorescentem, atque Imperatoris quoque purpura illustratam, tot tantaq. bona secum ferentem, Tyranni necem, Senatus amplissimi libertatem, pacem, pudicitiam, iustitiam, & quod maximum est omnium, pietatem: quo modo ijdem ipsi non conciperent animo veritatem? quisnam talia tantaq. oculis spectans, ac pariter recolens persecutorum infames exitus, non dico Maxentij solum, sed Maximiani Herculij, atque Maximiani Galerij; rursumq. ipsos Christianos antea, vt Mundi sordes, vbique ignominia proculcatos, derisos, sibilis insectatos, supplicijs affectos, stigmatibus consignatos; eosdem modo videns adhærescere Imperatori, donari ab eo muneribus, ac magistratibus insigniri, foueri blanditijs, prædicari beatos; eorumq. ipsum prehensare dexteras, atque recentia adhuc vulnera, necdum cicatrice obducta consolidata, impactis osculis honorare: quis, inquam, talia C tantaq. miracula cernens, non molliretur animo, & frangeretur affectu?

CHRISTIANORUM IMMENSA GLORIA.

Certe quidem quamplurimos tum fidem Christianam amplexatos esse, testatur Prudentius, qui ab ijs qui viderant, ea quæ cecinit, potuit percepisse, poeta licet, haud tamen poetice rem grauissimam, aduersus Senatorem amplissimum hominem Cōsularem differens, pertractauit; qui de Vrbe, nobilissimisque eius Senatoribus tunc ad Christianam religionem se conferentibus, hos quoque cecinit versus [a]:

CHRISTIANAE FIDEI PROPAGATIO.

a Prudent. ad. uers. Symmach. lib. 1.

Tunc primo senio docilis tua sæcula Roma
Erubuit: pudet exacti iam temporis: odit
Præteritos fœdis cum relligionibus annos.
Mox vbi contiguos fossis muralibus agros D
Sanguine iustorum innocuo maduisse recordans,
Inuidiosa videt tumulorum millia circum:
Tristis iudicij mage pœnitet, ac ditionis
Effrenis, nimiæque sacris pro turpibus iræ:
Compensare cupit teterrima vulnera læsæ
Iustitiæ sero obsequio, veniaque petenda:
Ne tanto Imperio maneat, pietate repulsa,
Crimen sæuitiæ monstrata piacula, quærit,
Inq. fidem Christi pleno transfertur amore.] At hæc spatio temporis facta sunt. E

Idemq. paulo post de Senatoribus Christo nomen dantibus, alijsq. qui in vana superstitione sacerdotio functi essent, compluriumq. antiquarum familiarum viris clarissimis, idololatriæ nuncium remittentibus, hæc subdit:

SENATORES CHRISTIANI FACTI.

Exultare Patres videas, pulcherrima mundi
Lumina, conciliumque senum gestire Catonum
Candidiore toga niueum pietatis amictum
Sumere, & exuuias deponere pontificales.
Iamque ruit, paucis Tarpeia in rupe relictis,
Ad sincera virum penetralia Nazaræorum,
Atque ad Apostolicos Euandria Curia fontes,
Aeneadum soboles, & pignora clara Proborum.]

Quinam

A Quinam autem ex Senatoribus primus tunc, abdicatis dijs, Christianæ se religioni mancipa̅rit, idem mox subdit his versibus, quibus etiam quanta ceterorum illustrium Romanorum atque aliorum deinde facta sit ad Christianam fidem accessio, narrat, sic dicens:

Fertur enim ante alios generosus Anitius Vrbis
Illustraße caput: sic se Roma inclyta iactat.
Quin & Olybriaci, generisque, & nominis heres
Adiectis fastis, palmata insignis ab aula
Martyris ante fores Bruti summittere fasces
Ambit, & Ausoniam Christo inclinare securim.
Non Paulinorum, non Bassorum dubitauit
B *Prompta fides dare se Christo, stirpemque superbam*
Patriciæ gentis venturo attollere sæclo.
Iam quid plebicolas percurram carmine Gracchos
Iure potestatis fultos, & in arce Senatus
Præcipuos simulacra Deum iußiße reuelli?
Cumque suis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrasse regendos?
Sexcentas numerare domos de sanguine prisco
Nobilium licet ad Christi signacula versas
Turpis ab idolij vasto emersisse profundo.]

C hæc Prudentius; quæ quidem nequaquam hoc simul anno contigere; nam quod de Gracchis idola frangentibus tradit, allusisse videtur ad ea, quæ post hæc tempora accidisse, S. Hieronymus [a] ad Lætam scribit his verbis: Ante paucos annos propinquus vester Gracchus nobilitatem patriciam sonans nomine, cum Præfecturam gereret Vrbanam, nonne specum Mythræ, & omnia portentosa simulacra, quibus Corax, Niphus, Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius pater, initiantur, subuertit, fregit, exussit; et his quasi obsidibus ante præmissis, impetrauit baptismum Christi?] hæc Hieronymus. Nec prætermittimus de rebus tum a Constantino Romæ gestis illud apponere, curasse nimirum, vt sanctorum martyrum corpora persecutionis tempore humata subitanea sepultura, iam loco honestiori conderentur. habet hoc Anastasius Bibliothecarius in scripto Chronico, & Cedrenus quoque in Annalibus testatur: sed an hæc D modo facta sint, an vero cum sacro baptismo est initiatus, incertum habetur.

a Hieron. epist. 7.

Rursum autē (quod ad ceteras ab eo res gestas pertinet) quo animo Constantinus fuerit erga primarium Christianæ religionis Antistitem, munificentia in eum ostensa declarat. Qui enim hactenus, persecutione vrgente, domibus publicis spoliati, nec priuatis vti tuto poterant, in cryptis degentes Romani Pontifices, a Constantino Imperatore mox regia publica domo donantur: nam quòd nefas esse sciret, Gentilitiæ superstitionis Antistitem summum aliam quamuis domum quàm publicam habitare, (quamobrem & coactus est Augustus [b] olim suam priuatam, vt in ea agere liceret, publicam domum facere) nequaquam passus est absque publico ædificio veræ religionis Pontifices Maximos Romæ agere. Hæc vt monstremus, non innitimur ijs quæ Isidorus Collector, seu potius Compilator, sub nomine Melchiadis Papæ perperam collocauit [c] in ea epistola, cuius (quod magis credimus) ipse auctor extitit, cui præ-E ter mentionem habitam de Nicæno Concilio attexuit tertium canonem Concilij Chalcedonensis, & nonnulla ex epistola Gregorij Papæ [d]. his inquam quantumlibet veris, quòd prodantur falso titulo, non innitimur, sed antiquioribus ac verioribus testimonijs.

DOMVS PVBLICA COLLATA ROMANO PONTIFICI.

b Dio hist. lib. 54

c 12. q. 1. c. futuram. §. denique.

d Gregor. lib. 1. epist. 24 post medium.

Sed vt hæc de Palatio donato Romano Pontifici accurate elucidemus: illud in primis monendum existimamus; præter domos Imperatorias, in Palatino positas, & ea de causa Palatiū dictas, alias quoque fuisse publicas regias in Vrbe domos, Palatia nominatas; quod Dio egregie testatur his verbis [e]: Imperatoris autem ædes Palatium nominantur, non quòd ita aliquando decretum sit, sed quòd in Palatio Cæsar habitabat, ibique Prætorium eius erat: ac non nihil domus eius nomen ab eo monte, propterea quòd ibi quondam Romulus inhabitarat, splendoris accepit: ideoque etsi alibi Imperator domicilium suum habebat, tamen id quoque Palatij nomen obtinet.] hucusque Dio. Quotquot igitur erant Romæ Imperatorum vsui adscriptæ domus, tot eorumdem esse Palatia dicebantur; de quibus extat eiusdem Constantini Imperatoris in hæc verba sanctio [f] promulgata: Sacratas nobis ædes, id est inclyta Palatia, ab omni

PALATIA QVAE DICTA SINT.

e Dio hist. lib. 53.

f l. 1. C. de Palat. lib. 11.

ab omni priuatorum vsu & communi habitatione excipimus.] ita ipse. Ad hæc addimus, ipsas Imperatorum domos, sic dictas Palatia, vt tamen pristinum adhuc nomen retinere solerent, vt contigit inter alia multa exempla de ædibus hortisq. Sallustij: qui licet Imperatorum vsui cessissent, Sallustij tamen nomine semper dictos fuisse reperies. His igitur hunc in modum elucidatis: quod dictum est, Imperiales ædes Constantinum Romanis Pontificibus largitum esse: nihil est quòd quis de Palatio in monte Palatino locato, quæ antiquior Imperatorum sedes erat, intelligendum existimet; ac proinde, quòd id nequaquam factum sit, putet aliquis de Imperatoria sede Romanis Pontificibus data, eludi posse historiæ veritatem. A

AEDES FAVSTAE DONATAE MELCHIADI PAPAE.

Quænam autem fuerit regia domus a Constantino hoc anno Melchiadi Romano Pontifici concessa, non ex apocrypho quopiam, cui quidquam obijci possit, testimonium petimus; sed a certo plane, antiquo, dignoq. auctore accipimus, cuius fides probata sit omnibus; nempe ab Optato [a] Mileuitano, qui agens de Romano Concilio, sequenti anno, Romæ sub Melchiade celebrato, Constantino & Licinio tertiùm Coss. collectum illud fuisse tradit, in domo Faustæ in Laterano, vbi fuisse Pontificis Romani sedem, nemo iure poterit dubitare: quorsum enim, quæso, extra Melchiadis domum Synodus cogeretur, & ampliora ædium spatia requirerentur ad exiguum Conuentum Episcoporum, decem tantum & nouem, quos idem Optatus numerat? Atqui tametsi eæ omnes tam euidentes testificationes deficerent; ipsa earumdem ædium ab hoc tempore semper continuata possessio, cum a nullo alio Imperatore id factum reperiatur, nec alio prorsus tempore, fuisse eas hoc anno a Constantino donatas, satis certum atque perspicuum reddit. B

a Optat. contra Parmen. lib. 1.

Sed cur sic dictæ ædes, Domus Faustæ in Laterano? Non propterea quòd Faustæ dicerentur, priuata erat illius domus. Fausta enim (quod demonstratū est superius) Maximiani Herculij filia, in florentissimo ac diuturno patris Imperio Romæ agens, ædes illas (vt par est credere) habitauit; indeq. euenisse potuit, vt Faustæ domus dictæ sint ædes illæ Lateranenses, celebris famæ olim, quæ Plautij Laterani prædiuitis hominis cum amplissimæ essent, occiso illo a Nerone, Fisci inscriptione sunt publicatæ; quarum meminit Iuuenalis [b], cum loquitur de Nerone eas sibi vendicante: C

AEDES LATERANENSES.

b Iuuen. lib. 4. Satyr. 10.

—— et egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors.]

Clarissima Romæ fuit Lateranorum familia, & Plautio licet extincto, eadem claritudine est in posteros propagata. Meminit Iulius Capitolinus [c] de L. Vero Imperatore, quòd olim cum Sextilio Laterano gesserat Consulatum. Semel igitur nomen inditum ædibus Lateranis non solum perseuerauit in posterum; sed & factum est, vt Basilica ibidē postea ab eodem Constantino constructa, Lateranensis fuerit appellata; abolitum nomen est Faustæ, quòd turpi eius exitu fuerit infamatum. eiusdē quoque Basilicæ Hieronymus [d] meminit in Epitaphio Fabiolæ, sic dicens: Tota Vrbe spectante Romana, ante diē Paschæ in Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium.] et Prudentius [e] hoc versu: D

c Iul. Capitol. in Vero Imp.

d Hieron. epist. 30.

e Prudent. aduers. Symmach. lib. 1.

Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes.]

Porro eius quoque nominis cultum fuisse Romæ deum, qui focis præesset, ex nostris fidem facit Arnobius [f], his verbis: Lateranus (vt dicitis) deus est focorum, & genius, adauctusq. hoc nomine, quòd ex laterculis crudis ab hominibus caminorum illud exædificetur genus.] et deridens inuentum, subdit: Quid ergo si testa, aut materia fuerint quacumque alia fabricati foci, genios non habebunt? et ab officio tutelæ quisquis est iste Lateranus abscedet, quòd regni sui possessio non luteis constructa est formis?] At de Laterano nomine & ædibus hactenus. E

f Arnob. aduers. Gent. lib. 4.

Cum igitur tam euidenter sit demonstratum, Melchiadem Papam a Constantino hoc anno in augustissimas Lateranenses ædes translatum, easdemq. non ipsi tantum, sed & successoribus omnibus Romanis Pontificibus ad habitandum concessas: quisque merito iureq. existimare poterit, etiamsi nulla alia suppeterent testimonia; Constantinum, quem Imperatorijs domibus excipere voluit primarium Christianæ religionis Antistitem, Imperatorio quoque cultu (vt par erat) dignatum esse: alioquin dignum scena ludicrum potius, quàm Christiani Imperatoris munificentia dignum facinus existimari potuisset, summum Sacerdotem inglorium ac solitarium in Imperatorijs ædibus spatiari. Qui igitur voluit Maximum Christianæ religionis Pontificem non modo instar Gentiliciæ superstitionis Pontificis Maximi domos publicas (vt dictum est) habitare, sed in Imperatorias quoque ędes transferri; haud putandum imparem illi honorem & gloriam contulisse, quam haberent diuersorum collegiorum antistites. Sed quænam porro hæ essent, inferius opportuniori loco dicturi sumus: hæc autem attigisse

tantum

A tantum sit satis, occasione regiæ domus Melchiadi & successoribus traditæ.

Ad Constantinum iam redeamus, qui multa contulit non Vrbi tantum, verum & Orbi vniuerso; nam non solum tyrannidem summouit, pacem reddidit, quietemq. stabiliuit, sed & tributa relaxauit: quod constat publicis monumentis, quibus hic refellas calumniam Zosimi, cum eum tradit nouis semper vexasse populum tributis, quæ etiam interdum relaxasse constat. Emeritæ enim in Hispania eiusmodi de eo vetus inscriptio [a] legitur: *a Habet Ald post schol. in Comment. Cæs.*

IMP. CAES. FLAVIVS
CONSTANTIN. AVG.
PACIS ET IVSTITIAE
CVLT. PVB. QVIETIS
B FVND. RELIGIONIS
ET FIDEI AVCTOR
REMISSO VBIQVE
TRIBVTO. FINITIM
PROVINC. ITER
RESTAVR. FEC.
CXIIII.

Inter tot tantosq. immensæ laudis huius inscriptionis titulos, nullus magis elucet, ac ille, licet effusus nimis, quo ob insignem vitæ pietatem, & collata erga religionem officia, Religionis auctor & fidei prædicatur. Quòd enim vbique gentium, de pace Ecclesiæ restituta, edicta pro-

C mulgari iusserit, quodque omni officiorum & beneficiorũ genere de Christianis vbique agentibus sit optime meritus, & in dies magis magisq. eadem cumularit; quòd insuper eius opera, deiectæ ecclesiæ ampliori ambitu excitarentur, ablatæ fidelibus substantiæ redderentur, cogerenturq. vbique Christianorum frequentissimi ac florentissimi cœtus: ac denique (quod nemo vmquam sperasset) ipse Christianorum studiosissimus inter Christianos profiteretur, primusq. auctor haberetur, qui Crucem Christi purpura illustrarit, quiq. sublime culmen Imperij Christi religioni subiecerit; his amplissimis gloriæ titulis decuit eum insigniri: vt tamen ita ipse sit eo titulo prædicatus Religionis & fidei auctor, non quòd Christianæ pietatis posuisset fundamentum, sed potius illustrator esset atque mirificus propagator.

Quæ autem edicta pro Christianis ipso Imperij ingressu Romæ, vel alijs in prouincijs promulgauerit, non extant: perbreue tantum rescriptum de restituendis bonis Ecclesiarum ad

D Anulinum Proconsulem in Africa his verbis habetur, quod recitat Eusebius [b]: *b Euseb. lib. 10. c. 1.*

Salue Aniline * nobis in primis venerande. Est hæc nostræ clementiæ ratio & modus, Aniline honoratissime, vt illa quæ ad alienum ius pertinent, non solum non perturbare, sed etiam cuique restituere quàm maxime cupiamus. Quare volumus, vt simulac hasce litteras a nobis acceperis; si quæ ex his possessionibus, quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam in quibusque ciuitatibus aut locis alijs pertinẽt, etiam adhuc a ciuibus, aut ab alijs quibusdam retineantur; eas quàm primum ijsdem Ecclesijs facias restitui. Quandoquidem animo instituimus, vt ea, quæ Ecclesiæ antea possederunt, ad ipsarum ius denuo reuertantur. Cum igitur tua pietas animaduertat, decretum hoc absque dubio de nostra sententia esse publicatum; enitere, atque elabora, vt siue horti, siue ædes, siue aliud quodcumque aliquando ad ius ipsarum Ecclesiarum spectauerit, omnia illis quàm celerrime reddãtur: vt te huic nostro edicto diligen-

** Anuline Anoline Anulline*

CONSTANTINI RESCRIPTVM PRO CHRISTIANIS.

E tissimum obsequium præstitisse intelligamus. Vale Aniline honoratissime, nobisq. carissime.]

Rursum vero ad eumdem Africę Proconsulem de Clericorum immunitate eiusmodi ab eodem Eusebio [c] recitatum dedit decretum: *c Euseb. lib. 10. c. 7.*

Salue Aniline nobis cum primis obseruande. Quoniam multis argumentis constat, religionem, in qua sumus, & perfectus cultus sacrosanctæ & cælesti Dei potentiæ deditus omnino consistit, neglectam & contemptam magna pericula attulisse; eamdemque sancte augusteq. obseruatam, tum maximam Romano nomini ac splendori prosperitatem, tum eximiam omnibus hominum rebus felicitatem, diuina beneficentia illud largiente, apportasse: visum est, vt illi homines, qui debita cum sanctimonia, & assidua legis diuinæ obseruatione, sua ministeria huic diuinæ religioni excolendæ impertiunt, Aniline honoratissime, pro laboribus suis digna præmia reportent. Quare eos, qui in prouincia tuæ fidei concredita, in Ecclesia Catholica, cui Cæcilianus præest, huic sanctæ religioni sedulo inseruiunt (quos Clericos nominare solent) ab omnibus omnino communibus & ciuilibus rerum publicarum ministerijs immunes

DE CLERICORVM IMMVNITATE RESCRIPTVM.

& solutos volo: vt nullo modo per errorem, vel per sacrilegam ac profanam prolapsionem, quę in huiusmodi negotijs accidere solent, a cultu diuinæ maiestati debito abstrahantur, sed absque vlla molestia propriæ legi obsequium præstent: qui quidem cum sacrum numen summo honore & veneratione prosequantur; incredibile est, quantum Reipublicæ adiumenti videantur allaturi. Vale, Aniline venerande.] A

Sed & periucundum quoque his illud accedit, vt Anulinus, qui etiam Diocletiani temporibus agens itidem in Africa Proconsulem, Christianos persequebatur, compluresque ex eis martyres fecit, modo Constantini litteris iubeatur causam agere Christianorum, eosq. fouere atque officijs prosequi. At quod etiam ad eiusdem Africanæ Ecclesiæ curam spectat: afflictos longa persecutione Christianos Constantinus pecunijs missis molestia releuauit: datæ enim ab eo ad Cæcilianũ Carthaginensem Episcopũ litteræ id in hæc verba palam[a] significãt:

a Euseb. lib. 10. c. 6.

CONSTANTINI EPIST. AD CAECILIAN. EPIS. CARTH.

Constantinus A. Cæcil. Epis. Carth. S. B

Quoniam visum est nobis, per omnes prouincias Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ certis quibusdam legitimæ & sanctissimæ religionis Catholicæ ministris in sumptus communes aliquid suppeditare: litteras ad Vrsum virum nobilissimum Quæstorem nostrum in Africa dedi: et ei significaui, vt tria millia φόλλεις tuæ grauitati numeranda curaret. Tu igitur quando prædictam pecuniæ summam recipiendam curaueris: omnibus qui in scheda ad te ab Osio missa ante scripti sunt, has pecunias dispertiri iubeto. Quòd si aliquid ad istud meum in hac re erga omnes hos institutum cumulate explendum deesse animaduertas: ab Heraclida nostrarum possessionum procuratore audacter & absque hæsitatione, quod necessarium fore putaueris, postules velim. Nam illi coram imperaui, vt si quid pecuniæ tua grauitas ab eo peteret, absque dubitatione vlla tibi numerandum curaret. Et quoniam accepi, quosdam homines non animo satis recte composito & constituto, populum a sanctissima & Catholica Ecclesia, mala & perniciosa corruptela velle auertere: scias velim, me Anilino Proconsuli, quin etiam Patricio Præfectorum Vicario, cum præsto apud me essent, talia mandata dedisse, vt cum in reliquis omnibus, tum in hoc maxime curam diligentem ponerent; et rem eiusmodi, si forte acciderit, nullo modo negligerent. Quapropter, si quos homines in eo furore & amentia inhærescere perspicias; abiecta omni cunctatione, Iudices, quos dixi, adito, & hoc idem illis referto, vt illi in hos, sicut coram mandaui, animaduertant. Dei Optimi Maximi numen te in multos annos conseruet.] C

Hæc Constantinus ad Cæcilianum in fine, quòd accepisset certo nuncio eum a Donatistis schismaticis vehementer exagitari: qui anno sequenti, quòd viderent omnes Africæ prouinciæ Iudices Cæciliano studere, expostulaturi aduersus eum coram Imperatore, Romam venere, vt suo loco dicemus. Videas ex ijs quoque litteris Osium (haud alium quàm Episcopum Cordubensem) lateri Imperatoris adhærescentem, & pro diuersarum Ecclesiarum opportunitate illum interpellantem. Quodnam autem pretium esset summæ trium millium follium, alia occasione inferius dicturi sumus. Ex his igitur litteris in Africam datis, atque collatis officijs, quid aliarum Occidentalis orbis prouinciarum Ecclesijs contulerit, possumus intelligere, religiosissimiq. Principis efferuescentem erga religionem Christianam pensare affectum: sed de alijs ab eo in Ecclesias collatis beneficijs, pluribus inferius, vt se dabit ratio temporis, differemus. D

SEIPSVM CORRIGIT AVCTOR VERITATIS AMATOR.

His de pietate Constantini enarratis, nodus ille soluendus est, qui me diutius perplexum reddidit: quem enim in Notis nostris soluisse putabam, accuratius re perspecta, magis implicuisse cognoui; adeo vt a priori sententia recedere, & quæ firmiter stabilijsse videbar, retractare minime diffidam. Siquidem quicumque studio veritatis vehementer afficitur, & in ea peruestiganda atque illustranda omnes neruos intendere, omnemq. adhibere conatum, semel in consilio habuit, nihilq. veritate antiquius, eidemque cuncta posthabere decreuit; apud neminem acrius ac vehementius mendacia insectatur, quàm apud semetipsum, nempe cum ea in sua scripta esse illapsa, acriori visus obtutu peruiderit. Quòd enim ex veteri quadam inscriptione compertum haberem, post Maxentij interitum, Constantinum Imperatorem Gentiliciæ superstitionis nominatum esse Pontificem Maximum; quodque de Aruspicibus consulendis eiusdem quoque rescripta extarent: his atque alijs quibusdam persuasus, in eam sententiam vi quadam trahi videbar, vt certo certius opinarer, Constantinum, etsi de Christiana religione optime meritus esset, non tamen adhuc eo tempore ita fuisse Christianum, vt a deorum cultu penitus desciuisset. Re autem vigilantissimo studio exactius peruestigata, atque attentius disquisita, a priori a me asserta sententia volens libensque discedens, in eam potius venio, quam veritas ipsa persuadet. E

Quod

A Quod igitur ad Constantini Pontificatum maximum spectat (de alijs enim aduersæ sententiæ obiectionibus inferius, seruato temporum ordine, agendum erit) præstat in primis antiquam illam hic etiam reddere inscriptionem de eius Pontificatu maximo attestantem. Romæ enim in ædibus Cæsijs apud Vaticanum positis, in basi eiusmodi leguntur incisæ litteræ: CONSTANTINI PONTIFICATVS MAXIMVS.

MAGNO. ET. INVICTO
IMP. CAES. C. VAL. AVREL.
CONSTANTINO. PIO. FEL.
INVICTO. AVG. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. CON. III. P. P.
PROC. D. N. CORPVS. CORIARIORVM
B MAGNALIORVM. SALAIARIORVM
DEVOTI. NVMINI. MAIESTATIQVE
EIVS

Quoniam vero in hac inscriptione mentio habetur tertij Consulatus eiusdem Constantini, cui ea statua dicata fuit: iam exploratum redditur, ea conscripta fuisse post præsentem annum: tertius enim Constantini Consulatus vna cum Licinio contigit anno sequenti. Quomodo igitur dici poterat Christianus, qui adhuc, quod pertinebat ad omnium deorum cultum, Pontificem Maximum agebat? His quoque astipulantem Zosimum, atque dicentem, omnes Imperatores etiam Christianos, vsque ad Gratianum, dictos esse Pontifices Maximos, calumniæ nomine, quippe qui de rebus Christianis multa mentitus sit, suspectum habebam; atque eo C magis, quòd apud antiquos scriptores ea minime legerentur. Sed quod minus in scriptis codicibus inueniri poterat memoriæ commendatum, id ex alijs inscriptionibus postea mihi cognitis atque perspectis affatim suppeditatum est; quarum prior extat in ponte Cæstio iuncto insulæ Tiberinæ, his verbis:

DOMINI. NOSTRI. IMPERATORES. CAESARES
FL. VALENTINIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS. VICTOR. AC
TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC.
MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. P. P. P. ET
FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEM-
D PER. AVG. PONTIF. MAXIMVS
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC.
MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P.P.P. ET
FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF.
SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC.
MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. CONS. PRIMVM. P.P.P.
PONTEM. FELICIS. NOMINIS. GRATIANI. IN. VSVM. SENATVS
AC. POPVLI. ROM. CONSTITVI. DEDICARIQVE. IVSSERVNT

De Gratiano rursum Emeritæ in Hispania eiusmodi extat inscriptio:

E IMP. CAES. GRATIANVS
PIVS. FELIX. M. VICT.
AC. TRIVMPH. SEMP. AVG.
PONT. MAX. GER. MAX.
ALAMANNVS. MAX. FRANC.
MAX. GOTH. M. TR. P. IIII.

Sed & Ausonius Gallus in gratiarum actione pro suo Consulatu Gratianum nominat Pontificem Maximum. contigit Consulatus Ausonij anno quarto eiusdem Gratiani, quo etiam Theodosius ab eo creatus est Imperator. Porro tam Constantinum quàm ceteros vsque ad Gratianum eo titulo nominatos esse Imperatores Christianos, & omnes stolam Pontificis Maximi induisse, Gratiano excepto, Zosimus [a] testatur, sic dicens: Simul enim atque summum Imperium quisque accipiebat, amictus ei sacerdotalis a Pontificibus offerebatur, & continuo [a] Zosim. lib. 4.

Pontificis Maximi titulum vsurpabat. Ac ceteri quidem Principes vniuersi lubentissimis animis hunc honorem accepisse, & hoc vsi titulo videntur: adeoq. & Constantinus etiam potitus Imperio, licet is a recta sacris in rebus via deflexisset, & fidem Christianorum amplexus esset: itemq. post illum reliqui ordine sequuti, & Valentinianus, atque Valens. Cum ergo Pontifices ex more Gratiano talem amictum attulissent: auersatus est id quod petebant; ratus non esse fas, illiusmodi habitu Christianum vti. Cumq. Sacerdotibus stola reddita fuisset: aiunt eum, qui dignitate Princeps inter eos erat, dixisse: Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodum breui Pontifex Maximus fiet.] hac quippe amphibologia ille Gratianum elusit: maximum enim Pontificatum Maximo Tyranno ijdem, qui Romæ erant, Pontifices postea contulerunt. A

Ex quibus satis perspecta habetur causa, cur qui Christiani erant Imperatores, maximi Pōtificatus titulum cum insignibus susceperint, quòd scilicet sic videretur Imperatoriæ dignitati summus Pontificatus adiunctus, vt sine maximo Pontificio Imperator esse non posset; in eumq. Senatus Populusq. Romanus Gentiliciæ factionis facile conspirarent, quem non viderent patria religione firmatum. Alia rursus fuit causa Christianis Imperatoribus summum Pontificatū capessendi, quòd amplissima esset, atque etiā supra Consules, eius magistratus auctoritas; quippe qui posset comitia, ne fierēt, religionis intuitu prohibere, factaq. reddere irrita, decretis a Senatu intercedere, eademq. intercidere; fierent ne bella, ex eius arbitrio pendere, cuius quoque iussu se Consules abdicarēt, vt Cicero [a] pluribus, & alij [b] docent: quam quidem auctoritatē omnes Romanæ Reipublicę Imperatores sibi pernecessariam iudicabāt, vt summo religionis iure Senatum in Imperatores sæpe molestum, veluti freno coercitum, obsequentem in omnibus redderent. quæ quidem ex eo magistratu comparata auctoritas Christianis Imperatoribus magis necessaria videbatur, quòd scirent, se, inuito Senatu, regnare, & diuersa religione in se Gentilium omnium inuidiam atque odium concitasse. B C

AVCTORITAS PONTIFICIA.

a Cic. de Nat. deor. lib. 3. & de Leg. lib. 2.
b Tacit. de morib. German. Valer. lib. 1. c. 2. & 3.

Quæ sane causa cum postea iam cessasset, quòd Senatores essent maiori ex parte Christiani: desierunt pariter Christiani Imperatores summi Pontificatus titulum & stolam sumere: quorum primus (vt diximus) Gratianus fuit, quem imitatus est Theodosius, cuius tempore constat Romanum Senatum Christianis adeò fuisse refertum, vt horum maior pars esset: quod S. Ambrosius scribens ad Valentinianum de relatione Symmachi, testatur dicens: Absit vt hoc Senatus petijsse dicatur: pauci Gentiles communi vtuntur nomine.] et paulo post: Dignum est temporibus vestris, hoc est Christianis temporibus, vt dignitas Christianis Senatoribus abrogetur, quo Gentilibus Senatoribus profanæ deferatur voluntatis affectus?] et Prudentius aduersus Symmachum [c]:

PAVCITAS SENATORVM GENTILIVM.

c Prudent. aduers. Symmach. lib. 1.

D

Sic consulta Patrum subsistere Conscriptorum
Non aliter licitum prisco sub tempore, quàm si
Tercentum sensisse senes legerentur in vnum,
Seruemus leges patrias: infirma minoris
Vox cedat numeri, paruaq. in parte silescat.
Aspice quàm pleno subsellia nostra Senatu
Decernant infame Iouis puluinar, & omne
Idolium longe purgata ex Vrbe fugandum.]

Videas igitur quibusnam prætextibus absque idololatriæ aliquo crimine, tum Constantinus, tum ceteri eo vsi fuerint titulo atque tunica, quam non ad sacra facienda induebant, sed ad auctoritatem potestatemq. sibi vendicandam capessebant: permisisseq. hoc illis Pontifices Christianos, quorum nulla penitus ea de re, sicut de ceteris ab eis patratis criminibus, obiurgatio legitur. At horum omnium multo æquior causa videri poterat Constantini, qui Ethnicis Senatoribus Senatum repletum inuenit. Si enim inter Christianos Imperatores tantopere tum ab Ambrosio, tum a ceteris Gratianus commendatur, quem tamen ad annos quatuor eo titulo esse vsum inuenimus, cum numeroso satis Christianorum cœtu Senatus confertus esset: quis hoc nomine deroget Constantino, post cuius Imperium, extincto persecutore, cœperunt manifestari aliqui esse ex Senatoribus Christiani? Rursum vero non sic quidem, vt ceteri Gentilium facere consueuerant, Christiani Principes cum vestem ac titulum sumerent Pontificis Maximi, vt more ipsorum (quod scribit Prudentius [d]) sub terram alta scrobe mersi, necati in sacrificio tauri sanguinem excipientes atque ebibētes initiarentur, vel quod Ioui Capitolino, E

CONSTANTINVS ABSQVE CRIMINE SVMMVS PONT.

d Prudent. peristeph. lib. 4.

A pitolino, alijsve dijs sacra facerent: hæc enim perfecta fuisset apostasia, & Christianæ religionis abdicatio, nec aliquo velamento dissimulanda: sed tantum (quod ait Zosimus) amictu oblato, eoq. accepto, tunc Imperator titulum Pontificis Maximi vsurparet. Sic igitur nihil penitus est, quòd ex titulo huiusmodi Pontificis Maximi Constantinus post debellatum Maxentium argui possit idololatra; sed Christianum fuisse, infimi tamen ordinis atque classis, militantemq. inter eos qui nomen tantum Christianæ militiæ dedissent, quæ a nobis sunt recitata declarant.

His itaque dilucidatis, ac perspicuo demonstratis, iam reliqua Constantini, quæ ad præsentem annum spectare noscuntur, curriculo prosequamur: nimirum quonam potissimum huius anni mense, ac die, Vrbs a Constantino fuerit, Maxentio extincto, ab eius tyrannide vindicata. Qui [a] putauit huius rei demonstratione posse etiam Indictionum, quibus anni sup- *a Panuin lib. 2. Fast. his Consulibus.*
B putantur, exordium definiri; illud firmiter asseuerat; Maxentium a Constantino victum octauo Kalendas Octobris; a quo die prima Indictio inchoatur: citat Panegyricum illum a nobis sæpe superius allegatum incerti auctoris: at in eo de die nihil penitus, sed illud dumtaxat, Maxentium Tiberinis vndis absorptum eo ipso die, quo sextum absoluit annum, antequam septimum Imperij inchoaret: sed vt id contigerit (quod asserit) octauo Kalendas Octobris; oportuit testatum reddidisse, ipsum Maxentium septimo Kalendas eiusdem mensis regnare cœpisse: quod nec ipse, nec alius quisquam (cum res incerta sit) potuit demonstrasse. sed nec apud Socratem, quem citat, aut Eusebium, Victoremve, aut Eutropium, vel alios antiquos, siue probatæ fidei recẽtiores historicos eiusmodi quidquam legitur. quamobrẽ tota illa tractatio de Indictionum inuentione nullo fundamẽto veritatis subnixa, corruat necesse est: cum præsertim quasi per transennam inspicere liceat, non mense Septembris, sed
C ipsa iam aduentante hieme, victoriam Constantini de extincto Maxentio contigisse.

Id quidem ex eo primum deducimus; quòd certum exploratumque habeatur, tum Nazarij testimonio, tum incerti auctoris Panegyrico sæpe citato, Constantino post debellatum Maxentium haud licuisse Romæ diutius commorari: nam in eo [b] primum sic dicitur: Post annuam expeditionem statim bello auspicatus, a Tiberi ad Rhenum, immo vt omen & similitudo nominis sit, & tua Imperator magnitudo animi pollicetur, a Fusco Albula ad Germanicum Albim prolaturus Imperium.] (Albim vero fluuium ex Vuandalicis montibus profluere in Oceanum versus Septentrionem, magnum admodum factum, testatur Dio [c].) causa autem repentini discessus, hæc ibidem affertur: Ruperat (inquit auctor) fidem gens leuis & lubrica barbarorum, & robore atque audacia lectis diruptionis auctoribus, institisse Rheno, nunciabantur: illico obuius assuisti, & præsentia tua, ne auderent transitum, terruisti, &c.] *TEMPVS VICTORIAE CONSTANTINI. b Panegyric. post vict. Constantin. incert. auct. 2. c Dio hist. lib. 55. in princ.*

D Ex his igitur patet inopinato contigisse celerem ex Vrbe in Germaniam Constantini reditum: sed quanto tempore Romæ manserit, Nazarius [d] sane expressisse videtur, dum ait: Quidquid mali sexennio toto dominatio feralis inflexerat*, bimestris fere cura sanauit.] Verum cum constet ex eius rescripto [e] Romæ dato, ipsum magnam partem mensis Ianuarij adhuc Romæ egisse; plane a nece Maxentij duos menses enumerando, quibus & pars Ianuarij mensis includatur; necesse est affirmare ipsa hieme, nempe saltem post dimidium Nouembris mensis, Constantinum de nece Maxentij triumphasse. *d Nazar. Panegyric. Constãtin. * inuexerat e l. 1. C. de Consib. lib. 11.*

Porro has non esse inanes coniecturas, sed solida veritate subsistere, illud æque demonstrat, quod dictum est, pene habitum pro miraculo, importuno nauigandi tempore propitios flasse ventos, quorum ope deferretur Maxentij caput in Africam, cum (vt eadem repetamus) ita Nazarius ait [f]: Pari studio missum eiusdem Tyranni ad permulcendam Africam caput, vt
E quam maxime vnus* afflixerat, laceratus expleret; & nondum satis tempestiuo mari, efflarunt tamen nauigantibus felices auræ, & fluctus secundi: beatissimamque victoriam ipsa etiam elementa iuuerunt.] hæc ipse, qui per intempestiuum natura mare, significasse visus est hiemem, qua a nauigatione cessatur. His itaque de Maxentij necis tempore disquisitis, ac demonstratis, tota illa (vt dictum est) de Indictionum exordio opinio atque causa penitus confutatur: cum multa alia quoque sint, quibus secum ipse auctor pugnans, suo ipsius telo perfoditur: nempe cum ait, anno Domini trecentesimo decimotertio Consulatum Constantini secundum atque Licinij contigisse, quo, vt vult, octauo Kalendas Octobris, Maxentius fluctibus mersus interijt: idemque ipse in suis Fastis hoc anno dicti Consulatus Constantini, atque Licinij, annum Domini numerari duodecimum tantum supra centesimum tradat. Diceres mendum in notam numeri irrepsisse, nisi ab eo sæpius idem repetitum inueniretur. Aliam igitur de tempore inchoatæ Indictionis, eiusque nominis *REIICITVR OPINIO DE ORIGINE INDICTIONIS. f Nazar. Panegyric. Constãtin. * al. viuus.*

 originem

originem & causam peruestigandam putamus; nec opus esse, ob eam rationem, quod ait, Indicationis atque Indictionis nomina, eadem quasi cognata coniungere. A

a Ioseph. Scaliger de Emēdat. temporum lib. 5. de Indict. pag. 247.

NOVA CONFVTATVR SENTENTIA DE ORIGINE INDICTION.

Sed & illa æque reijcitur, quæ ab erudito viro[a] emendatore temporum recēs est excogitata de inuentione Indictionis opinio, dum air ab exhibitione munerum Quinquennalium Imperij Constantini vsque ad Vicennalia, statuta periodo annorum quindecim, esse numerum Indictionum inuentum. Nam cum ipse super falsum prorsus fundamentum totam quam erigit molem imponat, eamdem quoque corruere necesse est. Air enim, Constantinum imperare cœpisse anno Christi trecentesimooctauo, atque adeo hoc anno quo cœptas numerari tradit Indictiones ab octauo Kalendas Octobris, celebrata esse Quinquennalia eius Imperij, & anno eiusdem Imperatoris vigesimooctauo fuisse Vicennalia habita. Quibus quidem omnibus nihil absurdius dici potest. Cum enim superius in obitu Constantij, tum ex supputatione Olympiadum, tum etiam Consularibus Fastis sit demonstratum, cœpisse Constantini Imperium anno Domini trecentesimosexto; septimus hic annus eiusdem Imperij numeratur, & Quinquennalia non hoc anno, sed ante bienniū oportuit fuisse celebrata; sic & Vicennalia eiusdem in annum vigesimumquintum eius Imperij pariter necesse est incidisse, Paulo & Iuliano Coss. quibus cœptum & absolutum est pariter Nicænum Concilium, vt suo loco pluribus ostendetur. His igitur ab eo ædificatis absque veritatis fundamento sponte labentibus, reliqua his innixa vltro absque impulsore sternuntur. Vtinam tam facile nobis esset de ea re vera statuere, quàm falsa destruere. B

VITALIS EPISCOPVS ANTIOCHENVS.

b Theodoret. lib. 1. c. 3.

Hoc eodem anno, qui primus pacis Ecclesiæ post decennium persecutionis illuxit, cum Tyrannus Episcopus Antiochenus sedisset annos tredecim (tot enim annos eidem Eusebius tribuit) ex hac vita migrauit: quis autem post ipsum Antiochiæ sederit, nulla penitus mentio in Eusebij Chronico. Constat tamen ex Appendice S. Hieronymi, post Tyrannum sedisse Vitalem: quod & Theodoretus affirmat, cum ait[b]: Antiochiæ autem Episcopatum, mortuo Tyranno, cum pax iam in Ecclesia vigere inciperet, obtinuit Vitalis: qui ecclesiam ibi a tyrannis dirutam, in Palæa ædificauit.] hæc ipse. Quod autem spectat ad tempus sedis eius, haud possumus Nicephori Chronicon sequi, in quo annis sex ille sedisse ponitur: siquidem certum est (vt ex ijs, quæ dicentur, perspicuum euadet) post extinctum Maximinum, cum solus in Oriente Licinius imperaret, Philogonium in Vitalis locum successisse. Vitalis igitur cum post persecutionem sedem Antiochenam accepit, ad publicos celebrandos conuentus (quòd ecclesiæ omnes in persecutione Diocletiani solo æquatæ fuissent) ecclesiam in primis exædificandam curauit, quam ante obitum inabsolutam ab eo relictam, eius successor absoluit, vt idem qui supra Theodoretus affirmat. C

* al. Thermonem.

MACARIVS EPISCOPVS HIEROSOLYMITANVS.

c Theodoret. lib. 1. c. 3.

Hoc ipso anno septimo Cōstantini apud Eusebij Chronicon ponitur post * Hermonem Macarius Episcopus Hierosolymitanus, de cuius sedis annis, rebusq. ab eo gestis dicemus sæpius secundum ordinem temporis. Porro Theodoretus[c] de eius agens ingressu, eiusmodi eum exornat elogio: Hic ob beatam viuendi rationem, & multiplicia bona, quibus exornatus fuit, vere nomini suo respondit, nempe, vt Macarius diceretur.] D

IESV CHRISTI ANNVS	MELCHIADIS PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
313.	3.	8.

d August. ad Donatist. post Collat. c. 33.

e l. 1. C. de Censib. lib. 11.

CVM iam Christi annus trecentesimus decimustertius aduenisset, Constantinus Imperator tertium adijt Consulatum, habuitq. sicuti superiore anno, collegam Licinium in Illyrico Imperatorem; cuius Consulatum cum alij æque tertium, vt Zosimus, paremq. numero cum Constantini Consulatu ponant; S. Augustinus[d] ex libellis Consularibus, quos citat, tertio Consulatui Constantini (nisi sit mendum in codice) Licinij secundum adiungit. Huius anni exordio, idem Cōstantinus cum adhuc Romæ ageret; quòd ad Reipublicæ statum rectè disponendum pertinere videbat, ne qui potentiores essent, humiliores damno afficerent; eiusmodi legem[e] sanxit: Imperator Constantinus ad Populum: E

Quoniam tabularij ciuitatum per collusionem potentiorum sarcinam ad inferiores transferunt: Iubemus, vt quisquis se grauatum probauerit, suam tantum pristinā professionem agnoscat. Dat. XV. Kal. Februarij Romæ Constantino Aug. III. & Licinio Coss.] hæc ipse: ex quibus apparet tantum abesse vt Constantinus hoc tempore noua tributa indixerit, vt potius quæ erant indicta ad pristinam census professionem voluerit reformari.

Post

A Post hæc autem haud diutius ipsum Roma retinuit, quem bellicæ curæ (vt dictum est anno superiore) in Germaniam euocabant. Factum est autem, vt cum Licinius Imperator, qui cum exercitu agere soleret in Illyrico, occurrisset illi in via, vna simul cum eo Mediolanum vsque peruenerit; licet dicat Zosimus, eum a Constantino Mediolanum accersitum; sed edictum ab ipso datum priorem sententiam veriorem esse declarat. Quid autem ad optimum regimen Imperij stabiliendum inter eos transactum sit, Zosimus [a] narrat, agens in primis de rebus Romæ ab eo gestis post Maxentium extinctum, his verbis: Hoc euentu rerum Constantinus de paucis quibusdam Maxentio familiarissimis pœnas exegit, Prætorianis militibus e medio sublatis, & castellis dirutis, in quibus esse consueuerant (erant hæc dicta castra Prætoria:) denique constitutis vrbanis rebus, ad Celtas & Gallos profectus est. Licinio Mediolanum accersito, sororem Constantiam in matrimonium tradidit, quam antea se daturum ei B promiserat, cum eum sibi socium contra Maxentium hostem adiungere vellet. Eo peracto, Constantinus ad Celtas discedebat.] hucusque Zosimus: hanc autem Constantiam Constantini germanam Christianam fuisse, Acta Basilei Episcopi Amaseæ in Ponto significant; de qua plura inferius dicturi sumus.

CONSTANTINVS AB VRBE RECEDIT.

[a] *Zosim. lib. 2.*

Testatur Aurelius Victor [b] ad has nuptias vocatum fuisse Diocletianum, sed venire contempsisse: sic enim ait: Cum a Constantino atque Licinio vocatus ad festa nuptiarum, per senectam, quo minus interesse valeret, excusauisset: rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur, Maxentio fauisse, & Maximino fauere, suspectans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse.] hæc Victor. Porro exitum Diocletiani post triennium accidisse, auctor est Zosimus [c]: itaque de eo tunc agemus. Quòd vero idem Victor [d] dicat, earumdem nuptiarum tempore, Constantinum Imperatorem creasse Cæsares filios suos Crispum & Constan- C tinum, nec non Licinij Augusti Licinianum filium mensium fere viginti eodem nomine insignisse; ipsum errasse, dicemus anno decimo Imperij Constantini.

[b] *Aurel. Vict. in Dioclet.*

[c] *Zosim. lib. 2.*

[d] *Victor in Constantino.*

At non ea tantum, quæ ad connubium spectarent, inter eos transacta esse; sed etiam quæ ad pacem Orientalis Ecclesiæ pertinerent, constat fuisse disposita, & amborum nomine pro Christianis fuisse promulgatum edictum: quod a Licinio Ethnico homine, de Christianis tamen Constantini intuitu bene merente, inter alia fœderis initi placita elicitum fuisse putamus: nam quod ad ipsum spectat Constantinum, nequaquam expectauit Licinij congressum ac consultationem, vt pro Christianis sub sua ditione agentibus ampliora decerneret, Romæ dum ageret, post debellatum Maxentium. Quamobrem quod licuit a cultore deorum exigere, sic Christianæ religioni consultum fuit, vt tamen idololatris quoque prospectum foret. Edicta Eusebius [e] recitat, his verbis inscripta:

QVID CONSTANTINVS CVM LICINIO.

[e] *Euseb. lib. 10. c. 5.*

D IMPERATORIORVM EDICTORVM EXEMPLAR.

Cum iampridem religionis libertatem nemini denegandam esse, sed cuiusque menti & voluntati potestatem permittendam ritus & instituta diuina pro sua animi voluntate & arbitrio excolendi, consideraremus: mandatum dedimus, vt cum singuli alij, tum Christiani suæ sectæ & religionis fidem integre obseruarent. Sed quoniam in eo rescripto, in quo eiusmodi illis concedebatur facultas, multæ sententiæ dubiæ & controuersæ inesse videbantur: quidam illorum propterea fortasse paulo post præ metu ab illius obseruatione repulsi sunt. Quapropter cum ego Constantinus Augustus, & ego Licinius Augustus prospero itinere Mediolanũ perueniremus; et omnia quæ ad vtilitatem & commodum Reipublicæ pertinebant, accurate disquireremus: ista inter cetera, quæ plebi vniuersæ perutilia videbantur, maxime omnium decernenda existimauimus, quibus reuerentia & diuinus cultus contineretur: hoc est, vt tum E Christianis, tum alijs omnibus liberam optionem omnino daremus eam religionem sequendi, quam ipsi in animos inducerent: quo, quæcumque sit diuinitatis & cælestis numinis potentia, nobis ac vniuersis, qui sub nostra ditione vitam degunt, clemens & propitia esse posset.

EDICTVM CONSTANTINI ATQVE LICINII PRO CHRISTIANIS.

Istam igitur nostram voluntatem ac sententiam recta ratione ac consilio decidimus, vt nemini prorsus libertas negetur, Christianorum obseruantiam & cultum imitandi, amplexandique; et cuique detur copia, suam mentem ei religioni addicendi, quam ipse sibi maxime conuenire censuerit: quo diuinum numen in omnibus, quæ molimur, consuetam curam, studium, & bonitatem in nos ostendat. De qua quidem voluntate nostra consentaneum fuit ad te rescribere, vt tum controuersæ illæ sententiæ, quæ prioribus litteris ad tuam pietatem missis de Christianis continebantur, penitus tollerentur; tum ea quæ videbantur admodum seuera, & a nostra mansuetudine & clementia aliena, omnino abrogarentur: atque adeo iam quisque eorum, qui induxerint in animum, Christianam religionem obseruare, libere, minime fucate, & absque vlla molestia aut perturbatione cuiusquam, hoc ipsum custodiat. Quæ quidem tuæ

dem tuæ ſolertiæ pleniſſime ſignificare decreuimus; vt intelligas, nos liberam ac ſolutam Chriſtianis facultatem conceſſiſſe, ſuam ipſorum religionem ſedulo excolẽdi. quod quoniam tua pietas perſpicit a nobis libere illis eſſe conceſſum, alijſque etiam poteſtatem factam eum obſeruantiæ & religionis modum, quem apud animum propoſuerint, conſectandi; et noſtrorum temporum tranquillitati & quieti reuera accommodatum eſſe, vt quiſque facultatem habeat deligendi obſeruandique eam in Deo colendo rationem, quæ ſibi maxime placuerit: hocque a nobis factitatum eſſe, vt nullius honoris, nullius religionis auctoritas a nobis vlla ex parte minui videatur: tuarum partium eſt prouidere, vt nemo impediatur, quo minus ſuæ profeſſioni firme adhæreſcat. A

BONA REDDITA CHRISTIANIS.

Iſtud etiam præter cetera nominatim Chriſtianis decernimus, vt loca eorum, in quæ ipſis in more poſitum erat antea conuenire (de quibus quidem rebus litteris ſuperioribus ad tuam ſanctimoniam datis alia formula eo tempore a nobis erat definita & præſcripta) ſi qui vel a Quæſtore noſtro, vel ab alio quopiam ea emiſſe videantur; Chriſtianis abſque argento, abſque vlla repetitione pretij, quod in illis emendis collocauerant, ſine omni mora & dubitatione reſtituant: et ſi qui ipſa loca pro munere fuerint adepti; vt ipſis Chriſtianis quàm celerrime reddant: ac ſi qui ea aut coemerint, aut dono receperint, aliquid a noſtra bonitate poſtulent: Præfectumque, qui regioni, in qua habitant, præeſt, adeant, quo ipſorum etiam a noſtra munificentia prouiſio & cura ſuſcipiatur. Quæ quidem omnia Chriſtianorum ſocietati tuo ſtudio & induſtria extemplo, & ſine vlla dilatione, reſtituenda cures, oportebit. Ac quoniam ipſi Chriſtiani non ſolum ea loca, in quæ conuenire ſolent, ſed alia etiam habuiſſe cognoſcuntur, quæ non priuatim ad ſingulos, ſed ad ius totius ipſorum communitatis, id eſt Chriſtianorum, ſpectabant; ſingulis qui ea poſſident, mandes velim, vt omnia per legẽ, quam ſupra poſuimus, abſque vlla controuerſia Chriſtianis, id eſt ſocietati ipſorum & conuentui reddant: modo ratio ipſa ante demonſtrata ſedulo conſeruetur; nimirum vt illi, qui ſine repetitione pretij, ſicut antea diximus, ea reſtituant, ſuas res & facultates abſque damno a noſtra beneficentia compenſandas fore pro certo expectent. In quibus omnibus prædictæ Chriſtianorum communitati ſtudium & diligentiam pro virili tua parte vel maximam adhibere debes, vt noſtrum citiſſime conficiatur mandatum, quo ad hunc modum communi & publicæ tranquillitati a noſtra benignitate recte proſpiciatur. Nam hac ratione, ſicuti dictum eſt, diuinum erga nos ſtudium, quod in multis iam rebus experti ſumus, perpetuo nobis firmum ac ſtabile permanebit. Vt igitur huius noſtræ ſanctionis & beneficentiæ deciſio ad omnium notitiam perferatur: has noſtras litteras vbique præponi, & in cuiuſque cognitionem venire, conſentaneum eſt; quo lex a noſtra clementia ſancita, neminem omnino latere poſſit.] hucuſque edictum per Conſtantinum, vt demonſtratum eſt, elicitum a Licinio, cum ille, quòd in Chriſtianos parum æquo eſſet animo, in gratiam eiuſdem Conſtantini Imperatoris parum certa, ſed ambigua decreta promulgaſſet; quod vt de Conſtantino dicatur, plane indignum eſt. B C D

Quod vero non ſatis proſpectum eſſet Eccleſijs Orientis eiuſmodi datis a Licinio litteris, niſi Maximinus, cuius potiores Imperij partes eſſent, ſineret Chriſtianos in pace agere: actum eſt per eumdem Conſtantinum cum Licinio, vt amborum nomine pro pace Chriſtianorum ad eumdem Maximinum litteræ mitterẽtur: quod factũ eſſe teſtatur Euſebius [a]; idemq. datas a Maximino ſtatim publicas pro Chriſtianis litteras recitat, hæcque præmittit: Iſte his de rebus certior factus, primum, vtpote tyrannus, immenſum animo dolorem concepit: verum poſtea, quamquam aliorum Imperio cedere videri nolebat, neque mandatũ eorum diuulgare: metu tamen iubentium perterritus, hanc primam pro Chriſtianis epiſtolam, tamquam ſua auctoritate compoſitam, Præfectis ſuæ ditionis neceſſario perſcribit: et in ea, quæ ab ipſo numquam fuerant hactenus factitata, commenticia ratione contra ſe ipſe confingit. E

[a] Euſeb. lib. 9. c. 8. circa mediũ.

MAXIMIANVS PRO CHRISTIANIS RESCRIPSIT.

Iouius Maximinus Auguſtus Sabino S.

Cum apud tuam grauitatem, tum apud omnes homines ſatis increbuiſſe arbitror, dominos & patres noſtros Imperatores Diocletianum & Maximianum, quando omnes fere homines relicto deorum cultu, ſe cum Chriſtianorum gente commiſcuiſſe, coniunxiſſeque intellexerant; recte ſane mandaſſe, vt cuncti, qui a deorum ſuorum immortalium religione receſſiſſent, aperta animaduerſione & ſupplicio ad eorum deuotionem denuo reuocarentur. Verum cum ego felici quodam & proſpero caſu in Orientem primum aduentarem; et complures homines, qui Reipublicæ prodeſſe poſſent, a Iudicibus ob eam cauſam, quam modo poſuimus, in loca quædam extranea relegatos animaduerterem: cuique Iudici mandata dedi, vt nemo illorum de reliquo in homines prouinciales crudeliter animaduerteret, ſed blanda

A aſſentatione potius, adhortationeque beneuola ad deorum religionem eos reducere conaretur. Id temporis igitur, dum iuſſa conuenienter & apposite a Iudicibus iuxta mandarū meum obſeruabantur; neminem ex partibus verſus Orientem, vel miſſum in exilium, vel contumelia affectum contigit: immo vero etiam, quia humanius cum illis agebatur, facilius ad deorum cultum ſe receperunt.

Poſtea, cum anno præterito, proſpero itinere Nicomediam proficiſcerer, ibique commorarer, ciues eius ciuitatis ſimul cum deorum ſtatuis ad me veniunt; maioremq. in modum contendunt, vt Chriſtiana gens nullo modo in ipſorum patria habitare permitteretur. Ceterum ſimulatque complures eius religionis viros in illis partibus domicilia ſua habere perſpexeram, ſic illis reſponſum dedi: Eorum petitionem mihi pergratam eſſe; ſed me non intellexiſſe, illud idem ab omnibus poſtulari. Quòd ſi qui eſſent, qui in illa ſuperſtitione perſtare vellent, ita
B cuique pro ſuo arbitratu in inſtituto propoſito perſiſtendi libertatem permiſi: et ſi ſponte ſua etiam deorum religionem amplexari in animum inducerent, non equidem inficiatus ſum. Et ſicut benignum reſponſum Nicomediæ ciuibus dedi, ſic ceteris ciuitatibus, quæ adeo enixe idem a me contendiſſent, nempe, vt nullus Chriſtianus eorum ciuitates incoleret, neceſſe habui humaniter reſpondere: propterea quòd idem iſtud cum antiqui Imperatores omnes obſeruaſſent; tum ipſis dijs, quorum prouidentia omnes homines, omneſque Reſpublicæ gubernantur, viſum eſſet, vt eiuſmodi petitionem, quam pro religione & cultu diuini eorum numinis ad me retulerant, lubens admitterem.

Quapropter licet tuæ in primis æquitati ante hoc tempus a me per litteras ſignificatum ſit, perque mandata ſimiliter imperatum, vt Iudices contra prouinciales, qui Chriſtianam gentem apud ſe retinere, & incolumes ſeruare nitantur, nihil acriter & acerbe ſtatuant, ſed tole-
C ranter & placide eos ferant: tamen ne vel a Beneficiarijs, vel ab alijs quibuſcumque contumelias, iniurias, aut moleſtas perturbationes pati cogantur: his etiam litteris tuam animi magnitudinem & grauitatem admonere, conſentaneum putaui, vt leni potius ſermone & cohortatione benigna noſtros prouinciales ad deorum curam ac religionem agnoſcendam impellas. Vnde ſi quis ſua quadam animi inductione deorum cultum agnoſcendum exiſtimet, hunc libenter admittere conuenit: ſin nonnulli ſuam propriam religionem ſequi velint, eorum arbitrio & poteſtati liberum relinquas velim. Quocirca tua æquitas, quod tibi concreditum eſt, ſedulo obſeruare debet; et nemini facultas permittatur prouinciales noſtros contumelia vel moleſtia diuexandi: quandoquidem, vt ſupra ſcripſi, liberali admonitione potius, & blanda ſermonis ſuauitate eos ad deorum venerationem & obſeruantiam reuocare par eſt. Atque quo ipſum noſtrum mandatum in cognitionem omnium noſtrorum prouincialium ve-
D niat: edicto abs te edito, quod imperatum eſt, diuulgare debes.] hucuſque ad Sabinum litteræ. ſed ſubdit Euſebius:

Vt primum iſta Maximinus neceſſitate coactus, non ſua ductus voluntate, iuſſerat: deinceps propter veteratoriam & falſo ementitam ſententiam, quam antea poſt parem nobis conceſſam libertatem oſtendiſſet; apud nonnullos nec verus, nec fide dignus habitus eſt. Idcirco nemo noſtrum aut conuentus cogere, aut ſe in aperto, & in omnium oculos collocare audebat. Nam in eius litteris de hac re nulla facta eſt mentio; ſed illud ſolum in ipſis mandabatur; ne quiſquam nobis quidquam faceſſeret negotij: conuentus autem agere, templa exædificare, aut aliud quippiam eorum, quæ nobis in more poſita ſunt, tranſigere, eius litteræ neutiquam permiſerunt. Et quamquam pacis & pietatis auctores Conſtantinus & Licinius ad eum litteras dederant, vt nobis hæc omnino peragendi liberam facerent poteſtatem,
E & omnibus ſuis ſubiectis per leges & decreta idem conceſſerant: tamen ſceleſtiſſimus ille, ſi non diuina vltione eo detruſus fuiſſet, & ad extremum inuito animo ad idem largiendum cōpulſus, numquam ei aſſentiri in animum induxiſſet.] hæc Euſebius. quænam autem cauſa interceſſerit, vt idem Maximinus pleniſſimum poſthac edictum pro Chriſtianis dederit, dicemus anno ſequenti, quo editum fuiſſe conſtat: nam anno interlapſo poſt recitatas nuper ad Sabinum litteras, id fieri contigit.

His igitur quàm celerrime rebus confectis Conſtantinus (quod in procinctu eſſet ad rebellantes Germanos comprimendos) Mediolano cum exercitu recedens, ſe cum eo hoſtibus præſentauit: quos primo ſui aſpectu repreſſit, ſed militari arte eos deluſos vicitque ſubegit: hæc quidem in Panegyrica Oratoris Gallicani oratione (a nullo enim alio auctore hæc commendata memoria reperiuntur) his verbis narrantur [a]: Illico obuius affuiſti, & præſentia tua, ne auderent tranſitum Rheni, terruiſti: etiam videbaris rem votis tuis feciſſe contrariam, quòd inhibita eruptione non foret materia victoriæ. Sed inopinato conſilio vſus (abeundo enim ſimulato

CONSTANTINVS QVID IN GERMANIA.

a Panegyric. 8. Conſtantini.

ſimulato nuncio maioris in ſuperiore limite tumultus) occaſionem ſtolidis ac ferinis mentibus A
obtuliſti in noſtra veniendi, relictis in occulto ducibus, qui ſecuros adorirentur. Quo cum ve-
niſſent, conſilium tuum ſequitur fortuna: toto Rheni alueo oppleto nauibus deuectus, terras
eorum ac domos mæſtas,lugenteſque populatus es; tantamque cladem, vaſtitatemq. periuræ
genti intuliſti, vt vix poſt illud nomen habitura ſit.] hæc auctor. Sic itaque Conſtantinus
virtute Crucis, cui ſolum fidebat, perdifficile bellum perpaucis diebus feliciſſime abſoluit,
adeoque barbaras illas nationes compreſſit, vt rebellare vlterius non præſumpſerint. Sicque
Romanum Imperium ſibi ſubiectum anni vnius ferme ſpatio a tyrannide Maxentij, & barba-
rico furore quietum per omnia atque pacatum reddidit.

SAECVLARES LVDI A CONSTANTINO CONTEMPTI.

Conſtantinus igitur, quòd in dies magis magiſque in Chriſtianæ religionis cultu proficeret:
ab ijs, quæ eſſent Gentiliciæ ſuperſtitionis, officijs procul abhorruit: quamobrem Sæculares
ludos ab alijs cupide expectatos, & celebri apparatu peragi ſolitos, cum ſe æqua annorum pe- B
riodo Vrbi redderent, prorſus deſpexit; atque celebrare contempſit: quod Gentilibus ma-
gno mærori fuit, cum dicerent, illos ad peſtes, morbos, lueſque ſanandas, bellaque auer-
tenda fuiſſe diuinitus inſtitutos, & in eam diem ſolemniſſime celebratos, quiq. eſſent car-
minibus Sibyllinis præſcripti, ac veluti fatales Vrbi conceſſi; nam poſt ritus & ſacrificiorum
diuerſa genera reſerata, erant in iiſdem oraculis hi [a] verſus in fine conſcripti:

a Apud Zoſim. lib. 2.

Italia ſic tellus omnis, telluſque Latina
Aeternum tua ſceptra colet, tua iuſſa capeſſet.]

His ergo a Chriſtiano Imperatore neglectis, viſum eſt illis omen caſuri Romani Imperij:
quamobrem hæc Zoſimus Ethnicus: Verum(inquit)Conſtantino & Licinio tertiùm Coſſ. cen-
tum & decem annorum ſpatium completum fuit, quo iam ludos conſueto more celebratos C
oportuit. Eo neglecto, ad infelicitatem illam res prolabi neceſſe fuit, quæ hoc tempore nos
vrget.] hæc ipſe conſueto Gentilium more (quod ſæpe factum vidimus) qui cunctas clades
deorum contemptoribus Chriſtianis acceptas ferebant. quod cum Ethnici omnes in Chri-
ſtianos procaciter iactare ſolerent, Zoſimus ipſe id propenſius ac petulantius præſtitit; cum
nullam prorſus aliam ſcribendæ hiſtoriæ inierit rationem, quàm vt doceret, culpa Chriſtia-
norum Romanum Imperium eſſe collapſum. Ipſe enim ſui ipſius inſtituti rationem dum affert,
hæc ait [b]: Cum enim Polybius expoſuerit, quo pacto Imperium perexiguo tempore Romani
acquiſierint: ego quo pacto temporis non magno ſpatio ſuis delictis idem perdiderint, indi-
caturus ſum.] Id ergo ipſe conſilium cum iniiſſet, rem tantam, vt ab omnium malorum cauſa
atque principio, a prætermiſſis a Conſtantino Sæcularibus ludis auſpicatur, & in Conſtantinũ
ipſum veluti malorum omnium auctorem calumnias aggerat & exaggerat. Semel enim eo af- D
fectu imbuto animo (quod prudens hiſtoricus in primis cauere debet) magnum intulit hiſtori-
cæ veritati detrimentum. Quod vero noſtrarum partium eſt, veritatem omni ex parte conſtan-
tem, probatam, teſtatamque, & in omnibus ſartam tectam, e tenebris vindicatam in apertiſ-
ſimam lucem reſtituere; ſic Conſtantini res geſtas proſequemur, vt non Apologiam pro ipſo
in omnibus elaboremus, cunctaq. ab eo edita commendare, atque etiam perperam geſta ex-
cuſare atque probare velimus, vt priuatus affectus nos in ſinuoſos impellat anfractus; ſed re-
cto tramite via regia ac libera incedentes, præuia veritate, quæ ipſa ingerit, quæ ſola mo-
net, ac docet, noſtris ſcriptis tantummodo complectemur. At ceſſet de Sæcularibus ludis a
Conſtantino neglectis Zoſimi querela, dum conſtat ſæcula illa, quibus ſunt celebrati, nec
peſte, vel lue, aut alijs caſibus aduerſis caruiſſe. Sed quàm bene poſtea accidit, vt cum Gen-
tilium improbitate ab Honorio Chriſtiano Imperatore id extorquentium, ſunt iidem iterum E
reſtituti, & Romæ celebrati [c] ſexto eiuſdem Principis Conſulatu; tantam incolumitatem Vrbi
præſtiterint, vt poſt ſexennium ea caperetur, atque diriperetur a Gothis ſub Alarico duce?
cum e contra præſens ſæculum, quod ludis caruit Sæcularibus, Vrbi fuerit feliciſſimum, tot
tyrannis extinctis, ac barbaris debellatis. At iam miſſis his, reliqua anni præſentis acta ordi-
ne proſequamur: nec enim licet, ex ſententia Plinij [d], diutius cum laruis inire certamen.

ZOSIMI IN SCRIBENDO CONSILIVM.

b Idem lib. 2.

c Panuin. lib. de Ludis Sæcularibus.

d Plin. in præfat.

FATIVM ORACVLVM ET CALVMNIA GENTILIVM.

Tanta pace, Chriſti gratia, Orbe tranquillato, tanta gloria eius Eccleſia aucta, atque adeo
immenſa claritudine illuſtrata: plane accidit, vt Gentiles inuidia tabeſcentes, quò ſolatio
aliquo lenirent de Chriſtianorum ingenti gaudio conceptum mærorem & animorum acerbi-
tatem, nouum oraculum confinxerint, atque ore omnium diffamarint, Græcis quibuſdam
compoſitis verſibus præcinentes, Chriſtianam religionem trecentis & ſexagintaquinque an-
nis tantummodo duraturam, quorum trecenti & octo iam prope præterlapſi eſſent. Rurſumq.
videntes Chriſti diuinitatem adeo altas fixiſſe radices in cordibus credentium omnium, vt
eius

A eius nomen conuelli posse penitus desperarent; cernentesque, Romæ potissimum Petri Apostoli, qui sedem ibi locasset, gloriam mirifice prædicari: in eum blasphemias conuerterunt, dicentes ipsum fuisse magum, atque magicis disciplinis sibi æstimationem maximam comparasse. Meminit horum omnium S. Augustinus [a] in Commentarijs de Ciuitate Dei, dum ait: Cum enim viderent, nec tot tantisque persecutionibus eam (nempe Christianam religionem) posse consumi; sed de his potius mira incrementa sumpsisse: excogitauerunt nescio quos versus Græcos, tamquam consulenti cuidam diuino oraculo effusos: vbi Christum quidem ab huius tamquam sacrilegij crimine faciunt innocentem, Petrum autem maleficia fecisse subiungunt, vt coleretur Christi nomen per trecentos sexagintaquinque annos; deinde completo memorato numero annorum, sine mora sumeret finem.] hæc Augustinus, pluribus irridens eos, atque subsannans, impletumque demonstrat ac præterlapsum tempus commento fatidicorum præscriptum. — [a] Aug. de Ciuit. Dei lib. 18 c. 53.

B Sed quòd minus posset Gentilium calumnijs diabolus Christianam religionem labefactare, conatus est id præstare studijs factiosorum schismaticorum: ac plane accidit, quod est in Prouerbijs [b]: Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.] siquidem schismatici Donatistæ in Africa, qui (vt superius dictū est) aduersus Cæcilianum Episcopum Carthaginensem superbe nimis & arroganter rebellauerant, & Maiorinum pseudoepiscopum in aduersum thronum euexerant, atque Africæ, Mauritaniæ, Numidiæque complures Episcopos in eum concitauerant, Conciliaque collegerant, & calumnijs exagitauerant: indigne ferentes ipsum vno præsidio niti, nempe Apostolicæ sedis communicatione fulciri, ac proinde omnes intentatos in eum conatus irritos reddi: valentioribus rursum impulsibus vrgent, conantes primum in eumdem Africæ Proconsulem commouere; ac si possent, Constantinum etiam concitare. Sed quo hæc gesta sint ordine, deinceps enarremus. — [b] Ecclesiast. 10. — SCHISMATICORUM FACTIO.

C Audierant Donatistæ ex scriptis ad Anulinum Proconsulem litteris Constantini, ipsum erga Cæcilianum esse propensiorem; nec sibi sperandum, Imperatore ei propitio, negotium illi facessere, & de sede Carthaginensi, quod alias sæpe sed frustra tentassent, exturbare posse: quamobrem interpellant eumdem Anulinum Proconsulem in magistratu adhuc permanentem, vt suos quos scripserant aduersus Cæcilianum, ad Constātinum libellos mittat: quod ille præstitit; deque his omnibus ipsum Constantinum in Gallijs agentem, scriptis ad eum litteris, reddidit certiorem. Extant ipsæ adhuc intextæ in epistola Hipponensium [c] ad Ianuarium primæ sedis Numidiæ, & ætate longæuum Episcopum Donatistarum, quem prouocant ad ea, quæ aduersus primos auctores schismatis, Constantini tempore, apud Transmarinos Episcopos transacta sunt, incipientes a dicta Anulini ad Imperatorem facta relatione, sic eius narrationis exordio hominem compellantes: Cum sis in tam grandi constitutus ætate: arbitramur te optime nosse, quòd pars Donati, quæ primo apud Carthaginem, pars Maiorini dicebatur, vltro accusauit Cæcilianum tunc Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis apud Imperatorē illum antiquum Constantinū. Sed ne forte, aut oblita hoc sit grauitas tua, aut te nosse dissimules, aut etiam (quod non putamus) forsitan nescias; exēplum relationis tunc Anulini Proconsulis, quem pars Maiorini tunc interpellauit, vt ea crimina, quæ objiciebat Cæciliano, ad memoratum Imperatorem ab eodem Procōsule mitterētur, his nostris litteris inseruimus. — [c] August. epist. 68.

D

Anulinus nunc Proconsul Africæ. — RELATIO ANULINI AD CONSTANTINUM.

Scripta cælestia maiestatis vestræ accepta atque adorata, Cæciliano, & his qui sub eodem agunt, quiq. clerici appellantur, deuotio paruitatis meæ insinuare curauit; eosdemque hortata est, vt vnitate consensu omnium facta, cum omni omnino munere indulgentiæ maiestatis vestræ liberati esse videantur Catholici, custodita sanctitate legis, debita reuerentia diuinis rebus inseruiant. Verum post paucos dies extiterunt quidam, adunata secum populi multitudine, qui Cæciliano contradicendum putarent, quiq. fasciculum in aluta signatum, & libellum sine signo obtulerunt dicationi meæ; atque impendio postularunt, vt ad sacrum & venerabilem Comitatum nominis vestri dirigerem: quæ manente Cæciliano in statu suo, subiectis eorumdem actis, quo cuncta maiestas vestra possit dignoscere, paruitas mea dirigere curauit.] hucusque Anulini litteræ ad Constantinum.

E

Missorum autem libellorum tituli tantum in eadem ad Ianuarium epistola Hipponensium leguntur in hæc verba:

TRANSMISSI libelli duo, vnus in aluta subscriptus ita: LIBELLUS ECCLESIAE CATHOLICAE CRIMINUM CAECILIANI TRADITUS A PARTE MAIORINI. Item alius sine sigillo cohærens eidem alutæ, datus die decimoseptimo Kalendas Maias Carthagine, domino nostro Constantino Augusto tertium Cos.] hæc ibi. Sed quod pertinet — DONATISTARUM LIBELLI AD IMP.

ad alu-

ad alutam, quam dicit continuisse libellos; erat ex pelle factus sacculus, seu marsupium, quo clauderentur scripta, quæ longius mittenda essent, vt ab aqua seruarentur illæsa. Sed de aluta, alutamento, & alutario plura Grammatici. At non satis fuit Donatistis, eiusmodi libellis per Anulinum Proconsulem missis interpellare Cōstātinum Imperatorē, sed & ipsi vna nauigauerunt, vbi ille erat, in Gallias. Quinam hi fuerint, & libellum supplicem quem Constantino obtulerunt, Optatus Mileuitanus [a] recenset his verbis: Maiores vestri, Lucianus, Dignus, Nassutius, Capito, Fidentius, & ceteri Imperatorem Constantinum, harum rerum adhuc ignarum, his precibus rogauerunt, quarum exemplum infra scriptum est: Rogamus te, o Constantine optime Imperator, quoniam de genere iusto es; cuius pater inter ceteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia: nam in Africa inter nos & ceteros Episcopos contentiones sunt: petimus vt de Gallia nobis Iudices dari præcipiat pietas tua. Datæ a Luciano, Digno, Nassutio, Capitone, Fidentio, & ceteris Episcopis partis Donati. Quibus lectis Cōstātinus pleno liuore respondit: in qua responsione & eorum preces protulit [*], dum ait: Petitis a me in sæculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectem. Et tamen dati sunt Iudices Maternus ex Agrippina ciuitate, Rheticius ab Augustoduno ciuitate, Marinus Arelatensis.] hæc de Constantini decreto Optatus. A B

[a] Optat. Mileuit. contra Parmen. lib. 1.

[*] prodidit

CONSTANTINVS DESERIT IVDICIVM MELCHIADI ET COLLEGIS.

At licet inuitus hos Iudices dederit; quippe qui Christi indicio se esse subiectum intelligens, indignum existimauit, illorum qui Christi vice funguntur, iudicium per se, vel per alios agitare: tamen cum ipse, quòd adhuc in fide rudis esset, iudiciorum Ecclesiasticorum ordinem ignoraret; tres illos Gallicanos Episcopos Iudices petitos elegit. sentiens vero postea, iudicia Episcoporum ex diuinæ legis præscripto (quod ipse testatur scribens post hæc ad Melchiadem) absque primariæ sedis Antistite nefas esse cognosci, ad eumdem Melchiadem Romanum Pontificem causam defert, qui præsentibus tribus illis, quos elegerat, alijsque conprouincialibus in Italia Episcopis, Cæciliani causam pertractet. Dum hæc a Constantino decernuntur, aliæ rursum ab eodem Anulino Africæ Proconsule allatæ sunt litteræ de dissidijs inter Catholicos atque schismaticos in dies magis increbrescentibus; ad quæ componenda necesse esset legitimam formam seruare iudicij: nempe vt præsens adsit reus, qui suam causam dicat, præsentibus accusatoribus. quamobrem ex Anulini litteris visum est Constantino curare, vt Cæcilianus vna cum decem Episcopis suarum partiū Romam, apud Melchiadem aliosque Episcopos conuocatos iudicium experturum, se conferret, totidemque ex schismaticis Donatistis eodem aduentarent. C

His omnibus hunc in modum a Constantino institutis, de futuro Romæ iudicio litteras dedit ad Melchiadem Romanum Pontificem, & Marcum, vt in hæc verba [b] præsefert epistolæ titulus: D

[b] Euseb. lib. 10. c. 5.

Constantinus Augustus Melchiadi [*] Episcopo Romano, & Marco S.]

[*] Miltiadi

CONSTANTINI EPISTOLA AD MELCHIADEM PAPAM.

Quisnam autē fuerit iste Marcus, ad quem eamdem Imp. quam ad Melchiadem scribit epistolam; hactenus nobis incompertum est. Sed ex quo Marci nomen non recensetur ab Optato inter Episcopos, qui vocati ab Imperatore præsentes fuerunt Romanæ Synodo, cuius rei gratia hanc ipse Constantinus scribit epistolam: vehemens suspicio est, textum esse deprauatum apud Eusebium, vt καὶ μαρκῷ, loco ἱεράρχῳ (quæ vox Melchiadis titulū demonstraret) sit errore positum, quod perfacile potuit euenisse: sicque fuerit titulus huius epistolæ: Constantinus Augustus Melchiadi Episcopo Romano & Hierarchæ. Sed reddamus hic ex Eusebio ipsam epistolam; sic enim habet:

[*] Anulino

Quoniam huiusmodi litteræ complures ab Anilino [*] clarissimo Africæ Proconsule ad me missæ sunt, in quibus constat, Cæcilianum Episcopum ciuitatis Carthaginensium a quibusdam collegis suis in Africa ordinatis Episcopis, multis de rebus in crimen vocari; et illud mihi permolestum videtur, vt in his prouincijs, quas diuina prouidentia vltro ac sua sponte sub meum subiunxerit Imperium, & in illis locis, in quibus crebra hominum frequentia versatur, non modo multitudo ad deteriora deflectat, & distrahatur dissidijs, sed Episcopi etiam discordiam inter se ipsi exerceant: Visum est mihi, vt idem Cæcilianus cum decem Episcopis, qui illum reum facere videantur, & decem alijs, quos ipse suæ litis dijudicationi necessarios existimauerit, Romam nauigio traijciat: vt ibi coram vobis, & Rheticio etiam, & Materno, & Marino collegis vestris, quos ea de causa Romam maturare iusserim, possit audiri, sicut sanctissima Dei lex, vt nostis, postulat. Atque vt de omnibus hisce plenissimam, accuratissimamque notitiam possitis habere; exemplaria litterarum ad me ab Anilino missarum, litteris meis subscripta aduersus prædictos collegas misi: quas cum vestra grauitas perlegerit, exquisite ponderabit, quo modo, quave ratione lis illa, quam supra diximus, diligentissime, E

A rectissimeque dirimatur, & ex iuris præscripto tandem aliquando absoluatur: quandoquidem illud vestrum studium minime latet, me tantam reuerentiam sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ tribuere, vt velim vos nullum generale schisma, nullam discordiam vllo in loco omnino relinquere. Summa magni Dei maiestas vos, honoratissimi viri, multos annos conseruet.] hucusque Constantini epistola, quam Eusebius [a] recitat.

Quid autem in Synodo Romæ actum sit coram Melchiade atque alijs conuocatis Episcopis, quave die & loco fuerit eiusmodi Cōcilium celebratum, Optatus Mileuitanus [b] narrat his verbis: Ad Vrbem Romam ventū est ab ijs tribus Gallis, & ab alijs quindecim Italis.] non nominantur decem illi, qui cum Cæciliano venire iussi essent, nec ipse Cæcilianus, minus vero totidem illi ex parte Donatistarum accersiti Episcopi, quòd non sederint vt Iudices, sed illi se habuerint vt defensores, isti autem vt accusatores. Tum subdit: Conuenerunt in domum B Faustæ in Laterano, Constantino tertiò & Licinio tertiùm Coss. sexto Nonas Octobris, die sexta feria. Cum consedissent Miltiades Episcopus Vrbis Romæ, & Rheticius, & Maternus, & Marinus Episcopus Gallicani, & Merocles * a Mediolano, Florianus a Cæsena, Zoticus a Quintiano, Stemnius ab Arimino, Felix a Florentia Tuscorū, Gaudentius a Pisis, Constantius a Fauentia, Prorerius a Capua, Theophilus a Beneuento, Sauinus a Terracina, Secundus a Præneste, Felix a Tribus tabernis, Maximus ab Ostia, Euandrus ab Vrsino, Domitianus a Foro Claudij.] loca hæc omnia nota sunt. Sed pro Vrsino, fortasse, Vrbino, legendum erit, vel Vrsentino ciuitate in Lucania posita a Plinio. Quod vero spectat ad ea quæ tractanda proposita sunt: sicut a Donatistis Cæcilianus reus est constitutus, ita pariter Donatus, a Casisnigris dictus, eius factionis primus auctor, a Catholicis qui stabant a parte Cæciliani, accusatus est. Quid autem in Synodo actum sit, Optatus institutam prosecutus orationem sic tradit:

C His decem & nouem considentibus Episcopis, causa Donati & Cæciliani in medium missa est a singulis. In Donatum hæ sunt sententiæ latæ: QVOD confessus sit, se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est.] reliqua huius sententiæ desunt verba. Sed prosequitur hæc Optatus de causa Cæciliani: Testes inducti a Donato, confessi sunt, se non habere, quod in Cæcilianum dicerent. Cæcilianus omnium supra memoratorum sententijs innocens est pronunciatus, etiam Miltiadis sententia, qua iudicium clausum est his verbis: CVM constiterit, Cæcilianum ab ijs, qui cum Donato venerunt, iuxta professionem suam non accusari: nec a Donato conuictum esse in aliqua parte, constiterit: suæ communioni Ecclesiasticæ integro statu retinendum, merito esse censeo.] hac ergo Romani Pontificis sententia causa est terminata, damnato Donato, & Cæciliano penitus absoluto. Sufficit ergo (inquit Optatus) & Donatum tot sententijs esse percussum, & Cæcilia-D num tanto iudicio esse purgatum.]

Porro hæc omnia, quæ iudicium præcesserunt, & iudicio Synodali corā Melchiade sunt definita, in perpetuis seruata sunt Actorum Ecclesiasticorū monumentis, eademq. deinde in magna illa inter vtramque partem facta postea Collatione singillatim sunt recitata, vt S. Augustinus [c] testatur, sic dicens: Quinto ergo loco hæc acta sunt. Recitatæ sunt duæ relationes Anullini Proconsulis ad Constantinum Imperatorem; vna quæ iam superius erat recitata, quæ ostēdit, maiores Donatistarum, id est de parte Maiorini, dedisse sibi chartas criminum Cæciliani, & postulasse, Constantino mittendas, seque illas memorato Imperatori misisse: altera autem, qua ostendit, ex eiusdem Imperatoris iussione, denos ex vtraque parte ad agēdam causam vt mitterent, eos se conuenisse, atque illos promisisse facturos. Tum deinde lectæ sunt etiā litteræ supradicti Imperatoris ad Episcopos datæ, vbi eis causam Cæciliani iniunxit audiendam: atque E inde ex ordine legi cœpit etiam Episcopale iudicium Melchiadis Romani Episcopi, & aliorum cum illo Gallorum & Italorum Episcoporum in eadem Vrbe Roma factum: cuius iudicij prima parte, id est Gestis primi diei recitatis, vbi accusatores Cæciliani, qui missi fuerant, negauerunt se habere, quod in eum dicerent: vbi etiam Donatus a Casisnigris in præsenti conuictus est, adhuc diacono Cæciliano, schisma fecisse Carthagine: de Carthaginis enim schismate exorta est aduersus Ecclesiam Catholicam pars Donati: vbi etiam promiserunt ijdem aduersarij Cæciliani, alio die se præsentaturos, quos causæ necessarios subtraxisse arguebantur: et hoc mentiti, vlterius ad iudicium accedere noluerunt.] hucusque de Actis Synodi sub Melchiade in Collatione recitatis Augustinus.

Cum ergo hæc ex publicis Actis, & Optati Mileuitani testificatione liquido cōstet gesta esse corā Melchiade Papa; plane corrigendū est, quod apud S. Hieronymum [d] legitur de Rheticio Episcopo Augustudunensi, Romā esse missum a Constantino ob causam Montensiū, nēpe Donatistarum, sub Siluestro Romano Pontifice: irrepsit enim error (quonā pacto, nescimus) vt pro

[a] Euseb. lib. 10. c. 5.
[b] Optat. lib. 1.
CONCILIVM ROMAN. HABITVM.
* Mirocles
DONATVS IVDICATVR, CAECILIANVS ABSOLVITVR.
[c] Aug. in Breuic. Collat. di. 3. c. 12.
[d] Hieron. epist. 133.

a Hieronym. de script. Eccles. in Rhetic. b Aug. contra Iulianum lib. 1. c. 3.

Melchiade Siluester positus habeatur. Laudat alibi eumdem ipse [a] Hieronymus, aitque celebris famæ fuisse Episcopum, scripsisseque commentarios in Cantica Canticorum, & aliud grande volumen aduersus Nouatianum. De eodem quoque S. Augustinus [b] agens contra Iulianum Pelagianum hæc ait: Rheticium ab Augustoduno Episcopum magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia tempore Episcopatus sui, Gesta illa Ecclesiastica nobis indicant, quando in Vrbe Romana, Melchiade Apostolicæ sedis Episcopo sedente, cum alijs Iudex interfuit, Donatumque damnauit, qui prior auctor Donatistarum schismatis fuit, & Cæcilianum Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis absoluit. Is cum de baptismo ageret, &c.] A

c August. epist. 162.

MELCHIADIS PAP. SENTENTIA.

Quantum autem Melchiades laborarit, vt Donatistæ, qui Maiorino fauebant, Catholicæ vnirentur Ecclesiæ, S. Augustinus [c] eius hac de re sententiã mirifice laudans, scribens ad Donatistarũ Episcopos, hæc ait: Qualis ipsius beati Melchiadis vltima est prolata sententia, quàm innocens, quàm integra, quàm prouida atque pacifica, qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est remouere; et Donato solo, quem totius mali principem inuenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam ceteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere etiam ijs, quos a Maiorino ordinatos esse constaret: ita vt quibuscumque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda prouideretur! O virum optimum, o filium Christianæ pacis, & patrem Christianæ plebis.] hæc de Melchiade Augustinus, qui Patrem Christianæ plebis Melchiadem nominat eo sensu, quo eadem epistola superius dixerat, in Romana Ecclesia semper viguisse Apostolicæ cathedræ principatum, cuius tantummodo facultatis esset de Episcoporum sedibus eo modo transigere. B

d Psal. 57.

DONATISTAE APPELLANT AD CONSTANTINVM.

e Optat. contra Parmen. lib. 1.

At quod moris est hæreticorum atque schismaticorum, pacem odisse: tam opportunas, tamque optandas, si mentis sanæ fuissent, pacis conditiones illi penitus contempserunt; seditique sunt aliena clementia duriores, & tanta eius facilitate magis illiberales atque proterui; sed & quod est in psalmis [d]; Furor illorum, sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, ne exaudiat vocem incantantis sapienter; acriori obstinatione recruduit, & ab omni pacis conditione penitus resiliuit; nulla namque habita iuris vel recte facti ratione, a Melchiadis & collegarum Episcoporum iudicio insolenter ad Constantinum Imperatorem appellant. Prosequutus est eam appellationem Donatus signifer impietatis, nomine omnium; cuius voces Constantinus exhorruit, vt de eo Optatus [e] scribit, cum ait: Et tamen Donatus appellandum esse ab Episcopis credidit; ad quam appellationem Constantinus Imperator sic respondit: O rabida furoris audacia: sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.] Quòd autem Optatus in hac prima Donatistarum appellatione, ea verba a Constantino prolata testetur: hic ipsa describenda epistola est eiusdem Constantini ad Episcopos scribentis, in qua eiusdem sententiæ mentio habetur: sic enim se habet [f]: C D

f Extat in appendice ad Optatũ Parergi nouissime editum ex Bibliotheca D. Petri Pithœi.

Constantinus Augustus Episcopis Catholicis, carissimis fratribus salutem. Aeterna religiosa & incomprehensibilis pietas Dei nostri nequaquam permittit humanam conditionem diutius in tenebris oberrare: neque patitur exosas quorumdam voluntates vsque in tantum peruadere, vt non suis præclarissimis luminibus denuo pandens iter salutare, eas det ad regulã iustitiæ conuerti. Habeo quippe cognitum multis exemplis: hæc eadem ex me ipso metior. Fuerunt enim in me primitus, quæ iustitia carere videbantur; nec vllam putabam videre supernam potentiã, quæ intra secreti mei pectora gererem. Equidem hæc, vt dixi, æquam fortunam debuerunt sortiri, scilicet omnibus malis redundantem. Sed Deus omnipotens in cælis per sæcula residens, tribuit quod non merebar. Certo iam neque dici, neque enumerari possunt ea quæ cælesti sua in me famulum suum beneuolentia concessit, Sanctissimi Antistites Christi Saluatoris, fratres carissimi. E

EPISTOLA CONSTANTINI AD EP. SC. CATHOLICOS.

* deprehendi

Gaudeo igitur equidem specialiter: gaudeo quòd tandem habita iustissima diiudicatione, eos ad meliorem spem fortunamque reuocastis, quos malignitas diaboli videbatur a præclarissima luce legis Catholicæ miserabili sua persuasione auertisse. O vere victrix prouidentia Christi Saluatoris, vt etiam his consuleret, qui iam descifcentes a veritate, quodãmodo aduersus ipsam arma inducentes, Gentibus se copulauerunt. Quia si vel nunc vera fide voluerint obsequia Sanctissimæ legi deferre: intelligere poterunt, quantum sibi nutu Dei sit prouisum. Et hoc quidem, Sanctissimi fratres, sperabam etiam in eis quibus ingenita est maxima durities animi, posse * reprehendi: sed non profuit apud eos recta diiudicatio, neque in eorum sensus ingressa est Diuinitas propitia. Reuera enim non immerito ab his procul abscesserit Christi clementia: in quibus manifesta luce claret huiusmodi esse, vt eos etiam a cælesti prouisione exosos cernamus: quæ in ipsos tanta vesania perseuerat, eũm incredibili arrogãtia persuadeant

suadeant

A suadeant sibi, quæ nec dici, nec audiri fas est, desciscentes a recto iudicio dato, quo cælesti prouisione meũ iudicium eos cõperi postulare: quæ vis malignitatis in eorumdẽ pectoribus perseuerat? Quotiens a me iam ipso improbissimis aditionibus suis sunt condigna respõsione oppressi? qui vtique si hoc ante oculos habere voluissent, minime hoc ipsum interposuissent. Meum iudicium postulant, qui ipse iudicium Christi expecto. Dico enim (vt se veritas habet) sacerdotum iudiciũ ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud iudicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti.

Quid igitur sentiunt maligni homines, officia (vt vere dixit) diaboli? Perquirunt sæcularia, relinquentes cælestia. O rabida furoris audacia! Sicut in causis Gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Equidem Gentes minora interdum iudicia refugientes, vbi iustitia deprehendi potest, magis ad maiora iudicia, auctoritate interposita, ad appellationem se conferre sunt solitæ. Quid hi detractores legis, qui renuentes cæleste iudicium, meum putauerũt
B postulandum, sic sensere de Christo Saluatore? Ecce iam proditores, ecce sine vlla acriori disquisitione ipsi per semet prodiderunt facinora sua. Quæ ab ipsis sentitur humanitas, qui in ipso Deo immanes prosilierunt? Equidem fratres carissimi, licet hæc in ipsis videantur deprehensa: nihilominus vos, qui Domini Saluatoris sequimini viam, patientiam adhibete, data his adhuc optione, quid putent deligendum: ac si eos in iisdem videritis perseuerare, protinus cum his quos Dominus dignos cultu suo iudicauit, proficiscimini, & redite ad proprias sedes, meique mementote, vt mei Saluator noster semper misereatur. Ceterum direxi meos homines, qui eosdem infandos deceptores religionis protinus ad Comitatum meum perducant, vt ibi degant, ibi sibi mortem pes* peruideant. Dedi quoque litteras cõpetentes ad eum *
qui Vicariam Præfecturam per Africam tuetur, vt quotquot huius insaniæ similes inuenerit,
C statim eos ad Comitatum meum dirigat; ne vlterius sub tanta claritate Dei nostri ea ab ipsis fiant, quæ maximam iracundiam cælestis prouidentiæ possint incitare. Incolumes vos Deus omnipotens tribuat votis meis & vestris per sæcula, fratres carissimi.] hactenus epistola Constantini ad Episcopos post iudicium Romæ habitum.

Accepimus eam vna cum aliis ad Arelatense Concilium spectãtibus, simulq. Acta sub Munatio Felice, repetita sub Zenophilo Proconsule, impartita nobis a Petro Morino Theologo Parisiensi, nobis consuetudine litterarum & probitate morum coniunctissimo, missa Romam a Petro Pithœo Parisiensi clarissimo I. C. de bonis litteris optime merito ad Tristanum Guillemierium Pictauiensem I. C. (quorum omnium meminisse voluimus, vt a viris egregiis egregie ea omnia testata relinquamus) Ad hũc ipsum etiam datũ Indicem legimus a Nicolao Fabro I. C. spectatæ virtutis & eruditionis viro, Pithœi contubernale, de nonnullis Ecclesiasti-
D cæ antiquitatis monumentis nõdum in lucem editis; quorũ cum participes erimus (quod speramus liberalitate optimi viri) ea singula suis locis intexentur, digno inuentoris elogio. Quod vero spectat ad recitatam epistolam Constantini: duo quidem ex ea explorata redduntur; nimirum, absoluto Cæciliano Episcopo Carthaginensi, & detectis fraudibus Donatistarũ schismaticorum, complures resipuisse, & ad Catholicam Ecclesiam reuersos esse: rursumque accusatores illos Cæciliani Episcopos schismaticos contumaciores esse redditos, atque impudentiores, nec veritos (quod & magnopere admiratus est ipse Constantinus) a iudicio Episcoporum appellare ad tribunal Imperatoris.

Quæ autem post hæc sequuta sint, Optatus [a] narrat his verbis: Eodem tẽpore idem Donatus petiit, vt sibi reuerti ad Carthaginem contingeret. Tunc a Filumino suffragatore eius Imperatori suggestum est, vt bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur: et factum est. Tunc duo [a Optat. lib. 1.]
E Episcopi ad Africam missi sunt, Eunomius, & Olympius, vt remotis duobus (nempe Cæciliano, & Maiorino) vnum ordinarent. Venerunt apud Carthaginẽ: fuerunt per dies quadraginta, vt pronunciarent, vbi esset Catholica. hoc seditiosa pars Donati fieri passa non est. De studio partium strepitus quotidiani sunt habiti. Nouissima sententia eorum Episcoporũ Eunomii & Olympii talis legitur, vt dicerẽt illam esse Catholicam, quæ esset in toto Orbe terrarum diffusa: et sententiam decem & nouem Episcoporum iamdudum datam dissolui non posse. Sic communicauerunt Clero Cæciliani, & reuersi sunt. De his rebus habemus volumina Actorum: quod si quis voluerit, in nouissimis partibus legat. Cum hæc fierent, Donatus vltro prior ad Carthaginem redit. Hoc audito Cæcilianus ad suam plebem properauit. Hoc modo iterum renouellatæ sunt partes: constat tamen Donatum tot sententiis esse percussum, & Cæcilianum innocentem totidem sententiis pronunciatum.] hucusque de præsentis anni iudicio Optatus. Ceterum antequàm in Africam redire permitterentur vtriusque partis Episcopi; ad eos conciliandos, si posset, illos vocauit ad se Constantinus, vt eius litteræ significant, quas paulo

paulo post recitabimus. Quæ post hæc Optatus addit de iudicio Ordinatoris, Felicis scilicet A Episcopi Aptungitani, qui Cæcilianum ordinauerat, & a schismaticis est traditionis crimine infamatus, sequenti anno facta noscuntur, deque illis suo loco dicturi sumus.

DE RETENTIONE CAECILIANI BRIXIAE.

Qui autẽ retentionem Cæciliani Brixiæ referunt post Concilium Arelatense, vel iudicium Cõstãtini, omnino errare cõuincuntur. Nam cum ex eodem Optato manifeste demõstretur, post hæc omnia Constantinũ scripsisse ad Procõsulem Africæ Aelianum, vt quæreret de causa Felicis Aptungitani; cumq. ex Actis publicis constet, id factum esse Volusiano & [a] Aniano Coss. nempe anno sequenti: necessario affirmandum est, retentionem Cæciliani Brixiæ, hoc ipso anno, post Romanũ Concilium contigisse, ac post (vt Optatus ait) appellationẽ a Donatistis interpositam. Constantinus igitur, qui absoluta Synodo, & expleto Cæciliani iudicio, Episcopos ad propria redire permiserat; expertus procaciam Donatistarum; ratus, si eos sic dimitteret, furore succensos maiorũ fore discordiarum incentores; ipsos ad tẽpus retinẽdos existimauit: qua de causa has ad eos litteras dedit, cum aliis litteris Cæcilianum etiã accersisset [b]: B

a Aug. contra Donatist. post Collat. c. 33.

b Ex Bibliothec. Petri Pithœi edita in Appẽd. ad Optatũ Parisiis.

Constantinus Augustus Episcopis.

CONSTANTINUS RETINET EPISCOPOS.

Ante paucos quidem dies, iuxta postulatum vestrum, hoc mihi placuerat, vt ad Africam reuerteremini, vt illic omnis causa quæ vobis aduersus Cæcilianũ cõpetere videtur, ab amicis meis, quos elegissem, cognosceretur, atque finem debitum reciperet. Verum diu mihi cogitãti, & in animo meo non immerito voluenti, id potissimum visum est: vt quoniam scio quosdam ex vestris turbulentos satis, & obstinato animo rectum iudicium & integræ veritatis rationem minime respicere, ac per hoc venire forsitan, vt si ibidẽ cognoscatur, non vt condecet & veritatis ratio expostulat, res finem accipiat, atque aliquid tale eueniat nimia vestra obstinatione, quod & diuinitati cælesti displiceat, & existimationi meæ, quam semper illibatam cupio perseuerare, plurimum impediat: placuit mihi (sicut dixi) vt Cæcilianus iuxta prius tractatũ huc C potius veniat, quem credo iuxta litteras meas mox adfuturum. Polliceor autem vobis, quòd si præsente ipso, de vno tãtum crimine vel facinore eius per vosmetipsos aliquid probaueritis; id apud me sit, ac si vniuersa quæ ei intenditis probata esse videantur. Deus omnipotens perpetuam tribuat securitatem.] hactenus ad schismaticos Constantinus. Retento autem Cæciliano Brixiæ, vbi tunc Constantinus agebat, retentisque pariter Donatistis: cum nec sic quidem pientissimus Imperator mutuæ inter eos reconciliationis sequester quidquam, refragantibus illis, efficere potuisset; misit duos Legatos Episcopos Carthaginẽ, quorum Optatus meminit; sed & ipsi re infecta cum recessissent, dimissi sunt, permissique redire in Africam tam Catholici, quàm etiã schismatici Donatistæ, qui mira celeritate Cæciliani anteuerterunt aduentum. hicque tandem finis haud felix rerum tum Romæ, tum apud Constantinũ gestarum.

Verum de his illud admonendum putamus; posteriores Donatistas, maioribus suis longe D deteriores factos, ex hoc Optati textu, in quo fit mẽtio de retentione Cæciliani Brixiæ, vt ait, ob bonum pacis, in magna illa Collatione Carthagine habita conatos esse probare Cæcilianum a Constantino fuisse damnatum. At reddamus hic Augustini [c] verba sic dicentis: Sed hinc repulsi, velut aliquid validissimum prolaturi, petierunt Optatum legi, quod & ante petiuerant, vnde se probaturos dicebant Cæcilianum ab Imperatore damnatum.] lectus est dictus Optati locus vsque ad factam retentionem Cæciliani Brixiæ. In quibus verbis Optati (inquit Augustinus, qui aderat) cum omnino nulla Cæciliani damnatio, sicut illi demonstraturos se esse promiserant, reperiri potuisset: iussit Cognitor totam paginam recitari, vt de superioribus & inferioribus verbis voluntas eius, qui scripserat, nosceretur: et ex Officio recitatum est: Cæcilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronunciatus. Quod cum recitaretur, Donatistæ dixerunt hoc se non petiisse recitari; stomachantes aduersus eos, qui risum tenere non potuerant, cum audissent quàm apertam contra semetipsos paginam protulissent, &c.] aliis quoque publicis monumentis testatam redditam ibi ait Cæciliani tunc factam absolutionem; qui & aliis plerisque in locis hæc ipsa in eosdem, ad redarguendam ipsorum petulantiam, obijcit. E

c Aug in Breuic. Collat. di. 3. ca. 20.

POSTERIORES DONATISTAE DETERIORES.

Sed quid de his postea recentiores Donatistæ? Mira res: cum enim ipsum Melchiadis & Coepiscoporum iudicium de condemnatione Donati & Cæciliani absolutione sic fuerit toto Christiano Orbe vulgatum, & publicis perpetuisq. monumentis consignatum; tamen (quod de hæreticis ad Timotheum scribens testatur Apostolus [d]: Mali homines & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes) eo impudentiæ atque procaciæ peruenerunt sequentis sæculi Donatistæ, vt petulanter iactarent, causam tunc adiudicatam fuisse Donato, Cæcilianum verò tulisse posteriores. Iactarunt istæc illi inter suos, vt eos in officio continerent; re autem in magna Episcoporum Collatione ad iudicium perlata,

d 2. Timoth. 3.

risu

A risu & sibilis digni habiti sunt; cum ex omni monumentorum genere, ac illis etiam, quæ ab ipsis Donatistis producta essent, de absolutione Cæciliani, & Donati damnatione constiterit: quando illi penuria probationis a causa cadentes, Optatum Mileuitanum testem adduxerunt, quòd ille diceret Cæcilianum Brixiæ bono pacis fuisse retentum, affirmantes, Optatum damnationem Cæciliani extenuare voluisse; quæ quidem risu digna explosa penitus sunt, cum & alijs verbis eiusdem auctoris postea additis,& a nobis superius recitatis tam manifeste atque patenter idem Optatus affirmet, Donatum esse damnatum, & Cæcilianum, postquàm retentus est Brixiæ, redijsse Carthaginem absolutum. Hæc autem aduersus eos agens S. Augustinus[a] pluribus tractat, nec non scribens ad Bonifacium[b]: rem vero fusius est prosequutus in epistola ad populum contra eosdem Donatistas[c]: vbi dum recitat cuncta Acta quæ ab illis edebantur publice recensenda, ad demonstrandum Cæcilianum eo iudicio fuisse damna-
B tum, eademque ipsa omnia cõtinuisse manifeste absolutionem Cæciliani, hæc ait: Ab omnibus risi sunt: sed quia risus non potuit ab exceptoribus excipi; verbis suis apud Acta, risos se esse, testati sunt, &c.]

a Augus. post Collat. c. 31.
b Idem epist. 50.
c Aug. epist. 152.

QVID POSTERIORES DONATISTAE IN MELCHIADEM.

Sed & illud his quoque deterius atque impudentius videri potest: quod enim ipsorum maiores, cum se viderent Melchiadis sententia condemnatos, & vsu Catholicæ communicationis exclusos, nedum mutire, sed nec cogitare ausi sunt, posteriores quos diximus, Donatistæ, cum Romani Pontificis sententia damnatos scirent ipsorum auctores, & a Fidelium communicatione proscriptos; vt tantam infamiam & perpetuo inhærentem notam, quoquo possent, obtegerent velamento, Melchiadem ipsum ausi sunt traditionis crimine infamare. Sed cum res in magno illo Episcoporum Conuentu ad iudicium perducta est, quibusnam testificationibus id Donatistæ probare nisi sint, ex ipsis publicis Actis S. Augusti-
C nus[d] recitat: quæ hic describere, haud fiet onerosum: quòd enim maximi momenti res videri possit, ne vel leui suspicioni tanti Pontificis sanctitudo illibata subiaceat, patienter ferat lector, quæ post centum duobus minus annos Donatistæ in Melchiadem proferre ausi sunt, licet paulo prolixiora videantur, audire, hæc nempe:

d Aug. in Breuic. Collat. di. 3. c. 18. & lib. post Collat. c. 13. & cõtra epistolam Parmen. c. 5.

Cognitor interloquutus, fieri potuisse illum Conuentum ab Episcopis, quando & plebes congregatæ probabantur: compulit Donatistas, vt contra Concilium, iudiciumque Melchiadis, quo Cæcilianus purgatus atque absolutus legebatur, si haberent aliquid, dicerent, quoniam illic potius, quàm in illo Cirtensi Concilio causa consisteret. Tunc Donatistæ ipsum Melchiadem cœperunt crimine traditionis arguere, & dicere, maiores suos propterea illius iudicium refugisse, quòd Traditor fuisset: quasi non iam iudicio eius assisterent, & responderent, se in Cæcilianum non habere quod dicerent. Sed tamen facto
D Iudice intento, vtrum de traditionis crimine Melchiadis aliquod iudicium vel publicum, vel Ecclesiasticum proferretur; ipsisque Catholicis, id vt probaretur, expectantibus, & exigentibus; legerunt Donatistæ Gesta quædam prolixissima apud Præfectum, vbi nec Præfectus ipse cuiusmodi esset, apparebat, nec locus legebatur, vbi hæc agebantur. Sed Gesta ipsa multos multa Ecclesiastica tradentes longissima recitatione sonuerunt, vbi nomen Melchiadis omnino non sonuit.

Quibus peractis, cum Cognitor miraretur, aliud promissum, & aliud recitatum: illi adhuc eius patientiam deposcentes, Gesta alia recitarunt: in quibus legebatur Melchiades misisse diaconos cum litteris Maxentij Imperatoris & litteris Præfecti Prætorij ad Præfectum Vrbis, vt ea reciperent, quæ tempore persecutionis ablata memoratus Imperator Christianis iusserat reddi. Et cùm his quoque Gestis nullum Melchiadis crimen & Cognitori & Catholicis
E defensoribus appareret; dixerunt Donatistæ: Stratonem diaconum, quem cum alijs Melchiades ad recipienda loca Ecclesiastica miserat, superioribus Gestis recitatum esse Traditorem. Et ideo volebant etiam Melchiadem crimine traditionis aspergere, quòd diacono illo non degradato vteretur. In prosecutione autem sua dixerunt, Melchiadem tertium Episcopum fuisse ab illo, qui tunc erat, cum traditio illa facta esset.

Hic Cognitor requisiuit; vtrum saltem in illis traditionis Gestis esset expressum, quòd Straton diaconus fuerit: et recitatum est, eum hortatorem vanissimæ superstitionis appellatum, quod non solum ipse, sed etiam ceteri qui tradebant, appellabantur. Sed Donatistæ responderunt, a Gentilibus persecutoribus in contumeliam religionis, & diaconos & presbyteros ita vocitatos. Ergo Catholici responderunt: cum mirum non esset, essetque in rebus humanis vsitatissimum, vt non duo tantum, verum etiam plures homines vno nomine vocarentur: fieri quidem potuisse, vt ille Traditor Straton presbyter fuerit, iste autem alius Straton diaconus: quoniam Donatistæ dixerant, & diaconos & presbyteros hortatores va-

nissimæ superstitionis a Gentilibus appellari (quamquam omnes clericos isto contumelioso nomine Gentiles appellare potuerint, & multo esset incertius, cuius gradus clericus ille Traditor fuerit) verumtamen etiamsi eum diaconum fuisse posset ostendi; neque hoc esse incredibile haud mirum, cum ante paruum tempus in ipsa Vrbe Roma duo Petri diaconi fuerint. A

Illud quoque additum est a Catholicis: quia etsi demonstraretur (quod omnino non demonstrabatur) eumdem Stratonem diaconum tradidisse, quem postea Melchiades ad recipienda loca Ecclesiastica cum alijs diaconis misit: non continuo Melchiadem isto crimine aspergi, quem potuit persecutio longe facere absentem, vt hoc omnino nesciret, eumque innocentem putaret, quem nemo reum accusando monstrarat. Contra hic frustra Donatistæ eadem per eadem diutissime clamauerunt. Post Collationem sane etiam de Cassiano Melchiadi calumniati sunt: quia etiam hoc nomen & in diaconis inuenitur, quos ad Præfectum misit Melchiades, & in illis Gestis, vbi facta traditio recitata est. quod si in Collatione dicerent, facile potuit a Catholicis responderi, in tanta turba Romanorum clericorum nihil mirum fuisse, si duo vel plures non solum Stratones, sed etiam Casiani reperirentur, cum in duodecim Apostolis non solum duo Iudæ, sed etiam duo Iacobi legerentur: nisi forte ipsis licuisset, Cassensem a Donato Carthaginensi distinguere, cum timerent, ne maior auctor ipsorum Donatus Carthaginiensis, damnatus in Melchiadis iudicio putaretur; et Catholicis non liceret, in tanta multitudine clericorum Romanorum habere plures similibus nominibus appellatos. Falsum enim erat, quod Donatistæ dixerant: conuenire personas, conuenire loca, conuenire regiones: quando nec loca, nec regiones, nec ipsæ expressæ personarum dignitates de vtrisque Gestis, sed sola nominum conuenientia legebatur; quam in diuersis personis generis humani consuetudo frequentare non cessat. Spernens itaque Cognitor incertissimas suspiciones, iussit aliquid manifestum contra illa Gesta proferri, &c.] hæc ex Actis publicis Augustinus; quibus addimus, quòd etsi constitisset Stratonem diaconum & Casianum, quos cum alijs ad recipienda loca Melchiades misit, eosdē esse cum illis, qui traditionis arguebantur; nequaquam tamen ob id Melchiades in crimen adduci potuisset, quòd ijsdem diaconis, qui Traditores fuissent, vsus esset: nam cum ex recitatis ab illis Actis constaret, Melchiadem tertiū fuisse ab illo Episcopum, cuius tempore traditio facta erat: vt Straton Traditor in ordine remaneret, non tam Melchiadis, quàm prædecessorum culpæ adscribēdum fuisset. At de his satis. Cetera autē, quæ ad causam Cæciliani spectāt, quę in plures annos producta esse cognoscuntur, quid singulis annis gestū sit, seruato ordine tēporis, narraturi sumus. B C

Hoc eodem anno ad confirmanda indulta a se clericis priuilegia de eorum immunitate, Constantinus eiusmodi rescriptum dedit vltima die mensis Octobris [a]: D

a Cod. Theod. de Episc. & Cler. l. 1. CONSTANTINI RESCRIPTVM PRO CLERICIS.

Hæreticorum factione comperimus Ecclesiæ Catholicæ clericos ita vexari, vt nominationibus, seu susceptionibus aliquibus, quas publicus mos exposcit, contra indulta sibi priuilegia prægrauentur. Ideoque placet, si quem tua grauitas inueneritt ita vexatum, eidem alium subrogari, & deinceps a supradictæ religionis hominibus huiusmodi iniurias prohiberi. Dat. prid. Kal. Nouembris Constantino A. tertium & Licinio III. Coss.] Quænam vero essent eiusmodi nominationes, a quibus clericos Constantinus immunes esse voluit, litteræ Diocletiani & Maximiani declarant his verbis [b]:

b De Decurionibus l. 2. Cod. lib. 10.

Obseruare oportebit magistratus, vt Decurionibus solemniter in curiam conuocatis, nominationem ad certa munera faciant, eamque statim in notitiam eius qui fuerit nominatus per Officialem publicum perferri curent: habituro appellandi, si voluerit, atque agēdi facultatem apud Præsidem causam suam iure consueto: quem si constiterit nominari minime debuisse, sumptum litis eidem a Nominatore restitui oportebit.] hæc ibi. Quod autem de susceptionibus subdit: erant Susceptores, qui annonis & tributis vtriusque ærarij recipiendis præpositi erant. est titulus [c] de Susceptoribus. Vt igitur Deo militantes nequaquam distinerentur negotijs sæcularibus, Constantinus a muneribus ciuilibus clericos immunes esse voluit. E

c Cod. Theod. lib. 12. tit. 6. & Cod. Iustin. lib. 10. tit. 71. MELCHIADIS PAPAE OBITVS.

Huius autem anni in fine, nempe quarto Idus Decembris, Melchiades Papa, cum sedisset annos duos, menses duos, & dies septem; cum extinctam tyrannidem, & nouo fœtu, fide nempe Christiani Imperatoris, Dei Ecclesiam vidisset amplissima gloria illustratam; instar Simeonis illius Euangelici gaudens, Deo spiritum feliciter reddidit. Qui tamen in antiquis Ecclesiasticis monumentis reperitur titulo Martyris consignatus, more maiorum, quòd qui persecutionis tempore perpessus pro Christi fide tormenta, licet superstes in pace quieuerit, martyr appellari eiusmodi consueuerit, secundum ea quæ superius ex S. Cypriano, secundo Annalium Tomo dicta sunt. Cum igitur Melchiades acerbissimorum persecutorum temporibus in fide

perstans

A perſtans Romæ vixerit: idemque in Eccleſiaſticis antiquis precibus inueniatur titulo martyrij decoratus: tale quid (quod latet) ipſum eſſe paſſum, vt martyris nomine dignus fuerit, exiſtimandum eſt: eodemq. ſemel indito titulo perſeueraſſe nomen eius in Eccleſia recenſeri. Quod vero ad tempus ſedis eius ſpectat: ſcimus de annis Melchiadis Papæ diuerſas eſſe ſententias. Verum cum non niſi vnam ordinationem eum feciſſe, ex libro de Romanis Pōtificibus certum ſit, quodq. ſequenti anno Coſſ. Voluſiano & Aniano celebratum appareat Concilium Arelatenſe ſub Siluestro Melchiadis ſucceſſore, & quòd demum conſignata ſit dicta dies Decembris obitu eius: haud fas eſt eius ſedem in ſequentem anni terminum prorogare. In Indicibus Vaticanis, qui habentur in codice, cuius titulus eſt, Concordia canonum, non niſi anni duo, menſes ſeptem, & dies octo Melchiadi tribuuntur. Sed facile accidere potuit, vt loco huius numeri notæ 2. menſium, vitio ſcriptoris, 7. nota paulo diuerſa numeri ſcripta fuerit: nam nu-
B merando a die qua ſedere cœpit, vſque ad obitum quo deſijt, nullo pacto ſeptem menſium numerus ſcribi potuit, ſed duorum tantum; vt de annorum numero, non de menſium, controuerſia ſuboriri potuiſſet.

Quæ autem notata habentur Conſulum nomina in citato nuper libro, vbi dicitur ſediſſe vſque ad Maxentium ſecundò, qui fuit menſe Septembris, Voluſiano & Ruffino Coſſ. deprauata penitus eſſe noſcuntur, vt ex eis elici nihil poſſit: ſed ſuperius hæc attigimus. De eodem ibidem hæc etiam ſcripta reperiuntur: Hic conſtituit, ne vlla ratione die Dominica, aut quinta feria, ieiunium quis fidelium ageret; quia eos dies Pagani, quaſi ſacrum ieiunium, celebrabant. Et Manichæi inuenti ſunt in Vrbe ab eodem. Hic fecit, vt oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi, dirigerentur, quod declaratur fermentum.] hæc ibi. DE FERMENTO ELVCIDANTVR LOCA OBSCVRISSIMA.

Quod dicitur de fermento declarato, res plane obſcuriſſima eſt; nimirum quòd quæ eiuſ-
C modi erat de fermento per Eccleſias mitti ſolito conſuetudo, penitus exoleuerit. Scimus eruditos viros in his elucidandis admodum laboraſſe, & inter alios D. Latinium noſtrum inſignis eruditionis virum: a quibus cum diſſentiamus; quænam ſit ea de re noſtra ſentētia, fuerimus ne id aſſequuti, prudens lector cum intelliget, iudicabit: atque erit fortaſſe, vt his noſtris editis, alij de eadem re ſuas lucubrationes ſint edituri: hocq. etiam ex noſtra induſtria lucraturus ſit lector, vt prouocauerimus alios ad cudenda quæ ſcripſerint, aut alia conſcribenda: ſin minus, ſaltem ipſos ſuo ſilentio huic noſtræ ſententiæ ſuffragari, ſcire poſſit. Vt autem cuncta accuratius diſquirātur; hic primum deſcribere operæpretium exiſtimauimus cetera loca, in quibus de eiuſmodi fermento habetur mentio; ſicq. fiet, vt non vnus de Melchiade locus, ſed cōplura alia ſimul elucidentur, quæ quidem obſcuriora in ſuperius citato loco videntur. Qui igitur in primis occurrit, eſt in libro de Romanis Pontificibus, in Siricio: vbi hæc itidem de fermento
D leguntur: Hic conſtituit, vt nullus presbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod declaratur fermentum.] hęc in Siricio. Sed & Innocentius [a] Papa ad Decentium hæc item de fermento ſcripta habet: De fermento vero, quod die Dominico per Titulos mittimus, ſuperflue nos cōſulere voluiſti: cum omnes eccleſiæ noſtræ intra ciuitatem ſunt * conſtitutæ: quarum presbyteri, quia die ipſo propter plebem ſibi creditam, nobiſcum conuenire non poſſunt; idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, vt ſe a noſtra communione maxime illa die non iudicent ſeparatos: quod per parochias fieri debere, non puto; quia non longe portanda ſunt ſacramenta; nec nos per cœmeteria diuerſa conſtitutis presbyteris deſtinamus; vt & presbyteri eorum conficiendorum ius habeant atque licentiam.] hæc Innocentius. Sed & in antiquo Rituali hæc verba: Quinta Dominica in Quadrageſima, Sabbato, datur fermentum in Conſiſtorio
E Lateranenſi.] hæc ſunt de erogatione fermenti antiquitus fieri ſolita, vetera monumenta.

[a] Innoc. epiſt. 1. c. 5.
* ſunt

Fuiſſe autem eiuſmodi fermentum in Romana Eccleſia ſymbolum vnionis; quæ habet Innocentius, ſatis declarare videntur, dum ait, diuerſarum eccleſiarum presbyteros, quibus pro diſtinctione locorum vniuerſa plebs Chriſtiana commiſſa erat, ab ipſo Pontifice abſente, qua die ſinguli in ſuis eccleſijs Synaxin agerent, per acolythum accipere ſolitos fermentum; quo ſignificaretur, ſe cum illo, eo ſymbolo communicationis accepto, eſſe fide atque charitate coniunctos. Acceptum plane fuiſſe videtur exemplum ab Euangelica illa parabola, qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus dixit [b]: Simile eſt Regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.] Regnum namque Chriſti præſentis temporis illud eſſe definitur, quod communicatione Catholica vnius maſſæ coagmentatione conſtringitur. Fides enim, ſecundum Athanaſij [c] & aliorum ſententiam, per fermentum exprimitur: mulier vero illa, quæ fermentum farinæ tribus ſatis abſcondit, typum gerit Eccleſiæ Catholicæ, cuius opera in Trinitatis confeſſione fideles omnes vna fide iunguntur FERMENTI SYMBOLVM.

[b] Matth. 13.
[c] Athanaſ. lib. quæſt. q. 55.

guntur. Sed quo ritu tam excellentia Catholicæ communicationis symbola peragi consueuerint, ex locis superius recitatis aliqua saltem ex parte consequi licet. Benedici in primis consueuisse fermentum ab ipso Episcopo; quæ superius dicta sunt ex Melchiade, atque Siricio, declarant: apud eos enim idem est consecratio, quod benedictio, & fermentum consecratum, quod benedictum. In hunc ergo modum benedictum fermentum, & ex eo massa coagmentata, panisq. formatus, oblatio dicebatur; quod demonstrant illa verba in Melchiade: Hic fecit, vt oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.] perinde ac si diceret: quod nominatur fermentum. A

DE OBLATIONIBVS RITVS.

Cum igitur eiusmodi fermentum idem esset quod oblatio: quisnam esse soleret eius rei vsus, diligentius est perquirendum; nec aliunde opportunius, quàm ex oblationibus a populo offerri solitis, vel a presbyteris subministrari de proprio, ab ijsdemq. benedici, atque in singulos diuidi, sumi posse videtur. cuius quidem rei antiquus canon [a] Pij Papæ & martyris titulo inscriptus est his verbis: Vt de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & consecrationibus quæ supersunt, vel de panibus, quos deferunt Fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase nitido & conuenienti, vt post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.] hæc canon. Quos ergo siue de populi oblatione, siue de suo presbyter panes benediceret, atque in singulos Fideles erogandos minutatim concideret (vt qui sacratissima Eucharistia minime communicassent, hoc saltem alio communionis signo censerentur esse Fideles) vt eiusmodi panem fermentatum ab Episcopo singulorum Titulorum presbyteri acciperent, a Melchiade fuisse institutum, apparet. Verùm id non tantum Romæ & in Ecclesia Occidentali, sed & in Orientali quoque fuisse seruatum, ex decreto Concilij Laodiceni [b] declarari videtur, quo dicitur: Sanctas oblationes ad vicem Eulogiarum per festiuitatem Paschalem ad alias parochias mitti minime oportere.] idque idcirco puto, quòd ea die nequaquam Eulogijs, sed Eucharistia populus omnis communicare deberet; in ceteris autem anni diebus licenter, præterquam in diebus ieiunij Quadragesimæ, ne occasione Eulogiarum ieiunium frangeretur. quamobrem eadem Synodus [c] hæc inferius: Non oportet in Quadragesima panem offerri, nisi Sabbato, & Dominica tantum.] his namque diebus ieiunare (vt primo Tomo diximus) Orientalibus Christianis nefas erat. B C

a Tom 1. Concil. sub Pio ex Cod. quinque librorũ lib. 2. c. 117.

b Concil. Laod. c. 14. posterioris editionis.

c Ibid. c. 49.

EVLOGIAS SYMBOLVM VNITATIS.

Quòd vero eiusmodi Eulogiarum participatio Symbolum esset Catholicæ communicationis; idcirco in eodem quoque Concilio ijdem sanctissimi Patres inhibuere Fidelibus, ne ab hæreticis eas acciperent, dicentes [d]: Quòd non oporteat ab hæreticis Eulogias accipere; quia sunt maledictiones potius, quàm benedictiones.] eiusmodi generis signasse videtur Eulogias Epiphanius presbyter in Indiculo ad Hormisdam [e] Papam, cum ait: Si hæretici non sunt, quo modo tanta sacramenta confecerunt, vt canistra plena omnibus erogarent, ne imminente (vt dicebant) persecutione, communicare non possent?] Impartiendo igitur aliquem his Eulogijs, idem erat, quod Catholica communicatione dignum esse censere. Est hac de re elegans exemplum in Actis S. Albini Episcopi Andegauensis, his verbis conscriptum: Cum rogaretur, vt Eulogias, quas reliqui Antistites ad personam communione suspensam dirigentes benedixerat, vt & ipse signaret; ait ad sacerdotale Concilium: Etsi ad imperium vestrum ego signare compellor, dum vos causam Dei recusatis defendere: ipse potens est vindicare. Quo facto, antequàm Eulogias excommunicata persona susciperet, expirauit: et priusquàm portitor perueniret, fermo sacerdotis obtinuit: qui etiam ad beatũ Cæsarium Arelatensem Præsulem pro eadem causa consulturus occurrit.] hæc ibi. Ex his igitur omnibus cõstat, nihil aliud fuisse fermentum, quàm fermẽtatum panem benedictum, quo ob communicationis symbolum ab Episcopo impartirẽtur cuncti parochiales presbyteri, qui eumdem sub se cõstitutis Fidelibus distribuerent certis diebus: ipsum vero diuersis nominibus appellatum, nimirum fermentum, ad distinctionem azymi panis, ex quo soleret confici Eucharistia; dictumque esse Sacramentum ob sacræ rei signum, nempe Catholicæ vnionis, sacerdotali benedictione consignatum; ob idque benedictionem itidem, & Eulogias dici consueuisse. D E

d Ibid. c. 32.

e Codic. Vatican. epist. Rom. Pontific. 1.

f Apud Sur. tomo 2. die 1. Mart.

INNOCENTII EPIST. LOCVS ELVCIDATVS.

Quibus omnibus ex superioribus citatis locis satis euidenter demonstratis, atque firmiter stabilitis: reliquum est vt allegatum superius Innocentij locum pariter elucidemus. In eo enim, quod dicit in primis, superflue quæri a Decentio, an extra ciuitatem fermentum mittendum esset: Cum (inquit Innocentius) omnes ecclesiæ nostræ intra ciuitatem sunt* constitutæ] de Titulis tantum intelligit, ad quos, vt ait, fermentum mitti soleret; non quidem quòd non essent in suburbijs aliæ complures ecclesiæ atque Sanctorum Memoriæ, sed nulla prorsus titularis, in quam populus colligi consueuerit; cuius rei causa ait se non mittere fermentum ad presbyteros

* sint

A Presbyteros per diuerſa cœmeteria conſtitutos, quòd illi plebem ſibi ſubditam, quam colligerent, non haberent, ac proinde nullus poſſet vſus eſſe fermenti, quod (vt inquit) ob Catholicæ communicationis ſymbolum confectum eſſet. Qua pariter ratione, quod non ipſe faceret Pontifex, vt ad presbyteros extra Vrbem in cœmeterijs conſtitutos fermentum mitteret, id minus facere deberent presbyteri titulares, vt ad poſitos extra mœnia fermentum mitterent. et hoc eſt quod ſubdit: Quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda ſunt ſacramenta.] Quæ enim inſtituta eſſent, vt Fideles conuenientes ſinguli in ſuas ipſorum eccleſias, diuerſis licet in locis poſitas, eo cõmunicationis ſymbolo eſſe Catholici cenſerentur, nequaquam impertienda forẽt abſentibus; qui eo ipſo, quòd cum ceteris ſtatuto die non conueniſſent, ſe illis reddidiſſent indignos; neque facile, niſi legitima probatá cauſa, vel non ſine pœnitentia, ad communicationem Fidelium in poſterum deberent admitti, vt complures B canones docent, quos breuitatis cauſa recenſere omittimus.

Iam vero certa cauſa declarata, cur eiuſmodi ſymbola Catholicæ vnionis non eſſent longe portanda; amouendus eſt ille ſcrupulus a legentium animis de nomine ſacramenti. cum enim dicat Innocentius: Per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda ſunt ſacramenta:] num de ſacramento ſanctiſsimæ Euchariſtiæ dictum ſit, fortaſſe quis poterit dubitare. Sed etſi ad eiuſmodi dubitationem penitus tollendam, quæ dicta ſunt ſuperius, ſatis eſſe poſſent; nimirum cum demonſtratum eſt, ſacramenti quoque nomine dictas eſſe eiuſmodi Eulogias: tamen ex multis alijs hæc manifeſtiora reddemus. In primis autem ad omnem de hac re ſuſpicionem auferendam: Innocentium per ſacramenta nequaquam Euchariſtiam intellexiſſe, ſatis ſuperque ſufficiet notiſsimum illud adducere; Romam, ac ſimul Occidentalem C omnem Eccleſiam nonniſi in azymo pane conſueuiſſe Euchariſtiam conficere; ac proinde, quod Innocentius fermentum nominat ſacramentum, alterius plane generis illud fuiſſe. Rurſus vero ſi phraſin eiuſdem in dicendo quis attendat; inueniet in eadem ipſa epiſtola frequentiori vſu [a] ab ipſo Euchariſtiam nuncupatam eſſe, Sacra myſteria, quo nomine a Græcis etiam appellari conſueuit. Sæpe itidem eamdem Euchariſtiam ab eo dici [b] Communionem, Sacramentum autem, vt voce generica, ſemel tantum pro Euchariſtia [c] vſurpatum eſſe reperies. Præterea quonam modo legitur in Melchiade, atque Siricio, ab Epiſcopo benedictum fermentum, eſſe Euchariſtiam, eamque ad presbyteros celebraturos mitti, quam ipſi presbyteri celebrando mox confecturi fuiſſent?

a Innoc. epiſt. 1. c. 1. 2. 3.
b Innoc. epiſt. 3. c. 2. 4.
c Idem epiſt. 1. c. 4.

EVLOGIAE DVPLICIS GENERIS.

His igitur tam perſpicue elucidatis; illud quoque, quod ad Eulogias pertinet, dicere non prætermittimus, duplicis generis eas reperiri; nimirũ publicas, eaſdemq. (vt demonſtratũ eſt) D communionis Catholicæ ſigna, de quibus omnis præſens tractatio inſtituta eſt: alias vero priuatas, quas ſcilicet amici inter ſe vltro citroq. dare atque accipere conſueuerunt: cuius quidem antiqui vſus exempla complura ſuppetunt, & inter alia Sancti Paulini [d] Nolani Epiſcopi ad Seuerum ſcribentis, hæcque dicentis: Panem Campanum de cellula noſtra tibi pro Eulogia miſimus.] et ad S. Auguſtinum [e]: Panem vnum, quem vnanimitatis indicio miſimus charitati tuæ, rogamus, accipiendo benedicas.] et ad Alipium [f]: Panem vnum ſanctitati tuæ vnitatis gratia miſimus, in quo etiam Trinitatis ſoliditas continetur: hunc panem Eulogiam eſſe, tu facies dignitate ſumendi.] hæc ipſe, qui plane alluſiſſe videtur ad ea quæ dicta ſunt de myſterio ex parabola Euangelica de fermento abſcondito in farinæ ſatis tribus, quo vnitas fidei in Trinitatis confeſsione habetur expreſſa. Rurſum vero ad Romanianum agit de eiſdem ex pane Eulogijs ad ipſum atque [g] Licentium miſsis. Auguſtinus [h] E & ipſe ad eumdem Paulinum eaſdem quoque mittens Eulogias ait: Panis, quem miſimus, vberior benedictio fiet dilectione accipientis veſtræ benignitatis.] At de Eulogijs hactenus: iam ad reliqua, quæ ſcripta ſunt de Melchiade, redeamus. Hic (inquit auctor) fecit ordinationem vnam per menſem Decembrem, presbyteros ſex, diaconos quinque, Epiſcopos per diuerſa loca vndecim. Hic ſepultus eſt in cœmeterio Calliſti via Appia, quarto Idus Decembris: et ceſſauit Epiſcopatus eius dies decem & ſeptem.] hæc ibi. Verum longiore tempore ſedem vacaſſe, dicere opus eſt: nam in eodem commentario ponitur ingreſſus Silueſtri Kalendis Februarij, anno ſequenti, ſub Conſulatu Voluſiani.

d Paulin. epiſt. 1 in fine.
e Apud Auguſt. epiſt. 31. in fine.
f Apud eumdem epiſt. 35.
g Apud eumdem epiſt. 36.
h Aug. epiſt. 34.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 314. | SILVESTRI PAP. ANNVS 1. | CONSTANTINI IMP. ANNVS 9.

SILVESTER PAPA CREATVR.

Christi anno trecentesimo decimoquarto, Volusiano & Aniano Coss. Kalẽdis Februarij, Siluester Romanus, Ruffini filius, ex presbytero subrogatus in locum Melchiadis sedere cœpit. Quæ autem ab eo gesta sint in Pontificatu, pro temporis ratione, certis annis, quibus facta esse noscuntur, dicturi sumus; et de tempore, quot annis sederit, in eius obitu agemus. Porro toto cælo (quod aiunt) errare constat eos, qui ingressum Siluestri ponunt anno septimo, vel (vt habet deprauate Eusebij Chronicon) anno quinto Imperij Constantini: ex his enim, quæ ex Optato, Augustino, ipsoq. Eusebio, & Actis Ecclesiasticis & Proconsularibus sunt recitata, ea luce clara erroris apertissimi arguuntur. B

Hoc eodem anno Maximinus Imperator aduersus Licinum bello agens superatur, compelliturq. vrgente numine in deorum cultores vlcisci, & Christi gloriam prædicare: hæc vero omnia quo modo se habuerint, Eusebius [a] in primis narrat his verbis: Eius autem rei eiusmodi causa fuit. Cum magnitudinem Imperij ei non pro dignitate (indignissimus enim erat) commissi, amplius recte ferre non posset; sed propter vacuitatem modestiæ, Imperatoris animum mire exornantis, inepte res suscipere aggressus fuisset, & omni insolenti arrogantię ostentatione animum temere & inconsiderate extulisset; iam contra Imperij consortes, qui ipsi omnibus rebus, vt genere, eruditione, dignitate, prudentia, & (quod est caput omnium) moderatione animi, sinceraq. in verum Deum pietate præstabant, confidenti mente facinus audax instituit: ac se summum honoris gradum inter eos tenere prædicauit; atque adeo ad tantam tamq. insanam processit dementiam, vt amicitiæ fœdere, quod pactus fuisset cum Licinio, rupto, violatoque, bellum crudele contra ius fasq. omne excitaretur. Tum exiguo temporis momento omnia seditione permiscere, omnes ciuitates perturbare cœpit; exercitum ex hominibus multitudine infinitis cogere, acie contra Licinium instructa ad dimicandum exire; dæmonum fiducia, quos ipse deos putabat, constanter niti, & innumerabilibus armatorum copijs arroganter se iactitare. At cum ad manus ventum esset, clementi Dei obtutu fuit & prouidentia prorsus destitutus, victoriaq. ex ipso vno & solo omnium Deo Licinio donata. C

a Euseb. lib. 9. c. 8.

MAXIMINVS QVID IN LICINIVM.

Primum ergo turba illa armatorum, qua tantopere confisus fuerat, misere perijt. Et vbi satellites eum nudatum desertumq. reliquerant, & ad Licinium victorem se contulerant; infelix ille regium apparatum ipsi certe parum decorum & consentaneum quàm celerrime exuit; animoq. timido, abiecto, effeminatoq. in plebeiorum multitudinem clanculum irrepsit: deinde fugam cepit, & ruri inter vicos se abdidit: atque dum ad hunc modum vitæ suæ saluti & incolumitati prospiciebat, ægre hostium manus euitauit. In quo plane diuina oracula certa veraq. reipsa demonstrauit, in quibus dictum est [b]: Non saluabitur Rex per multam virtutem suam, & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur. Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius, vt eruat a morte animas eorum. Sic igitur Tyrannus totus ignominia & dedecore perfusus, vbi in sui Imperij partes regressus fuit, primum furiosa bile inflammatus multos prophetas & sacerdotes deorum, quos iampridem ipse in summa habuerat admiratione, & quorum oraculis impulsus bellum susceperat, tamquam præstigiatores, veteratores, denique salutis ipsius proditores trucidat. Deinde Christianorum Deo gloriam tribuens, legem pro eorum libertate accuratissime plenissimeq. constituit, & extemplo letali angore excruciatus, absque vlla temporis dilatione, decessit e vita. Lex autem eius subiectis pro Christianis promulgata talis fuit: D E

b Psal. 32.

MAXIMINVS QVID IN DEORVM SACRIFICOS.

Imperator Cæsar Caius Valerius Maximinus Germanicus, Sarmaticus, Pius, Fortunatus, Inuictus Augustus suis S.

MAXIMINI EDICTVM PRO CHRISTIANIS.

Prouincialium nostrorum vtilitati assidue & sine intermissione consulere nos omni ratione decet, atque ea illis libenter velle præstare, quibus eorum omnium emolumenta rectissime constituantur, & quæ videantur ad commune eorum adiumentum & commodum vel maxime pertinere: ac quæ Reipublicæ præsidio conueniant, quæq. cuiusque menti & cogitationi grata sint, neminem ignorare: immo vero quoque ad illud libenter se transferre, & velut animo recurrere, & singulos homines hoc intelligere, hoc intra se complecti, minime obscurum esse putamus. Cum igitur ante hoc tempus, ex eo quòd patres nostri diuinissimi Diocletianus & Maximianus mandauerant, vt Christiani a cõuentibus agendis prohiberentur; multos

A tur; multos tumultus, multasq. direptiones a publicis magistratuum ministris fieri; et postea idem malum ad prouincialium nostrorum molestiam (quorum quieti cum primis prouidere laboramus) longius manare, eorumq. facultates dissipari & conteri perspicue intelligeremus; litteris anno præterlapso ad Præfectos cuiusque prouinciæ datis decreuimus, sanciuimusque, vt si quis in animo haberet, talem vitæ consuetudinem, aut religionis illius obseruationē consectari, hunc libere & absque impedimento suæ ipsius sententiæ & instituto posse adhærescere, & a nemine omnino impediri prohiberique; et illis facilem potestatem fieri, vt absque metu aliquo, aut suspicione, quod cuique visum esset, id quisque transigeret.

Verum iam nos minime præterit, Iudices nonnullos nostra mandata pro nihilo putasse, effecisseq. vt & nostri homines non modo de nostris edictis vehementer dubitent; verum etiam religionis institutis, quæ ipsis maxime placere videntur, præ metu lentius ac tardius se accom-
B modent. Quare vt deinceps omnis causa dubitationis & timoris sublata sit: hoc edictum diuulgari statuimus, quo omnibus plane constet, ex hac nostra donatione liberam esse potestatem illis, qui istam sectam & religionem sequi voluerint, eam pro arbitratu sancte (vt eorum mos fert) & auguste excolendi. Quin etiam vt Dominica, & sacras ædes reficiant, a nobis concessum est. Et quo nostra donatio liberalior & munificentior fiat: hoc etiam promulgandum censuimus, vt si quæ ædes, aut agri Christianorum iuris antehac extiterint, qui ex patrum nostrorum mandato in ius Fisci relati sunt, siue ex aliqua ciuitate occupati, siue abalienati per venditionem, siue pro munere alicui donati; hi omnes ad antiquum Christianorum ius restituantur; hocque mandauimus, vti nostram pietatem atque prouidentiam inde omnes satis dilucide animaduertant.

Istæ sunt ipsius Tyranni voces, quas non anno integro post edicta contra Christianos co-
C lumnis ab ipso proposita, litteris mandandas curauit.] hucusque Eusebius: apud quem in nota temporis errorem inesse, certum est: cum inter se pugnent, quod dicitur primum in edicto nuper recitato, anno præterlapso iam Maximinum pro Christianis dedisse ad Sabinum recitatas superius litteras; postea vero, nondum exactum dicat annum ab edicto eius contra Christianos prolato, quod ante litteras ad Sabinum datum constat. Sed subdit post hæc Eusebius: At cui paulo ante, nos quidem impij, Dei osores, & totius mundi pernicies videbamur, vsque adeo, vt nec ciuitatem, nec agrum, nec solitudinem, aut locum desertum incolere nobis permissum esset; ab eodem iam decreta & leges pro nostra libertate conscripta sunt. Item qui non pridem, igne, ferro, bestiarum & volucrum laniatu ante oculos Tyranni absumpti erant, & quoduis genus pœnæ, supplicij, & discessionis e vita, miserandum in modum tamquam nequam & scelesti homines perpessi; hi iam ab eodem cum creduntur veram piamq. religionem
D colere, tum Dominica resarcire permittuntur: et iura quædam ad eos spectare, idem Tyrannus testatur, ac concedit. Atque eiusmodi palam confessus, aliquo saltem potiebatur beneficio; propterea quòd minus, quàm pati oportuerat, passus est: qui quidem repentina Dei percussus plaga, in secunda belli conflictatione occubuit.

Ac talis vitæ exitus illi contigit, non qualis ducibus bellicosis, qui pro virtute, proq. amicis & familiaribus in prælio fortiter se gerentes, fidenti animo gloriosam mortem subierunt: quandoquidem ille, vtpote impius & Dei aduersarius, dum ipsius exercitus passim iam in campo instructa acie versabatur; domi ipse moratus, & intra parietes se occultans, inopinato Dei flagello corpore toto perculsus fuit, debitumq. pro sceleribus luit supplicium; sic vt grauibus dolorum stimulis, & acerbo cruciatus morsu agitatus, famisq. confectus diritate, pronus in terram rueret. Eius vero caro vniuersa, ardore cælitus inuecto & haud aspectabili, contabuit;
E adeo vt ea pedetētim exesa, absumptaque, tota pristinæ formæ effigies tandem penitus deleretur, & tamquam simulacrum quoddam ossium exiccatorum longinquitate temporis exhaustum attenuatumq. illi solum relinqueretur: sic vt qui præsto aderant, eius corpus nihil aliud esse existimarent, quàm sepulchrum animæ, quę in eo quasi in cadauere penitus putrefacto defodiebatur. Et cum æstus adhuc vehementius cum ex intimis medullis inflammasset, ei exilierunt oculi, & e propria sede, in qua conquieuerant elapsi, ipsum cæcum omnino reliquerunt: deinceps ægre spiritum ducens, Domino confitetur, mortemq. inuocat: ad extremum ista propter amentiam & temeritatē contra Christum admissam, merito se perpeti confessus, animam efflat.] hucusque de exitu Maximini Eusebius. Apud Tarsum eum obijsse diem, [a] Zosimus atque Eutropius testantur.

OBITVS MAXIMINI MISERANDVS.

[a] Zosim. lib. 2. Eutrop. lib. 10.

At post hæc subdit Eusebius [b]: Sic ergo cum Maximinus, qui ex reliquis omnibus pietatis hostibus pessimus plane fuit, e medio sublatus esset: ecclesiæ, gratia Dei omnipotentis, ab ipsis fundamentis denuo ædificatæ, erectæq. fuerunt: et non solum verbum Christi suum splendorem

[b] Eusеb. lib. 9. c. 9.

doremad gloriam Dei rerum omnium moderatoris longe lateq. profudit, maioremque, quàm antea recuperauit libertatem: verum etiam impij & nefarij pietatis hostes turpi dedecore & maxima ignominia affecti sunt. Nam primum Maximinus ille ab ipsis Imperatoribus omnium hostis infestissimus prædicatus est, & per edicta publica Tyrannus scelere & impietate plane perditissimus, infamia turpissimus, Dei maximus osor perspicue notatus. Ex tabulis etiam & inscriptionibus, quæ erant in ipsius & liberorum suorum honorem in singulis ciuitatibus collocatæ, aliæ e sublimi in solum deiectæ conteruntur; aliæ tamquam vultu ipso & exteriore effigie deleta, deformi & tenebricoso colore obliterantur. Statuæ etiam, quæ ad eius venerationem & amplitudinem erigebantur, simili ratione deturbatæ confringuntur; et ijs qui in eas probra intorquere & contumeliose insultare voluerunt, risui & ludibrio exponuntur.] his quæ scribit Eusebius cõsentientia habet S.Gregorius Nazianzenus [a] in Iulianum, hæc dicens: Nec denique Maximinus, qui vtroque posterior, ac superior fuit persecutor, cuius signa plagæ ob eam rem acceptæ imagines & statuæ ferunt, publice adhuc prostantes, fœdamq. corporis mutilationem sempiterna infamia notantes, in animum vmquam induxerunt.] hæc Gregorius. Quòd vero ait Eusebius, Maximini quæ extabant inscriptiones fuisse tenebricoso colore obliteratas; meminisse debemus, quod Lampridius in Heliogabalo scribit, moris fuisse, tyrannorum titulos luto tegere. Sed prosequamur Eusebium hæc de eius familiaribus subijcientem: Deinde alijs, qui pietatis in Deum inimici erant, omnes honores, omnia splendoris insignia prorsus adimuntur. Vniuersi porro, qui videbantur Maximini partes defendere, qui præcipuis dignitatis ornamentis ab eo honorati erant, quiq. quo illi magis blandirentur, in nostram religionem proterue & petulanter impetum fecerant, interfecti sunt; vt Peucetius, qui præter ceteros apud eum in summo honore, summaq. reuerentia habebatur, & inter amicos illius carissimus erat, iterum & tertio Consul factus, generalisq. omnium rationum in eius Imperio referendarum Præfectus ab eo constitutus, vt Cultianus, qui eodem modo per omnes honoris gradus præteruectus est, infinitaque cæde Christianorum, qui erant in Aegypto, insigniter nobilitatus; vt alij non pauci, quorum conatu fines tyrannidis Maximini & roborati & propagati dicuntur.

a Greg. Nazian. Orat. 1. in Iulian.

MINISTRI PERSECVTORES DANT POENAS.

Theotecnum porro vltio diuina, quæ in obliuionem scelerum eius contra Christianos editorum neutiquam venerat, ad eumdem numerum adiunxit; nam quamquam propter statuam, quam Antiochiæ erexerat, putabat se rem prospere gesturum, & iam Præfectura a Maximino donatus erat; tamen Licinius cum Antiochiam aduentasset, & de præstigiatoribus habuisset quæstionem, & prophetas ac sacerdotes statuæ nuper fabricatæ consecratos verberibus grauiter cecidisset; et qua ratione, quibusve simulationis inuolucris illas fraudulentas præstigias obtexissent, sciscitatus esset: vsque adeo vt ipsi præ tormentorum cruciatu nullo modo amplius celare possent, totumq. mysterium aperuissent, & fallaciam illam Theotecni machinatam prodidissent: quo debitum omnibus supplicium irrogaret: primum ipsum Theotecnum, deinde reliquos præstigiarum socios post multas plagas ipsis inflictas morte mulctauit. Istis omnibus adiecti fuerunt Maximini liberi, quos iam ipse tam honoris regij, quàm inscriptionum in tabulis ac picturis insculptarum participes effecerat. Quin etiam huius Tyranni cognati & familiares, qui ante tam insolenter gloriati erant, seq. omnes homines suæ ditioni subiecisse iactitarent, eadem supplicia cum his, quos commemorauimus, summa cum ignominia & turpitudine sustinuerunt. Siquidem disciplinam non exceperant, non norant, neque intellexerant Sacrarum litterarum admonitionem, quæ sic loquitur: Nolite [b] sperare in Principibus, neque in filijs hominum, in quibus non est salus: Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in die illa peribunt omnes cogitationes eorum. Sic igitur impiorum sordibus expurgatis, præclara Imperij gubernacula, firma, stabilia, omnis inuidiæ expertia solis Constantino & Licinio iure remanserunt: qui quidem simulatque infestos Dei aduersarios initio regni ex hominum vita exemerant, & Deum suarum rerum prospere gestarum auctorem lubentibus animis agnouerant; cum studium virtutis & pietatis, tum verum cultum & gratiarum actionem, quæ Deo se debere intelligebant, per leges & decreta pro Christianis sancita manifesto declararunt.] hucusque Eusebius: qui & veram pietatem Licinio quoque, perinde ac Constantino, tribuere videtur, sicut & in oratione Panegyrica [c] habita Tyri in dedicatione ecclesiæ, vbi ait:

b Psal. 145.

c Apud Euseb. lib. 10. c. 4.

Iam (quod quidem non alias) summi Imperatores, honorem, quem sunt a Deo consequuti, plane sentientes, in detestabiles mortuorum idolorum vultus ac effigies exspuant, profanos dæmonum cultus proterant, veterem errorem a patribus ductum irrideant; vnum solum Deum communem cum omnium, tum ipsorum patronum agnoscant; Christum Dei filium summum vniuersorum Regem fateantur, eum Saluatorẽ inscriptionibus in columnis incisis pronunciẽt, & præclara

A & præclara eius facinora, victoriasq. cõtra impios partas litteris maiuſculis ad perpetuam memoriã in tabulis media in Vrbe, quæ totius terrarum Orbis regina eſt, collocatis, ſcite deſcribẽdas curarint; adeo vt ex omnibus, qui a primo æuo extiterint, ſolus Ieſus Chriſtus Saluator noſter, ab Imperatoribus, qui ſummum in terris principatum obtinent, non tamquam Rex ab hominibus de more conſtitutus eſſe cõcedatur, ſed vt ingenuus Dei omnipotentis Filius & Deus ipſe vniuerſitatis moderator ſumma veneratione dignetur.] hæc ipſe.

Teſtatur idem Euſebius de Maximino, molitũ eſſe inſidias Conſtantino, ſed ipſum diuinitus admonitum periculũ anteuertiſſe: nam ait [a]: Quo morte extincto, alij generis cõmunione cum eo iuncti, qui clandeſtinas Conſtantino ſubdole & veteratorie ſtruebant inſidias, itidẽ prehenſi ſunt; idq. Dei clementia, qui eorũ omnium conſilia mirandum in modum famulo ſuo per viſiones quaſdam patefecit: nam illum ſæpenumero diuino ſuo dignauit aſpectu, perq. diuinam vi- QVID IN CONSTANTINVM MAXIMINVS. a Euſeb. de Vita Conſtantin. lib. 1. c. 40.
B ſionem ei res, quæ ſupra hominem putandæ ſunt, oſtendit, & varias prænotiones rerũ ſuggeſſit futurarum. Miracula vero per Dei gratiam illi oſtentata nec dicendo quidem exprimi poſſunt, neque oratione præterea quiſquã ea ſubſidia complecti valet, quæ Deus ſeruo ſuo ſuppeditare dignatus fit: quibus firme ſeptus, reliquum vitæ curſum tuto & tranquille traduxit, beneuolentia ſubiectorũ eſt in primis lætatus; lætatus etiam, cum omnes ipſius ditioni parentes vitam pacatam & tranquillam degere cerneret; lætatus denique maxime, cum Dei Eccleſias gaudio & lætitia frui videret.] hæc Euſebius ibi: idemq. alibi [b] de immenſa Fidelium populorum lætitia agit, illorum inquam, qui tot annorum ſæuiſſimas perſecutiones, quibus tam ingens Chriſtianorum numerus, tot tantiſq. generibus tormentorum exagitatus fuiſſet, memoria recolerent, & tam inſperatam rerum in contrariam partem mutationem inopinato conſpicerent, Dei laudibus vbique exultarent; qui & de ſe ipſo hæc lætitia geſtiens ſcribit: b Euſeb. lib. 10. c. 1. CHRISTIANORVM DE PACE RESTITVTA LAETITIA.
C Merito igitur hoc loco in numero perfecto perfectam & abſolutam Panegyricam orationem ad Dei gloriam illuſtrandã, cuius auxilio eccleſię denuo ædificatæ ſunt, accurate contexemus: idq. diuino Spiritui obſequuti, hoc fere pacto nos cohortãti [c]: Cantate Domino canticũ nouũ, quia mirabilia fecit: ſaluauit ſibi dextera eius, & brachiũ ſanctum eius. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: in conſpectu gentiũ reuelauit iuſtitiam ſuã. Idcirco ſacroſancto Dei eloquio hoc nobis canticum recolendum præcipienti, hoc noſtro ſermone concinne plaudamus: idq. propterea, quòd poſt acerbas triſteſq. illas ęrumnas partim ſub oculorũ aſpectũ, partim ſub audiẽdi ſenſum ſubiectas, tales res in præſentia cernere, tales etiã laude & præconio efferre, per Dei gratiã poterimus, quales ante noſtra tẽpora multi reuera iuſti & ſancti Dei martyres cupierunt in terra videre, & non viderunt, audire, & non audierunt. Verum hi quàm celerrimo curſu ſublati ad ſuperos, res multo præſtabiliores ſunt conſequuti, & in ipſo cælo & paradiſo diuinis de- c Pſal. 97.
D licijs perfruuntur. Nos autem hæc beneficia maiora, quàm noſtræ vitæ conditio fert, confitentes; ſicut egregiam Dei eorumdem auctoris magnificentiam obſtupeſcimus, ſic illum optimo iure totius animæ viribus colentes, ſumme celebramus, & ſacras Prophetæ prædictiones ſcriptis proditas veras eſſe teſtificamur, in quibus dicitur [d]: Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferens bella vſque ad extremum terræ: arcũ conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni. Pro quibus adeo euidenter in nobis expletis magnopere lætemur, & deinceps ad ea quæ ſequuntur, pergamus. d Pſal. 45.

Vniuerſum impiorum genus eo modo, qui ſupra eſt demonſtratus, deletum & extinctũ eſt, & ex hominum conſpectu ſubito ita euanuit, vt aliud Dei oraculũ videatur ad exitum perueniſſe, quod ſic loquitur [e]: Vidi impium ſuperexaltatũ, & eleuatum ſicut cedros Libani: et tranſiui, & ecce non erat: et quæſiui, & non eſt inuentus locus eius. Dies iam de cetero ſerena ſplendida, e Pſal. 37.
E quam nulla nubes ſua opacat vmbra, claris cæleſtis luminis radijs, Eccleſijs Chriſti per vniuerſum Orbem effulſit. Neque Gentilibus hunc noſtrum inſignem triumphum Deus inuidit, ſed eos ex æquo nobiſcum omnium bonorum, quæ nobis cælitus demiſiſſet, benignusq. ſuppeditaſſet, effecit participes. Vniuerſum igitur humanum genus graui tyrannorum oppreſſione liberatum eſt: atque vt alij prioribus malis, quibus conflictati erant, alia ratione piorum propugnatorem, ſolum verum Deum eſſe, ingenue confeſſi ſunt; ſic nos in primis, qui ſpem in Chriſto Dei fixam habebamus, incredibilem lætitiam animo percepimus.

Quin etiã omnium noſtrũ mentes diuino quodã & cæleſti gaudio triumpharunt, dum ſingula loca tyrannorũ ſcelere & impietate paulo ante diruta, tãquam poſt diuturnam & mortiferã vaſtitatẽ, iam quodammodo reuiuiſcere, & tẽpla ſolo æquata ab ipſis fundamentis denuo ad immenſam altitudinẽ erigi, & multo maiore ſplendore atque amplitudine, quàm illa quæ dudum euerſa erant, illuſtrari videbamus. Imperatores itẽ ipſi, qui ſummam rerũ obtinebant, ratis legibus pro Chriſtianis ſancitis Dei in nos munificentiæ permagnã quaſi acceſſionẽ adiunxerunt. Imperatoris enim Conſtãtini litteræ ad Epiſcopos ſunt miſſæ, quibus & honores fuere illis de-

lati,& donata pecunia:quarũ litterarum voces Latino sermone,non a ratione alienum erit,vbi opportunum tempus de illis disserendi se offeret, in hoc libro, tamquam in illustri quadam tabula describere,quò immortali memorię ad omnem posteritatem omnino commendentur.] hæc ipse. sed eas nos certis annis, quibus datæ fuisse visæ sunt, collocauimus. A

ECCLESIAE CVM DISCIPLINA ECCLESIASTICA RESTITVTAE. Persecutione itaque,vt enarratũ est,vbique & omni ex parte sublata, incredibile plane dictu est,quanta celeritate, dirutæ olim ecclesiæ sint ampliori ambitu refectæ, quàm etiã frequentissimo cœtu Deo mox fuerint dedicatæ, sacri ritus antiqua Ecclesiastica disciplina in eis diligentissime restituta. De his enim agens Eusebius[a], hæc addit. Deinceps celebre spectaculum, nobis omnibus optabile & vehementer desideratũ ante omniũ oculos proponebatur, dedicationũ scilicet festiuitates per vrbes singulas,templorum nuper exędificatorum consecrationes, frequẽtes Episcoporum in vnũ Conuentus, peregrinorũ longe ab exteris regionibus accedentium cõcursus,mutuæ populi in populum beneuolentiæ:propterea quòd mẽbra corporis Christi in vnam quasi harmoniæ & concentùs conspirationem coibant.Quapropter apte admodum & conuenienter oraculo prophetico[b], quod futurũ erat,mystice præsignãti, os ad os, iunctura ad iuncturã coalescebat; et alia eius generis,quæ diuinus sermo per obscura quædã & inuoluta ænigmata deinceps vere præfatus est in eamdem sententiam. Vna erat sancti Spiritus virtus & potentia,quæ per vniuersa Ecclesiæ membra permeauit:vna omnium mens & sententia; vna & eadem fidei propensio ac studium; vna ex omnium ore consentiens diuinitatis laus: perfectus etiam in summis Ecclesiæ Præfectis cultus & obseruantia:accurata sacrorum mysteriorum administratio; decori Ecclesiæ ritus, interdum psalmorum cantu,& ceteris hymnorum diuinitus nobis traditorum recitationibus, nonnumquam diuinis & mysticis ministerijs exequẽdis celebrati: erãt item arcana passionis Saluatoris symbola: cuiusque itẽ ætatis genus, cuiusque sexus multitudo,vt maris & feminæ totis cogitationis viribus,læta mente, alacri animo per preces & gratiarum actiones Deum bonorũ omnium auctorem venerati sunt. Singuli etiã Ecclesiarum Præsides, qui in Conuentibus aderant, singulas orationes Panegyricas habuerunt; et vt vis & facultas dicendi suppeditabat cuique,sic quisque eam celebritatem prędicauit.] Recitat ibidẽ Eusebius elegantissimam orationem tunc temporis in dedicatione ecclesiæ Tyri a Paulino Episcopo excitatæ coram Episcoporum Conuentu & frequenti populo habitã;quam,ne nimia prolixitate fatigemus lectorem,hic describere prætermittimus,eo ipsum amandantes,qui cùm eloquentiæ studio,tum rerũ antiquarum cupiditate tenetur: ex ea enim intelliget, ecclesiarum structuras haud perfunctorie absque spiritali intelligentia, sed summo religionis studio cõsueuisse a maioribus erigi; nempe, vt quælibet structuræ pars quid mysticum præsignaret; vsque adeo, vt ipsi etiam throni atque subsellia, ipsæq. templi fenestræ diuinum aliquid repræsentarent,locis in eis pro cuiusque ordinis dignitate dispositis,& egregie concinnatis. At de his primo Annalium Tomo,vbi de Ecclesiasticis traditionibus actum est,tractasse satis sit.

a Euseb.lib.10. c.3.

b Ezech.37.

B C D

DONATISTAE ITERVM VRGENT CAECILIANVM. His in hunc modum de felicissimo & tranquillissimo statu Orientalis Ecclesiæ enarratis;iam ad ea quæ tum in Africa,tum alibi in causa Donatistarũ acta sunt,orationem cõuertamus. Meminisse debemus in primis,Constantinum Imperatorẽ appellantes Donatistas a sentẽtia lata in Romano Concilio,qua Donatus dãnatus,& Cæcilianus fuerat absolutus,vehementer esse detestatũ; impudensq. nimis illi visum tãto iudicio non acquiescere,& more sæculariũ hominum eos ad sæcularem Principẽ prouocasse.Quod vero videret procacissimos homines nullo pacto cõpositis per Synodũ rebus assentiri velle, sed magis magisq. furere, grassari,turbas ciere, totumq. Africanæ Ecclesiæ statum, sus deq. inuertere: quo nulla illis penitus excusatio de iusto iudicio reliqua esse posset,nouum illis decernit iudicium, nimirum Concilium plurimorũ Episcoporum Arelate in Gallijs,vbi ipse agebat,legitime celebrandũ. Verum ante illud,quo cuncta liquida redderẽtur,mandat Procõsuli Africæ causam cognoscere Felicis Episcopi Aptungitani,quem Cæciliani Ordinatorem, fuisse sacrorum librorum traditorem,Donatistæ fuerant calumniati.hæc autem in Africa Carthagine acta esse hoc anno,post menses quatuor a iudicio Romæ habito anno præterito sub Melchiade, ex Actis publicis S. Augustinus[c] testatur, sic dicens: Melchiades iudicauit, Constantino tertiùm & Licinio iterum * Coss. sexto Nonas Octobris: Aelianus Proconsul causam Felicis audiuit, Volusiano & Aniano Coss. quintodecimo Kalendas Martias, id est post menses ferme quatuor] hoc scilicet anno. ex quibus emendandum est,quod in Actis Felicis(quæ extãt nouissime Parisijs edita in Appẽdice ad Optatum)habetur,eiusmodi iudicium sub Aeliano Proconsule actum esse dictis Consulibus, XIII. Kal. Septembris. Sunt & alia in eis complura(vt in antiquis accidere solet) quæ deprauata esse noscũtur, atque mendosa satis: quamobrem consultius existimauimus, eadem hic cum ex Optato, tum ex Augustino describere, & cum opus fuerit, aliqua ex ijsdem Actis intexere. Quid igitur hoc anno in causa Felicis per Aelianum Proconsulem gestum sit, Optatus[d] significat dicens:

E

c Aug. post Collat.c.33.& epist. 152.

* tertiò

d Optat.contra Parmen. lib.1.

Sed

A Sed quia in ipsa causa iamdudum in Catholica duorum videbantur laborare personæ, & Ordinati, & Ordinatoris:postquàm Ordinatus in Vrbe purgatus est,purgandus adhuc remanserat Ordinator. Tunc Constantinus ad Aelianum Proconsulem scripsit, vt remotis necessitatibus publicis, de vita Felicis Autungitani * publice quæreretur. Inducti sunt Claudius Saturianus Curator Reipublicæ, qui fuit tempore persecutionis in ciuitate Felicis & Curator præsentis tunc temporis, quando causa flagitabatur, Callidius Gratianus, & Magistratus Alfius Cæcilianus, sed & Superstationarius perductus, & Ingentius Scriba publicus pependit sub metu imminentium tormentorum. Responsis omnium nihil tale inuentum est, quod vitam Felicis Episcopi sordidare potuisset. Habentur volumina Actorum, in quibus continentur præsentium nomina, qui fuerant in causa, Claudij Saturiani Curatoris,& Cæciliani Magistratus, & Superstationarij, & Scribæ Ingentij, & Solonis Officialis publici ipsius temporis. Post quorum responsa a supramemorato Proconsule hæc pars sententiæ dicta est: Felicem autem
B religiosum Episcopum liberum esse ab exustione Instrumentorum deificorum, manifestum est: cum nemo in eum aliquid probare potuerit, quòd religiosissimas scripturas tradiderit, vel exusserit. Omnium enim interrogatio suprascripta manifesta est, nullas scripturas deificas vel inuentas, vel corruptas, vel incensas fuisse. Hoc Actis continetur, quòd Felix Episcopus religiosus, illis temporibus, neque præsens fuerit, neque conscientiam accommodauerit, neque aliquid tale fieri iusserit.] hucusque verba sententiæ ex dictis Actis ab Optato descripta: ac post hæc ibi:Agesilaus dixit: De his qui ad potestatem vestram instruendam venerunt,quid iubet Potestas tua? Aelianus Proconsul dixit: Reuertantur ad sedes suas.] subdit Optatus: Vnde pulsa atque extersa infamia, cum ingenti laude illo iudicio recessit. Iamdudum opinionis incertæ, & inter caligines, quas liuor & inuidia exhalauerant, latere veritas videbatur.]
C hucusque Optatus de causa Felicis Ordinatoris Cæciliani: sed breuitati studens, nonnulla omisit, quæ ex diuersis Augustini locis sunt exquirenda.

CAVSA FELICIS EPISCOPI.

* Aptungitani

Ac primum illud: quòd in hac causæ cognitione Ingentius Scriba confessus est, se contra Felicem falsasse epistolam Cæciliani; eiusq. rei veritatem esse confessum metu tormentorum (Optatus nãque scribit, Ingentium Scribam publicum pependisse sub metu imminentium tormentorum) non autem tortus fuit, eo quòd diceret se esse Decurionem; licet in dictis Actis perperam legatur,loco, Decurionem,Dei cultorem, cum ibi hæc interloquutus fuisse Proconsul legitur: Aelianus Proconsul dixit: Constantinus Maximus semper Augustus, & Licinius Cæsar ita pietatem Christianis exhibere dignantur, vt disciplinam corrumpi nolint, sed potius obseruari religionem istam & còli velint. Noli itaque tibi blandiri, quòd cum mihi dicas, Dei cultorem te esse, ac propterea non possis torqueri. Torqueris, ne mentiaris,quod alienũ Chri-
D stianis esse videtur: et ideo dic simpliciter,ne torquearis.] hæc ibi. sed in quibus falsata fuerit ab Ingentio epistola Alfij Cæciliani Magistratus,eadem citata superius Felicis Acta declarant. Litteræ enim Cæciliani ad Felicem Episcopum perbreues sic se habebant [b]:

b Ex Bibliothec. Petri Pithœi edita Parisijs.

Cæcilianus parenti Felici salutem. Cum Ingentius collega meus Augentianum amicum suum conueniret,& inquisisset anno Duouiratus mei, an aliquæ scripturæ legis vestræ secundũ sacram legẽ adustæ sint. * quam Galatius vnus ex lege vestra publice epistolas salutatorias de basilica protulerit.Opto te,parens carissime,bene valere.]hactenus epistola Cæciliani ad Felicem Episcopum eiusmodi testificationem exposcentem, ad sui innocentiam, quam Donatistæ in crimen adducere conabantur, declarandam.

ACTA PROC. IN CAVSA FELICIS EPISCOPI.

Sed hæc in Felice quomodo se habuerint, citata superius Acta ex relatione eiusdem Alfij Cæciliani ex publicis Proconsulis monumentis ita significant: Alfius Cæcilianus dixit: Zamæ
E erã propter lineas cõparandas cũ Saturnino.Et cũ veniremus illò:mittũt ad me in Prętorio ipsi Christiani,vt dicerẽt:Sacrum præceptum ad te peruenit? Ego dixi:Non:sed vidi iam exempla, & Zamæ & Furnis dirui basilicas, & vri scripturas vidi.Itaque perferte si quas scripturas habetis, vt iussioni sacræ pareatur.Tunc mittunt in domũ Episcopi Felicis,vt tollerent inde scripturas,& exuri possent,secũdum sacrum præceptum.Sic Galatius nobiscum perrexit ad locum,vbi orationes celebrare consueti fuerant: inde cathedram tulimus,& epistolas salutarorias,& ostia omnia combusta sunt,secundum sacrum præceptum. Et cum ad domum eiusdem Felicis Episcopi mitteremus: renunciauerunt Officiales publici,illum absentem esse.] Sic igitur se habuit causa Felicis Episcopi, quod idem Cæcilianus testatus est dicta epistola, quam dictauit (vt eadem habent Acta) Augentio collegæ,& misit ad eumdem Felicem.

Quæ autẽ Ingentius subornatus a Donatistis eidẽ Cæciliani addiderit epistolæ, hæc sunt in eisdẽ Actis expressa post salutationẽ:Hoc signum quod deprecatoriũ ad me miserãt Christiani, & ipse cuius est Prætoriũ, & dixisti:Tolle clauem, & quos inueneris in cathedra libros & super lapide codices,tolle illos:sane vide, Officiales ne tollant oleum & triticum.Et ego dixi tibi:Tu

INGENTIVS FALSATOR EPISTOLAE.

nescis, quia vbi scripturæ inueniũtur, ipsa domus diruitur? Et dixisti: Quid ergo facimus? Et dixi ego vobis: Tollat aliquis de vestris in Area, vbi orationes facitis, & illic ponãtur: et ego venio cũ officialibus, & tollo. Et nos illo venimus, & omnia tulimus secũdum sacrũ præceptũ.] hucusque additamentũ Ingẽtij falsarij, vt in ijsdem Actis Procõsularibus testatus est idẽ Cęcilianus, cum de his rogaretur a Iudice Agesilao corã Aeliano Procons. Sic enim hæc ibi scripta habentur: Cæcilianus dixit: Domine vsque ad hoc dictaui vsque quo habet: Opto te, parẽs carissime, bene valere. Aptonianus dixit: Semper sic falsum per terrorẽ, per scenã, per irreligiosam mentẽ actũ est ab his qui Catholicæ Ecclesiæ consentire noluerũt. Nam Paulino hic administrãte vices Præfectorũ, subornatus est quidã priuatus homo, qui modicũ cursoris haberet, qui ad Catholicæ vnitatis veniret atque eos indiceret, & terreret. Detecta igitur factio est: nam cõponebatur Felici religiosissimo Episcopo per mẽdaciũ, vt videretur scripturas prodidisse & exussisse. A

Ingentius quidem cum hoc totum, quidquid agebat, obesset sanctitati & religioni Cęciliani, subornatus est, vt veniret cum litteris Felicis Episcopi ad Cæcilianum Duouirum, & ei cõfingeret a Felice se esse mandatum, Dicat ipsa verba, quibus hoc est confictũ. Aelianus Proconsul dixit, Dic. Apronianus dixit; Dic, inquit, amico meo Cæciliano, quòd codices accepi pretiosos deificos XI. quiaq. me nunc cõuenit vt illos restituã: dic quòd anno magistratus tui eos exusseris, ne reddam illos.] hæc ibi: quæ non tantũ assertione & testificatione Cæciliani magistratus, sed & confessione ipsius Ingentij fuerunt manifeste probata, & Solis luce reddita clariora. B

OBIECTIONES DONATISTARVM.

Cum tamen sciamus Donatistas posteriores conatos esse improbare iudicium Proconsulis de innocentia Felicis Aptungitani Episcopi, sicut fecerunt de iudicio Romani Concilij, quo Donatus condemnatus, & Cæcilianus fuerat absolutus. Quænam autem fuerint post centesimum ferme annum aduersus eiusmodi iudicium a Donatistis obiecta, S. Augustinus [a] ex Actis publicis recitat, atque inter alia illud primo loco, quòd causa Episcopi cognita esset a Iudice sæculari, nempe Proconsule: sed id ipsis exposcentibus, factum esse declarat, dum inquit: Ait enim quidam: Non debuit Episcopus Proconsulari iudicio purgari: quasi vero ipse sibi hoc comparauerit, ac non Imperator ita quæri iusserit, ad cuius curam, de qua rationem Deo redditurus esset, res illa maxime pertinebat. Arbitrum enim & Iudicem causæ traditionis & schismatis illi eum fecerant, qui ad eum etiam preces miserant, ad quem postea prouocarunt, & tamen iudicio eorum acquiescere noluerunt. Itaque si culpandus est, quem Iudex terrenus absoluit, cum ipse sibi hoc non poposcisset: quanto magis culpandi sunt, qui terrenum Regem suæ causæ Iudicem esse voluerunt? si autem criminis non est, prouocare ad Imperatorem; non est criminis audiri ab Imperatore; ergo nec ab illo cui causam delegauerit Imperator.] hæc ad primam illorum obiectionem. C

[a] Aug. epist. 162. circa medium.

Ad aliam vero de seuero iudicio Proconsulis in hunc modum ibidem: Quemdam etiam suspensum equuleo in causa Felicis Episcopi amicus ille voluit criminari, vt quis etiam vngulis vexaretur. Numquid poterat Felix contradicere, ne tanta diligentia & seueritate quæreretur, cum eius causam inueniendam Cognitor agitaret? Quid enim erat aliud, nolle sic quæri, quàm de crimine confiteri? et tamen ille ipse Proconsul inter præconum terribiles voces, & cruentas carnificum manus, numquam collegam damnaret absentem, qui iudicio eius se præsentare noluisset, cum haberet aliud quod posset audiri. aut si damnaret, certe etiam ipsis sæcularibus legibus pœnas iustas & debitas lueret. Quòd si Gesta Proconsularia displicent, Ecclesiasticis cedite. Omnia vobis ordine recitata sunt.] hæc in Donatistas iudicia omnia cauillantes Augustinus. Commendata vehementer fuit constantia Felicis Episcopi, quòd noluerit Proconsuli causam suam iudicanti præsto esse. Sed illud etiam posteriores quoque Donatistæ [b] obiecerũt, & probare conati sunt, nõ fuisse absolutum corã Proconsule Felicis iudicium, eo quòd Constãtinus ad se mitti iusserit Ingẽtium Scribam. Ad quam obiectionẽ refellendam in eo Conuentu Catholici protulerunt epistolam Aeliani Proconsulis, qui causã Felicis iudicauerat, scribẽtis ad Constantinum, se causam Felicis audisse & finijsse; superaddita sunt & ipsa Gesta Proconsularia, quibus absolutus est Felix, & omnium adhibitarum personarum testimonio a traditionis crimine integer comprobatus. Sed his illi conuicti eo sese verterunt destituti omni probationis auxilio, vt dicerent, gratia Iudicis esse absolutum, vel suppositas esse personas. Quæ omnia qua leuitate sunt ab eis iactata, eadem a Cognitore Iudice explosa sunt. Desiderantur illæ Aeliani litteræ ad Constantinum de absoluto Felicis iudicio, quæ tunc ex Actis publicis fuerunt coram omnibus recitatæ: vt plane appareat, ea ipsa quæ diximus extare Acta in causa Felicis, nequaquam integra reperiri, in quibus dictæ litteræ non extant. D E

[b] Aug. in Breuic. Collat. di. 3. c. 23. 24.

Quod vero ad causam Ingentij spectat, sic Augustinus [c]: Sed quoniam quidam Ingentius, qui eidem iudicio contra Felicem falsum se fecisse confessus est, nec puniri facile debuit, vbi causa Episcopi vertebatur, nec facile a Proconsule dimitti potuit tanti criminis reus,

[c] Aug. post Collat. c. 33.

A reus, nisi Imperatore consulto, quo instante illa omnia gerebantur. Retulit inde Proconsul: et rescripsit Imperator, vt ad eius Comitatum idem Ingentius mitteretur, volens maiores istorum, a quibus quotidie interpellabatur, in præsentia confutari.] hæc Augustinus. habent ipsa Acta Proconsularia, Ingentium post suam confessionem ab Aeliano Procons. esse iussum reseruari in carcere, vt mitteretur ad Constantinum. Verum Constantini litteræ de mittendo Ingentio, non ad Aelianum, qui causam cognouit, sed ad eius successorem datæ esse noscuntur: eum enim vel vita functum, vel alio amandatum putamus: dictæ autem litteræ ab eodem S. Augustino [a] recitantur his verbis: *a Aug. epist. 68*

Imperatores Cæsares, Flauius Constantinus Maximus, & Valerius Licinius ad Probianum Proconsulem Africæ.

Aelianus prædecessor tuus merito, dum vir perfectissimus Verus Vicarius Præfectorum tūc *CONSTANTINI EPISTOLA AD PROBIANVM.*
B per Africam vestram incommoda valetudine teneretur, eiusdem partibus functus, inter cetera etiam id negotium, vel inuidiam, quæ de Cæciliano Episcopo Ecclesiæ Catholicæ videtur esse commota, ad examen suum atque iussionem credidit esse reuocandam. Etenim cum iam Superium Centurionem, & Cæcilianum Magistratum Aptungitanorum, & Saturninum Excuratorem, & Calibium iuniorem eiusdem ciuitatis Curatorem, atque Solonem Seruum publicum suprascriptæ ciuitatis præsentes esse fecisset; audientiam præbuit competentem: adeo vt cùm Cæciliano fuisset obiectum, quòd a Felice eidem Episcopatus videretur esse delarus, cui diuinarum scripturarum prodirio atque exustio videretur obiecta; innocentem de eo Felicem fuisse constiterit. Denique cum Maximus Vigētium [*] Decurionem Ziquensium ciuitatis epistolam Cæciliani ex diuino iure falsasse cōtenderet: eumdem ipsum Vigentium suspensum Actis quæ suberant peruidimus, & ideo minime tortum, quòd se Decurionem Ziquen- ** Ingentium*
C sium ciuitatis asseuerauerit. Vnde volumus, vt eumdem ipsum Vigentium sub idonea prosequutione ad Comitatum meum Constātini Augusti mittas, vt illis qui in præsentiarum agunt, atque diuturnis diebus interpellare non desinunt, audientibus, & coram assistentibus apparere & intimari possit, frustra eos Cæciliano Episcopo inuidiam comparare, atque aduersus eum violenter insurgere voluisse. Ita enim fiet, vt omissis, sicut oportet, eiusmodi contentionibus, populus sine dissensione aliqua religioni propriæ cum debita veneratione deseruiat.] hucusque epistola Constantini ad Probianum Proconsulem, sed quæ recitata in publico illo Catholicorum Conuentu, sine die & Consule descripta extat: in alia tamen schedula inuentos esse Consules quibus data esset, idem S. Augustinus [b] affirmat. *b Aug. in Breuic. Collat. di. 3 c. 23.*

Quòd autem idcirco dicat Imperator se curasse, vt Ingentius mitteretur ad Comitatum, quò aduersarij Cæciliani coram confutari potuissent: plane annuit, illos appellasse a lata sen-
D tentia Aeliani pro Felice, qua eum innocentem a traditione pronunciauit; atque sic appellantes, ad ipsum profectos esse Imperatorem, aduersus Felicem & Cæcilianum iudicium prosequuturos, quod Constantinus noluit per se vel suos magistratus definiri, sed quòd esset negotium Episcoporum, voluit ab Episcopis iudicari, Arelate nimirum ea de causa conuocatis Episcopis. Vnde de his Augustinus scribens ad Ianuarium [c]: Sed rursus, inquit, maiores vestri ad Imperatorem redierunt; et non recte iudicatam, neque omnem causam auditam esse, conquesti sunt: vnde ille alterum Episcopale iudicium dedit, habendum in Arelatensi Galliæ ciuitate, &c.] sed de hoc inferius. In eo autem quod Constantinus ait eadem epistola, Ingentium propter Decurionatus dignitatē non potuisse tormentis subijci: hoc Decurionum priuilegium idem Imperator hac ex parte nullum reddidit, cum de crimine falsi agitanda quæstio esset, prout constat ex eius rescripto [d] ad Hilarianum dato post sequentem annum, Sabino & Ruffino *c Aug. epist. 48.* *CAVSA DECVRIONVM QVAELIS.* *d l. si quis Decurio, C. ad legem Cornel. de fals.*
E Coss. in hæc verba:

Si quis Decurio testamentum, vel codicillos, aut aliquam deficientis scripserit voluntatem, vel conscribendis publicis priuatisq. instrumentis præbuerit officium; si falsi quæstio moueatur, Decurionatus honore sepósito, quæstioni (si ita popósceri causa) subdatur: sed non statim desinit esse Decurio, qui in huiusmodi facto fuerit: quantum enim ad municipales pertinet necessitates, Decurio permanet: quantum ad rem gestam & veritatem reserandam, vti Decurionatus honore non poterit. Nec vero is qui ante fuerit Tabellio, ad eludendam quæstionem super ijs quæ ante scripserit, factus Decurio, defendi hac poterit dignitate: quoniam scripturæ veritas (si res popóscerit) per ipsum probari debet auctorem. D. III. Kal. Feb. Sabino & Ruffino Coss.] ob emergentes nouos casus, vt, quem diximus, Ingentij, vel aliorum ad hæc decernenda de Decurionibus, veritatis inuestigandæ causa Christianus Imperator digne rescripsit.

Sed ad propositam superius Ingentij causam reuertamur. Posteriores Donatistæ præter alias superius recitatas inanes obiectiones, & frustratorias cauillationes, Ingentij causam *RVRSVS CAVILLANTVR DONATISTAE.*

vltimo omnium loco dicebant pertractatam fuisse, post omnia videlicet exhibita iudicia in A causa Cæciliani: quod eo consilio affirmare nitebantur, vt dicerent, non sine causa voluisse Imperatorem ad se mitti Ingentium; sed ob id quòd adhuc causa Cæciliani pendebat; ac proinde eosdem asserere potuisse Imperatorem contra Cæcilianum iudicasse; sicq. euitarent ea arte Concilij Arelatensis,& Constantini pro innocentia Cæciliani sententiam. Vt autem eiusmodi dolosas atque subdolas illorum artes Catholici Episcopi expressæ falsitatis arguerent; ex publicis Actis,quid prius,quidve posterius gestum foret,certo certius demonstrarunt. Vnde S. Augustinus [a] atque collegæ Episcopi de his scribentes ad Donatistas, hæc post alia plurima habent: Ordinem Consulum & dierum, qui Gestis expressus est,si quis nunc diligenter aduertat, inueniet primo Cæcilianum Episcopali iudicio fuisse purgatum. Deinde non multo post Felicis Aptungensis causa ab Aeliano Proconsule examinata est, vbi eum constitit innocẽtem. In qua causa ad Comitatum mitti iussus est Ingentius, & longe postea ipse Imperator causam B inter partes cognouit atque finiuit. In qua cognitione Cæcilianum innocentem, illos autem calumniosissimos iudicauit. In quo ordine Consulum & dierum satis ostenditur, fallaciter eos & calumniose dixisse, quòd Imperator misso ad Comitatum Ingentio, iudicium suum mutauit, & Cæcilianum, quem prius purgauerat, postea condemnauit, &c.] idemq. alibi [b] singulas res gestas signatas Consulibus ponit; Cæcilianiq. vltimam absolutionem factam per Constantinum contigisse affirmat post sequentem annum, Sabino & Ruffino Coss. anno quarto ab habita Romæ coram Melchiade absolutione, vt ex Consulibus notatis apparet. Sed de causa Felicis atque Ingentij hactenus: emergamus iam e spinosis his controuersiarum anfractibus.

[a] Aug. epist. 152.
[b] Idem post Collat. c. 33.

CONCILIVM ARELATENSE IN CAVSA CAECILIANI.

Acturi nunc de Concilio Arelatensi, hoc anno (vt demõstrabimus) celebrato: duo in primis consideratione digna existimamus, alterum ex parte Donatistarum Constãtinum appellantiũ, C alterum vero quod spectat ad eumdem Constantinum iniustæ appellationi deferentem. Fæx Christianorum,immo & hæreticorum omnium deterrimus Paulus Samosatenus, de quo pluribus actum est secũdo Annalium Tomo, primus omnium viam aperuit, vt Episcoporum iudicio non acquiescens, ad illud irritandum, adiret Imperatorem: quod quidem ille quantumlibet Gentilis esset (fuit hic Aurelianus Augustus) veluti portentosum facinus exhorrescens, appellationi non detulit; sed quod ab Italiæ Episcopis ea in re statutum esset, ratum firmumq. in omnibus esse voluit. Post nefandum hæresiarcham, hoc ipsum attentare præsumpserunt impij Donatistæ ex Christianis apostatæ Traditores, atque ex Traditoribus facti schismatici, qui & ex schismaticis hæretici postea euaserunt.

Vide prudens lector, quodnam genus hominum resilierit a iudicio Episcoporum, defecerit ad tribunalia Cæsarum, & posthabita Synodorum sententia, prouocare consueuerit ad Imperatores. D Attende & illud plane exorbitans, insolens, & immane facinus Donatistarum, eo sua ipsorum procacia adegisse Christianum Imperatorem Constantinum, vt Ethnico Principe Aureliano hac ex parte longe inferior declaretur. Siquidem ille iudicium amplissimi Conuentus Antiocheni detulit (vt par erat) ad sententiam Italorum Episcoporum, inter quos Romanæ Ecclesiæ Pontifex emineret: Constantinus vero, quod statutum in Concilio Romæ esset ab ipso primum Romano Pontifice,alijsq. ad Synodum conuocatis Italiæ nonnullarum ciuitatum Episcopis, ac tribus illis insignioribus ad hoc ab ipso Constantino delectis Galliarum Præsulibus (extorquentibus, id sua ipsorum improbitate factiosissimis Donatistis) voluit in alio Concilio, in Gallijs, vbi aderat, celebrando, iterum ventilari, atque sententia definiri. Ad hæc autem quàm traheretur inuitus, nolensq. impelleretur ab illis, ea primum declarauit sententia, quando ijsdem a se petentibus Iudices, respondit illud Constantino di- E gnum elogium [c]: Petitis a me in sæculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectem?] vel illud (quod etiam superius dictum est) cum voces Donatistarum appellantium adeo exhorruit, vt plane tragice exclamarit: O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.]

APPELLARE AB EPISCOPIS AD IMPERATOREM HAERETICORVM EST.

[c] Optat. contra Parmen. lib. 1.

Atqui semel atque iterum in Donatistis expertus Constantinus, frustra boni pacis intuitu, ad improbas, importunas, & illegitimas schismaticorum petitiones flecti Imperatoriam maiestatem,magnoq. dispendio id fieri Ecclesiasticæ disciplinæ diuinitus institutæ considerãs: consulens postea vtriusque dignitati atque integritati, rerum exemplo prudentior factus,facto pariter declarauit ac scriptis,non esse amplius sæculari iudicio examinanda,quæ essent ab Episcopis constituta, etiam si Episcopi id expeterent. Id quidem incensio illa multiplicium libellorum ab Episcopis oblatorum tempore Nicæni Concilij (de quo suo loco pluribus)ab ipso facta significat: id ipsum quoque voluit testatum atque probatum reddi, totiq. Romano Orbi pariter

A pariter innotescere, amplissimo promulgato edicto; quod licet non extet, tamen eiusdem Imperatoris rescriptum datum postea Constantinopoli ad Ablauium Præfectum Prætorio, eiusdem cum meminit, ipsius exploratissimã fidem reddit. Extat hoc ipsum integrum, quo declarat adeo deferri velle sententijs Episcoporum, vt non tantum velit in ijs quæ spectant ad Ecclesiasticas controuersias, sed etiam ciuiles disceptationes & sæculares causas ac lites vt illibatæ permaneant; adeo vt neque Præfectus Prætorio, cuius summum ius erat atque potestas, vel alius quilibet magistratus posset eas inualidas reddere: quod quidem rescriptum [a] hic recensere, ad insinuandum religiosissimum Constantini animum, dignum plane existimamus:

a De Episc. iudicio l. 1. Cod. Theod.

Imp. Constantinus A. Ablauio PP.

EPISCOPORVM SENTENTIIS CONSTANTIN. PLVRIMVM DETVLIT.

Religionis est, clementiam nostram sciscitari voluisse, quid de sententijs Episcoporum vel ante moderatio nostra censuerit, vel nunc seruari cupiamus, Ablaui parens carissime. Itaque B quia a nobis instrui voluisti: olim prærogatæ legis ordinem salubri rursus imperio propagamus. Sanximus namque (sicut edicti nostri forma declarat) sententias Episcoporum quolibet genere prolatas sine aliqua ætatis discretione inuiolatas semper incorruptasque seruari: scilicet vt pro sanctis semper ac venerabilibus habeatur quidquid Episcoporum fuerit sententia terminatum. Siue itaque inter minores, siue inter maiores ab Episcopis fuerit iudicatum: apud vos, qui iudiciorũ summam tenetis, & apud ceteros omnes Iudices ad executionem volumus peruenire. Quicumque itaque litem habens siue possessor, siue petitor erit inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, siue cum negotium peroratur, siue cum iam cœperit promi sententia, iudicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis: illico sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim quæ in iudicio captiosæ præscriptionis vincula non patiuntur, inuestigat & promit sacrosanctæ religionis C auctoritas. Omnes itaque causæ, quæ vel Prætorio iure vel Ciuili tractantur, Episcoporum sententijs terminatæ, perpetuo stabilitatis iure firmentur; nec liceat vlterius retractare negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Testimonium etiam ab vno licet Episcopo perhibitum omnes Iudices indubitanter accipiant: nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi a qualibet parte fuerit repromissum. Illud enim est veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimẽtes, vt miseri homines longis ac pene perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus, vel a cupiditate præpropera maturo fine discedant. Quidquid itaque de sententijs Episcoporum clementia nostra censuerat, & iam hac sumus lege complexi, grauitatẽ tuam & ceteros pro vtilitate omnium latam in perpetuum obseruare conueniet. Dat. III. Non. Maij D Constantinopoli.] hactenus rescriptum ad Ablauium.

Eiusmodi autem Constantini edicti amplissimam iudiciariam potestatem Ecclesiæ Catholicæ ministrorum testantis meminisse videtur Eusebius [b], cum ait: Iam quæ ab Episcopis in publicis Conuentibus editæ erant regulę, sua consignabat & confirmabat auctoritate, ne reliquarum gentium Principibus liceret, quæ ab eis decreta essent, abrogare: cuiusuis enim Iudicis sententiæ, Sacerdotum Dei iudicium anteponendum esse.] ita Eusebius: sed & [c] Sozomenus hæc fusius his verbis: Illud est plane maximum reuerentiæ Imperatoris erga religionem argumentum, quòd clericos vbique per legem eam ob rem conditam immunitate donari voluit: quodque illis qui erant in iudicium vocati, dedit potestatem, si modo animum inducerent magistratus ciuiles reijcere, ad Episcoporum iudicium prouocandi; atque eorum sententiam ratam esse, & aliorum Iudicum sententijs plus habere auctoritatis, tamquam ab ipso Imperatore E prolatam, statuit: quin etiam iussit, vt magistratus res iudicatas reipsa exequerentur, militesque eorum voluntati inseruirent; præterea vt Conciliorum decisiones firmæ & immutabiles existerent.] hæc Sozomenus; atque satis ad insinuandam religiosissimam tanti Principis obseruantiam erga Dei Ecclesiam eiusque ministros; vt plane intelligas, quod ipsemet (vt dictum est) sæpius testatum reddidit, non fuisse suæ voluntatis, Donatistarum improbissimis deferre appellationibus, sed quòd ea existimaret indulgentia, membra ab vnitate conscissa compaginare, atque mutua indiuiduaque consolidare concordia. Verum quod docuit præsens exemplum ac monent innumera alia vetera atque recentia, male consulitur Catholicæ vnitati dispendio Ecclesiasticæ disciplinæ.

b Euseb. in Vita Constantin. lib. 4. c. 27.

c Sozomen. lib. 1. c. 9.

CVR CONSTANTINVS DETVLIT APPELLATIONI DONATISTARVM.

Quòd insuper suam ipsorum petitionem Donatistæ alio quoque prætextu, nempe cognoscendæ causæ Felicis Ordinatoris Cæciliani, munijssent; dicentes prætermissa quæ videbantur esse potissima: impulsus est Constantinus ad recens productam in iudicium controuersiam nouum quoque instaurare iudiciũ; atque ob eã causam, qui cuncta cognoscerent ac definirent,

cogere

cogere Episcoporum Conuentum. At ne in trãsmarino iudicio aliquid minus cognitum, pro- A
batumque, vel ambiguum produceretur in medium, quod morari potuisset Patrum sententiam, & occasio illis daretur iterũ tergiuersationibus & exceptionibus vtẽdi, & denuo prouocandi; hac de re voluit Felicis causam Proconsulari iudicio cognosci (vt vidimus) vbi olim res esset gesta, Carthagine; indeque ad Episcoporum consessum Proconsularia Acta transmitti, simulque Ingentium illum, quem diximus, cuius præsentia necessaria videretur.

Quòd igitur Constantinus moraretur in Gallijs, Arelate statuit habendum esse in causa Cæciliani Concilium: visa est ciuitas illa tanto negotio opportuna: datisque litteris ad præclariores quosdam Ecclesiæ Occidentalis Episcopos, eosdem ad Arelatense Concilium conuocat, quarum omnium (multiplices plane pro Episcoporum Metropolitanorum numero fuisse putamus; nisi potius omnes eiusdem exempli fuisse, equius sit existimare) illæ tantum extant integræ, quæ ad Chrestum Episcopum Syracusanum datæ sunt. Sed quod ad Chresti B
nomen pertinet; non a Christo Chrestus nominatus est Episcopus Christianus: quod non attendit, qui loco Chresti, scripsit Sixtum, indecorum putans Christianum aliquem dici Christum nomine proprio: erat enim Chresti nomen æque Gentilibus vsitatum, licet (quod dictum est secundo Tomo) perperam illi Christum Chrestum dicerent, cum alioqui honestissimum nomen esset; vnde illud apud Lucianum[a]: Pauci Chresti, hoc est frugi sunt, quemadmodum vbique video.] Contra vero Chrestologi dicebãtur, qui cum bene loquerentur, male agerent: quo nomine Pertinacem Imperatorem dictum esse, affirmat Iulius Capitolinus: eo namque sensu etiam Paulus in epistola ad Romanos χρηστολογίαν nominat. Sed ad rem. Recitat Eusebius[b] Constantini epistolam hac inscriptione notatam:

[a] Lucian in Philop.

[b] Euseb. lib. 10. c. 5.

Exemplar epistolæ Imperatoris, per quam iubet secundum Concilium fieri pro omni inter Episcopos discordia tollenda: C

CONSTANTINI EPISTOLA AD CHRESTUM.

Constantinus Augustus Chresto Syracusanorum Episcopo S.

Iam dudum cum nonnulli improbo & peruerso animo a sancta religione, & cælesti Euangelij doctrina ac potentia, & a Catholica Ecclesiæ opinione desciscere cœperint: cupiens equidem eiusmodi lites ac controuersias inter vos ortas dissoluere, ita scripsi, vt missis a Gallia quibusdam Episcopis, quin etiam ex Africa alijs aduersarum partium accersitis, qui inter se maxima cum pertinacia & animorum contentione digladiãtur, & Episcopo Romano etiam coram, hoc dissensionis, quidquid videatur, possit illis præsentibus accurata dijudicatione in rectam viam reduci. Verum quoniam (sicut vsu venit) quidam tum suæ salutis, tum veri cultus, qui sanctissimæ Christi religioni debetur, penitus obliti, adhuc priuatas inimicitias exercere & graues simultates gerere non desinunt; dum nolunt, aut Concilij iudicio iam facto acquiescere; dumque definite affirmant, paucos admodum fuisse, qui suas ipsorum sen- D
tentias palam in Concilio proferebant; ijque ipsi cum non omnia, quæ ante quæri debuerant, accurate quæsita essent, ad iudicium dandum propere & valde celeriter festinabant: atque ex his omnibus ea fieri contigit, vt tum illi ipsi, quos fraternum & concordem animorum consensum inter ipsos retinere oportuerat, turpi, immo nefaria & impia dissensione discordent; tum alijs hominibus, qui mentes a sanctissima religione alienas habent, ansam ludibrij & irrisionis præstent: Idcirco mihi sedulo prouidendum erat, vt istud quod post iudicium antea pronunciatum sua sponte componi & tranquillari debuerat, etiam iam tandem multis præsentibus Episcopis exitum & finem consequatur. Proinde quoniam plurimos Episcopos ex locis diuersis & prope infinitis in vrbem Arelatensium ad Kalendas Augusti conuenire mandauimus: tibi etiam per litteras significandum putauimus, vt accepta rheda publica a clarissimo viro Latroniano Siciliæ conductore, duobus item alijs Episcopis ex sede secunda, quos tu ip- E
se tibi maxime deligendos iudicaueris, tibi in societatem adscitis; quin etiam tribus famulis, qui vobis inter vias ministrent, assumptis; ad eum diem in loco præscripto alijs occurras: quo per tuam grauitatem & consentientem sententiam reliquorum, qui eo commeant, hoc dissidium, quod hactenus improbum ob turpes & scelestas concertationes continuatum fuit, simulatque ea, quæ ab vtraque factione Episcoporum (quos simpliciter adesse mandauimus) audita fuerint, possit, licet sero, ad debitam religionem, fidem, & fraternam concordiam aliquando reuocari. Deus omnipotens in multos annos te nobis seruet incolumem.] hucusque litteræ Constantini ad Chrestum.

Eiusdem argumenti etiam ad reliquos Metropolitanos Episcopos datas fuisse putamus: ex omni namque prouincia accersitus videtur præcipuæ sedis Episcopus, cuius arbitrio duo alij deligerentur eiusdem prouinciæ sedium inferiorum Antistites: qui omnes simul conductu publico ducerentur, datis illis iussu Imperatoris a prouinciarum Præsidibus tractorijs, pro viatico

A viatico publico assequendo. Extat exemplar eiusmodi litterarum Constantini, quas dedit ad Ablauium, vna cum alijs nobilibus antiquitatis monumentis superius sæpe citatis, in Bibliotheca Petri Pithœi, quas hic opportuno loco edendas curauimus: sic enim se habent:

Constantinus Augustus Ablauio.

Iam quidem antehac cum perlatum fuisset ad scientiam meam apud Africam nostram plures nefario furore vanis criminationibus contra se inuicem super obseruantia sanctissimæ legis Catholicæ discedere * cœpisse: dirimendæ dissensionis huiuscemodi causa placuerat mihi, vt ad Vrbem Romam tam Cæcilianus Carthaginensis Episcopus, contra quem vel maxime vniuersi sæpe me conuenerant, quàm etiam aliqui ex his qui ei quædam obijcienda crediderant, præsentiam sui exhiberent. Nam etiam ad supradictam Vrbem Romam nostram quosdam Episcopos ex Gallijs ire præceperam, vt tam hi pro integritate vitæ suæ atque lau- B dabili instituto, sed & septem eiusdem communionis, quàm etiam Vrbis Romæ Episcopi, atque illi qui cum ijsdem cognoscerent, possent rei, quæ videtur esse commota, finem debitum adhibere. Qui quidem ea quæcumque in præsentiarũ fuerant gesta, cuncta ad scientiã meam, etiam Actis habitis, retulerunt: verbo insuper affirmantes, quòd iudicium suum pro rerum fuisset æquitate depromptum, eosq. potius causæ obnoxios esse dicentes, qui contra Cæcilianum quędam putauerunt cõmouere: adeo vt *istum post iudicium habitum Africam ipsos remeasse prohiberent. Inde propter hæc omnia probabili rerum æstimatione sperauerunt, quòd omnibus omnino seditionibus & contentionibus, quæ alijs hominibus videbuntur subito commotæ, finis debitus fuisset impositus. Sed cum dictationis tuæ scripta legissem quæ ad Nicasium & ceteros super ijsdem simulationibus * grauitas tua mittenda crediderat: euidenter agnoui, quòd neque respectus salutis suæ, neque quod est maius, Dei omnipotentis vene- C rationem ante oculos suos velint ponere: siquidem ea agere persistant, quæ non modo ad ipsorum dedecus infamiamq. pertineant, sed etiam his hominibus detrahendi dent facilitatem, qui longe ab huiuscemodi sanctissima obseruãtia sensus suos noscũtur auertere. Nam id quoque te scire conuenit, quod ex ijsdem venerunt asserẽtes, quod minus dignus idem Cæcilianus cultu sincerissimæ religionis habeatur: et contra id quod eisdẽ responderam, frustra eos id iactare, quippe cum res fuissent apud Vrbem Romam ab idoneis ac probatissimis viris Episcopis terminatæ; obnixe ac pertinaciter respondendum æstimauerunt: quòd enim omnis causa non fuisset audita, sed potius ijdem Episcopi quodam loco se clausissent, & prout ipsis aptum fuerat, iudicassent. Quare cum hæc tot & tanta nimium obnixas dissensiones protrahere peruiderem, ita vt nullo modo finis ijsdem dari posse videatur, nisi & Cæcilianus idem, & ex his qui contra eum dissident, tres aliqui in iudicium eorum qui contra Cæcilianum sentiunt, D consensúmque debent, ad Arelatense oppidum venire *; iniungendum solertiæ tuæ duxi, vt mox has litteras meas acciperes, tam Cæcilianum supradictum cum aliquibus ex his quos ipse delegerit: sed & de Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Mauritaniarum, & prouincijs singulis, quique aliquantos ex suis perducere debebunt, quos ipsi putauerint eligendos; sed etiam aliquos ex his qui contra eumdem Cæcilianum dissentiunt, data euectione publica per Africam & Mauritaniam, inde ad Hispanias breui tractu facias nauigare: et inde nihilominus huiusmodi his in singulis Episcopis singulas Tractorias tribuas, vt ipsi ad supradictũ locum intra diem Kalendarum Augustarum possint peruenire; celeriter intimaturus ijsdem, vt antequam proficiscantur, debeant disponere, quatenus absentibus ipsis, & disciplina competens habeatur, & nulla forte seditio vel aliquorum altercantium (quæ ad maximum dedecus spectet) oriatur. De secreto plena cognitione suscepta, finis adhibeatur. Qui cum præ- E sentiam sui exhibuerint vniuersi, qui nunc in contentione esse noscuntur, quiq. non immerito finem debent accipere maturum, vt protinus possint terminari atque componi. Nam cum apud me certum sit, te quoque Dei summi esse cultorem: confiteor grauitati tuæ, quòd nequaquam fas esse ducam, vt eiusmodi contentiones & altercationes dissimulentur a nobis, ex quibus forsitan commoueri possit summa diuinitas non solum contra humanum genus, sed etiam in meipsum, cuius curæ, nutu suo cælesti, terrena omnia moderanda commisit, & secus aliquid hactenus incitata decernet. Tunc enim reuera & plenissime potero esse securus, & semper de promptissima beneuolentia potentissimi Dei prosperrima & optima quæque sperare, cum vniuersos sensero debito cultu Catholicæ religionis Sanctissimum Deum concordi obseruantiæ fraternitate venerari.] hactenus Constantini epistola ad Ablauium de cogendo Concilio Arelatensi.

At quoniam in ea mentio facta est de Tractorijs tribuendis Episcopis ad Synodum conuocatis; quid hac voce exotica exprimatur, dicendum est; nam & in nonnullis alijs Concilijs, ijsdem

Marginalia: * disceptare — CONSTANTINI EPISTOLA DE COGENDO CONCILIO. — * iustum — * simulatibus — * venirent — TRACTORIA DATA EPISCOPIS. — TRACTORIAE VSVS ET FORMA.

dem illis concessis, sunt conuocati. Fuisse Tractorias, alibi diximus, diplomata, quæ dabantur A missis vel euocatis a Principe, cursu publico vtentibus, adscriptis etiam statiuis, id est diuersorijs & mansionibus, quibus alerentur sumptibus publicis. Quæ quidem diplomata tantæ æstimationis erant, vt absque Imperatoris assensu nequaquam a Proconsulibus dari solerent: id enim conijcere licet ex Plinij [a] epistola ad Traianum, cum eadem diplomata dedit vxori suæ. Quænam vero esse soleret eiusmodi diplomatum forma, Cuiacius [b] antiquorum omnium exactissimus explorator his verbis recitat:

a Plin. lib. 10. epist. 121. 122.
b Apud Cuiac. tit. de Tractorijs C. lib. 12.

Ille Princeps omnibus agentibus in illo loco: Nos Gaium I. V. partibus illis legationis causa direximus; ideo iubemus, vt locis conuenientibus eidem a vobis euectio simul & humanitas ministretur: hoc est verhedi, siue parauerhedi tot, panes tot, vini mod. tot, ceruisiæ mod. tot, lardi lib. tot, carnis tot, porci tot, porcelli tot, verueces tot, agni tot, anseres tot, phasiani tot, pulli tot, oua tot, olei lib. tot, gari lib. tot, mellis tot, aceti tot, cumini tot, piperis tot, B costi tot, caryophylli tot, spicæ tot, cinnamomi tot, grani masticis tot, dactylæ tot, pistaciæ tot, amygdalæ tot, ceræ lib. tot, salis tot, olerum, leguminum carra tot, faculæ tot, pabuli equorum carra tot. Hæc omnia tam eundo quàm redeundo eidem ministrari in locis solitis, & impleri sine mora, procurate.] hæc forma Tractoriæ, quam pro numero ac munere personarum augeri ac minui rerum ibi descriptarum numero atque pondere, certum est. Videas in his Constantini humanitatem, dum eiusmodi Tractorias non Catholicis tantum, sed etiam schismaticis, illis scilicet, qui ex parte Donati contra Cæcilianum conuenturi erant, dari a Proconsule iussit.

NVMERVS EPISCOPORVM CONCILII ARELAT.

Quod pertinet ad numerum Episcoporum, qui Iudices ex diuersis prouincijs fuerunt in causa Cæciliani conuocati; fuisse ducentos, quæ S. Augustinus [c] aduersus Parmenianum scribit, significare videntur, cum ait: Si autem post dictam causam, prolatamque sententiam, C a Melchiade scilicet, cum Traditorem didicisse perhibēt: vsque adeo dementes sunt homines, vt ducentos Iudices, apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant esse postponendos; et tamen in his omnibus, quamuis magna temeritate, Italos, Gallos, & Hispanos accusant.] hæc ipse. Scimus Adonem [d] Episcopum Viennensem affirmare, sexcentos Episcopos interfuisse Concilio Arelatensi celebrato sub Constantino; sed errare videtur, dum tempore Nicæni Concilij illud fuisse coactum tradit, & ibi cum Marino Episcopo Arelatensi interfuisse Claudium Episcopum Viennensem: nam Verus ibi subscriptus legitur; nec aliud fuit tempore Constantini Concilium Arelatense, quàm illud in causa Cæciliani celebratum aduersus Donatistas, quos eodem tempore in Africa contra Catholicos insurrexisse, idem auctor affirmat: quibus videas eum in his haud habuisse exactam temporis rationem.

c Aug. contra Epist. Parmen. lib. 1. c. 5.
d Ado in Chron. ætat. 6.

Hic etiam opus est monere lectorem, manifesto librariorum errore factum, vt in primo D tomo Conciliorum Coloniensis editionis primum Concilium Arelatense, quod ponitur, absque aliqua nota subscriptionis Episcoporum, qui præsto fuerunt, editum habeatur: contra vero nomina Episcoporum qui eidem Synodo interfuerunt, inscripta habeantur ei, quæ dicitur Secunda Synodus Arelatensis, quam celebratam esse post Nicænum Concilium, & post Photini hæresin emergentem, postque Vasense Cōcilium, canones [e] in ea positi plenissimam fidem faciunt: cum alioqui Episcopi ibidem per errorem recensiti, eius Concilij esse noscantur, quod hoc anno Volusiano & Aniano Coss. est celebratum: id enim eiusmodi inscriptio eidem præfixa docet his verbis concepta: Celebratum est autem idem Concilium tempore beati Siluestri Papæ primi, & Cōstantini Imperatoris, Volusiano & Aniano viris clarissimis Coss.] quod autem ibidem legitur, Circa annum Domini trecētesimum vigesimum sextum] ab aliquo superadditum fuisse certum est; cum exploratum sit, Acta etiā Ecclesiastica non nisi E Coss. consignari consueuisse, numquam autem anno a Christi aduentu, quod primò factum esse a Dionysio Exiguo, Beda [f] testatur. Sed de his alibi.

e Concil. Arelat. secund. c. 9. 16. 28.
f Beda de ration. temp. c. 45.

Dictis porro Coss. celebratum fuisse Concilium Arelatense, Balduinus etiam affirmat, qui Optati Opera insigniter illustrauit, & Donatistarum res gestas temporum ordine accurate digessit, adeo vt perpauca sint, in quibus ab eo dissentiamus: idem, inquam, æque consentit, additque ex fragmentis quibusdam compertum habuisse Siluestrum Romanum Episcopum eidem Synodo præfuisse, nempe per Legatos, qui in superius citato catalogo quatuor nominantur, nempe Claudius, & Vitus presbyteri, Eugenius, & Cyriacus diaconi. descripta pariter reperiuntur ibi nomina complurium Episcoporum, sed mendosissime: nimirum pro Chresto Syracusano habent Sixtum Episcopum Syracusarum; loco Probi Episcopi Capuani, qui interfuit Romano Concilio sub Melchiade, Proterius legitur: loco Meroclis Episcopi Mediolanensis, qui Romæ eidem Concilio interfuit, Orosius ponitur. ex ijs vero

A ijs vero qui anno præterito interfuerunt Romano Concilio sub Melchiade, non tantum Marinus Arelatensis (vt dictum est) atque Probus Episcopus Capuanus, sed & Maternus Agrippinensis, & Rheticius Augustudunensis in eadem Episcoporum serie, qui Arelate conuenerãt, descripti habentur, quorum nonnulli nominantur in epistola Synodali ad Siluestrum Papam, quam suo loco inferius describemus. Ceterum desiderantur nomina complurium Episcoporum, quos Synodo interfuisse certum est, nẽpe duorum collegarum Chresti in Sicilia Episcoporum, quorum fit mentio in litteris Cõstantini ad eum datis. & aliorum ingentem plane fuisse numerum Episcoporum, ex eo etiam potest intelligi, dum conuenisse constat Antistites ab extremis oris Orbis Occidentalis; nempe ex Sicilia, vt demonstratum est, Chrestum eiusque collegas; & ex Britannia, ciuitate Londinensi, Restitutum.

Magna sane vehemensque suspicio est, a Donatistis deprauatum, mutilatumque fuisse B idem Arelatense Concilium: nam in eadem serie Episcoporum, Cæcilianus Episcopus Carthaginensis, qui ab eadem quoque Synodo fuit absolutus, non Episcopus, sed presbyter nominatur. sic enim in ea scriptum legitur: Ex prouincia Africæ, ciuitate Carthagine Cæcilianus presbyter, Sperantius diaconus.] In octauum quoque eiusdem Synodi canonem mendum irrepsit; vt cum damnantur Donatistæ, qui rebaptizabant, de Arianis id statutum legitur. quamobrem illam, vt legitimam, sequimur lectionem, in qua pro Arianis legitur, Afris, quæ ex vetustioribus magisque probatis codicibus restituitur. At non tantum Arelatense Concilium a Donatistis corruptum fuisse atque truncatum apparet, sed ipsum quoque Commentarium Optati Mileuitani mutilatum, ex quo quæcumque de Concilio Arelatensi scripta erant penitus sublata noscuntur, ea nimirum, quæ sequebantur iudicium Felicis Aptungitani vsque ad illa verba: Iamdudum opinionis incertæ, &c.] quæ in primo libro scripta haben- C tur. Sublata sunt inde pariter, quæ postea pro eodem Cæciliano tertiò definita sunt Mediolani a Constantino, appellantibus iterum Donatistis; atque etiam dempta mentio de sententia Constantini, qua eosdem Donatistas (vt suo loco dicemus) damnauit exilio. Tot tantaque, conscio toto Orbe, a tam celebri Episcoporum Conuentu facta, & ab Imperatore edictis publicis definita in Donatistas, nequaquam Optatum præterijsse potuerunt. Sensit hoc etiam Balduinus in suis Annotationibus ad Optatum; cui tamen in eo assentiri non possumus, quod putat, mox post appellationem Donatistarum ad Constantinum, positum fuisse ab Optato Concilium Arelatense, atque iudicium Mediolanense, inde vero sequutam causam Felicis Aptungitani: nam præcessisse causam Felicis, atque mox sequuta esse Arelatense ac Mediolanense iudicia, ex locis Augustini superius allegatis, euidenter est demonstratum, cum ex Actis Ecclesiasticis & Consularibus Fastis appareat, hoc[a] anno, ijsdem Coss. Volu- D siano & Aniano, quintodecimo Kalendas Martias, Aelianum Africæ Proconsulem audisse atque terminasse causam Felicis, post menses quatuor a Romano Concilio sub Melchiade.

OPTATI SCRIPTA DECVRTATA.

[a] Aug. post Collat. c. 33.

Quod rursum spectat ad eiusmodi Synodi Acta; Constantinus, qui Episcopos conuocauerat, vt omnia absque tumultu agerentur, cum videret Donatistas ad turbas ciendas admodum promptos, voluit ipse eidem Conuentui Episcoporum interesse (non enim eiusmodi Concilium erat, in quo, vt in alijs, quæ ad fidem pertinent tractarentur, sed quod merum iudicium esset, in quo causa Cæciliani Episcopi ageretur, a quo non excludendus esset Imperator Catecumenus) quod testatur Eusebius[b] in vita ipsius, dum sic ait: Et quamquam communiter erga omnes se talem præstitit: tamen Ecclesiæ Dei eximiam & peculiarem curam adhibens; cum quidam inter se in diuersis locis dissensione discordarent; tamquam E communis Episcopus a Deo constitutus, ministrorum Dei coegit Concilium; et in media istorum frequentia ac congressu adesse, & vna considere non dedignatus, rerum ad deliberationem vocatarum se fecit participem; easque res, quæ ad diuinam pacem spectabant, omnibus procurauit. In medio consessu quasi vnus e multis assedit. Et quoniam Dei timore vndique septus fuit, & amicis fidelibus, maximeque beneuolis circummunitus; primum satellites amouit abs se, & totam stipatorum turbam. Denique quos ex Episcopis meliori menti consilioque obsequentes, & ad quietam & tranquillam animorum consensionem propensos animaduerteret, eos vel maxime approbauit, seque declarauit ex communi omnium concordia maximam lætitiam percipere: eos autem, qui animis essent obstinatis, magnopere detestatus est. Iam vero quosdam sua sponte acerbe incitatos, toleranter & moderate tulit, placido & mansueto sermone hortatus, vt modeste se gerere, ac neutiquam seditionem concitare studerent. Ex quibus alij eius cohortationes cum reuerentia amplexati discesserunt: alios, quorum animi ad modestiam videbantur prope insanabiles, Deo curandos per-

[b] Euseb. in Vita Constantin. lib. 1. c. 37. 38.

CONSTANTINUS INTERFUIT CONCILIO ARELATENSI.

dos permisit, ac nihil omnino contra quemquam mente concepit acerbitatis. Inde (vt est verisimile) seditiosi in Africa eo audaciæ forte proruperunt & crudelitatis, vt facinora nefaria molirentur, dæmone (vt videbatur) affluentiam præsentium bonorum Christianis inuidente, virosque ad absurdos & importunos conatus instigante, quo Imperatoris animum contra eos commoueret. A

Verùm inuido illi res parum processit ex sententia: quandoquidem Imperator ea, quæ gesta erant, pro ridiculis putauit: inquiens, se perditi dæmonis impulsionem facile intellexisse: nam facinora illa, non modestorum & sobriorum hominum esse, sed eorum qui vel mente penitus excidissent, vel essent improbi, & impij dæmonis tamquam œstro perciti: quos commiserari oportere potius, quàm supplicio afficere, asseruit. Vt enim (inquit) summæ clementiæ, eorum vicem dolere: sic hominibus, cum mente capti sunt, pœnas infligere, extremæ dementiæ est & inscitiæ. Ad hunc modum Imperator Deum omnium contemplatorem in omni re gerenda religiose veneratus, effecit vt cura, quam susceperat de Ecclesijs, nulla offensione minui labefactatiue potuisset.] hucusque de his Eusebius, quæ spectant ad Concilium Arelatense; quibus demonstrat, adiudicata causa Cæciliano, ex aduersarijs nonnullos cum ceteris Episcopis consensisse, & in eorum sententiam pedibus abijsse; quos autem contumaci atque obstinato animo refragari penitus Constantinus vidisset, nullo de eis sumpto supplicio, illæsos abire iussisse: ipsos tamen (vt suo loco dicemus) iterum a tanta Synodo appellantes, & nihilominus sententiæ Imperatoris neutiquam acquiescentes, idem vehementer commotus mulctauit exilio. Eadem plane testatur S. Augustinus [a] in epistola scripta nomine Cleri Hipponensis ad Ianuarium, cum ait: Ille (nempe Constantinus) alterum Episcopale iudicium dedit habendum in Arelatensi Galliæ ciuitate: vbi multi vestri vana & diabolica dissensione damnata, cum Cæciliano in concordiam redierunt: alij vero pertinacissimi & litigiosissimi ad eumdem Imperatorem appellauerunt: postea & ipse coactus Episcopalem causam inter partes cognitam terminauit, &c.] Sed hæc postea. B C

a August. epist. 68.

RELIQVA ACTA CONCILII ET ABSOLVTION. CAECILIANI.

Recitatum pariter fuisse oportuit in eo sacro Episcoporum Conuentu iudicium agitatum a Proconsule Aeliano iussu Constantini in causa Felicis Aptungitani, cognitum, ratumque a Patribus habitum; Ingentiumque Scribam, quem Constantinus scriptis ad Probianum (vt vidimus) litteris euocauerat, vt quod confessus fuerat palam faceret, falsaque a Donatistis scripta ederet: ad eiusdem Concilij audientiam introductum fuisse, certo credimus. Quibus & alijs manifestioribus testificationibus cognitam perspectamque fuisse Cæciliani innocentiam, atque omnium calculo magna gloria absolutum fuisse, exploratissimum est: quo modo enim ab eo iudicio ijdem impudenter appellassent, nisi causa Cæciliano adiudicata fuisset? Certe quidem absolutum eo iudicio ipsum fuisse, etiam illorum posteri Donatistæ fatebantur: sic enim ait S. Augustinus [b]: Fatetur etiam Parmenianus, ad Arelatense oppidum & Episcopos Iudices, & partes ex Africa conuenisse, Cæcilianum scilicet, atque Donatistas: vbi omnia suis credidit, qui nihil victi potuerunt de Iudicibus conqueri.] Verum Parmenianus Osium Episcopum Cordubensem calumniatus est, suscepisse patrocinium Cæciliani; et qui sedebat cum alijs Iudex, se eius exhibuisse defensorem. Affirmat idem S. Augustinus [c], Parmenianumque hoc testatum esse: nam ait: Cum enim diceret, per Osium Hispanum adiutorium præstitum Cæciliano, vt ad eorum communionem sanctorum & illibatorum numerus cogeretur, & huic impietati fidem seruorum Dei integram restitisse.] D

b Aug. contra epist. Parmen. lib. 1. c. 6.

c Aug. eod. lib. c. 5.

SVBIECTI PRAESIDES EPISCOPIS.

Absoluta igitur Cæciliani causa, facet ille cœtus Episcoporum, ex more, nonnulla statuit, quæ ad optimum Ecclesiarum regimen spectare videbantur. Et quod auctore Eusebio dictum est, eidem Episcoporum Conuentui interfuisse Constantinum Imperatorem: idem Augustus libenter tulit, fasces Proconsulum, & magistratum ipsosque prouinciarum Rectores Christianos subijci ciuitatum Episcopis: immo ipsum auctorem fuisse par est credere, vt sanctissimi illi Patres eiusmodi de prouinciatum Præsidibus sanctionem proficuam valde optimo Reipublicæ statui promulgarent: E

De [d] Præsidibus, qui Fideles ad Præsidatum impetu prosiliunt, ita placuit, vt cum promoti fuerint, litteras accipiant Ecclesiasticas communicatorias: ita tamen, vt in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopo eiusdem loci cura de illis agatur: vt cum cœperint contra disciplinam publicam agere, tunc demum a communione excludantur. Similiterque & de ijs fiat, qui Rempublicam agere volunt.] hactenus diuina illa plane lex Ecclesiastica in tam celebri Episcoporum Conuentu, præsente, rogante (vt par est credere) atque annuente Imperatore sancita, qua schismatici atque hæretici a Præfecturis ceterisque magistratibus excludendi penitus forent. Continet hæc Canon septimus eiusdem Concilij, cuius omnes alij ibidem instituti

d Concil. Arelat. c. 7.

A stituti canones vigintitres numerantur: qui omnes ad Siluestrum Romanum Pontificem missi sunt ab Episcopis qui Synodo interfuerunt, scripta ad eum epistola Synodali, qua & petierunt statuta ab ipsis eius auctoritate firmari. porro ad Siluestrum datas litteras ipsas integras paulo post descripturi sumus, quarum in editis canonibus inscriptio tantum notata reperitur. Nos autem ipsa, vt se habent, eiusdem Cōcilij Arelatensis decreta hic recensebimus, eadem ex dicta epistola Synodi ad Siluestrum Pontificem cognituri, ex qua tantum scriptis canonibus præfixa inscriptio reperitur: cui canones subscripti habentur, eorum vero aliquos (vt ad institutum spectare nouerimus) hic descriptos elucidabimus, quibus ex eadem Siluestri epistola petitus titulus sic legitur inscriptus:

Domino & Sanctissimo fratri Siluestro Episcopo Marinus & cœtus Episcoporum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi. Quæ decreuimus communi Concilio, charitati tuæ significamus; vt omnes sciant, quid in futurum obseruare debeant.] hæc Patres. Quod autem B ad perfectam quoque Ecclesiarum omnium vnionem atque concordiam spectare videbant, nempe, vt diei Paschatis celebrationem vna eademque die omnes Fideles agerent, ne eam diem ex priuatis diuersorum supputationibus diuersis temporibus celebrari contingeret: arbitrio id statuerūt Romani Episcopi tantummodo definiendum, cuius litteris, ex more, ad vniuersos Christianos datis, quo potissimum tempore Pascha quolibet anno celebrandum foret, omnibus innotesceret. sunt hæc verba eiusmodi institutionis:

De [a] obseruatione Paschæ Domini, vt vno die & tempore per omnem Orbem obseruetur, & iuxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.] hæc sancta Synodus, nihil noui definiens, sed vt quod hactenus per Romanæ Ecclesiæ Episcopos fieri consueuisset, ab omnibus illibatum custodiretur; quòd sciret eius tantummodo esse muneris, de his quæ obseruanda in Ecclesia essent, Christiano Orbi litteris significare. Multa insuper addidit de C his quæ ad rectam Ecclesiasticam disciplinam informandam spectare videbantur, nimirum: De [b] his, qui in quibusdam locis ordinati fuerint ministri, vt in ipsis etiam perseuerent.] insuper: De [c] his, qui arma proijciunt in pace, placuit abstinere eos a communione:] eos videlicet, qui nulla persecutione vrgente, nimia quadam animi leuitate a fide exciderent. Quòd vero Christianis Circensia spectacula interdicere nimium difficile videretur, prohibuit ne diuersarum factionum, nempe Albatorum, Russatorum, Venetorum, & Prasinorum agitator aliquis Christianus reperiretur, sic statuens [d]: De agitatoribus qui Fideles sunt, placuit eos, quamdiu agitant, a communione separari.]

[a] Concil. Arelat. c. 1. ALIQVI CANONES ARELATENSIS CONCILII.
[b] Ibid. c. 2.
[c] Ibid. c. 3.
[d] Ibid. c. 4.

Accidebat plane & illud a Christiana religione procul abhorrens, vt non tantum eiusmodi agitatores in legem Ecclesiasticam peccantes a communicatione exciderent Catholi- D ca; sed & perfacile Fideles sese huiuscemodi coloribus distinctis factionibus implicarent, suaque studia in eam partem conferrent, cuius esset homo Christianus auriga: contra vero qui alijs fauerent aurigis, fouerentque aduersarios agitatores, cum in Christianum aurigam, tum etiam in reliquos Fideles malo animo essent affecti; vt ex his quæ S. Hieronymus tradit in rebus gestis S. Hilarionis de Christiano agitatore facile potest intelligi. Ad hæc igitur omnia euitanda S. Synodus vetuit Christianos agere in Circo agitatores. De scenicis id ipsum placuit, sic decernendo [e]: De Theatricis, & ipsos placuit, quamdiu agunt, a communione priuari.] Rursum vero [f]: De his qui in infirmitate credere volūt, placuit debere his manum imponi.] Porro eam manus impositionem existimo ipsos intellexisse, cuius S. Augustinus [g] meminit in libro de vnico baptismo contra Donatistas, cum agit de ea manus impositione, quæ baptizatis exhibetur: Quid enim est (ait) aliud manus impositio, nisi ora- E tio super hominem?]

[e] Ibid. c. 5.
[f] Ibid. c. 6.
[g] Aug. lib. 3. c. 16.

Illud quoque diligenter obseruandum est: quoniam constat ex sententia Romani Concilij, quam Optatus [h] recitat, Donatum a Casisnigris duplici de causa fuisse damnatum, tum quòd rebaptizasset, tum etiam quòd Episcopis lapsis manum imposuisset; ne præsumptum scelus ab eo latius serperet, eiusmodi legem ijdem statuere [i]:

[h] Optat. Milevit. lib. 1.
[i] Cōcil. Arelat. c. 8.

De * Afris, qui propria lege sua vtuntur, vt rebaptizentur; placuit, si ad Ecclesiam aliqui de hac hæresi venerint, interrogent eos nostræ fidei sacerdotes symbolum: et si per* uiderint, in Patre Filio & Spiritu sancto eos baptizatos, manus eis tantum imponatur, vt accipiant Spiritum sanctum. Quòd si interrogati non responderint hanc Trinitatem, baptizentur.] hæc S. Synodus, quòd Donatistæ opinionem a Cypriano & alijs quibusdam Africanis Episcopis assertam sectari profiterentur, vt omnes qui extra Catholicam Ecclesiam baptizati essent, vero baptismate in Ecclesia baptizandi forent: cumque se tantum esse Catho-

* Arianis

licos, puros, ac mundos dicerent; reliquos vero vel traditione pollutos, vel eorum cōmunicatione fœdatos, ac proinde extra Ecclesiam constitutos: inde accidit, vt quoscūque possent ad schisma pellicere, continuo rebaptizarent. Cumq. speciosi nominis Cypriani prætextu suam ipsorum sententiam diuulgarent; inde euenit, vt quod ante statutum fuisse vidimus, Patres in eadem Synodo confirmarent, nimirum eos tantum esse baptizandos vero baptismate, quos absque confessione sanctissimæ Trinitatis constaret suscepisse baptismum. Permagni quippe interest, quo animo quid in Ecclesia asseratur: nam Donatistæ licet eamdem se cum Cypriano atque collegis sententiam sequi profiterentur; hunc tamen Ecclesia veneratur vt Sanctum, illos autem detestatur vt impios. vnde iure Vincentius [a] Lirinensis exclamat dicens: O rerum mira conuersio! Auctores eiusdem opinionis Catholici, consectatores vero hæretici iudicantur: absoluuntur magistri, condemnantur discipuli: conscriptores librorum, Regni filij erunt; assertores vero gehenna suscipiet. Nam quis illud Sanctorum omnium & Episcoporum & Martyrum lumen beatissimorum Cyprianum cum ceteris collegis suis in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo? aut quis contra tam sacrilegus, qui Donatistas, & ceteras pestes, quæ illius auctoritate Concilij rebaptizare se iactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo?] hæc ipse. Quòd vero Donatus (vt dictum est) damnatus fuerit ea etiam de causa, quòd lapsis Episcopis manum imposuisset: ipsum fuisse Episcopum, significari videtur, eius nempe loci a quo denominationem acceperat, vt diceretur, a Casisnigris. Patres igitur tantam temeritatem detestati, quòd contra maiorum decreta lapsis Episcopis sic manus imponeretur, vt etiam in functione Episcopali deberent perseuerare, quòd Donatus aduersus Ecclesiasticam disciplinam præsumpsisset, eiusmodi regulam statuerunt:

CYPRIANO PRO SCVTO MALE VSI DONATISTAE.

[a] Vincent. Lirin. lib. aduers. hæres. 11.

A · B

De [b] his qui scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa dominica, vel nomina fratrum suorum; placuit nobis, vt quicumque eorum ex Actis publicis fuerit detectus, vel verbis nudis, ab ordine cleri amoueatur. Nam si ijdem aliquos ordinasse fuerint deprehensi; etsi in his, qui ordinauerunt, ratio subsistit; non tamen illis subsistat ordinatio: quoniam multi sunt qui contra Ecclesiarum regulam pugnare videntur, & per testes redemptos putant se ad accusationem * admitti debere; qui omnino non admittantur, nisi, vt supra diximus, Actis publicis docuerint omni se suspicione carere.]

[b] Concil. Arelat. c. 13.

* excusationem

C

Ceterum quoniam ipsa Synodus ex prolatis coram se atque probatis accusationibus aduersus Cæcilianum & Felicem Aptungitanum probe intellexisset, eos Donatistarum circumuentos fuisse calumnijs: aduersus falsos accusatores eiusmodi scripsit decretum [c]: De his qui falso accusant fratres suos; placuit eos vsque ad exitum non communicare: sed falsum testem, iuxta Scripturam [d], impunitum non licere esse.] Ad hæc quoque spectabat tempora, quòd lapsorum complures, reddita iam pace Ecclesiæ, lætantes viuerēt, nec de admisso impietatis scelere, moniti licet, pœnitentiam agerent; ijdemque ægritudine laborantes communionem peterent. ad coercitionem ergo aliorū ignauiæ hæc in eodem Conuentu ijdem Episcopi statuerunt [e]: De his qui apostatant, & numquam se ad Ecclesiam repræsentant, nec pœnitentiam quidem agere quærunt, & postea infirmitate correpti, petunt communionem; placuit eis non dandam communionem, nisi reualuerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.] Sed & quod in Concilio Eliberino antea celebrato statutum fuerat, vt cum cessasset iam persecutio, nullus amplius vsus esset epistolarum, quæ a Confessoribus datæ essent in signum Catholicæ communionis: id ipsum quoque Patres in hoc Concilio decreuerunt his verbis [f]: De his qui Cōfessorum litteras offerunt; placuit, vt sublatis eis litteris, alias accipiant communicatorias] eas nimirum, quas Episcopi dare solerent. hæc Synodus, a qua alia plura sunt salubriter instituta. Sed hæc satis de ijs, quæ ad rerum gestarum historiam spectare videri possunt.

[c] Eod. Concil. c. 14.

[d] Prouerb. 19.

[e] Cōcil. Arelat. 1. c. 22.

[f] Ibid. c. 9.

D · E

Superest vt hic describamus epistolam a Synodo scriptam ad Siluestrum Romanum Pontificem de his quæ gesta essent in Synodo, ex P. Pithœi Bibliotheca depromptam, qua & sanciti canones nonnulli continentur, hic ad certiorem fidem insinuandam cum eadem recitandi; est autem eiusmodi eius inscriptio: Dilectissimo Papæ Siluestro, Marinus, [g] Acratius: Natalis, Theodorus, Proterius, Vocius [h], Verus, Probatianus [i], Cæcilianus, Faustinus, Surgentius, Gregorius, Rheticius, Ambitausus [k], Terminatius [l], Merocles, Pardus, Adelfius, Hibernius [m], Fortunatus, Aristasius [n], Lampadius, Vitalis, & Maternus, Liberius, Gregorius, Crescens, Auitianus [o], Dasnus, Orantalis [p], Quintasius [q], Victor, Victor, Epictetus, in Domino æternam salutem.] Constat quidem complurium Episcoporum nomina hic mendose legi, quæ emendauimus in margine (vt licuit) ex ipsa inscriptione Episcoporum quæ

[g] Agricius
[h] Euotius, vel Euoptius
[i] Probatus
[k] Bechausus
[l] Termatius
[m] Eburius
[n] Anastasius
[o] Auicianus
[p] Orientalis
[q] Quintianus

A errore præfixa habetur Concilio posteriori Arelatensi. Ipsa autem epistola sic se habet:

Communi copula charitatis, & vnitate matris Ecclesiæ Catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatensium ciuitatem pijssimi Imperatoris voluntate adducti, inde te, religiosissime Papa, cum merita reuerentia salutamus, vbi graues ac perniciosos legi nostræ atque traditioni effrenatæ mentis homines pertulimus: quos & Dei nostri præsens auctoritas & traditio ac regula veritatis ita respuit, vt nulla in illis aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus vllus, aut probatio conueniret. Ideo iudice Deo & matre Ecclesia, quæ suos nouit & comprobat, aut damnati sunt, aut repulsi. Et vtinam, frater dilectissime, ad hoc tantum spectaculum interesses: tanti fecisses profecto credimus, quia in eos seuerior fuisset sententia prolata, & te pariter nobiscum iudicante, cœtus noster maiori lætitia exultasset. Sed quoniam recedere a partibus illis minime potuisti, in quibus & Apostoli quotidie sedent,

B & cruor ipsorum sine intermissione Dei gloriam testatur: non tamen hæc sola nobis visa sunt tractanda, frater carissime, ad quæ fueramus inuitati, sed & consulendum nobismetipsis consuluimus: et quàm diuersæ sint * prouinciæ ex quibus aduenimus, ita & varia contingunt, quæ nos censemus obseruare debere. * sunt

Placuit ergo, præsente Spiritu sancto & Angelis eius, vt & his qui singulos quos * monebat, iudicare, proferremus de quiete præsente. Placuit etiam, antequam * a te, qui maiores diœceses tenes, * per te potissimum omnibus insinuari. Quid autem sit quod senserimus, scripto nostræ mediocritatis subiunximus. Ad id primo loco de vita nostra atque vtilitate tractandum fuit: vt qui vnus pro multis mortuus est, & resurrexit: ab omnibus tempus ipsum ita religiosa mente obseruetur, ne diuisioni vel dissensioni in tanto obsequio deuotionis possint exurgere. Censemus ergo, Pascha Domini per Orbem totum vna die obseruatum iri. * ... edantur * aperte

C De his quoque qui quibuscumque locis ordinati fuerint ministri: vt in ipsis locis perseuerent. De his agitur * enim qui arma proijciunt in pace: placuit abstineri eos a communione. De circissarijs agitatoribus, qui Fideles sunt: placuit eos, quamdiu agitāt, a communione separari. De theatricis; ipsos placuit, quamdiu agunt, a communione separari. De his qui in infirmitate sunt constituti & recedere volunt; placuit eis manum imponi. De Præsidibus autem, qui Fideles sunt, & ad præsidatum consiliunt: ita placuit, vt cum promoti fuerint, litteras quidem accipiant Ecclesiasticas communicatorias; ita tamen, vt in quibuscumque locis gesserint ab Episcopis eiusdem loci cura illis agatur: et si cœperint contra disciplinam agere, tunc demum a communione excludantur. Et de his quidem qui in Republica agere volunt, similiter. De Africa * autem, quòd propria lege sua vtantur, vt rebaptizent: placuit, vt ad Ecclesiam, si aliquis hæreticus venerit, interrogent eum symbolum: et si peruiderint eum in * igitur * Afris

D Patre & Filio & Spiritu sancto esse baptizatum; manus tantum ei imponatur. Quod si interrogatus symbolum, non responderit, Trinitatem, tunc merito baptizetur, & cetera.... Tunc tædiās iussit omnes..... ad sedes suas redire.] hucusque Synodica, in qua deesse reliqui canones noscuntur, & alia vsque ad dimissionem Episcoporum factam a Constantino. Est autem inter hæc omnia illud obseruatione dignissimum, antiquum fuisse Catholicæ Ecclesiæ morem, vt leges Ecclesiæ in frequenti Patrum Consessu sancitæ cum essent, eas ad Romanum Pontificem mitterent, cuius auctoritate probatæ ab eodem in vniuersas Ecclesias promulgarentur: id enim Patres ea professi sunt sententia, qua dixerunt: Placuit etiam, antequam * .... a te qui maiores diœceses tenes, * per te potissimum omnibus insinuari.] * edantur * aperte

Constat Donatistas ex iudicio huius Synodi Arelatensis, iterum (quod fecerant antea) appellasse ad eumdem Constantinum Imperatorem: id quidem S. Augustinus (vt dicemus)

E sæpe testatur. Ceterum quòd constet Constantini iudicium non nisi post sequentē annum esse exhibitum, intelligi potest eumdem Constantinum nequaquam detulisse eorum appellationi, cum illam ipsi interposuerunt, nisi post biennium, victum illorum improbitate. Hoc autem anno eos in Africam redijsse, perstitisseq. in eadem aduersus Cæcilianum & Episcopos Iudices animi pertinacia, litteræ Magistratuum, quibus curæ fuit vt redeuntibus in Africam Episcopis pararent viaticum, declarant: quæ sic se habent:

Petronius, Annianus, & Iulianus Domicio Celso Vicario Africæ.

Quoniam Lucianum, Capitonem, Fidentium, & Nasutium Episcopos, & Mammarium presbyterum, qui secundum cæleste præceptum domini Constantini Maximi inuicti semper Augusti ad Gallias cum alijs legis eius hominibus venerant, dignitas eius ad lares proprios venire præcepit: angarialem his cum annonaria competentia vsque ad Arelatensem portum, secundum imperatum æternitatis eiusdem clementissimi Principis dedimus, frater, qua inde Africam nauigent: quod solertiam tuam litteris nostris scire conueniat.

Optamus te, frater, feliciſſimum bene valere. Hilarius Princeps obtulit IIII. Kalendas A
* Treueris — Maias, * Triberis.] ſunt hi Epiſcopi hic nominati partium Donatiſtarũ coryphæi, atque ijdem
ipſi qui primo ante Romanum Concilium ſub Melchiade dato libello (vt diximus ex Opta-
a Optat. lib. 1. — to [a]) interpellarunt Conſtantinum Imperatoris aduerſus Cæcilianum. Magna quidē hæc hu-
manitas & tolerantia eiuſdē Conſtantini, & fortaſſe nimia, cum obſtinatos ſchiſmaticos, ſicut
publica euectione in Gallias ex Africa euocauerat, ita redeuntes eadem proſequutus eſt mu-
nificentia: ſed male plane conſultus (quod exitus demonſtrauit) dum pacientia eos ſuperare
conſtituit, & beneficentia demereri: quæ autem fuerit de his animi ſui ſententia, teſtatur lit-
teris, quas dedit ad Catholicos in Africa conſtitutos, quæ ſic ſe habent:

Conſtantinus Auguſtus vniuerſis Epiſcopis per Africam, & plebi Eccleſiæ Catholicæ.

Quod fides debuit, quantum prudentia valuit, prout puritas potuit, tentaſſe me per
omnia humanitatis & moderationis officia, optime ſcitis; vt iuxta magiſteria legis noſtræ, B
pax illa ſanctiſſimæ fraternitatis, cuius gratiam Deus ſummus famulorum ſuorum pectori-
bus immiſcuit, ſtabilita per omnem concordiam teneretur. ſed quia vim illam ſceleris infuſi,
paucorum licet, ſenſibus peruicaciter inhærentem intentionis noſtræ ratio non potuit edo-
mare, fauente adhuc ſibi huic nequitiæ patrocinio, vt extorqueri ſibi omnia non ſinerent, in
* ſerpit — quo ſe deliquiſſe gauderent: ſpectandum nobis eſt, dum totum hoc per paucos ſedit *, in po-
pulum, omnipotentis Dei miſericordia mitigetur. Inde enim remedium ſperare debemus,
cum omnia bona vota & facta referuntur. Verum dum cæleſtis medicina procedat, hactenus
ſunt conſilia noſtra moderanda, vt patientiam percolamus; et quicquid inſolentia illorum
pro conſuetudine intemperantiæ tentat aut facit, id totum tranquillitatis virtute toleremus:
nihil ex reciproco reponatur iniuriæ: vindictam enim, quam Deo ſeruare debemus, inſipientis
eſt manibus vſurpare, maxime cum debeat fides noſtra confidere, quicquid ab huiuſmodi ho- C
minum furore patietur, martyrij gratia apud Deum eſſe valiturum. Quid eſt enim aliud in
hoc ſæculo in nomine Dei vincere, quàm inconditos hominum impetus quiete legis popu-
lum laceſſentes conſtanti pectore ſuſtinere? Quod ſi obſeruauerit veſtra ſinceritas: cito vide-
bitis per gratiam ſummæ diuinitatis, vt langueſcentibus eorum inſtitutis, vel moribus, qui ſe
miſerrimæ contentionis vexillarios præbent, ſciant omnes non debere ſe paucorum perſua-
ſione pereuntes ſempiterno leto dare, quò poſſint pœnitentiæ gratia, ſemper vitæ æternæ,
correctis erroribus ſuis, integrari. Valete voto communi per ſæcula iubente Deo, fratres
cariſſimi.] hæc ad Catholicos Conſtantinus. Quid autem poſt hæc reuerſi in Africam, abuſi
patientia tanti Principis, Donatiſtæ præſumpſerint, ſuo loco dicemus.

Quod vero ad ſtatum politicum ſpectat: hoc anno, ijſdem Coſſ. Voluſiano & Aniano,
Conſtantinus Imperator, Treueris cum eſſet, tertio Nonas Nouembris edictum de appella- D
tionibus promulgauit: licet alibi datum, nēpe Adrumeti legatur: ſæpe namque cōtigit; vt quo-
niam qua data eſſent die, & qua accepta, ſolerent Imperatorum edicta atque reſcripta nota-
ri; errore librariorum factum eſſe reperiatur, vt vbi data eſt lex, ibi acceptam eſſe perperam
ſcriptum ſit, & contra vbi fuit accepta, datam eſſe, ſit errore locus appoſitus: quod niſi quis
accurate conſideret, innumeris ſe inuoluet ambagibus, dum reperiet frequenter paucorum
dierum ſpatio ab eodem Imperatore in diuerſis longeque remotis Orbis locis data eſſe re-
ſcripta; quibus, niſi quis mendum intelligat, interdum fateri cogitur, breui temporis ſpatio,
idque ſæpius, eumdem (quod perabſurdum eſt dicere) Romanum Imperium peragraſſe.
b l. 3. de appellat. Cod. Theodoſ. — Meminit idem Conſtantinus in reſcripto ad Probianum [b] Africæ Proconſulem anno ſequenti
dato, de promulgato a ſe generaliter edicto de appellationibus. Porro eiuſdem edicti deſcri-
c l. 2. de appellat. & l. 1. quorũ appellat. Cod. Theod. & l. minime de appel. C. Iuſtin. — pta habentur fragmenta quædam in Codice [c] Theodoſiano, cuius etiam pars illa fuiſſe vi- E
detur, qua cautum eſt, ne ſententiam capitis in aliquem Iudex ferret, niſi manifeſte eſſet ſua
confeſſione conuictus: ibidem namque loci, nempe Treueris, & eadem die tertio Nonas
Nouembris, eodemque anno, & ad eumdem Catullinum lex [d] illa data habetur. Hæc de edi-
d l. 1. de pœnis Cod. Theod. & l. 16. Cod. Iuſtin. — cto Conſtantini voluimus attuliſſe, quòd fortaſſe occaſione Donatiſtarum temere appellan-
tium illud ab eo fuerit promulgatum.

CONSTANTINI DIVERSAE LEGES.

Ex quo autem de legibus Conſtantini hoc anno editis ſemel dicere aggreſſi ſumus; fuit in-
ter alias illa laudabilis, qua ingenuos a Maxentio Tyranno ſeruituti ſubiectos in libertatem
e l. 1. de ingenuis Cod. Theod. — vindicari iuſſit, ſic ad Voluſianum [e] reſcribens:

Vniuerſi deuotionis ſtudio contendant, ſi quos ingenuis natalibus procreatos, ſub Tyranno
ingenuitatem amiſiſſe, aut propria contenti conſcientia, aut aliorum indicijs recognoſcunt,
natalibus ſuis reſtituere, nec expectata Iudicis interpellatione. Nā ſi quis contra conſcientiam
ſuam, vel certiſſima teſtimonia plurimorum, in eadem auaritia & tenacitate permanſerit, ſe-
ueriſſima

A uerissima pœna mulctabitur. Placet autem etiam eos periculo subiugari, qui scientes ingenuos seruitutis necessitatem per incuriam sustinere, dissimulant. Propos. VIII. Kal. Maij Romæ, Volusiano & Aniano Coss.

At desideratur illud Christiano Imperatore dignum edictum, quo cœnosas illas sordidissimarum libidinum cloacas obstruxit, cuius meminit S. Hieronymus[a] dicens: Inter scorta quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterunt publicæ libidini expositi: donec sub Constantino Imperatore, Christi Euangelio coruscante, & infidelitas vniuersarum gentium, & turpitudo deleta est.] Perijt & illa pariter laudata Constantini lex, qua vetuit eunuchos gerere Præfecturas, & magistratus, de qua Lampridius in Alexandro: Scio, inquit, Constantine Imperator, quo periculo ista dicantur apud Imperatorem, qui talibus seruit: sed salua Republica, posteaquàm intellexisti, quid mali clades istæ habeant, & quemadmodum Principes circumueniant, & tu eos eo loci habes, vt nec chlamyde vti iusseris, sed necessitatibus B domesticis delegaris.] Vetuit idem Constantinus[b] ancillas Christianas tradi lenonibus, quas a Christianis hominibus redimi voluit. At de his modo satis.

[a] Hieronym. in Isai. lib. 2. c. 3.

[b] l. de Lenon. Cod. Theodos.

Quod autem testatur Eusebius[c], extincto Maximino in Oriente Tyranno, mox celebrari cœptos frequentes Episcoporum in vnum Conuentus: cum ex his, quæ dicta superius sunt, constet eumdem Tyrannum anno præsenti, vlciscente numine, esse sublatum: hoc ipso quoque anno ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam tot annorũ spatio ob ingentes persecutiones collapsam, in diuersis eius Orbis prouincijs eadẽ cœpere Episcoporũ celebrari Cõcilia. Adhuc antiqua quædã monumenta supersunt eiusmodi studij ac vigilantiæ pastoralis, nempe canones Conciliorum Ancyrani atque Neocæsariensis: quorum Ancyranum prius collectum fuisse videtur, Neocæsariense vero posterius: quòd enim in Ancyrano Concilio in pri-C mis de ijs agitur, qui in persecutione lapsi, per pœnitentiam restituendi essent; sedata persecutione hoc anno, post Pascha celebratum fuisse videtur. In Neocæsariensi vero Concilio, cui complures ex illis qui Ancyranæ Synodo interfuerant, subscripti habentur, ijdem supplesse visi sunt ea, quæ in Ancyrano fuerant prætermissa. Quod igitur olim Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine, & Gregorius Episcopus Neocæsariensis in Ponto Decianæ persecutionis tempore lapsos, non nisi (vt vidimus) præuia satisfactione, & secundum delicti pondus pœnitentia compensata, in Ecclesiam recipiendos esse statuerunt; atque rursum de ijs, qui vrgente Diocletiani vexatione, a fide exciderant, pariter decreuerunt in Occidente Hispaniarum Episcopi in Concilio Eliberino, nec non in Aegypto Magnus ille Petrus martyr Episcopus Alexandrinus: idipsum æque Syriæ atque Asiæ complures simul coeuntes Episcopi præstiterũt: vt videas vnum eumdemque Spiritum sanctum Ecclesiam Catholicam D moderari, in eamdemque de lapsis recipiendis, ne nisi præuia satisfactione ad communionem Ecclesiasticam admitterentur, diuersis in locis, diuersisque temporibus, sanctos Episcopos, eodem sacro afflante Spiritu, conspirasse sententiam; vt pro distinctione criminum, personarum, & temporum, proque diuersitate affectuum pœnitentium, diuersas quoque inire rationes, eiusdem sancti Spiritus discretio persuaserit.

[c] Euseb. lib. 10. c. 3. & 9.

CREBRA IN ORIENTE CONCILIA.

Hæc igitur vt agerentur in Concilio Ancyrano, operam præcipuam visus est impendisse primariæ sedis Ecclesiæ Orientalis Vitalis Episcopus Antiochenus; qui pace Ecclesiæ benę vsus, dispersos per plateas ex ingenti illo terræmotu lapides Sanctuarij in vnum colligere & glutino communionis Catholicæ vna cum ceteris templi Dei structuræ restituere conatus est. Vt autem Ancyra ciuitas ad eiusmodi sacrũ Cõuentum celebrandũ eligeretur, loci opportunitas persuasit, vtpote in meditullio regionis constituta, quo Minoris Asiæ Episcopi, Cappa-E doces, Pontici, pariter & Armeni, Cilices & Syri conuenire facilius potuissent. Id nos de Vitale affirmare persuadet, quòd ex ijs, qui huic Synodo interfuerunt Episcopi, ponitur primo loco Vitalis Antiochenus, post quem recensetur Agricolaus Episcopus Cæsareæ Palæstinæ, qui in ea sede præcessit Eusebium Pamphili. Sed & interfuit quoque inter alios Orientales Episcopos, qui eidem ciuitati vbi acta est Synodus præerat Episcopus Marcellus Ancyræ primæ Galatiæ. Hic idem fuit Marcellus Episcopus Ancyranus, qui primo inter Catholicos in Nicæno Concilio, vt suo loco dicendum est, aduersus Arium egregiam nauauit operam, postea vero ab Arianis magnopere exagitatus est, absolutus autem Romæ a Iulio Papa, nec non a Concilio Sardicensi, vixitq. vt colligitur ex Epiphanio[d] (mirum dictu) vsque ad annum decimum Valentiniani atque Valentis Imperatorum, qui numeratur Domini trecentesimus septuagesimussextus.

CONCILIVM ANCYRANVM.

[d] Epiph. hæres. 42. & 77 & lib. 1. circa princip.

Ponitur post Marcellum Lupus Tarsensis Episcopus, qui inter egregios Catholicæ fidei propugnatores ab Athanasio[e] recensetur; nec non Basilius Episcopus Amasenus, qui sub

[e] Athan. orat. 1. contra Arian. ad Episc. Aegyp. & Libya.

Licinio Christianos persequente illustre martyrium subijt, de quo plura suo loco dicturi sumus, quem & S. Athanasius [a] inter insigniores fama Catholicos numerat; item Philadelphius Iuliopolis, qui postea interfuit & subscripsit Magno Nicæno Concilio. Post hunc sequitur ordine Eustolius Episcopus Nicomediæ: successerat hic Anthimo, quem Maximianus Galerius [b] ob Christi fidem necauit, atque igni tradidit; hunc Cyrillus [c] præcesserat: itemque Heraclius Zelenensis Maioris Armeniæ Episcopus, qui etiam subscriptus legitur Magno Nicæno Concilio; Petrus Iconiensis, cuius successor Eulalius interfuit eidem Nicæno Concilio; Nunechius Laodicensis & ipse primus recensitus habetur inter Episcopos Phrygiæ Pacatianæ, qui interferunt Nicæno Conuentui: quibus subduntur Sergianus Antiochiæ Pisidiæ, Epidaurus Pisidensis Pamphiliæ, & Narcissus Neroniadis, qui postea defecit ad Arianos: Leontius quoque ibi ponitur Cæsareæ Cappadociæ Episcopus: hic insignis ille, qui (vt suo loco dicemus) veniens ad Nicænum Concilium, Nazianzum cum peruenisset, baptizauit Gregorium patrem Gregorij [d] Nazianzeni. Longinus etiã Episcopus Neocæsariensis in Ponto ibi subscribitur, qui pariter magna cum laude versatus est in Nicæno Concilio, quod chirographo confirmauit, quẽ inter coryphæos Orthodoxæ fidei adnumerat Athanasius [e], ipsumq. Longianum nominat: præcessit hic Musonium, cuius S. Basilius [f] meminit scribens ad Neocæsarienses: itemque Amphion Episcopus Epiphaniæ in Cilicia, qui itidem Nicæno Concilio præsto fuit a parte Catholicorum, Salaminus Germaniciæ, & Germanus Neapolis Palęstinæ Episcopi, omnes numero decem & octo, quos recensuisse oportuit ob rerum gestarum continuatam seriem.

a Athan. orat. 1. contra Arian.
b Acta Luciani martyris.
c Acta Domnæ & Indes.
d Greg. Nazian. orat. in funer. patris.
e Athan. orat. 1. contra Arian.
f Basil. epist. 64.

DECRETA IN CONCILIO ANCYRANO.

Quid autem actum sit, quidve decretum a tam nobili tot tantorumque Patrum Consessu, dignum putamus quod Annalibus intexatur. Ipsi enim in confinio quodam persecutionis & pacis Ecclesiæ constituti, haud aliud docuerunt in pace, quàm quod antea a Patribus nouerent fuisse traditum, & in Ecclesia actitatum: penes quos (vt vidimus) nihil antiquius fuit, quàm Ecclesiasticam disciplinam in omnibus sartam tectam seruare, & inuiolabiliter custoditam posteris tradere. Videre erat lugubre plane spectaculum, nempe lapsorum multitudinem, qui adeo diuturnam asperamque persecutionem pertæsi, desperatione melioris rerum vicissitudinis victi, timore perterriti, vel allecti blanditijs negauerant, rubore suffusam, vultu demisso, ad sanctorum Episcoporum pedes accidere, genua prehensare, fusis lacrymis petere enixiusque rogare pro venia, vt mererentur in Ecclesiam recipi, e qua misere excidissent. Videntes enim se a communi omnium gaudio esse seclusos, ab ingressu ecclesiarum vetitos, a cõmunione sacratissima separatos, a Fidelium consortio segregatos, & denique totius Christiani populi publicæ hilaritatis expertes; immenso animi mærore tenebantur absorpti; suæque ipsorum ignauiæ memores, qua se tanto dedecore turpiter affecissent; aliorum gloria, qui in acie fortiter perstitissent, veluti flagris acriter verberabantur; illorumque cicatricibus velut astris splendore micantibus, non secus ac densis tenebris obscurabantur. Horum omnium miserti sanctissimi illi, sic illorum casibus prospexerunt, vt tamen esset Ecclesiasticæ disciplinæ consultum. quamobrem quasdam regulas pari omnium voto scripserunt, quibus pro criminum differentia esset ab eis in omnibus Ecclesiæ satisfactum. Quòd autem ipsæ eiusmodi esse noscantur, quibus non tantum sancitur Ecclesiastica disciplina, sed etiam de his quæ aduersus Fideles agere solerent persecutores, sincerissima reseratur historia: easdem hic recensere & elucidare, operæpretium existimamus.

Extant eiusdem Concilij vigintiquatuor canones, ijdemque e Græco conuersi triplicis editionis, quarum primam a Dionysio Exiguo translatam habet Cresconiana Collectio, secunda est incerti auctoris, tertia vero Gentiani Herueti: nos venerandæ antiquitati amplius tribuentes, penes quam Græca exemplaria fideliora fuisse putantur, sequemur in his Dionysij versionem, quæ a Cresconio eiusmodi inscriptione notatur:

Incipiunt regulæ Ancyrani Concilij.

Istæ regulæ priores quidem sunt Nicænis, sed ideo Nicænæ prius scriptæ sunt, propter auctoritatem eiusdem Magni sanctique Concilij congregati apud Nicæam.

Patres igitur ab ipso lare (quod aiunt) incipientes, quodque scriptum [g] sit, Tempus est, vt incipiat iudicium a domo Dei] ab Ecclesiæ ministris tractationem auspicantur, sic definientes:

g 1. Petr. 4.

h Concil. Ancyr. c. 1. 2.

LAPSORVM POENITENTIA.

Presbyteros [h], qui immolauerunt, & iterum luctamen adeuntes: si hoc non per illusionem aliquam, sed ex veritate fecerint, vt iterum teneri viderentur, aut tormentis subijci, quo facinus pati viderentur inuiti; hos ergo placuit, honorem quidem sedis retinere: offerre autem illis, & sermonem ad populum facere, aut aliquibus sacerdotalibus officijs fungi non

A non liceat. Diaconi similiter, qui immolauerunt, honorẽ quidem habeãt: cessare vero debeant ab diaconi ministerio, siue a pane, siue a calice offerendo. Quòd si quidam Episcoporũ conscij sunt laboris eorum & humilitatis & mansuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere, penes ipsos erit potestas.] hæc ibi. Tanto candore conspicuos ministros suos Ecclesia decernebat, vt licet (quod ait Cyprianus [a]) secundo certamine elatum priori victoria hostem superassent, ac proinde se negationis labe emaculassent, nõ tamẽ idoneos amplius existimauerit, qui sacris functionibus ministrarent. Sed de his qui egregie viriliterq. certantes, vim multam perpessi, idolotitum nolentes, reclamantesq. ore gustassent, hæc Patres [b] decreuerunt:

a Cyprian. de lapsis.

b Concil. Ancyr. c. 3.

Qui fugiẽtes comprehensi sunt, vel a domesticis traditi, vel ademptis facultatibus sustinuere tormenta, aut in custodiam trusi proclamauerunt se Christianos esse, & eo vsque astricti sunt, vt manus eorum comprehendentes violenter attraherent, & funestis sacrificijs admouerent, B aut aliquid polluti cibi per necessitatem sumere cogerentur: confitentes iugiter se Christianos esse, & luctum rei, quæ contigit, incessabiliter ostendentes omni deiectione & habitu & humilitate vitæ: hos velut extra delictum constitutos a communionis gratia non vitamus. Hoc autem similiter de clericis & de laicis ceteris obseruari conueniet. Perquisitum est autem & illud, si possunt etiam laici, qui in has necessitatis angustias inciderunt, ad clericatus ordinem promoueri. Placuit ergo & hos, tamquam qui nihil peccauerunt, si præcedens eorum vita probabilis sit, ad hoc officiũ prouehi.] At quid de varijs alijs casibus S. Synodus statuerit, accipe:

De ijs [c] qui sacrificare coacti sunt, insuper & cœnauerunt in idolio: quicumque eorum, cum ducerentur, lætiori habitu fuerunt, & vestimentis pretiosioribus vsi sunt, & præparatæ cœnæ indifferenter participes extiterunt: placuit eos inter audientes vno anno constitui, succumbere vero tribus annis, in oratione autem communicare biennio, & tunc ad perfectiorem gra- C tiam peruenire. Quotquot autem ascenderunt templa veste lugubri, & recubantes per omne tempus fleuere discubitus: si compleuerũnt pœnitentia triennij tempus, sine oblatione suscipiantur: si autem non manducauerunt, biennio subiecti pœnitentiæ, tertio anno sine oblatione communicent, vt perfectionem quadriennio consequantur. Penes autem Episcopos erit potestas, modum conuersationis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adijcere.] Hæc quæ Patres habent de vestimentis lętitiæ atque luctus, plane declarantur ex ijs quæ scripta habentur in Actis Sanctorum martyrum [d] Nicomediensium in hæc verba: Cum execrandæ eius hostiæ ducerentur ad templum duodecim deorum, quod erat intra Regiam; aderant quidem impij candidis & magnificis vestibus celebrantes festum sui interitus. Solus autem Indes atris indutus vestibus, & cum hæc celebrarentur, maximo dolore affectus, cum se in valde tenebrosa inclusisset domuncula, impiorum deflebat in- D teritum.] hæc ibi. At nunc audiamus reliqua ab eis eodem argumento tractata:

c Eod. Concil. c. 4. 5.

d Acta Indes & Domnæ apud Metaph. 26. Decemb.

De ijs [e] qui minis tantum cessere pœnarum, aut priuatione facultatum territi, aut demigratione, sacrificauerunt, & hactenus pœnitudinis negligentes, neque conuersi, nunc huius Concilij tempore semet obtulerunt, conuersionis suæ consilia capientes: placuit vsque ad Magnum diem inter audientes suscipi, & post Magnum diem triennio pœnitentiam agere, & post duos annos sine oblatione communicare, & tunc demum, sex annis completis, ad perfectionis gratiam peruenire.] appellant Patres Magnum diem, sanctum Pascha; cumque ijdem numerent annum vnum vsque ad Magnum illum diem, plane significant paulo post Paschatis festum eiusmodi celebratum esse Conuentum. Sed subditur:

e Concil. Ancyr. c. 5. 6. 7.

De ijs vero qui festis diebus Gentilium in remotis eorum locis conuiuia celebrarunt, cibosq. proprios deferentes ibidem comederunt; placuit post pœnitẽtiam biennij suscipi: vtrum E vero cum oblatione, singuli Episcopi, probantes vitam eorum & singulos actus, examinent. Ij qui secundo & tertio sacrificauerunt coacti, quatuor annis pœnitentiæ subijciantur, duobus autem annis sine oblatione communicent, & septimo perfecte recipiantur.] sed miserabilior his omnibus erat illorum casus, qui cum tantam impietatem perpetrassent, alios quoque in eamdem erroris foueam adigere conati sunt, de quibus hæc Patres:

Quotquot [f] autẽ non solum ipsi deuiarunt, sed etiam insurrexerunt, & cõpulerunt fratres, & causas præbuerunt, vt cogerentur: hi per triennium quidẽ locum inter audientes accipiant, per aliud vero sexẽnium pœnitentiæ subijciantur acriori, & alio anno cõmunionem sine oblatione percipiant, vt perfectionem, expleto decennio, consequantur: inter hæc autem & eorum vita pensanda est.] hactenus Patres de ijs quæ spectare videbantur ad remedia eorum, qui in persecutione lapsi essent. Sed quid est quod frequentius dicitur, communicare absque oblatione, vel cum oblatione, cum & perfectam gratiam plenamq. communionem eiusmodi tum cõsequi dicerentur? Sed hæc omnia ex verbis quarti canonis eiusdem Synodi facile assequi possumus,

f Eod. Concil. c. 8.

DIVERSVM GENVS COMMVNICANDI.

sumus, quibus, ex prima nempe Dionysij versione, dicitur: Placuit eos inter audientes, nempe catecumenos, vno anno constitui, tribus vero annis succumbere, nempe pœnitentiæ (vt habet secunda versio) ex tribus vero annis biennio communicare in oratione] videlicet satis sufficere cum Fidelibus orare, nec a precibus vt audiētes excludi: id enim erat communicare absque oblatione: Tertio vero anno ad perfectionis gratiam peruenire] quod erat communicare cum oblatione: id enim (vt habet secunda versio) erat reconciliari sacramentis, nempe participem fieri corporis & sanguinis Christi, quod, perfectionis gratia dicebatur, siue plena communio, dum scilicet nihil minus a ceteris Christianis haberet. A

Lapsis igitur eiusmodi remedijs impartitis, de Ecclesiastica disciplina incorrupte seruanda Patres alias regulas addiderunt; sed illam in primis, quæ ad sacros Ecclesiæ ministros magnopere spectare videbatur: nempe vt absque vxore cælibem vitam ducerent: qua quidem lege (vt aliàs dictum est) non sacerdotes tantum, sed & diaconi obligati erant ab ipso exordio nascētis Ecclesiæ; illosque solum diaconos ab ea eximi voluerūt, qui cum ordinarētur inuiti, fuissent pariter contestati, se non posse continentes viuere, ac proinde ducere vxorem velle: qui enim sic reclamasset, & nihilominus ordinatus fuisset, quisquis esset huiusmodi, post sacrum diaconatus ordinem vxorem posse ducere, Patres illi consenserunt, sic statuentes [a]: Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se coniugio copulari, quia sic manere non possunt: si postmodum vxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quòd eis Episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptijs obligati sunt, a ministerio cessare debebunt.] additur in secunda editione: Laicam tantum recipientes communionem] nimirum non cum sacris ministris amplius, sed cum populo extra cancellos communicantes. ex his videas, tum in vniuersa Ecclesia Catholica, tum in Oriente, quàm firmus, atque stabilis, assertusq. ab omnibus esset sacrorum ministrorum cælibatus. Sed de his actum est primo Annalium Tomo pluribus. B C

CAELIBATVS CLERICORVM.

a Eod. Concil. c.9. vel 10.

Rursus vero de ijs [b], qui virginitatem seruare promiserant, & votum irritum fecerunt, in ordinem bigamorum, qui non essent absque pœnitentia in Ecclesia, Synodus reiecit: quæ sic quoque coniugatorum prospexit pudicitiæ, vt adulterium committentes, septennij pœnitentiæ obnoxios fecerit, multaq. alia aduersus impuros statuerit. Sed illud insuper, quòd Manichæorum hæresis grassaretur Dei creaturas abominātium, & vt a malo productas execrantium: illā tantum Patres ab esu carnium probarunt abstinentiam, quæ a pietate, non autem a superstitione vel hæresi proueniret. Ne quid præterea ex Gentium conuersatione superstitionis in Ecclesiam Dei Fideles inferrent: quinquennij pœnitentia [c] puniunt eos qui diuinationes cuiuslibet generis exercerent. At non est in animo hic cunctos ab eisdē statutos canones recēsere. quamobrem de Concilio Ancyrano agendi finem faciamus. Appendicem autem illam duorum capitulorum ad Synodum Ancyranam non habet editio Cresconiana, nec alia; perperamq. eadem adscribuntur huic Synodo, quæ sunt potius Damaso tribuenda, vt suo loco dicemus. D

b Eod. Concil. c.13. vel 14.

ABSTINENTIA QVAE PROBETVR.

c Eod. Concil. c.23.

Post Ancyranum vero Neocæsariense Concilium celebratum est, quoto tamen anno, nescimus: sed quantum coniectura assequi licet, cum ijdem prope omnes Episcopi, qui interfuerunt Concilio Ancyrano, subscripti pariter habeantur illi, quod Neocæsareæ celebratum est; et inter alios Basilius Episcopus Amaseæ, quem diximus in persecutione Licinij, quæ proxime est subsequuta, martyrem occubuisse, recenseatur; plane necesse est affirmare haud diu post Ancyranum, iterum Neocæsareæ eosdem ferme Episcopos conuenisse, antequàm Licinius Orientalem Ecclesiam persecutione vexare aggrederetur. Præter numeratos superius Episcopos, qui Ancyræ Synodo præsentes fuerunt, & huic quoque Concilio interfuerunt, ponitur Gregorius, aliàs Gorgonius, Episcopus Cynnensis, qui etiam inter Galatiæ Antistites subscriptus habetur Magno illi Nicæno Concilio, pariterq. Gerontius, aliàs Leontius, Episcopus Larissæ Cœlesyriæ ciuitatis, qui itidem Nicænæ Synodo subscripsit, sicut & Alphius Apameæ Episcopus. Neocæsareæ igitur in Ponto, cuius Episcopus tunc erat (quod nuper dictum est) Longinus fama celebris, cum Patres illi sanctissimi Conuentum agerēt, nihil antiquius habuerunt, quàm sacerdotum vitæ integritati prospicere: quamobrem de eorum cælibi vita ducenda in primis hæc statuerunt [d], ex præscripto antiqui vsus Ecclesiæ: E

CONCILIVM NEOCAESARIENSE.

Presbyter si vxorem duxerit, ab ordine deponatur: si vero fornicatus fuerit, vel adulterium perpetrarit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.] hæc ex Dionysij versione. Rursus vero ne quod ad solatium infirmitatis humanæ remedium esset excogitatum, vt (quod ait Apostolus [e]) qui infirmus est olus manducet, ad delicias vsurparetur: nimirum quæ in remedium humanæ imbecillitatis bigamia Apostolicis [f] institutis cōcessa esset, licentius Fideles eam passim

d Conc. Neocæs. c.1.

CANONES NEOCAESARIENSIS CONCILII.

e Rom. 14.

f 1. Corinth. 7.

A sim admitterent: eos qui denuo nuberent, & coniugia sæpius iterarent, non absque pœnitentia versari in Ecclesia, ijdem Episcopi permiserunt [a], non autem vt eiusmodi matrimoniũ omnino dissoluerent, vt quidam hæretici facere [b] præsumpserunt. Sed de his dictum est satis primo Annalium Tomo. Addiderunt inter alia decreta ijdem Patres sanctissimi, ne quis ante trigesimum annum presbyter ordinaretur, licet admodum dignus esse videretur: multaq. alia tum ad œconomiam Ecclesiasticam recte instituendã, tum ad pios mores omnium Fidelium componendos, sunt in eadem Synodo instituta. sed in his non amplius immoramur.

a Concil. Neocæsar. c. 3. 6.
b 31. q. 1. c. 7. & seq.

Post celebrata Ancyranum & Neocæsariense Concilia, Vitalis Episcopus Antiochenus, qui vtrique interfuit, haud diutius superstes fuit; verum ex hac vita decedens, his tẽporibus, cum Licinius in toto Oriẽte regnaret, successorem habuit Philogonium, de quo Theodoretus [c] hęc ait: Huic, nempe Vitali, successit Philogonius, qui & temporibus Licinij singulare studium in B veræ pietatis defensione declarauit: et quæ videbantur deesse ecclesiæ illius ædificio (quam inchoauerat præcessor eius Vitalis) sua opera adijcienda curauit.] hæc de Philogonio Theodoretus. his consentientia habet S. Ioannes Chrysostomus ea oratione, quam habuit in laudem ipsius, die natali eiusdem [d], cùm his verbis tempus circumscribit, quo sedere cœpit: Dicendum igitur, inquit, erat & tempus & initium, quando vineam hanc suscepit: neque enim minimum hoc habebit momenti ad absoluendam encomij partem, sed omnino satis fuerit ad declarandam hominis virtutem. Res tum erat multæ difficultatis, cum nuper esset sedata persecutio, manentibus etiam num grauissimæ tempestatis eius reliquijs, cumq. negotia plurimam desiderarent correctionem. His insuper illud adiungendum erat, quòd, quemadmodum dicebam, hæreticorum factio sub illo nata negotium exhibuit, illius sapientia cuncta prospiciẽte.] loquitur de Arij hæresi, de cuius manifestatione dicemus anno sequenti. Quòd igitur, tempo-C re ingressus Philogonij, nuper ait sedatam fuisse persecutionem, sed & reliquias superesse; plane alludit ad hæc Licinij tempora regnantis in Oriente post Maximinum extinctum, sub quo est decennium illud infestæ persecutionis expletum, cum Licinij perfidia timeretur, cuius temporibus eum sedisse, Theodoreti, quod diximus, testimonio comprobatur.

c Theodoret. lib. 1. c. 3.
PHILOGONIVS EPISC. ANTIOCHENVS.
d Chrysost. orat. de beato Philogon. circa med. tom. 3. in fin.

De Philogonij vero electione hæc idem habet Chrysostomus: Porro quòd elegerit illum Deus, vel ex ipsa morum integritate perspicuum est: quippe quem ex medio abreptum foro ad thronum hunc euexerit: adeo castam & insignem prius egit vitam, cum vxorem haberet ac filiam, & in forensibus negotijs versaretur: adeo Solem ipsum splendore vicit, vt protinus ab illo gesto, magistratu hoc dignus videretur, & a tribunali ad tribunal euectus sit. Ac tum quidem hominibus patrocinabatur aduersus homines qui struebant insidias, eos qui afficiebantur iniuria superiores reddens ijs qui iniuriam inferebant: hic autem adest hominibus patroci-D nans aduersus dæmones inuadentes.] hæc de electione Philogonij Chrysostomus. De laboribus autem eius in confutanda tunc emergente Ariana hæresi dicemus inferius suo tempore. Ceterum quod ad annum electionis Philogonij spectat, sequenti potius anno, quàm præsenti, Vitali successisse putamus.

Hoc eodem anno nono Imperij Constantini ponitur [e] creatus Metrophanes Episcopus Byzantij: sic enim ait Cedrenus: Nonum annum imperante Constantino, Metrophanes quartus Episcopus Byzãtij creatus est:] Erat hic (inquit Zonaras [f]) vir sanctissimus, filius Domitij (frater is fuerat Probi Imperatoris) qui ob Christianæ religionis professionem, Roma Byzantium profectus, in Episcopatus speculam euectus est: post quẽ Probus alter filius huius Pontificium thronum conscendit; ei Metrophanes frater successit.] hæc Zonaras. Ceterum cum Cedrenus quartũ nominet Metrophanem Episcopũ Constantinopolitanũ; Nicephorus tamen Callistus, E nec non Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus seriem texũt eiusdem ciuitatis Episcoporum ab ipsorum Apostolorum tempore, in hunc ferme modum ab Andrea [g] exordientes: Andreas Domini Apostolus Thraciam, Macedoniam, & Euxinum prouincias sortitus, Byzantij Christum prædicauit: et cum a Zeuxippo tyrannidem ibi tum tenente ad cædem quæreretur, Argyropolim transijt, atque ibi biennium conuentus agens, permultos ad Christi fidem pertraxit. Ceterum sacra eo loco fundata æde, & Stachy Apostolo Episcopo creato, Synopen concessit. Stachys eo sacro munere annis sexdecim administrato, ibidem sepultus, Onesimum habuit successorem: Onesimus etiam quatuordecim annos Ecclesiam eam gubernauit; eique Polycarpus subrogatus est, qui decem & octo annos munere suo cum laude functus, Plutarcho id reliquit: hic sexdecim annos Ecclesiæ præfuit, eamq. moriens Sedecioni concesit; quo post annos nouem defuncto, Diogenes annos quindecim eam rexit: illi Eleutherius suffectus, qui septem annos Episcopali munere obito, Felicem habuit successorem. Felix annos quinque sedem Episcopalem tenuit, eamq. ad Polycarpum iuniorem transmisit. Qui sane omnes propter

e Cedren. in compend. Annal.
f Zonar. Annal. tom. 3. in Constantino.
EPISCOPI BYZANTII.
g Niceph. hist. lib. 8. cap. 6. Nicephor. Episc. in Chronic.

pter infidelium incursiones in eo, quod memorauimus, Apostoli Oratorio, Synaxes & Côuentus celebrarunt. Deinceps Athenodorus, functione Ecclesiastica suscepta, quatuor eam annis obtinuit, ecclesiamq. aliam in loco, cui nomen erat, Olea, construxit, ibique Synaxin peregit. Eam ædem postea Constantinus Magnus splendidissime auxit & ornauit. Athenodoro successit Euzoius: annis sex Episcopatum gessit: cui Laurentius succedens annis vndecim Ecclesiæ præfuit. A

Post hunc Alypius annis tredecim sacrum magistratum administrauit. Istius successor Pertinax vir Consularis annis nouem Episcopalem dignitatem obtinuit: qui cum locupletior esset, ecclesiam aliam ad mare, in loco quem Ficos nominabant, excitauit; eamque, Pacem, nominauit; eumq. locum Christiani perpulchris & continuis ædificijs in oppidi formam redegerunt: quapropter eum etiam mœnibus eximijs, magna virtutis gloria pollens Constantinus dignatus est, quòd in eo scilicet Pacis esset templum. Post Pertinacem Olympianus annis vndecim sacrorum Antistes fuit. Rursum post hunc Marcus annis tredecim. Post Marcum Cyrillianus annis sexdecim. Post Cyrillianum Constantinus septem: hic primo sui Episcopatus anno intra Byzantium in parte Septentrionis templum ædificauit, atque id Euphemiæ martyri, quæ tunc sacrum peregerat certamen, consecrauit: ad quod templum, reliquo vitæ tempore transacto, Episcopale munus Tito reliquit: qui id supra trigintaquinque annos administratum, ad Domitium Probi Imperatoris fratrem transmisit: atque huic Probus filius successit: et Domitius Antistitis honorem vigintiquatuor, Probus duodecim annos gessit, cuius Metrophanes frater successor fuit. hic annis decem cum ingenti laude Episcopale ministerium adcohonestauit.] hucusque vterque Nicephorus de successione Episcoporum vsque ad Metrophanem. Idque totum conati sunt illi, vt demonstrarent Byzantinam Ecclesiam Apostolicam esse: cum nemo vmquam antiquorum id dixisse reperiatur: nam reuera Byzantina Ecclesia (vt testatur Gelasius) non tantum Apostolica sedes non erat, sed ne Metropolis quidem, sed parochia tantum Heracliensis Ecclesiæ: tradit id Gelasius scribens ad Episcopos Dardaniæ. Quod vero spectat ad annos Metrophanis; sedisse eum tantummodo annos tres, quæ dicturi sumus in eius successore Alexandro, perspicue declarabunt. B C

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
315.	2.	10.

ANno Domini centesimo decimoquinto Constantinus atque Licinius quartum adierunt Consulatum, quo idem Constantinus auspicatus Imperij sui annum decimum, Decennalia celebrauit, non quidem more Gentilium, sed vt Christianum decebat Imperatorem. nam Eusebius [a]: Cui (inquit) hoc pacto vitam transigenti, decimus sui Imperij annus confectus est: in quo dies festos solemnes & publicos celebrare; precesq. quibus gratias ageret, tamquam sacrificia quædam ignis & nidoris expertia, Deo omnium Regi dicare cœpit.] Ijsdem quoque Decennalibus ab eodem Constantino creati sunt Cæsares duo filij eius, Crispus, & Constantinus. Qui autem hæc ad alia tempora referunt, erroris arguuntur auctoritate Nazarij Rhetoris, ea oratione Panegyrica, quam habuit in Quinquennalibus eorũdem Cæsarum, dum aperte affirmat Constantinum egisse iam in Imperio annum decimumquintum, cum ijdem Cæsares auspicarentur annum quintum: sed reddamus verba Nazarij, cum loquitur de Constantino: Quintumdecimum annum maximus Princeps salutaris Imperij degit. Sed auguramur iam Vicennalia, & venturi fidem superiorum felicitate sentimus. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudijs habent, sed in destinatis decennijs iam vota properantia & spes volucres constituerunt.] et prope finem: Quinquennijs igitur feliciter inchoatis, decennia Cæsarum nobilissimorum vltra posteros nostros extendenda, quàm impense rogare & orare nos conueniat, ipsis bonis temporum & Reipublicæ vtilitatibus admonemur.] hæc Nazarius. Solita erat fieri eiusmodi pro salute Principis votorum nuncupatio tertia die post Kalendas Ianuarias [b], quãdo singulis annis vna libra auri in septuagintaduobus [c] solidis obrizis, ipso anni principio offerri consueuerat. sed hæc temporibus Christianorum Imperatorum: nam olim, vt obseruauit Alexander [d], collectam stipem ex voto nuncupato pro salute Principis iaciebant in lacum Curtij. Sed & alia fortasse ratione accidere potuit mutasse Constantinum ritum idololatriæ in huiusmodi auri oblationem: quibus enim ritibus atque verbis vota eiusmodi nuncupari olim solita essent, Tertullianus [e] tradit his verbis: Ecce annua votorum nuncupatio: quid videtur? prima in Principijs, secunda in Capitolijs.] (Principia appellat domum Principis) D E

a Euseb. in Vita Constantin. lib. 1. c. 41.

DECENNALIA CONSTANTINI.

VOTORVM SOLENNIS NVNCVPATIO.

b l. si calũnietur. § post Kalendas. ff. de verb. sign.

c De oblat. votor. Cod. Theod. lib. 7 in fin. & Cod. Instin. lib. 12. tit. 48

d Alexand. Genial. lib. 3. c. 22.

e Tertul. de Coron. milit. c. 12.

A Principis) addit: Accipe poſt loca,& verba: Hunc tibi Iuppiter bouem cornibus auro decoratum vouemus eſſe futurum.] ne igitur eiuſmodi impietatis vota pro ſua ſalute nuncuparentur, in dictam auri penſitationem mutari iure voluit Conſtantinus.

Sed quod ad tempus creationis Cæſarum ſpectat; ex ijs, quæ ex Nazario recitata ſunt tam certa atque patentia, erroris arguitur in primis Euſebij Chronicon, in quo legitur octauo Conſtantini anno Criſpum & Conſtantinum creatos fuiſſe Cæſares. Ceterum Euſebius ipſe in Vita [a] Conſtantini, hoc ipſo anno decimo eius Imperij Conſtātinum filium ab eo Cæſarem nuncupatum tradit: quoto enim eius Imperij anno ſingulos filios adſciuerit in Cæſares, tradit his verbis: Igitur cum triginta ipſe annos in Imperio compleuiſſet, filij eius, numero tres, Cæſares diuerſis creabantur temporibus. Primus, qui patris erat cognominis, decimo paterni Imperij anno honorem hunc adeptus eſt. Secundus, aui nomine appellatus Conſtantius, viceſimo B fere Imperij paterni anno, quando publicus ſolemniſq. omnium hominum conuentus agebatur, renunciatus eſt. Tertius Conſtans fuit, qui ipſo nomine & appellatione præſens conſtanſq. tempus perſpicue præſeferēs, triceſimo paterni Imperij anno ad honorem euectus eſt.] hæc Euſebius præteriens Criſpum, volens eum de induſtria ſepelire ſilentio, ne parentis facinus recoleretur aliquando: cum patris ille iuſſu necatus fuiſſet. Corrigendus ex his etiam eſt Aurelius [b] Victor, qui tempore Conuentus Mediolanenſis ambos Conſtantini filios, nec non Licinianum Licinij Imperatoris filium viginti tantum menſium infantem, creatos fuiſſe Cæſares tradit. Verum cum ille ex Conſtantia ſorore Conſtantini, quæ tunc nuptui tradita fuit Licinio, natus ſit: quo modo nondū natus, vel in vtero materno conceptus potuit Cæſar creari? Ceterum longe a Victore diſcrepat Zoſimus [c] & ipſe errore lapſus, dum Licinianum Licinij filium a patre creatum Cæſarem dicit, non cum viginti menſium eſſet infans, ſed annos viginti natum. At patentis quoque erroris arguitur ipſe Zoſimus, dum hos ab Auguſtis creatos C Cæſares tradit poſt Cibalenſe certamen, quo Licinius a Conſtantino ſuperatus eſt: illud ſiquidem poſt quinquennium geſtum fuiſſe, ſuo loco probabimus. Quod vero ad eoſdem tres Cæſares ſimul creatos ſpectat: habet id ipſum Euſebij Chronicon, vbi de Criſpo hæc adduntur: Quorum Criſpum Lactantius Latinis litteris erudit, vir omnium ſuo tempore eloquentiſſimus, ſed adeo in hac vita pauper, vt plerumque etiam neceſſarijs indiguerit, nedum delicijs.] quando autem ipſe Diuinarum Inſtitutionum commentarios conſcripſerit, ſuo loco dicemus.

CRISPVS ET CONSTANTINVS CAESARES.

[a] Euſeb. in Vita Conſtant. lib. 4. c. 40.

[b] Aur. Victor in Conſtantino.

LICINIANVS CAESAR.

[c] Zoſim. hiſt. lib. 2.

Hoc eodem anno, ijſdem Coſſ. Conſtantinus Imperator dignam plane Chriſtiano Principe edidit ſanctionem, qua parentum inopiæ (cum illi filios, quos alere non poſſent, occiderent) cum ex fiſcali, tum ex priuata pecunia voluit eſſe conſultum, in hunc modum ad Ablauium reſcribens:

CONSTANTINI MVNIFICENTIA ERGA PAVPERES.

D Imp. [d] Conſtantinus A. ad Ablauium: Aereis tabulis, vel ceruſſatis, aut linteis mappis ſcripta per omnes ciuitates Italiæ proponatur lex, quæ parentum manus a parricidio arceat, votumq. vertat in melius. Officiumq. tuum hæc cura perſtringat, vt ſi quis parens afferat ſobolem, quam pro paupertate educare non poſſit, nec in alimentis, nec in veſte impertienda tardetur, cum educatio naſcentis infantiæ moras ferre non poſſit. Ad quam rem & Fiſcum noſtrum & rem priuatam indiſcreta iuſſimus præbere obſequia. Dat. III. Id. Maij Naiſſo, Conſtātino IIII. & Licinio IIII. AA. Coſſ.] hæc cum Conſtantinus omnibus Italiam habitantibus conceſſerit, reliquis prouincijs alia ratione conſuluit: nimirum vt ſic parentibus egētibus concederetur diſtractio liberorum, vt tamen redimi ſemper poſſent: quod conſtituta ab eo ſanctio indicat, quæ eſt huiuſmodi:

[d] l. 1. de Alimentis Cod. Theodoſ.

Imp. [e] Conſtantinus Auguſtus Prouincialibus: Si quis propter nimiam paupertatem ege- E ſtatemq. victus cauſa filium filiamve ſanguinolentus vendiderit: venditione in hoc tantummodo caſu valente, emptor obtinendi eius ſeruitij habeat facultatem. Liceat autem ipſi qui vendidit, vel qui alienatus eſt, aut cuilibet alij, ad ingenuitatem eum propriam repetere; modo ſi aut pretium offerat, quod poteſt valere, aut mancipium pro eiuſmodi præſtet.] hæc Conſtantinus in reliquis prouincijs voluit obſeruari. Verum ea quæ in Italia conſiſtentibus placuit impartiri, poſtea quoque ad exteros prorogauit, nempe eos, qui in Africa egentes forent: vt datum ab eo reſcriptum ad Menandrum ſignificat, de quo, ipſo quo datum eſt anno, agemus. Ingentem plane auri copiam, ad hæc præſtanda, fuiſſe ab eodem Conſtantino erogatam, omnes puto perfacile intellecturos. Ex his itidem quiſque videre poteſt, quàm calumnioſe agat in Conſtantinum Zoſimus, qui religioſiſſimi iuxta ac munificentiſſimi Principis auaritiam crebro ſuggillat.

[e] l. 1. C. de patribus qui filios diſtraxer.

At de eius Principis erga pauperes liberalitate Euſebius [f] editis a ſe libris egregie teſtatur his verbis: Exteris præterea, qui illum adibant, benignum & liberalem ſe præbere: miſeris

[f] Euſeb. Vit. Conſtantin. lib. 1. c. 36.

CONSTANTINI ERGA PAUPERES CURA PROPENSIOR.

miseris etiam & abiectis, qui in foro & plateis palam mendicabant, non pecunias solum & res A
ad victum necessarias, sed etiam decentem corporis vestitum subministrandum curare. Illis quoque qui prima ætatis tempora feliciter traduxissent & prospere, post tamen graui vitæ facta mutatione, in res asperas afflictasq. incidissent, lautiora vberioraq. vitæ subsidia impartire, & beneficia magnifica, animoq. vere regio digna conferre. Quorum nonnullis agrorum donare possessiones, alios varijs dignitatis ornamentis cohonestare. Quos autem orbitas misere afflictauit, eos patris curare loco: viduas mulieres omni ope destitutas recreare, propriaq. ac sua prouisione illis sedulo prospicere: eodem modo etiam puellas parentibus orbas, & ab eorum auxilio desertas iam, viris sibi notis & locupletibus matrimonij vinculo iungere: istaq. præstare, eas res large & liberaliter nuptis suppeditando, quæ illarum viris in nuptijs contrahendis essent necessario conferendæ. Quemadmodum Sol super terram oriens omnibus claros sui luminis radios affatim profundit; sic Constantinus simul cum Solis ortu in regijs ædi- B
bus apparens, & tamquam cum luminari illo cælesti pariter illucescens, omnibus qui in ipsius aspectum prodibant, eximium singularis suæ probitatis splendorem & claritatem exhibuit. Neque quisquam certe ad eum aduentauit, qui non aliquo bono potitus sit: neque eos spes bona frustrata est, qui ab eo aliquid expectarent auxilij.] hactenus Eusebius. Sed de profusa Constantini erga pauperes munificentia sæpe inferius agendum erit.

IUDAEOS COHIBET CONSTANTINUS.

Hoc quoque anno idem Constantinus, dato ad Euagrium rescripto, Iudæorum procaciam cohiberi præcepit. Etenim cum prosperis Christianorum rebus complures ex illis permoti a patrio ritu desciscerent, & ad Christianam fidem capessendam sese conferrent; eorumq. contribules id indigne ferentes, ipsos hostiliter ad necem vsque insequerentur: Constantinus his prospiciens, qua decebat seueritate, furêtes illorum animos edita huiusmodi lege compescuit:

a l. 1. de Iudais Cod. Theod.

Constantinus [a] Imperator ad Euagrium. Iudæis & maioribus eorũ & Patriarchis volumus C
intimari: Quòd si quis post hanc legem aliquem, qui eorum feralem fugerit sectam, & ad Dei cultum respexerit, saxis, aut alio furoris genere (quod nunc fieri cognouimus) ausus fuerit adtentare: mox flammis dedendus est, & cum omnibus suis participibus concremandus. Si quis vero ex populo ad eorum nefariam sectam accesserit, & conciliabulis eorum se applicauerit, cum ipsis pœnas meritas sustinebit. Data XV. Kal. Nouemb. Murgillo, Constantino A. IIII. & Licinio A. IIII. Coss.]

b Chrysost. aduers. Iud. hom. 2. tom. 5.

IUDAEOS REBELLANTES PUNIT CONSTANTIN.

Vsque adeo autem Christianorum summa felicitas perculit animos Iudæorum, vt liuore tabescentes, & plane indigne ferentes se Christiano Principi esse subiectos, seditionem concitarint, atque ab eo defectionem parantes rebellionem conflarint. Quo modo autem in eos animaduerterit Constantinus, S. Ioannes Chrysostomus enarrat [b] his verbis: Post hunc, nempe Hadrianum, sub Constantino rursum eadem aggressi sunt, rebellare aduersus Romanum D
Imperium scilicet. At ille amputatis illorum auriculis, ac rebellionis signo impresso corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, ceu fugitiua mancipia & verberones, corporibus mutilatis conspicuos illos faciens omnibus, ac eos qui per omnes regiones erant sparsi erudiens, ne in posterum eadem conarentur.] hæc Chrysostomus. Quonam autem anno hæc de Iudæorum rebellione acciderint, haud exploratum habetur. Ceterum in hunc modum a Constantino retusa eorum audacia, fastuq. compresso, iam quo ad reliqua eidem paruere: qui (quod religiosum Principem decet) nequaquam inimice eos vlterius prosequutus est, sed vt de reliquis sibi subditis optime meritus; quod data ab eo pro illis rescripta [c] declarant, quibus complura illis indulsit.

c l. 2. 3. 4. 5. de Iud. Cod. Theod.

ACTA SILVESTRI IN QUIBUS, VERA PROBANTUR.

Ex his autem quæ hoc anno aduersus Iudæos Constantinum statuisse diximus, coniectura aliqua comprobari videtur pars Actorum illorum, quæ Siluestri dicuntur, in qua hoc ipso anno, ijsdemq. Coss. narratur habita Romæ coram Constantino Imp. & Helena matre celebris E
disputatio illa inter Iudæos atque Siluestrum; delectis arbitris Cratone Philosopho, atque Zenophilo V.C. quibus deuictis ac penitus confutatis, vt ex ijsdem apparet, Constantinus aduersus eos, quæ sunt recensita, hoc eodem anno statuerit. Sed complura deinceps addita sunt, quæ eorumdem Actorum veritati aduersantur penitus ac contradicunt. Præstat autem hic primum ipsorum describere exordium, quod est huiusmodi ex codicibus Vaticano, S. Mariæ Maioris, atque Bibliothecæ nostræ descriptum: Constantino quater & Licinio tertio [*] Coss. die Iduum Martiarum facta est Synodus in Vrbe Roma, in qua diuersarum prouinciarum fuere Episcopi numero septuagintaquinque, sacerdotes Iudæorum centum nouem, exceptis ijs duodecim, qui ab Isachar Pontifice altercationis gratia fuerant destinati, &c.] Conuocandi autem Iudæos ad Cõuentum illum, hæc ibi causa prætexitur: Quòd Helena cum esset in Oriente vnà cum duobus nepotibus Constantio atque Constante Augustis, & Gentilis adhuc a Iudæis

* quater

A dæis pene Iudæa effecta, & commota in Constantinum filium, quòd Christianam religionem sectaretur, ad eumdem infenso animo scripserit, multaque blasphemans in Christum, ipsum ad Iudæorum tandem amplexandam religionem inuitarit. Ad quam ille rescribens, statuit, vt vtranam præstantior religio foret, Christianorum, an Iudæorum, in publico Conuentu Romæ celebrando, disputatione inter eos habita probaretur: sicque a Iudæorum summo Pontifice Isachar fuisse delectos præstantissimos quosque Iudæorum, qui contra Siluestrum ceterosque Christianos Episcopos coram ipsorum patrona Helena & Constantino Augusto differerent.

At in ijs quidem complura veritati manifeste aduersantia inesse perspicue demonstratur: nimirum quòd Helena post Constantinum Christiana fuerit; cum ipsamet extiterit, quæ eumdem filium Constantinum ad pietatem a puero instituerit; vt auctor est S. Paulinus, qui hoc HELENA CHRISTIANA ANTE CONSTANTINVM.
B eodē sæculo celebris in Senatu fama claruit; ipse enim ad Seuerum scribens [a] hæc ait: Mansit hoc sæculi prioris nefas in tempora nostris proxima Constantini, qui Princeps esse Principibus Christianis non magis sua quàm matris Helenæ fide meruit.] hæc Paulinus claritudine generis doctrinaq. insignis, & sanctitate præclarus, ob idque dignus cui magis credatur, quàm Eusebio [b] asserenti, Helenam ante pietate minime imbutam, piam redditam per Constantinum. At quonam pacto, quæso, quis dixerit Gentilem & Christo aduersariam adhuc Helenam his fuisse temporibus, si filia eius Constantia Licinio nupta, vt diximus, Christiana erat? vt appareat tenellam virginem e secretis maternæ domus penetralibus progredientem Christianam, non nisi ex materna institutione id consequi potuisse. Quàm rursus deforme atque impudens mendaciū, dicere Helenam cum Constantio & Constante Augustis hoc anno fuisse in Oriente: cum ijdem (vt demonstratum nuper est) necdum Cæsares hoc anno creati essent,
C sed Constantius post annos decem, post viginti vero Constans Cæsarum dignitatem fuerint consequuti? Sed abhorret procul a veritate pariter quod dicitur de Isachar Iudæorū summo Pontifice; cum exploratissimum sit, a tempore excidij Hierosolymitani sub Tito desijsse penitus creari summos Pontifices, prorsumque exoleuisse apud eos Pontificis nomen: qui autem apud eos tenebant principem locum, ab illis Patriarchæ, reliqui vero magistratus Archisynagogi, Apostoli, atque Presbyteri appellabantur. Est de his in primis locuples testis Epiphanius [c] agens aduersus Hebionitas; nec non eiusdem Constantini [d] atque aliorum Principum sanctiones idem testantur.

Hæc sunt quæ in ipsorum Actorum narrationis limine confutanda sese offerunt: vt manifeste appareat, Acta ipsa Siluestri (quod diximus) additamenta extrinsecus accepisse, quibus reliqua quæ vera esse noscuntur, non nihil in suspicionem adduci posse videantur. Quis pru- ACTA SILVESTRI CORRVPTA.
D dens non adhuc videat in superappositа ipsis Actis præfatione commentum, dum (quisquis auctor vel interpres ille fuerit) affirmat ea se ex Græco vertisse accepta ab Eusebio Cæsariensi illorum Actorum auctore? quod certe post Gelasij tempora irrepsisse, nemo est qui dubitet: cum Gelasius [e] ipse aperte testetur se ignorare, qui ea scripserit, auctorem, cum ait: Item Actus beati Siluestri Apostolicæ sedis Præsulis, licet eius qui conscripsit, nomen ignoretur, a multis tamen in Vrbe Roma Catholicis legi cognouimus, & pro antiquo vsu multæ hæc imitantur Ecclesiæ.] hæc ipse: Qui igitur ausus fuit aduersus Gelasij assertionem adeo temere præfationem illam addendo, auctoris nomen ex animi sententia fingere; certe nec veritus est mendacia alia ijsdem superaddere, ac commenticia plane veris annectere.

Ceterum haud multo fideliora ijs esse probantur, quæ de eadem disputatione Siluestri a Græcis scripta sunt, nempe Zonara [f], Metaphraste [g], Glyca [h], Nicephoro [i], atque Cedreno [k],
E qui nullo pacto audiendus est, dum hęc accidisse ait anno quarto Imperij Constantini: nam eo anno non Siluester, sed Marcellus Romanæ Ecclesiæ præerat, cui tunc successit Eusebius. Quod rursum habent ea Acta a Metaphraste descripta Helenam fuisse Bithynam, quod plane desideratur in Latine scriptis, ex Græcorum recentioribus prouenisse, ac falsissimum esse, superius est demonstratum: sicut ex eorumdem quoque officina depromi certum est, quod in ijsdem Actis legitur, sanctum Siluestrum ieiunium sabbati abrogasse, de quo satis superque dictum primo Annalium Tomo: quid enim hoc mendacius effingi potest; cum eius diei ieiunij Romani Pontifices, maiorum traditionum custodes obseruantissimi, semper fuerint aduersus Græcos acerrimi defensores? At quàm pudendum, Metaphrastem hoc profiteri ex Actis Siluestri; cum in ijsdem, quæ extant, Latine scriptis plane contrarium appareat? In eis enim legitur controuersia inter Siluestrum & Græcos de ieiunio sabbati, in qua ipse Siluester primas tulisse, & Græci eidem acquieuisse ibidem narrantur.

a Paulin. epist. ad Seuer. 11.
b Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 46.
c Epiphan. hæres. 30.
d l. 1. 13. 14. de Iudæis. Cod. Theod.
e Gelas. in Concil. Rom. in decreto de libris authent. & apocryph.
f Zonar. Annal. tom. 3.
g Metaphrast. die 2. Ianuar.
h Glyca in Annal.
i Niceph. lib. 7. c. 36.
k Cedren. in Compend.

A Rursum vero quàm portentosum mendacium illud est, quod in ijsdem Actis ab eodem Metaphraste descriptis asseritur, Siluestri institutum esse, vt dies prima, Dominica diceretur; cum eiusmodi nomen constet inuentum temporibus Apostolorum, vt primo ac secundo Annalium Tomo disseruimus: nomina quoque reliquorum sex dierum, vt feriæ dicerentur, iam olim in Ecclesia institutum, aliàs Tertulliani [a] auctoritate apertissime demonstrauimus. Demum, vt alia prætermittamus, omnem de ijsdem Siluestri Actis disputationem hac sententia claudimus: vt dicamus, ea quidem vere accidisse, sed non in omnibus vera esse quæ hodie extant, nimirum deturpata compluribus (vt vidimus) quæ aliunde irrepserunt, mendacijs. Quæ autem vera atque legitima erant, sicut ante Gelasium, tantum eis antiquitas detulit, vt cum Romæ, tum in multis alijs Ecclesijs legerentur; ita post Gelasium tantum abest, vt illorum imminuta sit fides, vt absque dubitatione eadem pro veris certisque sint habita: nam ab Hadriano Romano Pontifice ad Carolum Magnum B scribente [b] citata reperiuntur his verbis: In ipsis enim exordijs Christianorum, cum ad fidem conuerteretur Imperator Constantinus, mater sua Helena Augusta ad eum cum duodecim Scribis & Pharisæis ac magistris & Principibus Iudæorum in Vrbem venit Romam, & ipsa vnà cum filio suo Constantino Augusto Concilium Iudæos cum Christianis facere censuerunt. In quo præsidens sanctus Papa Siluester cum plurimis sanctissimis Episcopis, in ampliorem statum dilatantes Christianorum fidem, tam per sacram scripturam, quàm per miracula, Domino protegente, victores effecti sunt.] hucusque Hadrianus.

[a] Tertul. aduersus Iudæos c. 1.

[b] Hadrian. epist. 3. ad Carolum Magnum Imp. in qua reuelluntur obiectiones contra 7. Synodum.

IVDAEORVM CONATVS ADVERSVS CHRISTIANAM FIDEM.

Solebant Iudæi (quod secundo Annalium Tomo dictum est) ob Christianorum gloriam inuidia æstuantes, iugiter illis negotium facessere, quæstionibus sæpius prouocare, contumelijs appetere, iurgijs lacessere, in eosdem proclamare, atque interdum non verbis tantum, sed C & verberibus agere; quod ex Iustino Philosopho & martyre superius diximus. Quos, par est credere, his temporibus videntes eamdem Christianam religionem eminentissimo illo summæ gloriæ gradu repositam, Imperatorijs quoque splendoribus illustratam, ac præter spem admirabili amplitudine auctam atque mirifice propagatam, maioribus odijs exarsisse, & grauioribus inuidiæ stimulis exagitatos studuisse cum matrem Helenam Augustam, tum ipsummet Constantinum Imperatorem, quibus valerent artibus, ac magia quoque, si possent, a suscepta Christiana religione penitus reuocare; egisseque pro suis moribus (quos primo Annalium Tomo ex maiorum sententijs satis expressimus) procacibus suggestionibus, importunis petitionibus, efficacioribus precibus, & clamoribus petulantibus, vt coram ipsis in publico audirentur Côuentu aduersus eamdem Christianam religionem disputantes; eosdemque, perinde ac iustæ causæ fidentes insisterent, ante certamen victoriam sibi pollicentes, pietatem ve- D ram & salutem Principum, quos inclamarent a Christianis esse deceptos, in omnibus audacter præseferentes: quibus tandem annuerit Helena, & persuasus quoque Constantinus fuerit: cum tandem ijsdem publice auditis, publice redargutis, confutatis, ac penitus conuictis; idem Constantinus ad coercendam & reprimendam reliquorum Iudæorum inuincibilem petulantiam, retundendamque implacabilem pertinaciam & furorem, quibus eos exagitarent, qui a veritate persuasi atque conuicti, a superstitione Iudaica recessissent, aduersus ipsos ad Euagrium (vt dictum est) scribens, ea hoc anno, quo eadem sunt gesta, statuerit Roma absens; cum, ipso præsente, nequaquam ausi fuerint recedentes ab eorum secta (vt habent rescripti verba) lapidibus insectari. At de his hactenus. Ceterum quod spectat ad ipsa Siluestri Acta, quænam vera sint atque legitima, lapis Lydius demonstrabit.

ARIANA HAERESIS INNOTESCIT.

His quoque temporibus manifeste innotuit Ariana hæresis: Arius enim, qui hactenus, velut E Protheus, iam a tempore Petri martyris Episcopi Alexandrini sub diuersis latuerat formis, modo inhærens Catholicis, modo vero schismaticis; impius omnino detectus, ab Alexandro Episcopo Alexandrino sæpe monitus, sed in sententia pertinax, ab eodem presbyterio exuitur. Propalatum eum quidem fuisse a Meletio, Epiphanius auctor est, qui ait [c]: Meletius Alexandriæ existens, & ad tempus illic degens propriam habens communionem cum suis, Arium deprehendit, & ad Alexandrum detulit, quòd deprehendisset Arium in ipsius narrationibus extra propositum fidei transgressum. Erat enim hic in Baucalide Ecclesia, sic appellata in Alexandria, presbyter, &c.] idem vero alibi [d] agens de ijs, quos Arius ipse seduxerat, hæc ait: Dulcis erat in colloquio, persuadens semper animas, ac blandiens: quapropter valde cito septingentas virginitatem professas in vnum contraxit; et fama est, ipsum etiam presbyteros septem & diaconos duodecim abstraxisse: sed &

[c] Epiphan. hæres. 68.

[d] Epiphan. hæres. 69.

A sed & venenum ipsius statim vsque ad Episcopos peruenit: Secundum enim Pentapolis Episcopum & alios persuasit, vt simul cum ipso abducerentur. Fiebant autem hæc in Ecclesia, ignorante beato Alexandro Episcopo, donec Meletius in Aegypto etiam ipse Archiepiscopus ex Thebaide, de quo iam a me dictum est, reuelaret.] hucusque de progressu Arij Epiphanius vsque ad tempus quo Alexandro Episcopo Alexandrino eius impietas tandem innotuit.

Quid autem ipse egerit aduersus Arium Alexander, cum hæc resciisset, dicemus: sed primum de tempore, quo cœpit Ariana hæresis innotescere, accuratius est differendum. Ad hunc plane annum sub ijsdem Coss. Arianam hæresin referre videtur Orosius [a], cum de tempore agens, quo Crispus & Constantinus Cæsares creati sunt (quod hoc anno contigisse diximus) mox subdit: His diebus Arius, &c.] Certe quidem hoc ipso anno, antequàm Licinius Imperator Constantino infensus & pietatis hostis Christianam religionem persequi aggrederetur, iam cognitam & diffamatam fuisse Arianam hæresin, ex Lactantio certum deducimus argumentum: qui (quod & superius demonstrauimus) in præfatione librorum, quos scripsit ad Constantinum, hæc loquitur ad eum iam credentē in Christum, & impietatem auersantem: Pro quo facto dabit tibi Deus felicitatem, virtutem, diuturnitatem; vt eadem iustitia, qua iuuenis exorsus es, gubernaculum Reipublicæ etiam senex teneas; tuisque liberis, vt ipse a patre accepisti, tutelam Romani nominis tradas: nam malis, qui adhuc aduersus iustos in alijs terrarum partibus sæuiunt, quanto serius, tanto vehementius idem omnipotens mercedem sceleris exsoluet: quia vt est erga pios indulgentissimus pater, sic aduersus impios rectissimus iudex.] his & alijs locis, quæ suo loco inferius ponentur, Lactantius velut digito signat persecutionem a Licinio in Oriente excitatam (quod contigit anno sequenti) C quo tempore cum hæc scriberet, de Ariana hæresi alibi meminit tamquam cuique nota & vbique vulgata, dum ait [b]: Cum enim Phryges, aut Nouatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, aut Ariani, seu quilibet alij nominantur, Christiani esse desierunt ij, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt.] hæc Lactantius: quæ est & omnium exemplarium vetus atque germana lectio, qua inter alios quoque hæreticos Ariani nominantur. Sed vnde, rogo, Lactantij restitutor (quod profitetur) Michael Thomasius tantum sibi arrogat (pace ipsius dixerim, familiariter enim ipso, dum viueret, vsus sum) vt in sua editione verba illa, Aut Ariani] expunxerit? et cuiusnam codicis, vel auctoris testimonio? Siccine veteres emendantur scriptores, vt ex animi sententia prout lubet verba e textu subducantur, nec vel saltem in margine collocentur?

a Oros. lib. 7. c. 28.

b Lact. lib. 4. c. vii.

LACTANTII LOCUS DECURTATUS REINTEGRATUR.

At quo modo non reueritus Aldi lectionem, immo & codicum antiquitatem, quibus idem D ipse vsus est, & præcipue Vaticanis, quos ad locorum emendationem citare sæpius consueuit, in quibus omnibus ea verba scripta leguntur? Nouem enim ibi extant Lactantij operum exemplaria antiquitus scripta, eademque typis excusa ante annos centum; in quibus omnibus (vt dictum est) inter alios hæreticos a Lactantio Ariani ponuntur: idemque reperitur in duobus exemplaribus fideliter scriptis, quæ in nostra Bibliotheca extant. Vel cur sicut in ceteris locis emendandis aut elucidandis egregie præstitit, nequaquam quare id faceret, aliquam saltem vel leuem rationem attulit? Sed videlicet sic vulneratum a se textum absque ligamento reliquit, quòd sciret eum suæ ipsius aduersari sententiæ, qua in præfatione professus est, Lactantium suos scripsisse libros, antequàm Ariana hæresis prodijsset: nam ait: Quòd aliqui hunc auctorem tamquam Arij sectatorem accusent, ferendum nullo modo est, cum ipse ante Arium vixerit, & scripserit.] hæc ipse. Sed mea sententia multo solertius atque E verius Lactantium excusasset, si ex eius scriptis dixisset: Quo modo Lactantius ab aliquo Arianus censeatur: qui cùm multis alijs in locis confessione sinceræ fidei Ario aduersetur, adeo perspicue in citato superius loco Ariana ab eo taxatur hæresis, & inter alias hæreses annumeratur? Ceterum ipsum tempore Arij vixisse, atque scripsisse, tum quæ superius de eo dicta sunt, tum quæ dicentur inferius, manifestissime declarabunt. Maneat igitur integra vetus atque germana lectio illibata, antiquorum omnium atque recentiorum codicum consensione firmata. Sed ad rem.

Rursum quod ad tempus spectat obortæ Arianæ hæresis; eo quoque redditur argumento perspicuum, ipsam innotuisse ante exortam persecutionem Licinij, quòd cum S. Basileus Episcopus Amasenus, dum Nicomediæ detineretur in carcere, paulo post martyrium subiturus, adijt eum per Elpidiphorum Ioannes presbyter Nicomediensis, qui eiusdem Basilei Acta conscripsit, petens ab eo instrui atque certior reddi, quænam vera esset Catholicæ fidei

assertio, num scilicet aliorum dicentium Dei Filium sine principio a Patre genitum, an eorum qui assererent, vt Arius, creatum in tempore (inter vtramque partem dissidia idem iam fuisse exorta testatur, Nicomediæ præsertim, aduersantibus Catholicis Eusebio eius sententiæ assertori atque patrono:) Basileus, inquam, tunc martyrij candidatus eumdem Ioannem rectam sententiam de æquali cum Patre Filij diuinitate perdocuit. quæ omnia idem ipse Ioannes scriptis suis memoriæ commendauit. A

Sed & cum Ariana hæresis inter alias olim damnatas a Lactantio recenseatur: plane intelligitur, eam Ecclesiæ iudicio iam fuisse conuictam pariter atque proscriptam: quod accidit (vt dictum est) ex Concilio Alexandriæ ab Alexandro Episcopo celebrato. Licet autem de certo anno non liqueat: tamen satis est (quod contendimus) demonstrasse, præsentem annum nequaquam prætergressam esse. At quoniam de Ario possunt plura atque diuersa tempora considerari: inde quoque euenit, vt de eius temporibus variæ sint sententiæ. Primum enim tempus perpendendum est cum ab Alexandro de Ario iudicium factum est, quando detectum (vt diximus) & ad eumdem Alexandrum delatum, ipsum pugnaciter hæresin defendentem exuit presbyteratus ordine, atque vna cum socijs impietatis, collecto aduersus eos Concilio centum fere Episcoporum, a Catholica communione eiecit: quæ omnia hoc tempore ante Licinianam persecutionem gesta fuisse videntur. Aliud quoque tempus Arianæ hæresis attendendum est: quando sic Ario atque Arianis a Concilio excommunicatis, eorum patrocinium suscipiente Eusebio Nicomediensi Episcopo, toti plane innotuit Orienti, & Occidenti perspicua facta est; quando, inquam, idem Alexander coactus est de eo epistolas dare ad omnes Catholicæ religionis Antistites, quibus quæ gesta essent aduersus eum, eiusq. sectatores, & quinam illi forent, significaret, deq. patrocinio ipsorum ab Eusebio Nicomediensi suscepto certiores pariter redderet, notasque eisdem faceret Arij hæresis execrandas positiones. Sed contigisse hæc post victum Licinium, reddita Ecclesiæ pace, suo loco dicturi sumus. B C

DE ORTV ARIANAE HAERESIS DIVERSA TEMPORA CONSIDERANDA.

a Theodoret. lib. 1. c. 2. 3.

LAPSVS ARII OCCASIO.

Arij vero lapsus occasionem repetens Theodoretus [a] hæc ait: Per idem tempus Arius, qui in numerum presbyterorum adscriptus erat, cuiq. sacrarum litterarum interpretatio concredita, cum videret Alexandrum ad Episcopatus gubernacula designatum, inuidiæ flammam, qua incendebatur, minime reprimere, sed ea vehementius inflammatus materiam contentionis & discordiæ in dies aucupari laborauit: ac tametsi in præstabilem eximiamque Alexandri viuendi rationem aciem acriter intendendo, nihil ad falsam criminationem contra eum confingendam potuit omnino reperire: tamen æstus inuidiæ eum quiescere non siuit. Istum igitur cum hostis veritatis diabolus nactus esset, eius conatibus Ecclesiam procellis miscere, exagitareq. instituit: nam persuasit illi, vt Apostolicæ Alexandri doctrinæ aperte resisteret. Itaque vt Alexander sacrarum litterarum disciplinæ obsequutus, Filium Patri honore parem, camdemque habere cum Genitore substantiam docuit: sic Arius palam contra veritatem pugnans, eum creatum & factum affirmauit: quin etiam adiecit, tempus aliquando fuisse cum non erat: et alia nonnulla, quæ ex eius libris multo apertius intelligi possunt. Atqui ista non in ecclesia solum, verum etiam extra in circulis, in hominum congressionibus differere cœpit: per ædes quoque circumcirca grassari, vt quos posset, in istorum errorum laqueos induceret. Alexander igitur Apostolicæ doctrinæ patronus, primum exhortatione & consilio eum a sententia deducere tentat: ceterum vbi Corybantum more insanire vidit, & impiam doctrinam palam prædicare; de dignitate sacerdotali dimouet, [b] Euangelij præcepto obsequutus: Si oculus tuus dexter scandalizet te; erue eum, & proijce abs te.] hactenus Theodoretus. Porro Alexandri litteras tum ab ipso, tum etiam a Socrate recitatas, scriptas fuisse longe post Concilium celebratum, reddita iam pace Ecclesiæ, suo loco demonstrabimus. Sed quod magnum attulit detrimentum Catholicæ Ecclesiæ, illud fuit, quod vita functo Eustolio Episcopo Nicomediensi, quem interfuisse vidimus Concilijs Ancyrano & Neocæsariensi, in locum eius ordinatus est (fauore, vt creditur, Constantiæ Augustæ Licinij Imperatoris vxoris) Eusebius sedis Nicomediẽsis Antistes ex Berythensi sede translatus, ambitionis insano spiritu percitus: qui totis impensis viribus obstinatissimo plane animo suscipiens Arij patrocinium, pugnauit aduersus Catholicam veritatem. D E

b Matth. 5.

EVSEBIVS FACTVS NICOMEDIAE EPISCOPVS.

c Epiph. hæres. 69.

Constat quidem ex Epiphanij [c] sententia, Arium primùm in Conuentu publico ab Alexandro conuictum, fuisse ab Ecclesia expulsum; inde vero post aliquod temporis spatium sponte Alexandria recessisse, atque Eusebij Nicomediensis auxilium implorasse: etenim rem ab exordio aggrediẽs, hęc summatim recenset: Vbi igitur Meletius significasset de Ario omnia, quo modo

A discessisset a veritate, & quòd multos polluisset, ac perdidisset, corruptis ijs a recta fide, qui ipsi credidissent: tunc Episcopus accersitum Arium interrogabat de perlatis ad se, an hæc ita se haberent. Ille vero neque hæsitauit, neque timuit, sed ab exordio perfricta fronte omnem malam suam opinionem euomuit, velut epistolæ illius indicant, & examinatio coram ipso tunc facta. Conuocat itaque Alexander presbyteros, & alios quosdam Episcopos præsentes; et examinationem huius facit, ac interrogationem. Vbi vero non persuasus est a veritate, expellit ipsum ex Ecclesia, & per vrbem diffamat; cum ipso autem distractæ sunt prædictæ virgines, & clerici prædicti, & alia multa turba.] quotnam hi fuerint, superius ab eo recensiti sunt; nimirum ipsum septingentas virgines professas, atque etiam presbyteros septem, & diaconos duodecim abstraxisse: sed de numero inferius ex Alexandri litteris. At quid post hæc Arius? Cum autem (inquit) versaretur Arius multo tempore in vrbe,
B statim moritur confessor Meletius, itemque testis & martyr. Itaque Arius seditiones faciens, & singulos decipiens, multos perdidit. Postea vero vbi deprehensus est, & ad confutationem venit in vrbe, ac diffamatus est, ab Alexandria aufugit, & ad Palæstinam iter arripit: quo cum peruenisset, singulos Episcopos adijt cum adulatione, vt sibi multos faceret cooperatores: et suscipiunt quidem ipsum aliqui, alij vero repulerunt.] hucusque Epiphanius. Ceterum si credimus Ario de se scribenti ad Eusebium Nicomediensem Episcopum; ipsum non sponte recessisse Alexandria, sed ab Alexandro Episcopo eiectum fuisse constat. Rursum vero eum, postquàm excommunicatus est, multo tempore Alexandriæ versatum, cum idem Epiphanius affirmet: ibi permansisse vsque ad redditam Ecclesiæ pacem post debellatum Licinium, opinamur. Quamobrem de eius a ciuitate eiectione agemus inferius.

C His fere temporibus, quibus Arius hæresiarcha prodijt; Colluthus presbyter Alexandrinus, se, cum non esset, Episcopum gerens, cœpit ordinare presbyteros, conflare sectam, docere hæresin, & suo nomine ea imbutos propagare Colluthianos hæreticos. Quod ad tempus spectat, his eum vixisse temporibus, & damnatum in pleno Concilio Alexandrino coram Osio Apostolicæ sedis Legato post quatuor abhinc annos, suo loco dicetur. Erat hic presbyter Præfectus vni ex ecclesijs Alexandriæ ciuitatis. Extabant complures ibi ecclesiæ, quibus singuli adscriberentur presbyteri, qui suæ parœciæ populum congregarent atque docerent: recenset ex eis aliquot Epiphanius [a], & inter alias, ecclesiam Dionysij appellatam, aliam Theonæ, item Pierij, Serapionis aliam, sed & Dizyæ, Mendidij sextam, Anniani septimam, Baucalidis octauam, Abiæ vero nonam. At in vna harum (inquit ipse) Colluthus quidem erat, in altera Carpones, in alia Sarmatas; et Arius prædictus vnam
D ex relatis ecclesijs tenebat. Clarum est autem, quòd vnusquisque horum secundum consuetam communionem populum sibi concreditum in narrationibus docens, litem quamdam populo immittebat, & alij inclinati erant ad Arium, alij ad Colluthum, alij ad Carponem, alij ad Sarmatam. Sicut igitur quisque exponebat in propria ecclesia, alius aliud quid, & alius aliud; appellationis ac laudis ex illis gratia, alij Colluthianos seipsos nominauerunt, alij Arianos: nam & Colluthus quædam peruerse docebat, sed non durauit eius hæresis, sed statim dispersa est.] hæc Epiphanius.

COLLVTHI TEMERITAS.

a Epiphan. hæres. 69.

Taxatur ab Alexandro Episcopo Alexandrino Colluthi ambitio, quam tamen Arius superasset, cum ait Theodoretus [b]: Arius & Achillas nuper facta coniuratione, dum Colluthi ambitionem imitari studebant, eum in eo vitiositatis genere longe superarunt: ille enim quãquam eas ipsas res, quas isti, coarguere conabatur; tamen improbi sui instituti causam saltem simu-
E latam habuisse visus est: hi autem cum illius nundinationem, qua Christum ipsum vendidit, animaduerterent, non amplius legibus Ecclesiasticis subiecti esse sustinuerunt, &c.] Quod autem spectat ad hæresin, quam docebat; cum Philastrius [c], tum etiam [d] Augustinus tradunt, ipsum eius fuisse sententiæ, vt diceret, Deum non esse malorum creatorem. At licet Colluthus paucis annis gauisus sit hæresis suæ coalescentia (quòd ipse mox damnatus atque depositus fuerit, vt suo loco demonstrabimus) tamen qui ab ipso sunt nominati Colluthiani hæretici, de calcaria (quod aiunt) in carbonariam se transferentes, Arianis se coniunxerunt, atque Meletianis aduersus Catholicos: quod Athanasius [e] sæpe deplorat, atque alij Orthodoxi. Porro de horum studijs aduersus Athanasium dicemus inferius suo loco.

b Apud Theodoret. lib. 1. c. 4.

c Philastr. de hæres. c. 8.

d Aug. ad Quoduultdeum de hæres. c. 65.

e Athanas. Apolog. 2.

Hoc quoque anno iisdemque Coss. Constantinus Imperator (quod Christianum Principem decuit) pœnam illam aboleuit, qua miserorum hominum vultus inscriberentur, cum ad Eumelium sic rescripsit [f]: Si quis in ludum fuerit vel in metallum pro criminum deprehen-

f l. 2. de pœnis. Cod. Theod.

 sorum

sorum qualitate damnatus; minime in eius facie scribatur, dum & in manibus & in suris possit poena damnationis vna scriptione comprehendi: quo facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cælestis est figurata, minime maculetur. Data * XI. Kal. April. Cabilluno Constantino quartum & Licinio quartum Coss.] at de eiusmodi supplicio nos alibi in Notis ad Martyrologium pluribus egimus. A

* Aca.

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
316.	3.	11.

SEquens annus, qui numeratur Domini trecentesimus decimusſextus, Sabino atque Ruffino Coss. consignatur, qui & cum tertius sit a Consulatu tertio Constantini atque Licinij, plane ille ipse est, quo Zosimus a Diocletianum Imperatorem mortuum esse testatur. Sane quidem non sine diuina dispensatione ad hæc tempora Christianis felicissima fuit ipse reseruatus; vt qui Christianæ religionis funditus vastationem & radicitus extirpationem fuerat meditatus, omniq. studio id etiam operatus, non tantum id minime fuerit consequutus, sed versa rerum vice, Christianos imperare videret, templa a se disiecta restitui augustiora, cœtus frequentissimos cogi, Christi gloriam laudum præconijs vbique extolli; contra vero idolorum delubra disijci atque claudi, deorum simulacra confringi, cessare victimas, illorum festa aboleri, ac ritus Gentilicios antiquari, in diesq. magis magisq. auitam superstitionem pessumdari: vt plane illi accideret, quod est in Psalmis b: Peccator videbit & irascetur; dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorũ peribit.] Quo enim putandum ipsum hæc omnia animi angore inspexisse; ac quantum pariter doluisse, se sic, numine impellente, ad deponendum Imperium adactum esse, vt illud in Christianos homines transferretur? Hoc quidem omni quamlibet immenso supplicio grauius atque acerbius videri illi poterat. De quo hęc Constantinus c ea oratione, quam habuit ad Sanctorum cœtum: Diocletianus quoque, cũ post cruentam cædem in persecutione factam, ipse contra se quodammodo propter vitium amentiæ & delirationis suffragium tulisset, se vnius abiectæ & humilis mansionis munitioni ac præsidio concredens, pœnas dedit.] hæc ipse. B C

a Zosim. lib. 2. DIOCLETIANI IMP. OBITVS. b Psal. 111. c Constant. orat. ad Sanctor. cœt. c. 25.

Sed quas pœnas? Eusebius rem paucis complexus hæc ait d: Alter & gradu honoris & designationis tempore primas Imperij partes assequutus, diuturna & aspera in primis corporis ægrotatione pedetentim cõtabescens occubuit.] eadem quoque ex eo Zonaras e, sed Cedrenus hæc de morbo & exitu Diocletiani fusius scribit f: Diocletianus cum se Imperio abdicauisset, grauissimum in morbum incidit, cuius doloribus vehementibus totum corpus affligebatur, viscera inflammatione acerrima corrumpebantur, caroq. vniuersa, ceræ in morem, colliquebatur. Quin & luminibus miser captus atque mutilatus est. Exinde miserabiliter putredine absumptus, ex faucibus multitudinem vermium ipsa cum lingua, quæ computruerat, eiecit: atque adeo in sepulchris confectorum cadauerum fœtore nihilo melius fœtuit. Inter hæc ille spirans & gemens, mortem inuocabat, atque extremo spiritu hæc verba edidit: Væ miserabili mihi, & digno qui lugear: quàm iustas meorum in Christianos impiorum conatuum pœnas pendo! hæc scelesto illi postea temporis euenerunt.] hactenus Cedrenus, quæ ne mireris prætermissa fuisse ab Ethnicis scriptoribus, vtpote ignominiosa illis. D

d Euseb. lib. 8. c. vlt. e Zonar. tom. 2. Annal. in Diocleti. f Cedren. in Compend.

Aurelius g Victor de tempore obitus ipsius & causa hæc tradit, superius tamen alia occasione recitata: Vixit annis LXVIII. * ex queis communi habitu prope nouem egit. morte consumptus est, vt satis patuit, per formidinem, voluntaria: quippe cum a Constantino atque Licinio vocatus ad festa nuptiarum, per senectam, quo minus interesse valeret, excusauisset, rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio fauisse, ac Maximino fauere, suspectans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse.] hæc Victor; ex cuius sententia, anno sequenti a debellato Maxentio, cum Constantij atque Licinij celebratæ sunt nuptiæ, nempe ante triennium, Diocletianum defunctum esse, dicere opus esset. Addit Eutropius h: Contigit igitur ei, quod nulli post natos homines, vt cum priuatus obijsset, inter diuos tamen referretur.] eadem ferme verba apud Hieronymi Chronicon leguntur. Porro vt Diocletianus more maiorum inter diuos refertur, opus id fuisse Licinij, certum est, qui hoc anno (vt dicemus) a Constantino rebellans, Christianos persequi aggressus est. Sed qui impium stulto conatu retulit inter diuos, ipse ab Imperio cecidit, & ex humanis desijt. Hic tandem finis truculentæ belluæ, ebriæ Sanctorum E

g Aur. Vict. in Dioclet. * LXXVIII. h Eutrop. lib. 9. in fin.

sanguine

A sanguine. Qui enim olim (vt Eusebius [a] & Eutropius [b] tradunt) adorari se iussit vt Deum, & gemmatos calceos atque vestes non contentus purpura seipsum induit, primum Imperio (vt dictum est) arreptus amentia exuit, ac tandem infelicissimum finem sortitus est. Sic, iuxta Deboræ Canticum [c]: Omnes inimici tui Domine pereant: qui autem diligunt te, sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent.] quod factum vidimus in Constantino.

Quod autem spectat ad Licinij aduersus Constantinum conceptum odium, atque ab eius amicitia defectionem, & bellum conflatum, iam exordiamur narrationem. Huius sane rei gestæ historiam antequàm enarrare aggrediamur; quod præcipuum est, temporis gnomon ex more figendus est, quo rerum gestarum veritas clarius innotescat. Extat Constantini [d] rescriptum ad Florianum Præfectum de Veteranis datum post annum sequentem Licinio quintum & Crispo Coss. quarto Idus Aprilis, vbi mentio habetur de obtenta ab eo victoria in Thracia B anno superiore; quinto Nonas Iulij, qui est sequens annus Gallicano & Basso Coss. Sed cum antequàm dimicaretur in Thracia, constet, auctore Zosimo, & alijs, pugnatum fuisse apud Cibalem in Pannonia: hac ratione iure dici posse videtur, discordias hoc anno inter vtrumque esse conflatas, eosque tandem ad apertum bellum progressos, ac primo certamine Cibali in Pannonia conflixisse, de quo suo loco dicendum.

Porro inferendi huius belli causa a Zosimo [e] in Constantinũ cõcitato atque infenso eiusmodi redditur: Exorta (inquit) sunt inter eos dissidia, non quòd Licinius causam præbuisset, sed quòd more suo Constantinus pacta consueta parũ integra fide seruasse visus esset, ac nationes quasdam ad Imperium Licinij pertinentes auertere voluisset. Itaque prorumpentibus in apertum inimicitijs, ambo copias suas ad dimicandum cogebant.] hæc de belli causa Zosimus, cui Aurelius Victor [f] & ipse Ethnicus scriptor fauet; dum eadem ex causa, quòd Constantinus C Licinium bello exagitarit, ac tandem Imperio spoliarit, post decennium Regni ipsum fuisse Latronem cognominatum tradit, cum ait: Vnde in prouerbio vulgari: Tracala decem annos præstantissimus, duodecim sequentibus Latro, decem nouissimis Pupillus ob profusiones immodicas nominatus.] at de his inferius. Sed quod spectat ad causam, illa prior atque verior intercessit, ex Licinij perfidia atque impietate progressa; quòd nimirum de Christiana religione protegenda pactis non stetisset conuentis. Hæc autem quo modo se habuerint, ab Eusebio, qui hæc præsens spectauit, remque fidelius ita prosequutus est, accipiamus.

Eusebius [g] igitur post Decennalia a Constantino sui Imperii celebrata, quæ anno superiore (vt demonstratũ est) contigerunt, de his quæ mox sunt subsequuta, eiusmodi exorditur historiam: Atque vt in his plurimum percepit oblectationis; sic de illis quæ in Oriente magno cum tumultu & perturbatione gesta esse auditione acceperat, mæroris non parum. Nam ei nunciaD tum est, belluam quamdam immanem & ferocem illic tum Dei Ecclesiæ, tum reliquis prouincialibus insidias tendere (quippe dæmon nefarios omnes suos neruos contendit, quo ijs quæ erant a pio Imperatore confecta, contraria prorsus peragerer) vsque eo, vti Imperium Romanum in duas partes diremptum, noctis tenebris & splendori diei omnibus persimile videretur. Nam ijs qui Orientem obtinebant, tamquam noctis caligo offundebatur: illis autem qui erant alterius partis incolæ, splendor clarissimæ diei illucescebat. Quos tam infinitis bonis diuina prouidentia suppeditatis frui, neque diabolus inuidia æstuans, virtutique infestus, æquo animo spectare tolerareque; neque Tyrannus, qui alteram Orbis partem opprimebat, omnino ferre potuit: qui quidem, cum Imperium sibi prospere succederet, & Constantini tam eximij Imperatoris sororem duxisset, relicta præclarorum hominum imitatione, perditos impiorum mores & institutum æmulari cœpit: et quorum infelicem vitæ exitum oculis aspe-E xisset, eorum sceleratam mentem sequi maluit, quàm in firma præstantioris viri amicitia acquiescere. Itaque nec legum amicitiæ, nec fœderum, nec cognationis, nec pactionum memoriam omnino animo tenens, bellum crudele & pestiferum contra patronum suum mouet. Nam sicut Constantinus, vtpote Princeps humanissimus, veræ beneuolentiæ erga ipsum ostendit indicia, maiorum cognationis, regij sanguinis antiquitus ducti consortem fieri voluit, sororem ei collocauit in matrimonium, liberam denique totius Imperij perfruendi potestatem tamquam cognato & collegæ Regni tribuit: sic ille contraria animo statuens, contra meliorem præstantioremque hominem machinas comparauit; aliosque aliàs excogitauit insidiarum modos, quo patroni sui benefacta malefactis compensaret.

Ac primum amicitiam callide & veteratorie simulans, dolo & fraude egit omnia; et propterea quæ temere admittebat, clam fore sperauit. Ceterum eius insidias ex occulto structas Deus famulo suo patefecit. Iste igitur simulac fuit in primis illis conatibus manifesto prehensus, ad secundas fraudes se contulit; cœpitque interdum beneuolentiam & necessitudinem prætexere

[a] Euseb. in Chronic.
[b] Eutrop. lib. 9. in fin.
[c] Iudic. 5.
[d] l. 3. de Veteran. Cod. Theodos.

DISCORDIA INTER CONSTANTINVM ET LICINIVM.

[e] Zosim. lib. 2.
[f] Aur. Vict. in Constantino.
[g] Euseb. in Vit. Cõstantini lib. 1. c. 41. 42. 43. 44. 45. 46.

LICINII IN CONSTANTIA.

LICINII ANIMVS FRAVDVLENTVS.

prætexere, nonnumquam fœderibus & iureiurando fidem facere; tum quasi derepente decreta antiquare: rursus per Legatos supplicare; iterum ex mendacij simulationibus turpi ignominiæ labe notatus, tandem bellum palam indicere; ac mentis adeo temeritate & insolentia incitatus, de cetero ipsi Deo, quem Constantinum Imperatorem auguste venerari cognouit, se opponere. A

Primum enim contra Dei ministros, eius subiectos Imperio, qui numquam quidquam criminis contra Imperium admisissent, pedetentim tum, & dissimulanter causas astute & fallaciter confictas aucupari molitus est. Et cum nullum crimen ipsi suppeteret, nec haberet quod viris illis omnino posset obijcere: legem promulgauit; quæ quidem præcepit, vt neque Episcopi inter se de rebus suis communicarent; neque cuipiam illorum copia esset aliquam Ecclesiam in proximo sitam adeundi; neque conuentus, aut consilia, aut deliberationes de rebus ad ipsorum vtilitatem spectantibus instituendi. Atque hæc tamquam ansa illi fuit ad nos proterue contumelioseque tractandos. Aut enim legem violando, supplicio obnoxios esse oportebat; aut legis præcepto morem gerendo, Ecclesiæ ritus & instituta euertere. Nam magnæ & graues deliberationes de controuersis rebus susceptæ, non aliter possunt, quàm per rectam Conciliorum administrationem ratione & via procedere. B

LICINIVS INFESTVS CHRISTIANIS.

At reuera Dei hostis Licinius, quoniam Constantini pij Imperatoris institutis contraria moliri decreuerat, eiusmodi exequi contra nos mandauit. Nam vt hic sacerdotes Dei, quo honor illius, quem sancte colebant, illustraretur, ad pacem studuit & mutuam concordiam perducere: sic ille honesta disturbare machinatus, consentientem Ecclesiæ harmoniam dirumpere diuellereque contendit. Atque quoniam hic Deo carus famulos Dei in Palatium suum benigne intromisit: ille Deo infestus contraria animo complexus, pios omnes ipsius obsequentes Imperio e sua exturbauit Regia: et viros quos erga se maxime fideles habuit & beneuolos, in exilium eiecit. Eos item, qui ob res suas ante præclare gestas fuissent amplos ab ipso honoris & dignitatis gradus adepti, alijs obsequi, seruiliaque ministeria obire mandauit. Et primum facultates quæstus sui gratia omnibus ademit: deinde mortem illis minatus est, si forte aliquando salutare Christi nomen profiterentur.] De expulsis e Palatio Christianis, ijsdemq. diuersis pœnis affectis, Eusebius [a] hæc habens præ oculis iterum testatus est. Ad hæc fortasse allusit Victor, & ipse Gentilis historicus, cum in Constantino scribit, ipsum Licinium fuisse spadonum & aulicorum acerrimum domitorem: consueuisse enim Ethnicos, Christianos homines continentiæ professores nominare spadones, suo loco dicemus. At de eodem Licinio prosequitur Eusebius dicens: C

a Euseb. lib 10. c. 8.

LICINIVS VI ABSCRIBIT LEGES ECCLESIAE.

Porro animo perturbationibus agitato, & in omnem intemperantiam effuso Licinius præditus, infinitis adulterijs & facinoribus insigni turpitudine nobilitatis admissis, eximiam castitatis virtutem negauit in hominibus esse posse; aliorumque naturam ex sua vitiosa mente spectauit. Ac propterea legem secundo tulit, iubens ne viri simul cum mulieribus, precibus in ecclesia ad Deum fusis, interessent: neve sexus muliebris augustas virtutis scholas adiret: neu denique Episcopi mulieribus sacra Dei eloquia explicarent; sed mulieres ipsæ alias mulieres, a quibus erudirentur, sibi deligerent.] hactenus de his Eusebius. Audet impurissimus homo & illitteratus Ecclesiæ leges præscribere, & solitas catecheses ab Ecclesia Dei proscribere, easdem ab Episcopis ablegare, ac feminis tradere. Erat quippe (inquit [b] Victor) infestus litteris, quas per inscitiam immodicam virus ac pestem publicam nominabat, præcipue forensem industriam.] D

b Victor in Constantino.

AMMONIS DIAC. ET VIRGINVM XL. MARTYRIVM.

Porro sicut fuit legum iniquarum iniustissimus promulgator, ita pariter se earumdem securissimum custodem exhibuit. Vnde accidit, vt Ammonem diaconum & quadraginta virgines, quas ille instituebat, diuersis mortis generibus affecerit, quorum omnium natalis dies Kalendis Septembris fuit perpetua memoria consecratus, qua die hæc de eorum triumpho in Menologio scripta habentur: Natalis sanctarum quadraginta mulierum martyrum virginum & monialium, & Ammonis diaconi earum magistri. Hæ fuerunt ex Hadrianopoli Macedoniæ Christum sequutæ sub institutione eiusdem Ammonis diaconi: tentæ vero sunt a Balbo Præfecto Hadrianopolis, multumque excruciatæ, vt idolis immolarent: quæ fortiter restiterunt: cum interea idolorum sacerdos arreptus a dæmone, suspensus in aera, atque in terram collisus, interijt. Virgines vero cum Ammone missæ sunt Heracleam ad Licinium ibi commorantem; cuius sententia decem ex illis viuæ combustæ, reliquæ vero vnà cum earum magistro gladijs concisæ sunt. præstitit hæc sæuissimus Imperator.] hæc Græci die prima Septembris. Sed hallucinatus est plane Nicephorus, dum quas omnes attestantur virgines, ipse tradit vxores fuisse illorum quadraginta militum, qui Sebaste in Armenia passi sunt sub eodem E

A Licinio Imperatore, de quibus suo loco dicturi sumus. Vnde autem eiusmodi commentum acceperit, non apparet; quod potius ignari vulgi rumore ex paritate numeri iactatũ putatur. Ad hæc etiam spectat, quòd idem Licinius Imperator sanctissimum virum Paulum Episcopum Neocæsariæ Euphratesiæ, quòd minime destitisset munus suum explere in institutione Fidelium omnium etiam feminarum, vinciri iusserit, ludibrijq. causa eius genitalia igne comburi, atque articulorum neruos combustione succēdi; quod testatur Gregorius [a] presbyter, nec non Theodoretus [b]. Quod etiam ad persecutionem Licinij spectat; Socrates [c] hanc quoque ab eo legem aduersus Christianam religionem fuisse statutam tradit, cum ait: Lege etiam interdixit Episcopis, ne in congressum colloquiumque cum Gentilibus aliquando venirent, eo videlicet consilio, vt Christiana religio inter eos nulla ex parte propagaretur.] hæc Socrates.

a Greg. presb. orat. de Patrib. Nican. Concilij. b Theod. lib. 1. c. 7. c Socrat. lib. 1. c. 2.

Sed antequàm cetera ab Eusebio de rebus Licinij in Christianos gestis scripta recenseamus: B hic operæpretium iudicamus de ipsius Licinij intemperantia atque sæuitia historiam egregie testatam describere, qua simul causa aperitur, cur tantopere Episcopos feminas erudientes hisce impijs legibus exagitarit. Scripsit eam, qui tunc viuebat, atque ea videbat, Ioannes Nicomediæ presbyter [d]; qui ipso suæ narrationis exordio summatim complexus quæ tum Maxentio, tum Maximino Christianorum persecutoribus accidissent, ad res a Licinio gestas orationem conuertens post narratum Licinij aduentum vnà cum Constantia Augusta Nicomediam, & alia de pace Ecclesiæ breuiter dicta, hæc mox subdit de eiusdem Imperatoris facta in deterius mutatione.

LICINII INTEMPERANTIA, ET SAEVITIA.

d Apud Metaph. die 26. April.

Cum feliciter, quod cupiebat, ei processisset; quæq. sperabantur, in eius potestatem venissent: ostendit non longe postea, qualemnam animum haberet, & cuiusmodi reuera esset, quòd videlicet per simulationem & sub quadam simulatæ fidei specie atque tegumento cum C maximo illo Imperatore Constantino versatus fuerat: quo tempore Constantini res gestas considerans, animum suum occultabat. Tunc igitur cum totus scelestus esset & nefarius, totusque ad diaboli voluntatem se accommodasset: solius & veri omniumque creatoris Dei confessionem reprobauit: idque post iusiurandum illud, quod Dei amantissimo Imperatori Constantino sæpius exposuit: nullo vmquam tempore se a Christianorum fide defecturum, sed illius se fore propugnatorem. Quæ sua promissa pro nihilo faciens, Græcorum cultui diligenter se ipse totum tradidit, ardenti zelo in rebus illius execrabilibus permanens, & vbique idolis ipsis sacrificia offerens. Qui & violenter Senatorias mulieres abripiens, in conspectu hominum turpe ac intemperatum facinus committebat, non matribus neque filiabus parcens, quo minus intemperanter cum illis coiret. Ad hæc per omnes Gentes infinitas calamitates meditari non desistebat.] hæc ibi. eadem plane de Licinij intemperantia D narrans Eusebius [e], Quid, inquit, dicam de mulieribus in matrimonium collocatis, in quas iste decrepitus senex impetum fecit? Quid virgines adolescentulas enumerem, in quas, quo effusam intemperantem animi sui libidinem expleret, contumeliose insultauit?] hæc Eusebius. Sed institutam narrationem prosequamur.

e Euseb. lib. 10. c. 8.

Hæc cum Magni Constantini germana soror videret, atque audiret, eaque ferre non posset: litteras ad pium virum & Dei amicum Constantinum clam misit, quibus significabat, quæ Licinius facere ausus fuerat. Ille enim superstitiosæ dæmonum culturæ studiosus, & ipsi Deo inuisus Licinius omnes Christianos homines e domo sua procul fugauit: qua re aperte se Christi diuino patrocinio nudum ac destitutum ostendit. Cum igitur sine impedimento aliquo talia diutius ab illo fierent: vna quædam puella ex earum numero, quæ in Reginæ ministerium ardenti studio affectæ erant, e Christianorum genere exorta, moribusque & tempe- E rantia florescens, cum hæc cognosceret; et a Licinio ad stuprum prouocata, cum eo misceri exhorresceret; simulque ne propter zelotypiam ac suspicionem a domina sua abigeretur; arcanum illud Reginæ ipsi aperire ausa est: Hæc (inquit) Imperator constituit mihi facere: Benignus enim, qui eius cubiculi Præfectus est, cum tamquam magnum aliquod donum se mihi collaturum speraret, hoc significauit. Te igitur obtestor per Deum illum, qui cæli & terræ dominus est, quem & ipsa times, & Imperator Constantinus colit, ne sinas virginitate mea, nefario coitu vitiata, me priuari.

CONSTANTIA AVGVSTA IN LICINIVM COMMOVETVR.

Hæc cum Regina didicisset, & puellæ ipsius æquam mentem ac propositum libenter amplexata esset: illam primum occultauit eo nomine, quòd delirio correpta, moritura videretur. Postea vero opportunum tempus nacta, multum auri & argenti, regiumque ornatum, atque omnem supellectilem, nec non pueros illi dedit, eamque misit in Armeniæ regionem: atque illis hominibus, qui eam ducebant, præcepit, vt nullo modo quæ fierent, alicui patefacerent, quænam scilicet, aut vnde esset illa puella, quoad Dominus ipse prouidisset. Illi vero virili

PVELLAE CHRISTIANAE SPECTATA CASTITAS.

veste eam ornarunt: cumque Reginæ de puellæ custodia & benignitate in ea seruanda fidem certam dedissent; in eum locum, in quem iussi fuerant, proficiscebantur. At si qui ab illis quæsiuissent, quisnam ille esset? Tribunum quemdam esse respondebant. A

Dei autem prouidentia factum est, vt illi in vrbem Amaseam venirent; erat autem vrbs illa Ponticæ prouinciæ metropolis. Glaphyra igitur (hoc enim erat puellæ nomen) cum vrbem munitissimam vidisset, eius loci specie delectata est; et pueros suos admonuit, vt si Christianorum genus illic inuenissent, in ea vrbe permanerent. Cum vero adolescens quidam, qui ad Quintium vrbis illius cum primis illustrem pertinebat, audisset viros illos Christianos esse, & quærere si qui eiusdem fidei essent in vrbe illa, ad Quintium pertulit quod audierat: qui nihil moratus, eos conuenit, ac rogauit vt in domo ipsius esse vellent, & si gratum eis esset, illic manerent; dicens se quoque Christianum esse, & eo in loco Christianum Episcopum habere virum egregium & dignum qui cum Apostolis ipsis conferri posset.] equidem Basileum Amaseæ Episcopum spectatum fuisse in Concilijs Neocæsariensi & Ancyrano, superius dictum est; quem & Magnus Athanasius [a] Episcopus Alexandrinus inter celeberrimos huius sæculi sanctissimosque Antistites enumerat. Sed prosequitur Ioannes presbyter: B

[a] *Athanas. orat. 1. contra Arian.*

BASILEVS EPISC. AMASAE.

Illis eius verbis obtemperantes, & in eius domo partem quamdam capientes, apud clarissimum virum Quintium permanserunt: et Episcopum ipsum conuenere, qui Basileus appellabatur (idem quod Basilius, sed vsu quodam accidit, vt Basileus potius, quàm Basilius, nominaretur) erat vir ille admodum eloquens, omnique virtute & spirituali prudentia refertus. Cum vero a Glaphyra ipsa quæsitum fuisset, quænam, & vnde esset: respondit se Italam genere, & Christianam esse ex parentibus Christianis, ancillamque Reginæ illius, quæ Constantini Augusti soror, & Licinij Regis vxor erat. Adiunxit etiam deinceps, quænam fuerat causa, vt ad eum locum veniret. Illi cum hæc audissent, præceperunt, vt neque ipsa, neque quisquam illorum qui ad eam pertinebant, cum aliquibus versaretur; ne aliquo modo vrbis Præfecto delati essent, & calamitatis alicuius causa ea res ipsis foret. Beatus vero Episcopus Basileus dixit, ad Dei gloriam illam discessionis causam pertinere. C

Illis ipsis diebus tēplum, Ecclesiæ causa, Episcopus construebat: nam vsque ad illud tempus non fuerat intra vrbem Christianis ipsis locus aliquis sanctus. Casta igitur illa virgo Glaphyra multum auri & argenti ad templi ædificationem contulit, & omnes fere suas facultates ad omnia ea suppeditabat, quæ beatus Basileus iussisset: quin etiam & ad dominam suam scripsit, vbinam esset, & apud quem manere sibi proposuisset; ac de sacro illo ædificio certiorem eam fecit, petens vt plus pecuniæ ad se mitteret, qua templum sanctum Christianis compleri posset. Id libentissime fecit Magni Constantini soror, quæ & plurimas pecunias & multa dona ad eam misit: scripsit etiam & litteras ad Episcopum, quibus puellam ei commendabat. D

Tēporis interuallo, iniquioris dæmonis arte factum aiunt, vt Glaphyræ litteras Benignus ille, de quo diximus, inuenerit. quibus lectis, cum audisset puellam viuere, & apud quemdam virum Amaseæ esse, Regi Licinio hoc patefecit. Qui cum mirum in modum furore accensus fuisset, illa ipsa hora ad prouinciæ Præsidem edictum misit, quo iubebat Basileum Episcopum & Glaphyram ferreis vinculis ligatos ad se mitti. Prius igitur quàm Regis litteræ ad Præsidem venissent, Dei prouidentia factum est, vt Glaphyra ipsa ex humanis rebus discederet.] huius natalem diem, qui contigit Idibus Ianuarij, insignis eius pietatis & castitatis ergo, perpetua memoria placuit adscribi in tabulis Ecclesiasticis, in quibus anniuersaria commemoratione celebris hactenus perseuerat. Sed quid post hæc Basileo contigerit, rem gestam idem auctor sic describit:

BASILEI EPISC. MARTYRIVM.

Corruptor autem ille & inhumanus Præses, cum Regis edictum accepisset, sanctissimum Episcopum Basileum comprehendit, & ferreis vinculis astrictum ad Regem misit: de Glaphyra autem scripsit, quòd mortua esset. Consequebantur beatum Episcopum Basileum duo clerici diaconi, quorum alter Parthenius, alter Theotimus vocabatur: omnes autem in via ipsa ab impijs militibus & carnificibus vexati sunt. Cum vero Nicomediam regiam vrbem venissent, Dei seruus Basileus in carcerem coniectus est; Parthenius vero & Theotimus apud Elpidiphorum quemdam Christianum hominem atque hospitalem, qui carceri proximus habitabat, benigne & multa cum misericordia hospitio accepti sunt. Fidelissimus igitur Elpidiphorus, cum omnia de viro illo cognouisset, & carceri custodi notus esset, auro ab eo impetrauit, vt sine impedimento aliquo & ipse, & diaconi, & quoscumque voluisset, ad magnum Dei Pontificem introirent, & vna cum illo diuinas preces atque psalmos noctibus præsertim canere possent. E

Instante igitur die, quo ante Tyrannum Basileus ipse sistendus erat, mediæ noctis tempore,

A carceris custode accersito, diaconos suos & admirabilem Elpidiphorum quæsiuit. Custos igitur ipse celerrime eos omnes ad Basileum duxit. Ille vero psalmos, vt consueuerat, etiam tunc canebat, exorsus ab illa psalmorum decade [a]: Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius. Deinde cum in psalmis dicendis vlterius progressus esset: tertio versum hunc, extensis in cælum manibus, & lacrymas fundens dixit [b]: Si habitauero in extremis maris: manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, Domine. Diaconi autem illi cum Basileum in precibus tamquam perplexum vidissent; lapsum ipsum fuisse suspicati sunt. Ipse vero sciebat quid diceret, vt earum rerum finis ostendit, quæ de illo conclusæ sunt. Deinde cum hymnos & preces expleuisset, die ipso iam lucescente diaconos affatus: Tentationes (inquit) adsunt fratres, a diabolo quidem ipso commotæ, sed ab hominibus in nos illatæ. Ne segens sitis; neque ob eas ærumnas, quæ futuræ sunt, animo concidatis; sed sustinete, B stabiles manentes in fide; neque vos dimoueri patiamini, vt probati & non confusi in aduentu Domini sitis, vigilanter ac firmiter animæ oculos ad eum intentos habentes, qui potest nos seruare a morte, & luctum vertere in gaudium, angustias ipsas in iucunditatem, lacrymas in risum, labores in requiem. Omnes vitæ huius voluptates & sensuum illecebras abiectissima quæque esse, propter Filium Dei Iesum Christum existimate, vt eius hæredes vna cum omnibus sanctis viris efficiamini, eius regni delicijs fruentes. Scitote enim, filij mei, hac nocte Dominum meum mihi vere apparuisse; et qualis dissolutionis meæ & in illum migrationis futurus sit finis, quæcumque denique magna & præclara in seruum suum faciet, mihi declarasse. Vos igitur tranquillo animo estote, & reuertentes, fratres ipsos in Christo confirmate. Eutychium vero Callistrati filium Episcopum vobis assumetis: id enim mihi Dominus reuelauit: qui sua gratia & benignitate motus, faciet vt vile hoc cor- C pus meum vobis reddatur.] factum vero esse postea ab eis, vt præceperat Basileus, de ordinatione Eutychij, ex eo perspicuum redditur, quòd eiusdem nominis Episcopus Amasenus interfuisse reperitur Magno Nicæno Concilio, cui & subscriptus inhæret. Sed rursum Ioannes:

Cum eius clerici amaros fletus emitterent: ille consuetam suam doctrinam adhibens, ipsos admonuit, & hortatus est, vt reuerti vellent; manibus Elpidiphori eos commendans; cui & hoc dixit: Tu frater a Deo electus es, vt charitatis mercedem recipias: vna igitur cum illis ærumnas patere; neque ipsos dimittas, quòcumque loco Dominus ad eorum ministerium te inuitauerit. Cum primum vero eos Basileus dimisisset; Rex ipse iussit illum ad se duci: ac primum Glaphyræ puellæ crimen obijciebat, quòd eam acceperat, neque quidquam de ea re significauerat. Ille ad hæc omnia iustam defensionem opposuit. At Rex iussit ab sui con- D spectu Episcopum amoueri. Cui & per vrbis Tribunum significans: Condonabo (inquit) tibi erratum hoc, & insuper honores maximos adijciam, si mihi obtemperaueris, & deis meis sacrificia obtuleris; quin etiam & eorum sacerdotum, qui hic sunt, Pontificem te constituam.

Beatus vero ille Dei minister Basileus Tribuno respondit: Hæc dices Regi: Licet totum regnum tuum mihi dare volueris, numquam tantum mihi dabis, quantum auferre vis, cum a Deo viuente me separare studeas, & dæmonibus animarum corruptoribus adiungere; atque ab infinita, sempiterna, immortalique gloria abalienare, & ad caducos honores impellere, quorum honestas turpitudo est, & splendor abusio quædam inutilis. Sed si vis me bonum consiliarium audire: tu mihi obtemperes, & redeas illuc, vnde discessisti: quemq. reprobatum contempsisti, ad eum te supplicem abijcias. Bonus enim Deus noster, nec quisquam E alius est præter ipsum iustus, sanctus, & saluator. Pœnitentiam igitur agas, & a vanis istis rebus discedas: ne propter insipientiam tuam mala & calamitates in te veniant, illatæ ab illo ipso iusto Iudice, quem tu negans dixisti Deum non esse.]

Hæc Basileus ad Licinium, quòd ille in gratiam Constantini speciem quamdam præsetulisset Christianitatis, quam ab eo rebellans exuerat. Verum cum hæc Licinio a Tribuno relata essent; ille adhuc iterum cum eo experiri iubet, mandans, nisi acquiesceret, truncari capite. Perstante vero S. Basileo in sententia, verberibus leuiter tamen inflictis, ad litus maris eum capite plecti mandat. Tum ille precibus ad Deum fusis, salutatisque suis osculo sancto, iugulum præbens, feliciter martyrium consummauit. Eius vero corpus in mare deijcitur iussu Imperatoris: Hoc enim modo (inquit auctor) quamplurimos ex ijs qui Christi fidem colebant, illos præsertim, qui gregibus Dei præsidebant, obtruncatos piscibus escam proiecerant.]

Porro autẽ idẽ auctor, qui hæc oculis lacrymas fundẽtibus spectabat, pluribus prosequutus est, quæ

[a] Psal. 131.
[b] Psal. 138.
BASILEI CONSTANTIA.

est, quæ nos memores instituti, breuitate cōtraximus: idemque elegantem post hæc subnectit historiam de corporis sectique capitis apud Synopem inuentione. Contigit autem martyrium Basilei, vt idem auctor testatur, vigesimaoctaua die Martij, inuentio autem atque sepultura vigesimasexta mensis Aprilis. Astipulatur his a Ioanne narratis Eusebius iterum tum in historia [a], tum in vita Constantini, cum Licinij infensum animum in Ecclesiam Amasenam in Ponto declarat: vt respectu eorum, quæ ipse Eusebius a sæuiente in eamdem Licinio admissa dicit, Ioannis presbyteri historia parcior videatur: tantum abest, vt ipse quidpiam veritati superaddiderit. A

[a] *Euseb. lib. 10. c. 9. & Vit. Constantin. lib. 2. c. 1. in fin.*

Apud eumdem quoque Eusebium in Chronico, hoc anno Constantini vndecimo ponitur expulsio Christianorum e Palatio, sequenti vero martyrium Basilei Episcopi Amaseni: licet in eodem Chronico multa ad finem habeantur inuersa, atque in notis numeri deprauata, nec cum annis Christi consentientia. Verum dum idem auctor testatur, Constantinum Constantiæ sororis litteris permotum, cum de nece sanctissimi Episcopi, deque alijs per Licinium patratis sceleribus certior redderetur, aduersus Licinium expeditionem parasse: necē Basilei hoc potius anno accidisse, quàm sequenti, affirmari posse videtur, quo constat ex his quæ dicturi sumus, primum victoriam de Licinio ipsum obtinuisse, ac proinde hoc anno apertis inimicitijs alterum in alterum bello rem agere decreuisse, & non obiter quemquam ipsorum permotum esse, sed quod in difficillimo prælio accidere solet, eorum quemlibet in sequentem annum copias comparasse. B

PACHOMIVS TYRO ADSCRIBITVR MILITIAE.

Hic ille plane annus esse videtur, quo dum ad sequens prælium Licinius vbique delectum haberi iuberet, & tyrones describi, in Aegypto inter alios magnus ille Pachomius tunc adhuc Ethnicus militiæ adscriptus est. Quid autem tunc illi acciderit, vt Christianæ fidei studiosus fieret atque sectator, Acta eius germana quidem, nec leui saltem mendacio vsquam aspersa, his verbis declarant [b] (iucundum plane erit ex Licinij impijs facinoribus ad gratiora hæc subinde diuertere) Cum autem post persecutiones Magnus imperaret Constantinus, & aduersus Tyrannum bellum gereret: iussi sunt in aliquibus prouincijs plurimi iuuenes referri in numerum tyronum; inter quos fuit etiam ipse Pachomius: qui, vt ipse affirmauit, agebat annum vigesimum. Omnibus ergo vno animo nauigantibus cum ijs, qui ipsos assumpserant, militibus, appulerunt in quoddam oppidum Thebarum. Vespere autem, cum ciues vidissent eos in satis tuta esse custodia, & de eis audiuissent viri Christiani & misericordes: attulerunt eis omnia quæ erant ad vsum necessaria, & valde eis magnum præbuere solatium, cum essent in maxima afflictione. C

[b] *Apud Metaph. die 14. Maij.*

Ego vero cum vidissem (inquit Pachomius) quod ab eis factum fuerat, & hoc valde essem miratus: didici ab eis qui vna mecum erant, Christianos erga omnes quidem, præcipue autem erga hospites esse benignos & misericordes. Rogante autem me (inquit) quidnam esset appellatio Christianorum; dicebant: Sunt homines pij & Deum colentes, credentes in nomen Vnigeniti Filij Dei sui Iesu Christi, & omnibus benefacientes, sperant ab eo mercedem remunerationis. Ipsis autem hæc ei dicentibus, mente illuminatus, & fidem Christianorum admiratus, & metu Dei corde inflammatus, & spiritu exultans, cum parum secessisset, & apud se fuisset: manus suas in cælum extendit, & dixit: Domine Deus, qui fecisti cælum & terram, si respiciens respexeris humilitatem meam, & mihi tuæ diuinitatis dederis cognitionem, & me liberaueris ex hac afflictione; tibi seruiam omnes dies vitæ meæ, & conuenienter tuis præceptis vitam instituam. Cum ergo esset precatus & sic Deo pollicitus, vno die postea egressus e custodia cum ijs qui cum ipso erant, & nauem ingressus nauigauit ex illo oppido. Interea autem dum in aliena regione versaretur, siquando eum carnis voluptates, aut rerum aliquarum mundanarum vexarent cupiditates, valde auersabatur, precum memor, per quas mente illuminatus Christum fuit professus, & eius qui in ipsum extitit diuinæ gratiæ aduentus.] Militauit Pachomius in exercitu Licinij Imperatoris, quousque ille per Constantinū penitus debellatus est, quando (vt suo loco dicemus) dedit in Ecclesia Christo nomen nouæ militiæ miles, ac sacro baptismate initiatus monachum profiteri cœpit: cuius quales in Christiana religione futuri essent progressus, illud præcessit indicium magnarum rerum prænuncium, cum videlicet dæmones eius adhuc pueri sub cura parentum agentis præsentiam exhorruerunt, nec ausi sunt in consuetum templum accedere, quo puer cum parentibus aduenisset. Sed hæc in Actis pluribus. D E

PACHOMIVS FIT CHRISTIANVS.

Atqui haud otiosum erit, ex quo ad hæc diuertimus, locum perscrutari, in quo Pachomius Christianorum ibi agentium admiratus collatam in Gentiles etiam homines charitatem pariter ac pietatem, Christianæ religionis concepit affectum, qui velut semen diligenter excultum

in in-

A in ingentem arborem excreuit. Thebarum ciuitatem vnam illam fuisse cum scribat auctor: in mentem reuoco, eamque ciuitatem existimo, quæ Oxirinchus dicta, diuersis sanctorum virorum ac mulierum pro status cuiusque diuersitate classibus abundabat, quæq. erat sanctissimorum virorum asylum, & collectio ciuium beatorum; quorum præclarissimæ virtutes cum in omnibus actionibus elucerent, in suscipiendis tamen hospitibus, Solis instar radiorum, adeo effulgebant, vt (quod dictum est) & iam Gentiles homines in maximam sui admirationem adducerent, & ad capessendam Christianam fidem eorum animos prouocarent. Sed quid Euagrius [a], qui ea præsens spectauit, de ipsa ciuitate scripserit, audiamus.

[a] Euagr. Vit. SS. Patrum c. 5.

OXIRINCHVS CIVITAS AD PERFECTAM CHRISTIANITATEM EXCVLTA.

Venimus autem (inquit) ad ciuitatem quamdam Thebaidis, nomine Oxirinchum; in qua tanta religionis deprehendimus bona, vt ea nemo digne sufficiat enarrare. Repletam B namque monachis intrinsecus vidimus & extrinsecus omni ex parte circumdatam: et ædes publicæ, si quæ in ea fuere, & templa superstitionis antiquæ, habitationes nunc erant monachorum; et per totam ciuitatem multo plura monasteria quàm domus videbantur. Sunt autem in ipsa vrbe, quia est ampla valde & populosa, duodecim ecclesiæ, in quibus publicus agitur populi conuentus, exceptis monasterijs, in quibus per singula loca orationum domus sunt, quæ certis temporibus ad orationem frequentantur. Sed nec portæ ipsæ, nec turres ciuitatis, aut vllus omnino angulus eius monachorum habitationibus vacat: quippe per omnem partem ciuitatis die ac nocte hymnos ac laudes Deo referentes, vrbem totam quasi vnam Dei ecclesiam faciunt. Nullus ibi inuenitur hæreticus aut Paganus, sed omnes ciues Christiani, & etiam omnes Catholici: vt nihil omnino differat, si Episcopus in platea orationem, aut in ecclesia faciat. Ipsi quoque magistratus aut principales ciuitatis & reliqui ciues studiose per singulas partes statuunt eos qui obseruant, vt sicubi apparuerit peregrinus, C aut pauper, certatim ad eum currant; et qui præoccupauerit, abducit, vt quæ sunt necessaria, consequantur. De his autem, quæ erga nos ab his populis gesta sunt, videntibus transire nos per ciuitatem suam, & velut Angelis occurrentibus, atque honorem deferentibus, quo modo enarrem? aut de ipsis monachis, & virginibus, quorum innumeræ multitudines, vt supra diximus, in illa vrbe habentur? Requirentes enim a sancto Episcopo loci illius, viginti millia virginum, & decem millia monachorum ibi haberi comperimus: quorum omnium affectum erga nos, & honorem quem exhibebant, vobis exponere nec sermo sufficit, nec verecundia permittit, quo modo pallia nostra scinderentur, vnoquoque nos sibi rapiente, & ad se adducere cupiente. Vidimus ibi plurimos sanctorum Patrum diuersas Dei gratias habentes, alios in verbo Dei, alios in abstinentia, in signis & virtutibus ministrantes.] hactenus de his Euagrius, quorum causa Pachomium Christianam religionem animo cōcepisse diximus.

LICINIANA PERSECVTIO QVALIS.

D Redeamus iam ad Licinij res gestas, cuius in Constantinum expeditionis hoc anno paratæ occasione, ad hæc de Pachomio, & loco quo ipse tunc miles a Christianis tam liberaliter exceptus est, paululum digressi sumus. Non solum autem in S. Basileum Amasex in Ponto Episcopum, sed & in alios eiusdem Ecclesiæ Christianos, aliosque diuersarum Ecclesiarum Episcopos eius furor grassatus est; ita tamen vt hæc persecutio non furenti impetu primum eruperit, sed sensim serpserit, magno tamen Ecclesiæ detrimento: quod Eusebius [b] his propemodum verbis significat: Iste, quem diximus, Licinius in eumdem cum illis gurgitem, qui cum Deo bellum gessissent, præceps deiectus est: et quorum interneciones impietatis causa ipsis illatas oculis aspexisset, eorum exemplum ad suam perniciem consectatus, persecutionem contra Christianos, tamquam quoddam ignis incendium iampridem extinctum, de integro suscitauit, grauiore flamma ab ipso, quàm a superioribus tyrannis accensa. Atque ve- E lut bellua quædam immanis, aut serpens tortuosus in se conuolutus, furorem & minas, quasi cum Deo bellaturus, anhelans, nondum aperte quidem (Constantinum enim admodum extimescebat) contra Dei Ecclesias ipsius Imperio subiectas dimicare ausus est: sed clam apud se maleuolentiæ occultans venenum, clandestinas insidias separatim contra Episcopos comparauit. Nam per veteratorias molitiones magistratuum, qui prouincijs præfuerunt, spectatissimos quosque inter ipsos e medio tollendos curauit. Quin cædis modus in eos institutus peregrinus quidam erat, cuiusmodi non aliquando cognitum fuisse arbitror.

[b] Euseb. Vit. Constantini lib. 2. c. 1. 2. & hist. lib 10. c. 9.

ECCLESIAE PROSTRATAE.

Quæ enim fuere ab ipso in Amasea Ponti patrata, extra omnem crudelitatis modum longe euagata sunt. In quo loco nonnullæ ecclesiæ, quæ fuissent etiam ante euersæ, iam secundo e sublimi ad solum vsque sunt prostratæ.] hæc Eusebius, plane alludens (vt dictum est) ad ecclesiam Amaseæ ex pecunijs Glaphyræ a Constantia Augusta illi collatis excitatam, & per Licinium furore percitum solo tenus dirutam. Idem quoque auctor de eodem Licinio tradit [c], per bella quadam elusione vetuisse conuentus intra ciuitates

[c] Euseb. Vit. Constantin. lib. 1. c. 46.

agi, sed extra mœnia eos iussisse conuenire, cum ait: Aliud quiddam ad ecclesiarum euersionem machinatus est: asseuerans populi conuentus, qui de more agebantur, extra portas in amœna planicie fieri oportere: nam aerem, qui extra portas est, permultum ei qui est templorum in ciuitate sitorum ad congressus faciendos præstare.] sed quid de ecclesijs fecerit, hæc post multa subdit [a]: Aliæ autem ecclesiæ a prouinciarum Præfectis occlusæ; ne quis eorum, qui eas frequentare consueuerant, eo ad conuentus agendos accederet, neve cultus Deo debitos impertiret. Nam qui ista mandauerat, non existimauit preces illic pro se fieri, vtpote quem mala conscientia in opinionem induxisset; sed pro Constantini salute nos omnia pietatis officia exequi, & Deum assidue pro eo orationibus placare, pro certo persuasum habuit. Illius autem assentatores, & qui ei blandiri egregie in animum induxerant, illustrissimos ecclesiarum Præsides (eidem se impio Tyranno rem gratissimam facturos arbitrati sunt) capitis supplicio mulctarunt. Itaque qui insontes erant, perinde atque ij qui cæde & sanguine manus suas inquinassent, sine causa ad locum supplicij abducti sunt, & graui pœna affecti.

a Euseb. ibid. lib. 2. c. 2.

SAEVIT PERSECVTIO.

Iam vero quidam nouum genus mortis subierunt, corpore in multas particulas ense minutatim dissecto: ac post istud crudele supplicium, & omni scelere in tragœdijs audito magis horrendum, in profundos maris gurgites piscibus vorandi proiecti sunt. Pij viri post hæc, sicut paulo ante acciderat, aufugere; famuli Dei in agros rursum & solitudines se abdere cœperunt. Vbi ista hoc modo Tyranno succedebant ex sententia, de cetero contra omnes persecutionem excitare, in animum inducit. In qua re certe fuisset voti compos, & nihil fuisset ei impedimento, quo minus in opere instituto processisset; nisi Deus suorũ seruorum propugnator, vti quod futurum erat perուerteret, famulum suum Constantinum, tamquam lumen illustrare in tenebris & nocte obscurissima incensum, ea in loca in quibus versabatur Tyrannus, quasi manu duxisset.] sed hæc postea. Quinam autem extiterint eiusdem Licinij conatus reliqui, idem Eusebius narrat: atque in primis quo modo fuerit in Christianos milites exacerbatus, hæc tradit [b]:

b Euseb. Vit. Constantini lib. 1. c. 47. & lib. 10. hist. c. 8.

QVID LICINIVS IN MILITES CHRISTIANOS.

Verum vbi ne in hoc quidem instituto habebat qui ei morem gererent: de cetero, nudo capite (vt dicitur) milites qui erant in ciuitate, si dæmonibus neutiquam hostias immolare in animum inducerent, iussit de dignitatis gradibus, quibus fruebantur, penitus deijci. Proinde vti cohortes piorum hominum vbique gentium honoribus erant spoliatæ; sic Tyrãnus, qui has leges sanciuerat, sua ipsius opera sanctorum virorum precibus omnino orbatus.] fuit enim hoc eius in re agenda consilium, vt exercitum Christianis militibus expurgaret; ratus nimirum, omnes qui Christiani essent, ex animo studere Constantino, sibi autem fore aduersos: sicque accidit, vt magno robore sui exercitus in hunc modum sublato, essent eius vires magnopere eneruatæ ac plane collapsæ. Eadem quoque ratione in reliquos, quos sciret Constantino esse animi affectione coniunctos, animaduertit; quod idem quoque Eusebius [c] testatur his verbis: Ad extremum namque furor eius cœpit in Ecclesias insultare, grassarique in Episcopos, quos sibi maxime aduersari animaduerteret; quin etiam quos cum pietati deditos, tum Imperatori magno ac religioso caros existimaret, eos inimicorum loco habere. Quocirca a sanitate & mente penitus deturbatus, animi impetum in nos incitauit.] Constat præterea complures alios Christianos militia nobiles ignominiæ causa ad opus publicum esse damnatos, alios insuper ad textrinam, aliaque opera gynæcea adscriptos fuisse. id quidem testatur [d] ipsemet Constantinus Imperator in edicto, quod primum post expugnatum Licinium pro Christianis edidit: recitabimus ipsum suo loco.

c Euseb. ibid. lib. 1. c. 49.

d Apud Euseb in Vit. Constantin. lib. 2. c. 25.

AVXENTII CERTAMEN.

Inter alios nobiles cum Castrensis tum Palatinæ militiæ viros, qui Christianæ religionis causa a Licinio e Palatio eiecti sunt, fuit Auxentius Notarius, postea factus ob insigne virtutis meritum Episcopus Mopsuhestenus, de cuius nobili confessione Suidas hæc narrat [e]: Auxentius Mopsuhestiæ Episcopus, ex ijs qui Confessores nominantur, homo illustris in exercitu Licinij Imp. & e Scribarum numero, quos Notarios Romani vocant. Confessionis genus huiusmodi fuit. Erat in quadam Palatij aula fons aquæ, & in eo Bacchi statua, & vitis ampla totum complexa locum atque inumbrans. Quo cum Licinius causa delectationis venisset, Auxentio & alijs multis e Comitatu sequentibus, vitem intuens, vuam magnam & maturam e palmitibus dependentem vidit, eamque Auxentium resecare iussit. At ille statim femori appenso pugione stricto, resecuit, nihil suspicans. Licinius autem: Ponito, inquit, vuam ad Bacchi pedes. At ille: Absit Imperator: Christianus enim sum. Tum ille: Igitur, apage te, relicta militia, alterutrum enim facias necesse est. At hic nihil cunctatus, & zonam soluit, & statim alacer Palatio excessit. Ephori autem aliquanto post eum Mopsuhestiæ

e Suid. in verbo Auxentius.

Episcopum

A Episcopum crearunt. Frater eius iunior Theodorus fuit, Athenis eruditus, cui & ipsi tandem Tarsensis Ecclesiæ Episcopatus contigit.] hucusque Suidas. Inter alios quoque milites Christianos ac nobiles confessores, Arsacij virtus effulsit [a]: erat hic genere Persa, qui & ipse pariter contempta militia, insignis confessor factus, monasticam vitam exercuit, & virtute miraculorum enituit sub Constantio; de quo opportuniore loco plura dicturi sumus.

ARSACIVS CONFESSOR.
a Sozom. lib. 4. c. 15.

Sed & Theodorus in Cypro Episcopus eodem tempore multa passus, ac carceri mancipatus, cum Licinium vicisset Constantinus, ab eodem iussus est solui; qui egregia morum sanctitudine diem claudens extremum, anniuersaria memoria a Græcis [b] hactenus celebratur. Tunc & fama celeberrimus S. Nicolaus Myræ in Lycia Episcopus similiter pro Christi nomine est in carcerem coniectus; sed reddita per Constantinum Ecclesiæ pace, soluitur: hac enim B vltima pesecutione eum vinctum fuisse, ex eo constat, quòd per Constantinum, cum toto dominaretur Orienti, liberatus est, nec ab alio, vel alio tempore: nam si sub Diocletiano, Galerio, vel Maximino coniectus fuisset in vincula, iam antea Maximini edictis iterum promulgatis, liber Ecclesiæ Myrensi redditus esset, nec opus fuisset liberari per Constantinum. illo enim pacis interstitio, quod concessum est edicto Maximini, vel post obitum eius, peregrinationem ipsius Hierosolymam ad inuisenda loca sancta contigisse putamus, ac postea mirificam eius Dei iussu factam in Episcopatum Myrensem electionem: quæ omnia, atque admiranda illius vitæ cunabula, auctosque cum ætate eiusdem sanctissimos mores, res præclare gestas, egregiaque miracula edita, ceteraque eius Acta cum a Græcis tum a Latinis scripta atque omnibus peruulgata testantur; vt non sit opus hic singula recensere, sed pro temporum ratione pauca dumtaxat attingere. Nunc ad initum semel de Licinij persecutione ser- C monem, orationem reuocemus.

b Menolog. 11. May.
c Metaph. die 6. Decemb.
S. NICOLAVS EPISC. CONFESSOR.

Licet autem iræ Licinij in Christianos conceptæ aliquandiu ob Constantini metum ab eo primum fuerint studiose compressæ, ac postea patefactæ, lento gradu progredi visæ sint: tamen quòd ex impie gestis addantur vires ad grauiora facinora perpetranda; velut ignis, cum e tenui fumo crescit in flammam, & sæuo incendio in immensum auctus cuncta circumcirca depascit; acerbius Christianos exagitat, omnia adhibens in eos genera tormentorum, Præsidibus vtens, quorum crudelitas multis exemplis sub præteritis tyrannis persecutoribus notior omnibus facta esset: deliguntur denuo ad prouinciarum Præfecturas, qui in magistratu tales erant, stabiliunturque Busirides, atque Phalarides, Lysiæ, & Agricolai.

DELECTI PRAEFECTI SAEVISSIMI.

De hac enim persecutione sub Licinio restituta agens S. Basilius, hæc ait [d]: Vbi vero ini- D quum præconium, edictumque omnibus denunciauit, ne quis Christum profiteretur, propositaque omnia pœnarum genera confitentibus: multa quoque a Iudicibus iniustis ira & feritas prodit; multæ tendebantur vbique insidiæ, doli, delationes: ignis insuper paratus, ensis in promptu, crux affixa, botrus (nempe culleus) rota, flagella. In tanta igitur Fidelium turbatione nonnulli fugiebant, aliqui succumbebant, alij fluctuabant, quidam ante certamen solis minis absterrebantur: alij vbi coram videbant intentatos cruciatus, consternabantur; alij certamen ineuntes, deinde vsque ad finem laborum durare nequeuntes, pugnam ac periculum detrectabant, & velut in pelago naufragantes, quæ virtute patientiæ parta, multorum annorum secum in naui vehebant, per impatientiam amiserunt.] hæc generatim Basilius de persecutione complexus; mox agere de martyribus, quorum gratia ea præfatus est, incipit in hæc verba: Tunc igitur hi quadraginta inuicti & generosi Christi mi- E lites, cum Præfectus Imperatoris litteras ostendisset, & obedientiam requireret; libera voce audacter & fortiter, nihil ex ijs quæ viderant exemplis expauescendo, sed minas omnes contemnendo, in medium procedentes, sese Christianos esse fassi sunt.]

d Basil. orat. in 40. martyres.
SAEVIT ACRIVS PERSECVTIO.

Sunt ij Cappadoces illi milites quadraginta, qui sub Præside Agricolao Sebaste in Armenia Minori, in Thermarum frigidario gelu rigētes coronā martyrij adipisci digni fuerūt, quorum nomina tam Græcis quàm Latinis notissima, hæc sunt [e]: Domitianus, Euodius *, Sisinnius, Eradius *, Alexander, Ioannes, Claudius, Athanasius, Valens, Helianus, Meliton, Hecditius, Acatius, Viuianus, Heluius, Theodolus, Cyrillus, Flauius, Seuerianus, Cyrion, Valerius, Chudion, Sacerdon, Priscus, Eutychus, Smaragdus, Philoctimon, Aerius, Michallius, Lysimachus, Domnus, Theophilus, Euthycius, Xantius, Angias, Leontius, Isychius, Caius, Gorgonius, & Candidus.] hæc inquam sunt militum nomina, quæ singula egregiæ virtutis ergo, viuentibus semper Ecclesiasticis tabulis, anniuersaria celebritate passionis natali die repetenda, perpetua memoria consignari meruerunt: licet vnum ex recitatis

QVADRAGINTA MARTYRES CAPPADOCES.
* Eunoicus
* Heraclius.
e Metaph. die 9. Martij Vet. man. script. & Ado eo die.

nominibus non sit militis, sed balnei custodis in locum desertoris gratia diuina suffecti. Sed quo ordine ac ratione, S. Basilius sic describit: A

a Basil. orat. in 40. martyr.

LAPSVS MILITIS ET SVRRECTIO ALTARIVS.

Vnus ex eorum numero inde per animi inconstantiam subterfugiens, mærorem socijs maximum reliquit: nec propterea Dominus eorum vota inania esse permisit. Nam prope aderat quidam, cui eorum custodia credita est in gymnasio quodam e vicino, a frigore seruato (putamus hunc locum fuisse balnei calidarium) & exitum rei expectans, paratusque martyres, si qui fugerent (vt eis clare pollicitus fuerat) in lauacro quodam aquæ calidæ, quod iuxta situm erat, excipere atque seruare. Res a Præfecto astute fuerat excogitata, talem videlicet inuenire certaminis locum, in quo paratum damnati haberent refugium, vt omnes cœpti propositi constantiam amitterent: sed hoc martyrum patientiam clariorem reddidit: non enim qui cogitur, constans est; sed qui liber & in oblectationis copia dura pati potest, is demum constans ac patiens est. Custos itaque dum hos obseruaret, quosdam e cælo descendentes Angelos ac coronas singulis martyribus, vno excepto, distribuendas aspexit. Is autem, quem indonatum illi reliquerunt, ac honoribus cælestibus indignum iudicauerunt, ea repertus est animi mollicie atque inconstantia, vt statim laboris tolerantiam desperans, ad hostes transfugeret: miserabile prorsus spectaculum, miles transfuga, vir fortissimus captus, Christi ouis a lupo direpta; et quod miserabilius, a vita perpetua cælestique excidens, neque hac postremo diu gaudens: nam vbi calidam attigit aquam; corpore, quod glacie torpebat, dissoluto, statim interijt. B

Custos vero, qui prodigium hoc viderat, vbi illum fugientem aspexit, relictis omnibus, sese in eius demisit locum, atque vnam cum sanctis illis emisit vocem: Christianus & ego sum. Itaque cum eius subita mutatione stuporem illis incuteret; et numerum impleuit, & mæstos ob socium amissum sanctos consolatus est: eos imitando, qui in acie prima, vbi forte aliquis ceciderit, statim ordini alium restituunt ac surrogant, ne proximi incommodum patiantur. Talem igitur ipse se gessit. Vidit miracula cælestia, agnouit veritatem, ad Dominum confugit, cum martyribus annumeratus est.] hucusque Basilius de coronis martyrum, & suffecti commilitonis victoria atque triumpho. Sed & paulo post præclare subdit de matre vnius ex illis, quem Melitonem nominatum tradunt, exemplum his verbis: C

MATRIS MARTYRIS INVICTA CONSTANTIA.

Vnius illorum mater alios iam pene frigore extinctos aspiciens, suum vero filium ob vires aliquantulum validiores, & aduersus dura constantiam, adhuc viuum, permittentibus lictoribus, vitæ consulere valentem: ipsum proprijs accepit manibus, ac currui in quo reliqui iacentes ad pyram ferebantur, apposuit martyris vera mater: non enim lacrymam indecoram effundere, nec aliquid humile loqui, vel indignum agere visa est: sed, O nate, inquit, perfice cum tuis contubernalibus iter beatum, ne a chorea deseraris, neve inferior alijs Domino appareas. O matrem felicem, o bonæ radicis bonum germen, &c.] ita Basilius, quibus hæc addunt Acta eorumdem martyrum: Mater quæ relictum filium solum cernebat, reiecta imbecillitate muliebri, virilemque animum ac robur assumens, humeris suis filium imposuit, & strenue plaustra sequebatur: iuuenis autem dum gestaretur a matre, lætus animam efflauit. Mater vero plaustra iam consequuta, super illa filium proiecit. Constructa autem & incensa pyra, sanctorum corpora combusta sunt, &c.] D

RELIQVIAE SS. MARTYRVM XL.

Quo modo autem ipsorum reliquiæ, nempe sacri cineres, in alueum iniectæ, fuerint diuina virtute seruatæ, ac rursum quo modo repertæ, ac denuo inuentæ atque translatæ, deque alijs nonnullis, consule quæ diximus in nostris ad Romanum Martyrologium Notis, & addidimus in editione Plantiniana. Quàm autem frequẽti cœtu ex diuersis prouincijs accurrẽte frequentari ac celebrari soleret eorumdem martyrum natalis dies, Gregorius Nyssenus locupletissimus testis est duabus illis orationibus, immo vna, accedentium multitudine interrupta, ac sequenti die rursum repetita & absoluta. Sed & de martyrum cultu vbique locorũ, hæc S. Basilius eadem oratione habet: Hi sunt qui nostram obtinentes regionem, quasi quædã turres contra aduersariorum incursum refugium exhibent: nec vno in loco sese clauserunt, sed multis in locis hospitio recepti, multorum patrias ornauerunt, nec tamen separati, sed inter se commixti: si in singulos eos diuiseris, proprium numerum non excedunt: si vero in vnum congregaueris, quadraginta nihilominus erunt, atque ita vt ignis natura permanent, &c.] E

At non in Oriente tantum, sed & in Occidente celebris erat memoria eorumdem quadraginta martyrum, quorum causa S. Gaudentius Episcopus Brixianus Ambrosij æqualis in Cappadociam peregrinari non timuit, vt reliquias martyrum inde acciperet, & suam eisdem ecclesiam illustraret. Est de his eius oratio habita in dedicatione Basilicæ, vbi de ijsdem martyribus plura. Qui enim ab exordio nascentis Ecclesiæ bene cœptus est cultus sanctorũ martyrum,

A rum, poſterioribus quoque temporibus eſt vbique religioſiſſime propagatus, exemplisq; innumeris quotidie docti Fideles, martyrum patrocinio plurimum adiuuari: nam & de iiſdem idem Baſilius hæc eadem oratione: Paratum eſt hic Chriſtianis auxilium, Eccleſia videlicet martyrum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Deum. Sæpe operam dediſtis, ſæpe laboraſtis, vt vnum pro vobis orantem inueniretis: quadraginta hi ſunt, vnam orationis emittentes vocem. Vbi enim ſunt duo vel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus eſt: vbi vero quadraginta fuerint, quis dubitet Deum eſſe præſentem? Qui aliqua premitur anguſtia, ad hos confugiat: qui rurſus lætatur, hos oret, &c.]

Paſſi ſunt quadraginta hi martyres Sebaſte, ſeptimo Idus Martij. Hos autem ad coronam præceſſiſſe videtur eiuſdem Sebaſtenæ ciuitatis Epiſcopus S. Blaſius, qui ante menſem vnum & dies ſex, nempe tertia Februarij, ibidem loci, & ſub eodem quoque Præſide Agricolao paſſus legitur: qui in eum omne crudelitatis genus exercuit: hic (inquam) vt dictum eſt ſuperius, Euſtrarij martyris Sebaſteni, qui in perſecutione Diocletiani, eodem Præſide Agricolao, paſſus eſt, reliquias colligens, recondidit ſimul cum corpore S. Oreſtis [a], & furorem perſecutionis euitans, diu latuit in Argęo monte: ſed tandem inuentus, ab eodem Agricolao diris ſubiectus tormentis, martyrio coronatur; cuius natalis dies tam apud Græcos quàm Latinos eiuſmodi elogio chartis Eccleſiaſticis tertio Nonas Februarij adſcriptus habetur: Sebaſte in Armenia paſſio Sancti Blaſij Epiſcopi & martyris; qui multorum pàtrator miraculorum ſub Agricolao Præſide poſt diurinam cæſionem atque in ligno ſuſpenſionem, vbi ferreis pectinibus carnes eius diſruptæ ſunt; poſt teterrimum carcerem & in lacus demerſionē, vnde ſaluus exiuit; iubente eodem Iudice, vna cum duobus pueris capite truncatur. Ante eum vero ſeptem mulieres, quæ guttas ſanguinis eius, dum torqueretur, colligebant, deprehenſæ, quòd Chriſtianæ eſſent, poſt dira tormenta gladio percuſſæ ſunt.] hactenus ibi ex eius Actis tam Græcis, quàm Latinis vbique notiſſimis, ſed apud Metaphraſtem nequaquam in omnibus noſcuntur eſſe ſincera. Quòd vero Sebaſte, & ſub eodem Præſide Agricolao poſt diuturnas latebras S. Blaſius paſſus inueniatur, merito ad Licinij tempora eum retulimus: et licet in aliquo ſcripto codice, in perſecutione Diocletiani martyr effectus dicatur; id ſicut in pleriſque alijs accidit, vt cum perſecutio ſub Licinio breuis admodum fuerit, nec inter decem illas Eccleſiæ perſecutiones adnumeretur; nonnulli martyres qui poſt nouiſſimam illam Diocletiani & Maximiani perſecutionem paſſi habentur, ſub eadem martyrio coronati dicantur. Habuit Blaſius in Sebaſtena ſede ſucceſſorem Petrum Epiſcopum, qui diuinitus admonitus, eorumdem quadraginta martyrum reliquias inuenit atque religioſe curauit [b].

BLASII EPISC. SEBAST. MARTYRIVM.

[a] Acta Euſtratij & ſoc. in fine. Metaph. die 13. Decemb.

[b] Acta martyrū quadrag. a Metaph. deſcripta.

B, C (margin letters)

Quòd igitur (vt tradit Gregorius Nyſſenus [c]) hoſtis humani generis prauus dæmon Licinio ſuaſiſſet, de hoſtibus nequaquam victoria potiturum, niſi quos ſciret colere Chriſtum, occideret: tantum abeſt, vt dictorum martyrum nece exatiatus fuerit, vt magis in alios furor ipſius excanduerit, per ſæuiſſimos Præſides agens omnia, ipſe ad parandam in Conſtantinum expeditionem intentus. Etenim Lyſiam Cæſarea Sebaſten amandat ſucceſſurum Agricolao, illi crudelitate non imparem: quo cum perueniſſet, Seuerianum militem, cuius admonitionibus quadraginta inſignes martyres illi profecerant, tentum, diris cruciatibus exagitatum interemit. Extant eius martyris Acta [d] fuſius ſcripta, ipſiuſque memoria relata in tabulas Eccleſiaſticas, quinto Nonas Septembris. In eadem quoque prouincia Nicopoli ſub eodē Præſide Lyſia paſſi leguntur Leontius, Mauricius, Daniel, ac ſocij, quorum martyrio natalis dies inſcriptus eſt tam apud Græcos quàm Latinos ſexto Idus Iulij.

[c] Greg. Nyſſen. orat. 2. in martyres quadrag.

MARTYRES ALII SVB LICINIO.

[d] Habes Metaphraſt. die 9. Septembris.

In Ponto autem, proxima illi prouincia, tres fratres milites martyrij coronam adepti ſunt quarto Nonas Ianuarij, qua die eorum paſſio paucis hiſce in Martyrologijs recenſetur: Tomis in Ponto ſanctorum trium fratrum, Argęi, Narcyſſi, & Marcellini pueri, qui ſub Licinio Principe inter tyrones comprehenſus, cum nollet militare, cæſus ad mortem, & diu in carcere maceratus, demum in mare merſus, martyrium conſummauit; fratres vero eius gladio perempti ſunt.] Execrandum plane videbatur Chriſtianis militibus, aduerſus Chriſtianum Imperatorem Crucis vexillo præuio ducentem exercitum, impij Licinij caſtra ſectari: cuius rei cauſa totidem milites, Cyrinus, Primus, atque Theogenes, eodem tempore in Helleſponto, tertio Nonas Ianuarij paſſi ſunt. Sed & Heracleæ inſigne certamen exegit Theodorus dux exercitus: extant eius Acta [e] ab Augaro (vt idem præſefert auctor) omnia coram ſpectante conſcripta: vbi & de compluribus alijs militibus paſſis in Macedonia mentio habetur. de eodem pauca hæc Nicephorus [f]: Quo tempore etiam exercitus dux Theodorus martyrio defunctus eſt, ſpectata fortitudine vir, qui Heracleæ in Ponto habitans, Mariandynorum genti præerat: et quòd euocatus ad Licinium non veniſſet,

MILITARE RENVVNT FIDELES SVB IMPIO IMP.

[e] Metaph. die 7. Februarij.

[f] Nicephor. lib. 7. c. 44. in fine.

D, E (margin letters)

hoſpitem ipſum habuit, eiuſque deos comminutos egentibus dedit. Hunc Licinius, etiamſi egregie carum habuerit, multis tamen affecit cruciatibus: nam & in crucem eum egit, & ſubulas in meatus ſecretiores corporis eius immiſit, poſtremoque capite truncauit. cuius corpus poſtea in patriam eius Euchaitem magnifice deportatum, ibi inſigni templo cohoneſtatum eſt.] hæc Nicephorus, licet ante dictos ſuperius martyres hunc paſſum affirmet. A

Edeſſæ vero in Syria ſub Lyſania Præſide, annuente Licinio, paſſus eſt Abibus diaconus inſignis inter martyres, cuius paſſionis extant Acta [a] fideliter ſcripta, quorũ huiuſmodi eſt exordiũ: Excitata rurſus fuit perſecutio aduerſus Chriſtianos, & Abibo vniuerſum imminebat periculum: is enim obibat ciuitatem, diuinas cunctos docens ſcripturas, & magno animo confirmans ad pietatem.] Diaconi namque id erat muneris, perſecutionis tempore, circumire caſtra Fidelium, proſpicereque opportunitati cuiuſque, in omnibuſque conſulere omnibus, ac de cunctis Epiſcopum commonere; ſed & in carcere conſtitutos Chriſtianos inuiſere, eoſque ad martyrium exhortari. Eſt Cypriani ſententia aliàs ſuperius recitata, qua ait [b]: In præteritum ſemper ſub anteceſſoribus noſtris factum eſt, vt diaconi ad carceres commeantes, martyrum deſideria conſilijs ſuis & ſcripturarum præceptis gubernarent.] Cum igitur vitæ ſuæ diſpendio ceteris pacem pepererit, & pro omnibus ſeipſum obtulerit: dignum eſt, vt quæ reliqua ſunt Actorum eius, ordine proſequamur: B

a Recitat Metaph. die 15. Nouemb. c. 13.

DIACONORVM MVNVS TEMPORE PERSECVTIONIS.

b Cyprian. epiſt. 11. edit. Pamel.

Hæc autem [c] cum ueniſſent ad aures Lyſaniæ, ea Licinio Imp. ab eo ſignificantur. Studebat enim vt ipſe ei committeret quæſtionem habendam de Chriſtianis, & maxime de Abibo (neque enim prius fuerat ei commiſſa.) ille vero litteris datis iubet, vt morte Abibum afficiat. Ipſe autem degebat in quadam parte ciuitatis propter ſtatum Eccleſiaſticum: mater vero, & quidam ex ijs qui ad eum genere attinebant, cum eo verſabantur. Ille vero cum rem reſciuiſſet; ne daret pœnas, quòd martyrij deſeruiſſet ordines; cuidam qui erat ex primis cohortis (is autem vocabatur Theotecnus) ſeipſum indicat: et tandem: Quem quæris? inquit: Abibum: Ipſe ſum, inquit. Ille autem benigne eum intuens: Nemo, inquit, adhuc nouit, te veniſſe, o homo: abi ergo, & ſeruare; nec ſis ſolicitus de matre, nec de ijs qui genere ad te attinent: nullus enim eos poterit omnino afficere moleſtia. Et hæc quidem Theotecnus. Abibus autem, cum tempus vocaret ad martyrium, nolebat puſillo & abiecto animo ſuffurari ſalutem: ei itaque dicit: Non propter caram matrem, nec propter cognatos me reddo manifeſtum, ſed adſum propter Chriſti confeſſionem.] libens enim volenſque exhibebat ſe perſecutoribus, vitam ſponte profundens, cuius iactura pax eſſet perpetua Eccleſiæ concilianda: offerens ſe inſtar Chriſti Redemptoris noſtri in redẽptionem pro multis. ac proinde hæc ſubdit: Ecce enim, vel te nolente, apparebo coram Præſide, & Chriſtum meum prædicabo coram Principibus ac Regibus. Theotecnus itaque veritus, ne ſua ſponte veniret ad Præſidem, & ea de cauſa ei afferretur periculum, vt qui eum non feciſſet manifeſtum; aſſumit Abibum, & ducit ad Præſidem: Hic eſt ille (inquiens) qui quæritur, Abibus. C D

c Act. apud Metaphraſt. ibid.

ABIBI DIAC. CONSTANTIA.

Cum autem Lyſanias audiſſet, Abibum ſua ſponte adijſſe ad certamina: arbitratus eam rem eſſe contemptus & audaciæ, vt qui parui feciſſet auſteritatem tribunalis; eum ſtatim curat ducendum in iudicium, conditionemque ab eo petit, & nomen, & patriam. Cum vero reſpondiſſet, ſe eſſe quidem ortum e vico Thelſæa, ſignificaſſet autem ſe eſſe Chriſti miniſtrum; ſtatim martyrem criminatus eſt Præſes, quòd non obtemperaſſet iuſſis Imperatoris. Huius autem rei apertum eſſe dicebat indicium, quòd Ioui thus non ſacrificaret. Ad hæc, ſe quidem Chriſtianum eſſe, dicebat Abibus, & non poſſe Deum verum relinquere, & ſacrificare inanimis & nullius ſenſus præditis operibus manuum. Præſes vero eum brachia vinctum funibus iuſſit in ligno ſublimem extolli, & ferreis vngulis lacerari. Erat autem ſuſpenſio longe violentior, quàm laceratio: veniebat enim in periculum ne diſcerperetur, cum violenta extenſione ei diuellerentur brachia.] illud tormenti genus dictum erat Græce, κλιμακίζειν, de quo Suidas: Climax, ſcala eſt, tormenti genus, quo corpora diſtorquentur. Ariſtophanes: Quouis modo eum torque, ſcalis alligatum, ſuſpenſum, flagris cæſum, cute direpta, diſtentum, aceto in nares infuſo, lateribus impoſitis, ceteris adhibitis omnibus, &c.] E

Sed rurſum Acta: Interim, dum is penderet ſublimis, conuerſus eſt Præſes ad blanditias, & fingebat ſe eſſe patientem: minabatur autem etiam grauiora, ſi non mutaret propoſitum. Ille autem: Nemo, inquit, me abducet a fide, neque perſuadebit vt adorem dæmones, etiamſi plura tormenta inferat, & maiora. Cum autem vellet ſcire Præſes, quamnam ei vtilitatem tormenta conciliarent, quæ corpus tantum conſumunt. Chriſti martyr: Non ad præſens vſque tempus, inquit, noſtra conſiſtunt, nec ea ſolum ſequimur quæ cernuntur. quòd ſi tu quoque volueris aſpicere ad ſpem & promiſſam nobis remunerationem, forte etiam dices

cum

A cum Paulo [a]: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Cum autem Præses ea, quæ dicebantur, stultitiæ damnaret; et nunc quidem blandiens, & subiens personam patientiæ; nunc vero minans, & acerbam mortem intentans, neutri eorum eum videret cedere: Non tibi, ait, repentinum & totum simul vitæ finem afferam: sed te lento igne paulatim liquefactum, efficiam immitem & implacabilem animam deponere: sententiam pronunciauit. Et cum versus Septentrionem extra ciuitatem collecta fuisset materia, ducebatur ad rogum, sequente quidem matre, sequentibus & ijs quoque qui aliàs cognatione ad eum attinebant. Ille vero postquàm esset precatus, & benedixisset omnibus, atque eis osculum dedisset in Domino; accensa autem pyra esset ab ijs, qui in id inseruiebant: in ignem inijcitur: et cum aperto ore flammam accepisset, apud eum qui dederat, spiritum deposuit.]

a Rom. 8.

MARTYRIVM ABIBI.

B Mutata fuit sententia Præsidis ac temperata, ne videlicet lento consumeretur igne, quod fuerat comminatus, sed vt in rogum coniectus quàm primum mortem obiret. At, quod habent Acta, cum aperto ore flammam accepisse, in memoriam reuocat, quod Lucianus [b] ait his verbis: Etenim a multis hoc pro certo confirmari audio, nullam mortem esse velociorem, aut properantiorem, quàm eam quæ per ignem illata fuerit: solum enim os aperiendum est, & statim efflatur anima.] De eius vero sepultura rursum hæc Acta: Deinde cum ignis esset sedatus; qui ad eum attinebant, pretioso linteo eum circumdederunt, & vnguentis vnxerunt; (non enim ignis eum absumpserat) cumque psalmos & hymnos, vt par erat, cecinissent, prope Samonem & Guriam, martyres, deposuerunt ad gloriam Patris & Filij & Spiritus sancti, &c.] ac demum: Talem quidem vitæ finem inuenit martyr Abibus tempore Licinij, & talem cum Sanctis nactus est depositionem; et sic pijs attulit requiem a persecutionibus: nam deinceps C quidem Licinio fuit diminuta potentia, Constantino autem floruit dominatio, &c.] Etenim (vt dicemus anno sequenti) Licinius a Constantino sæpe prælio victus, vrgentibus malis exagitatus, a persecutionibus cessare compulsus est.

b Lucian. in vita Peregrini.

Rursus vero relati inueniuntur in tabulas Ecclesiasticas [c] Macrobius & Iulianus sub eodem Licinio passi. Sozomenus [d] Licinianæ persecutionis terminos circumscribens hæc ait: Per idem tempus Christiani, qui versus Orientem ad Libes vsque, qui sunt confines Aegyptijs, habitabant, conuentus palam agere propterea non ausi sunt, quòd Licinius beneuolum suum erga illos animum mutauerat. At Græci, Macedones, & Illyrici, qui versus Occidentem suarum rerum domicilia habebant, Constantini opera, qui illi Imperij Romani parti præfuit, libero & animo securo Deum coluerunt.] Quòd vero ea clades nihil prorsus partes Orbis Occidentalis pertigerit, Sulpitio Seuero [e] leuior visa est, nec digna quæ inter persecutiones adnumerari D deberet; sic enim scribit: Sane tum Licinius, quia aduersus Constantinū de Imperio certauit, milites suos litare præceperat, abnuentes a militia reijciebat: sed id inter persecutiones non cōputatur; adeo leuioris negotij fuit, quàm vt ad Ecclesiarū vulnera perueniret.] hæc ipse idcirco, quòd numerum mysticū, quem ponit, decem persecutionū quas numerat, instar decem plagarum Aegypti, voluit integre custoditum, nec alio accedente numero labefactatū; prætermitiq. ob id persecutioné sub Licinio, quòd ea esset vndecima numeranda; plane dissimulans vel ignorans necem martyrum Orientalium, de quibus mentio facta est: vt reuera appareat, complures Ecclesias Christiano sanguine ex eiusmodi concitata persecutione Licinij cruentatas. At eiusmodi decem Ecclesiæ persecutionum supputatio S. Augustino [f] non placuit: qui a tempore nascentis Christi Ecclesiæ his multo plures recenset.

c Martyrolog. die 13. Septemb.

d Sozom. lib. 1. c. 2.

PERSECVTIO LICINIANA VBI VIGVIT.

e Seuer. hist. lib. 2.

f Aug. de Ciuit. Dei lib. 18. c. 52.

Certe quidem, acerbam satis fuisse hanc ipsam persecutionem a Licinio excitatam, ingens E lapsorum numerus terga vertens, turpiq. fuga deficiens a Fidelium castris, arguit. Est de his illibata fide perstans Magni Nicæni Concilij testificatio, cum eorum saluti prospiciens, canonem de ijs statuit, his scilicet verbis [g]: De his qui præter necessitatem præuaricati sunt, aut propter ablationem facultatum, aut præter periculum, aut aliquid huiusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinij: placuit Synodo (quamuis humanitate probentur indigni) tamen eis beneuolentiam commodari. Quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis Fideles inter audientes habeantur, & sex annis omni se contritione deijciant, duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent.] Quòd insuper complures (vt dictum est) ipso leuioris persecutionis exordio, renuentes thus dijs offerre, exuerentur militiæ cingulo; et ex eis nonnulli inuenti essent, qui eiusmodi ignominiæ notam & infamiæ titulum molesto animo ferrent, atque ob eam causam qua possent via conantes in pristinum gradum restitui, a priori gloriosa confessione defecisse turpiter visi essent; eiusmodi quoque inflictis eadem persecutione vulneribus Patres in eodem Concilio mederi studentes, hæc statuerunt [h]: Qui-

LICINIANA PERSECVTIO QVALIS.

g Concil. Nicæn. c. 11.

h Concil. Nicæn. c. 12. edit. 2.

cumque

cumque per Dei gratiam vocati, primo quidem ostenderunt fidem suam, deposito militiæ cingulo; post hæc autem ad proprium vomitum reuersi sunt, vt & pecunias darent, & ambirent redire rursus ad militiam: isti decem annis sint inter pœnitentes, post primum triennium, quo fuerint inter audientes, &c.] hæc & alia illi pluribus, quæ voluimus hic recitasse ad insinuandam huius persecutionis acerbitatem, qua Fidelium plurimi prostrati sunt. At de persecutione Liciniana hactenus: quo modo autem idem Licinius iterum atque iterum sit profligatus a Constantino virtute Crucis, dicemus anno sequenti. A

LACTANTIVS QVANDO SCRIPSERIT, ET QVALIA EIVS SCRIPTA SINT.

Scribebat hoc anno, quo persecutio Licinij vexabat Ecclesiam, & aduersus eum a Constantino expeditio parabatur (vt alias dictum est) Lactantius Christianus orator libros illos septem Diuinarum Institutionum; in quorum præfatione ad Constantinum vaticinatus est illa de clade ac perditione Licinij, & victoria Constantini, quæ superius recitauimus; sed & secundo Annalium Tomo, alia se dante occasione, eiusdem auctoris lucubrationes recensuimus a S. Hieronymo [a] numeratas. B Luculentissimus plane scriptor, verum scholasticus magis quàm Ecclesiasticus visus est Damaso, qui hæc ad eumdem Hieronymum scripsit [b]: Fateor quippe tibi: eos quos iampridem Lactantij dederas libros, ideo non libenter lego, quia & plurimæ epistolæ in eis vsque ad mille spatia versuum tenduntur, & raro de nostro dogmate disputant: quo fit, vt & legenti fastidium generet longitudo, & si qua breuia sunt, scholasticis magis sint apta, quàm nobis, de metris & regionum situ & philosophis disputantia.] hæc Damasus de epistolis ab eo scriptis. S. Hieronymus [c] itidem eloquentem potius quàm diuinarum scripturarum peritum fuisse demonstrat verbis illis ad Paulinum: Lactantius quasi quidam fluuius eloquentiæ Tullianæ vtinam tam nostra confirmare potuisset, quàm facile aliena destruxit.] visi sunt eidem quasi Dialogorum Ciceronis epitome libri illi septem & alij de ira & opificio [d] Dei. C

Porro diuinarum scripturarum imperitia in enormes eum lapsum errores alibi [e] docet, cum ait: Hoc ideo, quia multi per imperitiam scripturarum (quod & Firmianus in octauo ad Demetrianum epistolarum libro facit) asserunt Spiritum sanctum sæpe Patrem, sæpe Filium nominari.] vt merito idem percellatur cēsura Gelasij [f], cum ipsius opuscula eiusdem iudicio censeantur apocrypha. Verum errores diuersis in locis librorum ipsius sparsos, collectos in vnum habes in fine operum eius recentioris editionis. An autē præstiterit quod ipse pollicitus est ijsdem, quos hoc anno scripsisse cōmentarios diximus, se scripturū aduersus omnes hæreses, cum ait [g], Postea plenius & verius contra omnes mendaciorum sectas proprio separatoque opere pugnabimus] nulla penitus extat memoria. equidem existimamus, eum morte præreptum, explere minime valuisse, quod animo conceperat: siquidem (vt auctor est S. Hieronymus [h]) in extrema positus erat senectute, cum his temporibus magistrum ageret Crispi Cæsaris, filij Constantini. D

Hoc item anno, ijsdemq. Sabino ac Ruffino Coss. Constantinus Imperator ad Eumalium Vicarium scripsit de purgatione Cæciliani. Augustinus enim relegēs a Constantino res gestas in causa Cæciliani, hæc ait [i]: Cōstantinus ad Eumaliū Vicarium de purgatione Cæciliani scripsit, Sabino & Ruffino Coss. quarto Idus Nouēbris, id est post biennium & menses prope octo.] hæc ipse. Sed quid est, quòd Constantinus post biennium a Concilio Arelatensi de purgatione Cæciliani hoc anno scribit ad Eumaliū Vicariū; cū constet ex ijs quæ dicta sunt, ab eodē Concilio latam sententiam de innocentia Cæciliani omnibus tunc innotuisse? Quamobrem illud sciendum est, aliud quoque post Arelatense Conuentum intercessisse iudicium in causa Cæciliani, appellantibus denuo Donatistis; quo in iudicio iterum eius causa cognita, eodemq. iterum absoluto, de his hoc item anno (vt dictū est) Constantinus ad Eumalium scripserit de purgatione Cæciliani. E De gestis enim rebus ab ijsdē Donatistis post Arelatense Cōcilium, S. Augustinus nomine Cleri Hipponensis ad Ianuarium scribens, hæc ait [k]: Alij vero pertinacissimi & litigiosissimi (qui scilicet non acquieuerunt iudicio Arelatensis Concilij) ad eumdem Imperatorem appellauerunt: postea & ipse coactus Episcopalem causam inter partes cognitam terminauit, & primus contra vestram partem legem constituit, vt loca Congregationum vestrarum Fisco vendicarentur: quarum omnium rerum documenta si vellemus inserere, nimium longas litteras faceremus.] hæc ibi.

DONATISTAE DENVO APPELLANT A SYNODO.

Sed quo ordine hæc acta fuerint, dicendum. Quòd tam diu post Arelatense iudicium, nempe post biennium, ea de purgatione Cæciliani Constantinus ad Eumalium scripserit; plane indicium est, aliud post interpositam appellationem a sentētia Patrum Synodi Arelatensis, intercessisse iudicium, in quo itidem probatus ac iudicatus sit innocens Cæcilianus. Quodnam vero illud fuerit, exquirendum est. Meminisse oportet, factionem Donatistarum in Africa ab sui

CONSTANTINVS CVR APPELLANTES ITERVM DONATISTAS AVDIT.

a Hieron. de script. Eccles. in Lactant.
b Apud Hieron. epist. 124.
c Idem epist. 13.
d Idem epist. 84.
e Idem in epist. ad Galat. lib. 2. c. 4.
f Gelas. in Concil. Rom. in decret. de lib. auth. & apocryph.
g Lactant. lib. 4. c. vlt. in fin.
h Hieron. de script. Eccles. in Lactant.
i Aug. post Collat. c. 33.
k Aug. epist. 68.

A sui exordio maximam partem Episcoporum secum traxisse, & populi ingentem multitudinem pariter abduxisse: quamobrē haud res esse videbatur, quæ licet a duobus Cōcilijs recte iudicata esset, tumultuantibus rursum illis, & ad Constantinū appellantibus, prorsus contēni deberet. quod enim primum permouit Cōstantinum, iniustæ atque illegitimæ ipsorū appellationi priori deferre, illud fuit; nempe vt sic conuicti a causa desisterēt, penitusq. conquiescerent, & Ecclesia Africana schismate scissa, pace atque concordia vniretur: quodq. existimaret, haud facile posse sub Romano Imperio contineri Africam tam potēti factione labantem, ad hoc ipsum eumdem induxit, vt hic iterum eosdē appellantes audiret; quo omne illis subterfugiū prorsus ademptum foret iterum prouocandi, iterumq. resistendi. Siquidē Donatistæ Ecclesiasticum iudiciū suspectum habentes, atque omnino refugientes, ad Constantinum, vt ipsemet causam cognosceret, prouocarunt. Nam ad ipsum antea appellarant a Concilio Romano, non autem ad alios Episcopos:

B licet Constantinus Christiana modestia tunc voluerit Ecclesiasticum iudicium inter personas Ecclesiasticas pertractari: testatur id S. Augustinus [a], cum de Donatistis scribit a iudicio Romani Concilij appellantibus: Iudices enim Ecclesiasticos, tantæ auctoritatis Episcopos, quorum iudicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quòd male iudicarint.] Sic ergo expetitum ab illis sæpe eiusmodi (vt dictum est) suscepit Constantinus, licet inuitus, ipse iudicium, vt causam illam iudicando, Imperatoriam ipsi veriti maiestatem, omni iam subterfugio appellationis excluso, rursum agere aduersus Cæcilianum desisterent. An autem nouas Donatistæ aduersus Cæcilianum calumnias excogitarint, haud quidquam certi affirmari potest: omnem plane ipsos in eum mouisse lapidem, vt ab Episcopatu deponerent, ex rebus gestis omnes intelligunt. *a Aug. epist. 162.*

C Cum igitur Constantinus eiusmodi in se iudicium suscepisset, partes coram se voluit esse præsentes, ipsumq. Cæcilianum & aduersarios Donatistas inuicem disceptantes audire: hæc omnia S. Augustinus scribēs ad Donatistarum Episcopos [b] recenset; ac primū præterita breuiter recolens, & causam addens cur Constantinus eos audierit, hæc ait, incipiens a iudicio Arelatensi ab eodem Imperatore instituto: Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, vt de Episcoporum iudicio, qui Romæ sederant, ipse iudicaret, sed alios (vt dixi) Episcopos dedit: a quibus tamen illi ad ipsum rursum Imperatorem prouocare maluerunt. Qua in re illos quemadmodum detestetur, audistis. Atque vtinam saltem ipsius iudicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent; atque vt eis ipse cessit, vt de illa causa post Episcopos iudicaret, a sanctis Antistitibus postea veniam petiturus, dum tamen illi quod vlterius dicerent non haberent, si eius sententiæ non obtemperarent, ad

D quem ipsi prouocauerunt; sic & illi aliquando cederent veritati.] hucusque de causa superius dicta, cur detulerit Constantinus eisdem Donatistis iterum appellantibus. Quid autem, causa suscepta, idem ipse fecerit Imperator, hæc subdit: Iussit enim ille, vt ei partes ad agendam causam Romam occurrerent. Quo cum Cæcilianus, nescio qua causa, non occurrisset; interpellatus ab eis, præcepit vt Mediolanum sequerentur. Tunc se aliqui eorum subtrahere cœperunt, fortasse indignati, quia non est eos imitatus Constantinus, vt iam statim atque velociter Cæcilianum damnaret absentem. Quod vbi cognouit prouidus Imperator, reliquos ab Officialibus custoditos fecit Mediolanum peruenire. Quo cum etiam Cæcilianus peruenisset; ipsum quoque, sicut scripsit, exhibuit: cognitaq. causa, qua diligentia, qua cautela, qua prouisione (sicut eius indicant litteræ) Cæcilianum innocentissimum, illos improbissimos iudicauit.] hucusque de Constantini iudicio Augustinus. *CONSTANTINVS IVDICAT CAVSAM CAECILIANI. b Aug. epist. 162.*

E Retardasse putatur Cæcilianus aduentum suum ad tribunal Imperatoris; indignum ratus, Episcopum, eumdemque Africæ Primatem, post duplex Concilium Episcoporum, subijci debere laici hominis necdum baptizati iudicio. Aduenit tandem, ne (quod optassent Donatistæ) causæ diffidere videretur: licet ipsi & motam illam calumniari minime desierint. At quid illi triplici iudicio iam damnati fecerunt? Num acquieuerunt consilij inopes, quòd iam ad quem appellarent ab Imperatoris sententia, nullus penitus esset? nihil minus. Ea est enim natura perfidiæ, vt conuinci possit, sed vinci non possit, veritati semper obnitens. *DONATISTAE CALVMNIANTVR IVDICIVM CONSTANTINI.*

Quid vero post hæc? Reuersi in Africam, Basilicam inuaserunt, quam in Constantina ciuitate in Numidia idem Constantinus erigendam curauit: qua priuati Catholici, Christiana patientia iacturam tolerantes, a turbisque excitandis penitus abstinentes, petierunt ab Imperatore Fiscalem sibi largiri locum, in quo ædificarent ecclesiam. Quorum acceptis litteris Constantinus, commendata eorumdem modestia, quid de domo eisdem danda & Basilica construenda ad suos scripserit, hisce litteris ad eos redditis significauit:

Constan-

a Ex Bibliotheca Petri Pithœi edita.

Cōſtātinus Victor [a] Maximus ac triūphator ſemper Auguſtus Zeuzio, Gallico, Victorino, Sperantio, Ianuario, Felici, Creſcentio, Pontio, Victori, Babbutio, Donato Epiſcopis. Cū ſummi Dei, qui huius mundi auctor & pater eſt, cuius beneficio vitā carpimus, cælū ſuſpicimus, humana etiā ſocietate gaudemus, hanc voluntatem eſſe conſtet, vt omne humanum genus in cōmune conſentiat, & quodā ſocietatis affectu, quaſi mutuis amplexibus glutinetur: non dubium eſt, hæreſes & ſchiſma a diabolo, qui caput eſt malitiæ, proceſſiſſe; et ideo quicquid ab hæreticis geritur, eius inſtinctu fieri, qui eorū ſenſus, mentes, cogitationesq. poſſidet, nulla dubitatio eſt: nam cum eiuſmodi homines in ſua poteſtate redegerit, ijſdem vſquequaque dominatur. Quid autē boni efficere inſanus, perfidus, irreligioſus, profanus, Deo cōtrarius, Eccleſiæ ſanctæ inimicus poteſt, qui a Deo ſancto, vero, iuſto, ſummo, atque omnium Domino recedens, qui nos conſtituit & in hac luce produxit, qui ſpiritū ad vitam, quam carpimus, dedit, & qui nos id quod ſuum* eſſe voluit, & omnia ſua volūtate perfecit, ad diaboli partē prono errore decurrit? A B

* ſumus

DONATISTAE SIBI VSVRPANT BASILICAM CONSTANTINI.

Sed quia ſemel poſſeſſus animus a malo, neceſſe eſt doctoris ſui operibus inſtare, ea perficiat quæ æquitati & iuſtitiæ contraria videantur: idcirco ij qui a diabolo poſſeſſi ſunt, eius falſitati & nequitiæ obſequuntur. Non autem mirandum eſt, a bonis improbos diſcedere: nam ſic recte prouerbio ſignatum eſt, Pares cum paribus congregari: qui malo impiæ mentis infecti ſunt, neceſſe eſt a noſtra ſocietate diſſideant: homo ſiquidem malus (vt ſcriptura loquitur) de malo theſauro profert mala; bonus vero ex bono profert bonum.

* Dei

Sed quia (vt dictum eſt) hæretici & ſchiſmatici, qui bonum relinquentes, & malū ſectantes, ea perficiunt quæ Deo diſpliceant; diabolo, qui eorum pater eſt, adprobantur adhærere: rectiſſime & ſapienter grauitas veſtra facit, & ſecundum ſanctum fidei * præceptum, ab eorum peruerſis cōtentionibus temperando, & ijſdem remittendo, quod idem ſibi indebitum atque alienum vſurpare contendunt: ne ſicuti eſt eorum peruerſitas maligna & perfida, ad ſeditiones vſque prorumperent, & inter turbas atque concentus ſui ſimiles incitarent, atque ita aliquid exiſteret, quod ſedari non oporteret. Sceleratum quippe eorum propoſitum ſemper requirit diaboli * opera perficere. Et ideo cum a ſacerdotibus Dei per patientiam cum ipſo ſuo patre * ſuperant. Sibi hi qui cultores Dei ſummi gloriam, illi vero damnationem comparant & condigna ſupplicia: ex hoc quippe maius Dei ſummi exiſtat iuſtiuſque iudicium, quod eos æquo animo tolerat, & patientia condemnat, his omnia quæ ab ipſis proceſſerunt, ſuſtinendo Deus ſiquidem ſe omnium vindicem promiſit. Et ideo cum vindicta Deo permittitur, acrius de inimicis ſupplicium ſumitur. Quod vos nunc famulos & ſacerdotes Dei libenter feciſſe, cognoui: et ſatis gratulatus ſum, quòd de impijs & ſceleratis, ſacrilegis & profanis, perfidis & irreligioſis, & Deo ingratis, & Eccleſiæ inimicis, nullam vindictam poſcitis, & vt * idem potius ad veniam pertineant * poſtulatis. Hoc eſt vere ac penitus Deum noſſe: hoc eſt præceptis inſiſtere: hoc eſt feliciter * credere: hoc eſt vere ſentire: hoc eſt ſcire quòd maior vindicta in contrarios Eccleſiæ prouocetur, cum ijſdem in ſæculo parcitur. C D

* quid

* pertineat

* fideliter

CONSTANTINVS NOVAM BASILICAM CATHOLICIS AEDIFICAT.

Accepta igitur epiſtola ſapientiæ & grauitatis veſtræ, comperi hæreticos, ſiue ſchiſmaticos eam Baſilicam Eccleſiæ Catholicæ, quam in Conſtantina ciuitate iuſſeram fabricari, ſolita improbitate inuadendam putaſſe, & frequenter tam a nobis, quàm a Iudicibus ex noſtra iuſſione commonitos, & reddere quod ſuum non erat, noluiſſe: vos autem imitatores patientiæ Dei ſummi, eorum malitiæ placida mente, ea quæ veſtra ſunt, relinquentes, & potius locum vobis inuicem alium, Fiſcalem ſcilicet, poſcere. Quam petitionem, more inſtituti mei, libenter amplexus ſum: et ſtatim ad Rationalem competentes dedi, vt domum bonorum noſtrorum tranſgredi faciat cum omni iure ſuo ad dominium Eccleſiæ Catholicæ, quam prompta liberalitate donaui, ac vobis tradi protinus iuſſi: in quo tamen loco ſumptu Fiſcali Baſilicam erigi præcepi. Ad Conſularem quoque ſcribi mandaui Numidiæ, vt ipſe in eiuſdem eccleſiæ fabricatione in omnibus ſanctimoniam veſtram iuuaret. Lectores autem Eccleſiæ Catholicæ, & hypodiacones, reliquos quoque inſtinctu memoratorum * quibuſdam pro moribus * ad munera, vel ad Decurionatum vocati ſunt, iuxta ſtatutum legis meæ, ad nullum munus ſtatui euocandos: ſed & eos qui ducti ſunt hæreticorum inſtinctu, iuſſimus protinus moleſtis perfunctionibus abſolui. De cetero etiam legem meam ſuper Eccleſiaſticos Catholicos datam cuſtodiri mandaui: quæ omnia vt veſtræ patientiæ palam fierent, harum litterarum teſtificatione præſcripta ſunt. Et vtinam quidem hæretici vel ſchiſmatici aliquando ſuæ ſaluti prouiderent, & deterſis eorum tenebris, ad viſionem veræ lucis oculos aperirent, & a diabolo ſecederent, & ad Deum qui vnus & verus, qui omnium iudex eſt, vel ſero confugerent. ſed quia conſtat eos in ſua malitia manere, & in ſuis facinoribus mori velle: ſufficit ijſdem commonitio noſtra, & præcedens aſſidua cohortatio. Si enim iuſſionibus noſtris E

*

* mortuis

A bus nostris obtemperare voluissent, ab omni malo liberarentur. Nos tamen, fratres, sequamur quæ nostra sunt, mandatis instemus, custodiamus diuina præcepta, ex bonis actibus vitam nostram ab erroribus vindicantes, fauente Dei misericordia, per rectum * limitem dirigamus *.] hucusque Constantinus ad Catholicos Episcopos in Numidia constitutos. * perfectum * diligamus

Vides ex his, lector, Constantinum Imperatorem iam catechumenum adeo imbibisse ex Euangelio Christianam mansuetudinem, vt tot licet prouocatus esset facinoribus Donatistarum, minime tamen (vt par erat) in eos lege agere voluerit: reueritus (vt arbitror) in eisdem nomen Christianorum, quantulibet eo censerentur indigni, quòd speraret fortasse delinire obduratam eorum malitiam beneficijs, secundum illud Euangelicum [a]: Benefacite his qui oderunt vos] & alia multa his similia ad Christianam modestiam comparandam, quibus apprime imbutus, se Imperatorem esse interdum videretur oblitus, cuius est, ex sententia Pauli [b], portare gladium ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Ceterum fuisse animi sui consilium in Africam proficisci, & Donatistarum furorem compescere, datis litteris ad Celsum Vicarium significauit: extant quidem ipsæ, sed earum exordio potissimum deprauatæ; sic enim se habent: a Luc. 6. b Rom. 13.

B

Celso Vicario Africæ [c]. Perseuerare * Menalium eum quem iamdudum susceperat insania, ceteros qui a veritate Dei digressi, errori se prauissimo dederunt, proxima etiam tuæ grauitatis scripta testata sunt, quibus inhærentem te iussioni nostræ de merito seditionis ipsorum, eoq. tumultu, quod apparabant, inhibitū esse memorasti, frater carissime: Vnde quoniam ex eo patuit, ipsos nefarias res cogitasse: quod enim cum statuissem inter ipsos & Cæcilianum plenissime semper allegationibus diuersis requirere, præsentia mea susceptam fugam subtrahere laborauerunt, hoc ipso turpissimo facto confessi, ad ea se redire properare, quæ & antea fecerant, & nunc agere perseuerant. At cum constet, minime vnumquemque propria penitus delicta lucrari, etiamsi paulisper eorum fuerit coercitio dilata: mandandum grauitati tuæ duxi, vt interim quidem eosdem omittas *, & dissimulandum super ipsos esse cognoscas; verum lecta hac epistola tam Cæciliano, quàm ijsdem, palam facias, quòd cùm fauente pietate diuina Africam venero, plenissime vniuersis, tam Cæciliano, quàm ijs qui contra eum agere videntur, lecto dilucido iudicio, demonstraturus sum, quæ & qualis summæ diuinitati sit adhibenda veneratio, & cuiusmodi cultu delectari videatur. Adhibito etiam diligenti examine, ea quæ nunc aliqui exinde inlecebris mentis ignorantiæq. occultare se putant, plenissime sum reperturus, atque in lucem facturus venire easdem personas quæ res istiusmodi concitant, faciuntque vt non cum ea qua oportet veneratione summus Deus colatur; perdam, atque discutiam. * c Ex eadē Bibliothec. Pithœi accepta. EPISTOLA CONSTANTINI AD CELSVM. * dimittas

C

D Cumque satis clareat, neminem posse beatitudines martyris eo genere conquirere, quod alienum a veritate religionis & incongruum esse videatur; eos quos contra fas & religionem ipsam recognouero, reosq. violentes competentis venerationis deprehendero, sine vlla dubitatione, insaniæ, obstinationisq. temerariæ faciam merita exitia persoluere. Scite itaque pro certo quæ habere debeant, ad plenissimam fidem (salute etiam teste inuocata) quòd tam super plebe, quàm super Clericis his qui primi sunt, sum diligentissime quæsiturus; idque iudicaturus, quod verissimum & religiosissimum esse manifestum sit; demonstraturus etiam ijsdém, qui & qualis diuinitati cultus adhibendus sit. Nam nequaquam me aliter maximum reatum effugere posse credo, quàm vt hoc quod improbe fit, minime existimem dissimulandum: cum nil potius a me agi pro instituto meo, ipsiusq. Principis munere oporteat, quàm vt discussis erroribus, omnibusq. temeritatibus amputatis, veram religionem vniuersos, concordemq. simplicitatem, atque meritam omnipotenti Deo culturam præsentare perficiam.] hactenus ad Celsum Constantinus, quem hoc etiam anno in Vicariæ præfecturæ magistratu perseuerasse, aliud ad eum ab eodem Imperatore datū rescriptum [d], de quo proxime dicturi sumus, significat: sed & ante biennium ipsum eodem magistratu functum esse, litteræ superius recitatæ de reditu Episcoporum Donatistarum ex Concilio Arelatensi demonstrant; ne quis putet eas hoc etiam anno datas: nam tunc in pace sunt & cum viatico dimissi Donatistæ, vt diximus: hoc autem anno (vt recitatæ ad eumdem Celsum litteræ se habent) ijdem licet appellationem prosequentes, refugientes iudicium, se receperunt in Africam: quod & diximus ex Augustini verbis, nimirum se a iudicio indignantes subtraxisse. d L. 1. de offic. omnium Iud. Cod. Theodos.

E

Quòd vero recitatis modo ad Celsum litteris illud de falso præsumpto martyrio Constantinus inculcet: id inducit vt opinemur, refractarios Donatistas, contempto Imperatore, iactasse, paratos se pro veritate, quam tueri sibi viderentur subire martyrium, idque eis in optatis summopere esse; sicque hoc prætextu paruifecisse quicquid aduersus ipsos Constantinus CVR A SANGVINE DONATISTARVM CONSTANTINVS ABSTINEAT.

tinus

tinus minarum decreuisset. Certe quidem eos huius fuisse sententiæ, atque verbis effutire consueuisse, quæ de ijsdem dicenda sunt inferius tempore Constantis Imp. manifeste declarant: cum & quos Proconsularis iuste necauit gladius, eos vt martyres coluere. Quamobrem hæc etiam causa intercessisse videtur, quo minus in eos, vt in ceteros delinquẽtes, Cõstantinus animaduerteret, ne ipse Christianorũ vel ab hæreticis persecutor haberetur; et quos occidi mandasset, ab illis martyres haberentur: quod quidem Imperatoris animi consilium ipse visus est declarasse, quando (vt modo dicetur) aliquibus ex ipsis in campum ad necem duci iussis, abstineri ab eorum nece præcepit. A

Siquidem post hæc illi non veriti sunt eadem contumacia, qua restiterunt iudicijs Episcoporum, inferre calumniam sententiæ Imperatoris: calumniantes ipsum gratia corruptum iniquissimam tulisse sententiam: cuius rei causa iuste commotus Constantinus, in scelestissimos illos qui causam prosequebantur, iussit animaduerti, atque ad supplicium duci: sed cohibens conceptam in eos indignationẽ, a sanguine eorum abstinuit, mitioribusq. ipsos, quòd Ecclesiastici viri essent, pœnis afficiendos esse putauit, nimirum esse damnandos exilio, Basilicisque priuandos. Hæc quidem ex diuersis S. Augustini locis habentur expressa. Ac primum quod spectat ad calumnias eorum & contumelias in Constantinum, hæc habet ipse agens contra Parmenianum Donatistarum patronum[a]: Nec tamen (inquit) negat Parmenianus, rursus eos ad Constantinum venisse, & quia ibi quoque vltimo iudicio superati sunt, etiam ipsum gratia corruptum esse criminatur.] idemque ad eumdem inferius[b] hæc de sententia capitis in eos lata: Quin etiam audet conqueri Parmenianus, quòd eos Constantinus ad campum, id est ad supplicium, duci iusit.] et paulo post: Et hoc cum tamquam immaniter iusisse, Hispano Osio suggerente, criminatur, suspicionibus videlicet suis, sicut semper, damnando inauditos. Quasi vero non humanius ac probabilius alius crediderit, Osio tamquam Episcopo suggerente, potius factum, vt in leniorem coercitionem, quamuis immanissimi sceleris, id est sacrilegi schismatis, sententiam flecteret Imperator.] hæc ipse, idemq. de alijs pœnis irrogatis in eos ita scribit[c] de Constantino verba faciens: Qui primus aduersus vestrum errorem multa constituit.] atque superius hæc de ablatis Basilicis: Constantinus vobis Basilicas iusit auferri, Iulianus restitui.] B C

a August. contra epist. Parmen. lib. 1. c 6.
b Aug. eod. lib. c. 8.
DONATISTAE DAMNATI EXILIO, ET MVLCTATI BASILICIS.
c August. contra epist. Petilian. lib. 2. c. 92.

De exilio itidem Donatistis irrogato testes sunt eiusdem Constantini litteræ ad Verinum datæ, aliàs Valerium, Vicarium in Africa post annos quatuor & menses ferme sex, de eorum liberatione ab exilio, de quibus suo loco agendum pluribus. meminit earumdem Augustinus, easdemq. Consulibus, quibus erant datæ, consignat[d]. Hæc autem adeo seria atque grauia non tantum Augustini testimonio, sed etiam ipsorummet Donatistarum assertione vera certaq. probata, cum apud Optatum minime reperiantur (nam causa Cæciliani & Donatistarum vsque ad cognitionem Aeliani Proconsulis, quæ contigit ante Concilium Arelatense, in eiusdem commentarij libro primo habetur expressa) in eam sententiam adducimur, vt existimemus primum illum Optati librum nequaquã integrum esse, sed desiderari in eo (quod superius aliàs dictum est) tum iudicium Arelatense, tum etiam Constantini sententiam; quæ omnia puto e codice a Donatistis dominantibus in Africa fuisse dolose atque inuidiose sublata: qui enim cunctas res gestas Donatistarum apprime callebat, atque in eos scribebat, hæc tanti ponderis prætérijsse silentio, minime verisimile esse potest. At de his modo hactenus. D

d Aug. post Collat. c. 33.

Eodem quoque anno, ijsdemq. Coss. Constantinus Imp. ad Domitium Celsum rescripsit, ne materfamilias per apparitores in iudicium extra domum traheretur. Prospexerant quidem antiqua Romanorum iura, vt feminarum iudicia nõ essent publica, sed priuata, maritusq. coram propinquis de capite famaq. coniugis cognosceret, vt Tacitus[e] auctor est: et illud commune olim omnibus, e domo sua neminem extrahendum inuitum[f]. At cum ex tyrannorum arbitrio, ac libidine Iudicum potissimum in Christianos furentiũ, omne iuris asylum inuasum esset, vt non ordini vel sexui iura concessa seruarentur illæsa, nobilesq. matronæ atque puellæ passim magna contumelia e domorum penetralibus per apparitores ad sæua Iudicum tribunalia traherentur, & custodirentur in carcere: ne semel præsumpta temeritas nec coercita latius vagaretur, vt quouis prætextu in honestissimas feminas sordida quæque Officia manus conijcerent; Christianus Imperator his festinus occurrens, hæc[g] statuit: E

PIA LEX CONSTANTINI PRO MATRONIS.
e Tacit. Annal. lib. 13.
f l. plerique. ff. de in ius voc.
g l. 1. C. de offic. diuer. Iud. eodẽ Cod. Theodos. de offic. omnium Iudic. l. 1.

Nemo Iudex aliquem Officialem ad eam domum, in qua materfamilias degit, cum aliquo præcepto existimet esse mittendum, vt eamdem in publicum protrahat: cum certum sit, debita eius, quæ intra domum, considerato sexu, semet contineat, domus eius vel cuiuscumque rei habita distractione, publicis necessitatibus posse seruari. Quòd si quis in publicum matrem familias posthac crediderit protrahendam: inter maximos reos citra vllam indulgentiam capitali

A pitali pœna plectatur. Dat. quarto Id. Augusti, Sabino & Ruffino Coss.] In Codice Theodosiano cum idem Imperatoris rescriptū habeatur, datum Treueris legitur tertio Id. Ianuar. His similia postea Iustinianus [a] quoque sanciuit: vt appareat, Christianorum Imperatorum fuisse modestiæ, femineo pudori consulere. [a Auth. vt nulli iudic. §. necessar.]

Rursum vero iisdem Coss. idem Imp. ad Protogenem Episcopum Sardicensem de manumissionibus in Ecclesia celebrādis hunc in modum rescripsit [b]: Iamdudum placuit, vt in Ecclesia Catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis, assistentibus Christianorum Antistitibus, id faciant: vt propter facti memoriam vice Actorum interponatur qualiscumque scriptura, in qua ipsi vice testium signent. Vnde a vobis quoque ipsis non immerito dandæ & relinquēdæ sunt libertates, quo quisque vestrum pacto voluerit, dummodo vestræ voluntatis euidens appareat testimonium. Dat. VI. Id. Iunij, Sabino & Ruffino B Coss.] Quæ igitur apud Ciuiles magistratus fieri consueuerant, vt coram Episcopis agerentur Constantinus statuit, vtq. Prætorum virgulā, quæ nuncupabatur Vindicta, in libertate donāda iidem Antistites consequerētur: immo & hoc amplius quàm ceteris magistratibus voluit Episcopis concessisse, vt ab illis in Ecclesia manumissi, non tantum libertate, sed ciuitate quoque Romana, perinde atque adscripti essent tabulis Romani census, iure amplissimo donarentur: sic quidem ad Osium Episcopum Cordubensem postea rescripsit his verbis [c]: [b l. 1. C. de his qui in Eccles. manum.] [MANVMITTERE CONCESSVM EPISCOPIS.] [c l. 2. C. eodem.]

Qui religiosa mente in Ecclesiæ gremio seruis suis meritam cōcesserint libertatem, eamdem eo iure donasse videantur, quo ciuitas Romana solemnitatibus decursis dari consueuit. Sed hoc dumtaxat iis, qui sub aspectu Antistitum dederint, placuit relaxari. Clericis autem amplius concedimus, vt cùm suis famulis tribuunt libertatem, non solum in conspectu Ecclesiæ ac religiosi populi plenum fructum libertatis concessisse dicantur; verum etiam cùm postremo C iudicio dederint libertates, seu quibuscumque verbis dari præceperint: ita vt ex die publicatæ voluntatis, sine aliquo iuris teste vel interprete competat directa libertas.] hæc ibi, quæ quidem in Codice Theodosiano non sub huius anni Consulibus, sed sub Consulatu Crispi & Constantini secundo data leguntur.

Magna quidem sunt hæc, vt liceret Episcopi auctoritate quemlibet ex seruo facere non modo liberum, sed mox ciuem quoque Romanum creare. Eiusdem generis eum tres ab eodem Constantino latas esse leges Sozomenus [d] affirmet, duæ tantum superius recensitæ supersunt, tertia vero desideratur. Cum autem harum trium sanctionum idem auctor meminit, sic ait: Cum partim præ exquisita quadam legum obseruatione, partim præ possessoribus, qui inuiti eos dimiserunt, permagna esset difficultas in maiore libertate acquirenda, quam Romani, ciuitate donari, appellant: tres tulit leges, quibus decreuit, vt omnes D qui in Ecclesiis essent testimonio sacerdotum libertate donati, in Rempublicam Romanam adscriberentur. Huius pii instituti satis clara hac etiam nostra ætate extant indicia: quippe consuetudo adhuc tenetur, vt leges de eo sancitæ in principio tabularum de Manumissionibus scribantur.] hucusque Sozomenus. De eiusmodi autē manumissionibus in Ecclesia fieri solitis, exemplum recitat S. Augustinus [e], cum ait: Diaconus Hipponensis homo pauper est: quid alicui conferat, non habet: tamen de laboribus suis, antequam esset clericus, emetat aliquos seruulos: hodie illos in conspectu vestro manumissurus est Episcopalibus gestis.] hæc ipse. ac de his satis. [d Sozom. lib. 1. c. 9.] [e Aug. serm. de diuers. 50.]

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
317.	4.	12.

E

CHristi annus trecentesimus decimusseptimus Gallicano & Basso Coss. adscribitur Fastis, quo Imperator Constātinus aduersus Licinium bello agens, quinto Nonas Iulij vicit iterum eum in Thracia, quem antea Cybale in Pannonia superarat. Constat id quidē ex eiusdem Imperatoris edicto de indulgentia tunc tēporis veteranis cōcessa, quod in Codice Theodosiano descriptum habetur his verbis [f]: Veteranis, qui ex die quinta Nonarum Iuliarum, cum prima per Thraciam victoria vniuerso Orbi illuxit; et qui postea apud Nicomediam, nostram missionem meruerunt, certam per edictum indulsimus (quæ scribendi tabulis, vel encausto, & cetussa conscribere detur eis) licentiam. Edictum autem continens indulgentiam nostram ad deuotionem tuam misimus, vt & tua dicatio & cuncti alij recognoscant, quid præstitimus memoratis. PP. IIII. Idus Aprilis, Licinio quintum & Crispo Cæsare Coss.] est is annus sequens, quo promulgauit edictum de indulgentia veteranis concessa post obtentam hoc [TEMPORA BELLI LICINIANI.] [f l. 1. de Veteran. Cod. Theodos.]

hoc anno primam in Thracia victoriam (vt dictum est) quinto Nonas Iulij. hæc itaque ad certam temporis rationem declarandam voluimus recitasse. Ex quibus plane erroris arguuntur, qui anno decimoquarto Constantini & decimoquinto persecutionem Licinianam ponunt, & decimonono bellum eidem a Constantino illatum, vt Cedrenus perperam supputauit, rerum gestarum seriem, mendaci facta rerum partitione, confundens. A

Quod vero spectat ad ipsum bellum Licinianum: antiquorum omnium assertione constare videtur, Licinium primo in Pannonia superatum, ac postea in Thracia sequenti anno dicta die a Constantino victum fuisse, atque ibidem iterum debellatum, ac tertio demum prælio penitus profligatum, & ad postremum belli iure morte mulctatum. quæ omnia pluribus narrat Eusebius[a]. Nos autem singula singulis reddentes temporibus, a Cybalensi conflictatione sumemus exordium. Sed meminisse debemus, quæ superius sint recensitæ iustæ belli causæ, nempe Licinij impietas, tyrannis, & turpitudo; quibus cum omne Orientale Imperium infestaret, Christianos potissimum dire vexabat: quæ cum ab alijs plerisque, tum ab Eusebio enarratæ sunt: quibus Constantinus plane compulsus aduersus Licinium bellum mouit. Sed & quæ fuerit vtriusque expeditio, narrat primum Eusebius[b], a Constantino sic orationem exordiens: Cum ne rumorem quidem de illis rebus, quas diximus, dissipatum amplius ferendum cerneret, modesta animi ratione rem secum reputare, & morum seueritate cum clementia naturaliter sibi insita temperata, ad afflictorum liberationem maturare cœpit: existimans pietatis & sanctimoniæ munus esse, vt per vnius cædem infinita hominum multitudo seruaretur incolumis. Nam cum animo complexus esset, se magna facilitate vsum, hominisq. commiserationem parum promerentis misertum, ei (vtpote a malorum instituto minime recedenti) nihil omnino profuisse, immo vero eius rabiem contra subiectos magis auxisse: adeo vt illis, qui ab eo erant afflictati, nulla esset reliqua salutis spes: absque cunctatione dexteram salutarem ijs, qui essent in tam extremas calamitates prolapsi, porrigere instituit. Idcirco consuetum militaris expeditionis apparatum instituit: vniuersa agmina tam peditum quàm equitum ad illum frequentia confluunt: quæ omnia antecedebāt insignia certæ in Deum fiduciæ, quæ Crucis effigiem supra monstratam pulchre repræsentarunt. Precibus, si vmquam aliàs, iam etiam sibi opus esse probe intelligens, Dei solicitare sacerdotes, vt semper cum ipso versari, semperque præsto esse vellent, hosque tamquam quosdam animæ custodes ducere.] B C

a Euseb. Vit. Constātin. lib. 2. c. 10. vsque 19.

b Euseb. Vit. Constātini lib. 2. c. 3. & 4.

CONSTANTINI EXPEDITIO IN LICINIVM QVALIS.

Tunc vero qui tyrannidem propugnabat, cum auditione accepisset, Constantinum contra hostes, non aliter quàm per Dei virtutem præsidium ipsi afferentem, victoriam conari comparare; et eos quos dixi semper vna cum illo versari, ei adesse, & salutaris Christi passionis insigne vniuersum illius exercitum perpetuo antecedere: has res reuera (sic nāque erat verisimile) irrisione dignas putauit; simulq. & Constantinum habuit ludibrio, & contumeliosis verbis lacerauit. Itaque is primum augures, & vates Aegyptiorum, veneficos etiam, & præstigiatores, sacrificos, & prophetas eorum, quos habebat pro dijs, accersit ad se: deinde dijs illis, quos sibi colendos censuit, victimis placatis, sciscitatur quo modo belli exitus ipsi succederet. Illi enim hostium victorem sine dubio fore, inq. bello superiores laturum, vno ore respondent: quin etiam longis carminum ambagibus oracula vbique idem asseuerant. Augures prædicant, ei per auium volatus fausta præsignificata esse: sacrifici viscerum micationem similia portendere demonstrant. Fraudulentis igitur istorum promissis elatus, magna cum confidentia castris egressus est, ad manus conserendas paratus.] ita Eusebius. Quod vero huc denuo spectat, hæc addit Sozomenus[c]: Porro autem, cum prælio rursus esset cum Constantino decertaturus, victimis & vaticinationibus (vt fieri solet) vsus est, quo belli expectati administrationi melius prospiceret. atque quorumdam suasu, qui eum victorem fore pollicerentur, inductus, ad Gentilitatem se transtulit. Quare Gentiles etiam ipsi memorant, reuera eum tunc fecisse periculum oraculi Apollinis Dindymæi, quod Mileti edi solet. Cui de belli euentu sciscitanti, respondisse dæmonium his duobus Homeri versibus: D E

LICINII EXPEDITIO QVALIS.

c Sozom. lib. 1. c. 7.

Te iuuenes (grandæue Pater) vexare feroces
Certum est: te infirmum manet ærumnosa senectus.] hæc de his Sozomenus, eademque recitat Nicephorus[d].

d Niceph. lib. 7. c. 45.

Sed ad Eusebium redeamus, qui de Licinij expeditione hæc pergit enarrare[e]: Cum (inquit) esset prælium initurus; satellites suos, & eos quos inter amicos eximie caros habebat, in locum quemdam, qui sacer apud illos putabatur, conuocat, in quo nemus erat irriguum ac densum, variæ item statuæ lapideæ vario artificio insculptæ, dijs ipsius in eo erectæ: quibus cum cereos accendisset, & consuetas immolasset hostias, eiusmodi orationem habuisse fertur: Viri

e Euseb. Vit. Constātin. lib. 2. c. 5. & 6.

LICINII AD SVOS CONCIO.

amici

A amici ac socij, dij isti sunt patrij, quos ex maioribus antiquitus colendos accepimus, quosque religiose & sancte veneramur. Iste qui nobiscum prælium initurus est, patrijs institutis violatis, præ errore, quo excæcatus est, peregrinum Deum quemdam (vnde haud equidem scio) colens, impia opinione mentem imbuit, & turpi istius insigni exercitum suum magnopere dedecotat: quo fretus, procedit in aciem, & non contra nos solum, sed multo potius contra deos ipsos, quorum cultum vt proditor deseruit, arma ferre aggreditur. Hoc igitur tempore liquido constabit, & quis nostrum opinionis errore vagetur; et vtrum dijs qui a nobis, an qui ab altera parte coluntur, priores deferendæ sint. Aut enim nos victores erimus, & sic iure optimo nostri dij seruatores & opitulatores veri existimari debent: aut si hic Constantini Deus (quisquis ille fuerit, vel vnde sit profectus, nescio) nostros, cum plurimi sint, ijque numero B & multitudine superiores, deuincat; nemo de reliquo vocet in controuersiam, quem tandem Deum venerari oporteat: sed vincenti se addicat, & illi præmia offerat victoriæ debita. Quòd si peregrinus ille Deus, qui est a nobis ludibrio habitus, superior in prælio videatur; illum nos decet agnoscere, illum colere, & ita longum vale dicere ijs, quibus cereos frustra accendimus. Verum si nostri potiantur victoria, quod non dubium est; post victoriam hoc loco partam, ad bellum contra impios faciendum maturemus oportet. Ista apud suos coram oratione disseruit. Nobis vero hanc historiã scribere instituentibus, eius verba retulerunt ij, qui eadem auribus accepissent. Tyrannus autem, oratione habita, iussit vt milites prælium quàm primum aggrederentur.

Dum ista gerebantur, visum quoddã supra quàm dici potest admirabile circa ciuitates eius ditioni subiectas apparuisse ferunt. Nam se videre videbantur, varias turmas militum armatorum, qui sub Constantino duce dimicassent, in ipso meridie per vrbes, tamquam victoria po- C titas, transijsse. Atque ista cernebantur, nemine vspiam reuera apparente, sed visione diuiniore quadam & excelsiore virtute, quod futurum erat, portendente.] hucusque Eusebius de ijs quæ prælium præcesserunt.

PRODIGIVM DE VICTORIA CONSTANTINI.

Constat quidem cunctorum sententia, primum omnium prælium Cybale in Pannonia gestum esse, de quo variæ sunt scriptorum auctoritates. De eo enim in primis hæc Aurelius Victor [a]: Primum apud Cybalas, iuxta paludem Hiulcam nomine, Constantino nocte castra Licinij irrumpente, Licinius fugam petijt, Byzantiumque fugã volucri peruenit: ibi Martinianũ Officiorum Magistrum Cæsarem creat.] addit Eutropius [b]: Omnique Dardania, Mœsia, Macedonia potitus, numerosas prouincias occupauit: varia deinceps inter eos bella, & pax reconciliata, ruptaque est.] Sed erroris arguitur tam ipse, quàm Orosius [c], cum diuersum putãt prælium gestum ab eis in Pãnonia, ab illo in quo Cybali pugnatũ est; omnium enim D sentẽtia constat, vnum idemque fuisse, & Cybalim positam esse in eadem Pannonia ciuitatem. Zosimus [d] autem rem gestam fusius prosequutus, hæc scribit:

a Victor in Constantino.
b Eutrop. lib. 10.
c Oros. lib. 7. c. 28.
d Zosim. lib. 2.

Itaque prorumpentibus in apertum inimicitijs, ambo copias suas ad dimicandum cogebãt. Licinius ad Cybalim colligebat suos: id oppidum est Pannoniæ, in colle situm, ad quod oppidum via sursum ducit arcta, cuius longitudo quinque stadiorum est, eiusdem maiori parti profunda palus imminet, reliquum mons est, quo in monte collis est ille situs, in quo esse oppidum ipsum diximus. hinc aperta planicies excipit, ingens ea quidem & prospectu infinita, qua in planicie castra Licinius habebat, phalangem suam sub colle porrigẽs in longitudinem, ne parum firma cornua viderentur. Constantinus ad montem suos instruxerat, & equitatum in fronte constituerat: hoc enim ei magis expedire visum fuit, ne hostes irruentes in pedestres copias, eas ipsas segnius ad manum venientes impedirent, quo minus ob difficultatem pro- E grederentur. Id cum factum esset: celeriter impetu primo superior, sublatis signis, in aduersos statim irruebat: estq. commissum præliũ quouis alio pene dixerim acrius. Nam emissis vtrinque telis, longo tempore cuspidibus & hastis inter eos dimicatum est: cumque prælium a prima luce cœptum in vesperum vsque durasset; cornu dextrum, cui Constantinus præerat, vicit.

BELLVM CYBALENSE CONTRA LICINIVM.

Itaque coniectis in fugam aduersis, Licinij legiones, quòd & ipsum Licinium viderent in equum insilientem, & ad fugam paratum, non amplius eo loco manere nec cœnare sunt ausæ; sed relictis pecoribus atque iumentis & omni apparatu reliquo, tantumque ciborum secũ auferentes, quantum ad famem ea nocte pellendam satis esset, omni adhibita festinatione, cum Licinio Sirmium peruenĩt. Pannoniæ ciuitas est Sirmiũ, quam ad vtraque partem flumen alluit, in Istrum semet exonerans: hoc oppidũ cursu prætergressus, ac ponte fluminis soluto, pergebat vlterius, quòd in Thracia militem colligere cogitaret. Constantinus occupata Cybali & Sirmio, & alijs quæ fugiẽs a tergo Licinius relinquebat, quinque Legionariorũ millia eius persequendi causa mittit. Sed illi viæ, qua Licinius fugerat, ignari, cõsequi eũ minime potuerunt.

Constantinus autem ponte Sai iuncto, quem Licinius resciderat, cum exercitu Licinij vestigijs inhærebat.] hucusque de rebus gestis in Pannonia Zosimus. A

BELLVM THRACIVM CONTRA LICINIVM.

At de Thracijs rebus idem auctor in hunc modum: Cumq. Cõstantinus transijsset in Thraciam, peruenit ad eam planiciem, in qua Licinium castrametatum reperit. Eadem nocte, qua venerat, instructa suorum acie, militibus imperat, prima luce parati ad pugnam essent. Vbi dies illuxit, Licinius cõspecto cum exercitu Constantino, aciem & ipse suam instruit, cum belli socium Valentem haberet Cæsarem ab se dictum, ex quo fuga Cybalim reliquerat. Exercitus inter se congressi, ac primum ex interuallo seiuncti, sagittis vtebantur: telis exhaustis, cum hastis & pugionibus irruebant. Dum acriter pugnam exercitus vrgent, ij quos Constantinus Licinium persequi iusserat, de conspicuo quodam loco pugnantibus exercitibus superueniunt, & flexo per collem quemdam itinere, cum suis ex accliui & eminentiori loco iungendas vires statuunt, & hostes ab omni parte cingendos. Ab eo cum sibi cauissent Licinij milites, & fortiter B aduersus omnes dimicassent; iamq. pluribus & innumerabilibus quidem vtrinque cæsis, pari marte pugnatum esset, signo dato, a se inuicem dirempti sunt exercitus.] hæc de bello primo in Thracia gesto Zosimus narrat, post quæ pacem compositam inter Licinium & Constantinum affirmat: verum in primis erroris redarguitur, dũ æquali marte Imperatores pugnasse, atque ad neutram partem victoriam inclinasse testatur: cum ex edicto Constantini superius recitato, liquido appareat Constantinum in Thracia hoc anno primam victoriam consequutum fuisse. At Zosimus infensum se exhibet ob Christianam pietatem Constantino, ne eius humanitatem erga Licinium superatum exhibitam prædicet, ob idque res adhuc sub dubia fortuna positas mentitur fuisse diremptas: cum alioqui constet ab eodem auctore multa esse prætermissa, ne quam odio prosequebatur immensò, Christianam religionem, & Christi eam protegentis virtutem inuitus videretur extollere. C

a Euseb. Vit. Cõstantin. lib. 2. c. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & lib. 10. histor. c. vlt.

VICTORIAE CONSTANTINI EX VIRTVTE CRVCIS.

Nos igitur, quæ ab Eusebio sunt posteris tradita, hic pariter intexemus; qui ait [a]: Cum exercitus essent iamiam prælium inituri, qui amicitiæ fœdera ruperat, primùm dimicare exorsus est. Ibi Constantinus Dei omnium Saluatoris auxilio implorato, signoque isto suis militibus dato, in prima dimicatione hostes expugnauit. Deinde non longo tempore post, secunda etiã pugna tulit superiores; atque adeo iam salutari Saluatoris vexillo exercitum suum antecedente, præclariora victoriæ trophæa consequutus est. Nam qua in parte istud Crucis vexillum visum fuit, hostes fugam capere, victores persequi. Qua re intellecta, Imperator, sicubi partem aliquam sui exercitus languentem cernebat, ibi salutare illud vexillum, tamquam quoddam subsidium ad victoriam obtinendam locari mandauit: cuius adiumentis extemplo parta est victoria: quippe dimicantium vires diuina quadam potentia fuere admodum confirmatæ. Quapropter iussit suis satellitibus, qui & corporis robore erant, & virtute animi, & pietatis in- D stitutis in primis eximij, vt in solam vexilli illius gubernationem omni cura ac studio incumberent. Erant viri non pauciores quinquaginta numero; quibus nihil aliud impositum erat negotij, quàm vt vallarent vndique vexillum, præsidijs munirent, singuliq. ordine illud ipsum humeris gestarent. Atque ista quidem Imperator ipse longo post temporis interuallo interiecto, cum animo vacuo erat, nobis, qui hanc historiam scribimus, exposuit, addens etiam rem dignam quæ litteris ad posterorum memoriam commendetur.

CRVX LIBERAT CRVCIFEROS.

Nam cum in media, inquit, belli dimicatione ingens forte fremitus & turbatio repentina exercitum occuparet: ille qui vexillum hoc portabat humeris, inter præliandum primum præ formidine exhorrescere cœpit, deinde alteri illud tradere, vt belli impetum effugeret: postquam alter accepit, isteq. fuit ex acie egressus, & extra vexilli præsidium locatus, telo coniecto, in ventre confossus est, morteq. sopitus concidit. Atque vt iste timiditatis & diffiden- E tiæ pœnas luens, ibi mortuus iacuit; sic ille qui salutare trophæum sublime & erectum portabat, omnino eius subsidio euasit incolumis; adeo vt sæpe cum tela frequentia ab hostibus in eum iacerentur, qui ipsum ferebat, saluus extiterit, & vexilli hastile tela missa exceperit. Atque istud omnem plane superat admirationem; tum quòd tela ab hostibus iacta sic intra exiguum illum & angustum hastilis ambitum prouolabant, vt in eo fixa hærescerent; tum quòd ille, qui illud ipsum gestabat, mortem effugeret: immo vero vt qui hoc ministerium obibant, nihil damni incommodive aliquando acciperent. Neque certe hæc nostra est oratio, sed ipsius Imperatoris, qui præter alias res hanc etiam nobis coram memorauit. Qui vbi diuina potentia has duas primas victorias fuisset adeptus, de cetero, exercitu ordine instructo, vlterius processit.

Qui autem contrariarum partium erant, quiq. primũ dimicare cœperant, cum illius impetũ, abiectis armis, manu sustinere non possent, ad pedes Imperatoris acciderunt. Iste, vtpote ex hominibus

A hominibus conseruandis voluptatem capiens, omnes recepit incolumes. At alij, qui in armis se tenuerunt, prælio instare: quos primum Imperator benigne & humanitus ad amicitiam iungendam inuitauit; sed vbi minime obsequentes intelligebat, in eos dimisit exercitum: illi statim terga dantes, in fugam vertuntur: ex quibus deinde alij capti, iure belli interfecti sunt; nonnulli, alius in alium irruens, suorum gladijs decubuerunt. Post hæc qui hisce rebus principium dederat, cum videret se famulorum auxilijs orbatum, & exercitum, quem collegerat, profligatum, ac sociorum copias deletas, & spem in illis. quos ipse deos putabat, nihil posse; ipsa iam experientia manifesto conuictus, tum se turpissimæ fugæ mandauit; sicq. euasit incolumis; atque adeo extra vitæ periculum propterea fuit, quòd pius Imperator suis mandasset, ne omnino eum persequerentur, vt fugiendo saluti prospiceret: spes enim in eius insidebat animo, illum, cum persentisceret in quas incidisset calamitates, non modo ab insana temeri-
B tate desiturum, verum etiam mentem suam ad meliora cogitanda conuersurum.

Et quamquam iste singulari humanitatis studio ista instituebat, inducebatq. in animum iniuriam toleranter ferre, & indigno impertire veniam: ille tamen neutiquam ab improbitate se abstinuit; sed mala malis cumulans, sceleratiora facinora aggreditur; ac de integro fallacibus & dolosis præstigiatorum institutis insistens, animo confidere cœpit. licebat profecto eamdem sentẽtiam de eo, atque de veteri Tyranno pronunciare [a], quòd Deus eius cor plane indurauerat.] hucusque Eusebius de duobus prioribus prælijs, quorum alterum Cybali in Pannonia, in Thracia alterum cõfectum fuit, quod respectu aliorum quæ in eadem prouincia gesta sunt, primum ab eodem Imperatore, citato superius edicto, nuncupatũ est, ipsumq. pax consequuta, de qua hæc Zosimus [b]: Postridie, pactis inducijs, visum est inter ambos esse debere societatem & fœdus mutuum: ita quidem, vt Constantinus imperaret Illyrijs & nationibus ceteris,
C quotquot vlterius essent porrectæ; Licinius Thraciam, & Orientem, & vlteriores prouincias haberet: Valens appellatus a Licinio Cæsar, quòd, vt equidem arbitror, perhiberetur auctor eorum malorum, quæ acciderant, e medio tolleretur. Quo facto, & sacramentis vltro citroq. præstitis, conditiones has sanctè vtrinque seruandas, vt arctiori se fide ad standum pactis conuentis astringerent, Constantinus Crispum natum e concubina, cui Mineruinæ nomen, qui iam adoleuerat, & Constantinum in Arelatensi oppido ante nõ multos dies in lucem editum, Cæsares dixit; et cum ijs Licinianus quoque Licinij filius, qui iam ætatis annum vigesimum ingressus erat, Cæsar designatus fuit. atque hunc finem bellum secundum habuit.] hucusque Zosimus: qui quidem in his quæ de creatis Cæsaribus ait, aperti mendacij redarguitur; cum ex ijs quæ manifesto superius sunt demonstrata, ijdem in Decennalibus Cõstantini ante biennium fuerint Cæsares declarati. Rursum vero, quod subdit de bello aduersus Sauromatas
D gesto a Constantino; quonam potissimum anno id acciderit, suo loco dicemus.

Huius quoque anni Consulibus consignatum habetur eiusdem Imperatoris Constantini rescriptum ad Octauianum Hispaniarum Comitem, Christiano plane Principe dignum, quo clarissimorũ virorũ delicta statim puniri voluit, nec vlla fori exceptione gaudere, diuinæ puto legi auscultans, atque intelligens eo modo magnopere conciliaturum sibi gratiam diuini numinis: nam in Principes populi delinquentes hæc Dominus olim ad Moysen [c]: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel.] In eamdem plane sentẽtiam hæc Constantinus [d]: Quicumque clarissimæ dignitatis virginem rapuerit, vel fines aliquos inuaserit, vel in aliqua culpa seu crimine fuerit deprehensus: statim intra prouinciam, in qua facinus perpetrauit, publicis legibus subiugetur, neque super eius nomine ad scientiam nostram referatur, nec fori præscriptione vtatur. Omnem enim honorem
E reatus excludit, cum criminalis causa, & non ciuilis res vel pecuniaria moueatur. Dat. pridie Non. Decemb. Serdicæ *. Acc. quinto Non. Mart. Cordubæ, Gallicano & Basso Coss.] in Codice autem Iustinianeo, in quem eadem constitutio translata est, scripti in ea Consules ad tempus datæ epistolæ referuntur, desideraturq. ibi tempus, quo eadem accepta ponitur, ac pariter locus vbi data, nempe Serdica, vsitatius Sardica dicta, quæ ciuitas est inter Thraciam & Mysiam inferiorem sita, fama nobilior cum celebratum fuit in ea postea Concilium Sardicense, de quo inferius pluribus. Præerat eidem his Constantini temporibus Protogenes Episcopus clari nominis vir, ad quem de libertate in Ecclesia donanda recitauimus datum anno superiori rescriptum eiusdẽ Imperatoris. Qui autem Iustinianeum Codicem collegerunt, additamentum illud iustißimæ eiusmodi legi apposuerunt, vt non inter illustres, sed clarißimas tantum personas locum haberet [e], ita semetipsos a minis legis callide liberantes. Sardicæ quoque consistens, ijsdem etiam Consulibus, ad Catullinum Africę Proconsulem idem Imperator rescriptum dedit, quo vim publicam, antea relegatione vel deportatione puniri solitã, capitali

[a] Exod. 10.
[b] Zosim. lib. 2.
PAX CVM LICINIO COMPOSITA.
CONSTANTINI IVSTITIA LAVDATA.
[c] Num. 25.
[d] l. 1. de accusat. Cod. Theod.
* Sardicæ
[e] l. 1. C. vbi Senatores.

a *l. 1. ad leg. Iul. de vi pub. Cod. Theod.*

supplicio iuſsit fore abſque aliqua appellatione plectendam [a]: quod puto ab Imp. reſcriptum A
eſſe, ad factioſorum Donatiſtarum procaciam coercendam.

b *Sozom. lib. 3. c. 3.*

ALEXANDER EPISC. BYZANTII CREATVR.

Hoc eodem anno cum Metrophanes Epiſcopus Byzātij ſediſſet annos tres, ſenio valde cō-
fectus ſubſtituendum ſibi Alexandrum curauit, qui (vt auctor eſt Sozomenus [b]) annis viginti-
tres ſedit. Ex his eluduntur qui Metrophanem Eccleſiæ præfuiſſe tradūt annos decem, & quæ
de eo ferũtur incerto auctore ex quadā oratione de Nicæno Concilio, vbi habetur Metropha-
nem poſt Nicænam Synodum coram Patribus, qui eidem interfuerūt, egiſſe de ſubrogatione
Alexandri. Nam ſi, vt dictum eſt, conſtat Alexandrum ſediſſe annis vigintitribus, atque de-
ceſſiſſe (vt idem Sozomenus teſtatur) eo anno quo Conſtantinus iunior filius Conſtantini
Magni necatus eſt (qui eſt annus Domini trecenteſimus quadrageſimus) neceſſe eſt affirmare,
hoc anno Alexandrum loco Metrophanis ſedem Byzantinam capeſſiſſe. mēdoſe autem apud
Nicephori Chronicon ponuntur anni LXIII. pro XXIII. ſedis Alexandri. Sed iam ſubſe- B
quentis anni res geſtas aggrediamur.

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
318.	5.	13.

RVRSVM BELLVM LICINIANVM INSTAVRATVR.

c *Pomp. Lætus in Licinio.*

d *Eutrop. lib. 10.*

e *l. 1. de Veteran. Cod. Theod.*

TRecenteſimo decimooctauo Domini anno, iam pace compoſita inter Licinium & Con-
ſtantinum, datum eſt eidem Licinio quintum adire Conſulatum vnà cum Criſpo Cæ-
ſare filio Conſtantini; vt plane appareat, ab eodem Conſtantino nullum eſſe officium præter-
miſſum, quo hominē demereretur, & in pace quam firmauerat, contineret. Sed nihil profecit,
dum Licinius rupto fœdere, aduerſus Conſtantinum iterum in Thracia bellum parat, quod C
ſecundum in ea prouincia geſtum eſt. Culpa datur ab hiſtoricis [c] Licinio, qui ſæpius fortunam
tentauit; ac propterea infidus, tandem & naualibus & terreſtribus prælijs victus deditionem
Nicomediæ fecit. hæc Lætus & alij. at præceſſiſſe iteratum terreſtre prælium, Euſebius diſer-
tis verbis oſtendit. ſed & Eutropius [d] poſt victum ſecundo prælio Licinium hæc ait: *Va-
ria deinceps inter eos bella & pax reconciliata ruptaque eſt: poſtremo Licinius nauali & ter-
reſtri prælio victus, apud Nicomediam ſe dedidit.*] hæc autem omnia anni huius exordio
perfecta fuiſſe, Conſtantini reſcriptum ad Florianum de indulgentia veteranorum, cuius an-
no ſuperiore facta eſt mentio, ſignificare videtur, cum agit de iiſdem a ſe dimiſſis apud Ni-
comediam, qua iam potitus erat: ſic enim habet [e]: *Veteranis, qui ex die quinta Nonarum
Iuliarum, cum prima per Thraciam victoria vniuerſo Orbi illuxit, & qui poſtea apud Nicome-
diam noſtram miſſionem meruerunt, &c.*] datumque ponitur ipſum reſcriptum hoc anno, D
quarto Idus Aprilis, iiſdem Conſulibus Licinio quintum ac Criſpo Cæſare. Quamobrem cum
multa poſt primum certamen in Thracia facta reperiantur, quæ tam paucorum menſium ſpa-
tio claudi poſſe nequaquam videntur: ex eis aliqua anno præterito facta iure putantur. cete-
rum quòd ea nulla ſint temporum diſcriminatione diſtincta; hoc anno ipſa referre, quo abſo-
luta ſunt, haud videtur incongruum. Licinianum autem bellum non exceſſiſſe biennium, im-
mo annum & menſes octo tantum perduraſſe, Cedrenus [f] affirmat, qui tamen in eo corrigen-
dus eſt, quòd ait hæc contigiſſe anno decimonono Imperij Conſtantini: cùm hoc ipſo anno
decimotertio eius Imperij abſolutum fuiſſe, irrefragabilis eiuſdem Imperatoris reſcripti au-
ctoritas indubitatam in omnibus fidem faciat. qua pariter ratione alij quoque omnes, qui in
aliud tempus Licinianum bellum retulerunt, manifeſti arguuntur erroris. hæc de iis quæ ad
tempus ſpectant: rem autem geſtam Euſebius [g] his verbis deſcribit iam ante de Licinij animi E
obſtinatione loquutus:

f *Cedren. in Annalibus.*

g *Euſeb. Vit. Conſtantin. lib. 2. c. 12. 13. 14.*

PIETAS CONSTANTINI IN BELLO OBEVNDO.

*Cum animum eiuſmodi obſtrinxiſſet ſceleribus, ſeque in exitij tamquam barathrum de-
truſiſſet: Conſtantinus, qui ſecundo iam bellum neceſſario gerendum animaduerteret, Sal-
uatori ſuo preces fundendi tempus vacuum & ſolutum dicauit: et Crucis tabernaculo extra
caſtra etiam longiſſime fixo, ibi ſinceræ & piæ meditationi ſe dedens, more veteris illius Dei
Prophetæ, quem extra caſtra tabernaculum fixiſſe, diuina confirmant oracula, Deum orare
cœpit. Nonnulli etiam, quos ipſe ob fidei & pietatis ſtudium ſatis ſpectatos habuit, in idem
munus cum eo vna incumbebant: hocque etiam aliàs exequi, erat ei in more poſitum, cùm
bello cum hoſte decertare cōſtitueret. Nam ſicut propter ſecuritatem tardior in rebus geren-
dis fuit, ſic Dei conſilio omnia adminiſtrare, conſultum ſtatuit. Et cum iam animo vacuo at-
tente Deo preces adhibebat, ſemper diuina aliqua viſione dignatus fuit: ac poſt illud tam-
quam diuino inſtinctu impulſus, exilijt e tabernaculo, & derepente exercitum incitare cœpit,*

A mandauitque vt nulla mora interposita ipsam gladiorum aciem experirentur: qui ex improuiso hostes adorti, homines cuiusque ætatis occiderunt, atque interdum puncto fere temporis parta victoria, trophæa contra hostes insignia statuerunt.

In hunc modum Imperator etiam iam antea in prælijs committendis, & seipsum gerere, & exercitum regere consueuit: quin etiam Deum suæ ipsius animæ præponere, & illius consilijs omnia transigere, diligentemque adhibere cautionem, ne inter dimicandum fieret multorum cædes: vnde non magis suorum quàm hostium saluti prospexit. Quapropter suos, cùm fuissent in pugna victoriam adepti, hortari solebat, vt captiuorum misererentur, & cum homines essent, naturæ humanæ nequaquam eos caperet obliuio; atque si aliquando militum animos ferociores cerneret, auri munusculo eos refrenare, præcipereque, vt qui aliquẽ ex hostium numero viuum cepisset, aliqua certi auri summa remuneraretur. Atque hanc veluti ille-
B cebram, ad hominum conseruationem, Imperatoris excogitauit prudentia; adeo vt infiniti etiam ex ipsis barbaris incolumes euaserint, Imperatore vitam ipsorum auro redimẽte. Quemadmodum igitur hæc & infinita his similia etiam aliàs Imperator facere consueuerat: sic in præsentia de more suo ante initum prælium in tabernaculo separato, tẽpus precibus ad Deum fundendis liberum addixit: ab omni licentia & vitæ ratione luxu defluente, se reuocauit, inedia & corporis afflictatione seipsum coercuit, vti Deum sibi cùm precationibus supplicibus placatum, tum benignum adiutorem haberet: eaque peragerct, quæ esset Deus illius animo iniecturus. Porro autem, vtpote natura vigilans & attentus, permagnam Reipublicæ curam suscepit, nec magis pro suorum, quàm hostium salute precatus est.] hæc Eusebius, moxque pergit de pace inter eos iterum stabilita narrare. Equidem Constantiam Augustam Licinij coniugem, Constantini vero sororem, fuisse huiusce modi sæpe pacis inter eos recon-
C ciliandæ sequestrem, putamus. at nisi hæc sit recapitulatio præcedentis certaminis, tertio in Thracia victum esse Licinium, & bis inter ipsum & Constantinum esse icta pacis fœdera, dicendum est.

Postquam igitur (inquit Eusebius [a]) Licinius, qui paulo ante se fugæ mandauerat, rursum amicitiæ fœdera iungere sibi esse in optatis, simulatione prætulit: hic noster præscriptis illi pactionum formulis ad vitam cuiusque accommodatis, vtilibusque, fœdera cum eo ferire non dedignatus est. Quibus quidem pactionibus, quamquam Tyrannus, quem supra memorauimus, lubens obsecundare prætexuit, fide iureiurando confirmata; tamen ex occulto armatorum hominum manum iterum cogere, & de integro bellum pugnamque renouare, barbaros homines ad societatem adsciscere, deosque alios (vtpote a prioribus in fraudem inductus) circumcirca quæsitum cursitare cœpit: et eorum verborum, quæ non ita pridem de
D dijs habuerat, nullam omnino tenuit animo memoriam; neque Deum Constantini propugnatorem cognoscere voluit, sed plures & recentiores deos cum irrisione omnium conquirere laborauit. Postea cum reuera intelligeret, quanta, quàm diuina, quamq. inexplicabilis esset in salutari Christi passionis trophæo vis (qua quidem roboratus Constantini exercitus in bello superior esse consueuerat) milites circum se hortatus est, ne huic ex aduerso irent, cauerentque ne fortuito aut per imprudentiam in illud oculos conijcerent. Nam & virtute valere plurimum, & sibi aduersarium, infestumque esse affirmauit, & propterea debere declinare eam, quæ contra idem instituitur, dimicationem.

Iis rebus sic constitutis, cum eo, qui propter clementiam ipsum expugnare tardauerat, & mortem eius distulerat, prælio contendere aggreditur. Itaque vt huius milites multitudine deorum, & ingenti copiarum militarium numero confisi, simulacra hominum extinctorum,
E quos pro dijs colebant, hostibus velut propugnacula obijcere, sicque manu confligere cœperunt: ita Constantinus lorica pietatis obseptus, salutare Crucis & vitale signum, tamquam quoddam terriculamentum aduersariorum, & munimentum ad mala propulsanda firmissimum, hostium multitudini opposuit. Attamen principio a bello ad tempus abstinuit; et misericordia commotus, neutiquam prior inijt prælium, ne amicitiæ fœdera, quæ pactus erat, violaret. Verum vbi aduersarios constanter in instituto perstare, iamque gladiorum aciem experiri cernebat: ægre sane & grauiter ferens, sublato clamore, omnes hostium copias momento temporis pedem referre coegit, simulque contra inimicos & dæmones victoriam reportauit. Deinde impium Tyrannum vna cum suis belli iure condemnatum debito addixit supplicio. Qui verò prælij contra Deum suscipiendi auctores fuissent, pariter cum Tyranno ad locum supplicij abducti sunt, & ibi meritas iustasque persoluentes pœnas, misere interierunt. Qui quidem sicut ante spe in dijs vanis locata insolenter se efferebant; sic paulo post, Constantini Deum, qualis & quàm admirabilis esset, reipsa intellexerunt; et hunc iam verum

& soluta

[a] Euseb. Vit. Constantini lib. 2. c. 15. 16. 17. 18.

PAX ITERVM INTER LICINIVM ET CONSTANTIN. COMPOSITA.

& solum Deum se agnoscere, confessi sunt.] hucusq. Eusebius, qui & alibi ait, in eodem aduersus Licinium bello Crispi Cæsaris filij Constantini virtutem enituisse, quem ad debellandum Tyrannum secum duxerat; hæcque testatur his verbis [a]: A

a Euseb. lib. 10. c. 9.

Simul cum filio Crispo Imperatoris humanissimo, salutari dextera omnibus, qui prope perierant, porrecta & ostentata, contra Tyrannum proficiscitur: pater simul ac filius Deum Patrem rerum omnium rectorem, & Dei Filium omnium Saluatorem ducem auxiliatoremque adepti, vndique acie contra impios circumiecta & disposita, perfacilem reportant victoriam; hostesque vniuersos in dimicatione illa, Dei ope, ex animi sententia profligant. quocirca derepente, & pene dicto citius, qui heri & nudiustertius mortem terroremque spirabant, non amplius superfuerunt, immo ne minimam quidem nominis sui memoriam post se reliquerunt; tituli autem eorũ & honoris insignia debita ignominiæ labe aspersi.] hæc generatim ab Eusebio recensentur, nec nisi ea quæ conferunt ad insinuandam eiusdem Constantini pietatem, ac de nauali prælio nihil prorsus. Atque idem hucusque suam produxit historiam; nec in alijs suis de Constantini vita scriptionibus quicquam amplius de Crispo Cæsare, quem hic cum gloria voluit sepelisse, prædicans pietate patri non imparem; abstinuit posthac ab eius mentione, ne ex ipsius nece, patris gloriam obscuraret, cui tantum visus est hisce suis lucubrationibus studuisse. Quod vero ad præsens bellum confectum pertinet: a Zosimo [b], quonam modo vtroque prælio, eodem ferme tempore Licinius terra marique victus sit, prolixius enarratur: quæ ne subtraxisse lectori inuidiose videamur, quòd Ethnici hominis hostisque Christianorum scriptio sit, hic describemus, sed & digna censura notabimus. B

b Zosim. lib. 2.

Thessalonicam (inquit) accessit, & portu confecto, qui antehac ibi nullus erat, rursum ad gerendum bellum contra Licinium se parabat. Naues enim, quæ singulæ triginta remis agerentur, ducentæ instruebantur, & onerariæ plures quàm bis mille, peditum quoque centum & viginti, naualium & equestrium copiarum ad decem millia cogebantur. Licinius audito Constantini apparatu, dimissis ad nationes hinc inde nuncijs, idoneas bello naues, & equitum peditumque copias instrui iubebat. sine mora missæ sunt ab Aegyptijs octoginta triremes, a Phœnicibus totidem, ab Ionibus & Doriensibus Asiaticis sexaginta: Cypri triginta, Cares viginti, Bithyni triginta, Africani quinquaginta suppeditabant.] hæc de classium apparatu ac numero Zosimus, qui mendax plane conuincitur manifeste, dum Africam ait suppeditasse Licinio triremes quinquaginta; cum ex mille locis superius recitatis satis perspicue sit demonstratum, statim post debellatum Maxentium, cessisse Africam Constantino. C

Sed prosequitur Zosimus de apparatu Licinij orationem: Peditum habebat ad centum & quinquaginta prope millia, equitum quindecim millia, quos Phrygia & Cappadocia præbebat. Et Constantini quidem classis erat in Piræo, Licinij naues ad Hellespontum. In hunc modum constitutis ab vtroque nauticarum ac terrestriũ copiarum rebus, Hadrianopoli in Thracia castra Licinius habebat: et Constantinus e Piræo suas naues e Græcia maiorem partem collectas accersebat. Simul terrestri cum exercitu Thessalonica progressus, propter ripam fluminis Hebri, qui ad leuam Hadrianopolim alluit, castra faciebat: cum & Licinius suos instruxisset a monte, qui oppido imminet, ad ducenta vsque stadia, vbi ...... fluuius Hebrus coniungitur: compluribus diebus aduersis vtrinque castris exercitus substiterunt. D

BELLVM ATROX.

Sed animaduerso Constantinus qua parte flumen esset arctissimum, tale quiddam machinatur: Tigna de monte comportare iubet exercitum, funesque nectere, quasi pontem supra flumen facturus esset, ac per eum copias suas transportaturus. qua quidem re deceptis opinionibus hostium, & colle quodam conscenso, qui siluas habebat densas, & abditis per eas tegendis idoneas: peditum ibi sagittariorum quinque millia cum equitibus octoginta collocabat: deinde sumptis secum duodecim equitibus, per fluminis angustias, qua transijci facillime poterat, Hebro superato, improuisus in hostes irruit. Tum vero quidam cædi, quidam toto impetu terga dare; alij casu inopinato territi, ore diducto consistere propter hostis inexpectatam hanc transiectionem. Cum interim & equites ceteri toto cum exercitu securi ad alteram ripam euasissent, ingens hominum cædes accidit: nam ad triginta & quatuor millia hominum ceciderunt. sub occasum Solis castra Constantinus cepit. Licinius autem suis, quotquot sane poterat, recollectis, per Thraciam properabat, vt ad classem perueniret. Cum illuxisset, omnes Licinij milites, qui arrepta fuga, vel in montem forte, vel in conualles se contulerant, Cõstantino in fidem se tradiderũt vna cum ijs, quos Licinius fugiẽs a tergo reliquerat. E

Eo Byzantium fuga delato, Constantinus hominem persequens, Byzantium obsedit. Iam Constantini classis (vt diximus) e Piræo soluerat, & in Macedonia stationem habebat: itaque nauarchos accersit, nauibus ad ostium Hellesponti adesse iussis. Vbi classis præsto iam esset,

A veluti imperatum fuerat, Constantini duces octoginta duntaxat expeditissimis nauibus, quæ triginta singulæ remis impellerentur, dimicandum cēsuerunt, quòd is locus propter angustias magno nauium numero non esset opportunus. Abantus autem Licinianæ classis imperator ducentis nauibus inuehebatur, & hostilium nauium paucitatem vehementer contemnebat, quas ab omni parte se nullo negotio putaret inclusurum.

Sublatis vtrinque signis, & porrectis in aduersos tendentibus: Constantini nauarchi sic suas agebant naues, vt hostem composite adorirentur. Abantus autem nullo ordine in aduersos impetum faciens, naues suas ob multitudinem in arctum coactas inter se collidebat, quodamque modo demergendas & varie perdendas hosti præbebat. Denique multis militibus in mare præcipitatis, nox superueniens nauale prælium diremit; et alteri quidem ad Eleuntem Thraciæ appulerunt, alteri portum Aeantium ingressi sunt. Postridie eius diei, cum vehe- BELLVM NAVALE.
B mentes Aquilonis flatus essent, Abantus egressus Aeantio portu, naualem ad pugnam se parabat. Sed quòd ex triginta remorum naues, quæ ad ostium Hellesponti substiterant, iam mandato ducum Eleuntem se contulissent: Abantus nauium multitudine territus, de inuadendis hostibus animi dubius hærebat. Circa meridiē flatus Aquilonaris remittebat, & exortus Auster vehemens Licinij classem ad litus Asiaticum repertam partim in ipsum litus eiecit, partim saxis impegit, partim cum vectoribus demersit: ita quidem, vt hominum quinque millia, naues cum hominibus centum & triginta perirent, quibus e Thracia partem exercitus in Asiam Licinius propterea transmiserat, quòd obsessis cum eo Byzantium præ multitudine nimis arctum fuisset.

Cum autem in Asiam nauibus quatuor Abantus aufugisset, & nauale prælium hoc modo pugnatum esset, iamque naues ad Hellespontum appulissent, quæ varias merces & maximam
C comeatus copiam Constantini ducibus attulerant: vniuersa illi cum classe soluebant, vt se cum ijs qui Byzantium obsidebant, coniungerent, & vrbem mari quoque cingerent: Licinij pedites, cum ne conspectum quidem nauticarum illarum copiarum sustinuissent, nauigia nacti, Eleuntem discesserunt. Constantinus obsidionem vrgens, cum aggerem paris cum muro altitudinis excitasset, & turres ligneas ipso muro sublimiores in aggere constituisset, de quibus muri defensores telis petebantur, vt arietes aliæque machinæ muro citra periculum admouerentur, vrbem omnino capere cogitabat. LICINIVS VBIQVE VICTVS.

His Licinius ad inopiam consilij redactus statuit, deserto Byzantio, & ibidem exercitus infirmiori parte relicta, cum maxime idoneis, qui & beneuolentiam ei suam probauerant, Chalcedonem Bithyniæ quàm primum se recipere. Nam fieri posse credebat, vt rursus ex Asia collecto exercitu dimicaret. quamobrem nauigio Chalcedonem delatus, adiunctū sibi socium
D periculi Martinianum, qui ordinum Palatinorum dux erat (Romani Magistrum Officiorum vocant) Cæsarem dicit, & cum exercitu Lampsacum mittit, impediturum quo minus hostes e Thracia transirent ad Hellespontum: ipse copias suas in collibus & sitis ad Chalcedonem faucibus collocat. His rebus intento Licinio; Constantinus, qui & onerariarum & bellicarum nauium ingentem numerum haberet, & per has aduerso litore potiri vellet, veritus inaccessas onerarijs præsertim nauibus Bithynici litoris oras, celoces & cymbas quàm citissime struit, & ijs ad Promontorium Sacrum, quod dicitur, ad ostium Ponti situm, quodque Chalcedone ducentis stadijs abest, nauigat, & expositis ibi copijs, quosdam in colles ascendit, ac in ijs aciei struendæ locum capit.

Licinius quamquam ab hoste Bithyniam teneri cerneret: tamen vt vir omnibus periculis exercitus, Lampsaco Martinianum accersit, & milites cohortatus, quibus se præiturum dice-
E ret, ordines ad pugnam instruit; oppidoque egressus, hostibus iam paratis occurrit. Acri pugna in locis Chalcedoni & Fano interiectis inita, longe Constantini pars superior erat; quæ hostes ingenti cum impetu adorta, tantam cædem edidit, vt de centum & triginta millium numero vix triginta millia euaderent. Cum primum hæc euenissent, Byzantij Cōstantinum portis apertis excipiebant: idem & Chalcedonijs factitantibus, Licinius victus Nicomediam cum equitibus reliquis & paucis peditum millibus contendit.] inter hæc auctor tradit a Constantino exceptum Hormisdam regio sanguine procreatum fugientem e Perside: atque mox subdit: Cum autem Constantinus etiam Nicomediæ Licinium obsideret; rebus ille desperatis, quòd etiam sciret nullas sibi restare iustas & satis amplas ad dimicandum copias, egressus vrbe, supplex Constantino factus est, & ad eum allata purpura, Imperatorē ac dominum clamabat, veniamque præteritorum poscebat. nam vitam sibi certo pollicebatur, cuius nomine iusiurandum vxori eius a Constantino præstitum fuerat. Martinianum Constantinus satellitibus suis occidendum tradidit: Licinio Thessalonicam ablegato, velut istic secure victuro; neque LICINII INTERITVS.

neque multo post ei, violata iurisiurandi religione (quod quidem Constantino non insolens (A) erat) laqueo vitam ademit.] hæc Zosimus pergens alias coaceruare in eumdem Constantinum contumelias, de quibus suo loco dicturi sumus. Ceterum de nece Licinij causam illam plures numero & digniores fide auctores afferunt, sic eum contra pacta conuenta necari iussum, quòd idem Licinius, vt sæpe fecerat, res nouas, solicitans barbaros, clanculum moliretur.

a Zonar. Annal. tom. 3.

VISIONES CONSTANTINO PRAELIANTI OSTENSAE.

Hic non prætermittendum de diuino fauore dicere, qui in cunctis prælijs manifestis signis Constantino iugiter aspirauit. Zonaras [a] enim de his agens, hæc ait: Feruǹt Constantinum in prælijs cum Licinio & Maxentio commissis vidisse armatum equitem signum Crucis pro vexillo ante aciem suam præseferentem: ac rursus Hadrianopoli duos ei visos adolescentes, qui hostium phalanges cæderent: item circa Byzantium noctu, omnibus dormientibus, conspectum ab eo ignem, qui fulguris instar vallum exercitus sui collustraret. quibus ostentis in eam sententiam adducebatur, vt crederet successus illos rerum & victorias sibi diuinitus offerri.] (B) hæc Zonaras. Plurimum contulisse ad Christianam religionem latius dilatandam tot tamque

b Sozom. lib. 1. c. 7.

præclaras Constantini victorias, testatur Sozomenus [b], vtpote quòd non tam Imperatores, quàm contrariæ inter se religiones viderentur bellum suscepisse, cum quisque eorumdem Imperatorum e sua quam colebat, veramque putabat, diuinum numen sibi adfore propitium, iugibus expeteret votis ac precibus.

c Aurel. Vict. in Constantino.

MORES LICINII.

Licinij rebus finem imposituri, de nece eius, ac tempore, quo regnauit & vixit, quid scribat Aurelius Victor [c], hic addamus, moresque eius ab eodem recensitos, tamquam dignum homine epitaphium: Hic (inquit) Licinius annum dominationis fere post XIIII. vitæ proxime LX. occiditur auaritiæ cupidine omnium pessimus, neque alienus a luxu venereo, asper admodum, haud mediocriter impatiens, infestus litteris, quas per inscitiam immodicam virus ac pestem publicam nominabat, præcipue forensem industriam: agrarijs plane ac rusticantibus, (C) quia ab eo genere ortus altusque erat, satis vtilis, ac militiæ custos ad veterum instituta seuerissimus, spadonum & aulicorum omnium vehemens domitor, tineas soricesque Palatij eos appellans.] hæc Victor. Sed & Iulianus Apostata in Cæsaribus, cum de Licinio agit, tradit eum ob multa atque turpia scelera, quæ patrauit, a deorum & bouorum Principum consortio exclusum fuisse.

ANNI IMPERII LICINII.

Quod vero pertinet ad annos eius Imperij; Victor cum ait Imperium propagasse vsque ad annum decimumquartum, in dubium non nihil reuocari posse videtur. nam cum ex ijs quæ superius dicta sunt, constet eum imperare cœpisse anno secundo Imperij Constantini, Domini vero trecentesimo septimo; cumque certum sit, ipsum hoc anno apud Nicomediam victum: non nisi eius Imperij annos duodecim numerare licet, & fortasse decimumtertium inchoatum. Nec assentimur ijs qui eum vsque ad annũ decimumsextum superuixisse putarunt. (D) At alia prorsus ac plane diuersa ratio est, numerare annos, quibus vixit, Imperator factus, licet ab Imperio depositus, vsque ad obitum, vel quibus imperauit. Ex ijs insuper quæ dicta sunt, colligere æque licet, quàm mendosum sit Eusebij Chronicon in fine, cum ibi ponatur bellum Cybalense aduersus Licinium anno septimo Imperij Cõstantini, vndecimo vero eiusdem habeatur persecutio ipsa a Licinio excitata, quam tamen suo loco positam non negamus.

DE LICINII EXITU VARIAE SENTENTIAE.

d Apud. Sur. die 26. April. tom. 2.

De Licinij autem exitu diuersa plane scripta habentur a Ioanne presbytero Nicomediensi, qui his ipsis temporibus viuebat: ipse enim in historia, quam scripsit de rebus gestis & martyrio S. Basilei Episcopi Amaseni, de eodem Licinio hæc habet [d]: Licinium vero cum fere ad mortem vsque Imperator Constantinus castigasset, regali & quacumque alia principatus potestate priuatum in Galliam demandauit, vt in illa regione habitaret: eo enim quòd eius affinis erat, illum morte punire noluit, qui iure millies mori debebat. Ei autem toto audien- (E) te Senatu dixit: Luge & pœnitentiam age ob ea quæ ausus es, bonisque operibus studens, ab illis numquam desiste: fortasse Deus propitius & beneuolus tibi erit, qui omnis beneuolentiæ expers & insidiator fuisti; fortasse & sempiternæ pœnæ sententiam aufugies. hæc tunc ipse. Nihilominus tamen diuina pœna vehementer illum exagitauit. In ea enim regione, ad quam missus est, difficilia quædam vlcera, remedia eius malitiæ congruentia, similem illi quam Maximinus passus fuerat, plagam intulerunt. Cum autem grauiter ingemisceret, & solum ac verum Deum a se reprobatum fuisse confessus esset: ex hac vita miser auulsus fuit.] hucusque ibi de Licinij exitu vita ante acta digno. Ceterum (quod dictum est) omnes testantur, eum a Constantino esse necatum contra iusiurandum ipsi præstitum, vt priuatam vitam agere sine-

e Vict. in Constantino.
f Socrat. lib. 1. c. 2. in fin.

retur. Quoto autem anno Imperij Constantini Licinius (vtcumque acciderit) ex hac vita migrarit, nullibi certa est mentio, nisi apud Eusebij Chronicon, in quo longe post bellum Cybalense, anno decimooctauo Constantini, occisus ponitur: a Victore [e] autẽ & a Socrate [f] haud multo

A mulro post ab eo tempore, quo victus est, traditur, eum esse necatum.

Quid autem post Nicomediense postremum aduersus Licinium certamen contigerit Constantino in expugnatione Byzantij, Nicephorus [a] narrat his verbis: Nicomedia soluens Constantinus, bellum eis intulit: Byzantij porro eum ceruicem ei summittere & tributum pendere nollent, procaciterque Romanæ seruitutis iugum excuterent, res ad manus peruenit: ac prælio commisso, sex millia primo in Constantini exercitu, deinde conflictu altero tria alia rursum millia hominum cæsa sunt. Quo fortunæ successu Byzantij sublati, vt copias Romanorum omnes conciderent, dispiciebant. Pauci namque eo tempore cum Imperatore milites eranr, omnibus fere exiguo excepto numero ad præsidium Romanæ ditionis, quòd de Persarum expeditione & incursione nunciatum esset, missis. Vespera diei erat, & Imperator languidus & mæstus, inopia consilij, continuo oculos ad cælum intendit; atque ibi rursum,
B iridem vt Romæ, cum contra Maxentium bellum gereret, scripturam stellarum ordine atque distinctione conformatam vidit, hoc significantem: Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & liberabo te, & glorificabis me. Stupore igitur percitus, rursus oculos in cælos sustulit, & iterum Crucem stellis sicuti antea effigiatam in cælo, & inscriptionem circum eam conspexit, cuius hæc verba erant: In hoc ipso signo hostes omnes vinces. Et confestim in memoriam ei, quæ ante acciderant, venere. Postridie ergo classicum canere iussit, præliumque rursum cum Byzantijs commisit: et quòd trophæum & signum Crucis præferri in acie mandasset; fortiter illos vicit, simulque vrbem ipsam cepit. Victoriæ autem eius trophæum & signum eo loco statuit, vbi nunc porphyretica eius columna in magnam amplitudinem ampliter excurrit.] hucusque Nicephorus. De Byzantijs vero, quàm ægre tulerint semper Romanorum iugum, & quàm munitissima esset vrbs, diutina eius obsidio
C & oppugnatio a Seuero Imperatore olim facta certam fidem faciunt. Liberæ enim conditionis quondam ciuitas ad libertatem consequendam semper aspirare consueuit. Tot autem tantaque de cælestibus visionibus Constantino ibi ostensis a Nicephoro recitatis maluissem ab eodem recentiore auctore antiquorũ testificationibus confirmara. scimus tamen Eusebium in oratione habita de Constantini laudibus constanter affirmare diuinas illi visiones non semel, sed (vt ait) sæpenumero illuxisse.

Quo modo autem, extincto Licinio, sub vno Christiano Imperatore omnes Romani Imperij populi eocuntes rranquillissimo rerum statu potiti sint, Eusebius [b] narrat his verbis: Porro impijs hominibus e medio sublatis, & potestate tyrannica deleta: Mundus de reliquo veluti Solis claritate collustratus fuit: vniuersæque orbis terræ partes, quæ Romanorum parebant ditioni, in vnum coaluerunt: quin etiam dum gentes quæ Orientem occupabant, alteri parti
D adijcerentur, & vno generali principatu tamquam capite quodam totum corpus adornaretur, vnius Imperij potestas per omnes peruasit: illustres præterea lucis ex pietate nascentis splendores, ijs qui antea in tenebris & mortis vmbra consedissent, lætos & serenos dies impertierunt: neque erat vlla amplius præteritorum malorum recordatio: quippe omnes vbique victorem hymnis celebrabant, huiusque conseruatorem solum Deum se agnoscere fatebantur. Iste Imperator vniuerso pietatis genere eximius, & Victor egregius (hanc enim appellarionem cognominis loco, victoriæ sibi a Deo contra hostes & inimicos donatæ, maxime proprie conuenientem inuenit) Orientem recuperauit, & vnum coniunctum cohærentemque principatum, more veteri Romanorum, sibiipsi subiecit: ac non modo Deum omnibus qui in Imperij sui finibus continebantur, palam prædicare cœpit; verum etiam vniuersum Mundum gubernaculis singularis potestatis, quæ Romanorum dirionis erat propria, præclare ad-
E modum administrauit. Malorum porro, quæ antea cunctos mortales oppresserat, metus sublatus fuit; et qui anre fracto animo & demisso fuerunt; hilari vultu, obrutuque læto, alter alterum aspexerunt. Tum choreis & hymnis primum Deum summũ omnium Regem esse prædicarunt, deinde Victorem Constantinum, eiusque filios modestissimos, Deoque caros Cæsares acclamationibus continuis exrulerunt. Erat iam veterum malorum & impietatis cuiusque obliuio, iam suauis præsentium bonorum vsus & delectatio, iam iucunda futurorum expectatio.] hucusque Eusebius.

Quibus vero legibus exulem religionẽ Christianam Constantinus restituerit, Oriẽtalemque Ecclesiã dira persecurione prostratam erexerit, idem auctor fusius enarrar his verbis [c]: Iam apud nos, sicut etiam pridem apud eos qui alteram Orbis partem obtinent, Imperatoris decreta plena humanitaris diuulgata; iam leges, quæ & claram sanctimoniæ erga Deum significationem dare, & non obscura bonorum cuiusque generis indicia cuiusque oculis subijcere videbantur, ueque solum prouincialibus cuiusque nationis ea quæ erant ad vitam acccommodata

[a] Niceph. lib. 7. c. 47.
DE BELLO BYZANTINO, ET CAELESTI VISIONE.

[b] Euseb. Vit. Constantin. lib. 2. c. 19.
IN MONARCHIA CONSTANTINI PAX SVMMA.

[c] Euseb. ibid. c. 20.
CONSTANTINI LEGES PRO CHRISTIANIS.

modata vtiliaque largitæ sunt; sed etiam Dei Ecclesijs, quæ conuenientia putabantur, rite præscripserunt. A

Nam primum omnium illos qui a Præfectis cuiusque prouinciæ, propterea quòd idolis immolare recusauerant, e patriæ finibus pulsi, inq. exilium eiecti fuissent, domum reuocauerunt: deinde eos qui varijs eamdem ob causam essent adiudicati ministerijs, liberarunt; præceperuntque, vt qui fuissent facultatibus spoliati, eas denuo reciperent. Quin etiam qui tempore persecutionis animi tolerantia in tormentis pro Deo perferendis nobilitati, aut metallis excruciandi addicti, aut ad insulas incolendas condemnati, aut ad publica Imperij opera obeunda vi compulsi fuissent, per easdem leges ipsis omnibus miserijs ex insperato fuere liberati. Eos etiam qui propter constantem pietatis confessionem essent de militaris dignitatis gradu deiecti, benignitas Imperatoris ex ea contumelia rursus euocauit, libera optione data vel ædes recipiendi, & prioribus honoris ornamentis potiundi cum dignitate, vel vita tranquilla B
contentis ætatem ab omnibus ministerijs vacuam degendi. Eos item qui fuissent ad muliebria officia seruiliter obeunda, quò dedecore & ignominia afficerentur, condemnati, pari ratione atque ceteros, liberauit. atque ista fuerunt de ijs hominibus, qui incommoda hæc sustinuissent, Imperatoris edicto sancita.

a Euseb. Vit. Cōstantin. lib. 2. c. 21. 22. 23.

QVID DECRETVM DE BONIS CHRISTIANORVM.

De facultatibus autem piorum, qui in persecutione mortem obijssent, definite etiam præscripsit[a] Imperatoris lex. Nam sanctorum Dei martyrum fortunas, qui in fidei confessione supremum vitæ diem egissent, a cognatis possideri præcepit. Quòd si nullus ipsis superesset sanguinis communione coniunctus, vt Ecclesiæ eorum hereditates adirent. Porrò autem quæ bona Christianorum antea in ærarium relata, & ex eo aut venditione aut gratuito ad aliorum vsum abalienata fuissent, quæve in illo ipso adhuc reperta essent, dominis denuo reddi debere, munificum Imperatoris edictum in mandatis dedit. Atque benignæ Imperatoris leges C
passim diuulgatæ non solum Ecclesiæ Dei & populo Christiano tot tantaque beneficia præstiterunt, verum etiam infidelibus populis & cunctis gentibus, alij præterea multitudini prope infinitæ Imperatoris magnificentia elargita est. Vnde omnes, qui in nostris regionibus auditione solum accepissent ea quæ iam antea fuerant in altera parte Romani Imperij gesta; eosque qui istis affecti fuissent beneficijs, beatos putarent, optarentque vt ipsi tandem paribus potirentur; cum eadem ipsis etiam ante oculos versarentur; se quoque in beatorum numero duxerunt: et sunt ingenue confessi, tantum tamq. præclarum Imperatorem tamquam rem quamdam nouam & prope inauditam (qualem nulla ætas, quam Sol viderit aliquando, cognouit) mortali hominum generi apparuisse. Atque isti hoc animo fuerunt.

Postquam vero omnes gentes Dei Patris virtute Imperatori subiectæ fuerunt, bonorum sibi suppeditatorum largitorem omnibus palam prædicauit; eumque victoriarum, quas esset D
consequutus, auctorem, & non seipsum agnoscere, constanter testificatus est: hocque ipsum per edicta, quæ Latinis Græcisque litteris mandata erant, & ad omnes gentes missa, manifesto denunciauit. Atque nostram orationem hac de re institutam veram esse, si in ipsa edicta forte incideris, facile cognoscas licet. Duo quidem erant, alterum Ecclesijs Dei & populo Christiano, alterum populis infidelibus singulas ciuitates incolentibus missum. Quod quidem, vtpote ad præsens argumentum valde accommodatum, hoc loco recitare, consentaneum arbitror, ad eum sane finem, vti eius formula historiæ monumentis prodita maneat, referueturque ad posteritatem: quandoquidem & ad veritatis plurimum, & ad nostræ orationis confirmationem non minus afferre videtur adiumenti. Descripta est enim ex primo exemplari ipsius edicti, auctoritate Imperatoris confirmati, & eius dextera subscripti, eaque tamquam sigillo ad fidem huic nostro sermoni faciendam obsignati; quod quidem exemplar apud nos custoditum est.] edictum autem eiusmodi ponitur[b]: E

b Apud Euseb. in Vit. Constantin. lib. 2. c. 25. vsque ad 41.

EDICTVM CONSTANTINI POST VICTVM LICINIVM.

VICTOR CONSTANTINVS MAX. AVG. PROVINCIALIBVS PALAESTINAE S.

Quamquam erat olim, veterum memoria, apud eos qui recte & sincere de Deo optimo maximo sentiebant, euidens & perspicua differentia, quæ omnem dubitationem longe ab hominum mentibus dispulit, quæq. etiam quantum interfit inter eos qui augustissimam Christi religionem studiose obseruant, & eos qui eamdem oppugnant, atque adeo despicatui ducunt, accurate distinguebat: tamen iam & argumentis illustrioribus, & splendidioribus rebus gestis, tum huius dubitationis inscitia, tum quæ sit præpotẽtis Dei vis perspicue patefit. Quandoquidem hos qui fideliter sanctissimam Christianorum legem & disciplinam colant, nullumque illius præceptum violare audeant, magna bonorum affluentia, & robur firmissimum ad præclaros conatus cum bona spe suscipiendos accommodatum; illos autem qui impia mente

A mente imbuti sunt, euentus etiam ipsorum institutis cōsentanei sequuntur. Quòd si quisquam, qui neque Deum bonorum auctorem agnoscere, neque officia honestati congruentia colere, in animum induxerit, aliquid boni sit consequutus: euenta rerum ab ipso gerendarum fidem orationi nostræ facile facient. Ac si quis superiora tempora hucusque continuata animo percurrat, & priores res gestas acie ingenij contempletur: reperiet, omnes qui fundamentum rerum gerendarum in iustitia & bonitate posuerint, conatus suos ad felicem exitum perduxisse, & tamquam ex suaui quadam radice dulcissimum fructum percepisse: at qui iniqua facinora edere aggressi sint, & nullam piam sanctamque cogitationem erga humanum genus aliquando susceperint; sed homines exilio mulctare, illis contumelias facere, bona publicare, cædes & multa eius generis mala inferre effrenate moliti sint, & neque illos aliquando pœnituerit, neque mentem ad meliora conuerterint; supplicia apposite ipsorum sceleri-
B bus respondentia subijsse. Atque ista neque temere, neque sine ratione eueniunt.

Qui autem animo recte ex iustitiæ regula instituto ad res gerendas se conferunt, & timorem Dei optimi maximi assidue animo complectuntur, & firmam erga ipsum fidem retinent; et errores, periculaque, quæ in præsenti vita obijciuntur, spe illa de rebus futuris ostentata, posteriora ducunt: hi licet ad tempus aduersis rebus & incommodis affligentur; tamen quia pro certo persuasum habent honores sibi multo maiores in posterum reseruatos, casus qui incidunt fortuito neutiquam ægre & grauiter ferunt; sed quo asperioribus diuexantur molestiis, hoc illustriora gloriæ insignia assequuntur. Qui vero iustitiæ norma cum dedecore reiecta, Deum optimum maximum non agnouerint; et eos qui illum sunt fideliter consectati, contumeliæ & supplicio intolerabili obijcere non dubitarint; neque illorum gratia, quibus ob talem causam pœnas irrogassent, se quidem miseros, illos autem felices &
C beatos (vtpote qui, etiam dum tam dira tormenta subibant, pietatem erga Deum firme retinerent) iudicarint: istorum certe copiæ complures conciderunt, multæ in fugam conuersæ sunt, omnis denique bellica expeditio ab his suscepta ad extremam cladem prolapsa.

Ex huiusmodi sceleribus bella pestifera exorta, ex huiusmodi vastitates perniciosæ; inde etiam diminutiones rerum ad vitæ vsus necessariarum, inde malorum eiusmodi nequitiam insequentium multitudo: inde duces tantæ impietatis editi, qui quidem vel extremis ærumnis exantlatis, extremam miseriam perpessi sunt; vel vitam turpissimam degentes, eam postea, cum supplicia suis nequitijs apte & æqualiter conuenientia sustinerent, morte grauiorem esse, facile agnouerunt: nam quo vehementius quisque eorum, temeritate quadam inductus, ad diuinam Christianorum legem & disciplinam expugnandam (sic enim putabat) ve-
D hementius acriusque incubuit, hoc certe plus hausit calamitatis: vsque adeo, vt singulis ipsorum non modo huius vitæ acerbitates, sed etiam grauissimus ille metus suppliciorum, quæ se expectarent apud inferos subituros, maximam sane afferret molestiam. Proinde cum tanta & tam grauis impietas per humanas res permanaret, & Respublica velut a morbo quodam pestifero in periculum funditus intereundi venisset, & ob eam causam magna eaque salutari curatione egeret: quodnam quæso remedium diuinum numen (illud quidem omnino numen putandum, quod solum & reipsa est, & vniuerso temporis spatio satis virium ad opem ferendam in se continet) quod, inquam, remedium, aut quam rationem ad Orbem terrarum ex his malis eripiendum excogitauit? Dicam equidem: quippe beneficia a Deo optimo maximo in nos collata ingenue agnoscere, eaque egregie prædicare, reuera gloriosum est. Deus quidem certe, cum meum ministerium accurate quale esset explorasset; idem-
E que ad ipsius voluntatem explendam idoneum censeret; eodem vtens, & a mari Britannico, illisque partibus, vbi Sol rato cursu confecto, necessario occidit, initium faciens; eximia quadam potentia & virtute omnia mala, quæ homines premebant, profligauit, & e medio prorsus sustulit: adeo vt mea opera ac diligentia tum humanum genus ad cultum augustissimæ legis & disciplinæ reuocatum esset, tum fides sanctissima permagnas, ipso Deo duce, faceret progressiones.

Idcirco cum exploratum habeam, cum hoc ministerium omnium facile præstantissimum mihi tamquam quoddam suæ singularis erga me beneuolentiæ indicium commisisse: non me ipsum dissolutum in eo sedulo exequendo, quo illi gratiam referam, præstabo. Et propterea ad regiones in Oriente sitas (quæ quidem Orbis pars, quo asperioribus calamitatibus implicata tenetur, eo maius firmiusque auxilium a nobis implorat) iter iam suscipere animus est. Quippe vniuersam omnino vitam, & id totum quo spiritū duco, atque adeo omnes animi vires, quæ in intimo pectore insidet, Deo optimo maximo a me deberi, pro certo persuasus sum.

Et quamquam profecto non sum inscius, eos qui spem in rebus cælestibus vere & ex animo ponant, hominum beneuolentia neutiquam indigere; et qui eam in Dei domicilio constanter & firme collocarint, quiq. quo magis se a rerum caducarum fragilitate sceleribusque omnibus seiunxerint, hoc plus dignitatis adepturi sint: tamen graues necessitates ad tempus eorum ceruicibus impositas, & supplicia parum hominum naturæ consentanea, ab eis qui nec culpæ alicuius affines, nec criminis cuiusquam rei sunt, quàm longissime depellere, nostrarum partium in primis esse statuo. An non absurdum est maxime, vt cum eorum animi tolerantia & constans robur, per illos qui sint eos diuini cultus & religionis causa acerrime persecuti, satis explorate cognitum sit, eorum gloria a me, qui Dei obsequio me totum dicauerim, non ad clarissimum augustissimumque splendorem extollatur? A

RELAXATIO DAMNATORVM.

Omnes igitur, siue qui crudelibus Iudicum sententijs subiecti, quibuscumque tēporibus illud ipsis contigerit, patriam cum exilio ideo commutare coacti fuerint, quòd ad honorem erga Deum & fidem, cui totis animæ viribus se consecrauerant, non neglexerunt; siue qui inter Curiæ ministros numerati sunt, cum in eorum numerum non iure fuissent antea relati; omnes, inquam, isti tum patrijs sedibus, tum otio consueto restituti, Deo omnium liberatori gratias agant: siue præterea qui rebus suis fuerint priuati, & fortunarum omnium amissione oppressi, hucusque vitam abiectissimam degerint; isti quoque domicilijs pristinis, familijs, & facultatibus redditi, Dei optimi maximi beneficentia læti fruantur. Quin etiam eos, qui in insulis inuiti detinentur, istius prouisionis & solicitudinis nostræ beneficio potiri mandamus: vt scilicet cum hactenus angustis montium recessibus & maris fluctibus circumiectis vndique conclusi fuerint; iam acerba illa solitudine & a natura hominum penitus alienata liberati, desiderio rerum ab ipsis optatarum satiato, se ad amicissimos recipiant: cumque longo temporis spatio in squallore & sordibus odiosis vixerint, reditum velut prædam repentinam minime expectatam nacti, curis præterea molestijsque in posterum erepti vitam metus expertem sub nostro traducant Imperio: qui quidem, nos Dei famulos esse, & gloriamur, & pro certo persuasi sumus: quiq. ei quod a ratione alienissimum est (præterea cum nostrum sit aliena peccata corrigere) ne aures quidem patefacere debemus, nedum fidem adhibere. B C

Quicumque porro aut ad metalla effodienda condemnati sint, aut ad publicorum operum ministeria obeunda addicti; hi continuis laboribus cum grato otio commutatis, facilius & lenius vitæ genus libera cum potestate agant, immoderatis laborum asperitatibus in placidam animi remissionem conuersis. Atque si qui de libertate, quæ est omnium communis, exciderint, & ignominia affecti fuerint: isti cum solida lætitia priorem dignitatis gradum, tamquam diuturna peregrinatione ab ipsis abalienatum recuperantes, in suam ipsorum patriam mature se recipiant. Illis item, qui iam olim honoribus militaribus donati, ab ijsdem iniusta & iniqua de causa sunt deiecti (nempe quòd confessionem in Deo vere agnoscendo illis dignitatis ornamentis longe prætulerunt) libera detur optio, vel rei militari se dedendi, quo in pristino vitæ modo permaneant; vel cum honorata libertate libere & pro arbitratu vitam degendi. Rectum est enim, & rationi consentaneum, vt qui in periculis ipsis illatis tam egregiam animi magnitudinem ac tolerantiam declarauerint, integram habeant potestatem tum otio, tum dignitate libere, pro animi sui sententia, perfruendi. Porro autem qui nobilitatis suæ amplitudine vi dispoliati, talem quamdam Iudicum sententiam subierunt, vt vel in gynecæa, vel in textrinas intrusi, durum & miserum laborem sustinerent, vel vt cellæ penariæ ministri fierent, quo nihil superior illorum ortus ipsis afferret subsidij: hi quoque honoribus, quibus ante fruebantur, & libertatis beneficio potiti, & ad pristina dignitatis ornamenta restituti, deinceps hilari ac læto animo vitam degant. D E

Qui item de libertate sit in seruitutem datus, quiq. se iniqua & inhumana ciuis alicuius vecordia ministeria ipsi insueta obire coactum esse, secum admodum deploret, & se ipsum pro libero seruum ex improuiso factum intelligat: is in libertatem priorem nostro edicto vindicatus, se parentibus similem efficiat, exerceatque labores libero homine dignos; et cogitationem seruilium illorum munerum parum sibi accommodatorum, quæ antea perpessus fuerit, penitus ex animo deleat. Porro illud nobis videndum est, vt facultates, quibus singuli varijs de criminibus sibi falso obiectis orbati fuerint, restituantur: nempe si qui splendidissimum diuinissimumq. martyrij certamen inuicto & constanti animo sustinuerint, & propterea rerum suarū amissionem tolerarint, & confessores constituti spem perpetuā in cælo sibi compararint. Qui item non modo solum vertere coacti, sed fortunis etiā priuati fuerint, quòd neutiquam fidem prodendo persecutoribus cesserunt: istorum, quotquot vita defuncti sunt,

DE BONIS PROSCRIPTORVM CHRISTIANORVM.

hereditates

A hereditates cognatis impertiri mãdamus. Omnino autem quibus hereditates illæ debeantur, est cognitu perfacile: cum leges, eos qui genere propius accedunt, præcipiant heredes fore; et quòd ratione etiam oportet eos succedere, qui sint domestica consuetudine coniunctiores, constat: præsertim cum illi ipsi martyres non criminis vllius conuicti, sed sua inducti voluntate, mortem oppetiuerint. Quòd si nemo de cognatis superfit, qui vlli vel martyrum, vel confessorum, vel exulum quos diximus, qui eiusmodi de causa solum verterint, heres ratione succedat; vt Ecclesia semper cuiusque loci hereditatem adeat, ratum esto. Neque erit omnino molestum ijs qui decedunt e vita, vt eam, cuius gratia omnes suos labores susceperint, heredem felices assequantur.

Præterea hoc necessario proponi debet, quòd si qui eorum, quos supra memorauimus, aliquid de fortunis suis, quibus visum fuit, donauerint, his possessio iure stabilis & firma per- B manere debeat. Et ne quis error appareat in edicto, sed vt quid vere voluerit, omnibus ad cognoscendum in procliui sit: sciant omnes, si agrum, si domum, si hortum, si quid eorum quæ paulo ante posui, teneant; ipsis & honestum & vtile esse, vt non ea confiteantur solum, sed omni abiecta cunctatione restituant. Quapropter licet maxime videantur quidam ex iniusta illorum possessione maximos fructus cepisse; et nos, vt isti repetantur, minime æquum iudicemus: tamen illi ipsi plane confiteantur, & quos habuerint fructus, & vnde eos collegerint, huiusque peccati veniam sibi a nobis concedi postulent; vt non modo auaritia antegressa, tali adhibita correctione, a nobis remittatur; verum etiam Deus optimus maximus istud pœnitentiæ loco excipiens, benignus & clemens erratis veniam det.

At dixerint fortasse qui huiusmodi facultatum domini (si modo istud nomen in illis valere vel debet, vel potest) facti sunt, excusatione pro se allata, quòd fieri non poterat, C vt se ab illis rebus abstinerent, cum tam varium & multiplex miseriarum cuiusque generis spectaculum palam esset positum: quo quidem tempore extiterunt crebræ perditæque proscriptiones eorum qui nihil commeruissent, eæque temere inconsiderateque factæ, crudeles etiam & insanabiles persecutiones, iniustæ denique facultatum venditiones. Quòd si huiusmodi verbis quidam se defendere contendunt, & admonitiones continuas expectant; ne existiment se illud impune laturos; præsertim cum ista nobis tam sedulo administrentur, quo Deo optimo maximo debitum præstemus obsequium. Quæcumque enim antehac grauis & damnosa necessitas accipere coegerit, ea in præsentiarum retinere, nonnihil periculi habet: ac necessum est, insatiabiles cupiditates omnibus modis, id est rationibus & exemplis imminuere. Neque enim si quid Aerarium earum rerum, quas ante posuimus, possideat; firme retinere, illi liberum erit: immo vero contra sacrosanctas Ecclesias nihil omnino dicere audeat; QVAE CEDANT EX BONIS MARTYRVM ECCLESIIS.
D et quas res ad tempus per iniuriam possederit, eas Ecclesijs iure restituat. Omnia igitur quæ recte vereque ad Ecclesias pertinere videantur, siue domus, siue agri, siue hortus, vel si quæ sunt alia eiusdem generis, quæ in alicuius possessionem venerint; quo ius nullius qui ad Rempublicam, id est ad Ecclesiam spectat, violetur, sed omnia sincera & simplicia maneant; restitui mandamus.

Quin etiam loca illa quæ martyrum corporibus honorata sunt, & Memoriæ gloriosæ illorum e vita discessionis, quis dubitet quin ad Ecclesias spectent? immo vero etiam quis non potius istud præciperet? quippe cum neque munus præstantius sit, neque labor Deo gratior, vel quod plus habeat vtilitatis, quàm diuino spiritu adhortante, in his rebus diligentem operam & studiũ collocare. Quæ etiam iniquis de causis ab improbissimis hominibus ablata fuerint: ea, vt æquitas postulat, restitui, sanctisque denuo Ecclesijs integra reddi, iubemus. Cete- E rum quoniam perfectæ & singularis prouidentiæ est, ne istos quidem silentio præterire, qui aut iusta emptione aliquid ab Aerario acquisiuerint, aut gratum concessum retinuerint, & ad huiusmodi res occupandas cupiditate quadam inexplebili temere ruerint: sciant quicumque fuerint de genere illo, sibi (quamquam harum rerum causa, quas coemere ausi sunt, nostram erga ipsos beneuolentiam maxime abalienare laborarunt) a nobis, quantum ratio commode ferre poterit, benigne prospectum iri.

Hæc igitur hactenus sermone nostro prouecta sint. Verum quoniam virtus Dei omnipotentis euidentissimis argumentis manifestissimisque sese ostendit, cum ad optima cohortando, tum benigne mea causa adeo firma apportando subsidia, vt ijs acerba calamitas, quæ cunctas res humanas antea districtas tenuit, iam ex omni Mundo radijs Solis collustrato, prorsus exempta sit: vniuersi simul & singuli accurata cura & cogitatione circumspicere debetis, qualis tandem illa potestas fuerit, quæ semen (vt ita dicam) perditissimorum hominum delcuerit, labefactaueritque, bonorum autem lætitiam quasi denuo reuocatam in omnes

regiones affatim fuderit, & omnibus concesserit potestatem, tum officia diuinæ legi & disciplinæ consentanea cum omni obseruantia præstandi, tum illis qui se huic consecrauerunt, honesta virtutis munera sedulo excolendi: qui quidem tamquam ex crassa caligine emergentes, quia eximia sunt sacrarum litterarum cognitione imbuti, de cetero debitum cultum erga Deum, & honorem pium, eique congruentem declarabunt.] hactenus Constantini Imperatoris edictum ab Eusebio recitatum. porro non tantum in Palæstinæ prouinciam, vbi ipse agebat, atque descripsit, sed per totum fuisse promulgatum Orientem, ditionemque omnem Licinio olim subiectam, certissimum est: cum quos æqua persecutio afflixisset atque prostrasset, par quoque beneficium subleuare atque erigere debuisset. A

De tempore autem eiusmodi promulgationis edicti; non est qui iure dubitare possit, tunc editū esse, cum prorsus debellato Licinio, vnà cum victoria toto Orbi Orientali optata diu pax Ecclesiæ primum illuxit. Quod vero ad locum pertinet; ne quis errore ducatur, vt existimet illud esse datum in Occidente, cum reuersus est, eo quòd in eodem (vt dictum est) idem testetur Imperator se habere in animo proficisci in Orientem: nam positus ipse in Thracia vel Bithynia Boreali Orbis parte, instituens profectionem in Asiam atque Syriam, iure se in Orientem profecturum, vsitato more esse loquutus, apparet. Id quidem sic accipiendum esse, eiusdem Constantini Imperatoris verba declarant in ea epistola, quam eodem plane anno, vt dicemus, scripsit ad Alexandrum & Arium, eamq. Eusebius recitat, vbi hæc verba leguntur [a]: Non ita pridem ad Nicomediensium ciuitatem aduentans, extemplo iter versus Orientem mature facere constituebam. Ac me quidem ad vos citato gradu properantem, cum maiorem itineris partem confecissem, & prope iam vobiscum esse viderer, litterarum istarum nuncius in contrariam partem compulsit, ne oculis ea videre cogerer, quæ ne auribus quidem tolerare me posse, plane existimabam.] hæc ipse, quando auditis Ecclesiasticis dissensionibus in Orientali Ecclesia occasione Arij cōcitatis, eo proficisci induxit in animum. At de his agemus inferius, huius anni extremo loco. hoc namque tantum anno, & fortasse sequentis exordio, Constantinus constitit in Oriente: inde enim recedens mense Aprilis Sirmij in Pannonia, Augusti vero mense Romæ egisse, data ab eodem rescripta significant. sed de his inferius. B C

[a] Apud Euseb. in Vit. Constantin. lib. 2. c. 70.

IDOLOLATRIAE PESSVNDATIO.

Sunt hæc plane illa tempora optatissima ac felicissima Christianis, cum Episcopi suis singuli Ecclesijs restituti egregiam nauarunt operam, vt idolorum cultum prorsus abolerēt, & vnam veram sanctamque religionem Christianam quàm latissime propagarent. Et haud dubium, eosdem qui ijsdem locis præfecti essent, vbi Christiani plurimum abundarent, & longe numero plures essent, quàm Gentiles ibi degentes, in delubra deorum inieciffe manus, & idola in eis posita demolitos esse. Hæc quidem vnius Nicolai Myræ in Lycia ciuitatis Episcopi magni nominis exemplo, de reliquis quoque opinari posse, conceditur. sic enim habent ipsius Acta [b] antiquitus scripta de promulgato a Cōstātino decreto, quo ipse Nicolaus, solutis vinculis, quibus religionis Christi causa detinebatur in carcere, liberatus est: Cum hoc ergo decretum omnem eius Imperio subiectam comprehendisset regionem, in suam patriam reuertebantur omnes Christi confessores. Suum itaque Nicolaum Pontificem ciuitas suscepit Myrensium, instituto quidem ac voluntate martyrem, & incruentum victorem. Ille autem a Deo datis omni ex parte florens donis & morbos omnes curabat, & fuit breui clarus & gloriosus non solum apud Fideles, sed etiam apud multos infideles, habebaturque in omnium animis in maiori admiratione quàm quæ possit verbis exprimi. Et ideo cum videret adhuc restare multas aras simulacrorum, & magnam dæmonum cateruam in eis habitare, & non paucos perdere ex Myrensibus: diuino zelo animo incensus, exurgit fortissime, & omnem illorum obiens regionem, si in aliquam aram aliquando incidisset, humi deijciebat, & in puluerem comminuebat: et sic procul expellens dæmonum multitudinem, effecit vt grex pace tranquilla frueretur. D E

[b] Recitat Metaphrast. die 6. Decemb.

NICOLAVS DEMOLITVR IDOLA.

Cum sic bellum gereret Sanctus aduersus spiritus improbitatis, fit quædam a superis inspiratio & diuinior cogitatio, vt ne a Dianæ quidem templo abstineret, sed ipsum quoque aggrederetur, & ei idem faceret quod prioribus: erat enim id & pulchritudine admirabile, & alia superans magnitudine, & iucundissimum dæmonibus habitaculum. Cum ergo maior aduersus hoc templum eum subijsset impetus, isque iuuenilior & acrior esset: non solum diruit omnia quæ super terram eminebant, & ea humi deiecit; sed etiam totum conuulsit ab ipsis fundamentis: et ad summum templi quidem quæ erant in aere sublimia, humi deiecit; quæ autem erant sub terra, proiecit in aerem. Mali vero dæmones ne aduenientem quidem Sanctum vllo modo poterant sustinere, sed etiā vocem emittebant, fugien-

A tes; et affirmabant se ab ipso magna affici iniuria, & inuitos a rebus suis excedere.] hucusque de Nicolai huius temporis rebus gestis. Reliqua vero eius Acta, quæ ad Annales Ecclesiasticos spectare noscuntur, certis annis, suis locis inferius consignabimus, ab alijs abstinentes, quæ omnibus prope perspicua, nostri instituti quoque terminos videntur excedere. Quod autem pertinet ad studia Christianorum in comminuendis idolis; ad statuas quoque Imperatorum persecutorum excidendas eadē progressa sunt, & præcipue in simulacta Maximini, qui omnium acerbissimā, quarum esset memoria, persecutionē in Oriente excitarat; cuius (inquit Gregorius Nazianzenus [a]) signa plagæque ob eam rem acceptæ imagines & statuæ ferunt, publice adhuc prostantes, fœdamque corporis mutilationem sempiterna infamia notantes.] hæc ipse. Sed iam inchoatam ab Eusebio orationē de Cōstantini legibus prosequamur [b]: ait enim:

a Greg. Nazianzen. orat. 1. in Iulian.
b Euseb. Vit. Cōstantin. lib. 2. c. 42.

B Istud primum Imperatoris edictum ad nos missum ista præcepit. Statim vero, quæ lege fuere scripta, reipsa processerunt: et omnia contraria ijs, quæ paulo ante a crudelibus tyrannis patrata fuissent, gesta sunt: Imperatorisque beneficijs potiebantur ij, quibus ea tribui, lege sancitum fuit.] ita Eusebius. Sed qui mox subsequutus his temporibus fuerit Orientalis Ecclesiæ status, dicendum est.

Cùm iam ex victoria Constantini, editisque ab eo pro pietate legibus superius recitatis fulgentissimus illuxisset illi (vt dictum est) pacis radius: hostis humani generis, quòd sibi ex animo accidisse sensetat in Ecclesia Occidentali, cum per eumdem Constantinum collocata Ecclesia in summa pace, gloria, atque splendore, eam schismate scindere ac turpiter labefactare conatus est, dum per Donatistas in Africa schismaticos turbas pene incredibiles cōcitauit; idem plane iniens consilium, eadem & arma sumens, tanta Christi gloria liuore tabescēs, incensum semel in Ario ignem impietatis, valido flatu perflans, vehementes inde flammas

ARIVS TVRBAT PACEM ECCLESIAE.

C eduxit, quæ non solum Aegyptum ac Libyam, sed longe lateque diffusæ, atque expansæ vndique, omnes propemodū Orientis Ecclesias inflammarent. Qui enim olim (vt demonstrauimus suo loco superius) accensus ex Arij hæresi in Aegypto ignis erat, ipso ab Alexandro Episcopo Alexandrino e presbyterij loco summoto, etsi non penitus extinctus, compressus tamen nonnihil videri poterat, & superueniente eodem tempore persecutione Licinij, consopitus, idem intus vehementioribus ardoribus æstuans, mox vt licuit, reddita per Constantinum Ecclesiæ pace, validioribus flammis erupit, Ethnæ instar, immēsos ignium globos euomens.

De his enim post recitatas dictas litteras Constantini Eusebius [c] agens hæc ait: Talem sermonem Imperator tāquam eximius Dei præco prouincialibus omnibus per litteras suas communicauit, quo subiectos sibi tum a diabolico errore depelleret, tum ad verum Dei cultum sectandum exhortaretur. Ad quem ijs rebus iam egregie nobilitatum rumor de tumultu

c Euseb. Vit. Cōstantin. lib. 2. c. 60.

D quodam non exiguo illo quidem in Ecclesijs concitato perlatus est: cuius auditione perculsus, ei cœpit remedium cogitare. Tumultus ille talis fuit: Dum populus Dei gloriabatur, rerumq. honestarum actionibus sese efferebat; metusque qui extrinsecus aliquid molestiarum facessebat, erat ablatus; et Ecclesia illustri quadam (vt ita dicam) & tranquilla pace vndique cœpta muniebatur: inuidia nostris bonis insidias struens, callide irrepsit, inque media Episcoporum frequentia primum tripudiare cœpit, eosque diuinorum decretorum discutiendorum causa in seditionis coniecit certamen, deinde quasi ab exigua scintilla ingens incendium excitauit.

Quod quidem ab Ecclesia Alexandrina, tamquam e summo capite (nempe Orientalis Ecclesiæ) exorsum, omnem Aegyptum, Libyam, & Thebaida deinceps peragrauit. Iam vero per reliquas prouincias & ciuitates eo vsque diffudit sese, vti non modo Ecclesiarum Præsides

E verborum contumelijs se mutuo concidere, sed etiam reliquorum hominum multitudinem diuerse distractam (dum hi in istorum, illi in aliorum sententiam inclinarent) cernere licuisset. Eo porro turpitudinis rerum gestarum spectaculum prolabebatur, vt iam in medijs infidelium theatris sacrosancta diuinæ nostræ doctrinæ instituta turpissimi ludibrij notam subirent. Nonnulli in ipsa Alexandria de summis religionis Christianæ mysterijs iuueniliter & incōsulte digladiari: alij per vniuersam Aegyptum & superiorem Thebaidem de controuersia quadam iampridem inter ipsos concitata decertare cœperunt (erant hi Meletiani, de quibus plura superius) adeo vt vbique Ecclesiæ in varias partes dirimerentur. Et quoniam vniuersum Ecclesiæ corpus his rebus laborabat, tum vehementer tota Libya ijsdem afflictata fuit, tum reliquæ exterarum prouinciarum partes pariter in morbi societatem venerunt. Nam qui Alexandriæ diffidebant, ad Episcopos aliarum prouinciarum, alij ad alios Legatos mittebant: illi autem in alterutram partem diuulsi, simili seditionis flamma incendebantur.] hæc Eusebius.

QVA OCCASIONE AVCTA ARII HAERESIS.

Antequàm autem reliqua ab ipso his annexa tractemus: quænam fuerint eiusmodi legationes, quas ab vtraque parte missas ait, in medium adducamus. Exutus (vt suo loco dictum est) Arius ab Alexandro Episcopo Alexandrino munere quo fungebatur presbyteratus, atque tam ipso, quàm socijs ipsius, in Concilio Alexandrino centum Episcoporum, excommunicatis, cum Alexandriæ nihilominus (vt demonstratum est ex Epiphanio) longo tempore permansisset, tandem ab eo extra vrbem quoque eiectus est; qui tantum abfuit, vt sic humiliatus quieuerit, quin maiores turbas in Dei Ecclesiam concitarit: nam profectus in Palæstinam, ab Eusebio Cæsariēsi, ac Paulino Tyri, & Patrophilo Scythopolitano per Legatos petit, licere sibi vna cum suis publicos, vt agebat Alexandriæ, conuentus agere. illi cum alijs Episcopis in Palæstina in vnum congregati postulationi Arij suffragati sunt: iusseruntque, vt primum ipsi inter se conuentus quidem agerent, sed interim studerent pacem inire cum Alexandro, cui & se subijcerent. sed hæc pluribus Sozomenus [a]. A B

ARIVS PVLSVS ABIIT IN PALAESTINAM.

a Sozom. lib. 1. c. 54. in fin.

At nec his acquieuit Arius, qui maiori fretus potentia, grauiores tumultus excitat, vsus vafer ingenio, & callidus in actionibus potentissimo administro Eusebio Episcopo Nicomediensi, suis moribus non impare, & impietate nulli secundo, forensiq. potentia (vt videbatur) omnium principe; quippe qui insinuauerat se in amicitiam Constantiæ Augustæ Constantini sororis; de quo hæc Socrates [b]: Quamquam multi alij peruersa Arij opinione & errore implicati tenebantur: Eusebius tamen (non Cæsariensis ille, sed alter qui fuerat Ecclesiæ Berytiensis Episcopus, id temporis autem ad Episcopatum Nicomediæ vrbis Bithyniæ callide arrepserat) illi cum primis mordicus adhæsit. Quæ cum accepisset Alexander (hic erat Episcopus Alexandrinus) resque gestas oculis cerneret, iracundia cœpit excandescere: ac Concilio multorum Episcoporum conuocato, Arium & eius opinionis fautores presbyterij gradu abdicat; qua de re ad Episcopos cuiusque ciuitatis scripsit ad hunc modum, &c.] C

b Socrat. hist. lib. 1. c. 3.

CONSPIRAT ARIVS CVM EVSEBIO.

Verum quod dicit de abdicatione a presbyterio & excommunicatione; id antea accidisse, superius dictum est: nam litteræ quas recitat, non ex eo Concilio datæ sunt, sed postquàm excommunicatis Ario atque Arianis, Eusebius Nicomediensis palam impudenterque patrocinium illorum suscepit, prout eædem litteræ Alexandri, quas recitat Socrates, declarant his verbis: Ario igitur & eius fautoribus, qui ista asserunt, & de eisdem tam impudenti ore loquuntur, vna cum illis qui eius opinioni assentiuntur, nos cum alijs fere centum Aegypti & Libyæ Episcopis in vnum conuenientes, anathema denunciauimus. Ceterum Eusebius eos ad se admittit, operamque sedulo dat, vt mendacium cum veritate, & cum pietate impietatem commisceat, &c.] Ecce tibi (vt demonstratum est) tunc apparet ab Alexādro dictas scriptas fuisse litteras, cum iam illi antea excommunicati ad Eusebium confugerant, ille ad se eos admiserat, & pro illis impigre laborabat. Hæc autem ad rectam rationem temporis consignandam sint dicta. D

Quod vero ad Arium pertinet (de his enim in primis agendū est) quasnam litteras tum ipse scripserit ad Eusebiū, recitāt eas Epiphanius [c] & Theodoretus [d], ex quo ipsas describimus:

c Epiph. hæres. 69.

d Theodoret. lib. 1. c. 5.

ARII LITTERAE AD EVSEBIVM.

Eusebio domino suo amantissimo, homini Dei fidei, orthodoxo, Arius, quem Alexander Papa iniuste insectatur ob veritatem, quæ vincit omnia, & quam tu strenue propugnas, in Domino S.

Cum pater meus Ammonius Nicomediam iter faceret, officij mei ratio postulare videbatur, vt te per eum compellarem, simulque etiam amorem tibi insitum & beneuolum animum, quo fratres propter Deum & Christum eius complecti soles, tibi in memoriam propterea reuocarem, quòd Episcopus Alexander grauiter nos oppugnare, persequi, & omnem, vt dicitur, rudentem contra nos mouere cœperit, eo quidem animo, vt nos velut homines impios a ciuitate ideo expellat, quòd ei minime assentimur publice prædicanti in hunc modum: Semper Deus, semper Filius: simul Pater, simul Filius: simul cum Deo Patre ingenito Filius est, semper genitus est, ab ingenito genitus est: et tamen neque cogitatione, neque indiuiduo aliquo temporis puncto Deus Pater Filium antegressus est: sed semper Deus Pater, semper Filius: ex ipso Deo Patre existit Filius. Ac quoniam Eusebius frater tuus Episcopus Cæsareæ, Theodotus, Paulinus, Athanasius, Gregorius, Aetius, & omnes denique Orientales affirmant Deum Patrem Filium sine principio antegressum: anathema illis denunciatum est, exceptis solum Philogonio Hellanico, & Macario hæreticis, qui de fide minus recte instituti sunt, quorum vnus Filium eructationem, alter productionem, tertius eum vna cum Patre ingenitum asserit. quas impietates ne audire quidem possumus, etiam si hæretici mille mortes nobis minarentur. E

Nos autem, quæ sit nostra sententia, sensusque, & docuimus, & docemus: Filium nimirum neque

A neque ingenitum esse, neque Patrem ingeniti vllo modo, neque ex vllo subiecto, sed voluntate & consilio ante tempora & ante sæcula plenum Deum extitisse, vnigenitum, immutabilem; et antequàm gigneretur, aut conderetur, aut præfiniretur, aut fundaretur, non fuisse: nam ingenitus non erat. Exagitamur igitur, quòd Filium principium habere, Deum Patrem carere principio, dicimus. Atque tum hac de causa, tum quòd dicimus eum ex nihilo constare, nos persequuntur aduersarij. Istud vero sic ideo asseruimus, quòd non sit pars Dei Patris, neque ex vllo subiecto existat. Hac de re nos insectantur: nosti tu ipse cetera. Te, Eusebi, qui non immemor es nostrarum afflictationum, quiq. vere Collucianista es, opto in Domino valere plurimum.] hucusque Arius ad Eusebium.

Quarumnam autem ciuitatum Episcopi fuerint, quos secũ sentire Arius gloriatur, Theodoretus [a] subdit his verbis: In numero eorum, quos iste recensuit, erat Eusebius Episcopus Cæsareæ, Laodiceæ Theodotus, Paulinus Tyri, Anazarbi Athanasius, Gregorius Berythi, & Aetius Lyddæ Episcopus: est autem Lydda ciuitas, quæ etiam vocatur Diospolis.] hæc Theodoretus. Sed & totum Orientem secum sentire, mendaciter gloriabatur Arius, omnesq. suos habuisse communicatores, præter quos recensuit, Philogonium Episcopum Antiochiæ, Macarium Hierosolymitanum, & Hellanicum Episcopum Tripolis. Porro quod dicit nominatis Episcopis suæ factionis anathema ab Alexandro dictum esse: non sic accipiendum est, vt eos singulos nominatim idem Antistes perculerit excommunicationis sententia; sed cum Alexander in ipsum Arium eiusque fautores intorserit anathema, ipsos pariter ea sententia astrictos esse dicebat, prouocans ea quoque via odium multorum in Alexandrum. Verum cum extent litteræ ipsius Alexandri, quibus nominatim fautores Arij expressi habentur, & nulla de recensitis superius mentio reperiatur: in eam cogimur ire sententiam, dictos

a Theodoret. lib. 1. c. 5.

B EPISCOPI ARIO SENTIENTES.

C Episcopos haud palam, sicut Eusebium Nicomediæ, fuisse cognitos impios Alexandro, nec, vt illum, adeo impudenter in certaminis campum progressos esse, ijs præsertim rerum exordijs, cum ab Alexandro Ariana hæresis impugnabatur.

Scripsisse autem hæc Arium, cum profectus esset in Palæstinam, & explorasset voluntatem assentientium sibi Episcoporum, existimandum est. Quam quidem epistolam cum accepisset Eusebius, impigre negotium curat; et quem videbat Paulinum Episcopum Tyri, licet cum Ario sentientem, haud tamen audentem scriptis prodere quod sentiret, vt fecerat Eusebius Palæstinæ; ad eumdem, vt propugnaret totis viribus impietatem cohortans, scribit his verbis, ipse quoque (vt ait Theodoretus [b]) impietatis suæ virus euomens:

b Theodoret lib. 1. c. 5. 6.

Neque studium domini mei Eusebij pro veritatis defensione susceptum, neque tua de eadem re, domine mi Pauline, reticentia, in silentio quidem iacet: sed ad nostras vsque aures

EVSEBIVS NICOMEDIAE QVID AD PAVLINVM TYRI.

D vtrumque perlatum est. Atque vti plane erat consentaneum, de Eusebio quidem domino meo magnam lætitiam, de te autem dolorem non mediocrem accepimus; præsertim cum coniectura augurare mur, huiusmodi viri silẽtio nos prorsus causa casuros esse. Quapropter obsecro te, vt cum scias, quàm virum prudentem dedeceat, ea quæ sunt a veritate aliena tueri; quæ autem vera, ea reticere: ad scribendum, vbi rationem spiritu diuino ad eam rem præparaueris, reponas de hac quidem materia, quæ & tibi possit esse & tuis auditoribus emolumento; præsertim si sacram scripturam, & verborum illius & sententiarum quasi vestigia sedulo sequens, ad scribendum animum induxeris.

Neque enim de duobus ingenitis nos audiuimus, neque vnum in duo diuisum, neque illud, vllam corpoream affectionem subijsse didicimus, credimusve, domine mi Pauline, sed vnum ingenitum, vnum ex eo vere, sed non ex substantia eius genitum, naturæ ingeniti omnino &

E eius essentiæ expers: atque quod genitum erat, natura & facultate prorsus diuersum, factum tamen ad perfectam affectionis & facultatis procreatoris similitudinem: cuius principium non modo non posse verbis exprimi, sed ne cogitatione quidem, non dicam humana, sed ne eorum quidem omnium, qui longe supra hominem putandi sunt, comprehendi credimus. Atque ista sane non e nostris rationibus deprompta esse, sed ex sacris litteris nos didicisse, affirmamus: indeq. cognouisse, Filium essentia sua conditum, fundatum, genitum, natura esse immutabili, inexplicabiliq. & similitudine procreatoris sui, vt ipse Dominus ait [c]: Deus condidit me in initio viarum suarum, & ante sæcula fundauit me, & ante omnes colles genuit me.

c Prouerb. 8.

Quòd si Filius ex parte est, hoc est velut pars ipsius, vel vt ex fluxione essentiæ: quod si ita esset, neque conditus, neque fundatus amplius diceretur: quod te reuera, domine Pauline, minime fugit. Nam illud quod existit ab ingenito, non amplius vel ab alio, vel ab eodem condi aut fundari potest, cum sit ab initio ingenitum. Quòd si, quia genitus dicitur, indicio vlli sit, quòd ex paterna essentia genitus est, & quòd ex eo habeat eamdem cum eo naturam:

pro certo scimus, Scripturam non de eo solo, sed de alijs rebus omnino natura disparibus hanc vocem, Genitum, vsurpare solere: nam de hominibus quoque sic loquitur [a]: Filios genui, & exaltaui, & ipsi spreuerunt me. et rursum [b]: Deum, qui te genuit, dereliquisti. alio item loco sic ait [c]: Quis est qui genuit stillas roris? Quibus in locis non naturam ex natura procreatam ostendit, sed singulas res genitas ex voluntate ipsius ortum habuisse. Nam nihil ex eius substantia gignitur: sed vnumquodque voluntate eius genitum, sicut genitum est, existit. Ipse enim Deus est: illa autem quæ sunt ad similitudinem eius creata, Verbo illius similia futura sunt, & ipsius voluntate genita, omniaq. per ipsum a Deo Patre facta sunt, omnia denique ex Deo. Quas rationes cum acceperis, easque pro gratia, quæ tibi diuinitus suppetit, expolieris: fac vt domino meo Alexandro scribas: nam persuasum habeo, si ad illum scripseris, te eum de sententia deducturum. Saluta omnes fratres in Domino. Diuina gratia te, vt pro nobis ores, domine mi, diu valentem seruet.] hactenus Eusebius Nicomediensis ad Paulinum Tyri Episcopum. A B

a Isai. 1. b Deuter. 32. c Iob 38.

Præstitisse autem id quod postulauit ab eo Eusebius, Paulinum, opinamur; sicut constat fecisse alios superius nominatos Episcopos, nempe Eusebium Cæsareæ Palestinæ, & Athanasium Episcopum Anazarbi, S. Athanasio [d] idipsum testante. Porro Eusebij Cæsariensis ad Alexandrum litterarum fragmenta recitantur in Nicæno Concilio secundo [e], his primum verbis, dum Eusebius multis testificationibus patronus Arij demonstratur: Simili modo & in epistola ad beatum Alexandrum magistrum & doctorem Athanasij, cuius initium: Quanto labore & diligentia in has litteras inciderim (hic apertissime blasphemans sic ait) Arium eiusq. studiosos accusant hæ litteræ, quòd Filium ex non ente, instar vnius omnium factum esse dixerint. Illi vero epistolium attulerunt quod ad te scripserunt, in quo fidem suam exponentes, his verbis confitentur quæ sentiunt: Legis, Prophetarum, & noui Testamenti Deum ante sempiterna sæcula sibi Filium vnigenitum generasse, per quem & sæcula & omnia fecit. Generasse autem non videtur, sed in veritate propriæ voluntati substituisse immutabilem & inalterabilem creaturam Dei perfectam, verumtamen non vt vnam creaturarum. Tua vero epistola accusat eos, quasi dixerint, quòd Filius factus, tamquam vnus omnium; cum tamen hoc non dixerint, sed aperte pronuncient, non vt vnam creaturarum. Vide ne dederis statim illis occasionem, vt ea etiam calumnientur, & assumant quæcumque voluerint. Iterum accusas eos, quòd dixerint, quòd qui est, non existentem genuit. Miror sane si quispiam aliter dicere poterit. Nam si vnus est qui est; manifestum est, quòd ex eo genitū est omne quod est, estq. id post illum. Si vero qui est, non vnus sit; sed & Filius sit, qui est: quo modo eum qui est, qui est genuit? Sic enim qui est, duo fuerint. Et hæc quidem Eusebius ad gloriosum Alexandrum. Feruntur eius ad eumdem gloriosum virum & aliæ epistolæ, in quibus variæ sunt blasphemiæ, dum Arium defendere conatur. Eodem modo in epistola ad [*] Euphrasionem blasphemus est. initium eius epistolæ est: Domino meo cum omni gratia confiteor, &c. Non enim Filium Patri coexistere dicimus, sed Patrem ante Filium fuisse] et reliqua, quæ in ea sunt scripta, atque in dicta Synodo recitata: vbi idem Eusebius in aliam altissimam erroris foueam demersus fuisse, ex suis ipsius scriptis ibidem demonstratur. At de Eusebio alias pluribus. C D

d Athanas. lib. de Synod. Arian. e Nican. Concil. secund. Act. 6. EVSEBII CAESAREAE EPISC. DOCTRINA IMPIA. * Euphranorem

Sed & Athanasium Anazarbenum fauentē Ario, pro eo scripsisse ad eumdem Alexādrum Episcopum Alexandrinum, S. Athanasius [f] testatur his verbis: Athanasius ex Anazarbo hæresin adhuc nudius retexit, vnum ex centum illis ouibus Filium Dei appellans. In scriptis enim suis ad Episcopum Alexandrum ausus est dicere: Quid obtrectas Arianis? si dicunt, ex non entibus Filium, vt creaturam, conditum esse? vnumq. ex terum vniuersitate esse? nam ille vnus est ex centum ouibus, quæ per parabolam repræsentant omnes res creatas, &c.] et post nonnulla de eo loquutus, hæc idem Athanasius de Georgio Episcopo Laodiceno, qui ad eumdem Alexandrum pro Ario scripsit: Georgius vero, qui nunc Laodiceæ est, & per id tempus presbyter Alexandrinus erat, & Antiochiæ commorabatur, ita ad Alexandrum Episcopum scripsit: Conquereris de Ario, cum dicit: Erat quando non erat Filius. certe Esaias filius fuit Amos, Amosq. prius fuit quàm gigneretur Esaias, &c.] Hi igitur & alij ex nominatis vehementissime patrocinati causæ Arij ad Alexandrum scripsere. E

ATHANASIVS ANAZARBI EPISC. ARIANVS. f Athan. lib. de Synod. Arian.

Verum & idem ipse Arius, atque qui cum eo erant clerici Alexandrini, itemq. ex Aegypto & Libya Episcopi litteras scripserunt ad eumdem Alexandrum, turpiter mentientes, se prædicare doctrinam, quam a maioribus accepissent, & ab ipsomet Alexandro publice docente audissent: idq. totum eo consilio molientes, vt omnium in eumdem inuidiam concitarent. Recitat eas Epiphanius [g] sic dicens:

ARIANI QVA ARTE PRAETEXVNT HAERESIN. g Epiphan. hæres. 69.

Beato

A Beato Papæ & Episcopo nostro Alexandro presbyteri & diaconi in Domino gaudium.

Fides nostra ex maioribus ac progenitoribus nostris, quam etiam a te didicimus, beate Papa, hæc est. Nouimus vnum Deum solum ingenitum, solum sempiternum, solum sine principio, solum bonum, solum immortalitatem habentem, solum sapientem, solum summū, solum Dominum, solum iudicem omnium, gubernatorem, œconomum, immutabilem, & inalterabilem, iustum, & bonum, legis, Prophetarum, ac noui Testamenti. Hunc Deum genuisse Filium vnigenitum ante tempora æterna, per quem & sæcula & reliqua fecit: genuisse autem non in apparentia, sed veritate; substitisse vero propria voluntate immutabilem, & inalterabilem, creaturam Dei perfectam, sed non velut vnam ex creaturis; fœturam, sed non velut vnam ex fœturis siue genituris; neque velut Valentinus, emissionem, fœturam, siue genituram Patris asseruit; neque sicut Manichæus, partem coessentialem Patris, fœturam introduxit; neque
B sicut Sabellius, qui vnitatem diuidens, Filium Patrem dixit; neque velut Hierax, lucernam a lucerna, aut facem in duas: neque prius existentem, postea genitum, aut creatum esse in Filium, quemadmodum etiam tu ipse beate Papa in media Ecclesia ac consessu eos qui talia introduxerunt refutasti: sed sicut dicimus voluntate Dei ante tempora & ante sæcula creatum esse, & viuere, ac esse a Patre accepisse, ita vt Pater simul substituerit ipsi glorias. Non enim Pater, data ipsi omnium hereditate, priuauit seipsum, vt ne ingenito modo habeat in seipso: fons enim est omnium.

Quare tres sunt substantiæ, Pater, Filius, & Spiritussanctus: et Deus quidem causa omnium existens, est sine principio solus; Filius autem sine tempore genitus a Patre, & ante sæcula creatus ac fundatus, non erat antequàm gigneretur, sed sine tempore ante omnia genitus, solus a solo Patre substitit. Neque enim est sempiternus, aut consempiternus, aut coin-
C genitus Patri; neque simul cum Patre ipsum esse habet, velut quidam de his, quæ ad aliquid appellantur, dicunt, duo ingenita principia introducentes. Sed sicut vnitas & principium omnium, ita Deus præ omnibus est: quapropter & ante Christum est, velut a te didicimus in media Ecclesia prædicante. In quantum igitur a Deo ipsum esse habet ac viuere, qui & glorias & omnia ipsi exhibuit; iuxta hoc principium ipsius est Deus. Principium enim ipsius est, velut Deus ipsius, & qui ante ipsum est, eo quòd ex seipso est. Et si illud: Ex vtero: et hoc: Ex Patre exiui, & venio: velut pars coessentialis, & velut emissio a quibusdam intelligitur: compositus erit Pater, & diuisibilis, & mutabilis, & corpus secundum ipsos, & quæ ad corpus consequuntur patiens incorporeus Deus, quantum sane in ipsis est. Opto te valere in Domino beate Papa. Arius, Eithales, Achillas, Carponas, Sarmatas presbyteri: Euzoius, Lucius, Iulius, Menas, Helladius, Gaius diaconi: Episcopi, Secundus Pentapolis, Theonas Libs fidelis,
D quem constituerunt in Alexandria Ariani.] hucusque Arij & collegarum epistola ad Alexandrum.

Huius autem tanti viri labores pro Filij Dei diuinitate tuenda suscepti, haud fuerunt eiusmodi, quos quis facile cogitatione, nedū scriptis, assequi posset: vnde merito de eo hæc Athanasius[a]: Quòd si res quoque nostri temporis contemplandæ sunt: nostis quo modo beatus Alexander vsque ad mortem contra hãc hæresin depugnarit, & quot tribulationes, quantosq. labores, quamquam iam senex, in decrepita ætate sustinuerit; qui & ipse ad Patres suos oppositus est.] hæc ille. Equidem erigens primus omnium vexillum Catholicæ confessionis, & ante alios prima acie pugnans, primus excepit ab impijs intorta iacula impietatis. Quòd igitur dictæ litteræ cum ab Ario, tum ab alijs hæresis eiusdem patronis sic ad ipsum Alexandrum sint scriptæ, vt tamen earum exemplaria essent encyclica, ac longe lateque vbique cunctis pa-
E lam innotescerent: opus fuit eidem Alexandro contrarias illis pariter reddere litteras circulares; quas omnes ab eo conscriptas numero fuisse septuaginta, Epiphanius[b] tradit, cum agit de fuga Arij in Palæstinam: Quo, inquit, cum peruenisset, singulos Episcopos adijt cum blanditijs & adulatione, vt sibi multos faceret cooperatores: et suscipiunt quidem ipsum aliqui, alij vero repulerunt. Postea vero ad aures Episcopi Alexandri deuenit, & scribit epistolas encyclicas, hoc est orbiculares, siue per circuitum, quæ sane apud studiosos adhuc seruantur, omnes numero septuaginta, &c.]

ALEXANDRI EPISC. ALEX. LABORES PRO FIDE TVENDA.

[a] Athanas. orat. 1. cōtra Arian.

[b] Epiphan. hæres. 69.

Porro constat in primis eumdem Alexandrum de ijs quæ ab ipso gesta essent cōtra Arium scripsisse litteras ad primariæ sedis Episcopum Siluestrum Romanum Pontificem, quæ omnino perierunt, viget tantum earum memoria in Liberij Papæ[c] epistola ad Constantium Imperatorem, in qua hæc habentur: Manent litteræ Alexandri Episcopi olim ad Siluestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significat, ante ordinationem Athanasij, vndecim tam presbyteros, quàm etiam diacones, quòd Arij hæresin sequerentur, se Ecclesia eiecisse, &c.] hæc ibi.

ALEXANDER AD SILVESTRVM PAPAM DE ARIO.

[c] Extat tom. 9. Bibliothec. sanct.

Quo

Quo modo autem Siluester de ijs admonitus, ad componendas hasce controuersias legauit Osium Episcopum Cordubensem, clarissimum fama virum, & Constantino (vt vidimus) probe notum, dicemus suo loco. A

Ex numero autem septuaginta illarum Alexandri epistolarum duæ tantummodo a temporis iniuria vindicatæ supersunt, quarum alteram recitat Socrates[a]; alteram Theodoretus[b] historiæ, quam scripsit, intexuit. Quæ vero a Socrate recitatur, est huiusmodi:

a Socrat. lib. 1. c. 3.
b Theodoret. lib. 1. c. 4.

ALEXANDRI EPISTOLA ENCYCLICA.

Carissimis honoratissimisq. fratribus, qui vbique gentium sunt nobiscum in Ecclesiæ ministerio coniuncti, salutem.

Cum in sacris litteris sit vnum corpus Ecclesiæ Catholicæ nobis traditum, & præceptum vt concordiæ ac pacis vinculum firmum teneamus: consentaneum est, vti per litteras colloquamur inter vos, alijq. alios mutuo de rebus, quæ apud singulos geruntur, certiores faciamus: quo siue vnum ex membris patitur, siue lætatur, nos inter nos vel patiamur vna, vel vna lætemur. In nostra quidem prouincia prodierunt iam viri, qui leges rescindunt, Christum ipsum impugnant, animos hominum ad defectionem (quæ quidem prænuncia & quasi præcursor Antichristi, non sine causa, & existimari & appellari possit) docere nituntur. Ac mihi certe in animo erat de illo facinore penitus reticuisse, vt eius labes, si quo modo fieri potuisset, inter illos solum qui ab Ecclesia desciuerant, deleri quiuisset; ne in alia loca euagata simplicium quorumdam aures suis sordibus inficeret. Verum quoniam Eusebius, qui nunc Nicomediæ Episcopus est, quiq. totum Ecclesiæ statum in sua manu positum arbitratur; cum a nemine, quòd Ecclesiam Beryti deseruerit, quòdq. oculos cupiditatis atque ambitionis suæ ad Episcopatum Ecclesiæ Nicomediensis obtinendum adiecerit, in se animaduersum esse videat; istorum etiam, qui ab Ecclesia defecerunt, patrocinium suscipit; et ad omnes, qui vbique gentium sunt, litteras scribere conatur, eosq. in ijsdem commendat plurimum, quo imperitos quosdam in grauissimam hæresin Christoq. penitus aduersariam rapiat: necesse habeo, idque sententia quadam, quæ in Lege scripta est, inductus, silentium rumpere, remq. vobis omnibus indicare; quo non modo eos qui defecerunt a Christo, execrabiliaq. verba, quæ illorum hæresis vsurpat, cognoscatis; verum etiam si forte Eusebius litteras scripserit, ad eas animos minime attendatis: nam inueteratam suam maleuolentiam silentio ad tempus obrutam iam per istos renouare studet: et licet simulatione quadam præseferat eorum causa litteras scribere, re tamen ipsa declarat perspicue se in rem suam serio istud ipsum agere.] habes, lector, ex sententia Episcopi Alexandrini, non Arium, sed Eusebium Nicomediensem Episcopum, fuisse primum Arianæ impietatis fautorem: vt non mireris, si sæpe contingat, eosdem quos dicimus Arianos, ab antiquis Patribus esse dictos, Eusebianos. B C

QVI PRIMI EXTITERINT ARIANI.

Sed rursum epistola: Qui autem defecerunt ab Ecclesia, sunt, Arius, Achillas, Aeithales, Carponas, Arius alter, Sarmatas, Euzoius, Lucius, Iulianus, Menas, Helladius, Gaius, Secundus item, & Theonas, qui dicti sunt olim Episcopi. Quænam vero isti contra Scripturas excogitarint, temereq. effutiuerint, sic accipitote: Deum non semper Patrem fuisse; sed tempus aliquando extitisse, cum Deus non esset Pater: Non ab æterno Verbum Dei fuisse, sed ex nihilo ortum esse: nam Deum, qui est, eum cum non erat, ex eo quod non est, procreasse; et propterea tempus fuisse aliquando, cum non esset. Creatum enim & factum esse Filium; neque essentia Patri similem, neque natura verum Patris Verbum, neque veram eius Sapientiam esse, sed per abusionem Verbum & Sapientiam dici: ipsum factum esse proprio Dei Verbo & Sapientia, quæ in Deo est, per quam cum cetera omnia, tum illum ipsum fecit Deus.] Vides plane ex his, Arium sensisse, aliud esse Dei Verbum, aliud Dei Filium, quem vult non esse Verbum, sed qui sit factus per Verbum, ipseq. nonnisi abusiue sit Verbum. Ad hæc spectat, quòd Athanasius postquàm plura Verba Dei poni ab Arianis demonstrauit, sic ait[c]: At illi porro, quin sit Dei Verbum, non inficiantur, sed id pro Dei Filio non agnoscunt, &c.] aliud nimirum iactantes esse Filium Dei Christum a Verbo Dei. Et Ambrosius[d] eamdem sugillans sententiam: Nonnulli etiam, inquit, aliud Dei Verbum, alium verum Dei Filium crediderunt.] sed hæc ijdem Patres pluribus. D E

c Athanas. contra heres. Arian. decret.

DEI VERBVM NON VNICVM AB ARIANIS PONI.

d Ambros. de incarnat. Dom. c. 6.

Verum subdit epistola de eadem falsa sententia de Filio Dei: Et ob eam causam posse natura sua conuerti, & mutari, sicut animantia omnia ratione vtentia: Verbum esse peregrinum, alienum, & seiunctum a Sapientia Dei: Patrem a Filio minime explicari posse; nam Filium neque Patrem plane & accurate cognoscere, neque exquisite cernere posse. Etenim suam ipsius essentiam, vt est, Filium non percipere; quippe Filium nostra causa factum esse, vt Deus per ipsum tamquam per instrumentum nos crearet: neque extitisse aliquando, nisi Deus nos creare in animum induxisset.] cum enim negare non posset Arius, per Verbum omnia facta esse, sic Filium

A sic Filium Dei Verbũ esse asserebat, vt tamen per Verbum aliud factũ esse diceret. Plura namq.
Verba excogitasse Arium, & sua cantilena occini voluisse, idem qui supra Athanasius tradit,
cum ait [a]: Arius in suis cantiunculis & Conuiuialium libro per speciem subdubitandi fabula- [a] *Athanas. in decret. Nicen. Synod. contra haeres. Arian.*
tur: Multa (inquiens) Verba profert Deus. Quodnam igitur ex istis Verbis Filium & Verbum
vnigenitum Patris esse recipiemus?] Rursus Alexander: Quæsitum est igitur ab illis, vtrum
Dei Verbum posset mutari, quemadmodum diabolus mutatus est. Et non veriti sunt respon-
dere: Certe potest. Cum enim & gigni & mutari possit, eius naturam posse mutari.

Ario igitur & eius fautoribus, qui ista asserunt, & de ijsdem tam impudenti ore loquuntur, ANATHEMA IN ARIVM ET ARIANOS.
vna cum illis qui eius opinioni assentiuntur, nos cum alijs fere centum Aegypti & Libyæ Epi-
scopis in vnum conuenientes, anathema denunciauimus. Ceterum Eusebius eos ad se ad-
mittit, operamq. sedulo dat, vt mendacium cum veritate, & cum pietate impietatem commi-
B sceat. Verum ad hoc præstandum non satis habet virium. Nam vincit veritas, & nulla est
societas luci cum tenebris, nulla consensio Christi cum Belial. Quis enim vmquam talia au-
diuit? Aut quis est, qui si iam audiret, non ea tamquam insolita & peregrina obstupesceret,
auresq. obturaret, ne eiusmodi verborum sordes in audiendi sensum illaberentur? Aut quis
est, qui cum Ioannem audiat dicentem [b]: In principio erat Verbum: non istos condemnauerit [b] *Ioan.1.*
dicentes: Erat tempus aliquando, cum non esset? Aut quis est, qui cum audiat in Euangelio:
Vnigenitus Filius: et, Per ipsum facta sunt omnia: non istos odio habuerit, affirmantes Fi-
lium vnam esse ex creaturis? Aut qui poterit ipse esse similis illarum rerum, quæ per ipsum fa-
ctæ sunt? Aut quemadmodum vnigenitus, si (vt illorum fert opinio) cum alijs rebus vniuer-
sis numeretur? Aut quo modo ex nihilo factus est, cum Pater dicat [c]: Eructauit cor meum [c] *Psalm.44.*
Verbum bonum: et [d], Ex vtero ante Luciferum genui te? Aut qua ratione essentia Patri dispar [d] *Psalm. 109.*
C ac dissimilis, cum sit perfecta imago & splendor Patris [e]; cumq. ipse dicat [f]: Qui videt me, vi- [e] *Hebr.1.*
det & Patrem? [f] *Ioan.14.*

Aut quo pacto si Verbum & Sapientia sit Dei Filius, erat tempus aliquando cum non es- ARIANAE HAERESIS CONFVTATIO.
set? nam perinde est, ac si diceret, Deum aliquando & Verbo & Sapientia caruisse. Aut quo
pacto conuerti mutarive potest, cum ita loquatur de se [g]: Ego in Patre, & Pater in me est. et: [g] *Ioan.14.*
Ego [h] & Pater vnum sumus. et per Prophetam [i] etiam: Videte me, quia ego sum Deus, & [h] *Ioan.10.*
non mutor? Et quamquam hoc dictum ad ipsum Patrem referri potest: tamen aptius & magis [i] *Malach.3.*
proprie de Filio Verbo iam dicitur, quòd cum sit homo factus, non mutatus est; sed vt Apo-
stolus [k] ait: Christus heri, & hodie, idem ipse & in sæcula. Quid igitur illos in hanc perduxit [k] *Hebr.13.*
sententiam, eum scilicet propter nos factum esse; cum tamen Paulus scribat [l]: Propter quem [l] *1. Corinth.8.*
omnia, & per quem omnia?

D Quod autem falso calumniati sunt, Filium non plene & perfecte Patrem nouisse; nemini mi-
rum videri debet: nam cum semel statuissent contra Christum bellum gerere, reiecerunt peni-
tus voces ipsius Domini dicentis [m]: Sicut nouit me Pater, & ego cognosco Patrem. Quòd si ex [m] *Ioan.10.*
parte Pater cognoscit Filium: perspicuum est, Filium etiam ex parte Patrem cognoscere. Ve-
rum si hoc dictu nefas est, & Pater plene Filium cognoscit: constat, quòd sicut Pater cognoscit
suum ipsius Verbum, sic & Verbum suum ipsius Patrem cognoscit, cuius est Verbum. Cete-
rum quamquam ista recensendo, atque adeo sacras & diuinas scripturas aperte explanando,
eos sæpenumero conuicimus: tamen illi rursus velut chameleontes sese mutant; dictumq. illud
Sapientis [n] in sua ipsorum capita torquere magnopere contendunt, videlicet: Impium, cum in [n] *Prouerb.18.*
profundum malorum venerit, contemnere. Ac tametsi complures certe hæreses ante illorum
ætatem exortæ erant, quæ quidem extra modum audacia euagatæ ad extremam dementiam
E sunt tandem prolapsæ: isti tamen qui omni suo sermone Verbi diuinitatem tollere moliuntur,
vtpote ad Antichristi tempora propius accedentes, illas hæreses præ suorum errorum impie-
tate iustas esse quodammodo declarant.

Quapropter illis Ecclesia interdictum est, atque adeo anathema denunciatum. Et quam-
quam de eorum exitio permagnum animis dolorem capimus, & maxime quòd Ecclesiæ insti-
tuta aliquando agnouerant, iamq. ab illis exciderunt: de illis tamen non magnopere miramur:
idem namque non Hymenæo solum & Phileto contigerat, sed Iudæ etiam ante illos, qui Sal-
uatoris discipulus fuit, postea autem proditor & desertor illius factus. Atque istarum rerum
neutiquam ignari extitimus: Dominus enim prædixerat [o]: Videte ne quis vos seducat: nam [o] *Luc.21.*
multi venient in nomine meo dicentes [p]: Ego sum. et, Tempus appropinquauit, & multos se- [p] *Matth.24. Marc.13.*
ducent, ne eatis post illos: Paulus [q] etiam cum ista a Saluatore didicisset, scripsit, quòd in no- [q] *1. Timoth.4.*
uissimis temporibus quidam deficerent a fide sana, attendentes spiritibus erroris & doctrinis
dæmoniorum veritatem auersantium.

Iam

ADMONITIO DE CAVENDO ARIO ET ARIANIS.

Iam vero cum & Saluator noster Iesus Christus hoc præceperit, & per Apostolum de eiusmodi hominibus significarit: nos certe quoniam illorum impietatem nostris ipsorum auribus accepimus, non sine causa eius generis hominibus, sicut antea diximus, anathema denunciauimus, eosq. ab Ecclesia Catholica fideq. alienos palam declarauimus: vestramq. pietatem fecimus certiorem, carissimi & honoratissimi fratres, qui estis nobiscum in Ecclesiæ ministerio coniuncti: vt si forte quidam ex illis temeritate impulsi ad vos venire non vereantur, ne eos admittatis, neve Eusebio, vel alteri cuipiam, qui eorum causa ad vos scribat, omnino attendatis. Nam par est, vt nos qui sumus Christiani, omnes qui contra Christum loquantur, animoq. sint ab eo abalienato, tamquam Dei hostes & corruptores animorum deuitemus: neque id genus hominibus (sicut præcepit beatus Ioannes [a]) vel, Aue, dicamus; ne quando illorum peccatis communicemus. Salutate qui apud vos sunt fratres. Qui mecum sunt, vos itidem salutant.] hactenus epistola encyclica Alexandri, quam & libellum illum esse existimamus, cui subscripsisse alios Catholicos Episcopos, ab eodem Alexandro in alijs encyclicis litteris memoriæ proditum est: vt appareat, has ante alias fuisse conscriptas: sed de illis suo loco agemus. Addit prӕterea Socrates [b] quæ sunt deinde subsequuta. A B

a Ioan. 2.

b Socrat. eodem lib. 1. c. 3.

CONTENTIONES INTER EPISCOPOS CAVSA ARII.

Cum Alexander litteras huiusmodi ad Episcopos passim in singulis ciuitatibus scripsisset: latius propterea serpebat malum, quòd hi qui erant de illis litteris certiores facti, contentionis & discordiæ incendijs inter ipsos conflagrare cœperunt: nam alij litteris suffragari, iisdemq. subscribere; alij penitus aduersari: maxime vero omnium Eusebius Nicomediensis Episcopus ad dissensionem incitari, quòd Alexãder eius nomen suis litteris grauius perstrinxerat. Atque id temporis Eusebius plurimum poterat, quòd tunc Nicomediæ, vbi Diocletianus paulo ante Palatium ædificauerat, Imperator versabatur: ob quam causam multi Episcopi Eusebij paruere sententiæ. Is autem tametsi ad Alexandrum litteras scribere non destitit, vt controuersiam inter ipsos ortam missam faceret, Ariumq. cum suis in Ecclesia reciperet: alios tamen, qui alias quasque ciuitates incolebant, cohortatus est, vt Alexandri voluntati prorsus refragarentur. Vnde tumultus ingens nusquam non concitatus est. Nam videre licebat, non modo Ecclesiarum Præsides maledicis & contumeliosis verbis alium ab alio vexatos, verum etiam populi multitudinem in duas partes diremptam, quarum altera in horum, altera in illorum sententiam inclinauit. Itaque res est eo sceleris & turpitudinis prolapsa, vt Christiana religio palam in ipsis theatris omnium irrisione luderetur. Ab his vero qui Alexandriæ habitabant, de summis religionis nostræ dogmatibus iuueniliter & non absque petulantia certatum est: ab iisdem ad reliquos cuiusque prouinciæ Episcopos missa legatio. Isti in alterutram partem diuisi, non dissimilem contentionem excitarunt.] hæc Socrates. 10 C

ALEXANDRI ALIA EPISTOLA ENCYCLICA.

Alexander autem cum a Catholicis Episcopis diuersarum prouinciarum, nempe Aegypti, Thebaidis, Libyæ, Pentapolis, Syriæ, Lyciæ, Pamphiliæ, Asiæ, Cappadociæ, & aliarum quoque his finitimarum prouinciarum, aduersus Arium scriptas accepisset epistolas, iidemq. contra Arianos conscripto libello fidei subscripsissent: optans hæc eadem præstari a reliquis, encyclicam rursus aliam scripsit epistolam, cui & exemplaria dictarum epistolarum adiunxit, deditq. eas Apioni diacono perferendas, eorumdemq. Episcoporum appositas libello fidei subscriptiones. Extat eiusmodi epistola circularis Alexandri; recitat illam Theodoretus ad verbum: quæ licet, vt præsefert titulus, ad Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum data dicatur; apparet tamen ex iis quæ eadem epistola continentur, ipsam inscriptionem ab aliquo superadditam, minusq. eiusdem auctoris esse germanam: siquidem in ea præsefert auctor, se non ad vnum Episcopum, sed ad plures eas litteras scribere, vtpote encyclicas. Rursum vero cum has constet scriptas esse litteras, antequàm Constantinus Imperator ad ipsum Alexandrum & Arium suas, quas proxime recitaturi sumus, dedisset; atque liqueat illas ipsas ab eodem hoc anno datas, quo ad Prouinciales recitatas superius litteras scripsit (nam in vtrisque de instituta ab ipso Constantino profectione in Orientem mentio habetur:) falsa esse omnino conuincitur illa in titulo apposita nomenclatura, qua dicitur Alexander Episcopus Constantinopolitanus; cum nondum, sed post multos annos (vt demonstrabimus) Byzantium fuerit in Constantinopolim commutatum. Equidem puto inde erroris occasionem fluxisse, quòd cum eadem epistola (vt dictum est) fuerit communis ad omnes Episcopos, eiusdem ab ipso descriptæ exemplar, vt par erat, inter Alexandri Episcopi Constantinopolitani monumenta repertum, eo titulo fuerit pariter consignatum. Sed missis his, reddamus hic eas litteras saltem ex parte, cum multa in iis habeant consideratione maxime digna. sunt vero huiusmodi: D E

c Theodoret. lib. 1. c. 4.

Est [c] quidem propositũ hominibus improbis, in quorum animis inexplebilis honoris & pecuniæ cupiditas insita est; vt Ecclesijs, quæ videntur plus habere dignitatis, ex occulto insidientur:

A dientur: qui per varias & multiplices vias sinceram Ecclesiæ pietatem oppugnare non cessant. Nam impulsu diaboli, qui vim suam in eorum animis exercet, in furorem acti, ad voluptates, quæ forte se offerunt, feruntur præcipites; atque ab omni pietate refugientes, timorem diuini iudicij proterunt. De quibus ego, qui inde non parum acceperim incommodi, necesse habui vestræ pietati significare, vt id genus hominis sedulo deuitetis; ne forte quisquam illorum audacia fretus, vel per seipsum (præstigiatoribus enim numquam deest ad fraudem faciendam simulatio) vel per litteras, quæ erant ita lepide & eleganter aspersæ, vt hominem qui simplici ac sinceræ fidei se addixerit, a veritate abstrahant, in vestras Ecclesias erroris sui imprimat vestigia. Nam Arius & Achillas nuper facta coniuratione, dum Colluthi ambitionem imitari studebant, eum in eo vitiositatis genere longe superarunt. Ille enim quamquam eas ipsas res, quas isti, coarguere conabatur; tamen improbi sui instituti causam saltem simulatam habuisse visus est: hi autem cum illius nundinationem, qua Christum ipsum vendidit, animaduerterent, non amplius Ecclesiæ legibus subiecti esse sustinuerunt; sed speluncis latronum sibi constructis, conuentus in illis sine intermissione agere, noctes diesq. Christo & nobis maledice obtrectare, omnem Apostolicam & piam doctrinam criminari, simulatione Iudaica officinam ad Christum oppugnandum instruere, diuinitatem Saluatoris nostri inficiari, eum ceteris hominibus nihilo præstantiorem prædicare; vocibusq. omnibus quæ pro eius salutari in carne œconomia & abiectione sui nostra causa suscepta, ex sacris litteris selectis, eiusdem impiam suam prædicationem corroborare; et verba, quibus æterna eius diuinitas & gloria vnà cum Patre ineffabilis cõfirmatur, aduersari nituntur. Quippe impiam Gentilium & Iudæorum de Christo opinionem defendentes, suam ipsorum laudem (quantum fieri potest) venari, & in quibus eis ludibrio sumus, omnia enixe consectari student. DE ARIO ET ARIANA HAERESI ADMONITIO ALEXANDRI.

B

C Seditiones porro in nos quotidie concitare, graues ciere persecutiones, & interdum lites per mulierculарum impurarum sermones, quas ipsi in fraudem impulerunt, intendere. Non numquam religionem Christianam, suas tenellas meretriculas per singulas plateas turpiter circumducentes, grauissimis contumelijs afficere. quin etiam inconsutam & indissolubilem Christi tunicam, quam tortores noluerunt discindere, hi discerpere non dubitarunt.] Quas hic Alexander tenellas Arianorum meretriculas nominat, erant hæ illæ septuaginta professæ virgines Ecclesiæ Alexandrinæ, quas (vt vidimus ex Epiphanio [a]) Arius seduxit, ac circumduxit. At quos non pellexisset hisce deliciarum illecebris perditissimus hæresiarcha, virginum examina circumducens? sed rursum Alexander: ARII MERETRICVLAE. [a] Epiphan. hæres. 69.

Nos igitur, sicut scelerata eorum vita & conatus execrabilis postulat, suffragijs omnium tandem, licet sero propter rei ignorationem, id sumus aggressi: Ecclesia, quæ Christi diuinitatem sancte adorat, eiecimus. Itaque hi circumcursare hac illac, quo nobis obtrectent; deflectere ad collegas nobiscum in eadem fide consentientes; specie quidam pacis & concordiæ simulata, veniam petere præseferre; sed reuera moliri, vt per sermonis lenocinia nonnullos eorum in sui morbi contagionem pertrahant: litteras quoque ab illis blandiores petere, vt coram ijs, quos errore implicarint, eas deprauate legentes, suæ prolapsionis impœnitentes reddant, iam ad impietatem assuefactos, quasi Episcopos suæ sententiæ & opinionis consentientes haberent. Non enim confiteri volunt ea quæ tam nefarie impieq. apud nos cum docuerunt, tum fecerunt, quorum gratia Ecclesia pulsi sunt, sed vel silentio tegere, vel partim sermonibus commenticijs, litteris partim veteratorie scriptis obscurare nituntur, quo eos dolo deludant. Quapropter colloquijs tum probabilitate tum facetijs dicacibus refertis perniciosam suam doctrinam tamquam velis obtendentes, hominem simplicem & fraudi expositum, in suum errorem rapiunt: quin etiam ab nostræ sanctæ piæq. religioni apud omnes obtrectando haudquaquam se abstinent. Vnde fit, vt nonnulli, qui eorum litteris subscribunt, in Ecclesiam recipiantur: quod factum mea quidem sententia maximam infamiæ notam nostris collegis, qui illud ausi sunt, inusit: qui non modo id, quod canon Apostolicus permisit, non faciunt; sed conatum eorum contra Christum plane diabolicum, qui illis inest, vehementiorem efficiunt.]

D

E

Quem citat Alexander Apostolicum canonem, plane cognoscitur esse trigesimustertius ordine, quo præcipitur, ne clerici a suo Episcopo excommunicati, ab alio Episcopo recipiantur. cuius hæc sunt verba: Si quis presbyter aut diaconus per Episcopum a cõmunione exclusus sit: hunc neutiquam ab alio fas esto suscipi, quàm ab eo qui ipsum a communione exclusit: nisi forte Episcopus, qui ipsum a communione segregauit, defunctus fit.] hæc Apostolicus canon, quem nouit quoque Nicænum [b] Magnum Concilium, eumdem confirmans atque declarans, cum sic statuit: Seruetur & ista sententia, vt hi qui ab alijs excommunicantur, APOSTOLICVS CANON CITATVS AB ALEXANDRO. [b] Nicæn. Concil. c. 5.

ab alijs ad communionem non recipiantur, &c.] vt plane appareat, sanctissimos Patres eiusmodi lege iterum repetita communire voluisse Ecclesiam Dei; qua semel in Ario & Arianis contempta, patuisse constat humani generis hosti ad eam inuadendam atque perdendam latissimam viam. rursus autem idem Apostolicus canon repetitus habetur in a Concilio Antiocheno. Hæc vero ad auctoritatem antiquorum Apostolicorum canonum comprobandam dicta sunto, de quorum fide secundo Annalium Tomo prolixiorem habuimus orationem. A

a Conc. Antioch. c. 6.

His autem Alexander hæc addit: Quocirca fratres carissimi, abiecta cunctatione, ingenij mei vires, quo istorum infidelitatem vobis significarem, excitaui, qui asserunt tempus aliquando fuisse, cum non esset Filius Dei, &c.] positiones Arianorum recenset, non obuelato lenocinio verborum, sed prout ab ijsdem Alexandriæ commorantibus ex ore eorum acceperat; longioremq. texit aduersus easdem disputationem, quam lectori apud Theodoretum ipsum inspiciendam relinquimus; ne hic eadem sæpius repetendo, illi ex nimia satietate fastidium ingeramus. Post igitur patefactas & confutatas Arij & Arianorum impias circa Christi diuinitatem sententias, hæc de ijsdem subdit Arianis: B

Verum quamuis de hac re multa habeam dicere, carissimi fratres: tamen ea missa propterea facio, quòd absurdum putem, doctores fidei doctrina consentientes pluribus admonere: quippe cum ipsi sitis docti a Deo, & non ignoretis tum Ebionis, tum Artemæ doctrinam, quæ non ita pridem veram Ecclesiæ pietatem oppugnare cœpit, tum pestiferum studium Pauli Samosateni Episcopi Antiochiæ, qui Concilio omnium vbique Episcoporum, atque adeo iudicio, Ecclesia eiectus est: cuius peruersæ doctrinæ Lucianus successor factus, multorum annorum spatio, hoc est tantisper dum tres Episcopi alius post alium Ecclesiam illam rexere, exclusus ab Ecclesia mansit.] hæc dum scribit Alexander de Luciano; cum multa sint a nobis de eodem conscripta tum in Notis ad Romanum Martyrologium, tum superius cum de eius martyrio prolixius actum est, quæ sanctissimi martyris vitam ab omni hæresis labe prorsus liberam fuisse declarant: modo autem cur hæc de eo dicendi Alexandro occasio data sit, est exactius disquirendum. C

LVCIANVS MARTYR A SVSPICIONE HAERESIS VINDICATVR.

Meminisse itaque in primis debemus, quæ a nobis superius dicta sunt eidem Luciano Antiocheno presbytero contigisse, quæ nuper acciderant Dionysio Alexandrino: vterque nâque aduersus Sabellianos certamen iniit: Lucianus enim Pancratium Antiochenæ Ecclesiæ presbyterum Sabellianæ hæresi addictum infestissimum habuit aduersarium: ac proinde accidit, sicut Dionysius Sabellium vrgens, ita iste Pancratium Sabellianum exagitans, visi vt sint ambo prima facie ipsorum doctrinam spectantibus, & eius sensum haud penitus assequentibus, in contrariam partem paulo licentius inclinasse, atque personas distinguentes in sanctissima Trinitate, quodammodo ipsam quoque substantiam separasse. At sicut Dionysio illi (quod pluribus diximus secundo Annalium Tomo) ea de causa negotium est exhibitum ab Episcopis Libyæ; adeo vt causam deferri oportuerit ad Romanum Pontificem eiusdem nominis Dionysium, a quo inspecta accuratius veritate fuit penitus absolutus atque omni suspicione purgatus: ita & Lucianus pariter eadem ex causa exagitatus (quod testatur Alexander) a tribus sibi inuicem succedentibus Episcopis Antiochenis, ab ijsdem fuit ex Ecclesia simul eiectus: quod haud dubium ab alijs sibi aduersantibus Episcopis Dionysius quoque passus esset, si licuisset eis, inconsulta prima sede, secundum dignitate damnare Alexandrinum Episcopum. D

DIONYSII ET LVCIANI PAR CAVSA.

Sed quid accidit? Dum suam Lucianus causam agens, scriptis sæpe libellis fidei, suam integritatem, sinceramq. fidem Catholicam omnibus conatur reddere manifestam: persecutione Maximini, dolo aduersarij Sabelliani hæretici, interceptus (quod eiusdem martyrij Acta declarant) summa cum laude martyrium consummans, magnam est inde gloriam consequutus: qua abusi complures eius discipuli iam errore lapsi, Arianam hæresin consectantes, magistri gloria exultantes, seipsos (vt ex litteris Arij vidimus) Collucianistas nominabant, turpiter mentientes, ea se docere, quæ accepissent a Luciano. Qua de causa Alexander, cum res adhuc recens esset (nam nouissimo persecutionis tempore ille martyrio est vita perfunctus) inexploratis adhuc lucubrationibus Luciani, quod ferebat fama, ipsorum Arianorum vbique ore vulgata, vehementius in eum iusto zelo commotus, ea quæ vidimus, de ipso testatus est. E

Ceterum scriptis Luciani percognitis, ipsisq. præsertim libellis fidei, quos Hieronymus eum scripsisse tradit b, exactius disquisitis, tantum abest vt de violata fide Catholica negotium aliquod factum eidem fuerit, vt Alexandri ipsius successor Athanasius c (quod superius dictum est) eum digno præconio celebret. Sed & cum idem ipse Athanasius Arianæ hæresis principia repetit, numquam Luciani mentionem vel leuem habet, sed Pauli Samosateni. Et cum etiam multæ

b Hieron. de script. Eccles. in Luciano.
c Athanas. de Synod. Arian. & alijs in locis.

A multæ altercationes, mutuæq. disceptationes inter Catholicos & Arianos circa Nicæni Concilij tempora intercesserint, a nullo tamen Arianorum apparet fuisse Luciani citata sententia veræ fidei aduersaria. certe quidem non abstinuissent, si nobilissimi martyris, tunc temporis Helenæ Augustæ munificentia vbique celebris, potuissent vel vno verbo suam hæresin confirmare. Accidit vero postea, vt ex Nicæno Concilio stabilita fidei Catholicæ forma, cum Ariani causa penitus cecidissent, multo tempore interlapso, fauore Constantij pugnam ijdem denuo instaurantes, refossa quædam fuerit ab eis Luciani fidei formula: quam ediderunt in Concilio Antiocheno Arianorum opera conuocato; cum tamen se detestari Arium præseferrent, ea arte, vt Nicænum Concilium abrogarent, nomenq. Consubstantialitatis omnino proscriberent, in reliquis cum Catholicis consensuri.

Sed quænam hæc esset Luciani fidei professio, Sozomenus [a] narrat his verbis: At vero cum B eos istius formulæ postea, vt est verisimile, pœniteret: aliam præterea rursum ediderunt, quæ in alijs quidem rebus, mea quidem sententia, fidei Nicæni Concilij (nisi quidam forte sensus a me minime intellectus in verbis obscure inclusus sit) penitus consentit, sed his verbis, Filium Patri consubstantialem esse, reiectis. Pro illis, Eius diuinitatem nec conuerti posse, nec mutari; dixerunt, Eumq. essentiæ, consilij, potentiæ, & gloriæ Patris conformem imaginem esse, & primogenitum omnis creaturæ. Hanc fidei formulam his verbis scriptam dixerunt se comperisse Luciani fuisse formulam, viri spectatissimi, & in sanctis litteris summe eruditi, qui Nicomediæ martyrio occubuit. Vera ne ista sint, an propriam ac suam fidei formulam titulo martyris insignire laborarint, non habeo equidem dicere.] hæc Sozomenus: eadem quoque Nicephorus [b], qui eamdem Luciani formulam integram recitat. Sed esto Luciani sit ipsissima: quid habet (quod & Sozomenus intellexit) nisi quod fides Nicæna prædi- C cat? Quòd etsi cauillari Ariani potuerũt, non idem esse dicere, Filium imaginẽ substantiæ Dei, atque ipsam diuinam substantiam: certe quidem ante Nicænum Concilium nihil præterea exigebatur a Fidelibus. Quod autẽ postea additum est ab eodem Nicæno Concilio verbum, Consubstantiale, ad nouam hæresin emergentem confutandam fuit appositum. Sic itaque nihil est quòd de fide violata Lucianus a quopiam iure in crimen adduci potuerit. Cum vero plures fidei formulas a Luciano scriptas esse testetur S. Hieronymus [c]: alias sane hac deteriores minime fuisse, par est credere: nam eas Ariani libentissime in suæ hæresis testimonium protulissent. At de his modo satis.

Margin: LVCIANI FIDEI REGVLA QVALIS. — a Sozom. lib. 3. c. 5. — b Niceph. lib. 9. c. 5. — c Hieron. de scriptor. Eccles. in Luciano.

Sed rursus hæc suis litteris Alexander [d] de Arianis: Istorum hæreticorum impietatis feces, hi qui modo in lucem editi, Filium Dei ex nihilo ortum asserunt (quippe sunt velut stolones occulti ex illis nascentes) animis hauserunt: Arium dico, Achillam, & reliquam improborum D illis adhærentium turbam: quin etiam tres Episcopos in Syria, nescio quo modo ordinatos: qui quoniam istorum errores suo consensu approbarunt; videntur eorum amentiam, velut facibus nouis admotis, magis incendisse. In quos quidem accurate inquirendi potestas vestro iudicio permissa est.] Inter hos tres Syriæ Episcopos Ario inhærentes, puto adnumeratum Eusebium Cæsariensem Syriæ Palæstinæ Episcopum: verisimile enim videtur non nisi malis artibus arripuisse Episcopatum tam nobilis Ecclesiæ, totius Syriæ Palæstinæ metropolis, qui tempore persecutionis timore pœnæ (quod suo loco dictum est superius) excidisset a fide.

Margin: d Apud Theodoret. lib. 1. c. 4.

Post hæc vero Alexander cum de captiosis eorumdem hæreticorum in citandis diuinæ scripturæ locis, ac subdolis artibus, multa loquutus esset, hæc de ipsorum arrogantia subdit: Qui etiam neminem volunt ex antiquis Patribus sibi comparari; neque illis, quibus nos ab ineun- E te ætate vsi sumus præceptoribus, se pares existimari sinunt; immo vero ne vnum quidem collegarum nostrorum, vel ad mediocrem sapientiam peruenisse censent; sed se solos sapientes, solos egestatem voluntariam sectantes, solos dogmatum inuentores, & sibi solis ea doctrinæ patefacta esse mysteria, quæ in nullius vmquam sub Sole cogitationem in mentem venerint, arbitrantur. O impiam arrogantiam, o insaniam immensam, o inanem gloriam cum furore coniunctam, o spiritus plane satanicos, qui impijs eorum animis velut callum malitiæ obduxere. Non diuina veterum scripturarum claritas vllum ipsis inussit pudorem: non consentiens collegarum & pia de Christo doctrina eorum audaciam repressit: quorum scelus nefarium ne dæmones quidem (quippe qui sedulo caueant, ne vllam omnino maledicam & contumeliosam vocem contra Filium Dei eloquantur) omnino ferre videntur.] hæc quidem Alexander; qui dum Arianorum effigiem viuis hisce coloribus reddit, omnium plane Nouantium hæreticorum veram certamque imaginem repræsentat: vt plane appareat, vultu simillimos, fratres esse germanos, qui eodem sunt geniti ex patre diabolo [e], atque vni eos

Margin: ARIANORVM ARROGANTIA. — e Ioan. 8.

parere domino, nempe illi, qui est Rex super omnes filios superbiæ, eiusdémq. legibus viuere, A
a Apocal.17. atque denique idem impietatis insigne expressum in fronte gestare bestiæ characterem [a].

RVRSVM DE ARIANIS ALEXANDER.

At rursum de ipsis hæc Alexander: Ista a nobis pro virili nostra parte in præsentia allata sunt ad eos coarguendos, qui in tam inepta contra Christum disputandi materia tamquam in puluere se exercent, & nostræ erga illum pietati falso obtrectare nituntur. Nam isti ridicularum fabularum inuentores asserunt, nos, dum blasphemiam illã impiam & a nemine vmquam litteris proditam, nimirum quæ Christum Filium Dei ex nihilo ortum docet, auersamur, duo Ingenita tradere. Atqui quæ est eorum inscitia, dicunt necesse esse alterũ de duobus hisce statuere: nempe vel eum ex nihilo creatum, vel omnino duo esse Ingenita. Siquidem propter inertiam ignorant prorsus, quantum intersit inter Patrem, qui ingenitus est, & res ab eo conditas ex nihilo, siue rationis sunt participes illæ quidem, siue expertes: interq. duo, natura vnigenita media interposita, per quam Pater Dei Verbi hanc vniuersitatem ex nihilo fabricauit, ex ipso, qui Pater est, genita fuit, sicut ipse Dominus quodam in loco testatur his verbis [b]: Qui diligit Patrem, diligit quoque Filium, qui ex eo genitus est.] hæc præloquutus Alexander, mox his iungit Catholicæ & Apostolicæ fidei cõfessionem; quam hic describere, haud molestum erit, atque in medium ponere tamquam potens pharmacum, quo exposita Ariana venena absque offensa contrectare possimus. Addit igitur: B

b 1.Ioan.5.

CONFESSIO CATHOLICAE FIDEI AB ALEXANDRO EDITA.

De quibus nos sic credimus, vti Apostolicæ placet Ecclesiæ: In vnum quidem ingenitum Patrem, qui nullam habet causam suæ essentiæ, qui nec conuerti nec mutari potest, qui semper similiter & eodem modo se habet; qui neque accessionis, neque decessionis capax est; qui leges, Prophetas, & Euangelia nobis tradidit; qui denique Patriarcharum, Apostolorum, & omnium Sanctorum Dominus est. Et in vnum Dominum IESVM CHRISTVM, Filium Dei vnigenitum, genitum quidem non ex eo quod non est, sed ex eo qui Pater est, neque id quidem more corporeo, per incisionem, aut diuisionem, fluxiones (vti Sabellio & Valentino visum est) sed modo quodam, quì verbis explicari exprimive omnino non potest, secundum illam Prophetæ vocem quam supra posuimus [c]: Generationem eius quis enarrabit? Cum eius subsistentia a nulla natura mortali peruestigari queat; quemadmodum neque ipse Pater a quoquam indagari: propterea quòd natura humana rationisque particeps cognitionem diuinæ a Patre generationis comprehendere nequit. Quas res, non par est, vt viri Spiritu veritatis incitati a me perdiscant; præsertim cum vox Christi de hac re vestris auribus circumsonet, & doceat; nimirum, quòd [d] nemo nouit quis sit Pater, nisi Filius; et nemo nouit quis sit Filius, nisi Pater. Hunc præterea agnoscimus, perinde atque Patrem, nec conuerti, nec mutari posse, nullius rei indigentem, perfectum Filium similem Patri, & ab eo, solum quia ingenitus sit, discrepantem: nam est accurata & expressa Patris imago: atque constat, imaginẽ complecti debere eas omnes res, quibus exemplar ipsum, quod maius est, perfectius exprimatur, sicut ipse Dominus docuit: Pater maior me est. Atque hac ratione inducti, Filium a Patre semper existere credimus: Est enim [e] splendor gloriæ, & figura paternæ substantiæ. At nemo hanc vocem, semper, sic intelligat, vt per eam Filius ingenitus existimetur, sicut isti putant, qui sensus animorum habent plane occæcatos. Nam neque cum dicimus; Erat semper, & ante sæcula; idem est, quod, Ingenitum. Immo vero neque vlla vox, quam mens humana conetur effingere, exprimere potest illud, Ingenitum: adeo vt vos quoque ipse, fretus vestro recto de omnibus rebus iudicio, eodem modo illud ipsum accipere confidam: quandoquidem hæ voces vim huius verbi, Ingeniti, nullo modo exprimunt. Nam hæ tamquam temporum quidem productionem videntur in se complecti; diuinitatem autem Vnigeniti, & vt ita dicam, antiquitatem, pro dignitate explanare nequeunt. Vnde euenit, vt sancti viri cum hoc mysterium explicare singuli pro viribus enixe contendant, veniam petant ab auditoribus, & apud illos non sine causa se excusare conentur his fere verbis: Eatenus de his rebus instituimus, quatenus mentis nostræ vis consequi potest. C D E

c Isa.53.

d Luc.10.

e Hebr.1.

Si qui sunt, qui expectent vocem vllam perfectiorem ore humano efferri, quàm captus fert humanus; dicantq. ea quæ fuerant ipsis ex parte cognita iam obscurari: est sane perspicuum, quòd illud, Erat semper & ante sæcula, longe abest ab eo quod illi expectant: quæ quidem cuiuscũque generis sint, non sunt idẽ cum Ingenito: ac propterea & dignitas, quæ est Ingeniti, propria ei seruanda est: dicendumq. nullam ipsi esse eius essentiæ causam: et honor Filio ei debitus tribuendus, asignandaque illi generatio a Patre initio carens. Et cum hunc illi honorem, quantum in nobis est, tribuimus; has voces, Erat semper & ante sæcula, pie & sancte, cum de eo loquimur, proferimus: non tamen vt quidquam de eius diuinitate detrahamus, sed vt exquisitam omnino imagini & figuræ Patris attribuamus similitudinẽ, & Ingeniti vocabulum Patri,

FILIVS QVOMODO DICTVS MINOR PATRE.

A Patri, vtpote eius solum proprium, adscribendum propterea existimemus, quòd Saluator ipse dicit [a]: Pater maior me est.] Adduci cõsueuit a maioribus eiusmodi textus Euangelistæ in eamdem sententiam Alexandri, vt non de humana, sed de diuina dictum intelligatur generatione, quatenus ipse Pater principium, fons, & origo quædam dicatur in Trinitate. Citant ea verba & eodem sane modo intelligunt Hilarius [b], Nazianzenus [c], Basilius [d], Cyrillus [e], & Chrysostomus, dum eũdem locum pluribus explicant, necnon S. Augustinus [f]: cõmunior tamen sensus ac præsertim recentiorum est, vt de humana generatione sit dictum. Sed pergit Alexander:

Ac præter istam piam de Patre & Filio sententiam, vnum præterea Spiritum sanctum, sicut nos docent sanctæ scripturæ, cõfitemur, quòd non modo sanctos homines veteris Testamenti, sed etiam diuinos noui Testamenti doctores innouauit. Ecclesiam porro vnam solam Catholicam & Apostolicam agnoscimus: quæ sicut numquam expugnari potest, etiam si totus B Mundus eam oppugnare instituat, sic omnem impiam hæreticorum incursionem euincit ac profligat: quandoquidem eius Dominus nos efficit satis animosos, dum clamat [g]: Confidite, ego vici Mundum. Quin etiam credimus ex mortuis resurrectionem, cuius primitiæ fuit Dominus noster Iesus Christus: qui corpus non specie adumbratum, sed verum ex Deipara Maria sumpsit: qui in fine sæculorum inter homines ad delenda peccata versatus est: qui crucifixus est & mortuus sine vlla ipsius diuinitatis imminutione: qui resurrexit a mortuis, ascendit ad cælos, & sedet ad dexteram maiestatis Dei.

a Ioan. 14.
b Hilar. lib. 9. de Trinit. & lib. de Synod.
c Nazian. orat. 4. de Theolog.
d Basil. lib. 1. in Eunom.
e Cyrill. lib. Thesaur. c. 3.
f August. lib. de Trinit. 2. c. 7.
g Ioan. 16.

Ista quidem aliqua ex parte epistola complexus sum: quandoquidem singula accurate litteris prosequi, absurdum ideo, vt dixi, sum arbitratus, quòd eædem res vestras pias ac studiosas mentes minime fugiant. Ista docemus: ista prædicamus: ista sunt Apostolicæ Ecclesiæ dogmata, pro quibus mortem oppetere non dubitamus: neque quidquam moramur de illis C qui nos ad hæc eiuranda compellere student: et licet nos tormentis cogere aggrediantur; non tamen spem, quæ animis nostris insita est, abijciemus. Cui doctrinæ Arius, Achillas, & reliqui pariter veritatis hostes refragati, Ecclesia exturbati sunt: quippe cum sint a pia nostra doctrina prorsus auersi, iuxta illam beati Pauli sententiam [h]: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit, licet Angelum de cælo se esse simulet. Quin etiam si quis aliud doceat, ac non accedat sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & doctrinæ quæ secundum pietatem est; is inflatur nihil sciens, & quæ sequuntur. Istos vero a fratribus anathemati addictos nemo vestrum accipiat, neque eorum verba vel scripta audire sustineat: omnia enim non aliter atque præstigiatores ementiuntur, veritatem loqui nolunt: nam per vrbes circumcursant, non alio quidem studio adducti, quàm vt amicitiæ & pacis nomine litteras per simulationem assentationemq. dent, accipiantq. quo per illas in errorem mulierculas D paucas peccatis onustas, quas dolo deceperint, facilius inducant.

h Galat. 1.
VITANDOS ADMONET ARIANOS.

Quapropter istos qui tot scelera contra Christum edere ausi sunt; qui religionem Christianam partim maledictis palam concidere, partim in iudicijs contumeliæ exponere; qui tempore pacis (quantum in illis est) persecutionem contra nos concitare; qui denique arcanũ Christi generationis mysterium eneruare impense laborarunt: istos, inquam, fratres carissimi & fide nobiscum consentientes, auersati, vna nobiscum contra insanam eorum temeritatem ferte suffragia, non aliter atque alij collegæ nostri, qui rem ægre ferunt, qui epistolas contra istos scriptas ad me miserunt, qui libello aduersus eos edito subscripserunt. Quæ omnia per filium meum Apionem diaconum ad vos misi, atque primum epistolas collegarum qui sunt in Aegypto & Thebaide, deinde eorum qui Libyam, Pentapolim, Syriam, Lyciam, Pamphiliam, Asiam, Cappadociam, & alias regiones hisce finitimas incolunt: quorum exemplum vos imi- E tantes, persuasum habeo, ad nos itidem daturos litteras. Et cum multæ aliæ curationes ad eos sanandos, qui hoc errore vulnerati sunt, suppetebant: tum istud etiam remedium ad medicinam populo ab his decepto faciendam inuentum est, si modo obtemperare voluerint, & cum consensum collegarum nostrorum intelligant, eorum hortatu ad pœnitentiam serio se recipere. Salutate vos mutuo vna cum fratribus qui vobiscum sunt. Opto vos, fratres carissimi, tum in Domino valere plurimum, tum fructum ex vestro pio in Christum animo percipere. Sunt autẽ hæretici anathemate damnati ex numero presbyterorum Arius, ex diaconorum autẽ Achillas, Euzoius, Aeithales, Lucius, Sarmatas, Iulius, Menas, Arius alter, & Helladius.] hucusque litteræ Alexãdri circulares ad omnes Episcopos: in quibus cum tantũ Arius nominetur presbyter, reliqui vero diaconi; error in eas irrepsisse videtur. nam in litteris Arij & sociorũ, non Arius tantũ, sed & Achillas, Aeithales, Carponas, & Sarmatas presbyteri recensentur; et in litteris Alexandri ad Siluestrũ Romanum Pontificẽ, non vnus, sed plures dicuntur fuisse Arij tunc sectatores presbyteri. Sed hactenus quod ad epistolam encyclicam Alexãdri.

ALEXANDRI LITTERAE AD DIVERSOS. a Epiphan. hæresi 69.

At post hæc alias quoque apparet ipsum aduersus Arium dedisse litteras ad diuersos A Episcopos in Oriētis prouincijs: nam eūdem scripsisse, ait a Epiphanius, ad Eusebium Cæsareæ, ad Macarium Hierosolymorum, Asclepiū Gazæ, Marinum Iamniæ, Longinum in Ascalone, & ad alios, & in Phœnice ad Zenonem quemdam antiquum & in Tyro simulque in Caua Syria. Cum igitur missæ essent epistolæ reprehendentes eos qui ipsum Arium susceperant: vnusquisque rescripsit beato Alexandro, seq. purgauit. Et alij quidem per ironiam scripserunt, alij in veritate, partim dicentes se illum non excepisse, partim per ignorantiam suscepisse: alij vero responderunt, se per susceptionem studuisse, vt ipsum lucrifacerent: et varia fuerunt de his argumenta. Postea vero vbi cognouit Arius, quòd epistolæ allatæ essent Episcopis vndequaque, & de cetero vndique expelleretur, & non amplius quisquā eum suscipiebat, quàm ipsius cooperatores: Eusebius enim Nicomediensis antiquus senex totus ipsius erat, qui eum Luciano in Nicomedia conuixerat, sed & Leontius Apocopus in Antiochia nondum Episcopatum sibi B commissum habens, & alij quidam.] hucusque Epiphanius: quæ autem subdit de litteris Arij ad Eusebium, hæc antea contigisse diximus.

In hunc igitur modum Orientali Ecclesia Arij hæresi vbique concussa, ac vehementer exagitata: cum omnes (vt nuper vidimus) diuersarum prouinciarum Episcopi Orthodoxi pro fide Catholica contuenda, propugnatori eius primario Alexandro suppetias laturi surrexissent, ac pari consensu fidei Catholicæ libello æque subscripsissent, atque singulis suis epistolis prolixius scriptis eidem Catholicam testatam obsignatamq. reddidissent; haud par est credere, Siluestrum Romanum Pontificem litteris (vt diximus) Alexandri de cunctis rebus gestis certiorem redditum, quieuisse: sed quòd eius muneris præcipue esset, obortas hæreses condemnare, & discordias inter fratres coepiscopos conciliare (dicente ad Petrum Domino: Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos) nequaquam id agere prætermisisse, sed egregiam C in his componendis discordijs, & erroribus pullulantibus euellendis, nauasse operam, æquum quidem est existimare, immo etiam omnimode assitmare, tum certo exemplo, tum etiam ex rebus postea gestis certo argumento deducto. Nam (quod latissime dictum est secundo Annalium Tomo) cum inter Libyæ & finitimarum regionum Episcopos atque Dionysium Alexandrinum Antistitem ob Catholicam fidem grauissimæ & contentiosissimæ cōtrouersiæ versarentur, apud Dionysium Romanum Episcopum causa delata & cognita, illis eum accusantibus, ipso vero se defendente; idem Romanus Pontifex cum Iudex, tum etiam conciliator & sequester mutuæ concordiæ inter Patres accessit; adeo vt turbæ in immensum concitatæ iam fuerint penitus consopitæ. hoc itaque exemplo quid egerit eiusdem sedis summus Antistes Siluester, facile possumus intelligere; cum præsertim id sibi facilius esse sciret sub pio Principe Constantino, cuius auctoritate nuper Donatistæ in Occidentali Ecclesia tumultuantes compressi essent. Sed & legatio Osij per Siluestrum missa in Orientem, solicitum eius studium ad D comprimendam hæresin emergentem commendat. Misit enim tunc Osium Episcopum Cordubensem Siluester Papa Legatum in Orientem, qui primum omnium Constātinum agentem in Bithynia conueniret, cuius quoque auxilio acceptis ab eo litteris, cum illis in Aegyptum proficiscens, vel alio, vbi opus esset, excitatum per Arium incendium posset extinguere.

SILVESTRI PAPAE STVDIVM PRO COMPONENDIS BREVS ECCLESIAST.

OSII LEGATIO A SILVESTRO PAPA.

At vnde tibi (inquies) tota hæc de missa a Siluestro ad Constantinum primo, inde in Aegyptum legatione catastrophe? Audi quæso. A quonam dicendum legatum esse Osium Episcopum Cordubensem clarissimum confessione & eruditione virum ad Constantinum Imp. in Orientem? Rursum vero, a quonam affirmandum, missum esse Legatum eumdem Osium Alexandriam ad Alexandrum, tantaque auctoritate, vt Synodū habuerit generalem? eo namque nomine eam dictam esse, suo loco demōstrabimus: nisi quòd eò ipse profectus fuerit Apostolicæ sedis Legatus? Nec est quòd dici possit Osius a Constantino missus esse Legatus in Ae- E gyptum ad sedandos concitatos ibi tumultus: nam in litteris ea de causa a Constantino tunc scriptis nulla prorsus ipsius Osij nominis mentio aliqua habetur, neque de misso a se Legato ad ipsos conciliandos; quod necessum fuerat expressisse, vt in omnibus legationibus contingere solet, nempe vt exprimantur in litteris nomina Legatorum. Insuper quid est (nam ex rebus postea gestis, quæ antea facta sunt possumus certius intueri) quid inquam est, quòd in Niceno Concilio Osius primo loco, & ante illos qui tunc ad ipsum Conuentum Legati Apostolici cōuenerunt, chirographum subscriptionis apposuit; nisi quòd ipse eodem munere legationis Apostolicæ fungeretur, & longe ante ipsos eam functionem primitus accepisset? Tot igitur expressis notis legatio Osij a Siluestro Romano Pontifice satis redditur manifesta; licet qui hæc minus attenderint, non nisi a Constantino Osium missum tradant; Eusebius vero Osij nomen silentio omnino condēnet, vtpote fautor Arij, Catholicis infensus, & parum æquus. Hic igitur

A igitur a Siluestro missus est primo ad Constantinũ, ab ipso accepturus litteras, in Aegyptum. De eodem enim Osio hæc Socrates [a] habet: De his rebus cum certior factus esset Imperator (nempe de turbis inter Episcopos Arij occasione concitatis, mutuisque eorumdem legationibus missis, & concertationibus agitatis) incredibilem animo hausit dolorem: perturbationemque illam, suam ipsius calamitatem esse censuit. Extemplo illud discordiæ incendium, quo inter ipsos efferuescebant, restinguere serio aggreditur: litterasque per virum spectatum & fidelem, Osium nomine, Episcopum Cordubæ, quæ est ciuitas Hispaniæ (hunc enim Imperator singulari amore complexus est & honore summo prosequutus) ad Alexandrum & Arium mittit. Quarum litterarum partem aliquam (sunt namque integræ in libros Eusebij de Vita Constantini illigatæ) hoc loco citare, non incommodum existimaui.] ita Socrates. nos vero eas ex Eusebio hic reddemus: sed ab Ariano homine recitatæ, an in omnibus fideles existant, nullaque ex parte violatæ, dicere non auderem; cum aliqua præsertim in se habeant, quæ dignæ sint subijcienda censuræ. Sunt autem huiusmodi litteræ Constantini [b], ab ipso Eusebio perperam ea arte in medium adductæ, vt obortæ cõtrouersiæ atque dissidij culpa reijceretur in Alexandrum:

a *Socrat. lib. 1. c. 4.*

CONSTANTINVS STVDET ECCLESIAE PACI.

B

b *Apud Euseb. in Vit. Constãtin. lib. 2. c. 63. & sequent.*

Victor Constantinus Max. Augustus Alexandro, & Ario.] expunxisse in ijs Eusebium in Alexandro nomen Episcopi, quis dubitat? est autem earumdem exordium:

LITTERAE CONSTANTINI AD ALEXAND. ET ARIVM.

Ipsum, vt par est, meorum institutorum adiutorem & conseruatorem omnium Deum testem adhibeo, istarum rerum, quas mihi reipsa obeundas suscepi, duplicem causam extitisse. Primum enim, vt omnium gentium de numinis cultu opinionem ad vnius habitudinis ritusque formam traducerem: deinde quòd in animo habebam corpus totius Mundi, tamquam graui aliquo morbo acerbe vexatum, ad sanitatem restituere. Quæ sane accurata C ratione considerans, alterum eorum interiore mentis acie, id est consilio efficiendum statuebam; alterum autem copiarum militarium subsidio & viribus, quoad poteram, præclare gerere conabar: persuasum habens, si omnes veros Dei cultores communi concordiæ vinculo (sicut mihi in optatis erat) deuincire possem, vniuersæ nostræ Reipublicæ ciues se ad pia eorum instituta breui conuersuros. Proinde cum insania quædam intolerabilis propter temerariam leuitatem quorumdam, religionem a populo obseruatam in varias sectas discindere molientium, vniuersam Africam occuparet: hunc morbum cum ipse leuare cuperem, nullum aliud remedium ei curando satis idoneum inueniebam, quàm vt quosdam ex vestrum numero adiutores ad conciliationem hominum inter se dissidentium mitterem, quo inuidia communis totius Orbis inimica, quæ sacris nostris conuentibus aduersatur, penitus restingueretur.

Et quoniam veri luminis vis, & sacræ religionis disciplina, quæ Dei optimi maximi bene-D ficio ex quibusdam Orientis quasi finibus egressa est, vniuersum simul Orbem terrarum suo splendore collustrauit: non sine causa vos eam religionem profitentes, quos tamquam quosdam gentium duces ad salutem fore existimo, non modo propenso animi studio, verum etiam exquisito oculorum obtutu inuestigare conabar. Nam simul ac illustri contra hostes parta victoria vere triumphassem, illud potissimum conquirere instituebam, quod omnium facile præstantissimum iudicarem. Sed o præclarissimam & vere diuinam prouidentiam! quale & quàm letale vulnus auribus meis, immo vero ipsi animo, inflictum fuit, cum audiuissem seditionem inter vos concitatam multo plus habere acerbitatis, quàm eas res quas ibidem ante gestas fuisse cognouimus! adeo vt iam vestræ Ecclesiæ membra, ex quibus sperabam alijs medicinam petendam fore, multo maiore curatione egeant. Ac mihi de principio & causa istarum rerum accurate cogitanti, valde exilis & neutiquam tanta contentione digna visa est.

E Quapropter ad hanc epistolam scribendam necessitate adductus, non solum ad vestrum vtriusque prudentiam scribo, sed etiam diuinam prouidentiam in hac re adiutricem fore obtestor; meque etiam communem vestræ mutuæ dissensionis arbitrum tamquam pacis moderatorem non sine causa adhibeo. Quandoquidem Deo optimo maximo mihi opem ferente, quamuis maior esset dissentiendi occasio: tamen spero, oratione pijs audientium mentibus adhibita, quemque ad id quod sit vtilius, facile me posse traducere. quapropter cum causa tam exigua sit, illa quidem quæ totius vestræ Reipublicæ commoda impedire videatur: quid est quamobrem non expeditiorem & multo faciliorem dissidij correctionem spondeat?

Inde igitur præsentis controuersiæ fundamentum intelligo iactum esse, quòd tu Alexander a presbyteris de loco quodam in sacris litteris scripto quærebas; immo vero de inani quadam quæstionis particula sciscitabaris, quid quisque illorum sentiret: Tuque Ari, istud quod neque initio animo complecti, at cum fuisses complexus, silentio præterijsse debebas, inconsiderate effutiuisti. Vnde discordia inter vos concitata, tum conuentus qui in Ecclesia fieri solet

IN ALEXANDRVM PRIMA CVLPA REIICITVR.

solet, impeditus; tum populus sanctissimus varie in vtramque partem distractus, ex totius A
corporis Ecclesiæ compage diuulsus est. Proinde vterque vestrum vicissim veniam alteri tribuens, illud approbet, ad quod non sine causa vester conseruus vos cohortatur. At quid est istud, vt de rebus eiusmodi nec omnino rogetis, nec ad rogatum respondeatis? Tales enim quæstiones, quales nulla lex, canonve Ecclesiasticus necessario præscribit, sed inanis dissoluti otij certatio proponit, licet ad acumen ingenij exercendum instituatur; tamen interiore mentis cogitatione continere debemus, & neque in publicos populi conuentus temere efferre, neque vulgi auribus inconsulto concredere. Quotus enim quisque est, qui rerum tam grauium tamque obscuritate inuolutarum vim vel satis accurate peruidere, vel pro dignitate explicare valeat? Quòd si quisquam sit, qui istud se facile efficere & consequi posse confidat: quota quæso est illa multitudinis pars, quam possit efficere, vt idem ipsum intelligat? Aut quis tandem est, qui in curiosa quæstionum eiusmodi peruestigatione extra prolapsionis periculum B
possit consistere?

Quocirca in talibus rebus loquacitas coercenda est; ne vel cum nos præ nostri ingenij imbecillitate, quod propositum est, explicare non possimus; vel auditores inter docendum, præ intelligentiæ tarditate, ad accuratam sermonis instituti comprehensionem peruenire non queant: ex re altetutra populus, aut in blasphemiæ, aut in dissensionis necessitatem incurrat. Quare & interrogatio temeraria & inconsulta responsio veniam vtrique vestrum ab altero impetrare debet. Neque enim de summo in sacris litteris præcepto vobis ansa ad digladiandum oblata est; neque nouus vllus de religione diuina introductus error; sed vnam eamdemque tenetis de fide sententiam, ita vt facile possitis ad ipsum communionis consensum venire: nam non est consentaneum, vt propter vestram imprudentem de adeo paruis exiguisque rebus mutuo concertationem tanta populi multitudo ad dissensionem rapiatur: immo vero C
non modo non est consentaneum, sed omnino nefas esse existimatur.]

Antequàm autem quæ reliqua sunt Constantini epistolæ prosequamur; hic accurate lector attendat, alterum de duobus euenisse; vel quòd Eusebius Arianus homo parum fideliter

PVRGATVR ALEXANDER A CALVMNIA.

eamdem epistolam Constantini descripserit, attexueritque Vitæ ipsius, quam in gratiam Constantij Augusti pariter Ariani conscripsit, ac proinde ea minus digna tanto Pontifice ab eo iactata confinxerit: aut si reuera sic se habebat germanum exemplar (quod non credimus) eiusdem epistolæ Constantini; illud necessario affirmandum est, argumentum eius scribendæ epistolæ suppeditatum esse tunc, cum Nicomediæ ageret, ab Eusebio eiusdem ciuitatis Episcopo omnium Arianorum facile principe, a quo complura fuerunt coagmentata mendacia: vt cum in primis potior culpa reijcitur in Alexandrum, quòd importune nimis de re difficillima sciscitatus sit presbyteros Alexandriæ, ex quo totius discordiæ fomes emerserit. At non D
ne antequàm Synodus cogeretur Alexandriæ, vbi primo quid sentiret ab Alexandro Arius interrogatus est, ipse Arius plures seduxerat, & hæresin propalauerat (quæ omnia Epipha-

a Epiph. hæres. 69.

nius [a] exacte conscripsit) vt nullus amplius dissimulationi locus esset? An non quàm plutima Arij impia facta præcesserant, quæ sunt superius recensita; vt necessario eius causa fuerit cogenda Synodus, & hæresis furtum serpens cum auctoribus condemnanda? Rursum vero, a quonam induci potuit Constantinus, vt ea tanti momenti controuersia leuissima putaretur, cum in ea potissimum versaretur summa fidei Christianæ, nempe diuinitas Filij Dei, & vt inanis parui facienda esset, ac pariter contemnenda? Et quonam pacto, quæso, dici potuit, Alexandrum & Arium vnam eamdemque tenere de fide sententiam, ita vt & conciliari discordiæ facile possent; cum alter ipsorum Filium Dei Patri esse coæternum, alter vero diceret fuisse tempus quando non erat? Hæc igitur non nisi ex Arianorum officina oportuit prodijsse, nempe vt vel (quod dictum est) ab Eusebio Cæsariensi epistolæ superaddita sint mutata, aut a nequiore illo ac veternoso serpente Eusebio Nicomediensi Constantino fuerint persuasa. E

At quæ sunt reliqua eius epistolæ percurramus: Verum (inquit) vt rem breuiter exemplo quodam animis vestris mecum recognoscatis, dicam. Non vos præterit, opinor, philosophos

AD CONCORDIAM EXHORTATIO.

ipsos vnius quidem disciplinæ professione omnes inter se consentire; sæpe tamen in aliqua parte opinionum, quas asseueratione affirmant, discrepare solere. qui licet disciplinæ causa, quam quisque illorum tuetur, dissentiant: tamen ob professionem, qua conspirare videntur, denuo inter ipsos in gratiam redeunt. Quòd si ita se res habet: quid est, cur non sit multo conuenientius, vt qui famuli præpotentis Dei constituti sumus propter ipsum religionis institutum, quod profitemur, consentientibus animis inter nos ipsos concordemus? Ceterum accuratiore cogitatione consideremus, & mente attentiore hoc quod a me dicetur iam circumspiciamus, num recte se habeat, vt per leuem & inanem verborum contentionem

fratres

A fratres fratribus reluctentur; et exin ea concordia, impia ſimultate per nos qui de rebus tam exiguis minimeque neceſſarijs inter nos confligimus, miſere diſcerpatur? Popularia quidem ſunt iſta, & pueriliinſcitiæ magis quàm ſacerdotum & prudentium hominum ſapientiæ congruentia. noſtra igitur ſponte diabolicas tentationes euitemus.

Et quoniam Deus optimus maximus, conſeruator omnium, communem ſuæ gratiæ lumen omnibus porrexit: idcirco mihi eius famulo, quæſo, per vos liceat, vt illius prouidentiæ ſubſidio adiutus, meum conatum ad eam lucem propagandam ſuſceptum, feliciter ad exitum perducam, atque etiam vt ipſum populum tum verbis compellando, tum miniſterium diligenter erga eum præſtando, tum acriter admonendo ad mutuam concordiam traducam. Et cum, vti dixi, vna ſit vobis fides, vnaque de noſtra religione ſententia, vnum denique legis ac diſciplinæ inſtitutum (quod quidem cum ſuis partibus vniuerſum Eccleſiæ corpus conſentiente
B animorum concordia & propoſito deuincit) iſtud quod inter vos non mediocrem contentionem excitauit, quoniam nullam rem grauem in noſtræ religionis quaſi ambitu comprehenſam attingit, non eſt cur diſtinctionem aliquam animorum aut diſcordiam in vobis pariat. Atque hæc dico, non vt cogam vos in hac leuicula & ſtulta quæſtione (qualiſcumque tandem illa fuerit) penitus eamdem ſententiam ſequi. At tametſi vos inter vos viciſſim de re quapiam minimi momenti diſſentitis (ſiquidem neque omnes de omnibus rebus idem ſentimus, neque vna eademque in nobis indoles aut mens verſatur) tamen fieri poterit, vt eximia concordia ſincere integreque ſeruetur, & vna inter omnes animorum conſpiratio cuſtodiatur: verum de diuina prouidentia vna vobis ſit omnino fides, vnus animorum conſenſus, vna de Deo ſententia. Atque leuiſſimis iſtis quæſtionibus inter vos argute & ſubtiliter exquiſitis, licet non in eamdem ſententiam tamquam pedibus eatis:
C ea tamen intra cogitationis veſtræ quaſi fines continere debetis, intimo mentis domicilio recondita. Communis autem amicitiæ bonum, vera fides, reuerentia erga Deum & legis obſeruationem ſtabilis firmaque apud vos maneat. Redite in gratiam, & mutuam inter vos neceſſitudinem colite, vniuerſoque populo ſuos mutuos complexus reddite: ipſique veſtris ipſorum animis contentionis labe purgatis, iterum amice & beneuole vos alterutrum excipite: nam ſæpenumero poſt inimicitias depoſitas amicitia iterum conciliata plus ſolet habere iucunditatis.

Date igitur mihi dies tranquillos, & noctes curæ ac moleſtiarum expertes; vt voluptas, quæ tum ex ſincera concordiæ luce, tum ex vita quieta capi ſolet, mihi integra in poſterum conſeruetur. Quod quidem ſi minus cõtingat, neceſſe eſt ingemiſcere, lacrymis & mœrore omnino confici: nec fieri poteſt, vt vitæ curſum de reliquo tranquille & ſedate tranſigam. Nam
D quamdiu Dei populus (eum dico, qui communi mecum erga Deum obſequio fungitur) tam iniqua pernicioſaque contentione ab ſe mutuo diſsidet: quomodo fieri poteſt, vt ipſe animo tranquillo conſiſtam? Atque vt incredibilem huius doloris morſum intelligatis, ſic accipite: Non ita pridem ad Nicomedienſium ciuitatem aduentans, extemplo iter verſus Orientem mature facere conſtituebam. Ac me quidem ad vos citato gradu properantem, cum maiorem itineris partem confeciſſem, vt prope iam vobiſcum eſſe viderer, litterarum iſtarum nuncius in contrariam cogitationem compulſit; ne oculis ea videre cogerer, quæ ne auribus quidem tolerare me poſſe, plane exiſtimabam. Deinceps igitur veſtra concordia patefacite mihi ad Orientem aditum, quem vos veſtris diſsidijs vltro citroque feruentibus intercluſiſtis: et efficite breui, vt cum vos pariter, tum reliquum vniuerſum populum lætitia geſtientem cernam; et omnes vna pro communi omnium concordia & libertate, conſentientibus laudis præ-
E conijs, debitas gratias Deo optimo maximo agamus.] hactenus epiſtola Conſtantini hoc eodem anno ſcripta, quo datæ ſunt litteræ ad vniuerſas gentes: nam in vtriſque eumdem habet, vt dictum eſt, de inſtituta in Orientem profectione ſermonem. Addit autem ad hæc Euſebius [a]: Ad hunc modum igitur Deo carus Imperator, ijs quæ ad pacem Eccleſiæ facere videbantur, per epiſtolam miſſam diligenter proſpexit: ille vero bonus & ſpectatus nuncius, non ſolum litteris fideliter perferendis, ſed etiam Imperatoris mittentis voluntati pro virili ſua parte inſeruiuit. Et quamquam omnino pius vir fuit, ſicut ſupra diximus: tamen hoc maius quiddam erat, quàm quod per litteras adminiſtrari poſſet: quippe magis magiſque diſſentientium lis accreuit, & vniuerſas Orientis prouincias mali illius impetus inuaſerat. inuidia igitur & perditus dæmon, qui ſemper Eccleſiæ commoda ægre & iniquo animo fert, iſta admiſit.] hucuſque de his Euſebius: quæ vero poſt hæc acta ſint per Oſium Legatum & Alexandrum, dicemus anno ſequenti.

Iiſdem Conſulibus hoc anno Conſtantinus Imperator ſtatutam olim legem aduerſus parricidas

QVANDO DE TVRBIS EPISC. ACCEPIT NVNCIVM CONSTANTINVS.

[a] Euſeb. Vit. Conſtantin. lib. 2. circa finem.

SVPPLICIVM CHRISTIANORVM CONVERTITVR IN PARRICIDAS.

a l.1. de parricid. Cod. Theodos.

ricidas, quam excrescens crudelitas in veræ pietatis cultores cōuerterat, nempe horrendum supplicium cullei, in eosdem quorum causa statuta fuerat, noua edita sanctione, conuertens, in pristinum velut alueum reuocauit, sic rescribens ad Verinum Africæ [a] Vicarium: Si quis in parentes, aut filij, aut omnino affectionis eius, quæ nūcupatione parricidij continetur, fata properauerit: siue clam, siue palam id fuerit enisus: neque gladio, neque ignibus, neque vlla alia solemni pœna subiugetur: sed insutus culleo & inter eius ferales angustias comprehensus serpentum contubernijs misceátur: et vt regionis qualitas tulerit, vel in vicinū mare, vel amnem proijciatur: vt omni elementorum vsu viuus carere incipiat, vt ei cælum superstiti, terra mortuo auferatur. Dat. XI. Kal. Decembris, Licinio quintum & Crispo Cæs. Coss.] Porro de eiusmodi supplicio atrocissimo, cōsule quæ a nobis notata sunt in Romanū Martyrologium [b].

b Die 3. April. a.

SEVERITAS NECESSARIA TEMPORE PACIS.

Nec quis miretur, Imperatorem qui Christianam mansuetudinem vnà cum fide susceperat, tantæ seueritatis leges propemodum consopitas, in eiusmodi facinorosos homines denuo excitasse: siquidem tot annorum persecutione, cum in eos quos impios dicerent (erant sic ab illis nominati Christiani, quòd non colerent deos) legum sæuitia tantummodo vigilaret, atque in eosdem solum acerbissima quæque essent conuersa tormenta: Gentilium vitiositas impunis grassabatur soluta legum habenis, quam seuerioribus oportuit disciplinæ vinculis cohiberi. Pace igitur reddita, compressis vbique tyrannis, aduersus scelestos turpesque homines, eorumque inolitos prauos ac detestabiles mores bellum erat Constantino vbique gerendum. Tunc quidem & accidisse videtur, quod S. Hieronymus [c] testatur, ab eodem Constantino penitus sublatos esse greges illos puerorum ad nefandam turpitudinem exercendam publice comparatos; idque non Romæ vel in alijs augustioribus ciuitatibus tantum, sed vbique gentium, totoque orbe Romano fuit eius legibus emendatum: quod & sæpe aliàs attigisse meminimus. De eiusmodi quoque lege Constantini Imperatoris visus est Sozomenus [d] meminisse, cum ait: Quamquam in omnibus rebus, quas moliebatur, diuinum cultum impense curabat; in legibus autem colendis vel maxime. Qua causa inductus, intemperantes & libidinosos concubitus antea minime vetitos coercuit: quemadmodum ex legibus de illis latis, si cui sit curæ istud cognoscere, facile potest intelligi.] hæc Sozomenus.

c Hieronym. in Isai. c. 2.

d Sozom. lib. 1. c. 8. in fin.

DESERTA LOCA SANCTORVM COLONIIS ILLVSTRATA.

e Isai. 35.

f Apud Metaphrast. die 14. May.

At sicut eiusmodi pax Imperio Romano restituta bellum fuit coalescentium & vbique repugnantium vitiorum, ita extitit omni ex parte morum optimorum conciliatrix & altrix: etenim non tantum ciuitates excultæ Christianis legibus ab omni turpitudine emundatæ, redditæ sunt pulchriores; sed & deserta loca repleta Sanctorum colonijs sunt mirifice illustrata, cum & diuina illa per Isaiam prænunciata oracula atque miracula cernerentur impleta [e]: Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.] Quæ enim paucorum antea Deum colentium virorum frequentabantur accessu, reddita iam Ecclesiæ plena pace, sub duce Antonio Magno, referta sunt agminibus monachorum. Tunc etiam qui postea fama celeberrimus in Thebaide claruit Pachomius Abbas, cum militaret tyro in castris Licinij Imperatoris, annos viginti natus, deuicto a Constantino Licinio, dimissis ab eo Thebæis tyronibus, ipse mox Christianæ militiæ nomen dedit, & sub Abbate insignis nominis Palemone profiteri cœpit vitam anachoreticam, cuius Acta [f] clarissima fusius scripta extant. Incolebat tunc quoque temporis eamdem solitudinem Paphnutius, qui effossis pro Christo oculis sub Maximiano persecutore, gloria confessionis illustris, fama omnium celebris erat: sed & Ammon, qui a pueritia ad senectutem vsque magna vitæ sanctitudine vixerat: alijque complures, quorum cum in rebus gestis Antonij, tum etiam Pachomij, & aliorum, præclara mentio est. At de his aliàs pluribus dicturi sumus. nunc autem ad sequentis anni res gestas orationem nouarum rerum cupidam conuertamus.

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
319.	6.	14.

* Licinianum

CHristi anno trecentesimo decimonono, Constātinus Imperator quintum adijt Consulatum, collegamq. sibi adiunxit sororis Constantiæ Augustæ filium Licinium * iuniorem: id plane fecit cùm indulgendi causa sorori, vt accipere illa videretur in filio, quod amisisset in viro; tum etiam vt tyrannidis suspicione careret; sicque eumdem Licinium iuniorem non tantum passus est retinere Cæsaris nomen ac dignitatem, sed etiam sibi adsciuit Consulem ordinarium.

II. Quo anno barbaros, qui visi sunt tumultuari aduersus Imperium Romanum in Oriente, compressit.

A compressit; fuerunt ij Sarmatæ, quos putant a Sozomeno & ante eum Eusebio Sauromatas nominatos. De his enim hæc ipse Sozomenus[a]: Porro Imperator post bellum cum Licinio gestum, tam secundo fortunæ statu in prælijs contra alienas exterasque gentes faciendis vsus est, vt cum Sauromatas, tum Gothos subiugaret: et ad extremum quo aliquid beneficij eis afferre videretur, fœdera cum illis percussit. Ista quidem gens tunc temporis trans Istrum fluuium habitauit; quæ cum esset cum propter multitudinem, tum propter corporum magnitudinem bellicosissima, & in re militari assidue exercitata, alios quidem barbaros deuicit, Romanos autem solos habuit qui ipsam bello æquarent, strenueque resisterent. Dicitur præter ea Constantino in hoc bello vel maxime per signa ac somnia declaratū, quàm sedulo Deus sua prouidentia ipsi prospexisset. Quare cum in omnibus bellis suo tempore gestis victoriam esset consequutus; velut gratiam Christo redditurus, veram religionem summo studio B excolere, subiectosque ad eam solam sanctè obseruandam & salutarem ducendam hortari cœpit.] hucusque Sozomenus.

SARMATAE COMPRESSI A CONSTANTINO.

a Sozom. lib. 1. c. 8.

Eusebius vero in fine Vitæ Constantini, dum barbaros ab eo domitos simul recenset, de Sauromatis & Scythis, quos Sozomenus Gothos appellat, hæc ait[b]: Iam vero quid attinet illa minime necessaria recensere, quemadmodū barbaras & immanes gentes sub Romanū Imperium subiecerit; et vt Scytharum & Sauromatarum nationes, qui nūquam parere Imperio Romano didicerant, primus is sub iugum miserit, coegeritque eos vel inuitos profiteri Romanos esse rerum dominos? Nam cum superiores Imperatores vectigalia Scythis persoluerent; ipsiq; Romani a barbaris seruitute pressi quotannis tributa penderēt: cum hæc conditio Imperatori minime ferenda videretur, alienumque existimaret ab omnium gentium victoris dignitate; perinde vt maiores suos tributum pendere: Saluatoris sui ope præsidioque confisus, triūphale C illud signum contra istos etiam obtendens, breui spatio omnes superauit; et reluctātes quidem armata manu coercens, reliquos prudentibus legationibus placans, ab inculta & fera vita ad humanā ciuilemq; traduxit: atque ita tandem aliquando Romanis Scythæ parere didicerunt.

b Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 5. 6.

Sauromatas vero Deus ipse Imperatoris pedibus substrauit: quos barbara superbia elatos hoc modo fregit & compressit. Cum a Scythis Sauromatæ inuaderentur, seruosque suos cogerentur armare, vt eorum vim & impetum repellerent: postquàm penes seruos victoria constitisset, ijdem iam eadem arma, quibus contra hostes vsi sunt, in dominos conuertunt, omnesque suis sedibus & domicilijs deturbant. At domini salutis portum præter Cōstantinum reperiebant nullum: Is cum solitus esset salutem dare miseris; omnibus in Romanam regionem receptis; quos idoneos reperiebat, in suorum militum ordines referebat; reliquis vero ad necessarios vitæ vsus agros ad colendum diuidebat: vt fortunatæ ac feliciter hanc sibi calamitatem D accidisse faterentur, quando immanē feritatem cum Romana libertate cōmutassent. Sic Deus immanium barbarorum vniuersas gentes Imperatori parere fecit.] hæc Eusebius: sed non hoc vno anno ea omnia gesta sunt; siquidem de Sauromatis pulsis a seruis S. Hieronymus refert in Chronico anno vigesimooctauo eiusdem Constantini Imperatoris: nūmus autem peruetus, hoc anno post Licinium expugnatum, quinto Consulatu ipsius Constantini deuictos ab eo Sarmatas, expressis hisce notis significat: CONSTANTINVS AVGVST. SARMATIA DEVICTA P. L. C. V. habetque expressam Victoriam alatam, & stolatam, gradientem, sinistra palmam gestantem, cum captiuo humi procumbente. ponitur ab Adolpho, sed haud rectè sub Constantino iuniore.

BELLVM SERVILE.

Zosimus[c] & ipse de Sauromatis ijsdem a Constantino superatis agens, eodem ferme tēpore, quo bellum vigebat aduersus Licinium, confectum hoc esse ab eodem Constantino tradit, E quod & his verbis enarrat: Cum autem Constantinus audisset, ad Mæotidem paludem habitantes Sauromatas, Istro nauigijs traiecto, ditionem suam aggredi, copias in eos duxit. Itidem barbari cum Rausimodo Rege obuiam ei profecti, primùm oppidum quoddam tentabāt satis magno præsidio munitum; cuius ea pars muri quæ a terra surgebat in altum erat opere lapideo facta, pars superior ligneo. Quamobrem arbitrati Sauromatæ, facillime se potituros oppido, si quidquid esset in muro ligneum exussissent, ignem admouebant, & consistentes in muro telis petebant. Sed cum murorum propugnatores, telis ac lapidibus ex loco superiore deiectis, barbaros interficerent, iamque Constantinus aduenisset; in barbaros impetu facto, de loco superiore multos occidit, plures viuos cepit, reliquis fuga sibi consulentibus. Rausimodus, maiori parte copiarum amissa, naues ingressus, Istrum traiecit, cum haberet in animo ditionem Romanam populari. Quod vbi Constantinus comperisset, & ipse traiecto Istro insequitur, ac fuga quemdam ad collem siluis dēsis delatos adoritur, & multos interficit, quorum in numero Rausimodus erat; multisque viuis captis, residuam multitudinem, quæ manus porrigebat

c Zosim. lib. 2.

SAVROMATAE EXPVGNATI.

porrigebat, in fidem recepit; eoque pacto magna cum multitudine captiuorum in Prætorium reuersus est.] hucusque de bello aduersus Sauromatas gesto Zosimus, quod eius sententia anno præterito potius quàm præsenti fuerat collocandum, nos vero Sozomenum sequentes & antiquiora monumenta, hoc anno posuimus. Ceterum aliàs sæpe cum barbaris Constantino fuit tempore sui Imperij confligendum. A

Quod autem ad res spectat Ecclesiasticas; cum Constantinus Imperator (vt superiore anno dictum est) eas ad Alexandrum & Arium litteras de mutua recōciliatione scripsisset, quibus & in Alexandrum se nonnihil exacerbatum, falsis persuasus relationibus, demonstrauerat: quid deinde ipse Alexander ad Constantinū rescripserit, haud constat: scripsisse tamen ad eum, auctor est Epiphanius [a]. Ceterum Arium, liquet, ad Constantinum reddidisse litteras parum officiosas, minusque tam sublimi Imperatoria maiestate dignas; quibus acceptis, Constantinus ad eum rescribere non est dedignatus; sed plane tales dedit, quales decebat accipere insanum hæresiarcham. Meminit harum litterarum Epiphanius [b], & pauca quædam ex eis recitat, cum ait: Attamen Rex zelo ductus, epistolam magnam ad totam Romaniam (hoc interdum nomen vsurpatum inuenimus pro Catholica Ecclesia) contra Arium scripsit, eamq. fide & omni sapientia ac veris verbis refertam, sicut & hæc hodie apud studiosos seruatur hoc principium habens: Constantinus Augustus Maximus Ario & Arianis: Malus interpres, & (vt ita dicam) imago & statua diaboli est. Deinde inter alia & post multam contra ipsum ex diuinis scripturis productam contradictionem; etiam ex Homeri versibus quemdam, contra ipsum inuehens, miseriæ gratia apposuit, quem ipsum etiam hic apponere, necessarium duxi, & hic est: Age sane, vrge Ari, scutis opus est: ne tu hoc facias, rogamus: cohibeat te saltem Veneris conuersatio.] hucusque Epiphanius. Hæc plane epistola illa est, cuius Socrates [c] meminit, dicens: Alias quoque litteras Imperator contra Arium & eius opinionis fautores magis populari & fusa scribendi ratione composuit: quas quidem, quo eius amentiam salsius morderet, & lepida dissimulationis specie acrius pungeret, in singulis ciuitatibus passim diuulgandas curauit.] Porro epistolam ipsam integram accepimus ex Vaticana bibliotheca: quam Latinitate donauit R. P. Petrus Morinus, vir cùm aliarum disciplinarum, tum Græcarum facultatum peritia clarus, mihi vero (quod magni facio) amicitia & vsu rerum Ecclesiasticarum coniunctissimus. Nos autem eam, vt egregium antiquitatis monumentum, hic describentes, appositis interdum notulis, pro viribus elucidabimus, quibus eam germanam esse constabit. Et quod primum occurrit; eumdem dicendi characterem in his exprimi, atque in alijs Constantini litteris, qui eas accurate intuetur, intelliget; licet pro diuersorum interpretū varietate, varius quoque, etsi non in sententijs, tamen in verbis stylus appareat. Rursum vero & ex titulo atque exordio eiusdem epistolæ, eam plane esse, quam Epiphanius signat, perspicue demonstratur. huiusmodi vero est: B C D

Ariûs quid ad Constantinum.

[a] *Epiphan. hæres. 69.*
[b] *Epiph. hæres. 69.*
[c] *Socrat. lib. 1. circa fine.*

Constantinus Augustus Ario & Arianis.] licet autem Ario & Arianis habeatur inscripta; Constantinus tamen voluit eam esse publicam: nam (vt in fine ipsius patebit) eâdem suo ipsius chirographo consignatam ad Alexandrinos misit, & publice recitari statuit. Porro hanc ipsam epistolam scriptam esse hoc tempore ante Nicænum Concilium, nulla est apud me dubitatio; quòd in Catholica Filij Dei diuinitatis assertione, vocis Consubstantialitatis, quæ postea apposita est in Nicæno Concilio, nulla sit mentio, nec ipsius Magnæ Synodi memoria aliqua. Epistola autem sic se habet:

Epistola Constantini ad Arium.

Malus interpres, negotium est diaboli, eiusque effigies ac imago. Nam quemadmodum illum callidi opifices ad escam fraudis effingunt, decorem ei pulchritudinis molientes, qui natura est turpissimus, vt miseros mortales perdat, ijs errorem prætendens, ac propinans; sic, vt arbitror, is facit, cui id tantummodo dignum studio videtur esse, suæ audaciæ venena, nemini parcendo, offerre. Et quidem nouam, quæq. ex quo tempore nati homines sunt, numquam extiterat, infidelitatis fidem inducit. Quare id verum esse experimur, quod diuino eloquio definitum est [d], nempe quòd ad malum sapientes sunt. Atque illud dici potest, eum, quòd consilij capiendi gratiam amiserit, nullam amplius opem expetere subleuandi sui.] hæc præloquutus Imperator ad Dominum Iesum Christum conuertit magna emphasi orationem, atque ait: E

[d] *Hierem. 4.*

Cur igitur, Christe, Christe, Domine, Domine, cur nos quotidie impium hoc latrocinium sauciat? Stat exaduersò violenta quædam audacia, rugit stridens dentibus, deformis iam præ ignominia, varijsque percussa criminibus. Hæc igitur in lege & prædicatione nominis tui, Christe, quasi quibusdam procellis ac malorum fluctibus huc atque illuc fertur, exitiabiles eructans sermones, eosq. scribendo edit, quos non tu, qui Patre æterno, tui ipsius fonte, coexistis, sententijs tuis definisti. Colligit autem ac congerit perniciosa quædam & atrocia scelera, modo linguas vibrans, modo vero miserorū studijs elata, quos ipsa præsentes licenter decipit, ac in-

A ac interimit. Iam antea volo eius, qui tanti ſceleris præſul eſt, naturam expẽdere.] Pergit poſt hæc reſpondere ad ea quæ ad ipſum Arius ſcripſerat: ſi enim ipſæ extarent Arij litteræ, facilis redderetur ſenſus verborum Imperatoris, qui videtur obſcurus: nam ſe habet ſermo eius vt dialogiſmus, dũ modo ab Ario dicta recẽſet, modo ad ea reſpõdens ſua ſubnectit: ideo ſubdit:

Quid enim dicit? Aut teneamus id, inquit, cuius iam compotes fuimus; aut ita ſit, vt ipſi volumus.] hæc quidem Arius. Ad quæ ſic Imperator lætans eum cecidiſſe: Cecidit, ac cecidit, interfectus.] Rurſum Arius: Dolo, inquit, aut ſagaci calliditate. nihil differt.] Imperator: Id ſolum graue ac probandum ducit, quod improba excogitatione ad eum influxerit. Multitudinem, inquit, habemus.] Reſpondet Imperator: Ipſe igitur exiguus, propius accedam: vt inſanorum bellorum ſpectator ſim: ego ipſe, inquam, propius accedam, qui hominum dementium bella ſedare conſueui.] Illudit procaci homini ironia; et Homericis ſalibus, DIALOGISMVS CONSTANTINI ET ARII.

B ex nomine occaſione captata, Arium exagitat vt furentem hominem, & nihilominus Veneri inhærentem, alludens nimirum ad virgines quas (vt dictum eſt ſuperius) ſeductas ſecum ductabat. recitat enim Homeri hũc verſũ ex Iliade:

Ἄρες Ἄρες βροτολοιγὲ μιαιφόνε τειχεσιπλῆτα.] hoc eſt:

Mars, Mars, hominum pernicies, inquinate cæde, murorum oppugnator.]

verba ſunt Palladis [a]: idemque verſus inferius eodem libro ab Apolline repetitur: peruulgatum carmen ob licentiam Græcorum Poetarum, de quo Martialis [b] de Earino Domitiani ſic:

[a] Iliad. 5. prope princip. [b] Martial. lib. 9. Epigram.

Sed Græci quibus nihil eſt negatum,
Et quos Ἄρες Ἄρες *decet ſonare:*
Nobis non licet eſſe tam diſertis,
C *Qui muſas colimus ſeueriores.*]

Conſtantinus autem illudens Ario, Homericum carmen ſic vſurpat: Agedum, Mars, Ari, clypeis ſane vtendum eſt. Ne hoc, quæſumus, facias. cohibeat te ſaltem Veneris congreſſus. Atque vtinam, ſicuti armis egregie inſtructus videris, ita pietate erga Chriſtum floreres.] Rurſus Imperator recitat verba Arij humiles ſpiritus ſimulantis. ſunt vero hæc: En rurſum ſupplex venio; et armorum copia præpollens, pugnare nolo: ſed Chriſti munitus fide, tibi atque alijs volo mederi.] quem Conſtantinus ludens, quòd Mars ſimulet lenitatem, ſubdit: Cur autem ea te facere dicis, quæ tuis moribus non conueniunt? At cum quali quiete, dic quæſo, aut quibus fretus copijs, vel potius quo temeritatis progreſſus? o audaciam dignam quæ fulminibus deponatur! Audire enim quæ nuper mihi ſignificauit, calamo virus inſtillante ſcribens: Sic, inquit, credimus. tum neſcio quæ adiungens, accura-

D te atque ad faſtum meditata, vlteriuſque procedens, nihil mali reticuit, ſed vniuerſum (vt ita dicam) amentiæ theſaurum exprompſit: Expellimur, inquit, recipiendi nos poteſtatem auferunt. Sed nondum hæc ad rem: cetera attendite. eius enim verbis vtar.

Poſtulamus, inquit (ſi quidem in eadem ſententia Epiſcopus Alexandriæ maneat) poteſtatem nobis poſthac ex legis conſtitutione dari, legitima & indeprecabilia officia Deo perſoluendi. O grauem impudentiam! quam ſtudio veritatis redargui conueniebat: quod enim ipſi cordi erat, id breuitate ſermonis expreſſit. Quis locus ſermoni tuo eſt? putrem fractamque quaſi nauim mentem tuam nobis opponere moliris, diſſidium ſpecioſumq; eoſque qui tibi in malum adhæſerunt, perdere ſtudes? Quid igitur, inquis, faciam, ſi nemo recipere me dignatur? hoc enim ſæpe nefarijs faucibus exclamas. Ego vero contra rogabo te: Vbinam apertum ſententiæ tuæ ſignum ac teſtimonium oſtendiſti? quam te di-

E uinis humaniſque actibus explicaſſe ac declaraſſe oportuit: idque minime, quòd venenati ſerpentes tunc magis efferantur, cum ſe in profundos latibulorum receſſus abdiderint. Hoc autem illius valde ſcitum eſt, quod magno ſtudio ſilentium, quaſi ſub quadam verecundiæ perſona, ſimulet: te ipſum placidum ac lenem ſimulationis artificio præbes: fallit autem pleroſque animus tuus ſexcentis intus malis atque inſidijs ſcatens. O inſignem calamitatem! Sic Malus, vt voluit, Arium nobis exhibuit ſcelerum officinam.

Dic iam mihi, in medium progreſſus, fidei tuæ argumenta & indicia noli reticere: o qui os peruerſum, naturam procliuem ad omne genus improbitatis habes. Vnum dicis Deum: habes eiuſdem me ſententiæ. ſic igitur ſentias. Eius eſſentiæ Verbum & principij & finis expers, Verbum eſſe dicis: eo contentus ſum. ita crede. Si quid præterea adiungis, id tollo. Si quid ad impiam ſeparationem fraudulenter conſuis, id nec videre, nec intelligere me confiteor. Si hoſpitium corporis aſſumis ad diuinorum operum diſpenſationem, non improbo.] Hæc pie interpretanda, non diſtorquenda ARGVITVR PERFIDIA ARII.

ad Nestorij impiam sententiam: reperimus enim veteres scriptores ita nonnumquam esse loquutos, quamuis sentirent Christi Dei & hominis vnam esse personam: Si spiritum æternitatis in supereminenti Verbo genitum dicis, accipio.] de Verbo hæc interpretanda sunt, non de Spiritu sancto, quem nemo vmquam dixit genitum, sed procedentem a Patre atque Filio. His subdit: Quis Patrem nouit, nisi qui venit a Patre? Quem nouit Pater, nisi quem ab æterno ac sine principio ex se genuit? Tu quidem hypostasin peregrinam ac nobis inauditam subijcere putas oportere, male vtique credens. Ego vero potestatis superpræexcellentis & ad omnia permanantis plenitudinem Patris & Filij essentiam vnam esse iudico.] quod hic habet textus, plenitudinem, Græce πλήρωμα legitur, quod eam significat plenitudinem, quæ contineat plures personas, & opponitur singularitati, quam sancta Trinitas explodit. Sed rursum post hæc Imperator. Si igitur aufers quidem ab illo, a quo separari ne cogitatione quidem contentiosorum vmquam potuit: additionis autem characterem præstruis ac præmunis; & penitus notas ac signa quæstionum disterminas: illi totam ex se æternitatem dedit, cogitationem vero integram ac incorruptam, immortalitatemque per se, & Ecclesiæ attribuit fidem.] Quæcumque enim Verbum habet, a Patre accepit, a natiuitate æterna: cogitatio quidem non cadit in Deum proprie, sed Christo vt homini conuenit. Sunt hæc igitur pie intelligenda. Sed pergit Imperator. A B

Depone igitur, depone hanc sceleris amentiam, o prædite vrbanis moribus, & clara voce & ad insipientium perfidiam mala decantans.] Alludere Constantinus videtur ad Taleiam Arij, obscœnum poema scilicet, Sotadicis rhithmis attemperatum, quo suam hæresin canebat, & alijs dederat publice concinendum: de quo aliàs pluribus. Sed subdit: Tuo te merito Malus subuertit per malitiam suam (ac nonnullis fortasse iucundum hoc videtur) sic enim te ipsum comparasti. est autem vsquequaque perniciosum malum. Agedum igitur ab absurditatum palæstra discedens, audi egregie Ari (te enim appello) An non sentis te ab Ecclesia Dei vtique abdicatum? scias te perijsse; nisi ad te respiciens, amentiam tuam damnes. At dices, magnum hominum numerum tecum facere, & subleuare curas tuas. C

ORACVLVM DE ARIO.

Audi, & parumper aures præbe, nefarie Ari, intellige dementiam tuam. Tu vero Deus, qui omnium curas habes, propitius esto sermoni, si fidem teneat: ego enim homo tuus, o misericors, qui prouidentia tua defendor, ac e Græcorum Latinorumq. vetustissimis scriptis insaniam Arij aperte demonstrabo ante tria millia circiter annorum ab Erythræa præsignificatam ac prædictam. sic enim fata est: Væ tibi Libya in maritimis posita locis: tibi enim veniet tempus, quo vna cum populis ac filiabus tuis graue certamen & crudele & perdifficile subire cogeris: ex quo fidei pietatisque iudicium in omnes dimanabit. tu vero ad extremum vergis exitium: vos enim cælestium florum receptaculum conuellere, morsuq. dilacerare ausi estis, atque adeo ferreis dentibus temerastis.] Peculiare fuit Constantino, scriptis suis oraculum aliquod interserere, vt in edicto vidimus ad Prouinciales dato [a], & in oratione illa ad S. Cœtum conscripta. Rursus in eumdem: D

[a] Apud Euseb. Vit. Constantin. lib. 2. c. 47.

Quid igitur, versutissime, vbi nunc terrarum esse te fateris? ibi videlicet. tuas enim habeo litteras, quas ad me insano calamo exarasti, quibus affirmas omnem Libyæ populum tibi ad salutem scilicet assentiri. Sin hæc ita esse negabis; Deum iam testor, me quidem vetustissimos Erythræa pugillares, Græca lingua scriptos, Alexandriam mittere, quo citius pereas.] Tum vero ad Arij verba respondens, ait: Deinde tu sine peccato? o gemina insignis galea! an non aperte perijsti? o miser, tanto malo circumuentus. scimus, scimus conatū tuum. Quæ cura, quinam te perturbat metus? id non fallit nos, o infelix & calamitose. o hebetem mentem tuam! qui ne morbum quidem tuum, animumq. incertum premere ac tegere potes, scelestе: qui veritatem varijs sermonibus lædis ac subruis: cumque huiusmodi sis, non te pudet vituperare nos, modo redarguens, vt quidem tibi persuades, modo commonens, quasi fide doctrinaque superior. A quo miseri quidam homines opem sibi parare gestiunt? tametsi oportebat omnes & congressum tuum & sermonem fugere, nisi forte quis in fraudulentis huius verbis recte viuendi spem moderatis hominibus positam esse putat. Sed non ita est, longe abest. Quod autem verum (o vestram, qui huius consuetudine vtimini, dementiam!) quæ vos coegit insania, huius acerbam linguam & aspectum perferre? E

Sed iam ad te sermonem conuertam, o qui insano animo es, lingua blanda, infida mente. Da sermonem non ancipitem ac volubilem, sed cuius orbem circumscriptum noscamus: non putidum ac infirmum, sed robustum & solidum. o scelerate ac nequissime, & mente obscura: cogor enim hæc dicere. quinimmo iam tibi laqueum inijciam, teq. ratione compeditū in me-

A in medium adducam, vt improbitatem tuam populus omnis intelligat. Iam ad rem veniam. Ablutæ vtique manus sunt: accedamus ad preces.] hæc cum ipse dicat, ad antiquum illum morem alludit, quo consueuerant Fideles precaturi Deum, antea manus abluere, iuxta illud Apostoli ad Timotheum [a]: Leuantes puras manus sine ira & disceptatione.] nisi potius verbis illis allusisse voluit ad animi sui innocentiam de impio iudicantis, secundum ea quæ dicta sunt primo Annalium Tomo. Sed rursum epistola: Inuoca Deũ; vel potius morare paulisper, ac dic, quem, o feruidissime, Deum in auxilium aduocabis? Verum quiescere non possum. Domine, qui rerum omnium potestatem habes, o potentiam solus obtinens Pater, huius nefarij hominis causa, opprobria & dolores & vulnera Ecclesia tua sustinet. Arius tibi locum iam accommodat, admodum scilicet conuenienter, in quo Concilium sibi constituens, Filium tuum ex te natum, ducem salutis nostræ, Filium adoptionis lege arrogat ac tenet. audi obse- B cro mirabilem fidem. te locali motu, Domine, moueri existimat: audet te definitæ sedis orbe circumscribere. Nam vbi præsentia tua non adest? aut vbi tuam non omnes operationem atque efficaciam sentiunt, ex tuis quaquauersum permeantibus legibus? Omnia enim ipse contines: extra te nec locum nec quidquam aliud cogitare fas est. ita tua potestas efficaciter est infinita. Tu ergo audi Deus: vos vero, populus omnis, mentem attendite. Nam hic inuerecundus & nequam ad summam improbitatem & iniquitatem progressus, pietatem simulat ac religionem obtendit: Apage, inquit, nolo videri Deum passione contumeliarum teneri: atque ideo suppono, ac fingo mirabili quidem fide, quòd Deus nouellam nuperque conditam Christi substantiam fabricatus, auxilium sibi comparauit, vt mihi quidem videtur. quod enim, inquit, abstuleris, eo id minus quid fecisti.

Tua igitur, o pernicies, ac lues, est fides hæc? Tu ex hypothesi figmentum sumis eum, C qui Gentium figmenta condemnauit? Tu adscititium eum vocas ac tamquam officiorum ministrum, qui sine cogitatione & ratiocinatione, quòd Patris æternitati coexistat, omnia effecit? Accommoda iam, si audes; accommoda, inquam, Deo, & præcautionem, & spem euentuum, & cogitationem, & ratiocinari; et quod considerans, sententiam pronunciat, ac decernit, & delectatur, ridet, dolet. Quid igitur ais? o miseris omnibus miserior! o Nestor, ipsum malitiæ negotium intellige, si potes, quòd tua ipsius malitia & astutia improbus consumeris. Christus, inquit, propter nos passus est. At ego iam dixi, quòd forma corporis missa est. Sane, inquit; sed metuendum, ne eum aliquatenus imminuere videamur. Deinde o ferarum mediator, cum hæc dicas, non insanis? aperte furiatus. Ecce enim Mundus ipse forma siue figura est: et astra characteres suos ostendunt; ac omnino spiritus huius globosi Orbis, species est eorum quæ sunt, & veluti formatio. Atta- D men Deus vbique adest. Vbinam igitur in Deo contumeliæ sunt? aut vllatenus minuitur Deus? O æquitatis parricida! Ex te ipso coniecturam capiens, considera, & cogita, si peccatum videtur esse, in Christo adesse Deum. Ille quidem vidit sermonis ignominiam, nec tarde pœnas irrogauit. Præterea quotidie fere in mundo peccata committuntur: et tamen Deus adest; nec ijs diu supplicium debetur, tandemque luitur. an ideo minuitur potestatis eius amplitudo? an vbique patitur? non opinor. Mundi enim mens per Deum est: per eum omnis stabilitas & permansio: per eum omne ius, omnis pœna. Christi fides ex ipso est sine principio; denique vniuersa Dei lex Christus est, per ipsum infinitam vim & indesinentem habens.

Sed de his ex te exque modulo tuo cogitas. o incredibilem insaniam! In exitium iam tuum conuerte gladium diaboli. Videte omnes, videte, vt lamentabiles prætendat voces, viperæ morsu læsus: videte, vt venæ eius, vt carnes veneno occupatæ acer- E bos moueant cruciatus: vt corpus eius tabe diffluxerit, vt attenuatum & squallore sordibusque obsitum, lamentatione, pallore, horrore, infinitisque malis conficiatur, misereque strigosum sit: vt deformis illuuie sordidusque capillus. videte seminecem, obtutu iam languido, vultu exangui, mæsto, tabido: cernite, vt ad eum propter mali diuturnitatem confluxerint furor, insania, vanitas, eumque immanem ac ferum reddiderint: ne sentit quidem, quibus sit in malis.] Sane quidem quantumlibet Libya & Aegyptus monstrorum ferax complura & varia portenta genuerit, numquam certe deformius & humano generi perosius quàm Arium monstrum protulit. Describitur etiam ac pingitur quasi coloribus Arij deformis monstri vultus turpissimus, & corporis habitus ab Epiphanio his verbis [b]: Erat, inquit, statura valde longus, subtristi specie, figuratus velut dolosus serpens, qui decipere posset omne innocens cor per versutum suum prætextum: dimidium enim pallium hic semper indutus & stolam, dulcis erat in colloquio, persuadens semper animas & blandiens.] hæc Epiphanius, qui cum sæpius vidisse

ARII EFFIGIES ET HABITVDO CORPORIS.

b Epiphan. hæres. 79.

a Epiphan. hær. 69. potuit, vtpote (quod & ipse testatur a) adolescens in Aegypto versatus. Sed respondens rursus ad Arij verba hæc subdit: Effert me, inquit, voluptas, tripudio, exulto gaudio, in altum quasi pennis attollor. Rursum inuidus admodum & ferox, Heu, inquit, perijmus. Hoc quidem solum verum: tibi enim soli studia conatusque suos malitia largiter præbuit; quodque magno pretio emerat, tibi facillime donauit. Agedum iam dic: vbi egregia tua monita? Elue, quæso, mala tua Nili aquis, si fieri potest, o plene absurdissimo stupore: et quidem vniuersum Orbem sceleribus tuis conturbare studuisti. Nonne intelligis, quòd omnia, qui Dei homo sum, ego scio? At iam dubito, vtrum manere, an abire oporteat: nec enim possum respicere, & peccatum erubesco. Nos, Ari, videlicet, Ari, in luce collocasti: te ipsum vero infelix in tenebras coniecisti. hic laborum tuorum finis. A

Sed eo redeo, quòd multitudinem iactas hominum circum te vagantium. par est opinor hos recipe; recipe, inquam: sese enim lupis ac leonibus deuorandos addixerunt; quin immo eorum vnusquisque additamentum est decem capitum, ac tanto numero oppressus valde sudabit, nisi quamprimum ad salutarem accurrens Ecclesiam, charitatis pacem studio concordiæ susciplat. de cetero enim a te non decipientur ob malam conscientiam condemnato: neque funditus petire sustinebunt, sceleratis tuis quæstionibus implicati. Aperta & nota omnibus sunt in posterum quidem captionum tuarum sophismata. nihil tibi procedet; sed incassum figuris te inuolues, æquitatem & sermonum lenitatem assimulans, ac simplicitatis (vt ita dicam) personam extrinsecus suscipiens: artificia tua vanescent: cito enim te veritas circumuallabit: cito flammas tuas diuinæ potentiæ (vt ita dicam) imber extinguet. Et quidem socios ac suffragatores tuos, qui Curiæ se iam obstrinxerunt, publicorum munerum curæ excipient; nisi quamprimum, euitata consuetudine & congressu tuo, incorruptam fidem sequantur. Tu vero ferrea mente vir, da aliquod mihi specimen tui propositi, si tibi confidis, si fretus es stabilitate fidei, ac puram omnino habes conscientiam. Veni ad me, veni inquam, ad Dei hominem: crede quòd interrogationibus meis cordis tui abdita scrutabor. Ac si quidem in te furor insedisse videatur: diuinam implorans gratiam, a virulento morsu te melius curabo. Sin mente sana videberis: veritatis in te agnoscens lumen, & Deo gratias habebo, atque agam: et mihi ceterique manui, quæ opem attulerit pietati, gratulabor: et alia manu: Deus autem vos custodiat, dilectissimi. B C

Per Synclitium & Gaudentium Magistros hæ allatæ sunt, cum esset Paterius Præfectus Aegypto, & in Palatio recitatæ sunt.] Erant hi Palatini Magistri tabellariorum, qui etiam postea detulisse leguntur eiusdem Constantini litteras ad Athanasium; quod ipse in sua Apologia testatur, cum ait b: Pars autem epistolæ sic se habet, quam detulerunt Palatini Synclitius, Gaudentius, &c.] Ceterum quo testatum redderet Cōstantinus animum suum in Arium Alexandrinis, has ad ipsum Arium scriptas a se litteras Alexandriam perferendas curauit, atque publice recitari, quibus & suo chirographo salutationem apposuit. D

b Athan. Apolog. 2.

RES GESTAE AB OSIO IN AEGYPTO.

Sed iam ad Osium Cordubensem Episcopum redeamus, quem Legatum missum diximus in Aegyptum ad componendas turbas causa Arianorum atque schismaticorum conflatas, vt Alexandrinæ Catholicæ Ecclesiæ laboranti suppetias ferret. Quid igitur Osius, cum a Siluestro Romano Pontifice ad huiuscemodi Orientalis Ecclesiæ rixas sedandas missus est munitus Constantini litteris, quas superius recitauimus, egerit, peruestigandum nobis est. Constat quidem Athanasij testificatione, eum in Aegyptum profectum esse, & ibi Generale Concilium celebrasse; sic namque illud Athanasius c nominat; quòd præsente Apostolicæ sedis Legato, omnes Episcopi illarum prouinciarum quæ parebant Antistiti Alexandrino, fuerint ad Synodum conuocati. E

c Athanas. ibid.

CONCILIVM GENERALE ALEXANDRINVM.

Quæ autem in eo gesta fuerint, cum exciderint ipsius Acta, perpauca quædam tantum supersunt, & illud in primis, quod duobus locis Athanasius attestatur, in eodem Concilio Colluthum presbyterum Alexandrinum (de quo superius mentio facta est) quòd cum non esset, Episcopum tamen ageret, & plurimos ordinasset, fuisse in ordinem redactum. sunt hæc verba Athanasij d loquentis de Ischyra ab eo ordinato presbytero: Cum Ischyram quemdam subornassent, quem secum adduxerunt, hominem minime presbyterum, tametsi se eo nomine iactitet, quippe ordinatum a Collutho quodam non vero sed imaginario Episcopo, cui in Generali Concilio ab Osio & a ceteris Episcopis, qui vna aderant, iussum fuit, vt se pro presbytero, qualis antea fuerat, haberet; atque ideo omnes ab illo constitutos in veterem suum ordinem recurrisse, inter quos etiam Ischyras numerandus est, &c.] hæc ibi Athanasius: et ne quis putet, cum Generalem Synodum

d Athanas. ibid.

dicit

A dicit, Nicænam intelligere; idem ipse Athanasius celebratam eam esse Alexandriæ demonstrat his verbis de eodem Ischyra sermonem habens[a]: Idemque cum talem sibi titulum vendicasset in Alexandrina Synodo, in præsentia Patris nostri Osij depositus est, & cum laicis in ordinem redactus, atque in eo statu reliquum tempus permansit.] [a Athanas. eadē Apolog. 2.]

Rursum vero in hac eadem Synodo Alexandrina tradit Socrates[b] Osij Legati studium in eo maxime versatum esse, vt peruersum dogma Sabellij, quod in illis regionibus plurimum inualuerat, prorsus exploderet: et quòd ille trium personarum distinctionem non reciperet in Trinitate, & in vnam eas omnes essentiam indistinctè confunderet; factum est in eadem Synodo, vt in sanctissima Trinitate sicut vna prædicaretur οὐσία; id est, essentia, ita tres dicerentur subsistentiæ; nempe ὑποστάσεις: sed cum hæc vox apud nonnullos acciperetur pro substantia, inde maior oborta est controuersia, num rectè dicerentur tres esse in Trinitate substantiæ. sed B de his suis locis agendum pluribus. [b Socrat. lib. 3. c. 5.]

Ex his igitur quæ in ea Synodo aduersus Colluthum gesta sunt & contra Sabellij hæresin definita, facile possumus intelligere cetera, quæ sunt de eodem Concilio obliuione sepulta, de rebus gestis aduersus Arium & Arianos atque Meletianos, quorum causa potissimum missus Osius videbatur. Qui quidem quòd iugiter Legatum ageret Apostolicę sedis Vrbis Romæ; non in ea tantū, quam diximus, hoc anno celebrata Synodo Alexandrina, sed & in alijs multis, quæ diuersis in locis eadem quoque ex causa vel alijs emergētibus coactæ sunt, principem locum obtinuit: vnde de eodem hæc alibi idem Athanasius[c]: In qua enim Synodo ille non dux & antesignanus fuit? Quem non ille rectè tuendo in sententiam suam pertraxit? Quæ Ecclesia illius præsidentiæ non pulcherrima monumenta retinet? &c.] Cum igitur ex his manifeste appareat, Osium habuisse in Aegypto Synodum tam celebrem, & in ea quoque cognouisse C controuersias atque causas Meletianorum & Colluthianorum schismaticorum; satis significatum videtur, functum esse ipsum Osium legatione ab Apostolica sede: nam cum in Constantini litteris non nisi de componendis dissidijs inter Arium & Alexandrum mentio habeatur, quorum tantum causa litteras illas ab eo accepisse diximus; vt ipse præterea schismaticorum causas agnosceret, ab alio quàm a Constantino id ei oportuit imperatum: porro non ab alio id potest dici vel fingi, quàm ab ipso Romano Pontifice, qui Alexandri litteris, vt de ceteris, (quod dictum est superius) de his fuerat interpellatus: qui ad hoc potissimum delegit Osium, virum cùm eruditione, tum confessione clarissimum, Constantino præsertim in Donatistarum causa notissimum, ac pariter (vt demonstratum est superius) acceptissimum. Quantum autem temporis in his Osius Legatus insumpserit, haud liquet; sed quantum coniectura assequi licet, diu multumque eum his de causis in Aegypto moratum esse, intelligere possumus: D cum tria obiret negotia difficillima, atque inter se diuersa, & cum diuersis hominibus, has nempe causas, Arianam, Meletianam, & Colluthianam: eosdem vero omnes refractarios & obstinatos in omnibus extitisse, quæ sunt de eis superius enarrata, & quæ inferius dicentur annis singulis declarabunt. Quamobrem quæ hoc anno cœpta diximus per Constantinum, in plures annos esse pariter propagata, certum est. non tamen semper ibi in Aegypto detentum Osium existimamus, quem & eadem legatio in componendis Asianorum Syrorumque dissidijs occasione Paschatis celebrandæ diei obortis postea occupauit. [c Athanas. in Apolog. de fuga sua.] [LEGATIO OSII A SILVESTRO PAP.]

Hoc eodem anno, secundum Nicephori Chronicon, Philogonius Antiochenus Episcopus, cum sedisset annos quinque, ex hac vita decessit: inque locum eius Paulinus est suffectus (licet alicubi Paulus legatur) qui totidem sedit annos. De Paulini suffectione in locum Philogonij non tantum citatus auctor testis est, sed & S. Hieronymus in Chronico: ex quibus redar-E guitur Theodoretus[d], qui ponit Eusthatium Philogonio subrogatum, nulla de Paulino penitus habita mentione. Quod autem ad Philogonium spectat, quem hoc anno vita functum diximus; is ea claruit vitæ sanctimonia, vt inter sanctos relatus sit Episcopos, & anniuersaria eius memoria in Ecclesia ageretur vigesima die mensis Decembris, qua tabulis Ecclesiasticis annotatur: qua die S. Ioannes Chrysostomus[e] habuisse reperitur ex more in laudem tanti Antistitis Panegyrin, quam in hunc ferme modum exorsus est: Ego quidem & hodie destinaueram aduersus hæreticos luctaturus vestem exuere, quodque restabat debiti, vobis persoluere: verùm beati Philogonij dies, cuius hodie memoriam celebramus, ad ipsius benefactorum enarrationem linguam nostram euocauit: et omnino parendum est, &c.] hæc enim perpauca ex multis recitasse voluimus, vt antiquæ consuetudinis memoria saltem teneatur, Sanctorum videlicet natalitia ea industria & diligentia in Ecclesia celebrari solita; vt quamuis magni momenti negotium intercederet; tamen non nisi in Sancti, cuius ageretur natalis dies, laudibus fas esset Episcopum & clericos atque populum occupari. [PHILOGONII EPISCOP. ANTIOCH. OBITUS.] [d Theodoret. lib. 1. c. 7.] [e Chrysost. tom. 3. ad fin.]

CONSTANTINVS RECEDIT EX ORIENTE.

a l. 1. de sponsal. Cod. Theodos.

Hoc eodem anno Constantinus Imperator licet instituisset profectionem in Orientem, ob barbaros rursum turbas cōcitantes reuocatur in Occidentem: recedens itaque, in Mysiam inferiorem atque Pannoniam descēdit; vbi Sirmij cum esset, ad Ruffinum Præfectum Prætorio scripsisse reperitur [a]: at quo modo anno sequenti ad Occidentem peruenerit, suo loco dicemus: aduersus autem tumultuantes Alemannos præmisit Crispum Cæsarem filium, quem postea sequutus ipse est in Gallias. sed de his anno sequenti. Hoc itidem anno, iisdemq. Consulibus, idem Constantinus Imperator aduersus Aruspices, qui priuatorum domos adire solerent, & cuncta solita superstitione miscere, atque ita clandestinæ idololatriæ venena instillare in hominum mentes: ne id amplius vsurparent, ad Maximum rescripsit. Præfectum Vrbis hunc fuisse hoc anno, iisdemque Consulibus, Græcorum tabulæ fidem faciunt, in quibus sub eodem Consulatu inscriptus reperitur [b] Valerius Maximus Basilius Præfectus Vrbis, cuius Præfectura vsque ad annum quartum propagata est. verba autem rescripti hæc sunt [c]: B

b Apud Cuspin. commēt. in Cassiod. Consul.

c l. 1. de malefic. Cod. Theod.

CONSTANTINVS ADVERSVS ARVSPICES.

Nullus Aruspex limen alterius accedat, nec ob alteram causam: sed huiusmodi hominum, quamuis vetus, amicitia repellatur: concremando illo Aruspice, qui ad domum alienam accesserit; et illo qui eum suasionibus vel præmijs euocauerit, post ademptionem bonorum, in insulam detrudendo: superstitioni enim suæ seruire cupientes, poterunt publice ritum proprium exercere. Accusatorem autem huius criminis, non delatorem esse, sed dignum magis præmio arbitramur. PP. Kalendis Februarij Romæ, Constantino Aug. quintum & Licinio Cæs. Coss.] sed & ad Gentilem adhuc populum in hæc tunc item verba rescripsit [d]:

d l. 2. eod. Cod.

Aruspices & sacerdotes, & eos qui huic ritui adsolent ministrare, ad priuatam domum prohibemus accedere, vel sub prætextu amicitiæ limen alterius ingredi; pœna contra eos proposita, si contempserint legem. Qui vero id vobis existimatis conducere, adite aras publicas atque delubra, & consuetudinis vestræ celebrate solemnia. Nec enim prohibemus præteritæ vsurpationis officia libera luce tractari. Dat. Idib. Maij, Constantino August. quintum & Licinio Coss. C

Iisdem quoque Consulibus, idem Imperator pro clericorum immunitate hæc ad Octauianum rescripsit [e]: Qui diuino cultui ministeria religionis impendunt; id est, hi qui clerici appellantur; ab omnibus omnino muneribus excusentur; ne sacrilego liuore quorumdam a diuinis obsequijs auocentur. Dat. XII. Kal. Nouemb. Constantino Aug. quintum & Licinio Cæs. Coss.] addit autem hæc his Sozomenus [f]; Illud porro, quod est plane maximum reuerentiæ Imperatoris erga religionem argumentum, quòd clericos vbique per legem ob eam rem conditam immunitate donari voluit; quodque illis qui erant in iudicium vocati, dedit potestatem, si modo in animum inducerent ciuiles magistratus reijcere, ad Episcoporum iudicium prouocandi; atque eorum sententiam ratam esse, & aliorum Iudicum sententijs plus habere auctoritatis, tamquam ab ipso Imperatore prolatam, statuit. Quin etiam iussit, vt magistratus res iudicatas reipsa exequerentur, militesque eorum voluntati inseruirent; præterea vt Conciliorum decisiones firmæ & immutabiles existerent.] hucusque Sozomenus de immunitatibus clericorum. Rescripsit quoque hoc anno Imperator ad Verinum Vicariam Præfecturam in Africa agentem, aduersus eos qui famosos libellos scripsissent [g]: sed & contra ambientes magistratus, ad Leontium [h]. iisdem enim Consulibus huius anni data habentur eiusmodi rescripta, quorum alterum publicatum habetur Hierapoli quinto Idus Iunij, Carthagine alterum Kalendis Aprilis. Notæ enim illæ, PP. quæ interdum in fine rescripti reperiuntur, publicationem significant: quas qui ignorant, in multos errores ferri necesse est, existimantes sæpe ibi datas esse leges illas, vbi sunt publicatæ. D E

e l. 1. de Episc. & Cleric. Cod. Theod.

CONSTANTINVS PRO CLERICIS RESCRIBIT.

f Sozom. lib. 1. c. 9.

g l. 1. de famos. libel. Cod. Theo.

h l. 1. de numerarijs Cod. Theod.

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
320.	7.	15.

ANnus vigesimus supra trecentesimum Consularibus Fastis habetur adscriptus Consulatu sexto Cōstantini Imperatoris vnà cum Constantino iuniore Cæsare collega, quo celebrata sunt Romæ Cæsarum Quinquennalia, in quibus Nazarius [i] celebris horum temporum Orator Panegyrin habuit, absente tamen Constantino Imperatore, qui (vt dicemus) agebat in Gallijs, cum Crispus eius filius Cæsarum natu maior Alemannos bello compressit. Hæc quidem ex eiusdem Nazarij Panegyrico facile erit demonstrare. Ac primum quod ad Quinquennalia Cæsarum spectat, id ipse suæ orationis ingressu egregie profitetur, cum paulo post

i Nazar. Panegyr. Cōstātin. 3.

QVINQVENNALIA CAESARVM.

A poſt ſubdit: Quintumdecimum annum maximus Princeps ſalutaris Imperij degit; ſed auguramur iam Vicennalia, & venturi fidem ſuperiorum felicitate ſentimus. Quinquennalia beatiſſimorum Cæſarum occupatos in gaudijs habent, ſed in deſtinatis decennijs iam vota properantia & ſpes volucres conſtituerunt.] At de abſentia Conſtantini idem Orator his verbis: Quis, oro, Conſtantine Maxime (præſentem enim mihi alloqui videor) qui etſi a conſpectu abes, reuelli tamen mentibus non potes, &c.]

Porro hæc geſta eſſe poſt Licinium & barbaros ſuperatos, idem auctor paucis complectens, agensq. de liberata Vrbe ab ipſo a Maxentij tyrannide, alias eam victoriam ait præceſſiſſe feliciſſimas expeditiones, alias vero poſtea ſubſequutas, intelligens plane de victorijs aduerſus Licinium atque barbaros comparatis: nam poſt debellatum Maxentium, nulla alia interceſſiſſe bella eſt memoria apud hiſtoricos, niſi aduerſus Licinium atque Sauromatas. Quod

B vero ad Criſpi victoriam ſpectat hoc anno de Alemannis obtentam: idem Nazarius his paucis attingit, cum agit de Conſulatu Conſtantini Cæſaris, qui hoc anno contigit: Nobiliſsimorum quoque Cæſarum laudes exequi velle, ſtudium quidem dulce, ſed non & cura mediocris eſt, quorum in annis pubeſcentibus non eruptione virtutis tumens germen, non flos præcurſor indolis bonæ lætior quàm vberior apparet, ſed iam facta grandifera & contra rationem ætatis, maximorumq. fructuum matura perceptio. Quorum alter (nempe Criſpus maior natu) iam obterendis hoſtibus grauis, terrorem paternum, quo ſemper barbaria omnis intremuit, deriuare ad nomen ſuum cœpit: Alter (Conſtantinus ſcilicet) iam Conſulatum, iam venerationem ſui ſentiens, ſi quid intactum aut parens aut frater reſeruet, declarat mox victorem futurum, qui animo iam vincit ætatem.] Barbaros autem a Criſpo deuictos, Alemannos fuiſſe, docent antiquorum nummorum inſcriptiones, vt illa [a]: FL. IVL. CRISPVS

CRISPI VICTORIA ADVERSVS BARBAROS.

C NOB. CAES. parte aduerſa adſtat figura nuda & radiata, dexteram eleuans, ſiniſtra globum tenens, atque hæ litteræ: ALEMANNIA DEVICTA SIRMI. et alius ſic: ALEMANNIA CAPTA. alius item Labarum habet cum duobus captiuis, atque has litteras: VIRTVS EXERCITVS. VOT. X. S. C.

[a] Recenſet has omnes Adolph. in lib. Impp. Roman. numiſm.

Rurſum vero de eiuſmodi votis Criſpo nuncupatis, eiuſq. victoria, hæc ibidem Nazarius: Declarant ecce rationem, cupiditatemq. votorum facta Criſpi Cæſarum maximi, in quo velox virtus ætatis mora non retardata, pueriles annos glorijs triumphalibus occupauit; cuius ita iam vberes ſcatent laudes, vt plenæ poſſent videri, niſi cœpiſſe & patrem cogitaremus. Qui quidem nunc nobiliſsimus Cæſar venerandi patris, fratrum, ſuorumq. omnium fruitur aſpectu, ſeq. fruendum omnibus præbet. cruda adhuc hieme, iter gelu intractabile, immenſum ſpatio, niuibus infeſtum, incredibili celeritate confecit: vt intelligamus alacritatibus ni-

VOTA PVBLICA NVNCVPATA.

D hil aſperum, qui ipſam, quam a ſuis petebat, tam laborioſam inſtituerit voluntatem. Quæ tuum, Conſtantine Maxime, mite pectus inundauit gratulatio? cui tanto interuallo videre filium licuit, & videre victorem? Narrauit vtique exhauſta bella, & hoc ad ſuam gratiam, non ad ſui oſtentationem, qualis excipiendo hoſte, quàm reſiſtenti vehemens, quàm facilis ſupplicanti. Audiuit frater intentus, & puerilem animum ſpes læta & blanda gaudia titillarunt: cumq. miraretur fratrem, etiam ſibi fauit, quòd ex annis eius quàm proximus tantæ gloriæ eſſet, agnouit.] hæc Nazarius. At alio ac plane diuerſo oculorum obtutu Criſpum Cæſarem aſpexit Fauſta Auguſta nouerca, quæ in eum oculos conijciens impudicos, adoleſcentuli victoris capta forma, turpem mox inde hauſit amorem, vt eum miſera deperiret; nouaq. Phedra nouum in Criſpo renouauit Hippolytum. Sed de his inferius ſuo loco.

Quod autem dictum eſt ſuperius, hoc anno Conſtantinum in Gallijs egiſſe, edictum eius

E de immunitate veteranis conceſſa declarat his verbis [b]: Idem Auguſtus cum introiſſet Principia, & ſalutatus eſſet a Præfectis & Tribunis & viris eminentiſsimis, acclamatum eſt: Auguſte Conſtantine, dij te nobis ſeruent, veſtra ſalus, noſtra ſalus, vere dicimus, iurati dicimus.] ſic legitur in Codice Theodoſiano: in Iuſtinianeo [c] vero non dij, ſed: Deus te nobis ſeruet.] Atque demum poſt immunitates veteranis conceſſas, quæ ad nos referre non ſpectant, eodem in Codice Theodoſiano hæc leguntur in fine: Dat. Kal. Martij in ciuitate Velouocorum, Conſtantino Aug. VI. & Conſtantino * Cæſ. Coſſ.] Apparet igitur ex his Conſtantinum cum Cæſaribus filijs egiſſe in Gallijs: hinc eodem Panegyrico Nazarius precatur, vt cum illis ſe Romam conferat: hæc enim habet ad calcem: Vnum modo eſt, quo fieri poſsit Roma felicior, maximum quidem, ſed tamen ſolum; vt Conſtantinum conſeruatorem ſuum, vt beatiſsimos Cæſares videat, vt fruẽdi copiam pro deſiderij modo capiat, & * nos alacris excipiat: et cum Reipublicæ ratio digredi fecerit, receptura dimittat.] hucuſque Nazarius.

CONSTANTINVS AGIT IN GALLIIS.

[b] L. 2. de Veteranis. Cod. Theodoſ.

[c] L. 1. de Veteranis. Cod. Iuſtin. lib. 11.

* Conſtantio

* vos

Quod autem ad sanctissimas leges Christiano Imperatore dignas pertinet hoc eodem anno ab ipso Constantino promulgatas: ad Populum edidit sanctionem, qua leges aduersus cælibatum statutas voluit abrogatas: siquidem illæ iure olim sancitæ leges (vt contestatus est Augustus oratione apud Dionem [a]) aduersus turpem, fictum, & sterilem cælibatum, iniuste a Gentilibus conuersæ essent contra verum, sanctum, atque fœcundum Christianorum hominum cælibatum, diuinis oraculis præcognitum atque laudatum [b], Domini sententia comprobatum [c], & Apostolico testimonio firmiter stabilitum [d]. harum igitur legum iniuriam Constantinus penitus aboleuit, cum sic ad Populum scripsit [e]: A

a Dio hist. lib. 56. Tacit. lib. 3.
b Isai. 54. 56.
c Matth. 19.
d 1. Corinth. 7.
e l. 1. de infirmand. pœnis.

CONSTANTINI RESCRIPTVM PRO CAELIBATV.

Qui iure veteri cælibes habebantur, imminentibus legum terroribus liberentur: atque ita viuant, ac si numero maritorum matrimonij fœdere fulcirentur: sitq. omnibus æqua conditio capessendi, quo quisque mereatur. Nec vero quisquam orbus habeatur: proposita huic nomini damna non noceant. Quam rem & circa feminas æstimamus, earumque ceruicibus imposita iuris imperia velut quædam iuga soluimus promiscue omnibus. Verum huius beneficij maritis & vxoribus inter se vsurpatio non patebit, quorum fallaces plerumque blanditiæ vix etiam opposito iuris rigore cohibentur: sed maneat inter istas personas legum prisca auctoritas. Dat. prid. Kal. Febr. Serdicæ *. PP. Romæ, Constantino sextum & Constantio * Cæs. Coss.] descripsimus hanc legem ex Codice Theodosiano, vt antiquiore; et e fonte petiuimus, quæ in Codicem Iustinianeum deriuata [f], alijs ab his diuersis habetur notata Consulibus, nec ipsa integra recitatur, qua Imperator ea ex parte voluit legem Papiam suas habere vires; illa enim inter alia decernebatur, vt eius quod vir relinquebat vxori liberos non habēti deberetur decima Fisco, & contra: quod tamen postea, lata ab Honorio Imperatore lege contraria, fuit penitus antiquatum, qua hæc sancita sunt [g]: Inter virum & vxorem rationem cessare ex lege Papia decimarum; et quamuis non interueniant liberi, ex suis quoque eos solidum capere testamentis (nisi lex alia imminuerit derelicta) decernimus. Tantum igitur posthac maritus vel vxor sibi inuicem derelinquant, quantum superstitis amor exegerit.] B C

* Sardicæ
* Constantino
f l. 1. C. de infirmand. pœn. calib.
g l. 2. C. de infirmand. pœnis.

Meminit eiuscemodi Constantini legis Eusebius his verbis [h]: Quemadmodum etiam si quis recensere cupiat, quot leges ad maiorem æquitatem traducens, e veteribus nouas fecerit, & quo modo id fecerit exempli causa facile aliquis possit paucis verbis demonstrare: Quibus nulli essent liberi, hos veteres leges fœcundorum successionis ademptione plectebant: Dura sane contra infœcundos lex, quæ illos, tamquam scelus aliquod admisissent, graui supplicio afficiebat. His ille sublatis legibus, sanxit, vt ad propinquos hereditas deueniret: summam in hoc corrigendo moderationem & æquitatem sequutus; cum ita sentiret, qui voluntario scelere se implicassent, digno supplicio coercendos esse: at multis liberos non voluntatem suam multorum liberorum cupidam, sed naturæ imbecillitatem denegasse: alios sine liberis vixisse, non quòd sobolis propagationem successionemq. abhorrerent, sed quòd acerrimum philosophiæ amorem muliebri connubio anteponerent. Præterea castitatem & inuiolatam virginitatem multas mulieres sacris dicatas constanter retinuisse, cum omni puritate & sanctitate perfusa vita, se totas corporibus & animis Deo consecrarent. Quid ergo? Supplicio ne hoc dignum existimari debet, an potius admiratione quadam & approbatione? Etenim propensa ad hoc genus vitæ voluntas magni facienda est: sed eam recte factis tueri, & vsque ad extremum, longe supra naturam. Quibus igitur non ipsorum voluntas, sed naturæ imbecillitas liberos denegauit; eos misericordia, non supplicio dignos esse: at diuinioris vitæ amatores non aliqua pœna afficiendos, verum incredibili admiratione suspiciendos esse. Atque isto modo Imperator legem hanc summa æquitate emendabat.] hæc Eusebius. D

h Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 26.

Agens quoque Sozomenus [i] de eadem Constantini lege, has speciales partes contra cælibatum antiqui iuris Romanorum attingit, cum ait: Vetus erat apud Romanos lex, quæ vetuit cælibes, si annum ætatis vigesimumquintum præterijssent, paribus cum ijs, qui nuptias contraxissent, priuilegijs frui; iussitq. præter alia multa, etiam vt nihil commodi, etiamsi genere proximi essent, ex testamento suorum caperent. Quin etiam eos qui nullos habebant liberos, dimidia parte bonorū, quæ erant reliqua, mulctauit.] Præscriptum erat a lege Papia viro annos vigintiquinque, feminis viginti procreandi liberos, vt capere possent hereditatem integram, prout Vlpianus [k] docet in titulo de solidi capacitate. Cur autem hæc olim statuta fuissent, idem Sozomenus declarat, sic dicens: Hæc lex a veteribus Romanis sancita fuit eo consilio, vt non Vrbem Romanam solum, verumetiam ceteram suam ditiōnem hominum multitudine complerent: quandoquidem haud longo tempore ante legem latam quamplurimos bellis intestinis ac ciuilibus amiserant.] hoc quidem (vt superius dictum est ex sententia Dionis [l] & Taciti) ab Augusto lege Papia factitatum est. E

i Sozom. lib. 1. c. 9.
k Extat post Cod. Theodos.
l Dio hist. lib. 56. Tacit. lib. 3.

Tum

A Tum subdit: Quare Imperator cum videret, eos qui & virginitatem colere, & sine liberis esse propter amorem in animum induxissent, hac de causa deteriore esse conditione: stultum plane censuit, vt homines suum genus sua ipsorum solicitudine ac studio augere conarentur, præsertim cum natura semper secundum diuinam moderationem humano generi tum interitum afferat, tum incrementum. Itaque legem plebi promulgauit, quæ iubet, vt tum cælibes, tum liberis carentes pari iure cum ceteris omnibus fruerentur. Immo vero etiam decreuit, vt qui castimoniæ & virginitati se consecrassent, priuilegio quodam præ ceteris donarentur: deditq. tum masculis tum feminis potestatem, etiamsi adhuc impuberes essent, testamenta contra consuetudinem communiter in Republica Romana seruatam faciendi: nam illam recentissimam omnium reuera voluntatem censuit, diuinum numen semper colere, & pium vitæ genus exercere. Siquidem ob hanc causam veteres quoque Romani lege sanciuerunt,
B vt virgines Vestales etiam ad sextum ætatis annum testamentum componerent.] hæc de his Sozomenus.

Porro nihil ferme contra mentem legislatoris Constantinus innouasse videtur: nam patet ex Dione Augustum insectatum esse fictum cælibatum, eos nempe qui sic carebant vxore, vt turpissimâ libidinibusq. sordidam vitam agerent; quos vero constaret reuera cælibatum excolere, earumdẽ immunitatum, quibus coniugati vterentur, voluit esse participes. hæc ex Dione, nosq. suo loco, tempore latæ legis diximus primo Annalium Tomo. Sed illa ex Tertulliano suboritur dubitatio: Quid reliquum fuit Constantino, eiusmodi contra cælibes legem Papiam abrogare; quam, vt ipse ait, constat a Seuero Imperatore sublatam? cum enim agit de antiquis legibus, nouis superinductis, solitis ab Imperatoribus antiquari; Nonne (inquit [a]) vanissimas Papias leges, quæ ante liberos suscipi cogunt, quàm Iuliæ matrimonium contrahi, post
C tantæ auctoritatis senectutem heri Seuerus constantissimus Principum exclusit?] Ad hæc vero in primis dicimus, legem Papiam fuisse amplissimam, multaq. capita continuisse, eademq. a diuersis Imperatoribus paulatim temporibus varijs amputata. Testatur id Iustinianus Augustus, qui nouissimus omnium ad excisam multis ramis ingentem arborem legis Papiæ securim admouit, caduca cædens, dum de caducis tollendis lege Papia introductis edidit sanctionem, qua ait [b]: Et quemadmodum in multis capitulis lex Papia ab anterioribus Principibus emendata fuit, & per desuetudinem abolita: ita & a nobis circa caducorum obseruationem inuidiosum suum amittat vigorem, &c.]

DE ABROGATIONE LEGIS PAPIAE ELVCIDATIO.

[a] Tertull. Apolog. c. 4.

[b] l. 1. § & quemadmodum. C. de cad. toll. nd.

Qui autem primus ramum præcidit legis Papiæ, fuit Tiberius Imperator, de quo Suetonius [c] inquit: Capiti Papiæ Poppeæ legis a Tiberio Cæsare, quasi sexagenarij generare non possent, edicto abrogauit.] Sed & Claudius statuit aduersus eamdem legis Papiæ partẽ Sena-
D tusconsultũ, Claudianum appellatum, quod citatur ab Vlpiano in fragmentis, titulo de solidi capacitate: ex eo scilicet concessit solutum pœnis legis Papiæ, si maior sexagenario duxerit minorem quinquagenaria; et perinde habeatur, ac si minor sexaginta annorum duxisset vxorem. Rursum vero idem Claudius aliquid immutauit: nam de eodem sic idem auctor Suetonius [d]: Constituit pro conditione cuiusque ciuis vacationem legi Papiæ Poppeæ.] sed hoc indultum certis personis certa de causa fuit.

CONCISORES LEGIS PAPIAE.

[c] Sueton. in Claud. c. 23.

[d] Sueton. in Claud. c. 19.

Seuerus tertius numeratur, quem apparet in eo, quod Tertullianus scribit, correxisse legem Papiam, in quo aduersari videbatur legi Iuliæ: nam cum vtraque lex cælibatum insectaretur, vtraque tempus præstituerat, annos vigintiquinque viris, feminis viginti. sed Papia, vt ea ætate haberent liberos; Iulia, vt matrimonium contraherent. atque ea ex causa vanissimam appellat legem Papiam, cum cogeret quoslibet habere liberos, cum lege Iulia nonnisi contra-
E here matrimonium cogerentur. Putauit Cuiacius [e], Seuerum ad liberos procreandos terminum præscripsisse annum vnũ & menses sex, non autem cælibatus & orbitatis pœnã sustulisse. Pamelius autẽ eius visus est esse sententiæ, vt Seuerus legem Papiam pœnas inferentem in cælibes & orbos penitus abrogarit: sed id citato nuper auctori non placet. Quamobrem nos sumus eius sententiæ (quod coniectura res agatur, cum nihil appareat de lege Seueri contra legem Papiam promulgata) vt ipse Seuerus eam tantum partem legis Papiæ abrogarit, quæ orbos exagitabat, vtpote ad perpetranda adulteria incentiuum: cum amore prolis, quæ ex marito non gignerent liberos, vt vitarent pœnam legis, alijs appeterent se viris adiungi. Seuerus igitur cum (vt secundo Annalium Tomo dictum est) seuerissimus fuerit in plectendis adulteris, ea ex parte voluit legem Papiam amputasse, qua adulterandi manare videretur non leuis occasio. Sed ipso Seuero defuncto, eadem lex fuit in vigorem pristinum restituta.

[e] Cuiac. in Paratitl. Cod. lib. 8. tit. 58. & sup. lib. 6. tit. 11.

Quartus vero Papiæ legis aduersarius fuit (vt diximus) Constantinus, qui illam ea ex parte, qua cælibatum exagitabat, penitus abrogauit. Sed & qui numerandus est quinto loco

Honorius

Honorius Imperator in eo Papiam legem succidit, quo illa iubebat persolui decimam de donationibus inter virum & vxorem a lege permissis. Iustinianus vero in ijs quæ ad caduca tollenda pertinebant, eamdem legem visus est magna ex parte sustulisse. Sed erant & alia legis Papiæ capita ad iura patronorum spectantia. Verùm ex his plane intueri licet, quanti Constantinus fecerit cælibatum, dum eius causa illas sustulit leges, quæ præ ceteris in Romano Imperio custodiebantur, nempe Iuliam, atque Papiam, de quibus auctor in Panegyrico habito ad Maximianum & Constantinum hæc loquitur: Leges hæ, quæ mulcta cælibes notauerunt, parentes præmijs honorarũt, vere dicuntur esse fundamenta Reipublicæ, quia seminarium iuuentutis & quasi fontem humani corporis semper Romanis exercitibus ministrarunt.] hæc ibi. A

Ceterum maxime falli eos, qui ex sancto cælibatu Christianorum putarunt exhauriri hominum prole Romanum Imperium, S. Ambrosius [a] quod experimento didicit, his verbis significat: Si quis igitur putat consecratione virginum minui genus humanum: consideret, quia vbi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines: vbi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse maiorem. Discite quantas Alexandrina, totusq. Oriens, & Africana Ecclesia quotannis sacrare consueuerint. Pauciores hic homines prodeunt, quàm illic virgines consecrantur. ex ipsius igitur Orbis terrarum vsu non inutilis virginitas existimatur; præsertim cum per virginem salus venerit Orbẽ fœcũdatura Romanum.] hæc Ambrosius. Sed quod ad Constantinum spectat decurtantem legem Papiam; magnum tẽperati ab auaritia animi id indicium fuit. erat plane lex Papia fiscale rete, quo ingens thesaurus quolibet anno in ærarium inferebatur. Vt ex his quoque liceat redarguere Zosimum impium sugillantem auaritiam Imperatoris. Nam hæc omnia contempsit Christianus Imperator, vt qui sciret sanctum cælibatum in Ecclesia Dei magnæ fuisse semper æstimationis & gloriæ. Sed iam de his satis. B

[a] Ambros. de Virginib. lib. 3.

LEGES ALIAE CONSTANTINI VALDE PROFICVAE.

His autem narratis ab Eusebio de lege Papia aduersus cælibes abrogata, hæc subdit [b]: Præterea cum veteribus legibus cautum esset, vt qui e vita excederent, ipso extremo fere spiritu certis & conceptis verbis testamenta componerent; atque adeo leges ipsæ, quibus ea sententiarum formulis quibusq. verbis scriberentur, definirent; eaq. res non minimæ esset fraudi testatorum iam morientium voluntati: prudenter hæc animo complectens Imperator, legem ipsam abrogauit, statuitq. vt moriens nudis verbis & fortuita oratione voluntatem suam testaretur, & quouis scripto sententiam suam ederet, aut si mallet, sine scripto testaretur, adhibitis ad eam rem idoneis testibus, quiq. fidem sine fallacia seruare possent.] hæc Eusebius. Extat ipsa quidem lex [c] ibidem loci vbi superior, nempe Sardicæ, itemq. ad Populum data postridie eius diei. Sed dum legitur Constantio & Constante Coss. sicut in priori superius recitata, error irrepsisse videtur: nam horum Consulatus post Constantini Imperatoris obitum contigit. est illa sane digna quæ Annalibus intexatur, vtpote quæ multiplicium litium abstulit seminarium. sic enim se habet: C D

[b] Euseb. Vit. Cõstãtin. lib. 4. c. 26.

[c] l. quoniam. C. de testamentis.

Quoniam indignum est, ob inanem obseruationem irritas fieri tabulas & iudicia mortuorum: placuit, ademptis ijs, quorum imaginarius vsus est, institutioni heredis verborum non esse necessariam obseruantiam, vt cum imperatiuis & directis verbis fiat, aut inflexis. Nec enim interest, si dicatur: Heredem facio, vel instituo, vel volo, vel mando, vel cupio, vel esto, vel erit: sed quibuslibet confecta sententijs, vel in quolibet loquendi genere formata institutio valeat, si modo per eam liquebit voluntatis intentio: nec necessaria sunt momenta verborum, quæ forte semineces & balbutiens lingua profudit. Et in postremis ergo iudicijs ordinandis amota erit solemnium verborum necessitas; vt qui facultates proprias cupiunt ordinare, in quacumque instrumenti materia conscribere, & quibuscumque verbis vti, liberam habeant facultatem. S. D. Kal. Febr. Sardicæ, Constantio A. & Constante A. CC. Coss.] Est tamen ex his corrigendus Eusebius, dum ait, constituisse pariter Imperatorem, testatorem posse siue scripto, siue sine scripto vltimam voluntatem suam testatam reddere: nam non eo vsque progressa est lex, sed tantum vt in quacũque materia scriptum reperiretur testamentum, siue in chartis, siue in papyro, vel membranis, illud firmum ratumq. habendum esset; cum olim tabulæ ligneæ vsitatius adhiberi solerent in testamentis conscribendis; atque inde quòd ligneæ essent, bonorum possessio contra tabulas, contra lignum vulgo dari dicebatur. Verum licet non esset necesse, vt in ligneis vel eburneis tabulis scriberetur vltima testatoris voluntas; tamen in quacumque materia haberetur memoriæ commendata: nihilominus ex sententia Vlpiani [d] testamentariæ tabulæ dicebantur. E

[d] l. 1 ff. de bonor. poss. secund. tab.

DEBITORVM POENAE ABROGATAE.

Eodem quoque huius anni die, ijsdemq. Consulibus, ad Populum Constantinus rescripsit de abrogandis pœnis aduersus debitores qui soluendo non essent, antiquitus solitis irrogari: quàm autem seueræ illæ fuerint, primo Annalium Tomo diximus. Cõstantinus igitur misertus hominum

A hominum paupertatis, quæ etiam absque aliqua culpa quamplurimos subsequatur, quod humanissimum decuit Principem, de illis hæc statuit[a]: Nemo carcerem, plumbatarumq. verbera, aut pondera (quæ autem qualesve eiusmodi pœnæ essent, diximus in Notis ad Romanum Martyrologium appositis) aliaq; ab insolentia Iudicum reperta supplicia in debitorum solutionibus, vel a peruersis, vel ab iratis Iudicibus expauescat. Carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum est Officialium. et cum denotatione eorum Iudicum, quorum de officio coerciti citatiores esse debebunt qui contra hanc legem admiserint: securi iuxta eam transeant solutores. Vel certe si quis tam alienus ab humano sensu est, vt hac indulgentia ad contumaciam abutatur; contineatur aperta & libera & in vsus hominum constituta custodia militaris. si in obdurata nequitia permanebit; ad res eius omnemq. substantiam ciues eius accedant, solutionis obsequio cum substantiæ proprietate suscepto: qua facultate præbita, omnes B fore credimus proniores ad soluenda ea, quæ ad nostri vsus exercitus pro communi salute poscuntur. Dat. Kal. Febr. Constantino A. VI. & Constantio Cæsare Coss.]

a l. 3. de exaction. Cod. Theodos.

Ex his plane apparet ipsum hæc statuisse pro Fiscalibus debitoribus. Ex quibus quidem perspicue aperti mendacij redarguitur impius Zosimus, dum hæc ait de tributorum exactionibus per Constantinum quolibet quadriennio fieri solitis[b]: Quoties quartus quisque annus appeteret, quo vectigal illud pendendum erat; meras per vniuersam Vrbem lacrymas & ploratus: vbi vero iam aduenisset, non nisi flagra tormentaq. corporibus eorum adhibita, qui propter paupertatem extremam damnum hoc sustinere non possent: quin & liberos ipsæ matres distrahebant, & patres filias prostituebant, ex harum quæstu Chrysagyri exactoribus pecuniam offerre coacti.] hæc ipse. At de eo tributo, alijsq. eiusdem auctoris in eum calumnijs fusius suo loco dicemus. Ex his perpende lector, quanti facere debeas reliquas Zosimi in C Constantinum calumnias.

b Zosim. lib. 2. CALVMNIA ZOSIMI.

Quod rursum spectat ad leges a Constantino hoc anno, hisq. Cõsulibus, promulgatas: cum, vt diximus anno superiori, immunitatem clericis concessisset, vt ab omnibus muneribus excusarentur: illud accidit, vt Decuriones atque eorum filij, necnon prædiuites nonnulli, non religionis amore, sed vt ea amplissima potirẽtur immunitate, sese ad clerum transferrent: quamobrem cum videret Constantinus eiusmodi homines ex religione quæstum quærere, nec recto pede (quod ait Apostolus[c]) ingredi in Euangelium veritatis; non puto sine Episcoporum consilio, legem sanxit, qua prohiberet eiusmodi curijs obligatos, vitandi oneris causa, ad clericatum confugere. Qua lege cum teneri nollet qui antea clericalem vitam professi essent, vtpote qui diuini Spiritus instinctu se Ecclesiasticæ militiæ addixissent, eiusmodi superaddidit sanctionem, in hæc verba rescribens ad Bassum[d] PP.

QVATVTVARII CLERICATVS PROFESSIO IMPEDITVR. *c Galat. 2.* *d l. 3. de Episc. & cler. Cod. Theod.*

D Cum constitutio emissa præcipiat, nullum deinceps Decurionem, vel ex Decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus atque obeundis publicis muneribus opportunum ad clericorum nomen obsequiumq. confugere; sed eos de cetero in defunctorum dumtaxat clericorum loca subrogari, qui fortuna tenues, neque muneribus ciuilibus tenecantur obstricti: cognouimus illos etiam inquietari, qui ante legis promulgationem clericorum se consortio sociauerint. Ideoq. præcipimus, his ab omni molestia liberatis, illos qui post legem latam obsequia publica declinantes ad clericorum numerum confugerunt, procul abeo corpore segregatos Curiæ ordinibusq. restitui, & ciuilibus obsequijs inseruire. PP. XV. Kal. Aug. Constantino A. VI. & Constantio Cæsare Coss.]

Vix credi potest quantum vitare consueuerint olim homines militaria sacramenta; adeo vt, ne id facerent, non timuerint sua atque suorum membra secare. et vt omittamus dicere de E Caio Vectieno vulgatum exemplũ apud Valerium[e]: Suetonius[f] in Octauio meminit Romani equitis, qui duobus filijs adolescentibus, detrectãdi causa sacramenti, pollices amputauit: idq. ipsum factitatum his temporibus Constantini, leges[g] ab eo aduersus eiusmodi promulgatæ fidem certam faciunt. Erant haud leuia Decurionum munera, ad quæ præstanda compellebantur qui militare nollent, vel voluntario impedimento non possent[h]: vt non mirum sit si eorum vitandorum gratia se glomeratim transferrent ad clerum: quos vt probaret Imperator, sic in clerum eos recipi voluit, si antea renunciassent patrimonio. vnde S. Ambrosius agens aduersus Symmachum, hæc habet, scribens ad Valentinianum Imperatorem: At contra nobis etiam priuatæ successionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur. Non enim putamus iniuriam, quia dispendium non dolemus. Si priuilegium quærat sacerdos, vt onus curiale declinet, patria atque auita & omnium facultatum possessione cedendum est. Quo modo hanc Gentiles, si haberent, ingrauarent querelam, quòd sacerdos ferias ministerij sui emat totius patrimonij sui damno, & priuatus vniuersæ commoditatis dispendio,

MILITIAE DETRACTATIO. *e Val. lib. 6. c. 3.* *f Suet. in Octauio c. 24.* *g l. 1. de fil. milit. Cod. Theodos. & l. 4. de tyron. cod. Cod.* *h l. 1. 2. de filijs militarũ. Cod. Theodos.* QVO MODO PROBARENTVR FVTVRI CLERICI.

dispendio, vsum publici mercetur obsequij? prætendens communis salutis excubias, domesticæ inopiæ se mercede solatur, quia ministerium non vendidit, sed gratiam comparauit.] hæc ipse. sed de his aliàs pluribus. A

LEX ADVERSVS RAPTORES VIRGINVM ET VIDVARVM. Rursum vero idem Imperator hoc item anno, iisdemq. Consulibus, ad coercendam procacem facinorosorum audaciam, aduersus virginum ac viduarum raptores seuerissimam legem edidit, in hæc verba rescribens ad populum [a]: Si quis nihil cum parentibus puellæ ante depectus [*], inuitam eam rapuerit, vel volentem abduxerit, patrocinium ex eius responsione sperans, quam propter vitium leuitatis, & sexus mobilitatem atque consilij, a postulationibus, & testimonijs, omnibusq. rebus iudiciarijs antiqui penitus arcuerunt: nihil ei secundum ius vetus prosit puellæ responsio, sed ipsa puella potius societate criminis obligetur. Et quoniam parentum sæpe custodiæ nutricum fabulis & prauis suasionibus deluduntur: his primum, quarum detestabile ministerium fuisse arguimus, redemptique discursus pœna immineat: vt eis meatus oris & faucium, qui nefaria hortamenta protulerint, liquentis plumbi ingestione claudatur. B Et si voluntatis assentio detegitur in virgine, eadem qua raptor seueritate plectatur: cum neque his impunitas præstanda sit quæ rapiuntur inuitæ; cum & domi se vsque ad coniunctionis diem seruare potuerint; et si fores raptoris frangerentur audacia, vicinorum opem clamoribus quærere, seque omnibus tueri conatibus. sed his pœnam leuiorem imponimus, solamque eis parentum negari successionem præcipimus.]

a l.1. de raptor. virg. Cod. Theod.

* depactus

Quantumlibet lex seuera videatur; hac tamen ex parte, qua ad virginem inuasam & non clamantem pertinet, longe mitius agit, quàm lex diuina [b], qua iubetur vtrumque lapidibus obrui: Lapidibus (inquit) obruatur puella, quia non clamauit cum esset in ciuitate.] Vnde bene visa est consuluisse sibi Susanna, cum ab adulteris circumuenta [c] exclamasse dicitur voce magna. Sed rursum lex: C

b Deuter. 22.

c Daniel. 13.

Raptor autem indubitate conuictus, si appellare voluerit, minime audiatur. Si quis vero seruus raptus facinus dissimulatione præteritum aut pactione transmissum detulerit in publicum, Latinitate donetur: aut si Latinus sit, ciuis fiat Romanus. Parentibus, quorum maxime vindicta intererat, si patientiam præbuerint, ac dolorem compresserint, deportatione plectendis. Participes etiam & ministros raptoris citra discretionem sexus eadem pœna præcipimus subiugari. Et si quis inter hæc ministeria seruilis conditionis fuerit deprehensus: citra sexus discretionem eum concremari iubemus. Dat. Kal. April. Aquil. Constantino A. sextum & Constantio [*] Cæs. Coss.] Constantius [d] autem filius Constantini eiusinodi legis seueritatem temperauit, capitalem tantum sententiam raptoribus ac complicibus irrogans; ne (quod ait) sub specie atrocioris iudicij, aliqua in vlciscendo crimine dilatio nasceretur, in seruos autem eodem iure manente. D

* Constantino

d l.2. de raptor. Cod. Theod.

IESV CHRISTI ANNVS 321.	SILVESTRI PAP. ANNVS 8.	CONSTANTINI IMP. ANNVS 16.

TRecentesimus vigesimusprimus Christi annus adest, duorum Cæsarum Crispi & Constantini secundo Consulatu in Fastis adscriptus: prorogatus est horum Consulatus ordinarius vsque in Idus Martias, quibus postea ex more alij suffecti Consules sunt subrogati. habetur de his vetus monumentum huiusmodi verbis [e]:

e Expressum habetur formis Plantin. pag. 69. num. 12.

DD. NN. CRISPO ET CONSTANTINO IVN. NOBB. CAESS. ITERVM IN IDVS MART. COLONI COLONIAE CONCORDIAE VLPIAE TRAIANAE. AVG. &c. E

DONATISTAE RELAXATI AB EXILIO. Hoc anno Imperator Constantinus Donatistarum precibus fatigatus, quos ex illis in exilium ante annos quatuor condemnauit, indulgens relaxat, Deo relinquens puniendos, quos nulla vel pœna correxisset, vel eiusdem Principis clemētia emollijsset. Quod ad tēpus spectat: id hoc anno contigisse, S. Augustinus [f] aperte demonstrat, sic dicens: Idem Imperator ad Valerium Vicarium de illorum exilio soluto, & eorum furore Deo vindici dimittendo, litteras dedit, Crispo & Constantino iterum Consulibus, tertio Nonas Maias, id est post quartum annum & mensem ferme sextum.] hæc ipse. Sed Verinum, pro Valerio, legendum puto; tum quòd in Codice Theodosiano [g] plura eiusdem Imperatoris ad Verinum Vicarium in Africa rescripta data diuersis tēporibus reperiantur (plures enim annos ipsum in eo magistratu egisse apparet:) tum quòd idem S. Augustinus ad populum factionis Donatistarum rescribens ex Cirtensi Concilio, Verinum, non Valerium eumdem nominat, dicens [h]: Tertio protulerunt

f Aug. post Collat. lib. 1. c. 33.

g l. 1. de famosis libel. Cod. Theodos. & alijs.

h Aug. epist. 152.

A litteras eiusdem Constantini ad Vicarium Verinum datas, vbi eos grauiter detestatur: et propterea dicit sic exilio relaxandos, & furori suo dimittendos, quia iam cœperat Deus in illos vindicare.] hæc ibi. At quænam fuerit vindicta à Deo in eos immissa, haud habetur expressa. Idem de ijs ipsis litteris hæc alibi [a]: Recitantes ipsius Constantini litteras scribentis ad Verinum Vicarium, vt libero eos dimittat arbitrio; se iussisse insinuans, vt de exilio remearent. In quibus litteris Constantinus sic eos detestatur, vt nihil illa indulgentia possit deformius inueniri.] At quid post hæc Donatistæ tentarint, dicendum.

[a] August. in Breuic. Collat. diei 3. c. 22.

Cum enim iam diutius apud Constātinum clamoribus egissent; et nihil sibi profuisse, experimento sensissent, omniaq. sua ipsorum studia prorsus irrita reddita esse, atque in caput (quod dicitur) suum esse conuersa: nouum ineunt consilium, nouasque artes moliuntur, nempe silentio rem agere, atque latenter serpere, adnitiq. totis viribus, vt quod deesse videbatur, B nomen sibi Catholicum compararent. At quoniam scirent apud omnes exploratissimum esse, & in vniuersa Catholica Ecclesia in confesso haberi, nonnisi ex communicatione cum Romano Pontifice quempiam nancisci posse Catholicum nomen: vt id etsi non vere, ficte tamen, & velut quadam imposita larua, mentite saltem assequerentur, eo stultitiæ adacti sunt, vt statuerint ex suis quempiam creare Episcopum, quem Romam amandarent, vt illic ageret, ibiq. suæ communicationis homines colligeret, ac sic gloriarentur se Romæ habere Episcopum, ac proinde nomen Catholicum promereri. eo namque prætextu, quòd quidam Africani suæ communicationis homines Romam transmigrassent, ac petijssent sibi mitti qui eos colligeret Episcopum, sed reuera vt Romano Pontifici cōmunicatione esse coniunctos se iactare vel specie tenus possent, id totum sunt operati. Vides lector tamquā in Orchestra ludentes mimos, quos cuperem a Nouantibus serio inspici, atque ab ijsdem rem attentius considerari, & C quid in his referet antiquitas veneranda, exacte disquiri: vbi inquam, & penes quam Ecclesiam sit fons Catholici nominis; cum & perditissimi licet homines, atque impudentissimi, non tamen eo prorsus dementiæ venerint atque procaciæ, vt aliunde Catholicum nomen sibi petendum esse putarent, quàm ab ipsa Romana Ecclesia, licet fodientes cisternas dissipatas illud sibi adsciscere satagerent, & quomodocumque subripere, atque nomine tenus saltem e Romano solo in Africam deriuare.

DONATISTARVM NOVA FRAVS.

Soluti igitur ab exilio Donatistarum principes, ijs ipsis (vt par est existimare) Siluestri Papæ temporibus Romam miserunt Victorem quemdam Garbiensem, qui Episcopum ageret, cui alius post alium vsque ad ea tempora quibus Optatus Mileuitanus contra Parmenianum scribebat, suffecti sunt quinque, nempe Bonifacius, Encolpius, Macrobius, Lucianus, ac nouissime Claudianus, qui tunc sedebat, cum Syricius (nisi textus sit deprauatus) Romæ Pontifex D esset: ab hocq. tempore sicut sex numerātur Catholicæ communionis Romanæ Ecclesiæ Episcopi sibi inuicem succedentes, ita totidem recensentur schismatis Donatistarum in Vrbe Episcopi, sed verius Antichristi, qui vel ex Africa mittebantur ordinati Antistites, vel (quod ait S. Augustinus [b]) ex Africa alij Episcopi Donatistæ ad eum ordinandum Romam pergerent. At Optatus ipse omnem horum machinationem instar turris Babel in excelsum erectæ (nam & Montenses dici voluerunt) vna argumentatione dissoluit, funditusq. disiecit, ostendens, non habere solidum, quo subsisteret, fundamentum, nec supra petram esse ædificatam, dum nullam haberet manantem a Petro successionem, ex quo Catholica Ecclesia veræ vnitatis soliditate compaginata omnibus innotesceret. Sic igitur Parmenianum compellat [c]:

EPISCOPI DONATISTAE ROMAE.

[b] Aug. de hæres. c. 69.

[c] Optat. lib. 2.

Videndum est, qui, & vbi prior cathedra sederit. Si ignoras, disce: si nosti, erubesce. Ignorantia tibi adscribi non potest: restat ergo vt noueris. Scientem errare, peccatū est; nam ignoE rantibus nonnumquā solet ignosci. Igitur negare non potes, scire te, in Vrbe Roma Petro primò cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorū caput Petrus, vnde & Cephas est appellatus (a Græca voce deducta interpretatione, a Syriaca vero petram durissimam sonat) in qua vna cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderet: vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra vnica, quę est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, &c.] sic numerans vsque ad nouissimum tunc sedentem Syricium: qui (inquit) noster est socius: cum quo nobis totus Orbis commercio Formatarum in vna communionis societate concordat.] at de ipsis mox subdit:

EX LEGITIMA SVCCESSIONE VERA CATHOLICI COGNOSCVNTVR.

Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare. Sed & habere vos in Vrbe Roma partem aliquam dicitis: ramus est vestri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis. Denique si Macrobio dicatur: Vbi illic sedeat: numquid potest dicere: In cathedra Petri? quam nescio si vel oculis nouit, & ad cuius memoriam

ABSQVE ANTIQVA SVCCESSIONE DONATISTAE.

a 1. Rom. 12. non accedit, quasi schismaticus contra Apostolum faciens, qui ait[a]: Memorijs Sanctorum A communicantes. Ecce præsentes sunt ibi duorum Memoriæ Apostolorum: Dicite, si ad has ingredi potuit, ita vt obtulerit illic, vbi Sanctorum memorias esse constat. Ergo restat, vt fateatur socius vester Macrobius, se ibi sedere, vbi aliquando sederit Encolpius. Si & ipse Encolpius posset interrogari; diceret se ibi sedere, vbi ante sedit Bonifacius Ballitanus. deinde si & ipse interrogari potuisset, diceret: Vbi sedit Victor Garbiensis a vestris iamdudum de Africa ad paucos erraticos missus. Quid est hoc, quòd pars vestra in Vrbe Roma Episcopum ciuem habere non potuit? Quid est, quòd toti Afri & peregrini in illa ciuitate sibi successisse noscuntur? Non apparet dolus? non factio, quæ mater est schismatis? Interea Victor Garbiensis, vt hinc prior mitteretur (non dico lapis in fontem, quia nec valuit puritatem Catholicæ multitudinis perturbare) sed quia quibusdam Afris Vrbica placuerat commoratio; et hinc a vobis profecti videbantur: ipsi petierunt, vt aliquis hinc, qui illos colligeret, mitteretur. Missus est igitur Victor. Erat ibi filius sine patre, tyro sine principe, discipulus sine magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, Episcopus sine populo: non enim grex aut populus appellandi fuerunt pauci, qui inter quadraginta & quod excurrit basilicas locum vbi colligerent non habebant. Sic speluncam quamdam foris a ciuitate gradibus sepserunt, vbi ipso tempore conuenticulum habere potuissent; vnde Montenses appellati sunt. Igitur quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori successisse videntur; si Victori diceretur: Vbi sederit? nec ante se aliquem illic fuisse monstraret, nec cathedram aliquam nisi pestilentiæ ostenderet: pestilentia enim morbis extinctos homines ad inferos mittit; qui inferi portas suas habere noscuntur, contra quas portas claues salutares accepisse legimus Petrum, Principem scilicet nostrum, cui a Christo dictum est[b]: Tibi dabo claues regni C
b Matth. 16. cælorum, & portæ inferorum non vincent eas. Vnde est ergo, quòd claues regni vobis vsurpare contenditis, qui contra cathedram Petri vestris præsumptionibus & audacijs sacrilegio militatis?] hæc & alia plura in eum: atque demum: Iam ne vides frater Parmeniane, iam ne sentis, iam ne intelligis, te argumentis tuis contra te militasse? cum probatum est, nos esse in Ecclesia sancta Catholica, apud quos & symbolum Trinitatis est, et per cathedram Petri quæ nostra est, & ceteras dotes, apud nos esse etiam sacerdotium.] hæc Optatus. Iisdem plane argumentis, nempe ex successione cathedræ Petri, & ex vsu Formatarum cum Romana
c Aug. epist. 165. Ecclesia, S. Augustinus eosdem confutat Donatistas, scribens ad Generosum[c] atque Eleu-
d Aug. epist. 163. sium & alios contra Fortunium Donatistam[d].

MACROBIVS DONATISTA. Quòd igitur conarentur Donatistæ aucupari nomen Catholicum ex communicatione cum Episcopo Romæ agente: haud vulgares personas Romam mittebant Episcopos, sed quos scirent inter se esse omnium disertissimos, quique vitæ sanctimoniam præseferrent; quod possumus intelligere ex vno illorum sex superius recitato, Macrobio, de quo ita[e] Gennadius: D
e Gennadius de script. Eccles. c. 5. Macrobius presbyter, & ipse (vt ex scriptis Optati cognouimus) Donatista, & suorum postea in Vrbe Roma occultus Episcopus fuit: scripsit, cum adhuc in Ecclesia Dei presbyter fuisset, ad Confessores & ad Virgines librum vnum, moralis quidem sed valde necessariæ doctrinæ & præcipuæ, ad custodiendam castitatem aptissimis valde sententijs communitum. Claruit inter nostros primum Africæ, & inter suos, id est Donatianos, siue Montenses, postea Romæ.] hæc ipse.

Quòd vero ad Montensium nomen spectat: primam originem nominis huius deprehendimus in Felicissimo schismaticorum antesignano tempore Cypriani, de quo secundo Annalium Tomo: ex eo diximus & manasse Nouatum: indeque putamus accidisse, quod E
f Epiph. in Anchorato, & hæres. 59. in fin. S. Epiphanius[f] Nouatianos, Montenses Romæ vocatos ait. Quorum igitur æmulati sunt in schismate studia, & in rebaptizatione impietatem, eorumdem quoque nomen fuerunt
DONATISTAE CVR DICTI MONTENSES. consequuti, vt & ipsi Montenses sint dicti; a loco pariter eiusmodi nomenclaturam captantes, dum exclusi ab Vrbe, in montibus proximis agerent, atque conuenticulum celebrarent. Eodem quoque nomine S. Hieronymus, nempe Montenses, Donatistas appellat, dum hæc
g Hieron. epist. 133. ait[g]: Nuper, cum Rhæticij Augustudunensis Episcopi, qui quondã a Constãtino Imperatore sub Siluestro Episcopo ob causam Montensium missus est Romam, commentarios in Canticum canticorum perlegissem, &c.] Quod autem ab aliquibus creditum est, S. Hieronymum memoria lapsum, dum quod factum est sub Melchiade (vt superius apertissime, cũ ex Optato, tum etiam ex Augustino demonstrauimus) ad Siluestri tempora refert; non adeo leuiter id admitterem: cum facile potuerit contigisse, eumdem iterum Romam sub Siluestro missum fuisse; cum præsertim Melchiadis tempore, nondum Donatistæ fuerint appellati Montenses, sed

A tunc primum, cum Romæ cœperunt habere Episcopum. Quos igitur idem S. Hieronymus Montenses nominat Donatistas, eosdem alibi agens aduersus Luciferianos [a], Campitas appellat, quòd in campis suos colligerent: ceterum eosdem quoque Donatistas Romæ agentes S. Augustinus [b] non tantum Montenses, sed Rupitanos a rupe nominat, licet aliàs [c] mendose Cuzupitas legatur, pro Corrupitas. Imperatorio item edicto [d] ijdem Donatistæ, Montenses sunt appellati. At de nomine satis.

[a] Hieron. aduers. Luciferian. in fi. [b] Aug. de Vnit. Eccl. c. 3. tit. 7. [c] Idem de hæres. c. 69. [d] l. 43. de hæret. Cod. Theodos.

Constat insuper, infelicissimos ac perditissimos homines, qui ex Traditoribus (quod diximus) schismatici facti sunt, in deterius prolabentes; hæreticos euasisse, & cum Nouatianis iterum baptizasse, quod & Optatus obijcit in Parmenianum [e]. Fuit & illa peculiaris Donatistarum hæresis, qua assererent, Ecclesiam ibi esse non posse, vbi peccatum est: cui quidem positioni cum ex illis vnus aduersaretur Ticonius acris ingenij & excultæ eruditionis vir, affir-B mans nullius hominis quamuis immane & sceleratum facinus fidem Christianam & sanctam Ecclesiam maculare posse; ab eorum Episcopo Parmeniano primum epistola scripta correptus, deinde ab eisdem Donatistis fuit coacto Concilio condemnatus: quæ omnia pluribus referat Augustinus [f], qui & de eorum dogmatibus copiosius agens hæc ait [g]: Post causam cum eo dictam (Cæciliano videlicet) atque finitam, falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione firmata, in hæresin schisma verterunt: tamquam Ecclesia Christi propter crimina Cæciliani, seu vera, seu (quod magis Iudicibus apparuit) falsa, de toto terrarum orbe perierit, vbi futura promissa est, atque in Africa Donati parte remanserit, in alijs terrarum partibus quasi contagione communionis extincta. Audent etiam rebaptizare Catholicos, vbi se amplius hæreticos esse firmarunt; cum Catholicæ Ecclesiæ vniuersæ placuerit, nec in ipsis hæreticis baptisma commune rescindere.] subdit de eorum coryphæo Donato Episcopo Carthaginensi, C qui de sanctissima Trinitate haud recte senserit, quod ex eius scriptis elicuit. id enim nec ignorauit S. Hieronymus, de quo sic scribit [h]: Extant eius multa ad suam hæresin pertinentia, & de Spiritu sancto liber, Ariano dogmati congruens.] Verum (inquit Augustinus [i]) in hunc, quem de Trinitate habuit, eius errorem, Donatistarum multitudo intenta non fuit; nec facile in eis quisquam, qui hoc illum sensisse nouerit, inuenitur.] et paulo post: Ad hanc hæresin in Africa & illi pertinent, qui appellantur Circumcelliones.] at de his suo loco dicendum. De alijs rebus gestis a Donatistis, qui multis sæculis obstinatiori in dies animo Dei Ecclesiam Catholicam infestarunt, singulis annis quibus contigerunt, agemus.

[e] Optat. lib. 2. DONATISTAE FACTI HÆRETICI. [f] August. contra epist. Parmen. lib. 1. c. 1. [g] August. de hæres. c. 69. DONATVS FACTVS ARIANVS. [h] Hieron. de script. Eccles. in Donato. [i] Aug. de hæres. c. 69.

Hoc eodem anno ijsdemq. Consulibus Constantinus Imp. de feriando die Dominico eiusmodi edidit sanctionem [k]:

DE FERIATIONE DIEI DOMINICAE. [k] l. 3. C. de feriis.

Sicuti indignissimum videbatur, diem Solis venerationis suæ celebrem, altercantibus iurD gijs & noxijs partium contentionibus occupari: ita gratum ac iocundum est, eo die, quæ sunt maxime votiua compleri. Atque ideo emancipandi atque manumittendi die festo cuncti licentiam habeant, & super his rebus actus non prohibeantur. PP. quinto Nonas Iunij Caralis, Crispo secundo & Constantino secundo Coss.] ac rursus de eodem die [l]: Omnes Iudices, vrbanæq. plebes, & cunctarum artium officia, venerabili die Solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturæ libere libenterq. inseruiant: quoniam frequenter euenit, vt non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur: ne occasione momenti pereat commoditas cælesti prouisione concessa. Dat. Non. Martij Crispo secundo & Constantino secundo Coss.] Quòd autem eumdem diem non Ecclesiastico more Dominicum appellat, sed more Gentilium, Solis: inde colligi potest, non Christianis solum, sed Gentilibus eamdem legem ab ipso præscriptam; ob idq. vsum esse illis peculiari nomenclatura. Testatur enim [m] Eusebius E eamdem feriationem diei Domini fuisse quoque Gentilibus militibus imperatam: at non illum tantum diem, sed vt etiã in honore haberent eum qui Sabbatum præcedit, statuisse, idem auctor affirmat, atque in primis hæc ait [n]: Idoneum vero precationi tẽpus salutarem diem Dominicum constituebat: quippe qui tum vere præcipuus est, tum haud dubie primus.] ac paulo post: Satellites etiam fidi corporis custodes, beneuolentia erga Principem & fide armati, Regem ipsum piorum morum præceptorem sequebantur: cum ipsi perinde salutarem & Dominicum diem venerarentur, & preces ab Imperatore descriptas eodem die persoluerent. hoc idem vt facerent, omnibus persuasit beatus Princeps: quasi huc preces suas retulisset, vt sensim & pedetentim mortales omnes ad Dei cultum traduceret. Quapropter statuit, vt cuncti Romano Imperio parentes, diebus de Saluatoris nomine nuncupatis, ab omni opere feriarentur: vt etiam dies qui Sabbatum antecederent venerarentur, ob memoriam (vt mihi videtur) earum rerum, quæ ijs diebus a communi omnium Saluatore fuerunt gesta.

[l] l. 1. de fer. Cod. Theodos. [m] Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 19. [n] Euseb. vbi sup. c. 18.

A Cumq. hunc salutarem diem, quem lucis vel Solis diem appellamus, vniuersum exercitum omni studio colere docuisset: ijs qui diuino instinctu fidem sequuti erant, otium fecit, vt libere possent Ecclesiam Dei frequentare, quo sine vllo impedimento preces Deo persoluerent. Sed alijs, qui nondum diuinam gustarant doctrinam, alia quadam lege mandauit, vt Dominicis diebus in patentes suburbiorum campos exirent, atque vt ibi eadem precationis forma, dato ab vno aliquo signo, omnes simul ad Deum vterentur. Non enim oportere, aiebat, hastis vti, & rerum suarum spem in armis aut corporum viribus ponere; sed vniuersitatis Deum, rerum omnium bonarum & ipsius victoriæ auctorem agnoscere: cui oportere, pansis in cælum manibus, & sublatis altissime ad Deum cælestem Regem mentis oculis, constitutas preces reddere: vt illum victoriæ largitorem, & conseruatorem, custodem nobis adiutoremq. precibus imploremus. Formulam vero precandi ipse omnibus militibus præscripsit, mandauitq. vt Romana lingua ita omnes precarentur:

B

MILITIBVS PRECANDI RITVS PRAESCRIPTVS A CONSTANTINO.

Te solum Deum agnoscimus: te Regem profitemur: te adiutorem inuocamus: per te victorias consequuti sumus: per te hostes superauimus: abs te & præsentem felicitatem consequutos fatemur, & futuram adepturos speramus: tui omnes supplices sumus. Abs te petimus, vt Constantinum Imperatorem nostrum vna cum pijs eius liberis quàm diutissime nobis saluum & victorem conserues. Eiusmodi fere sanciebat a militibus Solis die fieri, talesq. ab eis voces in diuinis precibus adhiberi.] hucusque Eusebius. Porro quod spectat ad eius diei feriationem & cultum; in Ecclesia antiquissimum fuisse, dictum est primo Annalium Tomo, vbi plura de die Dominico.

Quod autem ait Eusebius, ab eodem Imperatore statutum, vt diem, qui Sabbatum præcedit, populus veneraretur; de die Veneris, quam sextam feriam dicimus, ferianda, esse intelligendum, admonet Sozomenus, qui cuncta hæc paucis perstringens sic refert [a]: Legem etiam tulit, vt tum die Dominico, quem Hebræi appellant primum diem hebdomadæ vel Sabbati, Græci autē Solis nomine nuncupant, tum die Veneris omnes a iudicijs dandis & alijs obeundis negotijs vacarent, precibusq. & obtestationibus Deum colerent. Diem autem Dominicum veneratus est, vtpote in quo Christus resurrexerit a mortuis; diem vero Veneris, vtpote in quo Cruci suffixus fuerit: nam sanctæ Cruci plurimum tribuit honoris, tum propter subsidia in bello contra hostes gerendo ex eius virtute sibi allata, tum propter diuinam sibi de ea oblatam visionem.] hæc de his Sozomenus. reliqua autem ad pium quoque ritum spectantia ab eodem statuta, inferius dicenda sunt.

C

a Sozom. lib. 1. c. 8.

FERIA SEXTA IN HONORE HABENDA.

LEGIBVS PERGIT MALEFICOS IMP.

Rursum hoc eodem anno, ijsdem Consulibus Crispo & Constantino (licet mendose legatur, Constantio) aduersus maleficos & incantatores Constantinus Imperator ad Bassum Præfectum Prætorio in hæc verba rescripsit [b]:

b l. 4. C. de malefic.

D

Eorum est scientia punienda, & seuerissimis merito legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse detegentur. Nullis vero criminationibus implicanda sunt remedia humanis quæsita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia: ne maturis vindemijs metuerentur imbres, aut ventis grandinisq. lapidatione quaterentur, quibus non cuiusquam salus aut æstimatio læderetur, sed quorum proficerent actus, ne diuina munera & labores hominum sternerentur. Dat. X. Kal. Iul. Aquileiæ, Crispo & Constantio * Coss.] habet autem eiusmodi subobscurum rescriptum in Codice Theodosiano hanc dilucidam antiquam interpretationem [c]: Malefici, vel incantatores, vel immissores tempestatum, vel hi qui per inuocationem dæmonum mentes hominum turbant, omni genere pœnæ puniantur.]

* Constantino

c Post legem 3. de malefic. Cod. Theodos.

QVOMODO ECCLESIA BONIS AVCTA.

d l. 4. de Episc. & cler. Cod. Theod.

E

Rursum vero idem Augustus pro Christiana religione in libertatem vindicanda, quæ hactenus Gentilium Imperatorum pressa tyrannide fuerat & seruitute, ad Populum Romanum scribens, eiusmodi edidit [d] sanctionem ad ampliandas Ecclesiarum facultates accommodatā: Habeat vnusquisque licentiam sanctissimo Catholicæ venerabiliq. Concilio, decedens, bonorum quod optauit relinquere; non sint cassa iudicia. Nihil est quod magis hominibus debetur, quàm vt supremæ voluntatis, postquàm aliud iam velle non possunt, liber sit stylus, & licens, quod iterū non redit, arbitrium. PP. V. Nonis Iulij Rom. Crispo II. et Constantino II. Cæs. Coss.] Appellat Concilium, Ecclesiam: eo enim nomine antiquitus in rebus Ecclesiasticis ipsam Ecclesiam vsurpari solitam, pluribus diximus in nostris Notis [e]. Mirum dictu: relaxata semel libertate Fidelium in relinquēdis vltima volūtate suis bonis Catholicæ professionis Ecclesijs; adeo auctæ sunt illarum diuitiæ, vt posteriores Imperatores veriti ob eam causam Reipublicæ detrimētum & paupertatem, conati sint iterum ab huiusmodi profusis largitionibus cohibere Fideles: sed hi quinam fuerint, & quando id acciderit, suo loco dicturi sumus: est

e Not. ad Rom. Martyr. die 23. Iun. c.

A enim de his iusta querela S. Ambrosij agentis aduersus Symmachũ ad Valentinianũ Augustũ.

Sed quem hactenus tot tantaq. adeo insignia pro Christiana religione hoc anno atque superioribus tẽporibus statuisse vidimus tum ex scriptis hisce ab eo legibus, tum ex alijs citatis auctoribus: in fine tamen huius ipsius anni (o dolendum facinus!) minus plane dignum atque adeo abhorrens a Christiano Imperatore rescriptum dedisse ad Maximum Præfectum Vrbis, apparet, quo Aruspices consulendos esse decernit. extat illud in Codice Theodosiano his verbis conscriptum [a]:

CONSTANTINVS IN DETERIVS PROLAPSVS.

[a] L. 1. de Pagan. Cod. Theod.

Imperator Constantinus Augustus ad Maximum.] Erat hic Præfectus Vrbis, vt ex Græcis Præfectorum Indicibus constat [b]. sed rescriptum sic se habet:

[b] Apud Cuspin. de Consul. hoc anno.

Si quid de Palatio nostro aut ceteris operibus publicis degustatum * fulgore * esse constiterit; retento more veteris obseruantiæ, quid portendat, ab Aruspicibus requiratur, & diligen- B tissime scriptura collecta, ad nostram scientiam referatur: ceteris etiam vsurpandæ huius consuetudinis licentia tribuenda, dummodo sacrificijs domesticis abstineant, quæ specialiter prohibita sunt. Eam autem denunciationem atque interpretationem, quæ de tactu Amphitheatri scripta est, de qua ad Heraclianum Tribunum & Magistrum Officiorum scripseras, ad nos scias esse perlatam. Dat. XVI. Kal. Ian. Serdicæ *. Acc. VIII. Id. Mart. Crispo II. & Constantino II. CC. Coss.] positi Consules ad datam potius quàm ad acceptam referendi sunt. Remansit eiusmodi rescriptum posteris, Constantini perperam facti notis expressum.

* deuastatum
* fulgure
* Sardicæ.

Ex quo puto persuasum Zosimum [c] aperte testari, Constantinum vsque ad hæc tempora Gentilitiam superstitionem esse sectatum, licet inuitum, nempe vt Senatui morem gereret: sed reddamus hic verba eius in ipsum obloquentis: Posteaquàm (inquit) vniuersum Imperium ad vnius Constantini potestatem redijsset: non iam amplius insitam a natura malitiã tegebat: sed C indulgẽs animi libidini, omnia pro Imperio agebat. Et patritis adhuc sacris vtebatur, non tam honoris causa, quàm necessitatis: quo fiebat, vt & Ariolis (si qui essent experientes) fidem haberet; veluti qui vera ei de rebus omnibus feliciter gestis prædixissent. At vbi Romam venit, omnis arrogantiæ plenus, ab ipso lare sibi sumendum impietatis exordium putauit, &c.] pergit narrare de nece Crispo illata, de quo suo loco dicturi sumus.

[c] Zosim. lib. 2.

At quàm procul a scopo veritatis aberret, dum siue rerum gestarum ignoratione, siue priuati affectus amaritudine, quo Ethnicismo studens, in eum vt auitæ superstitionis desertorem omne maleuolentiæ virus euomuit, cum ait eum ad hæc tempora Gentilitiam superstitionem sectatum esse; innumeræ plane leges & edicta singulis propemodum annis superius recitata, & quæ ab Eusebio atque ceteris Græcorum antiquorum historicis, alijsq. probatæ antiquitatis monumentis sunt crebrius recensita, plane exploratissimam fidem sinceræ veritatis faciunt. D Atque vt vel vnum tantum hic reuocem in memoriam: ipso eius exordio susceptæ fidei, ante annos propemodum decem, cum interpellatus est Iudex a Donatistis in causa Cæciliani, ad eos hæc verba respondit [d]: Petitis a me in sæculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectem?] sunt ne hæc verba Gentilium sacra peragentis & idolorum cultum sectantis? Potuit ne pollui Gentilium sacrificijs, qui ab initio suæ conuersionis ad Christum, signo Crucis, & Christi nomine præcipuum militiæ signum, Labarum dictum, ornatum gestabat? At quis ignorat ab eo tempore felicioribus atque amplioribus quoque progressibus eum Christianam religionem excoluisse, cum & ex ea augustiora in dies (quod ipse fatetur in recitatis edictis) debellatis hostibus perceperit beneficia? Sed in his probandis non immoramur, quæ satis superq. perspicua omnibus facta sunt ex eis quæ annis singulis vsque in præsentem diem enarrauimus. Potuit tamen Zosimo non ex rescripto tantum nuper recitato Constantinus E minime Christianus videri, sed etiam quòd nondum esset Christianæ religionis mysterijs initiatus, nempe sacro baptismate, quod suscepisse sciret post necem suis illatam, de quo suo loco dicemus.

CALVMNIA ZOSIMI REFELLITVR.

[d] Optat. lib. 1.

At sicut omnino negarim, Constantinum (quod ait Zosimus) patritis sacris vsque ad hæc tempora vsum esse: ita consenserim, eum cum Senatu Populoque Romano atque prouincialibus Gentilibus, ne sibi illos prorsus infensos redderet, magna adhibita circumspectione egisse, & sic Christum coluisse, vt deos colentes non fuerit auersatus; ac precibus potius quam imperio vsum esse, cum rogaret, non cogeret quemquam inuitum fieri Christianum: sed & interdum ad conciliandos infensos sibi Christianæ religionis causa illorum animos, auersam aliàs ab eorum superstitione mentem (vt vidimus fecisse superiori rescripto) de consulendis Aruspicibus inflexisse. Ex quibus redarguitur pariter Zosimus in eo quod dicit, tamdiu eum vsum esse patritis sacris, quamdiu vniuersum Imperium sub dubia alea esset; quo plane obtento, ab illis postea desijsse: cum appareat pene contrarium,

nimirum bello adhuc Liciniano flagrante, nihil ab eo gestum, quod superstitionem Gentilitiam redoleret; eumdem vero Imperio libere potientem, atque secure absque aduersario Tyranno illud administrantem, ea quæ diximus Christiano Imperatore indignissima de Aruspicibus rescripsisse. A

CONSTANTINI LAPSVS CAVSA.

Sed vnde tam turpis rei gerendæ potuit occasio emanasse? id exquiramus. Meminisse debemus, ante proxime elapsum annum, Constantino quintum & Licinio iuniore Consulibus, eumdem Imperatorem iterum aduersus Aruspices rescripsisse [a], qui priuate in alienis domibus Aruspicinam exercerent, pœna incendij ipsos plectendos esse, & qui eos vocassent, proscriptione & deportatione in insulam condemnandos: qua de re suspicio non leuis videbatur Gentilibus Romanis illata, Constantinum paulatim ritus patrios antiquare in consilio habuisse; ac proinde, vt accidit, magnopere tumultuatos esse. Quam obortam suspicionem vt aboleret Imperator, de consulendis Aruspicibus ea quæ dicta sunt, rescripsit; quibus cum declarauerit, se idipsum peragendi licentiam tribuere, dummodo a priuatis sacris & domesticis sacrificijs abstinerent: plane significauit aliquo alio ab eo edicto rescripto, Aruspicinam quoque publicam fuisse vetitam; quod illorum animos mirum in modum exacerbasse, & ad res nouas moliendas concitasse, videri poterat. Maximæ enim omnium æstimationis & auctoritatis Aruspicina Romæ erat, cum ipsa Vrbe simul exorta, lege duodecim tabularum firmiter stabilita, & vsu inuiolabili quibusque sæculis summa obseruantia custodita. In lege enim duodecim tabularum hæc de Augurijs: B

[a] l. 1. 2. de malefic. Cod. Theod.

ARVSPICINA QVANTI PRETII APVD ROMANOS.

Interpretes Iouis Opt. Max. publici Augures signis & auspicijs postea vidento: disciplinam tenento. Sacerdotes vineta, virgetaque, & salutem populi auguranto: quiq. agent rem duelli, quiq. populare auspicium, præmonento; olliq. obtemperanto: Diuorumq. iras prouidento, ijsq. parento, cæliq. fulgura regionibus ratis temperanto. Vrbemque, & agros, & templa liberata, & effata habento: Quæq. Augur iniusta, nefasta, vitiosa, dirave dixerit*, irrita, infectaq. sunto. quiq. non paruerit, capitale esto. Fœderum, pacis, belli, induciarum oratores, fæciales, Iudices sunto: bella, disceptatio, prodigia, portenta ad Hetruscos & Aruspices, si Senatus iusserit, deferunto: Hetruriæq. principes disciplinam docento: Quibus diuis creuerint, procuranto: ijdemq. fulgura, atque obstita* pianto.] C

* defixerit

* obscina

Hæc lex vetus de Aruspicibus a Cicerone in libro secundo de Legibus recitatur, qui de ijs agens, sic ait: Maximum autem & præstantissimum in Republica est ius Augurum, cum est auctoritati coniunctum. Neque vero hoc, quia sum ipse Augur, ita sentio; sed quia sic existimare nos, est necesse. Quid enim maius est, si de iure quærimus, quàm posse a summis Imperijs & summis potestatibus comitia tollere? et concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? Quid grauius, quàm rem susceptam dirimi, si vnus Augur aliter dixerit? Quid magnificentius, quàm posse decernere, vt magistratu se abdicent Consules? Quid religiosius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare? Quid legem, si non iure rogata est, tollere? &c.] Vides igitur quanti ponderis apud Romanos Aruspicina esset: vt non mireris, si eius causa conseruandæ, potuit tumultuatus esse Senatus ac populus: quorum placandorum ergo ea Constantinus in gratiam ipsorum voluit rescripsisse. D

Sed hæc quidem cum in homine qui Christi militiæ nomen dedisset, & in catechumenorum ordinibus militaret, minus recta vel pia probentur: quæ post peccatum vltio diuina sequuta est, eum grauissime deliquisse, perspicue declarauit: siquidem quòd hactenus eius Imperium omni ex parte cum amplissimum tum etiam florentissimum extitisset, oborto ex insperato bello domestico, est plane redditum infelicissimum; cum præter alios complures nobilissimos in Palatio militantes cæde sæue mulctatos, parricidales quoque manus inferre compulsus sit in filium amantissimum primum natu, atque Cæsarem primo creatum, ipsum inquam Crispum delicias Orbis, pace belloq. spectatum, & victorijs exornatum, necnon in Faustam Augustam carissimam coniugem, de quibus suo loco dicturi sumus. At plane apparuit in primo Christiano Imperatore, quàm vana, quàm fallax, ac prorsus mendax regnandi ratio illa sit, quæ religionis offensa, contempto numine, a quibusuis & quouis modo quæritur comparari. Sed de his modo satis. E

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
322.	9.	17.

CHristi annus trecentesimus vigesimussecundus notatur in Consularibus Fastis Petronio Probiano & Anicio Iuliano Consulibus. Extat vetus horum Consulum monumentum his verbis [a]: PETRONIO PROBIANO ET ANICIO IVLIANO COSS. PRID. KALENDAS APRILES COLONI ET COLONIAE AELIAE HADRIANAE. &c.] Hos autem Consules ambos, vel alterum saltem, nempe Anicium Iulianum, Christianum fuisse existimo; siquidem cum Prudentius Romanum Senatum conuersum iam ad Christum recenset, de Anicio illud habet [b]:

Fertur enim ante alios generosus Anicius Vrbis
Illustrasse caput: sic se Roma inclyta iactat.] Sed de Aniciorum familia martyribus illustrata, ac sæpe Consularibus fascibus atque Imperatoria dignitate clarissima reddita, hisque omnibus aucta ob Christianam religionem susceptam, diximus in nostris [c] Notis. Petroniam quoque familiam, cuius germen erat alter Consulum huius anni, ex Christiana religione summam esse claritudinem consequutam, cum agemus inferius de Petronio Probo longo tempore Prætorij Præfectura potito, atque alijs eiusdem familiæ viris insignibus, aperte constabit.

a Habetur excusum formis Plantin pag. 69. num. 13.
ANICII CONSVLATVI ET RELIGIO.
b Prudent. ad. uers. Symmachũ lib. 1.
c Martyrolog. Rom. die 31. May.

B

Iisdem Consulibus, datum Constantini rescriptum ad Menandrum extat, pro subleuandis pauperibus fame pereuntibus; quod est huiusmodi [d]:

C Prouinciales egestate victus atque alimoniæ inopia laborantes, liberos suos vendere & oppignorare cognouimus. Quisquis igitur huiusmodi reperietur, qui nulla rei familiaris substantia fultus est, quiq. liberos suos ægre ac difficile sustentet: per Fiscum nostrum, antequàm fiat calamitati obnoxius, adiuuetur. Ita vt Proconsules, Præsidesque, & Rationales per vniuersam Africam habeant potestatem, & vniuersis quos aduerterint in egestate miserabili constitutos, stipem necessariam largiantur; atque ex horreis substantiam protinus tribuant competentem. Abhorret enim a nostris moribus, vt quemquam fame confici, vel ad indignum facinus prorumpere concedamus. Dat. prid. Non. Iul. Romæ Probiano & Iuliano Coss.] Ex his plane perspicue vides, lector, patentes Zosimi calumnias in Constantinum, dum (quod superius quoque sæpe attigimus) ait [e], eumdem Imperatorem in exactione tributorum adeo tenacem, vt passus sit ob solutionem eorum, parentes filios distraxisse, atque filias D prostituisse. Quonam modo hæc tam sordida atque sæua tali adscribuntur Imperatori in tributis exigendis; qui vt egentibus prouincialibus subueniret, ne quid huiusmodi perpetrare cogerentur, Proconsulibus ac Præsidibus præcepit ex horreis publicis alimenta illis suppeditari? Hæc & alia superius certis testificationibus consignata velim attendisse eius patronum, qui tantopere pro defendendo impio & mendacissimo homine laborauit.

d L. 1. de aliment. Cod Theodos.
CONSTANTINI ERGA PAVPERES MVNIFICENTIA.
e Zosim. lib. 2.

Hoc ipso item anno, idem Constantinus indulgentiam impartitus est reis ob partum Crispi & Helenæ, dum ad Maximum PP. * in hæc verba rescripsit:

Propter Crispi & Helenæ partum omnibus indulgemus, præter veneficos, homicidas, & adulteros. Acc. III. Kal. Nouembris Romæ, Probaiano * & Iuliano Coss.] Subobscurus videtur sensus, qui bifariam accipi possit; ac prior quidem ille germanus magis apparet, Crispum & Helenam filios Cõstantini fuisse gemellos, eademque die, vno partu editos esse, vnum E eumdemque amborum diem natalitium celebratum: qua ratione erroris arguendi essent, qui Helenam filiam Constantini, quam postea Iulianus Imperator accepit coniugem, existimarunt fuisse filiam Faustæ posterioris coniugis Constantini: nam Mineruinæ, ex qua etiam natus est Crispus, eam fuisse filiam, dicere opus esset. Posterior vero ille sensus est, vt dies ille natalis celebris indicatur, quo ex Crispo Helena peperit filium. sed plane latuerunt hæc omnes historicos, qui nec si Crispus aliquando vxorem habuerit, vmquam sciuerunt. Ex quibus sane tres Helenæ ponendæ essent, senior & mater Constantini Magni, eademque Augusta, alia Crispi vxor, & tertia eiusdem Constantini filia, quæ virgo nupta est Iuliano Apostatæ, vt auctor est Marcellinus [f]. Porro tum huius, tum sequentis anni res gestæ, scriptorum inopia obscuræ admodum relictæ sunt.

* P. V.
* Probiano
TRES HELENAE.
f Ammian. Marcellin. lib. 15.

IESV

 A

IESV CHRISTI ANNVS 323. | SILVESTRI PAP. ANNVS 10. | CONSTANTINI IMP. ANNVS 18.

ANnus qui sequitur Christi trecentesimus vigesimustertius Consulatu Seueri atque Ruffini in Fastis adscriptus habetur, quo Imperator Constantinus pro Christianis alicubi vexatis, scribens ad Elpidium, eiusmodi edidit sanctionem [a]:

[a] l. 5. de Episc. Cod. Theodos.

CHRISTIANI DENVO VEXATI DENVO TVTI REDDVNTVR.

Quoniam comperimus quosdam Ecclesiasticos & ceteros Catholicæ sectæ seruientes, a diuersarum religionum hominibus ad lustrorum sacrificia celebranda compelli: Hac sanctione sancimus: Si quis ad ritum alienæ superstitionis cogendos esse crediderit eos, qui sanctissimæ legi seruiunt: si conditio patiatur, publice fustibus verberetur: si vero honoris ratio talem ab B eo repellat iniuriam; condemnationem sustineat damni grauissimi, quod rebus publicis vindicabitur. Dat. VIII. Kal. Iun. Sirmij, Seuero & Ruffino Coss.] Sed vnde, quæso, post tot pro Christianis edicta, tot leges, denuo oportuit noua iterum edita sanctione Christianos reddi securos, ne (quod tempore vrgentis persecutionis accidere solebat) cogerentur ad sacra Gentilium peragenda? En quàm egregie respondent hæc his quæ dicta sunt anno trecentesimo vigesimo primo, quo illud de Aruspicibus consulendis ad Maximum Constantinus rescripsit. Siquidem hac in re illud affirmare compellimur: nimirum cum visus esset Constantinus ipse publico rescripto consulens Augures, a Christiana religione desciuisse, & ad relictam auitam superstitionem redijsse; Gentiles elatos in Christianos insolenter egisse, atque inuitos pertrahere studuisse ad eiusmodi sacrificia lustri, quæ cum Vrbs ob præcedens prodigium aliquod ex responsis Augurum lustranda esset, aut exercitus, peragi solita erant. At C tunc quidni responderint ex more Augures, Christianos ad lustri sacrificia compellendos?

Cum igitur ex his appareat, aliqua vexatione a Gentilibus exagitatos esse Christianos, vt oportuerit eam Imperatoris auctoritate restingui: quis est, qui iuste mirari possit his tẽporibus Siluestri Papæ latebras ad montem Soracten Vrbi proximum contigisse? Equidem si alicubi excitatæ tunc sunt aduersus Christianos turbæ Gentilium: Romæ, vbi præsertim vigebat ius Augurum, e quorum officina hæc omnia manare videbantur, id vehementius actitatum, vbi & maiori odio in Christianos flagrabant Gentiles pro dijs patrijs pugnacius altercantes, credi potest: ibique in ipsum totius Christianæ religionis Antistitem, tamquam in aduersariæ partis antesignanum, retentum diu ac metu compressum furorem magno impetu erupisse, quis poterit dubitare? quorum impetuoso aggressui ad tempus esse cedendum, Siluester consultius fuerit arbitratus. Aestimata fuit ab aliquibus breuis hæc persecutio esse per Constantinum illata, cuius de captandis augurijs & Aruspicibus consulendis edictum fuerat promulgatum; quasi illis inhærens, a concepta Christiana fide desciuerit: verum edita hoc anno, quam recitauimus, sanctione, a quorum partibus staret, voluit omnibus innotescere. Siluester igitur, quòd Imperator procul esset ab Vrbe (Sirmij enim ea scripserat pro Christianis) ad eius aduentum in Vrbem reditum distulit, in Soracte commorans. Quid autem post hæc contigerit inter ipsum & Constantinum, cum in Vrbem reuersus est, dicemus anno sequenti. D

Hoc eodem anno decimooctauo Imperij Constantini, apud Eusebij Chronicon ponitur Licinius olim Imperator, sed in priuatam vitam redactus, iussus occidi Thessalonicæ ab eodem Constantino contra ius sacramenti: licet Victor & Socrates (quod dictum est) id factum tradant a Constantino haud longe post eum superatum, cum priuatam illi vitam præscripsit: sed quæ anno sequenti sequuta est mors Licinij iunioris per eumdem Constantinum illata, & E leges ab eo promulgatæ contra ea quæ a Licinio olim Imperatore statuta essent, in hunc vsque annum obitum Licinij dilatum esse persuadere forte possunt: cum enim Constantiæ sororis Constantini, eius vero vxoris intuitu esset permissus cum quiete priuatam vitam agere, iuramenti securitate munitus; quòd solicitaret occulte barbaros aduersus Romanum Imperium, ab eo est iussus necari: magnam sane, putandum est, causam intercessisse, vt nulla habita iurisiurandi præstiti ratione, contemptisque Constantiæ sororis Augustæ eiusdemque Licinij coniugis pro viro precibus exhiberi solitis, Constantinus in eum lege agendum esse præceperit: nisi potius de Licinij obitu magis vera censenda est recitata superius historia Ioannis Nicomediensis, qui eum morbo absumptum affirmat. Sed de his superius pluribus actum est. Iam ad anni sequentis res gestas progrediamur.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 324. | SILVESTRI PAP. ANNVS 11. | CONSTANTINI IMP. ANNVS 19.

SEquitur annus Domini trecẽtesimus vigesimusquartus, quo creati sunt tertio simul Consules Crispus & Constantinus Cæsares, idemque infelicissimus habitus, sanguine duorum Cæsarum & aliorum optimorum virorum cruentatus, & nece Faustæ Augustæ infaustus redditus. Hæc autem vt primum, ex more, tesseræ temporum admoueamus: recitanda antea sunt quæ apud Eusebij Chronicon in fine sic leguntur: Crispus filius Constantini, & Licinius iunior Constantiæ Constantini sororis & Licinij superioris filius crudelissime interficiuntur, B anno Imperij sui nono,] ex quo nimirum creati sunt Cæsares: quorum Decennalia, anno sequenti, si vixissent, fuissent celebranda: nam si (vt dictum est suo loco superius) tunc eorumdem celebrata sunt Quinquennalia, quando Constantinus decimumquintum annum agebat in Imperio; hic plane annus perspicue demonstratur esse eorumdem Cæsarum nonus, quo dicuntur esse necati, sed perperam in eodem Chronico positus sub eiusdem Imperatoris Constantini anno vigesimo. hæc quo ad rationem temporis rata sunto.

Quod autem ad res gestas hoc anno pertinet: vnde tantum prodigium, & quæ tanta præcesserit causa, vt humanitas maxime pij Principis in immanitatem plane tyrãnicam sit ex improuiso conuersa, Orosius [a] antiquus historicus latere significat, dum ait: Sed inter hæc latent causæ, cur vindicem gladium & destinatam in impios punitionem Constantinus Imperator etiam in proprios egit affectus. Nam Crispum filium suum, & Licinium sororis filium interC fecit.] hæc ipse. Accidit quidem, vt (quod ex ijs omnibus, quæ superius dicta sunt, exploratum cunctis esse potest) dum Constantinus a suscepta semel Christiana pietate numquam deflexit, ei omnia ex sententia euenirent; ita vt nullum vmquam fuerit felicius cuiusquam Imperium: cui adeo diuina opitulata est gratia, vt duos immanissimos, eosdemque fortissimos tyrannos abstulerit, alterum Occidentale, Orientale alterum possidentem Imperium; simulque barbaros quotquot insurrexerunt in ipsum Romanum Imperium perdomuerit; atque demum (vt vno verbo dicam) cuncta ei prospera atque felicia & ex animi sententia contigerint: cum vero sui ipsius, nescio qua incuria, prorsus oblitus, Augurum responsa captare cœpisset; ac perinde atque non esset Deus in Israel (quod est in diuinis scripturis [b]) misisset ad consulendum Beelzebub deum Accaron: atque velut Saul [c] (venia eius id dictum sit) cum abstulisset magos & ariolos de terra, & interfecisset eos qui phytones haberent in ventre, D post modicum temporis spatium phytonissam ipse consulens, Dei vindictam in se concitauit; ita & Constantinus cum aduersus Aruspices, atque magos, quas recitauimus, leges tulisset; ipse de ijsdem Aruspicibus consulendis ad Præfectum Vrbis scripserit; Dei patrocinium a se, quo sustentabatur, auerterit, & eius indignationem adeo acerbam promeruerit, vna cum Imperio funditus periturus, nisi cito Christianæ religionis remedio facinus expiasset.

Constantini malorum causa.

At quo modo hæc gesta sint, dicendum est: et a Licinio iuniore tragœdiam auspicabimur. Cur autem hic Constãtini Magni sororis Cõstantiæ filius, auctus, vt vidimus, ab eo Consulari dignitate (nam in suo quinto Consulatu adsciuit eum sibi collegam) cur inquam hic ab eodem Constantino sit iussus occidi, causam nemo prodit. Sed si verum est, quod habet Eusebii Chronicon, ipsum Licinium patrem inter priuatos vitam agentem, anno præterito, nempe decimooctauo Constantini, ab eodem iussum esse necari, quòd aduersus ipsum aliquid diceretur E machinatus esse cum barbaris: eiusdem criminis complicem fuisse, vel saltem suspectum habitum esse Licinium iuniorem, par est existimare. Vnde & illud accidit, vt quòd hactenus Licinij senioris nomen amore sororis Constantiæ & Licinij iunioris in antiquis legum monumentis fuerit conseruatum: hoc ipso anno cuncta ab eo decreta sint iussa deleri. Sic enim de his hoc anno idem Constantinus rescripsit ad Constantium Præfectum Prætorio [d]:

Licinii iunioris necis causa.

Remotis Licinij tyranni constitutionibus & legibus: omnes sciant veteris iuris & statutorum nostrorum obseruari debere sanctionem. PP. XVII. Kal. Iun. Crispo III. & Constantino III. Cæss. Coss.] sequenti vero anno sanioris mentis effectus sic temperauit edictum, vt si quæ ab eo legitime statuta fuissent, euertenda non essent, sic rescribens ad vniuersos Prouinciales [e]:

Tyranni & Iudicum eius gestis infirmatis; nemo per calumniam, vel id quod ipse sponte fecit euertere, nec quod legitime gestum est* Dat. prid. Id. Februar. Paulino & Iuliano Coss.] Rursum vero post sequentem annum hæc edixit [f]:

[a] Oros. lib. 7. c. 28. in fin.
[b] 4. Reg. 1.
[c] 1. Reg. 28.
[d] l. 1. de infirm. his quæ sub tyrannis, Cod. Theod.
[e] l. 2. eod. Cod.
[f] 1. l. 3. eod. Cod.

Quæ

Quæ Tyrannus contra ius rescripsit, non valere præcipimus, legitimis eius rescriptis minime impugnandis. Dat. VIII. Id. Iul. Rom. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. Coss.] A

CRISPI ET FAVSTAE NECIS CAVSA.

a Cicer. ad Quintum fratrem. 1.

b 1. Reg. 8. & 1. Ioan. 1.

Quod autem ad Crispi & Faustæ necem spectat: parum quidem fidelis historici numeros explesse Eusebius visus est, hæc prætermittens in Vita Constantini quam scripsit, imitatus in multis in ea potius Xenophontem; qui, vt de eo testatur Cicero [a], Vitam Cyri non tam ad historiæ fidem conscripsit, quàm ad effigiem iusti Principis exhibendam: nam non nisi felicia Constantini, egregiaque facta, dicta, vel scripta prosequutus est: cum legis diuinæ præscripto certum sit, non esse hominem qui non peccet [b]: et si exemplo quoque agendum sit Dauid, quem Regem sanctissimum prædicamus, Deoque carissimum hominem; non leuibus fuit sordibus peccatorum aspersus; quod non veriti sunt suis scriptis memoriæ commendare, qui diuino afflati Spiritu, res ab eo gestas sincere atque fideliter sunt prosequuti: cum tamen aliàs ipse idem Eusebius optimi historici functus officio, huius facinorum meminisse in Chronico non prætermiserit; vt plane ex his perspicue demonstretur, quanti momenti sit, historicum liberos affectus habere: nam Constantini Vitam, quam tempore Constantij Constantini filij Ariani hominis scripsit, in eo tantum argumento apparet esse versatus, vt in gratiam Principis ea solum attigerit Constantini, quæ laudabilia & imitanda omnibus Principibus viderentur: atque adeo ex hoc intelligatur, eiusdem Constantini encomium texuisse potius, quàm rerum cunctarum ab eo gestarum historiam. Sed quod deterius est, hac etiam ex parte inofficiosi quoque, vel dixerim potius inuidi ac plane illiberalis silentij damnandus est: quippe cum multa suppeterent argumenta Constantini laudandi de rebus in Vrbe atque toto Occidente optime præclareque gestis, ea propemodum omnia sic silentio obuoluta reliquerit, vt post paucis narratam obtentam de Maxentio Tyranno victoriam, perinde ac si numquam amplius idem Romæ fuisset, vel alijs in locis orbis Occidentalis, nusquam illorum meminerit. Qui enim semel expertus est sibi inhærenti Ario aduersariam Romanã Ecclesiam, adeo auersatus est eam, vt ea ex parte delegerit potius a Constantini laudibus abstinere, quàm vlla ex causa de ea velle bene mereri. Innatum est autem hoc hæreticis, vt non tantum contraria sibi Catholica dogmata oderint; sed personas ea defendentes, & loca ipsa, tamquam firma veritatis propugnacula summo odio prosequantur. B C

EVSEBIVS ITERE DAMNATVR.

SOZOMENVS FRVSTRA PRO CONST. LABORAT.

c Sozom. lib. 1. c. 5.

Verum quod pertinet ad Crispi necem per Constantinum illatam: admiratione quidem digna est stupiditas incredibilis Sozomeni [c], qui vt neget Crispum occisum a patre, eo vno vtitur argumento, quòd Crispus viuens ad vigesimum vsque patris Imperij annum peruenerit, multas interea leges cum eo statuens; quasi non potuerit vtrumque verum fuisse, eamque ætatem vixisse, & a patre necatum esse. Profitemur namque nos idipsum: Crispum, qui hoc anno tertium gessit Consulatum, quo Imperator Constantinus annum agebat in Imperio decimumnonum, peruenisse ad vigesimum Constantini annum, sed exclusiue: hoc enim potius anno quàm sequenti putamus extinctum: vel si demus sequenti anno ex hac vita sublatum; nihil est, quod historiæ veritati afferat præiudicium. At ad ea quæ idem addit de Sopatro, agemus hoc eodem anno inferius. D

d Euag. lib. 3. c. 40. 41.

CRISPI ET FAVSTAE NECIS ASSERTORES.

e Victor in Vita Constantini.

f Eutrop. lib. 10.

g Oros. lib. 7. c. 29.

h Sidon. lib. 5. epist. 8.

Sed & magis admiramur Euagrium [d]; qui etsi aliter iuste in Zosimum excanduerit, vtpote qui odij concitatus affectu multa calumniose in Constantinum coaceruarit (vt & nos multo plura quàm ipse in eo mendacij arguimus) tamen in his quæ spectant ad Crispi & Faustæ necem, haud iure in eum inuehitur. excusatione fortasse Euagrius dignus esset, si hæc tantum apud Zosimum legerentur. Cur ergo Eusebij, cuius silentium testem adhibuit, Chronicon non inspexit, vbi non solum (vt vidimus) Crispi & Faustæ, sed & Licinij iunioris ponitur disertis verbis a Constantino Imperatore procuratus interitus? Sed & si consuluisset Latinos historicos eadem pariter attestantes, a sententia sua equidem discessisset. Aurelius Victor [e], & Eutropius (licet & ipsi Gentiles sint) de propinquorum nece a Cõstantino perpetrata, æquissimi astipulatores sunt. Quin etiã si Christianos antiquos scriptores exquisisset: eosdem quoque eiusdem veritatis assertores sincerissimos inuenisset, nempe Paulum Orosium [g] quem citauimus, & Sidonium [h] Apollinarem auctorem grauissimum, qui & illorum temporum & præcipui apud Constantinum viri testificationem perspicuam cunctis affert, cum hæc obiter ait, dum agit de Ablauij Consulis disticho: Vt mihi non figuratius Constantini domum vitamque videatur vel pupugisse versũ gemello Consul Ablauius, vel momordisse, disticho tali clam Palatinis foribus appenso: E

Saturni aurea sæcla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.

quia scilicet prædictus Augustus ijsdem ferme temporibus extinxerat coniugem Faustam calore

A lore balnei, filium Crispum frigore veneni.] hæc Sidonius. His addenda certa testificatio Artemij martyris ex confessione ipsius sincerissima, facta coram Iuliano Apostata: sed eam paulo post recitabimus. Si vero de recentioribus historicis agamus, adiungendus esset Gregorius Turonensis[a], qui ait, ideo eos occisos, quòd proditores regni fuissent; sed & alij tam Latini quàm Græci exquisitæ solertiæ his coniungendi essent, qui non sicut Sozomenus & Euagrius in re tam aperta oculis caligarunt, vel cæci potius facti sunt, vt ex Græcis inter alios accuratè Zonaras[b], licet Nicephorus[c] Sozomeni letargo consopitus appareat.

a Greg. Turon. hist. Franc. lib. 1. c. 36.
b Zonar. Annal. tom. 3.
c Niceph. lib. 7. c. 35.

Quod autem ad eorumdem necis causam spectat: cum Crispi obitum a Fausta nouercâ procuratum omnes affirment; Zosimus[d] certam afferens causam, rem gestam in hæc verbâ describit: At vbi Romam venit, omnis arrogantiæ plenus, ab ipso lare sibi sumendum impietatis exordium existimauit. Nam Crispum filium, Cæsaris (vt ante dictum est) ornatum ti-
B tulo, quòd in suspicionem venisset, quasi cum Fausta nouerca consuesceret, nulla ratione iuris naturalis habita, sustulit. Cumq. Constantini mater Helena tantam calamitatem ægro ferret animo, & intolerabilem ex cæde iuuenis dolorem perciperet: quasi consolans eam Constantinus, malum malo maiori sanauit. Nam cum balineum accendi supra morem iussisset, eique Faustam inclusisset, mortuam inde extraxit.] hæc ille: Ammianus[e] tamen Polæ in Istria Crispum esse necatum affirmat: sed quòd hoc eodem anno Constantinus animi imbutus feruitia Romam se contulerit, necem Crispi, sicut aliorum, ipse Zosimus Romæ contigisse putauit: nisi potius Ammianum errasse velimus.

d Zosim. lib. 2.
CRISPI NECIS CAVSA.
e Ammian. lib. 14.

Artemius Præfectus Augustalis idemque martyr, cum Christianitatis reus causam ageret coram Iuliano Apostata, deroganti illi Constantino, multaque in eum obijcienti, ac præsertim propinquorum necem, hæc tunc in eum pro Constantino respondit[f]: Ille autem (inquit)
C vxorem Faustam iuste admodum interfecit, vt quæ priscam Phædram esset imitata, eiusque filium Crispum calumniata, quòd eius amore captus esset, & vim ei conatus esset afferre, sicut etiam illa Hippolytum Thesei filium. Atque primum quidem qui sic in matrem insanierat (vt volebant eius verba) ille cum esset maritus, puniuit. Postea autem cum sciuisset esse mentitam, ipsam quoque occidit, in eam ferens sententiam omnium iustissimam.] hæc Artemius ad Iulianum. id ipsum de Crispo filio affirmat S. Hieronymus[g] in Lactantio eius magistro: habent hæc eadem Zonaras, & alij recentiores ipsorum interitum asserentes. Nec prætermittendus Suidas[h], qui eamdem Crispi atque Faustæ necis causam affert; licet ipse dubitet, id ne ante ipsius Constantini baptismum, an vero postea factum sit. Sed accidisse ante baptismum, quæ dicta sunt manifeste declarant. At Gregorius Turonensis[i] aliam ab his diuersam, cuius ante meminimus, de Crispi & Faustæ interitu eam solum causam adducit, quòd regni pro-
D ditores extitissent; sed non probatur: fortasse enim ipsa Fausta, vt tantum regnarent filij a se geniti, hæc vna cum alijs in Crispum priuignum obiecit.

f Ex Metaph. apud Sur. die 20. Octob. tom 5.
g Hieronym. de Script. Eccles. in Lactantio.
h Suid. Verb. ...
i Greg. Turon. hist. lib. 1. c. 36.

Sed & illud considerandum, affirmare Eutropium[k] innumeros quoque amicos tunc esse interfectos a Constantino. quod quidem etsi testis alicuius careret auctoritate; absque aliqua alia assertione verisimile declaratur, non abstinuisse a familiarium nece, qui propinquis adeo intimis non pepercit; nam multorum exemplo exploratum habetur, cum Imperatoris gladius in affines exeritur, in eorumdem domesticos atque intimos familiares, & quoscumque vel leuissima suspicio macularit, & sæpius in insontes atque iustissimos furere solere, & seuerũ vindicem progredi. merito igitur hæc omnia a Iuliano Apostata obiecta Artemius martyr non negauit, sed (quatenus licuit) potius excusauit. Quamobrem haud mentitum esse dices Ablauium Consulem; qui hæc omnia præsens spectans, Palatinis foribus affixo illo disticho,
E testatus publico scripto est, in aureo sæculo Neroniana tempora redijsse.

k Eutrop. lib. 10.

Quod vero ad Crispum filium spectat: constat ab omnibus esse laudatum; quem etiam Iulianus Apostata[l] virum frugi ac bonum prædicat: fuisse quoque religione Christiana imbutum, multa suppetunt argumenta: par enim est credere eamdem cum patre religionem esse sectatum, & ad hanc ipsam a puero ab auia institutum. Vidimus & antiquum numisma id ipsum perspicue demonstrãs: sed quòd eius fides haud omnibus rei antiquariæ peritis probata fuerit, noluimus hic illud ipsum formis reddere. procul enim abhorremus ab ijs qui absque delectu a quouis oblata numismata tamquam magnum quemdam thesaurum inuentum typis excusa edunt, inde putantes suas ipsorum lucubrationes ornare, vnde magis deturpant ac fide minuunt. Prodierunt hoc nostro sæculo, dixerim ne impostores? qui obductum crassa rubigine cum numisma æreũ nanciscuntur, formas & litteras quas volunt solerti effingunt industria, turpis lucri gratia, non sine magno rei antiquariæ præiudicio. Quòd igitur velimus nostros Annales omni carere suspicione mendacij, ab eiusmodi nobis probe notis abstinuimus; et non

l Iulian in Cæs.
CRISPVS CAESAR CHRISTIANVS.

nisi quæ fuerunt satis superque perspecta, eruditorumq. sententia comprobata, omniumq. fide obsignata hic numismata reddenda curauimus: sed de his satis. Crispum igitur nobilissimum Cæsarem Christiana religione imbutum, præclaris victorijs auctum, rebus fortiter gestis vere magnum, spe autem futurorum, si licuisset, maximum, spectata castitate cęterisque moribus insignem, furore tyrannicæ patriæ potestatis sublatum in ipsius præsertim adolescentiæ flore, Helena auia (vt tradunt) inconsolabiliter fleuit. A

Verum quid post tot tamque immania scelera perpetrata, iam resipiscens suique compos factus Constantinus egerit, accuratius inuestigemus. Prosequuti sunt ea Zosimus atque alij, licet Ethnici: quorum fidei non est propterea derogandum, quòd Gentiles sint; cum ea præsertim scribant quæ potius Christianis faueant, quàm patrio ipsorum cultui. At ipsum Zosimum [a] audiamus: Horum (inquit) ipse sibi conscius, & propterea contemptæ sacramentorum religionis, ad Flamines accedens, admissorum lustrationes poscebat. Illis respondentibus, non esse traditum lustrationis modum, qui tam fœda piacula posset eluere: quidam Hispanus genere, cui nomen esset Aegyptius, Romam delatus, Palatinisque mulierculis familiaris factus, & ad Constantini colloquium admissus, sententiam doctrinæ Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum confirmauit; et id ipsum adeo polliceri: nimirum acceptantes eam homines impios, mox omni delicto liberari. Eam orationem cum non grauate Constantinus accepisset, ac patrita missa faceret, perceptis ijs quæ hic Aegyptius offerebat, principium impietatis hoc dedit, vt diuinationem suspectam haberet. Nam quòd ei multæ res prosperæ per hanc prædictæ fuissent, euentumque reipsa sortitæ: verebatur, ne itidem alijs aduersus ipsum hanc consulentibus, id quod futurum esset, prædiceretur; atque hoc consilio impulsus, ad huiusmodi abolenda se conuertit.] hucusque Zosimus. B

a Zosim. lib. 2.

BAPTISMVS CONSTANTINI A ZOSIMO SVBOBSCVRE DESCRIPTVS.

Quibus quidem non obscure significat, Constantinum diuinationem Augurum primitus detestatum, cuius impulsu a Deo antea desciuisset, & in tam enormia peccata prolapsus esset; cum & Christiana lex imperet, sacro baptismate initiandum, ante omnia satanæ & operibus eius renunciare debere: ac proinde dum ait Constantinum tam immanibus criminibus lege Christiana expiatum, haud aliud significare potuit, quàm ipsum hisce sordibus suscepto baptismo esse dilutum: cum omnes sciant, accedenti impio ad Ecclesiam, nullis alijs ritibus remissionem peccatorum solere conferri. Nec mirari quis debet, si subobscure, neque adeo dilucide Ethnicus scriptor mysteria nostra sit prosequutus: cum id ipsum sit obseruare in ceteris scriptoribus Gentilibus omnibus, qui rerum Christianorum meminerunt: nam eadem obscure, concise, dubie, & haud vsquequaque fideliter, in omnibusque vere referre consueuerunt, vt Suetonius, Tacitus, Lucianus, & alij de quibus diximus, vel præter Zosimum de quo agimus, Ammianus Marcellinus, de quo dicturi sumus: sed prudens lector cum in eiusmodi eorumdem scripta inciderit, quasi per transennam ea quæ foris minus apparent, intus esse perspicue intuebitur. C D

GENTILES RES CHRISTIANAS MINVS PLENE DESCRIPSISSE.

At non Zosimus tantum hæc quæ retulimus scriptorum monumentis testata reliquit, sed & alij quoque Gentiles historici, quorum meminit Sozomenus [b]; qui minus prudens, vt vidimus, dum eorum de Crispi nece assertionem confutare studet, eiusmodi de re ab eis scriptam narrationem instituit: Non sum (inquit) equidem nescius, memoratum a Gentilibus Constantinum tum genere sibi coniunctissimos trucidasse, tum ad necem filio suo Crispo inferendam operam contulisse. Quorum facinorum cùm eum postea pœniteret; cum Sopatro philosopho, qui id temporis in scholam philosophiæ, cui antea præfuerat Plotinus, magister successerat, de eorum expiatione communicasse: cum autem respondisse, nullam esse eiusmodi delictorum expiationem. Qua inficiatione Imperatorem valde perturbatum, forte incidisse in Episcopos: qui pœnitentia & lauacro baptismatis se eum omni peccato expiaturos pollicerentur. Quos cum ex animi sui sententia dixisse intelligeret: eorum responso magnopere delectatum, cœpisse illorum religionem habere in admiratione, Christianum fieri, & suos subiectos ad eamdem religionem pellicere.] hæc de his quæ a Gentilibus scripta, Sozomenus, ac plane diuersa in nonnullis ab eis quæ ex Zosimo recitauimus, ne credas eum ab eodem Zosimo hæc hausisse, sed plane ab alio, immo alijs, nempe pluribus, quod testatur: vt fides tot testium contra seipsos testantium, non nisi certa explorataque omnibus haberi debeat. E

b Sozom. lib. 1. c. 5.

SCRIPTORES GENTILES TESTES DE CONSTANTINI BAPTISMO.

Verum quid aduersus hæc ipse? At mihi (inquit) sane ista ab illis qui studio ducuntur Christianæ religioni obtrectandi, videntur esse conficta. Nam Crispus, propter quem memorant Constantinum expiationem quæsiuisse, vigesimo anno Imperij paterni mortem obijt: qui dum viueret, multas leges cum patre vnà (vtpote qui secundas Imperij partes, Cæsar enim erat, obtinuisset) pro Christianorum libertate sanciuit: cui rei etiam num testimonio esse poterunt

SOZOMENVS HALLVCINATVS, DVM ALIOS IMPRVDENS ARGVIT.

A poterunt, tum tempora quæ ipsis legibus scripta sunt, tum legum latorum nomina.] hæc ipse, non admittens omnino Crispum a Constantino iussum occidi. Quod vero ad leges pertinet consignatas Crispi nomine; nisi velimus auctorem esse mentitum, dicendum est, ipsum in Codice Theodosiano atque Iustinianeo prætermissum; nisi potius affirmandum est, Constantini leges nonnullas inueniri notatas Consulatu Crispi Cæsaris: sed est id alijs quoque commune. Tum subdit Sozomenus:

Quod autem, inquit, ad Sopatrum attinet: primum non est verisimile, eum in colloquium venisse Constantini, qui soli illi Imperij parti, quæ est versus Oceanum & ad Rhenum pertinet, præfuit. Nam propter dissidium cum Maxentio ætatem in Italia degente, Imperium Romanum seditionibus exarsit: neque facile erat cuiquam, illo tempore, ad Gallos, Britannos, & reliquos illius Orbis partis incolas (apud quos liquido constat inter omnes Constantinum
B primo Christiana religione imbutum esse) ante iter facere, quàm Constantinus aduersus Maxentium bellum gessisset, peragrasset Italiam, & Romam vsque venisset. Cuius rei testes denuo sunt tum tempora, tum leges pro pia religione promulgatæ. Quòd si demus etiam, vti facile possumus, Imperatorem cum Sopatro coram colloquutum, vel per litteras quæ volebat ab eo didicisse: non tamen probabile est, philosophum ignorasse, quo modo Hercules Alemanæ filius, tum post trucidatos liberos, tum post cædem Iphiti, quem (vtpote hospitē & amicum) iniuste peremerat, ceteris sit expiatus mysterijs. Verum sint hæc quæ diximus satis, tum ad ostendendum quòd Gentiles eiusmodi delictorum expiationem profiterentur, tum ad eos mendacij conuincendos, qui Sopatrum ei rei contradixisse commenti sunt. Nam non equidem affirmarim, philosophum, qui apud Gentiles ob exquisitam doctrinam id temporis facile præclarissimus habitus est, illum expiandi modum ignorasse.] hucusque Sozomenus.

C Qui quidem dum primo in eo versatur, vt neget Sopatrum consuetudinem habuisse, immo nec loquutum esse cum Constantino, dum in Gallijs ageret, nec eum Maxentium expugnasset; quid hoc insulsius aut ineptius (pace sua dixerim) potuit ad ea de Sopatro confutāda, in contrarium adduxisse? perinde ac si Crispi & aliorum propinquorum necem quis dicat accidisse ante victum Maxentium: cum Zosimus, & alij omnes quos vidimus, non solum post debellatum Maxentium, sed post superatum quoque Licinium, cum summa rerū vnus ipse Constantinus potiretur, affirment id contigisse. Ah in quos errorum anfractus ipsum ignoratio rerum gestarum coniecit & tēporum? Miramur insuper Græcum auctorē præterijsse Eunapium Sardianum, res gestas philosophorum huius sæculi accurate scribentem; et tractaturum ipsum de Sopatro, res Sopatri non ab eo exacte peruestigasse. At quid Eunapius sui sæculi res gestas conscribens, de Sopatro posterorum memoriæ commendarit, audiamus; primo enim multa
D loquutus de Sopatri magistro Iamblicho, hæc postea de ipso Sopatro subtexit[a]:

At Sopater ceteris eloquentior, natura sublimium bonorum appetens, animoque magnus & ferox, aspernatus reliqua in turba ætatem degere, magna celeritate ad aulam Imperatoriam accurrit, quasi Constantini propositum atque impetum domiturus, & ratione superaturus. Certe eo existimationis potentiæque peruenit, vt Imperator delinitus captusque ab homine, assessorem eum ad dexteram publice habuerit; res auditu visuq. incredibilis. Proceres aulici inuidia dirupti, quòd Regia Philosophiam iam sero disceret, Cecropum occasionem captabant, nō Herculem modo somno oppressum, sed brutam illam nunc vigilem fortunam comprehensuri. Quocirca clam concilia & cœtus agitare, nihil omittere, quod tollendis insidijs commodum foret.] hæc Eunapius, qui deinde narrat, quo modo idem Sopater, cum summam inter aulicos sibi gloriam comparasset, a Constantino iussus fuerit insidijs æmu-
E lorum occidi: additque eumdem eo claritudinis prouectum esse, vt superaret Ablauium Præfectum Prætorio, penes quem fuisse summam Imperij, veteres scriptores affirmant. Ex quibus plane apparet, quantopere hallucinatus sit Sozomenus, qui & negare visus est, Sopatrum cum Constantino numquam loquutum fuisse.

His cōfutatis, quę tam leuiter de Sopatro a Sozomeno allata sunt: reliquū est, vt videamus, an verum sit, quod ipse idem negat, dici potuisse a Sopatro Constantino, nullam esse expiationem admissi facinoris; quandoquidem (vt ait) Herculem filiorum interfectorem constet sacris Cereris esse purgatum. At non animaduertit Sozomenus, vel mente excidit, quod dixetat, Sopatrū Platonicum fuisse philosophum, atque magistrū præfectum scholæ Plotini. Porro Platonis illud dogma erat[b], quòd diuina Iustitia in homines inuigilante, qui cædē patrassent, non aliter a dijs veniam consequuturi essent, nisi ipsi eamdē quam alijs intulissent, paterentur: quamobrē si absque tali expiatione animæ soluerentur a corporibus, eas apud inferos supplicijs affici, atque iterū detrudi in noua corpora, vt necessario idē subituri essent, quod antea in alios

a Eunap. Sard. in Vit. Philosoph.

DE SOPATRO PHILOSOPHO GENTILI.

b Plato de Leg. lib. 34. dialog 9. & Marsil. Fi cin. ibi.

alios perpetrassent. In eo tamen a Plotino ceteri Platonici discrepabāt, quòd cum ille diceret, in bruta quoque corpora peccantium animas interdum immitti solere; isti non nisi in humana eas ad luenda supplicia migrare iuberi. Sic igitur iure ex Platonis omniumq. Platonicorum sententia respondit Sopater Constantino, nullam reliquam esse tanti facinoris expiationem; sed hoc quod ad purgationem plenariam parricidij, non autem quod ad publici status censuram, ex qua certa pro delictis puniendis statuta erant ab eodem Platone supplicia. At non requirebat hæc Constantinus, cum solutus legibus, diuinas tantum iras extimesceret. A

Sed quod idem affert Sozomenus Herculis exemplum facris Cereris expiati, a proposito procul abhorret; siquidem ille in furorem conuersus, immissa in eum a Iunone insania, nesciens vxorem occidit & filios; ob idque nullius criminis reus, nulla indigebat expiatione: vnde (quod tradit Iulius Higynus[a]) menti redditus, de purgatione cum Apollinem consuleret, nullum accepit ab eo responsum; ob quod indignans eius tripodem sustulit. Immo idem auctor refert, ab eodem Hercule tunc occisum Neleum cum decem filijs; quoniam is eum purgare seu lustrare voluit, cum Megaram suam vxorem & filios Theremarchum & Ophitem interfecisset. Hæc quidem Iulius Higynus, quæ licet in fabulis sint, haud tamen aptari Constantino possunt, etiamsi ex Sozomeni præscripto res gestæ essent: nam Constantinus nulla tactus amentia, sed sciens & volens facinus perpetrauit. B

a Iul. Higyn. Fab. c. 31. 32.

PVRGATIONES PENES GENTILES.

At non inficias imus, fuisse penes Gentiles eorum ritibus pro iustis cædibus institutas purgationes: vnde illud Virgilij[b]:

b Virg. 2. Aeneid.

Me bello e tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.]

Fiebat quoque aspersione aquæ lustralis: vnde & apud eundem Virgilium[c]: C

c Virg. 4. Aeneid.

Ter socios pura circumluit vnda,
Spargens rore leui.]

Porro discrimen inter ablutionem & aspersionē fuisse, Macrobius[d] accurate declarat. Sed & fieri quoque solebat triplex purgatio, nempe aqua, sulphure, atque igne: vnde Ouidius:

d Macrob. Saturnal. lib. 3. c. 1.

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustra.]

Tradit & Plinius[e] suffitus lauri adhiberi solitos in purgatione a cæde hostium. Erant & aliæ eiusmodi apud eos purgationes, sed a parricidio nulla prorsus. Nam de Nerone, cum matrem occidit, hæc habet Suetonius[f]: Sæpe confessus agitari se materna specie, verberibus furiarum, ac tædis ardentibus. Quin & facto per magos sacro, euocare Manes & exorare tentauit. Peregrinatione quidem Græciæ Eleusinijs sacris, quorum initiatione impij & scelerati voce præconis submouerentur, interesse non ausus est.] hæc cum dicat Suetonius, plane significatur, nullas fuisse penes Gentiles parricidij expiationes, quibus, vt ea quæ patiebatur, a se auerteret, Nero non caruisset: nam tantum abfuit, vt illis aliquando purgatus esset, quin potius ab Eleusinijs excludi ea de causa metuerit. Appareteque ex ijsdem, tantum abesse, vt sacris Cereris eiusmodi facinus purgaretur; vt tales facinorosi procul ab illis arcerentur. Iure igitur constat, non Sopatrum tantū (quod testatur Sozomenus) sed & Flamines respōdisse Cōstantino (vt scribit Zosimus) non esse traditū lustrationis modū, qui tā fœda piacula posset eluere. D

e Plin. lib. 15. c. vltim.

f Sueton. in Neron. c. 34.

QVIS AVCTOR BAPTISMI CONSTANTINI.

Vides ergo hæc omnia tum ex Zosimo, tum ex Sozomeno recitata, sed a Gentilibus, quod ait, scripta, esse in omnibus consentanea veritati, atque digna quæ sua integritate recipiantur a cunctis veritatem exactius exquirentibus atque colentibus. Sed quod subdit Zosimus: Quidam Hispanus genere, cui nomen esset Aegyptius Romam delatus, Palatinisque mulierculis familiaris factus, & ad Constantini colloquium admissus, sententiam doctrinæ Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum, confirmauit, &c.] habet verborum textus magnam obscuritatem, ad intelligendum quisnam fuerit homo ille Hispanus genere, nominatus Aegyptius, Romam delatus. At ex Euagrio emendandus est textus Zosimi: non enim (quod vertit Latine interpres) habet Zosimus illa sic posita verba: Quidam Hispanus genere, cui nomen esset Aegyptius:] sed (vt ex eodem Zosimo legit Euagrius) Quidam Aegyptius ex Iberia venerat, ex Hispania scilicet. At quænam hæc connexio, Aegyptius ex Hispania, vel, Hispanus Aegyptius? Hic considerare debemus, apud nonnullos scriptores hoc nomen, Aegyptius, idem importare, quod magus: sic namque ea vox in diuinis scripturis[g] interdum vsurpata reperitur, nec non a Iosepho[h], Porphyrio[i], & alijs. Quamobrem res in vnum idemque recidunt, vt siue dicas cum Zosimi lectione Latina; Quidam Hispanus Aegyptius: siue cum Euagrio; Quidam Aegyptius ex Iberia: idem sit, ac si E

g Act. 21.
h Ioseph. Antiq. lib. 20. c. 6. & de bello Iud. lib. 2. c. 12.
i Porphyr. in Vita Plotini.

A diceretur: Quidam magus Hispanus, siue magus veniens ex Hispania. sed quòd moris est Gentilibus, Christianorum sacrificos appellare magos; in eam plane sententiam imus, vt eiusmodi hominem magum Hispanum, nullum alium existimemus, quàm Osium Cordubensem Episcopum fama notissimum: eum namque qui talia suasit Constantino, fuisse vnum ex Christianorum Episcopis, quæ sunt a Sozomeno recitata, satis aperte declarãt. Nisi & vocem illam, Aegyptius, quis putauerit restituendam, Ex Aegypto; vt illa sit connexio verborum, Quidam Hispanus ex Aegypto Romam delatus. meminisse enim debemus, Osium a Siluestro Legatum missum fuisse in Aegyptum. Osius igitur Episcopus Cordubensis ex suscepta legatione in Aegyptum, Romam reuersus, nactus tam immania scelera a Constantino patrata, quòd illi esset (vt dictum est superius) summa familiaritate coniunctus, eum id exposcentem docuit, peccata non aliter expiari posse, quàm ex Christiana religione petito remedio, nempe sacro
B baptismo: quod illi facile persuasit, homini præsertim catechumeno, & de Christina pietate optime merito. Quòd autem non Romanum Antistitem, sed peregrinum hominem eius rei suasorem & impulsorem ijdem tradant; ex ijs certiores atque euidentiores videri possunt latebræ Siluestri Romani Pontificis, de quibus superius mentionem habuimus, atque proxime dicturi sumus.

Hæc igitur cum sint in primis Gentilium scriptorũ testificatione firmata, atque exacta insuper adhibita examinatione probata, certa, veraque cognita; quo modo etiam antiquis Christianæ religionis monumentis firmiora reddantur, rem sedulo peruestigantes, intelligamus: quæ enim ex Gentilium scriptorum attestatione præmisimus, rem ipsam accurate consideranti lectori, ad veritatem penitus consequendam haud dubia præambula sunt, sed via recta, ac certa manu ducens præuia dispositio. Siquidem ex ijs explorata prorsus habentur admissa di-
C ra ac patricidalia Constantini delicta, ab eodemque ad ea abluenda quæsita remedia, nec ea apud alios, quàm Christianos inuenta, ac proinde (quod ex necessaria assumptione deducitur) ad ea purganda esse adhibitum ex more sacrum baptisma.

Hæc inquam ex veteribus Ecclesiasticis monumentis perspicua magis magisque redduntur: et in primis ex Romano Concilio, hoc anno coacto sub Siluestro: nam ad eius finem habetur, huius anni Consulibus celebratum, nempe Crispo & Constantino tertium Consulibus; licet deprauati codices, loco Crispi, habeant Priscum: irrepsit idem error in Acta quæ citauimus Artemij martyris, Iuliani temporibus, in quibus cum mentio fit de Crispo Constãtini filio, Priscus nominatus reperitur. sed & apud Suidam pro Crispo Priscus legitur: quod minus considerans quidam, imprudenter nimis visus est eamdem Synodum respuisse. In eius vero Concilij exordio hæc narrantur de causa cogendi eiusmodi Episcoporum Conuentus: FIDES DE CONSTANTINI BAPTISMO EX ROMANO CONCILIO.
D Eodem tempore, cum multi nobiles gauderent, quòd Constantinus baptizatus a Siluestro Episcopo Vrbis Romæ, & mundatus fuisset a lepra: pro hoc beneficio, quod accepit a Domino nostro Iesu Christo per Siluestrum Episcopum, cœpit integre prædicare Dominum Iesum Christum, & confiteri eius beneficia. Siluester igitur Episcopus Vrbis Romæ congregauit fratres, compresbyteros, coepiscopos, & diacones suos, & ciues Romanos. Et quoniam * mater Ecclesia genuerat filium carissimum Constantinum, &c.] De ijs enim, quæ ad idem Concilium spectant, agemus inferius. Nam cum eiusmodi Romana Synodus, vt legitima, in compluribus antiquis codicibus scripta habeatur, exhibeatque illam ipsam antiquissima Cresconiana collectio; non est quòd quis suspicari possit, humanum esse commentum. * quem

Huius quoque, puto, auctoritate Concilij Anastasius Bibliothecarius in Chronico perbre-
E ui, quod scripsit, recenset Constantini baptismum Romæ habitum anno decimooctauo eius Imperij, nempe sub his ipsis Consulibus hoc anno, quo absoluitur eiusdem Imperatoris annus decimusoctauus, & inchoatur decimusnonus. Atque hæc satis de ijs, quæ ad tempus spectant; quibus in primis erroris arguuntur, qui Constantini baptismum ad illud tempus referunt, quo expugnato Maxentio, primum ingressus est Romam; sed & illi pariter, qui eum tempore mortis tradunt baptizatum Nicomediæ, aduersus quos prolixior paulo post disceptatio erit. Extrema igitur hæc declinantes, sententiam sequimur de baptismi Constantini tempore, quam nouimus illorum præcipue assertione probatam, qui cum Gentiles sint, neutrius opinionis inter Fideles versantes, affectione tenentur; sed quæ nouerunt, libere professi sunt; quam & sacri Romani Concilij Actis intelligimus cõfirmari, & Anastasij scriptoris accuratissimi testificatione insuper roborari. His adde quæ de Constantini lepra & curatione per baptismũ facta futuris sæculis credita sunt atque absque ambiguitate recepta. Vnde Gregorius [a] Turonensis, cum agit de baptismo Clodouei Francorũ Regis, hæc ait: Procedit nouus Cõstantinus ad laua- DE TEMPORE BAPTISMI CONSTANTINI CONFVTANTVR QVORVNDAM SENTENTIAE. a Greg. Turon. hist. lib. 2. c. 31.

ad lauacrum, deleturus lepræ veteris morbum, fordentesque maculas gestorum antiquorum A
recenti latice deleturus.] eadem quoque habet Hincmarus in Vita quam scripsit S. Remigij.

Verum quonam modo hæc se habuerint; vt in re permagni ponderis, singula exactissime disquiremus. Præstant hæc quidem Acta Siluestri: quæ cum antiquitus Romæ a Catholicis legi solita & antiquo vsu a nonnullis alijs Ecclesijs factitari cõsueuisse testetur Gelasius [a]: quis tam exploratæ antiquitatis exactissimus ac seuerissimus censor ea omnino spernenda esse atque reijcienda decernat, nisi qui tumido fastu neget (quod est in diuinis scripturis [b]) esse in antiquis Sapientiam; et superbe super alios seipsum extollens, Dauidicum illud vsurpet [c]: Super senes intellexi?] Si igitur de antiquo vsu lectionis Actorum Siluestri Gelasius testis est, cũ ab hoc tempore vsque ad eius sedem non nisi cẽtum & sexagintaocto anni intercedant: plane significatur eodem hoc ipso Siluestri sæculo eadẽ legi solita; ac proinde non nisi vera existimata, quæ ab eiusdem sæculi hominibus potuissent argui falsitatis. Nec est quòd tergiuersari quis B
iure debeat, ea apud Gelasiũ de Actis Siluestri desiderari in aliquo codice: nam quotquot reperiri possunt codices Cresconianæ collectionis, quę ceteris habetur antiquior, in ijs omnibus atque alijs eiusdem venerandæ antiquitatis ponitur disertis verbis eadem Gelasij de Siluestri Actis sententia. Quoniam vero quæ extant eadem Siluestri Acta tum apud Græcos, tũ etiam Latinos, in nonnullis deprauata esse superius demõstrauimus: reliquum est, vt illa ab antiquioribus ac maioris fidei auctoribus primum accepta, quæ ex ijs vera, quæve ambigua, vel falsa omnino esse noscuntur, ad Lydium allata lapidem, diligenti habita inuestigatione quæramus.

a Gelasius Concil. Rom. de lib. authen. & apocryph.
ACTA SILVESTRI CVIVS FIDEI.
b Iob. 12.
c Psalm. 118.

Quæ ergo ad Constantini baptismum spectant, citantur ea, ac pariter recitãtur ab Hadriano Papa, qui non vt apocrypha dubiave refert, aut ea prodit coram domesticis arbitris, & in causa cuius nulla esset controuersia agitata, sed ad Orientis Imperatores scribens, eoque potissimum tempore, quo eius dogmatis causa altercationes frequentissimæ atque acerbissimæ C
essent: vt facile intelligas, non leuia quæque & nullius ponderis atque auctoritate carentia testimonia aduersus pugnacissimos aduersarios esse producta, sed quæ essent ictibus impugnantium exaduerso omni ex parte solide constantia, atque firmiter consistentia. Sunt autem hæc Hadriani [d] verba: Ex eo enim, quo Christi Dei nostri Ecclesiæ, tempore quietis & pacis apertæ sunt fores, hactenusque depictæ ecclesiæ imaginibus sunt ornatæ, beato atque sanctissimo Papa Siluestro testante. In ipsis enim exordijs Christianorum, cum ad fidem conuerteretur pius Imperator Constantinus, sic legitur: Transacta die, nocturno Regi facto silentio, somni tempus aduenit; et ecce adsunt sancti Apostoli Petrus & Paulus dicentes: Quoniam flagitijs tuis posuisti terminum, & effusionem innocentum sanguinis horruisti: missi sumus a Christo Iesu Domino dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. Audisti ergo nostra monita, & fac omnia quæ indicabimus tibi.] sed elucidanda sunt hæc, antequàm vlterius progrediamur: indigne quippe patimur, affectantem lectorem nostra vestigia, dubitatione cunctantem, D
de recto quo perducatur itinere, ancipitem reddi.

EX ACTIS SILVESTRI QVAE HADRIANVS DEPROMPSIT.

d Concil. Nicæn. 2. Act. 1. & tom. 2. epist. Decretal.

Habent Acta Siluestri (licet in diuersis antiquis codicibus scriptis paulo diuersa ferantur; et quæ pariter sunt typis excusa, in nonnullis sint, vt superius diximus, corrigenda) habent inquam, Constantinum Imperatorem adhuc patrita sectantem, persecutionem aduersus Dei Ecclesiam concitasse; quam vt Siluester euitaret, vnà cum aliquibus suis petijsse secreta montis Soractis: Constantinum vero interea fuisse a Deo, ob admissa flagitia, lepra percussum; accepisseque ab Aruspicibus responsum, eam sanguine infantium esse curandam. quæsiti sunt e vilioribus personis infantes ad necem: cum infelicium matrum planctus aera vndique verberantis miseratus Constantinus, a nece eorumdem abstinendum præcepit, & matres cum caris pignoribus auctas muneribus ad propria hilares redire iussit. Quo humanitatis digno E
expleto munere; cubanti illi, in visu (vt dictum est) apparuerunt Apostoli: et cetera quæ dicentur. Hæc, inquam, cum ad summã cuncta ferme quæ in diuersis codicibus extant Acta Siluestri habeant: multa tamen a diuersis sunt superaddita, quæ rem veram in discrimen possent adducere: vnde & factum est, vt fidei illorum haud parum fuerit derogatum.

EX EISDEM ACTIS DE BAPTISMO CONSTANTINI NARRATIO.

At quod ad hæc quæ summatim recitata sunt pertinet. Qui mente recolit, Constantinum Imperatorem tàm sublimi vocatione, ostenso illi cælitus signo Crucis, a Deo esse vocatum, eodemque signo feliciter vsum in bello: quiq. ceteras ab eo res gestas ante & post debellatos primo Maxentium, ac deinde Licinium, legit; quidve ab eodem cum Episcopis aduersus Donatistas atque Arium actum sit in mentem reuocat, præstantissimarumque legum annis prope singulis sancitarũ pro Ecclesiæ statu felicissimo meminit: qui inquã hæc & alia pia Constantini gesta ante hæc tẽpora mente perlustrat, plane animo exhorrescit, cum audit ipsum esse persecutum Ecclesiam: et obstupescit, cum intelligit Siluestri atque suorũ fugam & latebras in Soracte,

CONSTANTINVS NVM A PROPOSITO DESCIVERIT.

A Soracte, sed & Constantini lepram attonitus intuetur. Verum non puto sic illos affici, qui cunctarum rerum seriem ordine temporum, quo contigerunt, & a nobis singulis annis sunt recensitæ, didicerit. Quisnam, obsecro, inficias ire poterit, Constantinum auitam superstitionem aliqua saltem ex parte resumpsisse, cum ex recitato superius ipsius rescripto constet eum Aruspices consuluisse? Et quid putandum infensissimos Christianæ religionis hostes eidem tamquam e numine respondisse? cum tam opportunam nacti esse viderentur occasionem, qua Constantinum erga Christianam religionem propensiorem ab ea penitus reuocarent: cum certum sit, eiusmodi hominum genus numquam desiisse aduersus Christianos oblatrare, exclamareque eos omnium malorum auctores; hocque non olim tantum sub tyrannis Christianorum persecutoribus (vt Patrum aduersus eos Apologiæ palam testantur) sed etiam post hæc temporibus Christianorum Principum, id facere non sint veriti, vt locuples testis B est S. Augustinus, qui ad horum procaciam retundendam eximios illos de Ciuitate Dei commentarios scripsit: horum inquam suasionibus potuit Constantini mens his temporibus parum constans ab instituto de Christiana religione suscipienda facile deflecti.

Quòd etsi postea reperiatur pro Christianis rescripsisse, ex ipso nihilominus rescripto (quod superius demonstratum est) potest satis intelligi, licet non ab ipso, tamen a Gentilibus præter spem Fideles fuisse vexatos, atque inuitos ad eorum sacra pertractos: vt plane appareat, persecutionem aliquam ex insperato fuisse tunc in eosdem obortam, ex qua Siluestri suorumque fuga & latebræ contingere potuerunt. At quo modo dixerimus, eam ex Constantini recitato rescripto cessasse, si mox sunt infelicissima tempora subsequuta, atque ea plane, quæ ore domesticorum suorum meruerunt Neroniana vocari? Quàm facile fuit, fluctuantem Constantini animum in deteriora propelli; et si non fidei causa, alijs tamen innumeris plane C prætextibus, & leuissimis suspicionibus in quosque optimos agitari: adeo vt si deploratissimis hisce temporibus, carissimus filius, Cæsarum primus, amatissima vxor Augusta, & alij complures necem ab irato Principe subire coacti sunt; quid mirum si Romanus Pontifex fugam capessere adactus sit, vel in ea quam antea ob furorem Gentilium (vt dictum est) captasset, sese cum suis hactenus continuerit? Tempora plane (vt eadem sæpe repetamus, quæ Ablauius testatus est) Neroniana erant: ergo siue Siluestro, siue alijs, pluribus ex causis potuit suboriri dignus fugæ prætextus: adeo vt non mereantur hæc amplius in dubitationem adduci. Ceterum non deest, qui ex Græcis historicis [a] affirmet, Constantinum, postquàm summa rerum potitus est, segniorem factum, tandem Faustæ vxoris impulsu ad patritum deorũ cultum redijsse, quando a Deo lepra percussus, in se reuersus, a Siluestro baptizatus, lepra simul & impietate liberatus fuerit. Est hic Glica, qui in suis Annalibus eiusmodi narratiõnem intexuit: Constãtinus post deuictum Maxentiũ negligentior factus, vbi rursum in hostem D prorupisset, victus est. Quo detrimento accepto, quemdam in mærorem incidit, & consopitus est. Hic per quietem visus est sibi nares virga quadam verberari: moxque de naribus sanguis promanans, in veste linea notam Crucis expressit. Qua re conspecta, pœnitudine sui delicti ductus est; ideoque hostibus suis superior euadit. Secundum hæc denuo per vxorem Faustam ad deastrorum cultum exorbitantem, Deus per lepram retraxit, &c.] pergit dicere de curatione eius morbi per baptismum facta, de qua nos inferius.

DE FVGA SILVESTRI CAVSAE PLVRES.

a. Mich. Glic. lib. 4. hist.

Quod vero ad lepram spectat; quid tam humanum, quàm quòd mortalis quis, licet regijs infulis decoratus, ea potuerit passus esse, quæ ceteros hominum pati contingat? cum præsertim eiusmodi morbo Deus consueuerit peccata [b] vlcisci, ac potissimum superbientium Regum [c]. Sane quidem vbi morbus iste frequentior erat in Aegypto, regias personas eo tangi E consueuisse, auctor est Plinius, qui & testatur eosdem Reges morbo elephantiaco laborantes (sic ibi appellari solita lepra est) curari ex humano sanguine confecto balneo: vt nihil sit quod mireris ad curationem lepræ Constantinum iussum esse præparare solia infantium sanguine redundantia. sed quo hæc certiora tibi fiant, accipe verba Plinij [d]: Aegypti peculiare hoc malum, & cum in Reges incidisset, populis funebre: quippe in balneis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam.] hæc nos de Constantini lepra, & adhiberi solita Regibus medela elucidasse voluimus, ne quid de hoc reliquum sit, quod fidem lectoris retardare possit: ad quam augendam si pertinere putas, adde; eiusdem Constantini filiam Constantiam eiusmodi quoque lepræ tabe affectam, ipsius Acta testari, itemque Ioannis & Pauli scripta a Terentiano: sed & peruetusta Acta Liberij (de quibus inferius) idem affirmant. Attigimus hæc eadem de Constantini baptismo in nostris ad Romanum Martyrologium Notis: verum multa ibi ex his, quæ hic accuratius exposuimus, emendanda erunt. sed iam ipsorum Actorum quæ reliqua sunt prosequamur, prout inueniuntur ab

DE LEPRA CONSTANTINI ASSERTA VERITAS.

b Num. 12. 4. Reg. 5.

c 2. Paralip. 26.

d Plin. lib. 26. c. 1.

Hadriano Papa descripta, qui verba Apostolorum cum pergit recitare, hæc ex ijsdem Actis A
addit fuisse ab illis Constantinum admonitum:

APOSTOLORVM ADMONITIO. Siluester Episcopus ciuitatis Romæ ad montem Soractem persecutiones tuas fugiens, in cauernis petrarum cum suis clericis latebras fouet: hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet, in quam dum tertio merserit, omnis te * valetudo deseret lepræ. quod dum factum fuerit, hanc vicissitudinem Saluatori tuo compensa, vt omnes iussu tuo per Orbem totum Romanæ * Ecclesiæ restaurentur. Tu autem in hac parte purifica te, vt relicta omni superstitione idolorum, vnum Deum, qui verus & solus est, adores & excolas, & ad eius voluntatem attingas.] quod iubetur de restauratione Ecclesiarum, illud per ea verba Apostoli voluisse significare videntur, vt (quod postea egregie præstitit Cōstantinus) Ecclesiæ in augustiorem amplitudinem eius munificentia instaurarentur. Idemque iubetur, omnem penitus relinquere superstitionem, qua scimus ea saltem ex parte, quòd Aruspices consuluit, labefactatum B
esse; cetera autem quæ non sunt scriptis prodita, ei non audemus impingere. Sed quid post hæc Cōnstantinus? Tradunt his verbis eadem Acta ab Hadriano recitata:

* mala val.
* Romanæ

SILVESTER ROMAM REVOCATVR. Exurgens itaque a somno, statim conuocat eos qui obseruabant Palatium, & secundum tenorem somni sui, misit ad montem Soractem, vbi S. Siluester cum suis clericis receptus, lectionibus & ordinibus insistebat. At vbi a militibus se cōuentum vidit, credidit se ad martyrij coronam euocari, & conuersus ad Clerum omnem qui cum eo erat, dixit[a]: Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis. Profectus itaque, vt dictum est, peruenit ad Regem: cui nunciatus, cum tribus presbyteris & duobus diaconis introiuit. Ingressus dixit: Pax tibi, & victoriæ de cælo ministrentur. Quem cum Rex alacri animo & vultu placidissimo suscepisset: omnia illi quæ facta, quæ dicta sunt, quæ etiam reuelata sunt secundum textum superius comprehensum, exposuit. Post finem vero narrationis suæ percunctabatur, qui essent dij Petrus & Paulus, qui illum visitarent ob caussam salutis suæ, & eius latebras detexissent. Siluester respondit: Hi quidem dij non sunt, sed idonei serui Christi, & Apostoli electi ab eo, & missi ad inuitationem gentium, vt credentes salutem consequantur.] Sed hic siste gradum lector, quòd te videam subcunctantem sequi. C

a 2. Corinth. 6.

Hæc autem Constantini de Apostolis interrogatio, Quinam dij essent] non eo quidem sensu accipiēda est; vt qui tot annis erga Christianam religionem visus est esse propensior, & eius elementis imbutus; quinam essent Apostolorum Principes, ignorarit. Sed licet Apostolos optime ipse nouerit fuisse homines; quiddam tamen super humanum eo visu de eis mente concepit; quòd in facta diuinitus apparitione spirituum beatorum sæpe contingere soleat, tanta superni luminis claritudine videri coruscos, vt supra hamanum & angelicum, diuinum quid, qui eos vident, in eis fuerint meditati; vt de Manue Samsonis patre testatur diuina scriptura[b], cum ait: Statimque intellexit Manue, Angelum Domini esse: et dixit ad vxorem suam: Moriemur, quia vidimus Dominum.] Quonam modo nominat Dominum, quem nouisse ait esse Angelum Domini? nisi quòd quiddam supra angelicam naturam eidem inesse fuerit arbitratus? Sed & quod ad defunctorum animas spectat: vide, quid de anima Samuelis habeatur in Regum primo[c]: Ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra. Dixitque ei Saul: Qualis est forma eius? Quæ ait: Vir senex ascendit, &c.] Si vnus ex dijs, licet perperam, credita est anima Samuelis, hominis nuper defuncti, & facie visuque notissimi: quid adeo mirum, si Constantinus in ea diuinitus facta visione, conspiciens Petrum & Paulum non de terra surgentes, sed de cælo venientes, & cælestis gloriæ fulgore clarissimos, deos esse putauerit? Non quidem quòd ignorarit, & obliuione deleuerit quod didicerat, & in edictis sæpe professus fuerat; vnum tantum esse Deum in Christiana religione credendum; deos autem gentium esse dæmonia: sed quòd (si quid Constantini tyrocinio condonandum putamus) sicut sciebat apud Gentiles inferiorem quemdam esse deorum ordinem, quos diceret Heroas, omnium hominum præstantissimos; ita inter Christianos fuisse aliquos, qui essent huiusmodi dij ob egregiam eorum præstantiā nominandi existumauerit; quod nec a diuinæ scripturæ phrasi procul abhorret: vnde si quis eum Christiana religione apprime imbutum esse contenderit; tunc diximus, cum homines quos sciret, appellasse deos ex diuinæ legis præscripto secundum illud Dauidicum[d]: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes.] & alia alibi multa id genus. Nam aliàs idem Constantinus (vt suo loco dicetur) ipsos Episcopos qui Nicææ conuenerant ad Concilium, Deos, itidem ex præscripto diuinæ scripturæ, nominauit. Sed iam reliqua prosequamur. D E

QVOMODO APOSTOLOS CONSTANTINVS DEOS PVTAVERIT.

b Iud. 13.

c 1. Reg. 28.

d Psalm. 81. & Ioan. 10.

Quidnam autem Siluestrum Constantinus post hæc rogarit, eadem Acta recitata ab Hadriano sic referunt: Cumq. & his similia Augusto diceret Papa: interrogare cœpit Augu-

stus,

A ctus, vtrumnam istos Apostolos haberet aliqua imago expressos, vt ex pictura discerct, hos
esse, quos reuelatio docuerat. Tunc S. Siluester, misso diacone, imaginem Apostolorum APOSTOLORVM
sibi exhiberi præcepit: quam Imperator aspiciens, ingenti clamore cœpit dicere, ipsos esse, IMAGINES PER
quos viderat: nec debere iam differre Spiritum sanctum ostensionem piscinæ, quam istos SILVESTRVM EXHIBITAE.
promisisse suæ saluti memorabat.] hucusque Hadrianus ex Actis Siluestri ad confirmandum
sacrarum antiquum vsum imaginum. Porro quod spectat ad venerandas imagines Petri, & a Euseb. lib.7.
Pauli, atque in primis Saluatoris nostri Iesu Christi; ad sua quoque tempora esse in Ecclesia c.14. in fin.
cōseruatas, seq. eas aspexisse testatur Eusebius [a] hisce verbis: Cum & nos Petri & Pauli Apo-
stolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas, conserua-
tasq. aspexerimus, &c.] Quòd si eiusmodi Apostolorum Principum extabant imagines, &
visebantur in Palæstina tot prælijs sæpe deuastata: quanto magis Romæ eædem integræ atque
B sinceræ eorumdem vultus accuratius exprimentes asseruari potuerunt, vbi ijdem Apostoli
diutius vixerunt, & tandem martyrium passi sunt, vbi ars excultior, & custodia diligentior sit
adhibita? Ceterum eadem ipsa tabula tunc a Siluestro Imperatori Constantino ostensa, ha-
ctenus magna veneratione asseruatur in eiusdem Petri Basilica Vaticana; cuius quidem
exemplar formis æreis affabre expressum, Romæ editum, vulgatumq. omnibus, haud neces-
sario existimauimus hic exprimendum. Refert sane idem exemplum, quo S. [b] Augustinus b Aug. de con-
ait pingi consueuisse simul imagines Saluatoris & Apostolorum Petri & Pauli. At quæ de sens. Euangelist. lib.1.c.10.
Constantino & Siluestro hactenus dicta sunt, cum a recentioribus Græcis, tum etiam a La-
tinis pariter confirmari, omnes norunt; quorum numerum recensere piget; quòd nec magni
facimus, cum non nitamur ex more in re antiqua, nisi antiquorum testificationibus, nec faci-
le credamus alijs, qui de rebus antiquis absque veterum assertione scripserint quæ vera esse
C putauerint.

Sed quòd ad ipsum baptismum spectat per Siluestrum Papam Constantino collatum; BAPTISMVS CONSTANTINI.
quæ eorumdem Actorum antiquioribus monumentis consignata habentur, hic describamus.
At quoniam eadem in diuersis codicibus paulo diuerse narrantur; nō verba singula, in quibus
haud semper conueniunt, sed res ipsas summatim recensuisse sit satis. Nimirum, assentientem
Imperatorem se ex ritu Christianæ religionis per baptismum patratis facinoribus ablui & ex-
piari, iussum esse a Siluestro, ex more, septem saltem diebus, deposita regia corona, in pœni-
tentia solitarium agere, seq. his præuijs religionis officijs ad plenissimam illam per baptis-
mum faciendam purgationem paratum reddere. Paruit Imperator, acturusq. priuate pœni-
tentiam, coronam deposuit, atque simul splendidam vestem Imperatoriam. Certe quidem
auctor est Aurelius Victor in Constantino, cum habitum regium gemmis, & caput exornare
D consueuisse perpetuo diademate: quibus hisce catechismi diebus carere voluit, cum ipsum
ad fidem instrueret summus Pontifex & catechista Siluester: qui & indixit publicas pro Im-
peratore preces atque ieiunium. Sabbato autem adueniente, & fonte ex more precibus be-
nedicto, in eumq. Constantino simul ingresso & baptizato, affulsisse cælitus diuinum splendo-
rem, eadem Acta testantur; Imperatoremq. redditum Christianum, & a lepra simul esse mun-
datum; confessumq. palam, eo fulgore sibi manum porrigentem Christum vidisse. Quædam
vero Acta de Christo apparente nihil, sed de manu ad eum extenta desuper, attestantur. Hæc
sunt quæ contigisse dicuntur tum in baptismate: quæ autem ab eodem acta sint, postquàm
sancto lauacro plene initiatus Christiana religione, perfecte Christianus euasit, paulo post
dicturi sumus.

At quod ad hæc pertinet; non contemnenda prorsus ducimus, licet multis obsita mendis,
E quæ veneranda præstant antiquitate, Acta Liberij, a maioribus non omnino neglecta, quæ a
Cresconio in sua Collectione vetusta admodū sunt intexta. In ipsis inquam Actis expressum
habetur [c] ex libro quodam, qui ibi citatur Siluestri, Constantinum a lepræ morbo in baptismo c Act. Lib. c.1.
Crucis signaculo liberatum; indignatum vero esse Constātium eius filium longe post mortem in fin. & c.6.
patris, quòd Liberius sparsisset in vulgus, Constantinū a Siluestro lepra mundatum olim sacro
baptismate; ob eamq. causam grauia in eum cōminatum fuisse. Opinamur equidem accidisse,
tunc edita esse a Liberio quæ scripta erant de Constantini lepra atque baptismo, cum ab Eu- CONSTANTIVS
sebio antea elucubrata Constantini Vita in lucē edita ac peruulgata esset, vbi de Constantini IMP. ADVERSA-
baptismo in fine suscepto inerat falsa narratio; Constantium vero conficti mendacij architectū TVR LIBERIO
in Liberium fuisse ea ex causa cōmotum. Ex quibus intelligas, peruetustam esse de Cōstantini ASSERENTI VE-
baptismate quæstionē. Sed cuinam, rogo, summo ne Sacerdoti ea prodēti ex scriptis Siluestri, RITATEM DE BAPTIS. CONSTANTINI.
an Ariano Imperatori furenti maior est adhibenda fides? verum neminem puto id iure in du-
bium reuocaturū. Ex ijs quoque & illud possumus intelligere, Constantinum lepra deformem
haud

haud de curatione sua publicum voluisse exhibere spectaculum, ac spectante Vrbe suscepisse A
baptismum, sed paucis dumtaxat arbitris id fieri voluisse intra Palatium Lateranense, vbi hactenus eius visitur Baptisterium: curatum autem se (quod dictum est) conspectui omnium reddidisse; locumque illum illustrasse postea augustissimis monumentis, de quibus agemus inferius.

EVSEBII DOLVS DE CONSTANTINI BAPTISMO.

Quoniam vero ijs quæ dicta sunt de Constantino Romæ a Siluestro Papa sacro baptismate initiato complures aduersantur, ijdemq. antiqui scriptores: hic de his disserere, pernecessarium ducimus. Primus omnium contrariæ sententiæ assertor, quem & inconsulte (eorum pace dixerimus) complures sequuti sunt, esse reperitur Eusebius Pamphili Episcopus Cæsareæ Palæstinæ, sed Arianorum (vt cum Hieronymo [a] asseram) signifer, qui in gratiam Constantij Imperatoris Ariani hominis & Arianorum patroni hæc ipsa conscripsit: cuius de rebus Constantini Romæ gestis affectatum silentium indicat quo fuerit animo & affectu compositus erga B
primam sedē, quod & superius est a nobis facile demonstratū. Vt videas, hominem Ariana hæresi simul imbutum, imbibisse pariter cum impietate dolos ad concinnāda quotquot posset ea occasione mendacia. Si enim conscripsisset Constantinum Romæ a Siluestro Pontifice in fide Catholica baptizatū, quid aliud erat, quàm impietatis & apostasiæ redarguere filiū eius Constantium Imperatorem paternæ fidei desertorem & transfugam? At quoniam ea est mendacij natura, vt quantumlibet omni ex parte excogitatis diligenti arte præsidijs roboretur, & adminiculis fulciatur, nihilominus quòd firmitatis careat fundamento veritati subnixo, corruere necesse sit atque prosterni, iuxta illud Psalmistæ [b]: Mentita est iniquitas sibi:] age iam exquiramus, quæ ea de re ipse conscribat, an solida firmitate firmaque soliditate consistant.

a Hieronym. in Chronic. & alibi.

b Psalm. 26.

QVID EVSEBIVS DE CONSTANTINI BAPTISMO.

Eusebius [c] igitur in Vita quam scripsit ipsius Constantini, cum de morbo eius atque obitu agit, de baptismo tunc quoque accepto, eiusmodi instituit orationem: Cum primum oborire- C
tur ei quædam corporis inæqualis intemperies, ad eamque iàm vehementiòr dolor accessisset: ad calida ciuitatis balnea proficiscitur, & inde ad ciuitatem matris suæ cognominem (nempe Helenopolim) vbi in martyrum sacra æde diu versatus, supplices preces & vota publica adhibuit Deo. Vt vero ei in mentē venit extremus eius vitæ dies, existimaretq. hoc tempus opportunum esse ad delenda illa errata, quæ (quoniam mortalis erat) admiserat, crederetquē arcanorum mysteriorum efficacia & salutaris lauacri initiatione mentem expiari: hæc, inquam, cum ei in mentem venirent; humi procumbens genibus, & in ipsa martyrum æde errata sua confessus, supplicem se Deo offerebat.] Vmquam ne antea, rogo, ex quo Christianus esse cœpit, post vigintisex annos Constantinus in morbum incidit, vt expiandi per baptismum peccata oportuerit eum inijsse consilium? Sed esto. Potuit ne homo tot parricidijs cruentatus sic inexpiatus ad extremam vsque senectutem sponte perdurasse, conscientia interea penitus consopita, ne dicam emortua? D

c Euseb. lib. 4. c. 61. 62.

At Eusebius hæc probe intelligens, eam dilati baptismi in hanc diē causam ostendit; quam, vt maiorem sibi fidem conciliet, ab ipso Constantino, tamquam oraculum quoddam vult confirmatam reddi his scilicet verbis, cum ait: Vbi primum manuum per precationem impositione dignus est habitus: inde discedens, ad suburbana Nicomediæ ciuitatis peruenit: et conuocatis Episcopis, ita fere ad eos loquutus est: Quàm ego, fratres, auida mente, omnibusque votis a Deo salutem multis hisce annis deprecatus sum, eam nunc hodiernus dies a me vehementer expectatus attulit. Tempus igitur est, vt tandem insigni illo, per quod immortalitatem adipiscemur, perfruamur. Quod ego etsi in illius Iordani gurgitibus, in quibus Saluator noster ad nostrum exemplum baptizatus esse memoratur, facere constitueram: tamen Deus, quod mihi maxime accommodatum est cernens, hoc in loco ijsdem mysterijs digna- E
tur. omnis igitur amoueatur dubitatio, &c.] Et quando id, quæso, ipse factus? Iam agebat annum ætatis sexagesimumtertium, iamque parabat expeditionem in Persas, & aliàs sæpe ante aduersus hostes certamen inierat: hac ergo ex parte (si hæc vera essent) pietate Constantio filio longe impar Constantinus fuisset: ille enim aduersus Magnentium pugnaturus, ne lixam quidem voluit, nisi antea baptizatum, in hostem proficisci. Et quonam quæso exemplo maiorum Constantinus persuasus ad decrepitam senectutem baptismum dilaturus erat, quem non nisi vrgente morte suscepit? Nam etsi posthac penes nonnullos (vt dicturi sumus) eiusmodi de dilatione baptismi prauus vsus inualuit: nullum antehac ea de re præcessisse reperitur simile factum. Verum si (quod ait) in optatis erat, in Iordane flumine baptizari: quando opportunius id facere potuisset, quàm anno ante obitum, cum Hierosolymam (vt ipsemet testatur Eusebius [d]) ex omnibus Orientis partibus ab eo vocati ad templi dedicationem Episcopi conuenere; cum præsertim Tricennalia instarent Imperij, digna quæ huiuscemodi solemnijs

EVSEBIVS IN MVLTIS REDARGVITVR.

d Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 43.

A præcipue agerentur: cum & imminens in Persas [a] (quod dictum est) profectio, ad id eum impellere debuisset? [a] Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 56. 57.

Sed audiamus rursum Eusebium hæc demum per Constantinum perorantem: Quòd si is, in cuius arbitrio mors & vita consistunt, vitam inter vos longiorem viuere permiserit, & hæc eius menti sententia steterit, vt posthac aliquando communes cum populi Dei grege preces in Ecclesia coniungam: viuendi leges mihi, quæ seruo Dei conueniant, ponere haudquaquam differam. Atque hæc quidem ille.] Oblitus videtur Eusebius antehac talibus præconijs Constantinum celebrasse, vt non tantum quod pertinet ad vitæ institutum, erga seipsum omnibus excultum virtutibus, quibus inter omnes facile excelleret, mirifice prædicarit; sed quòd erga alios talem se exhibuerit, vt quibuslibet sanctissimis Episcopis non minora præstaret, magnopere commendarit, quodq. seipsum pro impenso religionis studio nominasse aliquando Episcopum, tradiderit [b]. At quid demum de consummatione baptismi Eusebius addat, audiamus: Illi vero (nempe, Episcopi qui aderant) sacrorum religione consummata, adhibitisq. statis diuinæ institutionis cærimonijs, arcanorum mysteriorum eum participem faciunt; certa quædam, quæ oportebat, præfinientes. Et sane ex omnium Imperatorum memoria solus Constantinus in Christi confessionibus renatus, & sacris initiatus, diuinoq. sigillo donatus, & spiritu lætitiam concipiens, prorsusq. nouus redditus, ac diuina oppletus luce, per immensitatem fidei incredibiliter quidem animo gestiebat, sed ad clarissimam & euidentissimam vim diuinæ maiestatis obstupescebat.] hæc de eius baptismate tunc suscepto Eusebius, plane immemor, quòd in Historia [c] dixerat Philippum Imp. Christianum fuisse; et quòd ingressus Ecclesiam, cum particeps fieri vellet, ob perpetrata delicta a Fabiano Papa reiectus fuerit, & in pœnitentium classem redactus, non recipiendus antequàm peccata confessus fuisset. Sed missa istæc.

[b] Euseb. ibid. c. 24.

[c] Euseb. lib. 6. c. 27.

B (marginal letter beside "quando Episcopum")

C Rogo eum, quinam erant illi qui aderant Episcopi, & a quonam illorum baptizatus est? Reticuit hæc ipse quidem, ne penitus erubesceret: sed ex loco, vbi constiterat, possumus & personas pariter intelligere, & initiantem sacris Imperatorem cognoscere. Agebat, vt ait, in suburbijs Nicomediæ: præerat illis Eusebius Nicomediensis Arianorum antesignanus acerrimus, eiusdem hæresis cum Ario idem auctor & propugnator insignis, adeo vt sicut ab Ario Ariani, ijdem ab Eusebio denominati sint Eusebiani, quorum vis magna erat (vt dicemus) apud domesticos Imperatoris. Si igitur in Nicomediæ suburbijs, nec ab alio aliquo, quàm ab eiusdem ciuitatis Episcopo appareat, assertione Eusebij, baptizatus; consequentia illa deducitur necessaria, Constantinum in Arianorum perfidia baptizatum, vel potius (si verum est quod asserit) rebaptizatum: Arianos enim, baptizatos in fide Catholica, rebaptizare consueuisse, D exemplis mille ac testibus exploratissimum est. Interfuisse tunc ibi Eusebium Nicomediæ Episcopum, Theodoretus [d] affirmat. sed & ab ipso item Eusebio Constantinum baptizatum, habent S. Hieronymi & Isidori Chronica. Quamobrem si Eusebio ea asserenti credimus: necesse erit affirmare, Constantinum in extremo vitæ cursu ab Ariano Episcopo baptizatum, impium ex hac vita migrasse, ab Ecclesia Catholica penitus alienum.

REBAPTIZATOR FINGITVR EVSEBIVS NICOMEDIENSIS.

[d] Theodoret. lib. 1. c. 32.

Sed quoniam Græcorum Ecclesia eumdem Imperatorem sanctum prædicat atque Apostolis proximum; immo & vniuersalis Ecclesia semper eumdem vt pium habuit, dum eius nomen ex sacris dyptichis vna cum alijs Orthodoxis semper publice recitare consueuit; et nullus vmquã repertus est auctor, qui eum vita functum nota impietatis sugillet: necessario affirmãdum est, Eusebium esse mentitum. De cultu Constantini Imp. Græcorum perantiqua Menologia fidem faciunt. De antiquis vero dyptichis Ecclesiasticis, Nicolaus Romanus Pontifex scribẽs E ad Michaelem Imperatorem sic ait: Quanta autem Dei cultorum Augustorum, qui Ecclesiam Dei exaltauerunt, & pręcipue Romanam, Constantini videlicet, & Constantis, Theodosij quoque maioris, & Valentiniani, & ceterorũ laus in vniuersali Ecclesia polleat, & eorum præconia vbique personent, & nomen eorum inter sacra mysteria imprætermisse commemoretur, attentius & sedulo recordamini, sicq. nos audire illos imitantes satagite.] hæc de fide publica dyptichorũ. sed & ex Actis pariter Concilij Chalcedonensis, quantæ religionis extiterit Magnus Constãtinus, apparet; dum Marcianus Imperator Principum religiosissimus, Nouus Constantinus acclamatur. hæc ex Actis publicis. Prætermittimus hic recensere innumera diuersorum Patrum de sincera pietate Constantini testimonia. Quamobrem cum res in eo statu sit posita, vt alterum de duobus oporteat affirmare: vel Eusebium turpiter esse mentitum, vel Constantinum ab Ariano Episcopo baptizatum, inter impios recensendum: cum euidenter appareat eum a Catholica Ecclesia summopere commendatum; necessario dicere compellimur, Eusebium dolo malo esse de Constantino tam falsa loquutum.

EX COMMVNI ECCLESIAE CATHOL. CONSENSV EVSEBIVS MENDAX ARGVITVR.

Sed

EX IPSO EVSEBIO CONSTANTINVS CONVINCITVR BAPTIZATVS.

a *Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. cap. 22. & 57.*
b *Eod. c. 57.*
c *Ibid. c. 22.*

Sed & his addimus ex abundanti, in eo quoque refelli commentum ab eodem homine A
Ariano excogitatum. Quonam modo, quæso, potuit Constantinus Imperator nondum ple-
ne Christianus, sed catechumenus, sacris interesse mysterijs ipso sacratissimi Paschatis tem-
pore? ipse enim sæpe testatur [a], nec quidquã minus Fidelibus ceteris eidẽ in eis licuisse; nec, vt
decet catechumenum, audito tantum Dei verbo, cum reliquis eiusdem classis Fidelibus, per
diaconum abire iussum esse, sed vsque ad sacratissimæ oblationis finem perseuerasse: id in-
quam idem ipse illis verbis significare videtur, quibus ait [b]: Magna autem agebatur diei Pa-
schæ eo tempore celebritas; et Imperator cum ceteris pernoctans, vota, precesq. Deo per-
soluebat.] vel cum superius ait [c]: Sed hanc religionis exercitationem salutaris festi tempori-
bus augens, omnibus viribus tum animi, tum corporis, diuinos sacrorum ritus obibat.] Vige-
bat præterea illa Ecclesiastica disciplina, qua catechumeni, antequàm sacerdos sacra auspica-
retur, extra ecclesiam mittebantur. Rursus vero ante paucos annos Neocæsariensis fuerat B
Synodus celebrata, cuius (vt vidimus) nonnulli Episcopi præsentes quoque fuerunt Nicæno
Concilio sequenti anno celebrato: in quo quidem sacro Conuentu hæc de catechumenis

d *Concil. Neocæsar. c. 5.*

decreta habentur [d]: Catechumenus si ingrediatur ecclesiam; in ordinem eorum qui instruun-
tur, assistat. Hic autem si deprehensus fuerit peccans: si quidem genu flectit, audiat, vt non
delinquat vlterius: si vero audiens & peccauerit, expellatur vi.] Quonam pacto igitur potuit
Constantinus tot immanium cædium reus absque pœnitentia in Ecclesia vel cum catechume-
nis stetisse? toleraturi ne id fuissent sanctissimi illi in diuersis locis Episcopi? Vel quonam mo-
do potuit interesse, & sedem (vt ipse ait Eusebius) cum Episcopis in sacrosancto Nicæno Con-
cilio habuisse, si inter catechumenos Constantinus in Ecclesia tantummodo militabat? Latu-
ri ne id essent beatissimi illi Catholicæ professionis Antistites, quorum ingens erat numerus
egregia sanctitate, vigore disciplinæ, & eruditione præstantium? At quo modo longe euiden- C
tius ex suis ipsius scriptis conuincitur Eusebius affirmare, Constantinum longe ante obitum sa-
cro baptismate initiatum fuisse, suo loco dicturi sumus, cum agemus de mysticis atque symbo-
licis imaginibus ab eodem Imperatore in Regiæ vestibulo collocatis, ab ipso vero Eusebio de-

e *Dalm. lib. 2. Act. Nicæn. Concil.*

claratis. Sed neque hic prætermittimus dicere, Dalmatianum [e] Episcopum Cyzicenum, qui
collegit Acta nonnulla Nicæni Concilij, recitare orationem Constantini tunc coram Patri-
bus habitam, qua sæpius profitetur, se plane Christianum esse, sacroq. baptismate initiatum.

REPELLVNTVR DIVERSORVM CONTRARIAE ASSERTIONES.

Hæc a nobis aduersus Ariani hominis imposturam dicta sint, atque euidentissime demon-
strata: quo obstructo, vel potius exiccato primario eiusmodi fonte mendacij, qui ex eo in di-
uersa riui fluxisse reperti sunt, pariter exhausti esse noscantur: nec fidem apud lectorẽ inueniat,
si a quouis id tradi reperiat, cum nullus alius præcesserit præter Eusebium, a quo id quisquam
acceperit, auctor. Hæc dixerimus, quòd S. Ambrosius obiter, fidem sequutus Eusebij in ora- D
tione habita in funere Theodosij, ita de ipso Constantino ait: Cui licet baptismi gratia in
vltimis constituto omnia peccata dimiserit: tamen quòd primus Imperatorum credidit, & post
se hereditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.] Quid si potius
quis velit ipsum allusisse ad ægritudinem, qua Romæ (vt dictum est) detinebatur; in qua om-
ni medicorum arte frustrata, in vltimis constitutus quodammodo videbatur, cum baptiza-
tus atque sanatus est a Siluestro? Certe omnis Ambrosij verborum sensus exquirendus, & ac-
cipiendus est potius, quàm contra Ecclesiam Catholicam assentiendum Constantinum deces-
sisse Arianum, apostatam a fide Catholica: quod nec ipsi quidem Ariani, alioquin procacissi-
mi, ausi sunt aliquãdo dicere, quodq. pateat ipsum sibi Ambrosium eodem verborum contex-
tu contraria loqui: nam quo modo magni (vt ait) meriti Constantinus est, si ab Arianis bapti-
zatus decessit? Sed & venia ab eo rogata, sit dictum: haud mirum videri debet, ipsum in huius- E
modi recensendis errare potuisse in his quæ sunt facti: qui & in eo quod post hæc accidit, nẽpe
de inuentione Crucis, paulo inferius contra omnium Latinorum & Græcorum ab omnibusq.
receptam sententiam, dicat, Crucem Christi a latronum crucibus ex titulo ei affixo esse cogni-
tam: cum omnes testentur, titulo seorsum posito, ex miraculo esse demonstratam.

Sed & quòd apud Hieronymi Chronicon hæc scripta habeantur vltimo anno eius Impe-
rij: Constantinus, extremo vitæ suæ tempore, ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptiza-
tus, in Arianum dogma declinat, a quo vsque in præsens tempus Ecclesiarum rapinæ & to-
tius Orbis est sequuta discordia:] quis putet esse tantæ id auctoritatis & fidei, & non potius
credat ab alio esse appositum, quàm a S. Hieronymo positũ, quod totius Ecclesiæ Catholicæ
consensione & vsu continuato constat esse improbatum atque reiectum, vt ex ijs quæ nuper
de sincera fide Catholica Constantini dicta sunt, constat? Sed & ipse Hieronymus se a tan-
ta calumnia vindicet: qui agens contra Vigilantium, sacrarum reliquiarum cultum spernen-

tem

A tem, hæc ait: Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt? &c.] Certe sacrilegus dicendus fuisset; nec in exemplum adducendus esset, qui ab Ecclesia Catholica desciuisset. Scimus apud Luciferum Calaritanum [a] Constantinum Imperatorem infamia hæresis laborasse, quòd S. Athanasium exulare iussisset. Verùm magis ipsi credimus Athanasio, qui eum sæpe excusat, & post obitum Constantinum pium, felicis memoriæ, atque religiosissimum non raro nominat [b]. Sed de his suo loco vberius.

Ad postremum, respondeamus ad illud, quod cæteris fortius potest obijci de baptismo Constantini paulo ante obitum ministrato testimonium, non vnius vel alterius testis, sed totius Concilij Catholicorum Episcoporum, qui edicto Constantij compulsi Ariminum conuenere, manifesta ipsorum testificatione per epistolam scriptam ad Constantium facta, in qua tum apud Theodoretum [c], tum apud Socratem [d] atque Sozomenum [e]; qui eam recitant, hæc ipsa verba leguntur, dum agunt de rebus gestis vsque ad illud tempus in Occidente: Cum igitur (inquiunt) intelligamus Constantinum Principem certe omnium posterorum memoria post mortem celebrandum, diligenter elaborasse, vt fides illa Nicææ litteris prodita, accuratissime perquisita, explorataq. esset: absurdum sane videretur, eo iam post acceptum baptismum vita defuncto, & ad tranquillitatem sibi debitam profecto, aliquid in ea nouare; et tot sanctos confessores & martyres, qui huius doctrinæ auctores inuentoresque fuerunt, quiq. vt vetus Ecclesiæ Catholicæ poscebat institutum, omnino senserunt, in eoq. perstiterunt perpetuo, prorsus contemnere.] hæc in ipsorum synodica.

Quis hæc audiens, vel attente perlegens, non statim intelligat causam Eusebio adiudicandam, nec vllum reliquum esse defensioni locum, ac proinde nos causa turpiter cadere, postquàm videbamur aduersarijs superatis iam recessisse victores? Daremus plane manus, nisi ex falsa scriptorum editione nos manifestas pati calumnias sentiremus, integraq. nobis ex lege Cornelia esset actio: siquidem tam apud Theodoretum, quàm Socratem, atque Sozomenum, siue alios qui ex ijsdem exscripserunt, non tam mendose, quàm mendaciter atque falso legitur, Constantinus, loco, Constantis: cuiusnam vero culpa id factum sit, vel ipsorum auctorum, vel librariorum, nostra non interest, vt quæramus; sed nostrarum tantum partium est, vt de falsa lectione doceamus. Ad hæc igitur elucidanda, ad solidiora monumenta & antiquiorem atque grauiorem auctorem prouocamus lectorem: S. enim Athanasius in commentario illo, quem de Synodis [f] scripsit, eamdem ipsam recitat Episcoporum epistolam ad Constantium scriptam, in qua loco Constantini, Constantem habet; atque ibi his verbis eadem sententia recitatur: D Fuitq. proinde nobis persuasissimum, iniquum esse; cum Imperator Constans ab obitu suo dignus omni memoria, hanc fidem omni cura & diligentia conscriptam promulgarit, tunc demum ex quo ille baptizatus, ex hominibus in requiem sibi debitam translatus est, aliquid noui in ea fide moliri velle, & tot sanctos confessores & martyres huius placiti scriptores auctoresque contemnere, qui pro veteri lege rituq. Ecclesiæ in ea sententia permansere, &c.] hæc ibi ex Græco reddita fidelissime, prout quæ dicemus manifeste declarabunt.

Porro hæc omnia Constanti merito iureque conueniunt. Nam quod ad baptismum pertinet, constat eumdem Constantem Imperatorem paulo post susceptum baptismum fuisse a Magnentio tyranno necatum: vnde alibi idem Athanasius [g] ad Constantium scribens, hæc de Constantis nece habet: Nihil eam necessitudinem, cum ante oculos versaretur, reueritus; nihilq. gratiam beato tuo fratri in baptismate donatam respiciens, veluti dæmon & furia infernalis in eum insiluit, atque ita sanctissimus ille vir martyrium assequutus est.] hæc Athanasius; qui eum fortissimum propugnatorem Nicænæ fidei ita sublatum vehementer ingemuit: eius namque opera, Sardicensi congregato Concilio, Nicæna confessio fuerat stabilita, & ipse Athanasius ab exilio reuocatus, omniaq. ad rectam fidem spectantia promulgatis a se legibus confirmata. Duplici igitur Catholici Episcopi, qui eam ad Constantium scripserunt epistolam, vtuntur ad firmandam Catholicam fidem exemplo; Constantini patris in primis, cuius præsentia Nicæna confessio fuerat roborata; et Constantis Imperatoris, cuius ope eadem Catholica fides in Sardicensi Concilio fuerat confirmata, & ante in Concilio Mediolanensi, cuius ibidem mentio habetur; aduersus Arianos Legatos defensa & roborata, in quo (vt dicetur inferius) mira eiusdem Constantis virtus enituit. Merito igitur in ea epistola Patres primo Constantini Magni, deinde res gestas in Concilio Mediolanensi, atque testimonium Constantis miro rerum ordine ad insinuandam Catholicam veritatem scripsere ad Constantium Imp. His igitur confutatis, reliquis quoque auctoribus, qui eadem quæ Eusebius de Con-

[a] Lucifer lib. 1. pro Athanas. & de Regibus Apostat.
[b] Athanas. orat. 1. aduers. Arian. & in Apologia ad Constantium.
[c] Theodoret. lib. 2. c. 19.
[d] Socrat. lib. 2. c. 29.
[e] Sozom. lib. 4. c. 17.

TEXTVS INSIGNITER DEPRAVATVS ARGVITVR.

[f] Athanas. de Synod. Arim.
[g] Athanas. Apolog. ad Constantium.

a Theodoret. lib. 1. c. 32. b Sozom. lib. 2. c. vlt.

de Constantini baptismo & ipsi scripsere, vt Theodoretus [a], Sozomenus [b], & si qui alij, ex ijsdem quæ aduersus eumdem Eusebium disseruimus, sit satisfactum: qui & falsa lectione citatæ superius Episcoporum epistolæ, in ea sententia confirmati, illa de Constantini baptismo in extremo vitæ cursu collato scripserunt. A

BAPTISTERIVM CONSTANTINI.

Elucidatis igitur iam locis obscuris Actorum Siluestri, dilutisq. contrarijs quæ aduersari ijsdem videbantur, ipsoq. Constantini baptismo Romæ collato Gentilium pariter scriptorum testificatione firmato; reliquum est, vt & de loco, in quo Romæ Constantinus baptizatus est, agamus; ipso inquam fonte, in quo eidem Imperatori visibile diuinum numen cælesti fulgore coruscum apparuit, cum purgata anima peccatis admissis, atque simul corpus lepra mundum est redditum: quem vt spiritualis natalis solum & infantiæ Christianæ cunabula idem Constantinus mirifice illustrauit: remanent in hanc diem tam nobilis antiquitatis vestigia: vestigia plane dixerim (licet insignis satis locus appareat) respectu augustæ summæq. illius B munificentiæ, qua ab eodem Imperatore fuerat exornatus; quam vix in chartis modo nobis antiquitas repræsentat, Anastasij Bibliothecarij industria, qui tam memorabile monumentum ab iniuria temporis vindicatum, memoriæ prodidit vna cum alijs ab eodem Imperatore illustribus Romæ exædificatis ecclesijs. Sunt autem huiusmodi, quæ nimia vetustate obsita, prout licuit ex mendoso codice, haud ipsius stylo expolita, sed rudia, habeantur tamen fideliter edita [c]:

c Tom. 1. Concil. in Siluestro.

Fontem sanctum, vbi baptizatus est Augustus Constantinus, ex lapide porphyretico & ex omni parte coopertum intrinsecus & foris & desuper, & quantum aqua continet, ex argento purissimo, * libras tria millia & octo. In medio fontis columna porphyretica, quæ portat phialam ex auro purissimo pensantem libras quinquaginta, vbi ardent balsami libræ ducentæ, annexum * ex stipa * amianti.] Iam occurrunt, lector, quæ valde admirari in- C cipias. Nam quod ad balsamum spectat: abutebatur Heliogabalus profusissimus Principum balsamo summi pretij oleo, & quod scribit Lampridius [d], in lucernis exhibuit: sed per Constantinum primo inuenitur cultui sacræ religionis applicitum. Quod autem ad sacrum chrisma conficiēdum eodem vti soleret Ecclesia: inde accidit, vt idem balsamum diceretur oleum Crucis; sic enim S. Gregorius illud nominat [e], dum ad Leontium scribens, hæc ait: Oleum quippe sanctæ Crucis, & aloes lignum suscepimus: vnum quod tantum benedicat, aliud quod incensum redoleat.]

* pensantem librarum.
* myxum
* stupa
d Lamprid. in Heliogabalo.
e Greg. lib. 7. epist. 34.

Sed ad Baptisterij descriptionem redeamus: In labro fontis agnum ex auro purissimo fundentem aquam, pensantem libras triginta. Ad dexteram agni Saluatorem ex argento purissimo in pedibus quinque, pensantem libras centum septuaginta. In leua agni beatum Ioannem Baptistam ex argento in pedibus quinque tenentem titulum scriptum, qui hoc habet [f]: D Ecce Agnus Dei: ecce qui tollit peccata Mundi: pensantem libras centum. Ceruos ex argento septem, fundentes aquam, pensantes singulos libras octingentas *. Thymiamaterium ex auro purissimo, pensans libras decem cum gemmis prasinis & hyacinthinis vndique, numero gemmæ quadragintaduæ.] hæc est descriptio sacri fontis: quæ autem eidem dona contulerit Constantinus, ibidem describuntur his verbis, hoc præmisso titulo:

f Ioan. 1.
* octoginta

DONVM SANCTO FONTI.

Massa Festi ex territorio Prænestino, præstans solidos trecentos. Massa Gaba * ex territorio Gabinensi, præstans solidos ducentos & duos. Massa Pictas ex territorio supradicto, præstans solidos ducentos quinque. Massa Statiliana ex territorio Sorano *, præstans solidos trecentos. Massa intra Siciliam, Taurana, ex territorio Parentiensi *, præstans solidos quingentos. Intra Vrbem Romam domus vel horti præstantes solidos bis mille trecentos. E Fundus Basi, præstans solidos centum viginti. Massa Laninas * ex territorio Carsiolano, præstans solidos ducentos. Fundus Catulli ex territorio Nomentano, præstans solidos quinquaginta. Massa Statiana ex territorio Sabinensi, præstans solidos trecentos quinquaginta. Massa Murina ex territorio Appiano Albanensi, præstans solidos trecentos. Massa Virginis ex territorio Sorano, præstans solidos ducentos.

* Gabia
* Corano
* Parthenicensi
* Lauinus

TRANSMARINA intra partes Africæ. Massa Vincis ex territorio Mucario * præstans solidos octingentos. Massa Capsis ex territorio Capsitano *, præstans solidos sexcentos. Massa Varia Sardana, præstans solidos quingentos. Massa Camaras ex territorio Curtalupi *, præstans solidos quadringentos quinque. Massa Nummas ex territorio Numidiæ, præstans solidos sexcentos quinquaginta. Massa Sulphurata ex territorio Numidiæ, præstans solidos septingētos viginti. Massa Baldarioliaria ex territorio Numidiæ, præstās solidos octingentos & decem. In Græcia Massa Cephalenia, præstans solidos quingentos. In Mengaulo *

* Muscelano
* Caput Ciliani.
* Cirta
* Megalula

Massa

A Massa Amazon, præstans solidos ducentos vigintiduos.] hucusque ibi de Baptisterio Constantini, & rebus ab eodem ei largitis.

His autem de loco enarratis, iam ad reliqua a Constantino Romæ hoc anno, postquàm baptizatus est, gesta, orationem cōuertamus: habentur ea in iisdem Siluestri, quæ dicuntur, Actis expressa, sed pro exemplarium diuersitate inter se paulo diuersa. Siquidem quæ singulis diebus illis septem, cum esset in albis, ab eo pro Christiana religione sancita fuerint, in aliquibus eorum narrantur hoc ordine: Prima die baptismi sui hanc legem dedit: Christum esse Dominum verum, qui se mundasset a lepra, & hunc ab omni Orbe Romano coli debere. Secunda vero die pœnas decreuit aduersus omnes qui in Christum blasphemias inferrent, vel deriderent. Addidit tertia die pœnam in eos, qui cuipiam Christianorum contumeliam irrogassent. Quarta vero die Imperatorijs priuilegijs Romanam Ecclesiam præ ceteris voluit B illustrare. CONSTANTINVS IN ALBIS QVAE SANCIVERIT.

Rursum vero, quinta die concessam esse ab eodem Imperatore immunitatem ecclesijs, ibi traditur, vt ad eas confugientes securi in omnibus essent. Sexta vero & septima illud decretum, ne absque licentia Romani Pontificis alicubi construerentur ecclesiæ, & de exoluendis decimis, edidit. Sed & hæc duo vltima, quòd desint in Græcis exemplaribus, superaddita fuisse putantur, cum præsertim vtraque iure antiquiori videantur eidem Ecclesiæ esse debita. Quid autem ab eodem Imperatore octaua die sit factum, eadem Acta his ipsis verbis significant: Octaua die processit, albis depositis, totus mundus & saluus: et veniens ad confessionem beati Petri Apostoli, ablatoq. diademate capitis, exuens se chlamyde, & accipiens bidentem, terram primus aperuit ad fundamenta Basilicæ construendæ. Dehinc ob numerum duodecim Apostolorum, duodecim cophinos terra plenos, suppositis humeris, baiulans C asportauit; et ita gaudens & exultans in carruca sua cum Episcopo sedens, ad Palatium rediit.] Imitatus videtur Constantinus, a quo genus ducebat, Vespasianum Imperatorem, de quo Suetonius [a]: Ipse restitutionem Capitolij aggressus, ruderibus purgandis manus primus admouit, ac suo collo quædam extulit.] hæc de Vespasiano Suetonius. Debuit ne prætermisisse Constantinus pro cultu veræ religionis præstare, quod ipso maior eiusdem familiæ Flauiæ illustrator pro superstitione auita officium exhibuerat? ARIGITVR BASILICA VATICANA. a Sueton. in Vespasian. c. 8.

Sed antequàm vlterius progrediatur oratio ad ea quæ reliqua sunt Actorum recitanda; describere hic opportunum erit, quæ ab eodem Imperatore ipsi Basilicæ Petri Apostoli in Vaticano erectæ collata sunt dona: extant ea diligenter recensita in citato superius libello de munificentia Constantini a Bibliothecario ex archiuis S. R. E. in lucem edito, vbi hæc conscripta reperiuntur: Eodem tempore Constantinus Augustus fecit Basilicam beato Petro D Apostolo in templo Apollinis, cuius loculum, cum corpus S. Petri recondidit, vndique ex ære Cyprio conclusit, quod est immobile. Ad caput pedes quinque, ad pedes, pedes quinque, ad latus dextrum pedes quinque, ad latus sinistrum pedes quinque, subter pedes quinque, supra pedes quinque, sic conclusit corpus beati Petri Apostoli, & recondidit, & exornauit super columnas porphyreticas, & alias columnas tres thyneas, quas de Græcia perduxit. Fecit autem cameram Basilicæ ex crimma * auri fulgentem, & super corpus beati Petri.] Sed & de Petri Apostoli sepultura S. Gregorius Papa in epistola ad Constantiam Augustam tradit, ad quindecim pedes extra Petri sepulchrum fuisse desuper locum illum argēto contectum; quod cum ipsius decessor mutare voluisset, apparente signo quodam, non paruo terrore absterritum, ab huiusmodi consilio destitisse. At rursum hæc in libello: BASILICAE VATICANAE STRVCTVRA. b Greg. epist. 30. lib. 3. * crimno

Super os quo conclusit illud, fecit Crucem auream purissimam pensantem libras centum E quinquaginta, vbi scriptum hoc est: Constantinus Augustus & Helena Augusta hanc domum regali simili fulgore coruscantem auro circumdant. Scriptum est ex litteris nigellis in Cruce. Fecit autem candelabra ex aurichalco in pedibus decem, numero quatuor, argento conclusa cum sigillis argenteis, vnde Actus Apostolorum cernebantur, pensantia singula libras trecentas. Calices autem tres cum gemmis prasinis quadragintaquinque, pensantes singuli libras duodecim. Metretas argenteas duas pensantes libras ducentas. Calices argenteos viginti, pensantes singuli libras decem. Amas aureas duas, pensantes singulæ libras denas. Amas argenteas quinque, pensantes singulæ libras viginti. Patenam auream cum turre * & columba ex auro purisimo, ornatā gemmis prasinis, & hyacinthinis, & margaritis * numero ducentæ & quindecim, pensantē libras triginta. Patenas argenteas quinque, pensantes singulæ libras quindecim. Coronam auream ante corpus, quę est pharus cantharus, cū delphinis quingentis, pensantem libras trigintaquinque. Pharos argenteos in gremio Basilicæ cū delphinis, pensantes singuli libras decem. Ad dexteram Basilicæ pharos argenteos triginta, pensantes * turture * smaragdinis

singuli libras octo. Ipsum altare ex auro & argento, clausum cum gemmis prasinis & hyacinthinis & albis ducentis decem, pensans libras trecentas quinquaginta. Thymiamaterium aureum cum gemmis vndique exornatum, pensans libras quindecim.] hucusque de vasis & ornamentis. Hæc sunt illa ipsa Basilicæ S. Petri sacra vasa, quæ post octogintasex annos, cum ab Alarico Vrbs capta est, occultata apud sacram virginem, & inuenta, vt tradit Orosius [a], præ magnitudine, pulchritudine, pondere, & diuersitate, Gothos reddiderunt attonitos, & ab eisdem, sic numine disponente, cum honore eidem Basilicæ restituta sunt. Quod spectat ad reditus, hæc sequuntur:

a Oros. lib. 7. c. 39.

DONA AD CONCINNANDA LVMINARIA.

In reditibus donum quod obtulit Constantinus Augustus beato Petro Apostolo per diœceses in Oriente. In ciuitate Antiochia domum Datiani præstantem solidos ducentos quadraginta. Domunculam Nicænam præstantem solidos viginti & tremissem. Cellas in Aphrodisia præstantes solidos viginti. Balneum in Cerethea præstans solidos quadragintaduos. Pistrinum vbi supra, præstans solidos vigintitres. Popinas vbi supra, præstantes solidos decem. Hortum Maronis vbi supra, præstantem solidos decem. Hortum vbi supra, præstantem solidos vndecim. Sub ciuitate Antiochena possessionem Sibyllinam donatam Augusto, præstantem solidos trecentos vigintiduos, cartadecadas centum quinquaginta, aromatum libras ducentas, balsami libras trigintaquinque. Sub ciuitate Alexandrina possessionem Timialicam donatam Augusto Constantino ab Ambronio præstantem solidos sexcentos viginti, cartadecadas trecentas, olei nardini libras trecentas, balsami sexaginta, aromatum libras centum quinquaginta, storacis Isauricæ libras quinquaginta. Possessionem Eutimi Caduci præstantem solidos quingentos, cartadecadas septuaginta. Per Aegyptum sub ciuitate Armeniæ, possessionem Agapij, quam donauit Constantino Augusto. Possessionem Panopoliten * præstantem solidos octingentos, cartadecadas quadringentas, piperis medimnos quinquaginta, croci libras centum, storacis libras centum quinquaginta, aromatum casiæ libras ducẽtas, olei nardini libras trecentas, balsami libras centũ, lini saccos centũ, caryophillorum libras centum quinquaginta, olei Cyprini libras centum, papyri cannas mundas mille. Possessionem, quam donauit Constantino Augusto Ibronius præstãtem solidos quadringentos quinquaginta, cartadecadas ducentas, aromatũ casiæ libras quinquaginta, balsami libras quinquaginta. In prouincia Euphratensi, sub ciuitate Cyro possessionem Armanazon, præstantem solidos trecentos octoginta. Sub Tarso Ciliciæ insulam Cordionum *, præstantem solidos nongentos.] hucusque ibi de donis tunc oblatis a Constantino Imperatore ad luminarium impensam & alia diuini cultus Vaticanæ Apostoli Petri Basilicæ, cuius S. Paulinus [b], qui hoc eodem sæculo vixit, ad Alethium scribens, his verbis meminit: Quanto ipsum Apostolum attollebas gaudio, cum totam eius Basilicam densis inopum cœtibus stipauisses, vel qua sub alto sui culminis medijs ampla laquearibus longum patet, & Apostolico eminus solio coruscans ingredientium lumina stringit, & corda lætificat.] Alludit enim ad id, quod dictum est, nempe eiusdem Basilicæ cameram, quam nominamus aliter apsidem, ex crimno auri fulgentem. Sed post Paulinus de porticibus: Vel quæ sub eadem mole tectorum geminis vtrinque porticibus latera diffundit: quave prætento nitens atrio, fusa vestibulo est, vbi cantharum ministra manibus & oribus nostris fluenta ructantem fastigiatus solido ære tholus ornat, & inumbrat, non sine mystica specie, &c.] Verum iam de Basilica Petri satis.

* Cynopoliten

* Coryceorum

b Paulin. epist. 31.

DE BASILICA PAVLI APOST.

De Basilica vero Pauli Apostoli hæc ibidem leguntur: Eodem tẽpore Constantinus Augustus fecit Basilicã beato Paulo Apostolo ex suggestione S. Siluestri Episcopi, cuius corpus sanctum ita recondidit in ære & cõclusit, sicut beati Petri, & dona obtulit. Nam omnia vasa sacra aurea vel argentea vel ærea ita posuit, sicut in Basilica beati Petri Apostoli: et ita beati Pauli Apostoli ornauit, sicut illam. Sed & Crucem auream super loculum beati Pauli Apostoli posuit pensantem libras centum quinquaginta. Sub ciuitate Tyria possessionem Comitam præstantem solidos quingentos quinquaginta. Possessionem Fromimusa * pensantem solidos septingentos. Possessionem Timiam præstantem solidos ducentos quinquaginta, olei nardini libras septuaginta, aromatum libras quinquaginta, casiæ libras quinquaginta. Sub ciuitate Aegyptia possessionem Cyreos præstantem solidos septingentos decem, olei nardini libras septuaginta, balsami libras triginta, aromatum libras septuaginta, storacis libras triginta, stactes libras centum quinquaginta. Possessionem Basilicam, præstantem solidos quingentos quinquaginta, aromatum libras quinquaginta, olei nardini libras sexaginta, balsami libras viginti, croci libras sexaginta. Possessionem insulæ Machabæ * præstantem solidos quingentos decem, papyri racanas * mundas quingentas, lini saccos trecentos.] hucusque de Basilica Pauli, quæ cum esset ædificata vbi corpus eius positum erat, inter viam

* Macaria

* cannas

A viam Ostiensem & Tiberim, angustia loci interiacentis, haud potuit, vt par erat, amplioribus spatijs ædificari: Honorius autem Imperator prætergressus viam illam, amplissimam reddidit, vt suo loco dicemus.

At quid post hæc Acta? Altera vero die Constantinus similiter intra Palatium suum Lateranense Basilicæ fabricam cœpit, lege pariter sanciens atque promulgans, adeo se Christianæ religionis profiteri velle culturam, vt Christo Deo vellet intra Palatium templum erigi, vbi Christiani conuentus agerent: vtque, ijs qui Christiani fieri vellent, & pauperes essent, præstarentur ex largitione Fiscali affatim alimenta, eisdemq. in primis in baptismate candida vestimenta & solidi viginti; dum tamen afferrent pro tessera Episcopi Romani chirographum. Quod autem spectat ad Basilicam Lateranensem, quam tunc temporis Constantinus ædificare cœpit in monte Cælio in ædibus amplissimis Laterani: fuisse quidem eas magnificentissimas testatur Iulius Capitolinus in Marco, & Victor in Seuero. Sed de his superius. Cesserat eas Constantinus Faustæ Augustæ, ac demum (vt suo loco dictum est supra) Melchiadi Papæ; in ijsdemque (vt vidimus) sub eodem Melchiade collecta est Synodus in causa Cæciliani. Verum quibus ornamentis eam illustrauerit Constantinus, & opibus auxerit, citatus ille de munificentia Constantini libellus in omnibus fidelissimus narrat his verbis: LATERANENSIS BASILICA.

B

Huius temporibus (nempe Siluestri) fecit Constantinus Augustus Basilicas istas, quas & ornauit. Basilicam Constantinianam, vbi posuit dona ista. Fastigium argenteum habens in fronte Saluatorem sedentem in sella, quinque pedum, pensantem libras cẽtum viginti; et duodecim Apostolos, habentes singuli quinos pedes, pensantes libras nonaginta cum coronis ex argento purissimo pensantibus libras centum quadraginta: et Angelos quatuor ex argento in quinis pedibus, qui pensant singuli libras centum quindecim cum gemmis Alabandenis. Fastigium ipsum pensat libras duo millia vigintiquinque.] Ab eiusmodi tam celebri Saluatoris imagine, cui & Basilica dicata est, dicta fuit Basilica Saluatoris potius, quàm Constantiniana, ad differentiam alterius Basilicæ eiusdem nominis publicis negotijs mancipatæ, quæ posita erat in Regione tertia apud templum Pacis, vt habent Sextus Rufus & Publius Victor. DONA COLLATA BASILICAE LATERANENSI.

C

Sed quod rursum spectat ad munera tunc oblata, hæc ibidem leguntur: Item a tergo respicientem in apside Saluatorem sedentem in throno, in pedibus quinque (hoc est altitudinis pedum quinque, & sic in reliquis.) Coronas quatuor ex auro purissimo cum delphinis viginti, pensantes singulæ libras quindecim. Pharum ex auro purissimo cum delphinis quingentis* cum catena, qui pensat libras vigintiquinque. Cameram Basilicæ ex auro, pensantem in longum & in latum libras quingentas. Altaria septem ex argento purissimo, pensantia libras ducentas. Patenas aureas septem, pensantes singulæ libras triginta*. Patenas argenteas sexdecim pensantes singulæ libras triginta. Scyphos ex auro purissimo septem, pensantes singuli libras decem. Scyphum singularem ex metallo, corallo ornatum, & vndique de gemmis prasinis & hyacinthinis, auro interclusum ex omni parte, qui pensat libras viginti & vncias tres. Scyphos argenteos viginti, pensantes singuli libras quindecim. Amas ex auro purissimo duas, pensantes singulæ libras quinquaginta, portantes singulæ medimnos tres. Amas argenteas viginti, pensantes singulæ libras decem, portantes singulæ medimnos singulos. Calices minores aureos purissimos quadraginta, pensantes singuli libras singulas. Calices minores ministeriales quingentos, pensantes singuli libras duas.

D

* quindecim

* tres

Ornamenta autem Basilicæ. Pharum cantharum ex auro purissimo ante altare, in quo ardet oleum nardinum pisticum cum delphinis octoginta, pensantem libras triginta. Pharum cantharum argenteum cum delphinis viginti, qui pensat libras quadraginta, vbi ardet oleum nardinum pisticum. Phatos cantharos argẽteos in gremio Basilicæ quadragintaquinque, pensantes singuli libras triginta, vbi ardet oleum suprascriptum. In parte dextra Basilicæ pharos argenteos quadraginta, pensantes singuli libras viginti. Pharos cantharos in leua Basilicæ argenteos vigintiquinque, pensantes singuli libras viginti. Cantharos cerostratos in gremio Basilicæ argenteos quinquaginta, pensantes singuli libras viginti. Metretas tres ex argento purissimo, pensantes singulæ libras trecentas, portantes medimnos decem. Candelabra ex aurichalco numero septem, quæ habent pedes denos cum ornatu ex argento, interclusa sigillis Prophetarum, pensantia singula libras trecentas.

E

Quæ constituit in seruitio luminum. Massam Gargillanam in territorio Suessano, præstantem solidos quadringentos. Massam Bauronicam in territorio Suessano, præstantem

 solidos

ſolidos trecentos ſexaginta. Maſſam Aurianam in territorio Laurentino, præſtantem ſolidos quingentos. Vrbanam in territorio Antiano, præſtantem ſolidos ducentos quadraginta. Maſſam in Caſtis [a] in territorio Catanenſi, præſtantem ſolidos mille. Maſſam Trapeas in territorio Catanenſi, præſtantem ſolidos mille ſexcentos quinquaginta.] Quæ autem ſequuntur putamus eſſe iungenda ijs quæ de ornamẽtis & vaſis ſuperius dicta ſunt, hæc nempe: Thymiamateria duo ex auro puriſſimo penſantia libras triginta: Donum aromaticum ante altaria ſingulis annis libras centum quinquaginta.] hactenus de Baſilica Lateranenſi. Ex quibus omnibus plane apparet, hac quoque ex parte, nouiſſimæ domus [a], nempe Eccleſiæ Gentium, eſſe gloriam maiorẽm, quàm primæ; cum ſuperet numerus & pretium vaſorum Romanæ Eccleſiæ (vt prætermittam de ceteris vbique locorum in Orbe diffuſis eccleſijs) vaſa templi a Salomone collata, vel denuo reſtituta, cum illud iterum fuit ædificatum. Nec eſt quòd hæc quis reuocare poſſit in dubium: nam vt vnius tantum templi ab eodem Imperatore poſtea Hieroſolymis ædificati ſingula deſcriberet collata ab eodem ornamenta, Euſebius [b] ſeparatum ſe volumen ſcripſiſſe teſtatur, cum ait: Quale vero Saluatoris templum, quale item Saluatoris antrum fuerit, atque etiam quàm præclari conatus Imperatoris; quanta autem in ipſo templo donorum turba ex auro, argento, pretioſo lapide; ſeparatim ſuo, quoad eius fieri potuit, volumine conſcriptum Imperatori dedimus.] Si ergo vnius templi dona vno explicata volumine, tot tantaq. erant: quid mirum ſi plurium baſilicarum munera ab eodem illis donata perbreui ſunt coanguſtata libello potius, quàm deſcripta? Quis non putet Conſtantinum conatum eſſe, vt conſtructæ Romæ eccleſiæ celebriores apparerent Iouis Capitolini aliorumq. deorum templis; cum præſertim conſueuiſſent (vt vidimus) exprobrare Gentiles Chriſtianis cultum Dei ipſorum abiectum nimis & humilem, atque nullius ſplendoris, nec celebrem, nec illuſtrem? Potuitne hæc pati Conſtantinus, dæmonum delubra Romæ tot publicis donis aucta, Chriſti vero eccleſias hac ex parte illis inferiores haberi? Et non potius iuſta æmulatione compulſus, quo minus poterat ſtructura templorum (id enim non ferebat temporis anguſtia) ornamentis ſaltem fana Gentilium ſuperaret? A B C

[a] Caprit
[a] Aggæ.2.
[b] Euſeb. Vit. Conſtantin. lib. 4. c. 46. in fin.

EFFVSA MVNIFICENTIA CONSTANTINI.
[c] Panegyr. 4.

Et quid adeo mirum, ſi tot tantaq. contulit veræ religionis cultui Conſtantinus, qui olim falſorum deorum cultor immenſis donarijs replebat illorum templa? Vnde Orator ille in Panegyrico [c]: Merito igitur (inquit) auguſtiſſima illa delubra tantis donarijs honeſtaſti, vt iam vetera non quærant, iam omnia te vocare ad ſe templa videantur.] hæc ille. At qui meminiſſet, ſe tanta profudiſſe in deos, quos iam modo intelligebat eſſe praua dæmonia: quo pacto potuit eſſe remiſſior munificentia ipſius in exornandis veri Dei, quem coleret, tẽplis? Hinc illæ Gentilium hiſtoricorum in Conſtantinum querelæ, cum eum nimiæ profuſionis redarguunt. Nam de eo Aurelius Victor [d]: Vnde (inquit) prouerbio vulgari, Tracala decem annos præſtantiſſimus, duodecim ſequentibus latro, decem nouiſsimis pupillus ob profuſiones immodicas nominatus.] Eſt eadem quoque Zoſimi querela [e] in eum exclamantis, non ſatis illi fuiſſe ad largitiones immoderatas totius Imperij Romani diuitias, ſed opus fuiſſe noua eademque dura prouincialia præſcribere vectigalia. D

[d] Aurel. Victor in Conſtantino.
[e] Zoſim. lib. 2.

ABSTINVIT ROMAE CONSTANTINVS A DONIS TEMPLORVM.
[f] Ambroſ. epiſt. 31.

Sed tamen in eo tum Conſtantini, tum aliorum Chriſtianorum Imperatorum commendanda modeſtia eſt, quòd cum poſſent ipſa deorum templa referta diuitijs ſpoliare, prout fecerant (vt vidimus) nonnulli ex Ethnicis Imperatoribus, abſtinuerunt nihilominus; cum aliqui ſummo iure id facere potuiſſent; tum quòd dæmonum nullus prorſus cultus eſſe deberet; tum etiam quòd ex illis compenſari poterant rapinæ, quas tam in rebus publicis quàm priuatis, trecentis iam propemodum annis, Chriſtiani ab idolorum cultoribus paſsi eſſent. Attamen ab ijs Conſtantinus ſe continuit, & reliqui ſucceſſores: quod S. Ambroſius [f] agens aduerſus Symmachum teſtatur his verbis: Dicant & ipſi, quis templis dona detraxerit, quod factum eſt Chriſtianis: quæ ſi facta eſſent Gentilibus, redderetur potius; quàm inferretur iniuria. Nuncine demum iuſtitia prætenditur, æquitas poſtulatur? Vbi tunc erat iſta ſententia, cum direptis Chriſtianorum omnium facultatibus, ipſos vitales anhelitus ſpiritus inuiderent, & nullis vſquam denegata defunctis inhiberent ſupremæ commercia ſepulturæ? quos Gentiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Fidei iſta victoria eſt, quòd & ipſi iam facta maiorum carpunt ſuorum: ſed quæ melioratio, vt eorum munera petant, quorum geſta condemnant? Nemo tamen donaria delubris, & legata Aruſpicibus denegauit; ſola ſublata ſunt prædia: quia non religioſe vtebantur ijs, quæ religionis iure defenderent.] ſed hæc de prædijs, quæ Valentinianus, non Conſtantinus abſtulit. Ceſſet ergo Zoſimi querela, vel in eo potius Conſtantinum redarguat, quòd maluerit noua vectigalia populis imperare, quàm deorum E

templa

A templa locupletissima diuitijs iniuste possessis spoliare. At hæc Romæ præstita sunt à Constantino: in Oriente autem, vbi cessabat Senatus inuidia, ab eodem secus actum esse, ex Eusebio dicturi sumus inferius. Sed ad Acta rursum.

Reperiuntur hæc etiam in Græcis exemplaribus tunc ab eodem Constantino fuisse statuta: vt qui vellent fieri Christiani, id eis facere liceret absque aliquo impedimento. Sanciuit hæc rursum: ne filijfamilias, vel serui, sub qua nati essent superstitione, tenerentur inuiti. Quamobrem magnam factam esse accessionem ad Christianam fidem, eadem Acta testantur. Addit his Nicephorus [a], eodem anno Romæ fuisse baptizata supra duodecim millia virorum præter feminas atque paruulos. Quòd vero idem ait, Crispum Cæsarem vna cum patre Constantino baptizatum fuisse; quàm errore labatur, atque prorsus hallucinetur, quæ hoc eodem anno superius dicta sunt, manifeste declarant. CONSTANTINI SALVBERRIMAE LEGES. a Niceph. lib. 7. cap. 34. in fine.

B Sed quid idem auctor de Senatu Populoq. Romano ab eodem Imperatore tunc in Basilica Vlpia collecto tradat, videamus: Porro Senatu in Basilicam, quæ dicitur Vlpia, conuocato (erat hæc in Foro Traiano, dicta aliter Basilica Traiani a Publio Victore) sincera mente sanxit, ne de cetero dij esse vel dicerentur, vel crederentur: non deos hominum esse, sed potius homines illorum esse dictitans. Et cum seipsum ea in re apertum manifestumque haberent exemplum, vt Dominum nostrum Iesum Christum, vt Deum verum certumque in cælis regnantem adorarent, & colerent: ne quis aliquid veteris erroris apud se habere suspicari posset, sinceritatis suæ indicium, templum in Palatio quod erigebat, ostendit. Populus vero huiusmodi Imperatoris dictis applaudens, quadragies, Christianorum Deum, verum Deum esse, exclamauit. Constituit præterea, voluntarium, & non coactum baptismum esse: neque metu humano ad Christianorum cultum quemquam accedere; verum volente animo casto, maturoque consilio, sacro illorum numero aggregari debere. Itaque incredibilis in populo fuit lætitia, lege ea publicata.] hucusque ex Actis S. Siluestri Græcè conscriptis Nicephorus. SENATVSCONSVLTVM IN BASILICA VLPIA.

C Sed præstat, cuncta quæ tunc idem Imperator coram Senatu Populoq. Romano perorauit, & in ijsdem Actis Latine scriptis extant, hic recitare. Porro Senatus Populiq. Romani cogendi causa hæc ibi primo describitur: Igitur cum Senatorum nullus omnino huic religioni sanctæ fidem adhiberet; nec ob hoc alicui Augustum irasci Papa permitteret: præcepit sibi in Basilica Vlpia in excelsum tribunal statui: illicq. omnes Senatum & Populum Romanum his verbis affatus est, &c.] Hæc quidem optime consentiunt cum ijs quæ a Zosimo eodem argumento scripta habentur [b]: nempe, Senatores ipsos summopere aduersatos Constantino, cum eum penitus viderent esse religionis patriæ desertorem, inter Christianos publice profitentem: quos cum Imperator demulcere nullatenus posset, Vrbem deserendi & aliam illi non imparem ciuitatem erigendi consilium inijt. Sed de his postea. At ipsam iam Constantini coram Senatu Populoq. Romano concionem habitam audiamus, quæ his scilicet verbis in ijsdem Actis Latine scriptis reperitur: b Zosim. lib. 2.

D Profanæ dissensiones mentium ideo nulla ratione salubre consilium sumunt, quia profundæ ignorantiæ circumdatæ caligine, nullus eas clarus ac serenus veritatis splendor illustrat. Aperiendi sunt ergo oculi animarum, & diligenti est examinatione tenendum, istos deos nec dici debere, nec credi, qui facti ab hominibus cognoscuntur: homines magis eorum deos esse, quos ipsi plasmarunt. denique si aliquo casu aliquid in ijs læsum fuerit: homines, qui sua eos arte fecerunt, eadem eos nihilominus arte restaurant. Sunt ergo homines, vt dixi, dij illorum, quos & dum non essent, fecerunt vt essent, & dum fuerunt læsi, restaurant. Quod in me quoque factum ipsi aspicitis & probatis: nisi enim ipse esset Dominus Christus, qui nos fecit; non vtique quod ab alio factum fuerat, restaurare valeret. Probatur ergo humanum genus huius Dei esse figmentum, qui restaurat lapsum, fractum solidat, subleuat elisum. Sed vniuersa idola ista quæ hominum figmenta sunt, hominum, cum læsa fuerint, auxilio reparantur. CONCIO CONSTANTINI.

E Habeant itaque, habeant finem isti errores: abdicetur ista superstitio, quam ignorantia concepit, & stultitia nutriuit, & aluit. Adoretur Dominus solus, qui vnus & verus regnat in cælis. Desinamus hos colere, a quibus saluari non possumus, & quos læsos ipsi saluamus. Cessemus ab his flagitare nostri custodiam, quos nostra custodia contuemur. Quid miserrimi in his, nisi æs, & lapides adoramus, & ferrum? Hactenus surdis diximus vt audiant, cæcis vt respiciant. Sit itaque omnibus ratum, quòd ab isto errore, ipso Deo Christo auxiliante, cessauimus. Et quoniam sapientia Romana non fallitur, istum Deum excolat, a quo ipsa custodiatur, non quem ipsa custodiat.

Verum ne longa vos oratio intentos extendat: quod constituendum censemus, breuiter pandam. Patere volumus Christianis ecclesias, ita vt priuilegia, quæ sacerdotes templorum habuisse noscuntur, Antistites Christianæ legis assumant.] A

PRIVILEGIA GENTILIVM SACERDOTVM TRIBVTA CHRISTIANORVM ANTISTITIBVS.

Passurus ne Constantinus æquo animo esset (vt eadem iterum arguamus, & per eamdem lineam, vt aiunt, serram reciprocemus) idolorum Christianis semper aduersarios sacerdotes honorum gloria superextolli, Christianæ vero religionis Antistites, quibus ipse caput subijceret; & vt pro ipso ad Deum preces funderent, precibus interpellaret, humi iacere depressos, & nullius gloriæ fulgore conspicuos, ignobiles apparere? Sed quæ erant priuilegia, quibus templorum sacerdotes a maioribus traditis fruerentur? Inter eos eminebat Rex sacrorum, qui in conuiuijs super omnes excubare solebat; erat & Pontifex maximus, arbiter humanarum atque diuinarum rerum omnium: quod breuiter narratum habes ex Festo[a]. Quanta autem esset potestas in Augure, qui comitia irrita reddere, & abdicare etiam Consules magistratu valeret; quæ paulo ante recitauimus ex Cicerone, declarant. Vetitum eis erat (ait Plutarchus[b]) equo vehi: sed vti carpento pro amplissima dignitate soliti erant. Sacerdotum peculiaris mos erat (quod affirmat Tacitus[c]) carpento Capitolium ingredi. Sic & videas Romanos Pontifices, quod tradit Ammianus[d], per Vrbem carrucis vehi. Procedunt, inquit, vehiculis insidentes circumspecte vestiti.] Sed & magna illa dignitas esse videbatur, quòd (vt idem ait) numquam pileum, insigne Flaminum deponebant; cum, vt idem testatur Plutarchus[e], ceteri solerent occurrentibus caput detegere. Obseruat hoc ipsum in hanc diem Romanus Pontifex. Refert idem[f] etiam Dialis Flaminis immunitatem, vt iurare ei minus liceat, quòd non conueniat de rebus paruis fidem eidem non haberi, cui res sacræ & maximæ concreditæ sint. Sunt & alia plura, quæ recitant Gellius[g] & alij, a quorum nonnullis vt superstitione infectis Christiani Pontifices abstinere consultius iudicarunt. Rursum vero, deorum sacerdotes purpuram induebant, eamdemq. pretiosam, nempe bis tinctam, vt indicat[h] Ciceronis locus ille inter multos alios, qui menti primus occurrit, quo de Vatinio strumoso in sacerdotem allecto ait: Denique Vatinij strumam sacerdotij διβάφῳ (hoc est, bis tincta purpura) vestiant.] Mos quoque erat, cum dedicaretur summus Sacerdos, vitta & corona aurea caput ornari. vnde Prudentius eorumdem ritus referens, hæc inter alia[i]: B C

a Fest. in verbo Ordo.
b Plutarch. qq. Rom. q. 40.
c Tacit. lib. 12.
d Ammian. lib. 27.
e Plutarch. qq. Rom. q. 9. 10. & Valer. lib. 5. c. 2. exempl. 9. & lib. 2. c. 5. 6.
f Plutarch. qq. Rom. q. 44.
g Gell. lib. 10. c. 15. Alex. ab Alex. c. 2. c. 8.
h Cic. ad Attic. lib. 2. epist. 24.
i Prudent. Peristeph. hymn. 10.

Mire infulatus, festa vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino sericam fultus togam.]

Sed summos Christianæ legis Antistites longe ante tempora Constantini, ipsos inquam sanctissimos Christi Apostolos, laminam auream in sacris gestare consueuisse, primo Annalium Tomo dictum est, deq. pretiosis sacerdotum coronis suo pariter loco superius. At quæ reliqua sunt Constantini orationis, prosequamur. D

ACCLAMATIONES POPVLI.

Vt autem (inquit) notū sit vniuerso Orbi Romano, vero Deo Christo nos inclinasse ceruicē: intra Palatium nostrum ecclesiam Christo arripui construendam, vt vniuersitas hominū comprobet nullum dubietatis in corde nostro vel præteriti erroris remansisse vestigium. Cumq. in isto verbo finisset eloquium: vox populorum per duarum ferme horarum spatium hæc fuit: Qui Christum negant, male pereant. Dictum est tricies. Item dictum est quadragies: Vnus Deus Christianorum. Item: Templa claudantur, & ecclesiæ pateant. dictum est decies. Item: Qui Christum non colunt, inimici Augustorum sunt. dictum est quaterdecies. Item: Qui Christum non colunt, hostes Romanorum sunt. dictum est decies. Item: Qui saluauit Augustum, ipse est Deus. dictum est quadragies. Item: Qui Christum colit, semper vincet. dictum est quinquagies. Item: Sacerdotes templorum Vrbe pellantur. dictum est tricies. Item: Qui adhuc sacrificant, Vrbe pellantur. dictum est terdecies. Item: Iubete, ut hodie Vrbe pellantur. dictum est quadragies. E

FIDES LIBERA, NON COACTA.

Ad hanc vocem Imperator silentium petijt: quo facto, iterum sic alloquutus est populum: Inter diuina & humana seruitia hoc interest, quòd humana seruitia coacta sint, diuina autem voluntaria comprobentur. Deus enim quia mente colitur, & sincero hominis veneratur* affectu, spontanea eius debet esse cultura. In hoc enim apparet, quia Deus verus est, quòd per tanta sæcula contemptoribus suis non iratus finem imposuit, sed propitium se etiam, qui coli debeat, demonstrauit, indulgendo crimina, & salutem animabus & corporibus conferendo. Sit ergo omnibus notum, non necessitate coactos, sed suo iudicio liberos posse fieri Christianos: nec humanum metuentes imperium, ad Dei culturam accedere aliquos oportere, sed rationabili consideratione magis rogare, vt Christianorum numero applicētur ab ijs, qui huic

* retinetur

sacratis-

A sacratissimæ legi deseruiunt. Iustum etenim verumque conspicimus; vt sicut petentibus culpa est, si negetur; ita non petētibus si tradatur*, iniquum. Sed nec hoc aliqui metuant, quòd a nostra gratia diuellantur, si Christiani esse noluerint. Nostra enim clemētia talis est, vt* in bono opere nos imitentur. Vnde hoc considerandum est magis, quòd nobis adhærebunt in amicitijs, qui spontanei ad Christianam legem venire voluerint. Tunc omnibus Christianis & infidelibus hanc legem laudantibus, & vitam Augusto optantibus, finis eius rei factus est. Et reuertente Augusto ad Palatium, tota ciuitas cereis, lampadibusque repleta, coronata* est.] Erant eiusmodi obsequia procedētibus solita impendi Romanis Principibus: nam de Cæsare Suetonius [a]: Ascenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuncos* gestantibus.] et Herodianus [b] demonstrat insignia fuisse Augustorum, vt faces eosdem progredientes prosequerentur, cum ait de Martia: Præter ignem, omnes honores,

* tribuatur
* vt a bono opere non mutetur
* comitata est
a Sueton. in Iul. c. 37.
* lychnos
b Herod. lib. 1.

B velut Augustæ, ei tribuerentur.] et de Heliogabalo: Discurrente etiam cum facibus vtrinque populo.] et de Gordiano: Ignis de more præferebatur.] Sed hæc tandem Acta rursus habent:

Erat enim omnibus gaudium, quòd lex talis processerat, quæ nullum ad culturam impelleret, & nullum a cultura repelleret Christi. Fit vox lætitiæ per vniuersas Ecclesias: honorantur omnia sepulchra Sanctorum; omnesque confessores qui exilia passi erant, ad propria iam reuocati, amici facti sunt Regis.] Secundùm autem ea quæ Constantinus in Basilica Vlpia, præsente Senatu Populoque Romano, pro concione loquutus est, scripsit edictum, quod non tantū Occidentalibus populis, sed Orientalibus quoque voluit innotescere; quo cum in primis susceptæ a se Christianæ religionis prædicet veritatem, & omnes pariter ad eam capessendam hortetur; neminem tamen ad eam vi inducendum, sed sponte accedentes suscipiendos esse,

PVBLICA HILARITAS CHRISTIANIS.

C licet omnes optare se dicat vt id faciant, cōtestatur. Recitat eiusmodi Imperatoris sanctionem Eusebius [c], hæc præmittens: Præterea (inquit) Imperator, cum sacrosanctam disciplinam, quæ ad Dei cultum pertinet, augere studeret, omnibus prouincialibus cuiusque nationis, qui falsò idololatriæ errore ante ipsius ætatem implicati fuissent, litteras dedit, prudentique persuasione exhortatus est eos, qui ipsius parebant Imperio, vt Deum omnium auctorem agnoscerent, & ipsum Christum palam & perspicue suum Saluatorem esse profiterētur. Atque istas litteras Imperatoris ipsius manu scriptas ad præsentem hanc nostram historiam necessario arbitramur adiungendas, vti audire Imperatorem videamur, idem illud, hoc modo, quasi omnium hominum auribus inculcantem.

c Euseb. Vit. Cōstantin. lib. 2. c. 46. 47. 48.

VICTOR [d] CONSTANTINVS MAXIMVS AVGVSTVS PROVINCIALIBVS ORIENTEM INCOLENTIBVS S.] sic inscriptum

d Apud Euseb. Vit. Constantin. lib. 2. c. 47.

D habetur apud Eusebium ad Orientales, non quòd non fuerit generale, sed quòd missum in Orientem sit ab ipso descriptum. Ipsum autem edictum sic se habet:

Quæcumque firmissimis summisque naturæ legibus continentur, ea omnia prouidentiæ & diuinæ solertiæ per ipsorum descriptionem diuinitus ordinatam satis illustre specimen omnibus dant. Neque vlla existet dubitatio, quin accurata sinceræ rationis, & rerum simul in cernendi sensum incurrentium comprehensio, vno veræ & perfectæ virtutis subsidio adiuncto, (sit eos (quorum animus scientiæ quasi vestigijs recta insistens ad illum finem fertur) tandem ad Dei cognitionem deductura. Quapropter quis vir prudens non aliquando animo conturbetur, cum multos animaduertat contraria vitæ instituta consectari? Virtutis enim decus in occulto lateret, si non vitiositas vitam peruersam & insolentem illi tamquam ex aduerso respondentem opponeret. Verum quòd & virtuti corona sit proposita, & iudicio Dei summi omnium

CONSTANTINI EDICTVM.

E moderatoris coerceatur vitiositas: ego quoad fieri potest, iuxta eam spem, quæ ea de re meo animo insidet, perspicue vobis omnibus aperire conabor.

Imperatores qui ante hoc tempus ad Reipublicæ gubernacula sederunt, propter agrestes, credo, & inhumanos mores, exheredati sunt. Atque vt pater meus admirabili cum pietate in omnibus suis rebus gerendis, Deo Patre inuocato, solus clementiæ opera exequutus est: sic reliqui omnes insano animo & furioso affecti, ad immanitatem potius, quàm humanitatē suas curas & cogitationes contulerunt: quæ sane illis regnantibus, vera religione euersa, vehementer creuit. Crudelis enim eorum nequitia vsque eo exardescere cœpit, vt cum omnes res diuinæ pariter atque humanæ pacatæ & tranquillæ consisterent, intestina persecutionis bella ab illis excitarentur. Apollinem autem id temporis ex antro quodam & tenebricoso recessu, non ex sacerdotis ore, hoc oraculum edidisse ferunt: Iustos qui in terris versabantur, impedimento ipsi fuisse, quo minus vera loqueretur: et propterea falsa oracula ex tripode edita esse: indeq. etiam factum esse, vt comam demitteret. Oraculo igitur hoc modo exagitato,

ORACVLVM APOLLINIS DE CHRISTIANIS

hominum

hominum malitia de ea re conqueri cœpit. Sed videamus ista ad quem exitum venerint. A

Te iam Deum altissimum testor, me verum dicturum. Audiebam, cum iam puer admodum essem, eum qui illo tẽpore principem locum inter Romanos Imperatores obtineret, miserum, plane miserũ, errore cæcatum, a satellitibus suis curiose inquirentem rogasse, quinam essent illi in terris iusti? Quẽdamque ex vatibus suis responsum dedisse, eos esse Christianos. Tyrannum autem responsum illud, tamquam mel ore auide arripientem, gladios qui erant ad iniuriam vlciscendam excogitati, contra sanctos viros omni labe & reprehensione carentes intentasse. Extemplo igitur mandata crudelibus sicarijs, quorum manus erant cæde & sanguine respersæ, data esse: Iudicesque missos, vt celeres animi motus a natura datos ad acerbiora suppliciorum genera inuenienda intenderent. Licuerat tum, licuerat inquam, cernere quanta cum animi alacritate egregij pietatis athletæ in crudelitate continua non vulgares, sed nouas in dies singulos afflictationes pertulerint. Quippe modestia, quam nullus hostis aliquando læserit, furorem iracundorum, & amentiam ciuium multo effecit truculentiorem. B

CRVCIATVS MARTYRVM.

Quæ incendij flamma fuit, quis cruciatus, quod tormentorum genus, quod non fuerit omnium Sanctorum corporibus, nulla ætatis ratione habita, irrogatum? Eo tempore terra reuera lacrymas effudit: Mundus res vniuersas suo complexu coercens, tabido cruore inquinatus fletum edidit: dies etiam ipsa præ lugubri prodigij calamitate obscurata est. Sed quid ista commemorem? Barbari inde iam gloriantur; qui quidem eos, qui per idem tempus a nobis aufugerent, in tutelam receperunt; et licet illos timuerint vt captiuos, tamen humanissime tractarunt. Nam non solum in ea securitate collocarant, vt salutem, sed etiam vt religionis suæ instituta & ritus retinere possent. Et iam Romani hanc maculam ad longinquum tempus continuatam sustinent, quam Christiani eis imprimebant eo tempore, quo ex eorum ditione eiecti, ad barbaros confugerunt. Sed quid attinet pluribus mærores illos & communem totius Orbis luctum persequi? Sceleris vero auctores, præterquàm quòd in Acherontis barathrum ad perpetuum cruciatum detrusi fuerunt, turpem præterea vitæ exitum, quo misere interierunt, sunt consequuti: nam bellis intestinis mutuo extincti, nec nominis, nec generis sui vestigium reliquerunt. Quod plane non obtigisset illis, nisi impia illa oraculorum Apollinis diuinatio vim quamdam adulterinam & adumbratam, qua in fraudem inducebantur, in se fuisset complexa. C

APOSTROPHE.

Te iam Deum optimum maximum oro, obtestorque, sis Orientis incolis clemens & propitius, & omnibus prouincialibus diuturna calamitate contritis per me famulum tuum curationem adhibeas. At ista non sine causa, o omnium Domine, & sancte Deus, abs te postulo: tuo enim impulsu res salutares & aggressus sum & confeci; tuoque vexillo vbique hostibus opposito, exercitum ab illis triumphãtem duxi. Quin etiam, si aliquando Reipublicæ vsus postulat, illa ipsa tuæ virtutis & potentiæ insignia sequens, contra hostes audacter procedo. Et propterea etiam tibi animum meum amore & timore rite sincereq. temperatum totum dedo. Nam nomen tuum ingenue amplector: virtutem tuam, quam multis argumentis declarasti, quaq. meam fidem firmiorem reddidisti, sancte veneror. Meos igitur humeros huic operi subijcere equidem maturo, vt tuam augustissimam sanctissimamque domum, quam nefarij illi & impij graui vastationis scelere labefactarunt, in integrum restituam. Populum tuum pacem colere, & a seditione liberum vacuumque esse, pro communi totius Orbis & cunctorum hominum emolumento, exopto. Qui autem errore ducuntur, parem cum Fidelibus pacis & tranquillitatis oblectationem læto animo capiant. Ipsa enim recta communitatis & societatis humanæ moderatio etiam ad illos ad rectam viam deducendos valebit plurimum. Nemo alteri exhibeat molestiam. quod cuiusque animus vult, hoc quisque transigat. D E

FIDEM LIBERAM ESSE SINIT.

At vero recte de Deo sentientibus penitus persuasum esse debet; ipsos solos quos ipse vocas, vt in sacratis tuis legibus acquiescant, sancte & incorrupte vitam traducturos. Qui vero seipsos inde abstrahunt, commenticij erroris delubra pro arbitratu habeant: nos autem splendidissimum tuæ veritatis domicilium, quod natura nobis largitus es, teneamus. Hoc etiam illis optamus, vt videlicet per communem concordiam, lætitiam animo percipiant. Quod vero ad hoc nostræ religionis institutum attinet: non nouum aut inauditum esse credimus, sed te ex eo tempore, quo hæc vniuersarum rerum fabrica firme coagmentata fuit, idem ipsum cum tuo venerando cultu obseruandum præcepisse. Ceterum humanum genus hallucinatum est varijs errorum opinionibus a veritate abductum. At tu per Filium tuum, vt peruersitas illa non in dies magis magisque ingrauesceret, puro lumine porrecto, omnes in tui memoriam reuocasti.

A Tua potentia nos innocentes & fideles reddit: tuæ res geſtæ iſta confirmant: quippe Sol & Luna ratum ſuum & legitimum curſum tenent, neque ſidera abſque ordine totius Mundi orbem luſtrant: temporum viciſſitudines certa lege reuoluuntur: ſolida terræ ſtabilitas tuo verbo continuatur: ventus præſtituto tempore motum ciet: aquarum lapſus præcipitans immenſo quodam & infinito curſu fertur: mare immobilibus terminis circumcluditur: quodcumque per terram, perq. Oceanum fuſum eſt, hoc vniuerſum ad mira quædam & ſingularia hominum commoda fabricatum eſt. Quæ res niſi voluntatis tuæ nutu atque arbitrio adminiſtrarentur; ſine controuerſia tanta diſcrepantia, & tam magna potentiæ, quæ in illis cernitur, diſſenſio, vniuerſæ vitæ humanæ eſſet, rebusque omnibus vaſtitatem allatura: nam ipſæ inter ſe confligentes multo grauius cum humano genere confligerent: quod etiam faciunt, licet oculis non cernantur. Deus optime maxime & omnium Domine, tibi maxima habeatur gratia: nam B quanto magis humana natura varijs & diſcrepantibus ſtudijs opinionibuſque duci intelligitur; tanto pluris apud eos qui recte ſentiunt, quiq. curam veræ & perfectæ veritatis gerunt, diuini Verbi diſciplinæ æſtimantur. At vero ſi quis ſit, qui ſe ſanari non ſinat; alteri qui ſanari vult, non vitio vertat. Nam medendi facultas, quæ morborum curationibus præeſt, omnibus in medio propoſita eſt. Tantum cauendum, ne quis iſtud religionis inſtitutum violet, quod res ipſæ purum & integrum eſſe commonſtrant. Fruamur igitur omnes boni illius communione, quod nobis datum ſit, hoc eſt pacis: noſtraque mens ab omni, quod illi aduerſetur, ſit omnino ſeparata.

Attamen quod quiſque ſibi perſuadeat ſatis probum & ſpectatum eſſe, in hoc alteri ne ſit offenſioni: immo vero quodcumque alter vel norit, vel intellexerit, illo quidem proximum, ſi fieri poteſt, iuuet: ſin fieri non poteſt, miſſum faciat. Aliud eſt enim certamen pro immorC talitate ſponte ſuſcipere, aliud ſupplicij metu cogi. Hæc dixi, hæcque pluribus, quàm id quod erat tenuitati meæ propoſitum poſtulabat, propterea perſequutus ſum, tum quòd veram fidem occultare nolueram, tum maxime omnium, quòd iam nonnullis (vt audio) in ore eſt, templorum ritus ſublatos; hoc eſt, vt ego dico, tenebrarum erroris in falſis dijs colendis poteſtatem prorſus abrogatam eſſe. Quod plane omnibus hominibus, credo, penitus perſuaſiſſem, niſi quòd violentus peruerſi erroris impetus ad Reipublicæ euertendæ periculum præter modum in quorumdam animis penitus inhæſerit.] hucuſque Imperatoris Conſtantini ad Orientales ſcriptis allocutio commendata. Paria ſunt hæc ijs quæ etiam Romæ nuper edixiſſe meminimus. quamobrem conſtat hallucinari eos, qui a Conſtantino clauſa templa deorum, & eorum ſacra omnino proſcripta confirmant.

At licet Conſtantinus, neminem vi ad religionem Chriſtianam amplexandam, ſe compulD ſurum eſſe, ſæpius fuerit conteſtatus: tamen, cum erga Chriſtianos ſe propenſiorem demonſtraret, & inſigniores prouinciarum Præfecturas illis crederet, & alijs officijs de ijſdem optime mereri ſtuderet; qui ex aduerſa parte religionis erant Gentiles, hac arte allici magnopere videbantur. Magiſtratibus autem ex Gentilibus ita delectis, vetuit dijs publice ſacra facere. His addidit duas leges; quarum altera diuinationes vetuit, de qua queritur Zoſimus [a]; altera, vt, quod Romæ cœperat, toto orbe Romano eccleſiæ amplioribus ſpatijs ædificarentur. Horum omnium meminit Euſebius, cum ait [b]:

CONSTANTINVS ALLEXIT BENEFICIIS AD FIDEM.

[a] Zoſim. lib. 2.

[b] Euſeb. Vit. Conſtantin. lib. 2. c. 43. 44. 45.

Ex his vero rebus Imperator abiens, alias res illuſtres & magni momẽti cœpit aggredi. Ac primum Gentibus per varias prouincias diſperſis Præfectos, qui maximam partem ſalutari Chriſti fidei ſe addixiſſent, miſit: qui vero Gentilium cõſuetudinem ac ritus imitari viſi ſunt; ijs, ne ſacrificia idolis immolarent, interdixit. Eadem lex ab eo lata fuit de illis dignitatis E gradibus, qui Præfectorum honores ſuo ſplendore ſuperabant. Aut enim, ſi Chriſtiani erant, ita ſe gerere præcepit, vt appellationis ipſorum dignitas poſtulabat; aut ſi aliter animo affecti, mandauit ne idolis hoſtias offerrent.

Deinceps duæ leges in eamdem ſententiam promulgabantur: altera quæ vetuit deteſtabilia idololatriæ ſcelera, quæ iam olim in quaque ciuitate & regione fieri conſueuiſſent; et ne quiſquam vel ſtatuas erigere, vel curioſas & ſuperuacaneas diuinationes moliri, vel denique ſacrificare auderet: altera qua iuſſit templa exædificari, denique eccleſias tum longitudine tum latitudine ampliores effici: vt in poſterum omnes homines (vt complectar breui) inſano illo & ſuperſtitioſo multorum deorum colendorum ritu e medio ſublato, Deo optimo maximo reconciliarentur. Talia enim tum animo inſtituere, tum ijs qui prouincijs præfuerunt per litteras ſignificare, Imperatorem ſua ipſius erga Deum ſanctimonia incitauit. Lex præterea illud eſt in ſe complexa, vt pecunijs largiendis non parceretur, ſed a theſauro regio promerentur ad parandas res illis inſtitutis neceſſarias. Quin etiam ad Eccleſiarum Præſides paſſim

LEGES CONSTANTINI.

de

de eiusmodi rebus litteras dare dignatus est, hasque primas ad me misit: A

Victor Constantinus Max. Augustus Eusebio S.

LITTERAE CONSTANTINI IMP. Quemadmodum ad hoc vsque tempus ob impiæ voluntatis institutum & grauem tyrannidem seruos Dei persequentem, pro certo cognoui, & satis persuasum habui, omnium ecclesiarum ædificia vel negligentia corruisse, vel impendentis periculi metu minime, prout debuerant, refecta fuisse, frater carissime: sic nunc cum libertas omnibus restituta sit, & draco ille Dei optimi maximi prouidentia, nostroque ministerio de communi Reipublicæ administratione depulsus; arbitror equidem, & virtutem ac potentiam diuinam omnibus satis constare; et eos qui vel timore vel infidelitate in peccata lapsi sunt, cum illud quod reuera bonum est, satis perspiciant, in veram & recte viuendi viam redituros. Quibuscumque igitur ecclesijs vel ipse præsis, vel alij Episcopi, presbyteri, & diaconi vbicumque terrarum, quos nosti, præficiantur: vobis omnibus videndum est, vt earum ædificia sedulo accurentur, quo B vel ea quæ remanent reficiantur, laxioraque fiant, vel vbi necessitas postularit, de integro exædificentur. Quæ vero res ad ædificationem necessario requiruntur, eas quidem cum ipse, tum alij tuo nomine a Præfectis & magistratibus prouinciarum petent. Hisce enim per litteras a me significatum est, vt omni studio & propensione animi ea quæ fuerint a tua sanctitate perscripta subministrent. Deus te, frater carissime, diu florentem seruet.] hactenus epistola Constantini. subdit his Eusebius:

Ista litteris prodita, quibusque ecclesiarum Præsidibus in singulis nationibus ætatem degentibus missa fuere: ea quoque sedulo exequi, quæ erant his congruentia, prouinciarum Præfectis mandatum: ac quæ legibus erant sancita, illa etiam reuera magna cum celeritate confecta.] hucusque Eusebius, Hæc sunt quæ Constantinus post baptismum Romæ decreuit: ac primum quæ est ipse eadem auspicatus in Vrbe, in cunctis Romani orbis prouincijs per Præsides expleri mandauit. omniaque consentanea sunt ijs, quæ ex Siluestri Papæ Actis superius recitauimus. Quo modo autem, cum ab eo patria superstitio hunc in modum proculcari videretur, Senatus in eum excanduerit, conflatisque mutuis odijs, Constantinus derelinquendæ Vrbis, & alterius illi non imparis excitandæ consilium inierit, suo loco narrabimus. C

Quam vero habent appendicem Acta Siluestri de disputatione cum Iudæis habita Constantino & Licinio quartum Consulibus, suo loco de ea meminimus. appendicem porro eam iure dicimus, cum ad Acta legitima superius recensita præter ordinem temporis ea illic inserta esse videatur. Eodem quoque iure censenda putamus, quæ ad eadem Acta Latine scripta post disceptationem cum Iudæis habitam sunt apposita; nempe post aliquot dies nunciatum relatione Pontificum idolorum Constantino de dracone in specu morante, & letali halitu homines enecante; cuius postea clauserit ora Siluester; et æreis quibus claudebatur ianuis, signo Crucis obsignatis, perpetuo eum ergastulo manciparit. At sicut rem gestam veram credimus, ita hac quoque ex parte Acta ipsa nonnihil corrupta esse, & aliquibus superadditis deprauata putamus, cum nonnulla mendaciter scripta habeant, veritati historiæ superapposita atque conficta, quod nemo iure inficias ire poterit. Nam primo si tempus spectes, ea die ipsa accidisse dicuntur, quo scripta ibi lex ponitur a Constantino, nempe Constantino quintum & Crispo Consulibus. Sed nullus reperitur in Consularibus Fastis Consulatus Constantini cum Crispo, recte vero Licinij quintus Consulatus gestus habetur cum Crispo. Verum hæc leuia, quæ fortasse dici possent librariorum errore contingere potuisse, vt loco Licinij, Constantini nomen sit positum, vel ab aliquo imprudenter odio in Licinium factum sit. D

DE DRACONE OCCLVSO A SILVESTRO VERA NE SIT HISTORIA.

At nec illud vlla ex parte consistit, quod dicitur Kalendis singulis eidem bestiæ a Vestalibus virginibus suppeditari solita alimenta: quod penes Gentiles scriptores, qui res Romanas prosequuti sunt, nemo vmquam puto reperiet. Sed ad alias virgines, quæ non essent Vestales, hæc esse referenda, suo loco dicemus. Sunt & alia superaddita, & quidem leuia, quæ cetera veritate quidem fidelia labefactant. Vt inter alia quod ibidem affirmatur, ad ipsum vsque diem Iudicij obseratas a Siluestro fores, quibus draco coercebatur, numquam fore reserandas: ad illud vsque plane tempus immortale animal permansurum, demonstrari velle videtur; quo nihil fabulosius effingi posse, certum est. Ceterum in reliquis haud putamus historiam esse penitus contemnendam, quæ complures habet Latinorum & Græcorum scriptorum assertores: et vt prætermittamus Latinorum omnium prolixam nimis seriem recensere; qui ceteris habetur antiquior, & eruditione clarior, Venantius Fortunatus Episcopus Pictauiensis, poeticis & rhetoricis litteris celebris, qui vixit ante mille & quadraginta annos, nempe sub Iustiniano atque Iustino iuniore Imperatoribus, in rebus gestis S. Marcelli Parisiorum Episcopi ad S. Germa- E

A S. Germanum eiusdem sedis Antistitem, dum in fine habet de immani serpente ab eodem superato, hæc addit [a]: Si sanctorum virorum ex factis merita conferantur: miretur Marcellum Gallia, dum Roma Siluestrum: nisi hoc distat in opere, quòd draconem sigillauit ille, iste iactauit.] Præter Cedrenum & recentiores alios, Metaphrastes [b] eiusdem rei assertor est, licet ante baptismum Constantini accidisse dicat, draconemque illum latuisse sub Capitolio, fortasse in Fauissis Capitolinis: erant enim inaccessi subterranei quidam specus, atque cisternæ, dictæ Fauissæ Capitolinæ [c]; quæ opportuna potuerint esse huiusce modi draconis latibula; licet ad radices Auentini ea parte, quæ spectat Capitolium, haud longe a tribus illis columnis erectis, super quas olim equestrem statuam Domitiani collocatam esse Statius docet, sedem serpentis illius fuisse tradant. At de loco, vbinam id acciderit, nihil penitus apud Acta Latine conscripta.

[a] Extat apud Sur. tom. 6. die. 1. Nouemb.
[b] Metaphrast. in Siluestro.
[c] Fest. verbo Fauissa. Gell. lib. 2. c. 10.

B Quòd autem omnes asserant eiusmodi serpentem apud Romanos sacrosanctum fuisse: illum in memoriam reuocant ex Epidauro olim in Vrbem legatione publica allatum ad pestem euertendam, Aesculapio consecratum; quem licet, tot intercurrentibus sæculis, extinctum fuisse oportuerit, Plinius tamen testatur suo tempore fuisse superstitem, & sobole mirifice propagatum. sunt hæc eius verba [d]: At qui anguis Aesculapius Epidauro Romam aduectus est, vulgo pascitur & in domibus; ac nisi incendijs semina exurerentur, non esset fœcunditati eorum resistere.] Quem Plinius dicit anguem, Festus draconem appellat. Sane quidem eiusmodi colubri, quem Romani colerent, cellam fuisse ad extinctionem superstitionis obseratam a S. Siluestro, perfacile credi potest; cum posthac nulla penitus horũ colubrorum adeo fœtibus exerescentium sit memoria; nisi quòd Gentiles deo suo carere nolentes, quem fame extinctum nossent (nam idẽ tradit Festus [e], cum non nisi canis vberibus nutriri solitum) C ex ligno aliave materia fabricarunt, atque in alio specu pariter posuerunt, tamquam viuum atque aspectu terribilem: qui sic mansit vsque ad Honorium Imperatorem, cum iterum per sanctum monachum impostura detecta, atque penitus demolita, caruere penitus superstitionis alumni auito deo suo. rem gestam S. Prosper, quæ accidit Romæ suo tempore, narrat his verbis [f]: Apud Vrbem Romam specus quidam fuit, in quo draco miræ magnitudinis, mechanica arte formatus, gladium ore gestans, oculis rutilantibus gemmis, metuendus ac terribilis apparebat. Huic animæ deuotæ virgines floribus exornatæ eo modo in sacrificio dabantur: quatenus insciæ, munera deferentes, gradum scalæ (quo tota illa diaboli arte draco pendebat) contingentes, impetus venientis gladij perimeret, vt sanguinem funderet innocentem. Et hunc quidam monachus bene ob meritum cognitus Stiliconi tunc Patricio, eo modo subuertit: bacula manu singulos gradus palpando inspiciens, statim vt illum tangens, D fraudem diabolicam respexit, eo transgresso descendens, draconem scidit, misitque per partes: ostendens & hic deos non esse, qui manu fiunt.] hucusque Prosper. At quid opus fuit, draconem effingere, si viuentem ex more colere potuissent? verum si nec ille, neque eius numerosi fœtus & inextinguibiles prorsus extabant, a quonam penitus sublatum & extinctum oportuit, quàm a superstitionis Gentiliciæ aduersario, & summæ auctoritatis homine? Fuit hic certe ipse Siluester: nam alium, quem dicamus, cum nulla prorsus de alio sit memoria? Optime quidem hac ex parte etiam respondent Acta illa, licet corrupta, Siluestri, quibus, vt vidimus, dicitur a Vestalibus virginibus solita fuisse ministrari bestiæ alimenta: addidit, puto, librarius, Vestales, voci, Virgines: vt plane per rimulas quasdam liceat intueri draconem illum viuentem a Siluestro extinctum, cuius imagini tamquam viuenti huiuscemodi virgines ministrarent.

SERPENS SACER.
[d] Plin. lib. 29. c. 4.
[e] Festus verb. insula Aesculap.
DRACO EFFICTVS.
[f] Prosper Aquitan. de Prædict. part. 3. c. 38.

E At nec prætermittimus dicere, præter Aesculapij serpentem interdum a natura partum aliquod reptile monstrum, quod boam nominatum testatur Plinius, cum ait [g]: Faciunt his fidem in Italia appellatæ boæ, in tantam magnitudinem exeuntes, vt diuo Claudio Principe, occisæ in Vaticano, solidus in aluo spectatus sit infans.] Sed & Dio in Augusto meminit, tũc temporis in Hetruria visum esse draconem bicipitem longitudinis pedum octogintaquinque. In alijs quoque prouincijs eiusmodi immanes colubres fuisse cõspectos, eosdemq. tẽpore Christianæ religionis a sanctis viris necatos, constat. refertæ sunt eiusmodi exemplis antiquæ sanctorum virorum historiæ: siquidem a sancto Arsacio apud Nicomediam fuisse draconem extinctum, auctor est Sozomenus [h], de S. Hilarione id ipsum affirmat S. Hieronymus [i]: itemque de S. Donato Episcopo in Epiro, idem qui supra tradit Sozomenus [k], de S. Theodoro Metaphrastes, de S. Marcello Fortunatus: de S. Crescentino martyre Vrbini patrono, eius Acta fidem faciunt, & alij de alijs. Sed illud proximum atque domesticum exemplum, quod Bibliothecarius narrat de Leone Quarto Romano Pontifice, qui dirum serpentem Romæ in

[g] Plin. lib. 8. c. 14.
DRACONES A SANCTIS VIRIS OCCISI.
[h] Sozom. lib. 5. c. 15.
[i] Hieron. in Hilarione.
[k] Sozom. lib. 7. c. 35.

cauerna apparentem apud S. Luciam, in Orphea dictam, & ipso halitu homines enecantem, A publicis indictis precibus, ad locum procedens, penitus effugauit, vt amplius non sit visus.

Quod autem ad Siluestrum spectat: eiusmodi trophæo victoriæ de extincto dracone imagines in ecclesijs pingi solitæ erant, nimirum cum dracone ad pedes eius vincto. Quæ quidem, antequàm eadem nobis de superato dracone recitata historia probaretur, S. Siluestri depicta effigies quid mysticũ præseferre videbatur instar imaginis Cõstantini, quam tradit [a] Eusebius pictam fuisse cum Cruce super caput sita, & sub pedibus eius dracone confosso, tamquam hieroglyphicum quoddam de superato Crucis virtute humani generis hoste, extinctis iam omnibus persecutoribus Ecclesiæ Regibus: idemque redderetur in imagine S. Siluestri cum insignibus vincti draconis: sed magis effigies illa veritatem historiæ repræsentat, vt de alijs compluribus his similibus accidit. At de his quæ pertinent ad Siluestri Acta satis.

IMAGINES S. SILVESTRI.

a Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 3.

Iam vero quæ reliqua sunt de ecclesijs a Constantino Romæ constructis historiam prosequamur, de quibus diximus librum fuisse conscriptum, sed valde succinctum ac breuem, vtpote quo ornamenta tantum, atque ad luminarium vsum reditus elargiti narrentur, nihil autem de ipsarum ecclesiarum structuris habeatur expressum. In quo quidem illud animaduertendum est, quòd quæ tunc Romæ sunt constructæ Basilicæ, subitario opere a Constantino erectæ fuerũt: ipsa enim earum structura, quæ hactenus cernitur, id aperte declarat: cum videre sit bases columnis subnixas non omnes eiusdem esse operis, ipsasque columnas ex diuerso confectas marmorum genere, varijque ordinis capitellis desuper coronatas: sed & alia complura dispraia in alijs ecclesiæ membris esse cernuntur, vt in columnarum epistylijs ac portarum liminaribus & alijs: quæ (vt taceamus de ceteris) cernuntur in ea parte quæ superest Basilicæ Vaticanæ: vt plane appareat Basilicas illas ex aliorum ædificiorum ruinis esse opere extemporali constructas: quod secus ostenditur factum in Basilica Pauli Apostoli, quæ ab Honorio Imperatore multorum annorum spatio postea erecta fuit. At non patiebatur tarda molimina vehemens ille spiritus, quo Constantini animus exæstuabat: summa enim celeritate ædificia ipsum confici voluisse, quæ ad Menandrum rescripsit demonstrant his verbis [b]:

B

CONSTANTINI STVDIVM ET CELARITAS IN ERIGENDIS BASILICIS.

C

b l. 2. de operib. public. Cod. Theod.

Propter negligentiam Iudicum, qui Imperialia præcepta differunt, ad diuersas prouincias diuersos misimus, qui ad scientiam nostram referant, quæ vel diligentia promota viderint, vel desidia corrupta culpauerint. Monendi autem Iudices sunt, qui instaurare publica opera debent, vt de effectis eis potius quàm inchoatis ad nostram scientiam referant: nisi forte iusta ratione petendum sit, aliquos, si forte defuerint, impensarum titulos prouideri. De rebus autem præcipuis maximisque, non de quibuscumque vilissimis, nostrum debẽt interpellare consilium.] hactenus Constantinus ad Menandrum: quibus apparet, quàm studuerit maturari opera, quæ ædificanda mandasset: vt nunciari voluerit, ea esse potius consummata, quàm cœpta. Deerant plane architecti ad multitudinem operum; quorum inopiam ægro ferens animo Constantinus, pro illis comparandis ad filium in hæc verba rescripsit [c]: Architectis quamplurimis opus est: sed quia non sunt, sublimitas tua in prouincijs Africanis ad hoc studium eos impellat, qui ad annos ferme duodeuiginti nati liberales litteras degustauerint. Quibus vt hoc gratum sit, tam ipsos, quàm eorum parentes ab his quæ personis iniungi solent, volumus esse immunes; ipsisque qui discent, salarium cõpetens statui. PP. VI. Kal. Sept. Carthag. Optato & Paulino Coss.] Sed tanta in construendis operibus publicis celeritas Constantini ijsdem parum proficua cessit: nam Zosimus eam ipsi vitio vertit, dum ait [d]: Cumque pecuniam publicam in plurimas inutiles structuras impenderet (talem impius æstimauit ædificationem ecclesiarum) quædam ædificauit non multo post diruta, quód ob festinationem durabilia non essent.] hæc ipse.

D

c l. 1. de excus. artif. Cod. Theod.

d Zosim. lib. 2.

E

At non tantum quæ recensitæ sunt Basilicæ Romæ a Constantino erectæ fuerunt, sed & aliæ plures, quarum in eodem libello habetur mentio; non puto tamen eas omnes eodem tempore ædificatas, verum vsque dum vixit, diuersis, vt accidit, permotus occasionibus. Namque in Atrio Sessoriano apud Veneris & Cupidinis templum, eo diruto post inuentam Crucem, nobilem erexit ecclesiam, eidem sanctissimæ Crucis signo dicandam, cui præclaras quas fuerat diuersis temporibus consequutus victorias ferebat acceptas: in qua & inuentæ Christi Redemptoris nostri Crucis partem cultu religiosissimo collocauit. At quid apud fanum Veneris & Cupidinis, templum Crucis? vt scilicet iuste vlcisceretur immane scelus, quod a Gentilibus in Crucis odium fuerat perpetratum; dum in sancto Golgotha, in Crucis rupe (quod testatur S. Hieronymus [e]) fuerat impudicæ Veneris statua collocata; et locus ipse, Crucis titulo adeo illustratus, ab eisdem Venerarium appellatum. quamobrem quod celebre erat Veneris templum Romæ (de alijs modo sileo) dignum visum est, vt cum ignominia

CRVX ERECTA VBI ERAT TEMPLVM VENERIS.

e Hieron. epist. 13.

cuersum

A euersum, sanctissimæ Cruci cederet, quæ proculcatis impudicitijs, virtutum omnium splendore nitesceret.

Sed quid in eodem libello de eadem ecclesia scriptũ habeatur, quæve ei a Cõstantino fuerint collata donaria, videamus; hæc enim ibi narrantur: Eodem tẽpore fecit Constãtinus Augustus Basilicam in Palatio Sessoriano: vbi de ligno sanctæ Crucis posuit, & in auro & gẽmis conclusit: vbi & nomen ecclesiæ dedicauit, quo nominatur vsque in hodiernum diem, Hierusalem. In quo loco constituit dona ista: Candelabra ante lignum sanctum lucentia argentea quatuor, secundũ numerum quatuor Euangeliorum, pẽsantia singula libras octoginta: Pharos cantharos argenteos quinquaginta, pensantes singulos libras quindecim: Scyphum aureũ purissimum, pensantem libras decem: Calices ministeriales quinque, pensantes singulos libras singulas: Scyphos argenteos tres, pensantes singulos * libras octo: calices ministeriales argen- BASILICA S. CRVCIS.
B teos decem, pensantes singulos libras duas *: patenam argenteam auro inclusam cum gemmis, pensantẽ libras quinquaginta: altare argenteum, pensans libras ducentas quinquaginta: amas argenteas tres, pẽsantes singulæ * libras viginti. Et omnes agros circa Palatium ecclesiæ dono dedit. Possessionem ad Sponsas Via Lauicana, præstantẽ solidos ducentos sexagintatres. Sub ciuitate Laurento, possessionem Patras *, præstantem solidos centum viginti. Sub ciuitate Nepesina possessionem Aghesis * (retinet hodie idem nomen, vt dicatur Agnetis) præstantem solidos ducentos quinquaginta. Sub ciuitate supra scripta possessionem Terega, quæ præstat solidos centũ sexaginta. Sub ciuitate Falisca possessionem præstantem solidos centum quindecim. Item sub ciuitate Falisca possessionẽ Herculis, quam * donauit Augusto, & Augustus obtulit ecclesiæ Hierusalem, præstantem solidos centum quinquaginta tres, &c.] sed hæc omnia, vt dictum est, post S. Crucem inuentam, de qua suo loco.

* Petras
* Agnetis

C Ac mox subdit: Eodẽ tẽpore fecit Basilicã S. martyris Agnetis, ex rogatu filiæ suæ, & Baptisterium in eodẽ loco, vbi baptizata est soror eius Cõstantia, vnà cum filia Augusti] Constantia hæc eadẽ dicta: sed quãdo baptismum susceperint non constat, nec etiam quoto anno ecclesia illa a Constãtino erecta fuerit; qua autẽ visione admonita ibi Cõstantia filia sit baptizata, apud Ambrosiũ [a] res gesta ab incerto auctore in hæc verba narratur: Erat enim ipsa Constantia Regina, virgo prudẽtissima, sed ita obsessa vulneribus, vt a capite vsque ad pedes nulla mẽbrorũ pars libera remansisset. Accepto autẽ consilio, spe recuperandæ salutis, venit ad tumulũ martyris, nocte (nempe Agnetis, de qua mira relatu audierat) & licet pagana, tamen credula animi intẽtione preces fideliter fundebat. Quod dum faceret, repẽtina somni suauitate corripitur, & vidit per visionem beatissimã Agnem talia sibi monita proferentẽ: Constanter age Cõstantia, & crede Dominum Iesum Christũ Filium Dei esse Saluatorem tuũ, per quem modo cõsequeris omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris, sanitatem. Ad hanc vocẽ Constantia euigilat sana, & sic sana, vt nec signũ in eius mẽbris alicuius vulneris remaneret. Reuersa igitur ad Palatium sanissima, facit gaudiũ & patri suo Augusto & fratribus suis Imperatoribus. Coronatur ciuitas tota: fit lætitia militãtibus, atque priuatis, & vniuersis audiẽtibus hæc. Infidelitas Gentium confundebatur, & fides Dominica lætabatur *. Interea patrem & fratres Augustos rogat, vt Basilica beatæ Agnes construeretur, & sibi illic Mausolæũ collocari præcepit. Currit hæc opinio ad omnes; et quotquot credentes ad eius tumulũ aduenissent, sanabãtur, quacumque fuissent infirmitate detenti: quod facere Christũ nullus dubitat vsque in hodiernũ diem. Perseuerauit autẽ Cõstãtia Augusti filia in virginitate, per quã multę virgines & mediocres & nobiles & illustres sacra velamina susceperũt. Et quia fides mortis dãna non patitur, vsque ad hodiernũ diẽ multæ virgines Romanæ Agnẽ beatissimã, quasi in corpore manentẽ, attẽdũt.]

BASILICA S. AGNETIS.

[a] Apud Ambros. sermon. de passione Agnetis.

* dilatabatur

D

E hæc ibi, sed perperã Ambrosij nomine cõsignata. cetera autem de eadem Cõstantia inferius.

Porro quæ idem Cõstantinus memoratæ ecclesiæ dona cõtulerit, his verbis in eodẽ libello narrãtur: Patenam auream pensantem libras viginti: calicem aureũ pensantem libras decem: coronam, pharum cantharũ ex auro purissimo cum delphinis triginta, pensantem libras quindecim: patenas argenteas duas, pensantes singulas libras viginti: calices argenteos quinque, pensantes singulos libras decem: pharos cantharos argenteos triginta, pẽsantes singulos libras octo: pharos æreos ex aurichalco quadraginta: cerostratos ex aurichalco argento clusos quadraginta sigillatos: lucernas aureas duodecim mixa * super fontem. In reditibus: circa ciuitatem Fidenas omnem agrum præstantem solidos centum * sexaginta. Via Salaria sub Parẽto vndique omnem agrum præstantem solidos centum * quinque. Agrum Marci *, præstantem solidos octoginta. Possessionem in vico Pisonis præstantem solidos ducentos quinquaginta. Agrum Casulas, præstantem solidos centum.] hucusque ibi.

* lychnorum
* mille
* mille
* Munj

Quod vero ad Constãtiam alterã spectat, Constantini sororem, relictã Licinij, de qua sæpe superius mentio facta est: hæc aliquando Nicomediæ cum ageret, titulo Augustæ clarissima,

miro ardore succensa videndi Christi humani generis Redéptoris, quem Deum colebat, imaginem, vt voti compos fieret, ad Eusebium Pãphili Cæsareæ totius Palæstinæ, in qua Christus versatus erat, Metropolitanum Episcopum litteras dedit; cum ille hoc facile præstare potuisset (nam testatur[a] ipse se aspexisse imagines Christi, & Petri ac Pauli Apostolorum, coloribus expressas ac fideliter conseruatas:) nihilominus quòd non Arianam tantum hæresin imbibisset, sed & Theopaschitarum vesania imbutus esset, hunc in modum ad ipsam rescripsit[b]: A

a Euseb. lib. 7. c. 14.

b Apud Nicæn. Concil. 2. Act. 6.

EVSEBII EPISTOLA AD CONSTANTIAM AVG.

Quoniam autem de Christi imagine ad me scripsisti, vt tibi mitterem: velim mihi significes, quamnam putes Christi imaginem: vtrum illam veram & incõmutabilem, naturæ illius characteres ferentem; aut hanc, quam propter nos assumpsit, seruilem formam pro nobis induens. Sed sane de diuina forma non arbitror etiam ipse ego, te esse solicitam, cum fueris ab illo edocta[c], neminem Patrem cognouisse præter Filium, neque ipsum Filium condigne quempiam cognouisse, nisi qui illum genuit Pater.] et post alia: Si omnino serui requiris imaginem formæ & carnem quam propter nos induit: sed & hanc gloriæ deitatis suæ cõmixtam esse didicimus & passam mortuáque.] et post pauca: Quis igitur gloriæ eiúscemodi & dignitatis splẽdores lucentes & fulgurãtes effigiare mortuis & inanimatis coloribus & vmbratili pictura posset? cùm neque diuini illius discipuli[d] in monte illum cõtemplari quiuerint; qui cadentes in faciẽ suam, non posse se huiusmodi spectaculum inspicere, cõfessi sunt. Igitur si carnis illius figura tantam ab inhabitãte in ea diuinitate accepit potentiã; quid oportet dicere tunc, cum immortalitatem exuit, & corruptionem abluens, formam serui in Domini & Dei gloriam transtulit, post mortis scilicet victoriam, post ascensum in cælos, post cum Patre regio in throno a dextris cõsessum, post requiem in ineffabilibus & innominandis finibus Patris, in quam ascẽdentẽ & desidentẽ, cælestes potestates illi benedictis vocibus acclamabãt, dicentes[e]: Principes tollite portas vestras, aperimini portæ cælestes, & introibit Rex gloriæ?] hucusque ex Eusebij epistola recitata sunt in secũdo Nicæno Concilio imaginũ cultui aduersario Gregorio Neocæsareæ Episcopo. B C

c Matth. 11.

d Matth. 17.

e Psalm. 23.

QVID A PATRIBVS SYNODI IN EVSEBIVM.

In hæc autem cum ibi multa fuerint ab Epiphanio recensita, & in auctorẽ ipsum Eusebium, vtpote Arianum hominem, inclamata; hæc demum, quod ad hanc spectat epistolam, posita sunt de sententia Eusebij aliorumq. Arianorum: Opinantur autem Christum Dominum nostrum carnem sine anima assumpsisse, addentes in salutari illius dispensatione diuinitatem impleuisse animæ consilia motionesque, nimirum quo passionem, vt ait Gregorius, diuinitate circumscribant, & ob id vere Theopaschitæ sunt: qui autẽ huius sententiæ sunt, imaginem non habendam censent, quemadmodum impius Seuerus, Petrus Fullo, Philoxenus Hieropoleos Episcopus, & omnis denique illa multi capitis & sine capite hydra contendit. Huius igitur societatis existens & Eusebius (quemadmodum ex illius epistolis & historicis commentarijs demõstrãtum est) imaginem Christi Theopaschitarum more reijcit: qua de causa & Constantiæ Licinij vxori scribit, apud se imaginem non reperiri. Nam & in eadem epistola dicit, quòd illius incarnata forma in deitatis naturam mutata sit. Nemo tamen sanctorum Patrum nostrorum sic sentit aut docuit: neque enim veritas sic se habet, &c.] Constantia igitur Augusta his ab Eusebio Pamphili epota venenis, & ab ipsomet Ario, & Eusebio Nicomediẽsi Arianæ perfidiæ aconito infelix imbuta, sinceræ fidei candorem, quem Romæ apud S. Agnetis Basilicam in baptismate suscepisset, dispendium passa, Arianorum furua fuligine, facta est hæresis illius sectatrix, immo fautrix atque patrona; de qua S. Hieronymus ad Ctesiphõtem[f]: Arius, vt Orbem deciperet, sororem Principis ante decepit.] At de Constantia modo hactenus, ad quam occasione S. Agnetis Basilicæ, & suscepti in ea baptismatis digressi sumus. Sed iam ad alias Basilicas Romæ a Constantino erectas iterum redeamus. D

f Hieron. aduers. Pelag. ad Ctesiphon.

BASILICA S. LAVRENTII.

[g] Eodem tempore (inquit libelli auctor) Constantinus Augustus fecit Basilicam beato Laurentio martyri via Tiburtina, in agro Verano, supra arenariam cryptæ: et vsque ad corpus S. Laurentij martyris fecit gradus ascensionis & descensionis. In eo loco construxit absidem, & ornauit marmoribus porphyreticis, & desuper locum conclusit argento, & cancellis de argento purissimo ornauit, pensantibus libras mille: et ante ipsum locum in crypta posuit lucernam ex auro purisimo lychnorum decem, pensantem libras viginti: coronam ex argento purisimo cum delphinis quinquaginta, pensantem libras triginta: candelabra ærea duo, in pedibus denis, pensantia singula libras trecentas. Ante corpus beati Laurentij martyris argẽto clusit sigilla passionum ipsius cum lucernis in nixis* argenteis, pensantibus singulis libras quindecim.] et in fine: Pharos argenteos triginta, pensantes singulos libras octo.] hæc vero habet de reditibus: In eodem loco possessionem cuiusdam Quiriacetis* religiosæ feminæ, quam Fiscus occupauerat tempore persecutionis, &c.] Loca autem vbi poni solita erant martyrum corpora; quæ appellamus vsu prisco Confessiones, sumptuosissime exornari solita; non tãtum quæ de loco dicta sunt vbi conditum erat S. Laurentij corpus, sed & de S. Hippolyti E

* myxis

* Cyriacæ

martyris

A martyris Confessione haud procul sita docet Prudentius, qui eam vidit, his versibus [a]:

Ipsa illas animæ exuuias quæ continet intus
Aedicula argento fulgurat ex solido.
Præfixit tabulas diues manus æquore leui
Candentes, recauum quale nitet speculum.
Nec Pariis contenta aditus obducere saxis,
Addidit ornando clara talenta operi.]

a Prudent. Peristeph. hymn. 11.

ILLVSTRATAE MARTYRVM RELIQVIAE.

Ex his plane vides; cum primum e persecutionis angustijs in latum libertatis campum Ecclesia prosiluit; quæ olim in cœmeterijs ipsis, antris, & recessibus subterraneis, sanctorum martyrum cultum (vt vidimus) dignis officijs, pro temporis ratione, frequentare solebat; constru-B ctis iam in ipsorum memoriam Basilicis, translatisque in eas eorum corporibus, & in thecis argenteis, & argento tectis cellulis collocatis, auro gemmisque fulgentibus vasis ad vsum luminarium comparatis, eadem ipsos summa gloria celebrare ac venerari cœpisse.

Rursus vero hæc de reliquis Basilicis ex eodem libello: Iisdem temporibus Constantinus Augustus fecit Basilicam via Lauicana inter duas lauros beato Petro & Marcellino martyribus: et Mausolæum, vbi beatissimam Augustam matrem suam posuit in sarcophago porphyretico.] Sed id postea. verum hæc ibidem subduntur: Vbi donauit patenam auream ex auro purissimo, pensantem libras trigintaquinque: cãdelabra argentea auro inclusa, in pedibus duodecim, quatuor, pensantia singula libras ducentas: coronam auream, quæ est pharus cantharus cum delphinis centum viginti, pensantem libras triginta: Calices aureos tres, pensantes singulos libras decem cum gemmis prasinis & hyacinthinis: Amas aureas duas, pensantes sin-C gulas libras quadraginta: Altare ex argento purissimo, pensans libras ducentas: Pharos cantharos argenteos viginti, pensantes singulos libras viginti: Item altare ex argento purissimo, pẽsans libras ducentas: Patenas ex auro purissimo duas, pensantes singulas libras quindecim: patenas argenteas duas, pensantes singulas libras quindecim: Scyphum maiorem ex auro purissimo, vbi nomen Augusti designatur, pensantem libras viginti: Scyphum aureum minorem, pẽsantem libras decem: Scyphos argenteos quinque, pẽsantes singulos libras duodecim: Calices ministeriales argenteos viginti, pensantes singulos libras tres: Amas argenteas quatuor, pensantes singulas libras quindecim. Annis singulis olei nardini pistici libras nongentas *, balsami libras centum: Aromatum in incensum sanctis martyribus beato Marcellino & Petro libras centum.] hæc ibi, quibus & reditus subsequuntur.

* nonaginta

ALIAE BASILICAE A CONSTANTINO AEDIFICATAE EXTRA VRBEM.

Mentio ibidem habetur de Basilica Ostiensi in honorem sanctorum Apostolorum Petri & D Pauli, & Ioannis Baptistæ, alia Albanensi in memoriam S. Ioãnis Baptistæ, Capuana Apostolorum, & Neapolitana in honorem, vt ait Ado, itidem Apostolorum & martyrum ab eodem Constantino erectis. Vasorum autem omnium, quorum mentio facta est, quædam inseruiebant ad luminaria incendenda, vt cerostrata, candelabra, phari canthari, & coronæ cum delphinis; quædam vero ad vsum sanctissimæ Eucharistiæ, vt calices, patenæ, amæ, metretæ: ad baptismũ alia, vt pelues & scyphi: thymiamateria autem erant ad suffitus parandos. Sed & in pluribus alijs quoque Italiæ ciuitatibus viget adhuc memoria aliarum ecclesiarum ab eodem Imperatore summa impensa constructarum: verum & in alijs etiam prouincijs itidem factum esse cõstat: et inter ceteras nobiles ab eo iussas ædificari Basilicas, meminit Gregorius Turonẽsis [b] de ea sanctissimæ Dei genitricis Mariæ ab eodẽ in Gallia excitata, in cuius erectione eiusmodi insigne miraculũ accidisse testatur: Maria vero (inquit) gloriosa genitrix Christi, vt ante E partũ, ita virgo creditur & post partũ: quæ, vt supra diximus, angelicis choris canẽtibus, in paradisum, Domino præcedẽte, translata est. Cuius Basilica ab Imperatore Cõstantino admirabili opere fabricata renidet: ad quã adductæ colũnæ cum præ magnitudine leuari non possent, eo quòd esset circuitus earum sexdecim pedum; ac diebus singulis casso labore fatigarentur: apparuit artifici sancta Virgo per visum dicens: Noli mæstus esse: ego enim tibi ostendam, qualiter hæ queant eleuari columnæ. et ostendit ei quæ aptarentur machinæ, qualiter suspenderentur trochleæ, atque funes extenderentur; illud addens: Coniunge tecum tres pueros de scholis, quorum hoc adiutorio possis explere. Quod cum ille vigilans, quæ præcepta fuerant, coaptasset; vocatis tribus pueris ab scholis, erexit summa velocitate columnas. Præstitum est populis spectare miraculum admirandum, vt quod multitudo virorum fortium leuare nequiuerat, tres pueruli absque virtute perfecti operis subleuarent.] hæc Gregorius.

b Greg. Turon. de glor. martyr. c. 9.

De alijs autẽ ecclesijs ab eodem in Oriẽte ædificatis, suo loco referemus. Hæc vero omnia, vt diximus, nequaquam hoc ipso anno a Constantino perfecta sunt, sed potius cœpta tantum

ex ijs nonnulla, reliquis quibus vixit annis absoluta fuerunt: a nobis autem hæc simul omnia A hoc anno relata sunt, quòd certis, quibus possent annis adscribi singula, incertum penitus sit. Sed illud memoria dignum est, quòd cum tam celebres & insignes memorias in honorem Dei atque Sanctorum tum Romæ tum in alijs plurimis Orbis Romani locis Constantinus erexerit, in nulla ipsarum modestissimus Imperator reperitur sui nominis memoriæ titulũ insculpsisse; contempsisseq. Christianissimũ Principem, quod alij ante eum Imperatores magno studio affectassent; quorum qui omnium optimus a Gentilibus habebatur Traianus, quòd in operibus singulis a se erectis affixisset titulum sui nominis, idem noster Constantinus (vt auctor est Aurelius Victor) illum eo dicterio lepide quidem & vrbane derisit, dicens, Traianum esse herbam parietinam, nimirum, quòd sicut illa, passim reperiretur muris inhærens.

DE DONATIONE CONSTANTINI.

Iam vero reliquũ foret, vt enarratis & elucidatis hisce de Actis Siluestri & de erectis ab Imperatore Constantino in Vrbe, alibique Basilicis, collatisq. eisdẽ ab ipso donis; de vulgata illa B omniũ ore ageremus eiusdẽ Cõstantini donatione tot tantisq. cõtrouersijs agitata: sed parcimus, quòd nihil præter illa quæ ab alijs dicta sint, afferre possimus; et eadẽ repetere, sit onerosũ atque pariter otiosum; cũ liberũ sit cuique, quę eo argumento a pluribus sunt scripta, cõsulere.

At illud modo hic satis sit obiter attigisse: neminem veri amantem, & antiquarum litterarum studiosum negaturum, primum omnium Christianorum Imperatorum, eumdemq. maxime pium, ac pariter munificentissimum ore quoque Gentilium prædicatum, Christianam religionem, quam auita superstitione relicta primus ferme omnium Augustorum (quod pro rei nouitate visum est esse portentum) præter sententiam Senatus & populi amplexatus est, cunctis quibus valuit officijs coluisse, atque muneribus frequentasse: Ad quæ præstanda cum pietas eum impelleret, & æmulatio ex antiqua gloria aduersariæ religionis vrgeret, atque stimulus ea de causa (vt ait Zosimus) hoc tempore infensi sibi atque palam iam obtrectantis Senatus exagitaret; vt non tantum paria (quod dictum est superius) Gentilium sacerdotum concesserit Christianæ religionis Antistitibus priuilegia, & maioribus auxerit eos atque Christi templa donarijs; sed ipsam potissimũ Romanam Ecclesiam, in qua sciebat totius Christianæ religionis vigere principatum, atque cardinem verti, eamque in medio æmulantium lacessentium atque oblatrantium hostium collocatam, in ipsorum odiũ & inuidiam amplissimis donasse muneribus, summaque potentia cõmunisse, atque iuribus stabilisse: Quorum aliquibus licet modestia Romanorum Pontificum non sit vsa, non tamen ea ratione negari possunt esse collata: sicut nec quis iure inficias ire poterit, tributas esse olim ab Augusto Senatui (quod Dio [a] testatur) Africam, Numidiam, Asiam, Epirum, Græciam, Dalmatiam, Macedoniam, Bithyniam, Pontum, Cyrenem, Siciliam, Sardiniam, & Hispaniam Bæticam, licet eisdem posteriores Imperatores pro arbitrio vsi sint. Magnum plane est de collatis illis Romanæ Ecclesiæ a Cõstantino muneribus argumentũ, quòd Francorum Christianissimi Principes suis ipsorũ diplomatibus, ea a Lõgobardis ablata, se Romanæ Ecclesiæ restituere, professi sunt. D

C

a Dio hist. lib. 53.

Si enim Romana Ecclesia ante collata illa a Francorum Regibus priuilegia (quod suo loco pluribus demonstrabitur) iam potiebatur rerũ dominio: vnde illud sibi nisi iure debitũ potuit vendicasse? cum certum sit nulla id factum armorum vi atque violenta grassatione: silentibus præsertim, nec minimũ quidem reclamantibus, qui illis temporibus regnabant in Oriente Imperatoribus, alioqui in Romanam Ecclesiam parum æquis, quam & ausi fuerunt (quod queritur S. Gregorius [b]) redigere sub tributo.

b Gregor. in 4. Psal. pœnit. vers. Tota die exprob.

Ceterum iusta possessio, quam, si careret humano, diuino saltem iure, quo subordinata sunt ei rerũ dominia, Romana Ecclesia legitime sibi vendicat, ac posteriores Reges & Imperatores amplissimis priuilegijs ratã habuere, eamq. illibatam, stabilemq. seruatam voluerũt; a Ioanne E diacono ex deprauato illo a Græcis mutuato donationis edicto, ambigua redditur potius, quàm probetur: quod cuique rem perspicacius intuenti redditur manifestum. Sic enim Græci donant, vt surripiant potiora; de quibus [c] poeticum illud modo sit nobis merito vsurpandum:

c Virg. Aeneid. 2.

Quidquid id est: timeo Danaos, & dona ferentes.]

GRAECORVM FIDES SVSPECTA.

Non enim eo erga Romanam Ecclesiam studio tenebãtur, vt quæ eius gloriæ esse viderent & honoris, solicite curarent: cuius excellentiam superbe admodũ æmulati, notam eidem inurere potius sẽper studuerint, quàm gloriã cõparare: est enim eius rei (vt de reliquis taceã) locuples testis Theodorus Balsamon, atque reliqua schismaticorum colluuies. Quis non credat, ab ipsis ex eodẽ edicto maiestatẽ Romanæ Ecclesiæ prædicari, cũ ex eo hæc quæ sequũtur proferãt [d] a Cõstãtino verbis illis fuisse statuta? Decernẽtes statuimus, vt Romana Ecclesia habeat principalẽ potestatẽ, & sit caput quatuor sediũ, sedis Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & Cõstãtinopolitanæ, & vt semel dicã, omniũ totius Orbis ecclesiarũ.] Absit a Romanæ Ecclesiæ amplitu-

d Theodor. Balsam. in Nomoc. Phot. tit. 8.

A amplitudine & dignitate, vt ab homine eiusmodi sibi vendicet potestatem, & non potius a Christo per Petrum. An non sæpius demonstratum est secundo Annalium Tomo, Romani Pontificis super omnes vbique Ecclesias earumque Præsules fuisse auctoritatẽ, etiam cum ipsa Regina prouinciarum esset sub tributo, cum scilicet tyrannorum persecutionibus Ecclesia vexaretur? Turpe plane est atque admodum indignum, acceptum ferre mortali, quod ab ipso Deo & Domino nostro Iesu Christo constat eidem in Petro esse collatum.

Sed nec istud ipsum eidem a Constantino gratis donatum volunt, verum vt id totum in Ecclesiæ Constantinopolitanæ conuertatur emolumentum, nempe vt hac techna inter sedes antiquas Patriarchales enumeretur Constantinopolitanæ Ecclesiæ sedes. Testis Græcus (vetus hæc parœmia) satis est. Appello clarissimum oratorem de his pro Flacco[a] differentem: qui tamen excipit ab eiusmodi inusta antiquitus nota bonos, doctos, atque prudentes: ac B multo magis nos Christianæ religionis præclarissimos atque sanctissimos viros, Catholicæ pietatis & vnitatis cultores, ab ea contumelia censemus absoluendos ac penitus liberandos: ceterum quos semel hæresis labefactauit, vel schisma diuisit, Ethnicis deteriores effectos esse, semper agnouimus. Sed mirati sumus vehementer, Zonaram aliquid sibi de Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarchatu amplius arrogasse, dum non tam eam dignitatem a Constantino tradit fuisse collatam, quàm potius restitutam, cum sic ait[b]: Constantinus Magnus cum alijs multis Vrbem adornauit: tum Byzantium, quod prius Thraciæ Heracleæ Episcopatus erat, a Seuero Perinthijs post captiuitatem subiectum, vt in Seuero expositum est, in Patriarchatus dignitatem restituit.] hæc ipse.

DE SEDE CONSTANTINOPOLITANA MVLTA CONIECTA.

a Cicer. orat. pro Flac. iuxta princip.

b Zonar. Annal. tom. 3.

At quonam modo Constantinus vel contulit, vel reddidit Constantinopolitanæ Ecclesiæ iura Patriarchatus, si post Concilium Chalcedonense solutum, eum Legati Apostolici recesC sissent, Anatolius Constantinopolitanus Episcopus cum collegis nonnullis quasi appendicem superaddens Oecumenicæ Synodo, id sibi tentauit arripere, sicut & Iuuenalis hoc ipsum tunc sedi Hierosolymitanæ conferri enixius laborauit? Cui nouæ atque hactenus intentatæ nefariæ vtriusque præsumptioni quantum restiterit S. Leo Romanus Episcopus, litteræ ipsius tunc ad eos scriptæ significant. Sed & præsumptæ temeritati quantopere aduersati fuerint Romani Pontifices successores, Gelasius Papa amplissimam fidem facit, cum sedes Patriarchales relegens tres tantummodo enumerat, Romanam scilicet, Alexandrinam, & Antiochenam[c]; et obnitens Acacij Constantinopolitani Episcopi petulantiæ, eum non nisi parochiæ Heracliensis Ecclesiæ Episcopum esse docet[d]. Quando vnquam mentio a curiosis atque procacibus aduersarijs facta vel saltem obiter de eiusmodi Constantinopolitanæ Ecclesiæ Constantini priuilegio collato? Vel quando hæc ab Imperatore decerni potuisse ausi sunt affirmare? D cum potius honesto, sed mentito titulo Concilij Constantinopolitani primum, ac deinde Chalcedonensis, id sibi adsciscere conati sint? Sed hæc tam perspicua, clariora reddentur ex ijs quæ inferius annis singulis, quibus eiusmodi agitatæ sunt controuersiæ, narrabuntur.

c Gelas. in Concil. decret. Rom. de libr. apocryph.

d Gelas. epist. ad Anastas. imp.

Rursum vero (ex quo semel aduersus eos sermo institutus est) si quarta die post Constantini baptismum (quod habent Latina exemplaria) eiusmodi edictum factum est: quo modo potuit in eo Imperator meminisse Cõstantinopolitanæ sedis, si nec nomen quidẽ Constantinopolis tunc erat exortum? et eo minus si ad Consules prouocemus quibus datum edictum inscribitur, nẽpe sub Consulatu Constantini Augusti quarto, qui decem ferme annos antequàm Byzantium in Constantinopolim mutaretur, in Fastis Consularibus descriptus habetur, non tamen vt ibi perperam ponitur Constantini Consulatus cum Gallicano, sed cum LiE cinio; cum nequaquam Gallicano cum Imperatore contingere potuerit esse Consulem: testatur enim Ammianus Marcellinus[e], a tempore secundi Consulatus Diocletiani cum Aristobulo, vsque ad Consulatum Iuliani Apostatæ cum Sallustio, numquam accidisse, vt Imperator Consulatum gesserit cum priuato. Hæc aduersus Græcos dicta sunto. Iam cetera prosequamur.

e Ammian. lib. 23. in princip.

Hoc eodem anno post baptizatum Constantinum collecta est Romæ Synodus a Siluestro, tertio Kalendas Iunij, Crispo & Constantino tertium Consulibus, vt eiusdem Synodi vigesimus canon significat. Pro Prisco autem, quem habet, Crispum restituendum esse, & ante Constantinum Cæsarem tertiùm Consulem ponendum, ipsi Fasti Consulares docent. Sed quid mirum, si in his editio deprauata cognoscitur, cum vix sit reperire versum, in quem mendum non irrepserit? Verum non eam ob causam, quòd Crispus tertium Consul ponitur, existimet quispiam viuente adhuc Crispo celebratum esse eiusmodi Concilium: nam (quod sæpe superius dictum est) ijsdem Consulibus, quibus aperiebatur, atque denominari

SYNODVS ROMANA.

pariter incipiebat annus, iisdem quoque vsque ad finem perseuerabat; licet iis defunctis, vel A
aliter se abdicantibus, alij in locum ipsorum suffecti fuissent. Porro idem Concilium habet vetus Cresconiana collectio, ex qua ceteri descripsisse videntur, capitibus viginti distinctum. Collectum autem fuisse in Thermis Traiani in gremio sedis suæ, in primo capite reperitur expressum. Erat locus ille, Titulus a Siluestro nuper erectus, quem Constantinus Imperator donis pluribus exornauit, atque reditibus locupletauit.

TITVLVS A SILVESTRO ERECTVS.

3 De eo enim his verbis mentio habetur in superiori recitato libello de erectis Basilicis, & collatis in easdem donis a Constantino: Eisdem temporibus constituit beatus Siluester in Vrbe Roma Titulum suum in Regione tertia, iuxta Thermas Domitianas, quæ cognominantur Traianæ: vbi donauit Constantinus Augustus patenam argenteam, pensantem libras viginti: scyphos argenteos duos, pensantes singulos libras octo: amam argenteam, pensantem libras decem: pharos cantharos argenteos decem, pensantes singulos libras quinque: B
cantharos cerostratos æreos sexdecim, pensantes singulos libras quadraginta: fundum, &c.] Multa illic habes de reditibus: sed ne longior sit digressio, omittimus singulos recensere.

Conuenisse autem ad Synodum Episcopos ducentos octogintaquatuor, produnt Acta quæ habentur typis excusa; Cresconiana tamen collectio ducētos & triginta Episcopos dumtaxat memorat, ac de Episcopis Græcis ne verbum quidem: haud enim temporis idoneum spatium intercessisse potuit, vt e remotioribus regionibus Episcopi vocarentur; sed tantum a Siluestro Italiæ Episcopos fuisse credimus Romam ad Synodum conuocatos: quibus omnibus a Constantino suppeditata sunt vehicula & annona, vt in ipso Synodi exordio declaratur. Fuerunt hæc veluti quædā Christianæ pietatis encænia de primo Christiano Imperatore summo omnium gaudio celebrata, & publica quædam pro accepto munere gratiarum actio; prout in eius C
primo capite, licet subobscure, significatur.

a Concil. Rom. c. 1.

CONSESSVS IN SYNODO.

b Hieron. epist. 85.

His vero solemniter ex more perfunctis muneribus, astantibus Constantino & Helena atque Calfurnio Christiano homine, Vrbis Præfecto, in Siluestri Titulum conuenerunt Episcopi, quorum consessus sic ibi [a] describitur, vt Romæ presbyteri atque diaconi & reliquus clerus starent a tergo sedentium Episcoporum: Episcopos enim tantum sedisse, stantibus ceteris, ibidem declaratur. Sed id puto tunc modestiæ causa; cum alioqui Romanæ quoque Ecclesiæ consuetudinis esse, affirmare videatur S. Hieronymus, vt coram Episcopis diaconi tantum stent, presbyteri vero sedeant: nam ad Euagrium scribens, sic ait [b]: Ceterum etiam in Ecclesia Romæ presbyteri sedent, & stant diaconi; licet paulatim, increbescentibus vitijs, inter presbyteros, absente Episcopo, sedere diaconum viderim.] hæc ipse. Sed & in Concilio Carthaginensi quarto id statutum, sancito canone, reperitur [c]: Vt Episcopus in quolibet loco sedens, stare presbyterum non patiatur.] ac rursum [d]: Vt Episcopus in ecclesia in D
consessu presbyterorum sublimior sedeat, intra domum vero collegam presbyterorum se esse cognoscat.]

c Concil. Carthag. 4. c. 34.
d Eod. Concil. c. 35.

S. VICTORINVS EPISC. ET MARTYR CALVMNIAM PASSVS.

e Sur. tom. 1. Concil.

f Optat. lib. 1.

g Gennad. de Virg. illustr. c. 88.

h Ado in Chron. an 530. Bed. de rat. tempor. & de sex ætat. Marian. Scot. an. 560.

In eum igitur modum consessu disposito, præloquente Siluestro de seruanda Dei Ecclesia libera ab hæreticorum incursu, damnauit primæ Actionis exordio Hippolytum diaconum Valentinianæ hæresis sectatorem, Callistum Sabellij hæresi maculatum, & Victorinum Episcopū, qui receptos ab Ecclesia Paschales cyclos redarguere præsumpsisset. Indigne sane passi sumus (quod & secūdo Annalium Tomo diximus, cum egimus de Victorino martyre Episcopo Pictauiensi) ab eo qui post duas editiones huius Synodi tertiā conflauit [e], cum de Victorino Antistite agitur, additum esse absque alicuius vetusti exemplaris fide, Pictauiensem; nam mēdaciter admodum sic nobilissimum infamat Antistitem, qui sub Diocletiano martyrium con- E
summauit, & ab Optato Mileuitano [f] vt insignis debellator hæresum commendatur. Sed sicut longe alius hic Victorinus Antistes est a Victorino Episcopo Pictauiensi: ita & plane diuersus ab illo Victorino, seu potius Victorio dicto, qui nullius sedis fuisse Episcopus reperitur, de quo Gennadius [g] tradit claruisse sub Hilaro Papa, & ab eo inuitatum post Prosperum vltimum calculatorem, prosequi futuri temporis Paschales cyclos; licet aduersus eum, Victorem Episcopum Capuanum scripsisse ferant [h]. Quisnam autem hic fuerit, qui damnatus in hoc Romano Concilio est, Victorinus, ignoratur, sicut Hippolytus & Callistus hæretici.

Mirabitur fortasse aliquis, cur in hac Synodo nulla fiat mentio de Ario & Ariana hæresi, quæ, vt superius demonstratum est, plures ante annos totam Orientalem exagitauit Ecclesiam. Sed illud videtur tum a S. Siluestro, tum etiam a Constantino Imperatore initum esse consiliū, vt sequenti anno maiori apparatu totius Orbis Episcoporū in Oriente, vbi immortali odio & obstinata pertinacia ab Arianis digladiatū esset, ibi aduersus eos sanctorū Episcoporū

coetus,

A coetus, sacrosancta Dei castra, ad oppugnãdam impietatem firmiter collocarent. Hæc igitur de Nicæno congregando sequenti anno Concilio inter Siluestrum & Constantinum esse communicata, examinata, ac pari consensu firmata, quis audebit dubitare? Potuit ne hoc Siluestrum præterijsse, qui (vt superius traditum est) ante aliquot annos Alexandri Episcopi Alexandrini litteris permotus, Osium Cordubensem Episcopum ad eiusmodi consopiendos tumultus, & pacem inter dissidentes Episcopos conciliandam, legauit in Orientem? vel prætermisisset facere Constantinus, qui per eumdem Osium tam præclaras, quas recitauimus, litteras ad Arium & Alexandrum dederat? Quin & legationem Episcoporum ex Rhinocolura, quæ est in Aegypto ciuitas, quorum in hac Romana Synodo libellus recitatus est, Arianæ cladis credi potest refricuisse ibi memoriam: licet de eiusmodi legatione in eadem Synodo perobscura mentio habeatur. Vt in re igitur maximi omnium momenti, solertia vtriusque, Siluestri B atque Constantini, versauere consilia, & inuigilauit cura propensior; atque ex communi sententia stabilitum, vt sequenti anno Nicææ in Bithynia sacrosanctum oecumenicum Concilium cogeretur.

DECERNITVR IN ANNVM SEQVENTEM NICAENVM CONCILIVM.

Sed quod pertinet ad ceteras res gestas in hoc, de quo agimus, Romano Episcoporum Conuentu: post damnatos Hippolytum, Callistum, & Victorinum, nonnulla sunt ad disciplinam pacemq. Ecclesiasticam conseruandam instituta: nempe, ne clerici inferioris gradus eos qui essent superioris ordinis accusare præsumerent. Citatur ac recitatur idem canon ijsdem ferme verbis a Nicolao Romano Pontifice scribente ad Michaelem Imperatorem. Sed & recte ibidem disposita sunt ea quæ ad optimam oeconomiam spectare videbantur [a]: nimirum, vt de Ecclesiæ reditibus, quibus iam incipiebat affluere, pars vna Pontifici cederet, alia vero clericis, tertia ecclesiarum fabricis seruaretur, quarta autem esset in pauperes eroganda. Illud insuper ad sacra pertinens additum est; ne presbyter, sed Episcopus chrisma conficeret [b]. Et C quod ad ordinationẽ atque numerum ministrorum [c]; ne in parochijs amplius quàm duo diaconi essent; septem vero Vrbis, nempe Regionarij, diaconi Cardinales. Sed & S. Synodus, cum ipsorum, tum etiam ceterorum clericorum hierarchicum ordinem, ex antiquo instituto Apostolorum, rite disposuit, quorum subdiaconis nuptias penitus interdixit. Vasa sacra inhibuit tangenda ostiarijs atque lectoribus: et acoluthum interdixit sacramentorum ministerio. Itemq. sacrandis virginibus, & monasticam vitam profitentibus certam præscripsit ætatem. hæc omnia prima die in sancta Synodo constituta sunt.

CANONES ROMANI CONCILII.

a Concil. Rom. c. 4.
b Ibid. c. 5.
c Ibid. c. 6. 7. 8.

Sequenti vero die (Actio hæc secunda describitur) eodẽ conuenientibus cum Siluestro Papa ijsdem, qui primæ Actioni præsentes fuerũt Episcopis; quòd septenario diaconorum numero duo deerant, existentibus tantum quinque, nempe Fabiano, Marco, Liberio, Archidamo, D & Iulio, ordinati sunt ab eodem Siluestro Papa Priscus & Theodorus [d]. Sed quanto tempore quis in singulis ordinibus ministrare deberet, vt ad altiorem gradum prouehi posset, edito canone Synodus declarauit [e]. Verum multa in annorum numerum menda irrepsisse, facile possumus intelligere. Rursum vero publicæ poenitentiæ ætatem, & baptizandi certos solemnes dies placuit definire. Itemq. de testimonio clericorum aduersus laicos non ferendo, nec clerico publice, sed tantum in ecclesia examinando, neque in curiam ingrediendo, nec cædendo; rursumque ne turpis criminis diaconus accusaret presbyterum; sed & ne presbyter a die suscepti gradus presbyterij coniugium inire deberet, statutis certis poenis non parentibus, iussum est. Verum quod ait de non ineundo coniugio, non de ducenda vxore est intelligendum (nam id etiam in eodem Concilio subdiaconis fuisse vetitum, dictum est) sed de vitando cum femina contubernio.

SECVNDA ACTIO ROM. CONCIL.

d Ibid. Act. 2.
e Ibid. c. 11. 12. vsque 20.

E Vltimo vero loco eiusmodi in eadem Synodo lex reperitur esse sancita: Nemo etiam dijudicet primam sedem: quoniam omnes sedes a prima sede iustitiam desiderant temperari. Neque quoque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a Regibus, neque a populo Iudex iudicabitur.] hæc in fine posita sunt, velut totius Synodi corollarium. Hunc proculdubio citasse visus est canonem Nicolaus Romanus Pontifex, cum inter alia, quibus temeritatem Michaelis Imperatoris redarguit, sic ait: Consonat huic necessariæ sententiæ S. Siluester & Magni Constantini baptizator dicens: Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a populo Iudex iudicabitur, haud dubium quin Ecclesiasticus.] Scimus autem quemdam citari canonem [f] quasi ex Concilio Carthaginensi de decreto Siluestri, & quædam ex epistola dicta Clementis Papæ ad Iacobum fratrem Domini, nec non Callisti Papæ, sed cui iure multa obijci possint. Subscripsisse vero sacris legibus Ecclesiasticis non tantum Siluestrum & Episcopos atque presbyteros & diaconos qui præsentes fuerunt, sed etiam Constantinum Imperatorem & Helenã matrem Augustam, satis liquet; quod in fine vltimi canonis eiusdem Synodi expressum habetur.

PRIMA SEDES A NEMINE IVDICATVR.

f Concil. Carth. 3. in fin. & dist. 82. c. presbyt.

Ex hoc

Ex hoc iam tempore Constantinus Imperator, qui interdum visus est antea fluctuasse, se in omnibus, ac coram omnibus, maxime vero Gentilibus, perfectissimum Christianum exhibuit, & in propaganda Christiana fide ardentissimum animum declarauit, omnia plane contraria persecutoribus Imperatoribus officia explens; quod & mille plane argumentis apertissime demonstrauit: vt merito de eo hæc scribat Eusebius [a]: Quemadmodum probitatis hostis dæmon graui in prosperum Ecclesiæ statum exardescens inuidia, tempore pacis & lætitiæ, seditionis procellas & tumultus intestinos contra illum excitauit: sic Imperator Deo carus Constantinus, ea quæ ad suum spectabant officium, minime neglexit; sed omnia contraria his, quæ antea a tyrannica crudelitate admissa instituit; et quemque Ecclesiæ hostem, inimicumq. facile deuicit. Atque vt illi, qui a vero Deo abscesserant, homines ad deos qui non sunt, colendos varijs necessitatis vijs cogerentur: ita hic cum & re & verbo eos non deos coarguisset, ad eum qui solus Deus est cognoscendum cohortatus est. Quin etiam illi contumeliosis & maledicis verbis Christum Dei deridere non sunt veriti: hic in eximio passionis trophæo mire gloriatus est: quod licet impij maximis grauissimisq. conuicijs afficere studerent, iste tamen salutis propugnaculum esse illud ipsum agnouit. Illi Christi famulos domicilijs & laribus orbatos in exilium eijcere: hic eos omnes domum reuocare, & proprijs sedibus restituere.

[a] Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 1. 2. 3.

PIA CONSTANTINI PRO RELIGIONE OFFICIA.

A

B

Illi eos ignominijs appetere: hic honoratos & in omnium conspectu illustres reddere. Illi pijs viris vitam eripientes, inique eorum bona publicare: hic illos pluribus muneribus benigne & liberaliter excipiens, ad pristinum statum reducere. Illi per scripta decreta palam contra Ecclesiarum Præsides diuulgata falsis calumnijs eos obiectare: hic contra viros eosdem ad gloriam efferre, apud se ad altum dignitatis gradum tollere, & edictis ac legibus multo clariores efficere. Illi sacras ædes precibus destinatas funditus euertere, easq. e sublimi disiectas solo æquare: hic tum eas quæ supererant, altius erigere; tum nouas, sumptu ex ipsis regijs thesauris suppeditato, magnifice extruendas sancire. Illi mandare, vt libri diuinitus inspirati, in ignem iniecti, penitus delerentur: hic vt ijdem ex ærario regio & ornarentur magnifice, & numero augerentur, decernere. Illi iubere, ne Episcopi vsquam conuentus cogere aggrederentur: hic eos ex omnibus Gentibus ad se conuocare, intromittere in Palatium, sinere in eius intimas partes penetrare, & laris sui mensæq. regalis compotes esse.

ANTITHESIS CONSTANTINI ET GENTILIUM IMPP.

C

Illi dæmones monumentis & imaginibus honorare: hic eorum fraudem patefacere; et materiam ex qua erant illorum simulacra conflata, male & inutiliter collocatam, his qui ea rectius norunt vti, distribuere. Illi delubra dæmonibus magnifice exornare iusserunt: hic eadem ipsa suis quibus nitebantur fundamentis deturbare, illaq. maxime, quæ apud superstitiosos erant maximi æstimata. Illi Dei seruos fœdis addicere supplicijs: hic eos, qui hæc patrassent, persequi; pœnaq. debita Dei ope inflicta, ad meliorem mentem traducere; Sanctorum Dei martyrum memoriam hic etiam colere non destitit. Illi pios viros ex ædibus regijs exigere: hic ijsdem ipsis maxime fretus, eos præter ceteros sibi & beneuolentiores & fideliores esse, pro certo persuasum habuit. Illi pecunia victi, animum Tantalicæ cupiditati in seruitutem dare: hic regali magnificentia omnes thesauros reserans, liberali & magnifica largitione eosdem dispertire. Illi infinitas cædes facere, quo facultates interemptorum rapinæ & publicationi paterent: sed toto illo tempore quo regnabat Constantinus, dum populus cuiusque nationis & ciues paternis potius gubernati legibus, quàm necessitate adducti, parebant; gladius quisque, quo Iudicum sententia supplicium de maleficijs sumi solet, otiosus suspensus fuit.

D

In quas quidem res oculis coniectis, dixerit aliquis merito, nouum quemdam & inusitatum Mundi statum modo apparuisse insolito quodam lucis splendore, velut post crassam caliginem mortali hominum generi elucente: fatendumq. vniuersum hoc opus ipsius Dei esse, qui Imperatorem tam pium impiorum multitudini aduersarium opposuerit. Cum enim tales essent hi, quorum similes non aliquando visi fuerunt, & talia facinora contra Ecclesiam ederent, qualia ex omni sæculorum memoria non sunt audita: Deus non sine causa Principem quemdam admirabilem in lucem extulit; cuius opera ea quæ nec percepta auribus, nec sub oculorum aspectum subiecta fuerint, effecit. Hic Imperator virtute tam eximius ex Dei sapientia mortali hominum generi donatus fuit, tamquam res quædam peregrina, quæ homines in admirationem traduceret. Hic enim Christum Dei libero ore & sermone in omnes diuulgauit: neque salutarem eam appellationem, quam obtinuerat, erubuit; sed ipsa professione gloriatus, se in luce & omnium oculis collocauit: atque interdum vultum salutari illa passionis signauit nota, nonnumquam trophæo illo victorioso plurimum se extulit.

ECCLESIAE STATUS FLORENS.

E

Quin etiam in tabula depicta, quam in sublime ante Palatij vestibula suspenderat, se omnium

A nium oculis contemplandum proposuit: salutareq. passionis insigne supra caput ipsius locatum in pictura exprimendum: inimicam autem illam & hostilem belluam, quæ Ecclesiam Dei impiorum tyrannide oppugnasset, in altum demersam, draconis specie & figura describendam curauit. Sacra enim oracula in Dei Prophetarum libris eum draconem & tortuosum serpentem nuncupant. Et propterea Imperator, quo occultum humani generis hostem diabolum (quem ipsius salutaris trophæi capiti eius imminentis virtute ad extremum exitum prolapsum significauit) tum sub suis, tum suorum pedibus conculcatum perspicue indicaret, draconem medio ventre transfixum, & in profundos maris fluctus præcipitatum subtili & artificiosa pictura sub omnium aspectum ad contemplandum subiecit. Atque istæ quidem res in imagine scite depicta varijs quibusdam flosculis significabantur. Vnde permagna de Imperatoris acumine atque solertia me cepit admiratio, quo modo diuino afflatu pulsus eadem ipsa figu- *PIAE IMAGINES A CONSTANTINO EXPOSITAE.*

B rauit, quæ vocibus Prophetarum ita de illa bestia pronunciantur: Deum gladium ingentem & terribilem contra draconem & serpentem fugientem illaturum, & draconem in mari interfecturum. Istarũ rerum igitur imagines Imperator formauit, voces illas Prophetarum adumbratione quadam imitatus.] hucusque Eusebius. Locus hic est Isaiæ, quo dicitur [a]: In illa die visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi & forti super Leuiathan serpentem, vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est.] *a Isai. 27.*

Sed dicam Eusebio: Quonam modo possunt Constantino hæc applicari, si nondum ex ipsius sententia baptizatus erat? siquidem omnis catechumenus est energumenus, & tantum abest vt ipsum fuget & occidat serpentem, quin potius ab eo possideatur, quippe qui non nisi per baptismum (quod est mare in quod serpens demergitur enecatus) a catechumeno penitus expellatur. Vnde S. Cyrillus [b]: Tyrannus ille ad mare vsque veteres persequebatur: iste vero *EVSEBIVS EX SVIS IPSIVS SCRIPTIS ARGVITVR.* *b Cyrill. Catech. mystag. 1.*

C impudens improbitatis princeps dæmon ad ipsas vsque salutares vndas te sequebatur. ille in mari submersus est: iste in aqua salutis suffocatur.] Ecce tibi tuis ipse verbis conuinceris profiteri Constantini baptismum, quem non nisi obitus tempore alibi calumniaris eidem esse collatum. Sed dissimulare non potes, vere Romæ baptizatum esse, quando de dracone victo, & in mare demerso, nobile trophæum cunctis spectandum pro Palatij foribus (quod ais) erexit; cum diabolum vincere, non nisi perfecte Christiani sit opera.

Quid præterea egerit, cum adhuc Romæ Constantinus esset, qualeve specimen absolutissimi omnibus numeris Christiani, cum idololatriæ summam arcem, ipsum nempe Capitolium inuasit, ediderit, cuius rei causa Gentilium omnium in se odium concitauit, Zosimus narrat his verbis [c]: Cum autem dies quidam, more patrio, festus appetijsset, quo die in Capitolium exercitui ascendendum erat: eum ascensum verbis contumeliosis impudenter insectans, re di- *CONSTANTINVS PALAM DETESTATVR SACRA GENTILIVM.* *c Zosim. lib. 2.*

D uina proculcata, Senatus atque populi odium incurrit. Cumq. profectas ab omnibus, prope dixerim, execrationes haud ferret, vrbem quamdam Romæ parem quærebat, in qua Palatium ipse sibi conderet, &c.] Prosequitur narrationem de migratione eius ab Vrbe Byzantium, de qua nos proxime dicturi sumus. Hic interim rem cõsideratione dignam accuratius intuendam proponimus: quanta in Constantino ac quàm repentina morũ mutatio facta sit: qui enim hoc ipso anno adeo truculentus extitit, atque inhumanus, vt filio, vxori, atque familiaribus necem intulerit; iam initiatus sacro baptismate, exuens veterem hominem, nouum induens; ipsum inquam virtutibus contextum vestijt habitum, ac præcipue Christi mansuetudinem, cum in Gentiles Senatores oblatrantes non gladio egerit, non Syllanam tabulam scripserit, nec aliquem proscripserit, neque bonis aliqua saltem ex parte mulctasse voluerit, quod fecerant ferme omnes prædecessores Imperatores: sed Christianæ legi, qua apprime imbutus erat, obtem-

E perans, dans iræ locum, alio commigrandi consilium inijt: id æquius sibi ratus, quàm assidua Senatorum strage, leuia vlcisci verba, & sanguine ciuium superstitionem obruere, pacis legem velle sancire gladio; atque Regnum vitæ, suorum morte, infelici auspicio, facere manifestum.

Quamobrem de noua Roma ædificanda omnis idololatriæ prorsus experte, mente decernit; antiquumq. Ilium cogitat: eoq. profectus, dum parat opus, absterretur a numine, a quo & Byzantium petere suadetur. Hæc autem quo modo se habuerint, Zosimus [d] docet his verbis: Cumq. profectas ab omnibus, prope dixerim, execrationes haud ferret, vrbem quamdam Romæ parem quærebat, in qua Palatium ipse sibi conderet. Itaque cum esset inter Troadem & priscum illud Ilium, inuento loco condendæ vrbis idoneo, fundamenta iecit, & muri partem aliquam in altum egit, quam adhuc videre est, si qui versus Hellespontum nauigant. Sed quòd cum huius operis instituti pœnituisset, eo relicto, vt erat imperfectum, Byzantium concessit: cuius vrbis situm admiratus, eam quàm maxime statuit amplificandam, & efficiendam idoneam, vt Principis in ea domicilium esset.] hæc Zosimus. *CONSTANTINI CONSILIVM DE NOVA VRBE ERIGENDA.* *d Zosim. lib. 2.*

Sed

Sed priusquàm certam causam, cur Ilium cum Byzantio cõmutauerit, afferamus: de tempore in primis, quo Roma in Orientem sit profectus, differendum putamus. Hoc ipso anno, antequàm penitus intercluderetur hieme nauigatio, Constantinum ab Vrbe recessisse, atque Ilium nauigasse, intelligere possumus. Cum enim constet, ipsum anni sequentis exordio in Oriente egisse, atque cuncta, quæ opus forent ad cogendum magnum Concilium Nicææ in Bithynia, præparasse (quòd non esset fluctuantis animi & vagantis per incerta negotium, sed mentis omni ex parte quietæ & firmo proposito stabilitæ) satis affirmari posse videtur, non sequenti, sed præsenti potius anno Constantinum ab Vrbe recessisse, atque in Orientem profectum. His accedit, quòd in Codice Iustinianeo de falsa moneta inest. Constantini constitutio[a] data decimoquinto Kalendas Decembris Constantinopoli sub huius anni Consulibus, nempe Crispo & Constantino Cæsaribus tertium, licet in Codice Theodosiano Romæ data scribatur. A

QVO TEMPORE AB VRBE RECESSIT.

a L. 1. C. de fals. monet.

Quonam pacto autem, relicto Ilio, Byzantium delegerit, Sozomenus narrat his[b] verbis: Vbi omnia ei ex sententia succederent, & exteros partim bello, partim fœderibus sibi adiunxisset: constituit Vrbem extruere, quam & suo nomine appellare, & Romæ honore parem efficere in animo habuit: atque profectus ad campum pro Ilio situm non longe ab Hellesponto paulo supra Aiacis tumulum (quo in loco, fertur, Achiuos qui olim Troiam oppugnabant, & nauale & castra habuisse) vrbis formam & magnitudinem descripsit; inq. præcelso & abdito loco portas extruit, quæ adhuc etiam e mari illac nauigantibus cernuntur. Ei vero ista molienti Deus noctu visus alium locum quærere iubet; atque cum Byzantium Thraciæ oppidum vltra Chalcedonem Bithyniæ vrbem situm in memoriam ei redegisset, eam vt habitatoribus complendam, quippe quæ nomen Constantini curaret, admonuit. Itaque Dei verbis obsequutus, oppidum, quod Byzantium vocabatur, dilatare & maximis amplissimisq. mœnibus erigere cœpit.] ita Sozomenus. Ferunt[c] illud diuinæ voluntatis index accidisse prodigium, vt ædificantium apud Ilium vrbem instrumenta, nulla hominis arte, in aduersum litus reperirentur esse translata; aquilam vero sustulisse funiculum cæmentariorum, & iuxta Byzantium deiecisse illum, testatur Zonaras[d]: de lapidibus idem Cedrenus[e] affirmat: qui & non vnum, sed plura ferunt mutata a Constantino adhuc ancipite vrbis condendæ loca. B C

b Sozom. lib. 2. c. 2.

BYZANTIVM DELIGITVR.

c Bed. de loc. sanct. c. vlt. Glic. lib. 4.

d Zonar. Annal. tom. 3.

e Cedren. in Compend. an. 18. Constantin.

Addit ad hæc Nicephorus[f]: De ea illud quoque memoriæ proditum est: vt Imperator ipse pedibus hastam manu tenens, ambitum & mœnia eius definiens, circumijt: quod comitibus eius, vlterius quàm conueniret, pomeria vrbis proferre videretur: quemdam ex eis ad eum accessisse, rogasseque: Quo vsque tandem here? Illumq. diserte respondisse: Eousque, dum qui me præcedit ductor, constiterit. Vnde satis constabat, cælestem quampiam ei praiisse virtutem, quæ eum, quod fieri deberet, instrueret.] Ad hæc fortasse allusit Iustinianus Imperator[g], dum ait, Constantinopolitanam vrbem melioribus auspicijs esse ædificatam, quàm veterem Romam. Fertur & alia visio Constantino apparuisse, de anicula coram ipso in iuuenculam mutata, & ab eo diademate insignita, quæ nouam Romam ex vetere factam prænunciaret: ibi & de Angelo equum ducēte, cum situs eius circumscriberetur. reperiũtur hæc fusius enarrata in appendice ad Acta Siluestri: sed credimus imposturam, quòd illic mentio habeatur de Sisinnio tunc Episcopo Constantinopolitano, cum nullus eius nominis Episcopus ei sedi præfectus esset, nisi tempore Theodosij, & ille quidem ex parte Nouatianorum Antistes. D

f Niceph. lib. 8. c. 4.

QVID IN AEDIFICATIONE NOVAE VRBIS ACCIDERIT.

g C. de veteri iure enucleando. §. Sed & si quæ.

Ceterum quod ad Byzantium spectat, nequaquam erat antehac ignobilis ciuitas, cuius clarissimorum auctorum scriptis memoria celebratur: nam vt prætermittamus, quæ a Cosmographis de ea habentur summa cum gloria posteris commendata; Cicero ea oratione, quam habuit de prouincijs Consularibus, magna cum laude eiusdem meminit, liberã eam prædicat, ciuitatē Romanis fidelissimã, ornatissimã, atque signis refertissimã, egregijs nobilitatis monumentis. Sed multis postea est exagitata cladibus, & iactata naufragijs. Fuit enim a Vespasiano (vt Suetonius[h] tradit) libertate priuata, a Pescennio Nigro Tyrãno deinde occupata, & a Seuero diu obsessa, & non nisi fame capta: Vrbs (vt ait Herodianus[i]) aliarum omnium in Thracia maxime felicissima, viribus & opibus ea tempestate florens: quam & Seuerus indignans (vt dictum est superius) redegit in vici formam: tamen benignitate Imperatoris Antonini Caracallæ, qui (vt auctor est Spartianus[k]) vetera iura reddidit, in pristinum restituta est: Gallieno vero imperante iterum pessundatam esse, testatur Trebellius[l], cum ait: Ne quid mali deesset Gallieni temporibus, Byzantiorum ciuitas clata naualibus bellis, claustrum Ponticum, per eiusdem Gallieni milites ita omnis vastata est, vt prorsus nemo superesset: denique nulla vetus familia apud Byzantios inuenitur, nisi qui peregrinatione vel militia occupatus euasit, qui antiquitatem generis, nobilitatemq. repræsentet.] hæc ipse. Restaurauit autem eamdem E

BYZANTIVM NOBILIS OLIM CIVITAS.

h Sueton. in Vespas. c. 8.

i Herodian. lib. 3.

k Spartian. in Caracalla.

l Trebell. in Galieno.

A Gallienus per Cleodamum & Athenæum Byzantios, atque muniunt, a quibus & victi sunt barbari. Porro in bello Liciniano Byzantium fortissimum propugnaculum redditum expugnare numquam potuit Constantinus; sed propugnatoribus sponte, Licinio victo, se dantibus, eo potitus est, vt superius est enarratum. Hanc ergo ciuitatem antiquitate & rebus præclare gestis egregie nobilitatam Constantinus mirifice auxit & illustrauit; quibus autem ornamentis, suo loco referemus, cum de eius dedicatione prolixior sermo erit. Hic tantummodo meminisse oportuit quæ aliàs Tomo secundo sub Seuero Imperatore dicta sunt; fuisse nempe eamdem ciuitatem Christianis quoque refertam, ad quos in illo exitu Byzanceno (vt ait Tertullianus [a]) Cæcilius Capella dirus persecutor exclamauit: Christiani gaudete.] tantæ posterioris claritudinis omen. [a] *Tertul. ad Scapul. c.3.*

Iam vero reliquum est, vt ad præsentis anni rerum gestarū absolutionem, quinā huius temporis status esset Orientalis Ecclesiæ, oratione prosequamur, atque primum turbas Antiochenas hic describamus. B Hoc enim ipso anno, defuncto Paulino Episcopo Antiocheno, post multas disceptationes ad eius sedis regimen accersitur ex sede Berœensi Eustathius ob insignem vitæ in fide Catholica defendenda constantiam. licet autem Theodoretus [b] (quod demonstratum est superius) velit Eustathium suffectum fuisse in locum Philogonij; tamen cum S. Hieronymus in Chronico, tum Nicephorus, subrogatum ponunt Eustathium Paulino eius sedis quinquennij administratione perfuncto. Rursus vero admonendum lectorem putamus, ab Eusebio electionem Eustathij, & turbas Antiochenas eius causa excitatas, nequaquam secundum ordinem temporum recitari; nam longe post narrationem de Nicæno Concilio, eiusmodi de Eustathio res Antiochiæ gestas aggreditur; cum omnium testificatione perspectum habeatur, eumdem Eustathium iam creatum Episcopum Antiochenum Magnæ C illi Synodo interfuisse, & in ea sacris itidem peractis, eidem pariter subscripsisse. EVSTATHIVS ELIGITVR EPISCOPVS ANTIOCHENVS. [b] *Theodoret. lib. 1. c. 7.*

Sed vnde tam præpostera rerum narratio? Videor plane mihi quasi per transennam inspicere incredibilem vafri viri versutiam: nimirum qui acceperat ex Ariana impietate inustam notam in Nicæno Concilio, post illud contexisse voluit laudum suarum præconia ex litteris Constantini; quas si suo loco, vt oportuit, recitasset, obscuranda illa forent ex rebus postea gestis in dicta Nicæna Synodo, in qua omnium Orthodoxorum sententia cognitus est Arianus. ponendo vero eas post Nicænum Concilium, perinde ac si numquam deliquisset, summæ se apud Imperatorem & alios æstimationis fuisse voluit demonstrasse. EVSEBII CONSILIVM IN INVERTENDO RERVM GESTARVM TEMPORE.

Quod vero ad Antiochenas spectat controuersias: scissam in duas partes apparet fuisse eam Ecclesiam; quarum altera ab Arianis labefactata, Eusebio Episcopo Cæsariensi studebat, vt Antiochenæ sedis ordinaretur Antistes: cuius rei si minus voti compos fieri valuisset, Euphronius & Gregorius Ariani presbyteri ab eisdem eligendi, scriptis ad Imperatorem litteris ab D eodem nominantur. Ceterum cum longe superior Catholicorum pars esset, nec effectum consequutura quæ ab ipso proposita essent, facile posset existimari: Eusebius præseferens inuiolabilem Apostolicæ traditionis obseruantiam, ne a sede in aliam transferretur Episcopus; summæ continentiæ specimen edere præsetulit, ob quam a Constantino meruit litteris commendari; quas ostentans ipse, easdem integras in Vita Constantini a se conscripta recensuit. Verum quod nondum habitum esset Nicænum Concilium, quo discriminarentur Catholici ab Arianis, cum omnes æque se esse Catholicos affirmarent: Constantinus tum ad ipsum Eusebium, tum ad eos qui illi studebant scribens, eosdem perinde ac Catholicos alloquutus est, vt ex eis spectare licet, quæ ex eodem Eusebio recitabimus.

Sed primum quo modo eiusmodi Antiochenæ discordiæ ab eodem Eusebio [c] describātur, E audiamus: Verum (inquit) interea temporis, cum omnes vitam iucundam degerent, & Ecclesia Dei passim apud omnes gentes omni ratione esset tamquam in sublime sublata: rursus inuidus dæmon, qui solet rebus honestis insidiari, ob tantam bonorū prosperitatem ad bilem commotus est: ac quoniam suspicabatur ipsum Imperatorem nostro tumultu, & perturbata omnium rerum confusione exulceratum, abalienato animo in nos futurum: idcirco dissensionis face accensa, Ecclesiam Antiochenorum sic tragicis dilacerauit calamitatibus, vt parum abesset, quin vniuersa ciuitas funditus esset excisa. In duas enim factiones populus Ecclesiæ diuisus est: quippe plebs & magistratus & milites præsidiarij more hostium vsque eo concitati fuerunt; vt si non quædam Dei prouidentia, metusque ab Imperatore ipsorum animis incussus, multitudinis impetus compressisset; et iterum eiusdem lenitas, instar conseruatoris & medici animorum, orationis suauitate illis contentionis morbo diuexatis medicinam attulisset; gladios ipsi in se mutuo distrinxissent. [c] *Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 57.* ANTIOCHENAE DISCORDIAE.

Quapropter ex illis viris, qui & propter virtutem satis spectati erant, & propter præstantiam

tiam honore Comitum affecti, vnum fidelissimum Legatum misit, quo lenius & benignius cum populo ageret: litterisq. eos adhortatus est, vt in eas res, quæ ad pacem inter ipsos mutuo facerent, attenta cogitatione incumberent: quin etiam quo pacto pietatis officia decenter exequerentur, perdocuit. Persuasit etiam illis, immo per litteras ad eos scriptas deprecatus est, vti ipse seditionis causam audire possit. Quas quidem litteras, quæ & singularis doctrinæ plurimum & vtilitatis non minus continent, si non calumniæ notam ijs qui erant in crimen vocati inussisse videri potuissem, in præsentem historiam contulissem. Quocirca istas missas faciam, quippe cum malorum memoriam minime refricandam putem; easq. solum in hunc sermonem includam, quas quidem Imperator, vtpote ex hominum concordia permultum animo capiens voluptatis, perscripsit: in quibus Antiochenos cohortabatur, vt Episcopum alterius Ecclesiæ, sub quo pacem facerent, appetere, neutiquam in animum inducerent: sed Ecclesiæ instituto & more eum sibi deligerent pastorem, quem communis omnium Saluator illis commonstraret. Ad populum igitur Antiochiæ, & Episcopos separatim, quæ sequuntur, epistolas scripsit. B A

Victor Constantinus Max. Aug. Populo Antiocheno S.

CONSTANTINI AD ANTIOCHENOS LITTERAE.

Vestra concordia alijs omnibus, qui consilio & sapientia multum pollent, pergrata futura esset, tum mihi in primis, qui partim lege diuina, & vestra piæ vitæ ratione, partim vestris erga me studijs prouocatus vos fratres sempiterna beneuolentia complexus sum. Et cum hoc sit reuera verum, a rebus honestis fructum percipere, nimirum vt in omnibus quæ quisque molitur, recta & integra animi cogitatione vtatur: quid quæso est, quod tantopere vobis possit conuenire? Nec cuiquam mirum videatur, si veritatem vobis dixero, quæ amicitiam potius erga me, quàm odium in vestris animis parere debet. Atque inter vos fratres, quos vna eademq. animorum affectio, sinceraq. mens, recto itinere quasi digito demonstrato, ad Deum deducit, & in puram sanctamq. eius Ecclesiam velut ciues adscribit: quid præstabilius esse poterit, quàm vt cum omnes res nobis prospere & ad voluntatem fluant, concordiam & animorum tranquillitatem egregie amplectamini? idque maxime, cum & diuinæ legis disciplina vestram voluntatem ad vitam recte honesteq. moderandam impellat, & nos tam vehementer expetamus vestrum iudicium sic ratione confirmare, vt de omnibus rebus vere sincereq. decernatis? C

At fortasse vobis non nihil videtur afferre admirationis, quid tandem hoc orationis meæ initium voluerit. Idcirco causam illius dicendo explicare, nec recuso, nec inficior. Fateor equidem me litteras quasdam perlegisse, in quibus ex illustri laudum & testimoniorum præconio, quo tantopere extulistis Eusebium Episcopum Cæsareæ (quem etiam ipse eruditionis & modestiæ causa plurimi faciendũ iam diu existimaui) plane animaduertebam, vos magno studio erga illum incendi, & velle libenter eum vestræ vrbis Episcopum constituere. Quantum putatis me animo agitasse; quam curam, vt vestro studio satisfactum esset, suscepisse; dum ad optimum virum conquirendum, qui vestrum Episcopatum capesseret, accurata cogitatione incumberem? Te o fides, quæ quidem ex verbo & doctrina Saluatoris tamquam exemplar sancte sincereq. viuendi nobis proponis, quæq. etiam perægre vitiosis hominibus ipsa resisteres, si non tua virtus talis esset, vt nullo modo potestatem cuiquam facias ea ad quæstum perdite abducendi: te inquam in hac causa testem cito. Mihi sane is potissimum in hac controuersia victoriam consequi videbitur, qui pacis & concordiæ studio flagrat maxime; quippe cum neminem reperias, qui non ex pace, vbi eam nihil indecori afferre putet, magnam animo capiat oblectationem. D

LAVDES SVAS EVSEBIVS PER CONSTANTINVM PRAEDICAT.

Proinde istud a vobis quæso, fratres, vt quoniam pro cupiditate rerum a nobis expetitarum explenda, alijs etiam e fratribus ignominiæ & contumeliæ nota inusta est, idcirco deinceps illa consectemur quæ fidem nostram omni suspicione & infamia penitus liberent. Ego vero quamquam hominem, qui a vobis & tantis honoris ornamentis decorandus & tanto amore ac beneuolentia complectendus iudicatur, laudo plurimum: tamen Ecclesiæ canon, qui singulis ratus & stabilis debet manere, non ob eam causam infringendus, aut debilitandus est, vt singulorum sententijs separatim satisfactum sit, & vniuersi quod expectant, assequantur. Sed in ancipiti & controuersa disceptatione, in qua viri huius virtutes cum aliorum comparantur; non vnum, sed plures libere, quid sentiant, eloqui oportet: propterea quòd cum honores Ecclesiastici in eo loco & statu sint, vt in illis mandandis nihil insit vel perturbationis vel discordiæ; omnium suffragia similiter sunt & ex æquo omnino expetenda. Neque profecto rationi consentaneum est, vt propositum vestrum, susceptumq. de Eusebio deligendo consilium, præiudicium contra alterum fiat; quippe cum nulli, siue abiectiores illi sunt, siue illustriores, qui sincere & ex animo similiter diuina præcepta ac disciplinam approbant, obseruantque, E

vlla

A vlla in re per communem eius disciplinæ legem, alijs inferiores putari debeant.

Porrò autem, si id quod plane verum est, ingenue fateri volumus; concedendum est necessario, quòd Eusebium non ipsius voluntate vobis acquirere, sed vi potius a Cæsarea abducere conamini: quod profecto violentiæ potius est, quàm electionis legitimæ. Atque siue isto modo, siue secus multitudo sentit: ipse libere & audacter affirmare audeo, hanc rem non leuem & exiguum tumultum illum quidem excitaturam, sed eam contentionis subministraturam materiam, quæ efficiet, vt vnus vestrum alteri crimina obiectare magnopere laborauerit: nam perinde facitis atque oues, quæ cum ob consuetam pastoris curationem per negligentiam ad deteriorem partem prolapsam, priore educatione destitutæ sunt, fruges vastare, & ita perspicue quid dentium suorum natura & vis valeat, ostendere solent. Quæ num ita se habeant, & nos neutiquam opinione fallamur, vestrum est fratres (multa enim B & magna ipsa prima deliberatione animis vestris se offerent) vobiscum diligenter considerare. Ac primum omnium ecquid de ingenio & mutuo inter vos amore detractum videatur: deinde quòd qui consentientibus hominum prudenter de ipso deligendo deliberantium suffragijs ad Episcopatus dignitatem ascendat, diuino iudicio veros ex ea fructus percepturus est, atque adeo non vulgare beneficium consequuturus, quòd vestro omnium consensu illustre probitatis testimonium sibi tributum habeat: postremo & vos, sicut vestræ consuetudinis est, æqua & incorrupta mente in homine conquirendo, qui vobis opus fuerit, diligentem operam nauetis, omni seditioso & turbulento tumultu compresso. Nam tumultus semper iniquus esse; et ex odiosa variorum hominum inter se comparatione, non scintillæ exiguæ, sed magna inuidiæ incendia excitari solent.

Verum vt tandem dicendi finem faciam: ita Deo placeam, & ita vestrum causa, vti C optatis, vita mihi suppetat, sicut & vos amo, & tranquillum pacis quasi portum, in quo animi vestri conquiescant, vobis exopto. Ex quo portu sordibus seditionis præteritæ eiectis, pacato mentis statu, concordiam in earum locum inducite: vexillum quoque firmæ dilectionis in nauigio animorum vestrorum erigite: et cursum cælestem ad lucem æternitatis, gubernaculis, vt ita dicam, ferreis, robustisque rectum tenete. Atque ea ratione illud integrum & incorruptum deinceps fore putatote, quod discordia erat antea labefactatum. Nam sordes seditionis, quæ nauem ante prope corruperant, vniuersæ ex animis vestris, tamquam ex sentina, iam spero, exhaustæ sunt. Quocirca iam consilio prouidete, vt is rerum omnium status sit, vti nihil in posterum, quod ex vsu Ecclesiæ non sit, inconsulta & vana contentione vel suscipiatur, vel ratum fiat. Deus vos, carissimi fratres, seruet incolumes.] subdit deinde Eusebius epistolam eiusdem Constantini ad D se scriptam, hoc præfixo eidem titulo: EXHORTATIO AD CONCORDIAM.

Imperatoris epistola ad nos de Episcopatu Antiocheno a nobis repudiato.

Epistolam tuam legi diligentissime, ex qua Ecclesiæ canonem exquisite abs te seruatum intellexi. In his namque persistere, quæ Deo grata, quæq. traditioni Apostolicæ consentanea videntur, permagnæ pietatis est. Ac sic putato, te in hoc ipso plane beatum, quòd totius, prope dixerim, Orbis terrarum testimonio dignus iudicatus sis, qui vniuersæ Ecclesiæ Episcopatu perfungaris: et huic tuæ felicitati reuera quasi accessionem adiunctam, quòd omnes ea tui cupiditate ducantur, vt te velint esse apud se.] CONSTANTINI AD EVSEBIVM EPISTOLA.
Nominat Constantinus Antiochenæ Ecclesiæ curam, Episcopatum vniuersæ Ecclesiæ, quòd metropolis esset totius Orientis. sed sic pergit:

Porro abs te prudenter factum est, quòd & Domini mandatum, Apostolicumq. Ecclesiæ E canonem seruare decreuisti, Episcopatum Ecclesiæ Antiochenæ prorsus repudiando, & in eo Episcopatu fungendo permanere laborasti, quem ab initio Dei voluntate susceperis. Hac de re litteras dedi tum ad populum, tum ad alios Ecclesiæ ministros; qui quidem de eadem etiam ipsi scripserant ad me, suamq. sententiam declarauerant. Quas quidem litteras cum tua sanctitas perlegerit, facile intelliget, me, cum iustitia ipsa illis contradicere videretur, diuina quadam impulsione ad eos rescripsisse: quorum consilio tuam interesse prudentiam, opus est; vt hoc, quidquid sit negotij, in Antiochena Ecclesia recta ratione transigatur. Deus te, frater carissime, conseruet.] hucusque Constantinus. At quod ad ipsum Eusebium pertinet: noluit prudens historicus, quomodocumque occasione captata, laudes suas præterijsse silentio, cum tamen Imperatorijs litteris earum contemptor voluerit callide apparere in repudiando Episcopatu Antiocheno: sed subdit his ipse alias eiusdem Constantini litteras ad Episcopos scriptas, qui conuenerant Antiochiæ, vt nouum deligerent Antistitem:

Victor Constantinus Max. Aug. Theodoto, Theodoro, Narcisso, Actio, Alpheo, & ceteris Episcopis, qui sunt Antiochiæ, S. A

CONSTANTINI EPISTOLA AD EPISC. ANTIOCHIAE AGENTES.

Litteras a vestra prudentia ad me scriptas perlegi, & prudens Eusebij collegæ vestri institutum ac sententiam in eisdem a vobis declaratam admodum approbaui; quæq. gerebantur omnia, partim ex vestris, partim ex Acacij & Strategij clarissimorum Comitum epistolis cognoui. Ac cum rationem mecum accurate iniuissem: ad populum Antiochenum, quid Deo acceptum, quidq. Ecclesiæ consentaneum foret, epistola scripsi, cuius exemplar his litteris subiungendum præcepi; vti vos intelligatis, quid tandem ipse iuris æquitatisq. causa adductus, ad populum Antiochenum scripserim. Ac cum litteræ vestræ hoc complectebantur, vt cum populi, tum vestro prudenti consilio & instituto Eusebius sanctissimus Cæsariensis Ecclesiæ Episcopus, Antiochenæ præsideret Ecclesiæ, eiusq. curam susciperet: oportebat & Eusebij litteras, qui decretum Ecclesiæ maxime obseruare videbatur, & meam simul sententiam vestræ prudentiæ ostendere. B

Et quoniam Euphronius presbyter ex vrbe Cæsarea Cappadociæ ortus, & Georgius Arethusiorum itidem presbyter (quem Alexander ad presbyterij ordinem Alexandriæ euexerat) viri propter fidei integritatem plane spectatissimi ad me forte fortuna venerant: idcirco rectum videbatur, non solum hos, qui sunt ad Episcopatum petendum designati, sed alios etiam, quos vos ipsi ad Episcopatus honorem capessendum dignos iudicaueritis, vestræ prudentiæ significare, vti decernatis ea quæ cum Apostolorum traditione penitus consentiant. Quibus hominibus vobis iam opportune & commode suppeditatis, vestra prudentia ex Ecclesiæ canone & traditione Apostolica ita vestram poterit electionem moderari, vti Ecclesiasticæ disciplinæ ratio præscribit. Deus vos, fratres cari, diu seruet incolumes.] Ista (subdit Eusebius) cum Imperator Ecclesiarum Præsidibus præcepisset; hortatus est, vt omnia ad laudem diuini Verbi illustrandam exequerentur.] hæc ipse, & quidem stomachatus ob Eustathij electionem silentio omnino eam condemnans: nam quid Antiochiæ post has datas litteras statutum sit, ne verbum quidem protulit: vt ex his intelligas, quàm obsit in historia conscribenda priuatus affectus. C

a Can. Apost. 14. CANON APOSTOLICVS DE TRANSLATIONE EPISCOPORVM.

Quòd autem in ijsdem litteris sæpe mentio habeatur de Apostolica traditione atque mandato, ne vnius Ecclesiæ Episcopus in alteram transferatur: egregie probatum habes canonem illum Apostolorum, quo sic dicitur [a]: Episcopo non licere alienam parochiam, propria relicta, peruadere; licet cogatur a plurimis: nisi forte quis cum rationabili causa compellatur, tamquam qui possit ibidem constitutis plus lucri conferre, & in causa religionis aliquid profectus prospicere; et hoc non a semetipso pertentet, sed multorum Episcoporum iudicio, & maxima supplicatione perficiat.] hæc canon. Cuius quidem sic habita ratio est, vt a Catholicis Episcopis electoribus, ob viri præstantiam, & Ecclesiæ illius ab Arianis appetitæ opportunitatem, Eustathius (vt dictum est) Berœensis sedis Episcopus ad Antiochenam Ecclesiam regendam transferretur; de quo Theodoretus [b]; Eustathius ille Magnus, qui Philogonio, cuius supra mentionem feci, ex hac vita ad meliorem translato, Episcopatum Ecclesiæ Antiochenæ obtinuit: quippe hunc Episcopi & sacerdotes & vniuersus populus Christo deditus, communibus suffragijs inuitum Ecclesiam illam pro Philogonio pascere coegerunt.] ita de ipso Theodoretus: sed & de eius excellentia Athanasius [c]: Fuit, inquit, Eustathius Episcopus Antiochiæ, vir confessione clarus, religione pius, quem magno studio pro veritate stantem, & Arianam hæresin odio prosequentem, auersantemque homines Arianæ opinionis ita apud Constantium ficta calumnia accusarunt, &c.] sed hæc postea. S. Hieronymus itidem, ad Euagrium scribens [d], in hunc modum de Eustathio: Primus, inquit, Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus contra Arium clarissima tuba bellicum cecinit.] Ceterum Philogonium, qui eum præcessit, eiusdem sedis Episcopum, id ipsum aduersus Arium egregie præstitisse, superius est demonstratum. Verum sic inter Arianæ impietatis expugnatores primæ sunt Eustathio deferendæ, quòd cum adhuc Berœensis esset Antistes, aduersus eam prima acie ante alios cum Philogonio verbi gladium exeruerit; ad quos pro pietate certantes sanctum Alexandrum Episcopum Alexandrinum litteras dedisse, Theodoretus affirmat [e]. sed de eo aliàs sæpe inferius. D E

b Theodoret. lib. 1. c. 7. EVSTATHII EXCELLENTIA.

c Athanas. epist. ad solitar.

d Hieron. epist. 126.

e Theodoret. lib. 1. c. 4. in fin.

AEGYPTII ET THEBANI ALTERCANTVR.

f Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 4.

Non tantum autem eiusmodi Antiochiæ dissensiones turbantes Ecclesiæ pacem in Oriente, sed & rixæ inter Aegyptios atque Thebanos (hi erant schismatis Meletiani) præcesserunt Nicænum Concilium sequenti anno celebratum, de quibus hæc Eusebius [f]: Quibus ex rebus ad exitum perductis licet non parum ceperit voluptatis; tamen inuidiæ flamma, quæ Ecclesiam Alexandrinam grauiter perturbabat, & pestiferum schisma, quod inter

Thebanos

A Thebanos & Aegyptios versabatur, ipsius animum non parum commouit: quippe in singulis ciuitatibus Episcopi cum Episcopis dissidere, & populus contra populum tumultus ciere, & impetu quodam repentino instar symplegadum, & mutuis pugnis se ipse concidere cœpit; vsque eo, vti animis insanis ac desperatis impia scelera aggredi, & Imperatoris imagines contumelia afficere non dubitarent. Verùm Imperatorem non tam ad iram, quàm ad immensam animi ægritudinem, qua furiosorum amentiam supra modum deplorauit, incitarunt.] hucusque verba Eusebij.

Addit ad hæc S. Ioannes Chrysostomus [a] pro concione disserens coram populo Antiocheno: Fertur beatus Constantinus, effigie sua quandoque lapidata, multis ipsum instigantibus ad supplicium de auctoribus contumeliæ sumendum, & dicentibus, quòd omnem ipsius faciem saxis conuulnerarint; manu faciem palpans, & leniter ridens, dixisse: Ego vero nusB quam vulnus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, sana vero & facies tota. Illi vero reueriti, & confusi, ab hoc iniquo destitere consilio. Et hoc verbum hactenus canunt omnes: nec tantum temporis labefecit, aut huius sapientiæ memoriam extinxit. Quot non fit hoc trophæis splendidius? Multas vrbes ille condidit, & multos barbaros superauit; sed meminimus illorum nihil: hoc autem verbum vsque in præsentem diem canitur, & posteri nostri & posteri illorum omnes id ipsum audient: nec hoc solum est admirandum, quòd audient, verum quòd laudibus & faustis verbis prosequentur, dicentesq. laudabunt, & audientes grate suscipient: nec vllus est, qui hæc audiens, silere possit, quin pariter exclamet, & talia dicentem laudet, & innumera ipsi vel defuncto bona precetur. quòd si propter illud verbum apud homines tanta potitus est gloria, quot apud benignum Deum coronas assequatur?] Hæc Ioannes Chrysostomus reuocat in memoriam ministris Theodosij Imperatoris, paratis vlciC sci scelus Antiochenorum, de statuis ipsius ab eis prostratis atque confractis. Sed hæc eo magis admiratione digna sunt in Constantino, quòd qui ante susceptum sactum baptismum animo ferox & ingenio truculentus, parcere nescius, de sanguine intime sibi coniunctis supplicium sumpsit, ac tempore summæ pacis (vt vidimus) tempora Neroniana reddidit: simulac sacramento baptismi initiatus est, mox tantam fuit gratiam impertitam sibi cælitus consequutus, vt tam atrox maiestatis crimen reliquerit impunitum, immo despexerit & risu fuerit insectatus. Agebantur hæc in Aegypto, cuius gens quàm prona ad rixam, quamq. furens in rixando, quàm obstinata pertinax in moriendo, quæ dicta sunt de eadem superius Tomo [b] secundo, amplissimam fidem faciunt.

Sed & Asiæ populos, hoc quoque tempore, magnopere inter se conflixisse occasione diuersitatis rituum in celebrandi sacri Paschatis die, Eusebius subdit [c]: Morbus porro (inD quit) alius longe grauissimus istas res antegressus est, qui longo tempore Ecclesiæ multum exhibuisset molestiæ: dissensionem dico de salutari Paschatis festo ortam. Etenim alij Iudæorum ritum sequendum asseruerunt; alij temporis quidem articulum in eo festo celebrando accurate obseruandum esse, affirmarunt, non tamen imitandam consuetudinem eorum, qui errore cæcati, alieni a gratia Euangelij esse viderentur. In hac igitur controuersia, cum prolixo iam temporis spatio populus vbique admodum dissensisset, diuinæq. leges & instituta confusione quadam essent permixta, ita vt temporis in vno eodemque festo obseruando varietas & discrepantia maximam discordiam Paschatis solemnitatem celebrantibus excitaret (quippe eodem tempore alij ieiunijs & corporis afflictione se exercebant, nonnulli se tradebant otio & remissioni animorum) quamquam nemo certe erat qui huic malo remedium inuenire potuerit, præsertim cum contentio dissidenE tium animos ex æquo exagitaret: Deo tamen, qui omnia potest, istis rebus mederi, erat perfacile. Ex hominibus autem, qui adhuc in terris ætatem degebant, solus restare videbatur Constantinus, qui recte factis sedulo operam daret; qui quidem simulatque rerum istarum commemoratarum fama ad ipsius aures permanauit, intellexitque litteras ad Alexandrinos a se missas nihil habuisse ponderis, nouum consilium animo cœpit agitare, inquiens: Alio prælio contra occultum illum & clandestinum hostem, Ecclesiæ statum perturbantem, deintegro decertandum.] hucusque Eusebius, qui eiusmodi Constantini consilium declarat fuisse cogendi vniuersalis Concilij, de quo anno sequenti agendum.

Addit ad hæc Sozomenus [d], ad huiusmodi de Paschate sedandas populorum controuersias missum antea fuisse Osium Episcopum Cordubensem, qui etiam (vt dictum est) legatus fuerat ad componendas dissensiones inter Arium & Alexandrum Episcopum Alexandrinum

[a] Chrysost. hom. 21. ad popul. Antiochen. tom. 5.

CONSTANTINI MANSVETVDINIS NOBILE EXEMPLVM.

[b] Tomo 2. Ann. ad an. 252.

[c] Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 5.

ASIANAE ALTERCATIONES OB PASCHA.

[d] Sozom. lib. 1. c. 15.

drinum obortas: vna tamen legatione, diuersa negotia, diuersis in locis obijsse Osium a Siluestro Papa Roma legatum, superius dictum est. Quinam autem essent populi, qui a Catholicæ Ecclesiæ communi vsu dissentirent, atque ob eam causam turbas cierent, S. Athanasius[a] tradit, nēpe fuisse Cilices, Syros, atque Sopotamos. Nec enim eiusmodi sæpe compressa tempore Victoris Romani Pontificis, ac sæpius pullulans, adeo leuis videbatur esse controuersia, vt breui temporis spatio per transitum ab Osio transigi potuisset, sed quæ multo tempore indigeret; cum nec (vt dictum est) vnam Asiæ prouinciam tantum, sed & Syriam, atque Mesopotamiam magna ex parte eiusmodi tabes confecisset, & ob id Magna Synodo opus haberet, de cuius indictione agemus anno sequenti. A

a Athanas. lib. de Synod.

Sed iam præsenti anno figamus terminum, qui multiplicitate & prolixitate rerum, atque elucidatione quamplurimarum obscuritatum, vlterius quàm par erat, progressus videtur: hoc enim res Romæ gestas a Constantino ante baptismum, baptismi tempore, ac postea, prosequuti sumus; cum, recedens idem Augustus ab Vrbe, de his quæ spectarent ad Oecumenicum conuocandum Concilium, vna cum S. Siluestro Romano Pontifice consilio communicato, & quæ agenda forent, firmiter stabilitis, profectus est in Orientem, ciuitatem suo nomine conditurus, cōsulturus pariter afflictatæ Orientali Ecclesiæ hæresibus, atque schismatibus laceratæ. Sed quonam monitore nouus Christianus recens baptizatus tanta molitur, atque rem aggreditur maximi omnium momenti, in quo totius Catholicæ fidei cardo verteretur, colligendo tanti ponderis Episcoporum Conuentu? quonam inquam potius auspice atque impulsore, quàm ipso S. Siluestro, a quo nuper fuerat (vt demonstratum est) baptizatus, tam salubre consilium inijsse, atque felicissime perfecisse, putandus? At quòd hæc omnia, qui veritatis amator est, & veri accuratus inspector, haud ingratus vel inuitus Siluestro feret accepta: agedum cuncta, vt se habuerunt, & ordine temporis quo gesta sunt, sequenti anno, Deo duce, narremus. B C

EPILOGVS RERVM GESTARVM ANNI HVIVS.

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
325.	12.	20.

TRecentesimus vigesimusquintus Christi Redemptoris nostri agebatur annus, Consulibus Paulino & Iuliano, cum sacrosancta Oecumenica Synodus Nicææ in Bithynia celebrata est. Antequàm autem narratione prosequi aggrediamur rerum gestarum historiam, more nostro, de tempore differemus; quo iacto veritatis solido fundamento, deinceps superædificanda moles stabili firmitate consistat. His igitur Consulibus, Paulino & Iuliano, celebratum esse Nicænum Concilium, Acta Synodi Chalcedonensis manifeste testantur: dum enim Nicænum fidei Symbolum ibidem recitatur, hæc ex eodem Concilio præmittuntur[b]: Consulatu Paulini & Iuliani virorum clarissimorum Coss. anno post Alexandrum sexcentesimo trigesimosexto, mensis secundum Græcos Desij, die nonodecimo, quod est tertiodecimo Kalendas Iuliarum, in Nicæa metropoli prouinciæ Bithyniæ. Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, &c.] D

TEMPVS CELEBRATI NICAENI CONCILII.

b Concil. Chalced. Act. 2.

Sed hac in re illud magnopere considerandum est: eiusmodi inscriptionem, qua tam exacte duplici chronographia, nempe Consulibus, & annis Alexandri, atque vna simul certo mense & die tempus describitur, nequaquam ipsi Nicænæ confessioni (vt illic se habet) fuisse præpositam, at ipsi Oecumenicæ Synodo: siquidem, vt fidei professio sub die & Consule ederetur, non Catholicorum, sed hæreticorum tantum fuisse consuetudinem, S. Athanasius harum omnium rerum, quibus præsens fuit, optime conscius, testatur his verbis[c], cum eiusmodi primum cogendæ Synodi causas affert: Nicæna (inquit) Synodus non temere habita est, vt quæ habeat grauissimos vsus & legitimam rationem: Syri etenim, Cilices, Mesopotamiani in causa festi claudicabant, atque vna cum Iudæis Pascha celebrabant: et iam tum Ariana hæresis, quæ contra Ecclesiam insurrexerat, suos propugnatores habebat, qui ipsam defenderent, & qui pijs insidias facerent, Eusebianos scilicet. Atque ea causa fuit, cur vniuersus Orbis in Concilium coiret; vt & eodem die vbique festum celebraretur; et hæresis, quæ suppullulauerat, anathemate percuteretur: quod & factum est: nam & Syri in aliorum sententiam traducti sunt; et Arianam hæresin decreuerunt pro Antichristi præcursatrice habendam esse; et scriptis contra eam editis E

c Athanas. de Synod.

FIDEI SYMBOLVM ABSQVE NOTA TEMPORIS CONSIGNARI SOLITVM.

placita

A placita sua promulgarunt. Sed tamen cum tot & tanti viri essent, nihil tale, quale isti, qui non nisi tres aut quatuor sunt, ausi fuerunt facere. siquidem nec Consulem, nec mensem, nec diem addiderunt, &c.]

Ex his igitur perspicue declaratur, recitatos diem & Consules non fuisse (vt in alijs accidit) ad Nicænam Confessionē inditos in inscriptione, vel additos ad appendicem, sed ipsius potius extitisse Concilij inscriptionem: sicut & in alijs quoque Oecumenicis Synodis primū omnium quo anno, mense & die fuerint celebratæ, solitū fuit inscribi. Certis quidem monumentis, quo tēpore eadem celebrata sit Synodus, declaratū oportuit, adeo vt nulla posteris de re perspicua potuerit dubitatio suboriri: siquidem edicta Imperatoris Constantini, quæ vel Synodum præcessere, vel eamdem sunt subsequuta, necesse fuit Consulibus cōsignari. Etenim iam antea ab ipso Constantino emanarat constitutio [a], qua cauerat, vt constitutiones & edicta post inde B deprehensa absque die & Cōsule, auctoritate carerent. Quamobrem intrepide Socrates [b] de Synodi tempore hæc loquutus est: Quod autem ad tempus Concilij attinet: coactum quidem fuit (sicut ex Annalium commentarijs constat) Paulino & Iuliano Consulibus, vndecimo Kalendas Iunij, anno sexcentesimo trigesimosexto post regnum Alexandri Regis Macedonum.] sic ipse. Sed quòd diuersa dies & mensis positus habeatur: cum in Chalcedonensi Concilio signetur XIII. Kalendarum Iuliarum, apud Socratem vero XI. Kal. Iuniarum: nisi error irrepsit vitio librariorum: affirmare necesse est, id ex diuersis Synodi Actionibus (cum singulæ suis diebus consignari consueuerint) accidisse; vel si carerent Synodi Actis, ex diuersis Constantini litteris tunc scriptis diuersos dies esse notatos.

PVBLICA ACTA ET EDICTA NOTARI CONSVLIBVS SOLITA.

[a] l. 1. de Cōstit. Princip. Cod. Theodos.

[b] Socrat. lib. 1. c. 9. in fin.

Cum autem hæc de Consulibus constent: corrigendum in primis est, quod in fine mendose habet Eusebij Chronicon, decimoquinto Imperij Constantini, & Domini trecentesimo vigesimoquarto; cum ex emendatioribus Fastis necesse sit sub ijsdem Consulibus numerare C Constantini annum vigesimum, Christi vero trecentesimum vigesimumquintum. Ipsis quidem Constantini Vincennalibus celebratum fuisse Nicænum Concilium, Eusebius non obscure testatur, cum ait [c]: Quibus ad exitum perductis (nempe Actis Nicæni Concilij) secundam istam victoriam Imperator se contra Ecclesiæ hostem consecutū affirmauit: et propterea Festum triumphale ad Dei honorem illustrandum egit. Eodem tempore vigesimus eius regni annus cōpletus est.] Itemque alibi [d] agens de Constantio creato Cæsare: Secundus, inquit, filius Constantini, aui nomine appellatus Constantius, vigesimo fere Imperij paterni anno, quando publicus solemnisque omnium hominum Conuentus agebatur, renunciatus est Cæsar.] ac rursum inferius [e]: Ille Nicænus, triumphi nomine, vigesimo Imperij anno cōstitutus in vrbe Nicæa, νίκην, id est præclaram de hostibus victoriam reportabat.]

CORRIGITVR EVSEBII CHRONICON.

[c] Euseb. vit. Constantin. lib. 3. c. 14.

[d] Idem lib. 4. c. 40.

[e] Ibid. c. 47.

D Sic igitur, cum liqueat quibus S. Synodus sit celebrata Consulibus, & quoto Imperij Constantini anno: corrigēdum pariter est Cassiodori Chronicon, in quo ponitur Nicænum Concilium sub Ianuarij & Iusti Consulatu, quo numeratur annus Constantini vigesimustertius, Christi vero trecentesimus vigesimusoctauus. Quo modo autem Cassiodorus in re tam perspicua fuerit hallucinatus, aperiam. Cum enim ex Eusebij tribus citatis locis acceperit, Concilium Nicænum esse habitum anno vigesimo Imperij Constantini: id non accidisse putanit sub Consulatu Paulini & Iuliani, sed post annos tres Ianuario & Iusto Cōsulibus: tot enim numerātur anni ab eo tēpore, quo ipse ponit Constantini exordium, nempe a Diocletiani Consulatu decimo, & Maximiani septimo, & deducit annorum numerum illum vsque ad dictum Ianuarij atque Iusti Consulatum. Porro Constantij patris obitum & ingressum Constantini in Imperium contigisse sub Consulatu Cōstantij & Maximini sexto, superius manifeste demonE stratum est, vt nullus videatur esse relictus dubitationi locus. quot ergo errauit in numerando annos ab exordio Imperij Constantini, totidem oportuit errasse in statuendo certo Nicæni Concilij anno, quod ipsius Vicennalibus celebratum fuisse constat.

CASSIODORVS CORRIGITVR.

Hæc non attendentes cōplures tam Latini [f], quàm Græci scriptores, in eam sententiā abierunt, Nicænum Concilium triennio perdurasse, cœptumque esse dictis Consulibus Paulino & Iuliano, ipsumque perductum vsque ad Consulatum Ianuarij atque Iusti. immo incertus auctor apud Metaphrastem [g] profitetur perdurasse Concilium sex etiam menses vltra trienniū, quod sibi vēdicat testimonio Alexandri, quē ait scripsisse Acta Synodi: sunt vero hæc eius verba: Cœpit enim quintodecimo Aprilis, finita autem Synodus est, cum trienniū rursus peruenisset ad Aprilē, & excurrisset vsque ad Septēbrem: sic enim sapiēs adnotauit Alexāder, qui scripsit Acta Synodi.] hæc ille: sed quisquis fuerit, mendaciorū cōcinnator extitit, quod inferius suis locis cōtinget demōstrari. Eiusdē quoque sententiæ assertor visus est esse [h] Nicephorus, at grauiora coagmentat mēdacia: nā dum cōsentit celebratā esse Synodum Paulino & Iuliano

[f] Couarruuias lib. 4. Var. lect. c. 15. & Ioseph. Scalig. de emēd. temp. lib. 5. c. de Indictionib.

[g] Apud Lipoman. tom. 6.

INCERTVS AVCTOR ET NICEPHORVS REDARGVITVR.

[h] Niceph. lib. 8. c. 26. in fin.

Coss. itemq. anno vigesimo Constantini, ex quo in Britannia creatus est Imperator: addit, A
decimotertio anno postquàm idem Imperator venit Byzantium,& vigesimatertia (fortasse legendum,decimatertia) indictione, vndecima mensis Maij cœptam esse, durasseq. annis tribus paulo amplius. ex quibus videas, haud aliqua temporis & rerum gestarum habita exacta ratione, quæ superaddit, leuiter effutijsse, cum nulla prorsus ex parte subsistant. Sed non tam miramur Nicephorum errore lapsum, quàm apud aliquos fidem inuenisse: cum tam euidēter ab Eusebio in primis, qui præsens fuit, mendacij arguatur; dum in locis superius recitatis testatur, ipsis Constantini Vicennalibus absolutam fuisse Synodum. Quæ igitur cœpta dicitur Paulino & Iuliano Consulibus, & absoluta anno Constantini vigesimo, vtique affirmandum est, vno eodemq. anno fuisse inchoatam ac pariter consummatam.

ALIA SENTENTIA DE SYNODI TEMPORE CONFVTATVR.

Ceterum sicut manifesto errare deprehenduntur, qui dicunt Synodum sub dictis Consulibus & anno vigesimo cœptam, sed ad triennium propagatam: ita etiam qui tradiderunt ante B triennium cœptam, absolutam vero nominatis Consulibus,& anno eodem Imperatoris: quorum sententia plane dicendum esset (quo nihil stultius effingi potest) tempore Nicæni Concilij Constantinum Imperatorem Romæ Crispum Cæsarem filium, fratres, & vxorem occidisse,& Neroniana tēpora reddidisse: hæc enim omnia hisce tribus superioribus annis gesta esse, quæ superius enarrata sunt & diligenti examinatione discussa,absque vlla ambiguitate confirmant. affirmareq.eumdem Imperatorem eodem tēpore Nicænæ interfuisse Synodo,ac Romæ itidem commoratum esse, & ea quæ dicta sunt ibidem peregisse; risu digna sunt hæc, atque sibilis explodenda. Quamobrem sicut quatuor quæ subsequuta sunt Concilia Occumenica, Sardicense, Constantinopolitanum, Ephesinum,& Chalcedonense,paucorum mensium spatio,eodem quo cœpta anno,fuerunt pariter absoluta;ita & Nicænum Concilium hoc ipso quo inchoatum anno, est ad exitum perductum: nec apud antiquiores reperitur exemplum, quòd C vltra annum Synodus perdurarit, licet Occumenica fuerit, & in eam Episcopi ab omni Orbis parte conuenerint.

TEMPVS NICAENI CONCILII TESTIMONIO ATTICI.

Extant in peruetusta Cresconiana Collectione post Marcellini Papæ Acta, in nostro autem codice pagina ducentesima vigesima, columna tertia, verba hæc scripta: Factum est Concilium apud Nicæam metropolim Bithyniæ a die XVIII. Kalendas Iulias: quod tenuit vsque ad diem VIII. Kal.Septembr. Paulino & Iuliano Consulibus,qui est apud Græcos XVIII. die mensis* eorum dies secundus, Alexandri anno sexcentesimo trigesimosexto. Et alia manu: Atticus Episcopus Ecclesiæ Constantinopolitanæ dixit: Edidi canones sanctorum Patrum, Olographa, manu mea subscriptos. Amen.] Sequitur in codice conficiendæ Formatæ ex eodem Nicæno Concilio forma præscripta. Porro cuique recte intuenti perspicue constare potest, hæc quæ recitata sunt, fuisse appendicem ad Nicænos canones ab eodem Attico ad D Africanos Episcopos, cum ab illis de ijs esset interpellatus, missos: ipsos autem Nicænos canones, qui præcedebant in volumine, fuisse ab Antiquario, siue ab ipso Collectore prætermissos,quòd descripti superius haberentur in Nicæno Concilio. Ex Synodo enim sexta Carthaginensi huiusmodi rogatio facta erat[a]: Vnde petimus venerationem tuam, sancte Papa Aureli, vt quia hoc authenticum Concilium Nicænum in vrbe dicitur esse Constantinopolitana, aliquos cum scriptis tuæ sanctitatis mittere digneris, &c.] Missa namque fuit legatio ad Atticum Episcopum Constantinopolitanum: qui rescribens ad Aurelium Antistitem Carthaginensem & collegas,canones per Marcellum Legatum misit: extat ipsius epistola, nosque eam inferius suo loco ponemus.

* Δεσίου

a Concil. Carthag. 6. c. 4.

QVOTA AERA NICAENA SYNODVS HABITA.

Inscriptio autem illa, quæ præfixa legitur sacris Nicænis regulis, qua per æram tempus Synodi definitur; licet ea ex parte vera consistat, cum celebrata ponatur, æra trecentesima E sexagesimatertia; tamen cum Synodum habitam dicat, viuente adhuc Licinio iuniore;haudquaquam probari potest: sed & in annis ab Alexandri regno numeratis deprauata esse dignoscitur: sic enim se habet: Itaque cum conuenisset hoc sanctum & Magnum Concilium apud Nicæam Bithyniæ ciuitatem, Constantino Augusto & Licinio Cæsare, Consulatu Paulini & Iuliani, decimotertio Kalendarum Iuliarum, qui est apud Græcos decimusnonus dies mensis eorum Δεσίου, secundum Alexandriam trigintaunum* æra trecentesima sexagesimatertia, statuta sunt ab Episcopis, quæ infra scripta sunt, & ex Græco in Latinum versa sermonem. Et placuit vt hæc omnia mitterentur ad Episcopum Vrbis Romæ Siluestrum.] ita ibi. Fortasse Osius, quòd Hispanus esset, Cordubensis Episcopus, apposuit æræ numerum, quæ est peculiaris numerandi ratio Hispanorum.

Sed quod ad tempus itidem spectare videtur: quidnam est, cum tam perspicue constet, eamdem S. Synodum celebratam esse sub Siluestro Romano Pontifice, id quidem manifeste

profiten-

A profitentibus Legatis suis ipsorum subscriptionibus: quidnam est, inquam, quòd Sozomenus sub Iulio Papa celebratam affirmat? nam ait [a]: Iulius autem Episcopus Romanus, ætate quidem ingrauescente præpeditus, abfuit; sed Vitus & Vincentius eiusdem Ecclesiæ presbyteri pro illo adfuere.] hæc ipse. Sequutus est Nicephorus [b] quoque Sozomenum tam turpiter errantem. sed quanam occasione ille prior tam clara luce lapsus impegit? Equidem arbitror, Iulij Papæ sententiam ab eo minus exacte percognitam errandi offendiculum ipsi fuisse. Recitat S. Athanasius eiusdem Iulij Papæ epistolam, in qua scripta ista leguntur [c]: Nostri presbyteri, qui tunc in Nicæno Concilio aderāt, de ipsius recta fide contestabantur.] Hæc, puto, verba legens, Sozomenus firmiter asseuerare non est veritus, sub Iulio Nicænum Concilium celebratū, & Legatos illos ab eodē Iulio missos esse. Sed sic ipsum dixisse, nostros presbyteros, constat, quòd Romanæ Ecclesiæ ministri essent, sed ab ipso Siluestro Romano Pontifice missi:

ERROR SOZOMENI DE IVLIO PP.

a Sozom. lib. 1. c. 16.

b Niceph. lib. 8. c. 14.

c Athan. Apolog. 2.

B nec alius potest esse verborum illorum sensus. Potuit etiam ex mendoso, ne dicam mendaci, Eusebij Chronico idem Sozomenus decipi, dum dicto Cōstantini anno ponitur ingressus Siluestri Romani Pontificis, cui duo tantum anni tribuuntur: cum liqueat, longe post ipsum sedere cœpisse, & adhuc anno eiusdem Imperatoris nono sub Consulatu Volusiani Melchiadem fuisse superstitem, vt ex ijs quæ tum ex Optato, tum etiam Augustino dicta sunt, constat; atque insuper annos propemodū nouem post Nicænum Cōcilium Siluestrū superuixisse; quod inferius, anno eiusdem obitus, apparebit. Sed enormior Photij [d] error est, qui eamdem Nicænam Synodum sub Siluestro & Iulio Ecclesiæ Romanæ Pontificibus tradidit celebratam. At quare non sub Marco etiam, qui medius intercessit inter Siluestrum & Iulium? Quòd si cœptam vult esse sub Siluestro, absolutam vero sub Iulio; certe quidem ad annorum duodecim spatium perdurasse eam oportuit: quo insulsius nihil posset excogitari. Vide obsecro in

PHOTII DELIRIVM.

d Phot. lib. de septem Concil.

C quot deformes ferantur errores, qui semel rectam regulam temporis transgrediuntur. Sed hæc de tempore coactæ Synodi satis.

Causa autem cogendi huius ex vniuerso Christiano Orbe Episcoporum Concilij, tum ex ijs quæ in fine anni superioris dicta sunt, tum etiam ex ijs quæ huius anni exordio ex Athanasio recitauimus, manifesta redditur; nimirum vt Orientali Ecclesiæ duabus præcipue infestatæ cladibus ex Arianorum hæresi, quæ nimium inualescebat, & Quartodecimanorum secta, quæ compressa sæpius iterū reuiuiscebat, ijdem Episcopi opem ferrent. Erāt & aliæ turbæ Alexandrinam Ecclesiam exagitantes, schisma nēpe Meletianum, & Colluthiana factio; qui postea Arianis dātes manus, perinde ac riui in flumen semel immissi, desierūt antiquo nomine percenseri, & noua sunt Arianorū appellatione nuncupati. Cum igitur, vt dictum est, interpellato Arianorum potissimū causa Siluestro Papa ab Alexandro Episcopo Alexandrino, ab eo-

CAVSA COGENDI NICAENI CONCILII.

D dem Osius Cordubensis Legatus missus esset in Aegyptum, ac postea in Orientem eodē munere functus, vt qui discesserant populi ab Ecclesia ob causam Paschatis, reuocaret: vtroque labore ob repugnantium pertinaciam casso reddito, opus esse ad tot tātaque Ecclesiastica dissidia componenda, vniuersali Synodo, eidem Romano Pontifici visum est; quod & ab eodem Imperatori Constantino tum Romæ agenti fuit facile persuasum. Alexandrum quoque, quem diximus, Episcopum Alexādrinum, de hac ipsa re litteris apud eumdem Imperatorem egisse, Epiphanius [e] tradit. Hinc est quòd Ruffinus [f] ait, ex sacerdotum sententia Constantinum Nicænum conuocasse Concilium; sed & redeuntem ex legatione Osium ipsum id præstitisse, Sozomenus [g] demonstrare videtur his verbis: Verum vbi contra quàm expectabat, res succederet, & contentio reconciliationem concordiæ impediret; Osiusque ad pacem faciendam missus, re infecta, reuerteretur: Constantinus indicit Concilium Nicææ vrbis Bi-

QVORVM PERSVASIONE CONCIL. FVERIT CONVOCATVM.

e Epiphan. hæres. 68.

f Ruffin. lib. 1. c. 1. in fin.

g Sozom. lib. 1. c. 16.

E thyniæ, scribitque ad omnes Ecclesiarum Præsides, vt ad diem præstitutum adsint.] hæc Sozomenus, qui sic dicit a Constantino indictum esse Concilium, quòd litteris Imperatoris Episcopi conuocati fuissent. Ceterum quòd religio esset, absque Romani Pontificis auctoritate Vniuersale Concilium congregare; quòd (vt ait Socrates [h]) id Ecclesiasticus canon omnino prohiberet; quo, inquit, vetitum erat, ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesijs sanciantur:] ac subinde eo inconsulto nequidquam tractare liceret: interpositam esse Siluestri auctoritatem, nemo iure poterit dubitare; idque cogente antiqua Ecclesiæ traditione: quòd enim non alicuius specialis Concilij, sed absolute citetur a Socrate canon Ecclesiasticus, plane declarat id firma regula in Ecclesia Catholica inuiolabiliter seruari solitum. præcessisse igitur ante omnia Siluestri Papæ auctoritatem, plane dignum atque æquum est existimare, immo & affirmare necessarium: actum namque de his anno præterito inter Siluestrum & Constantinum, cum idem Imperator Romæ esset, superius dictum est.

h Socrat. lib. 2. c. 13.

Quale autem studium, quantamve diligentiam Constantinus Imperator ad tam egregium opus

a Euseb. Vit. Constant. lib. 3. c. 6. 7. 8. 9. opus præstandum adhibuerit, Eusebius a declarat his verbis: Deinceps igitur Concilium generale, tamquam quemdam Dei exercitum instruens, in vnum locum cogit; et Episcopos vndique per litteras honorifice scriptas, vt eo maturarent, acciuit. Neque mandatum dumtaxat erat ad hanc rem datum, sed in ea peragenda multum attulit subsidij auctoritas Imperatoris ac nutus, qui nonnullis fecit potestatem equis publice ad iter celeriter conficiendum dispositis vtendi: alijs permagnum iumentorum instratorum, quibus veherentur, numerum suppeditauit. Ciuitas autem Bithyniæ, quæ Nicæa ἀπὸ τῆς νίκης, id est a victoria nomen traxit, Concilio celebrando admodum idonea, designata fuit. Vbi autem edictum in quaque prouincia diuulgatum erat: omnes simul cum animorum alacritate, tamquam e carceribus ad cursum emissi, propere aduolarunt. Nam bonorum spes ipsorum mentibus iniecta, vel potius pacis fruendæ potestas, & noui ac peregrini cuiusdam miraculi spectaculum, quod in tali Imperatoris vultu ostendebatur, eos allexit plurimum. Postquàm autem omnes in vnum conuenerunt: opus illud diuina prouidentia factitatū, pro certo iam intellectū fuit. Nam non solum qui animorū dissensione erant, sed etiā qui corporibus, regionibus, locis, gentibus longissime disiuncti, vnum in locum aggregati sunt; atque vna ciuitas eos omnes, tamquam maximam sacerdotum coronam ex multiplici nitidorum flosculorum varietate cōtextam excepit. Ex omnibus namque Ecclesijs, quæ frequentes in tota Europa, Africa, & Asia extiterunt, Dei ministri, qui facile primas ferre putabantur, in vnum conuocati. A B

CONSTANTINI STVDIVM IN CONVOCANDO NICAENO CONCIL.

EX QVIBVS PROVINCIIS EPISCOPI CONVENERE. Templum etiam Nicææ, velut Dei nutu, amplificatum, intra parietes suos Syros pariter & Cilices, Phœnices, Arabes & Palæstinos, Aegyptios porro, Thebanos, Afros, aliosque ex Mesopotamia profectos recepit. Aderat etiam vna in Concilio Persidis Episcopus, nec ab hoc choro Scytha abfuit. Pontus item, Galatia, Pamphilia, Cappadocia, Asia, & Phrygia, viros apud se lectissimos suppeditarunt. Quin etiam Thraces, Macedones, Achæi, Epirotæ, & quorum domicilia multo longiore interuallo distabant, eo aduentarunt. Ex ipsis Hispanijs vnus nominis & famæ celebritate insignis, cum alijs multis in consessu illo adfuit. Et quamquam vrbis illius, penes quam Imperium est, Episcopus, ingrauescente ætate præpeditus, abfuit; eius tamen presbyteri, qui aderant, illius locum suppleuerunt. Talem coronam solum ex omni præteritæ ætatis memoria vnus Imperator Constantinus pacis vinculo ad Christi gloriam deuinxit; et quo Saluatori suo gratias ageret, eximium istud victoriæ ab hostibus & inimicis partæ monumentum obtulit, effigie chori Apostolici pulchre in hoc nostro Conuentu expressa. Nam dicitur in sacris litteris b, illorum temporibus viros pios ex omni natione, quæ sub cælo est, in vnum conuenisse, inter quos erant Parthi, Medi, Elamitæ, & qui incolunt Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Aegyptum, & partes Libyæ quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi, & Proselytæ, Cretes, & Arabes. Verum hoc illis defuit, quòd non omnes, qui eo conuenerunt, ex Dei ministrorum numero erant illi quidem: sed in hoc præsenti choro fuit Episcoporum multitudo ad numerum ducentorum quinquaginta & amplius: presbyterorum autem, diaconorum, acoluthorū, & aliorum qui istos comitabantur turba ne enumerari quidem potest. Atque ex his Dei ministris alij prudenter & diserte dicendo, alij vitæ grauitate & constanti rerum arduarum perpessione, nonnulli quasi media inter istos interiecta viuendi consuetudine eximij, præclara laudis insignia adepti sunt. Erant inter hos etiam non pauci, qui propter longinquum temporis spatium, quo vixerant, multum honorati fuerunt; multi qui in ipso ætatis flore propter ingeniorum acumen magnum splendorem sunt consequuti; quidam modo in ministerij quasi cursum ingressi. Quibus quidem omnibus cibaria in singulos dies Imperator large & liberaliter suppeditari mandauit.] hucusque Eusebius. C D

b Act. 2.

c Apud Metaph. die 10. Iuly. CONSTANTINVS VENIENTIBVS OCCVRRIT EPISCOPIS. Addit Gregorius presbyter Cæsariensis c: Cum sancti Patres, non secus ac quædam apes operariæ ex floridis pratis, vnusquisque ex proprijs Ecclesijs surgentes, perueniunt Nicæam, locum qui componit aluearia Orthodoxæ opinionis: diuinus Constantinus cum audisset sacram & Angelis reuerendam sanctorum Patrum venisse præsentiam; statim ex vestibulo conuenientibus eos prosequitur honoribus.] Quinam vero esse solerent eiusmodi, quos Gregorius dicit, conuenientes honores, quibus Constantinus ad se accedentes suscepit Episcopos, declarat ex Eustorgio Suidas, cum agit de Leontio Tripolis Lydiæ Episcopo ab Eusebia Augusta fastuosa muliere accersito: ad quam hæc ille respondit d: Si me vero ad te venire volueris, debita Episcopis reuerentia conseruata, ego quidem ingrediar: tu autem statim de sublimi isto solio descendens reuerenter mihi obuiam procedas, & caput meis manibus supponas, benedictionem acceptura: ac deinde ego sedeam: tu verecunde astes, cum iussero, dato signo, sessura. Si hæ, inquam, tibi conditiones placuerint, veniam ad te: sin alio modo, E

d Suid. in Leontio.

non

A non tam multa dabis, tam magna non poteris, vt nos honore Episcopis conueniente neglecto, diuinum sacerdotij institutum violemus.] hæc Leontius, quem ob exactam rerum & Ecclesiasticorum rituum obseruationem nonnulli Ecclesiæ Regulam nominabant. Quòd si hæc tamquam debita sacerdotio sibi vendicat Episcopus, licet a Catholicæ cõmunionis consortio exclusus: quanto æquius exhibenda Orthodoxo erunt Episcopo? At ne quis putet, Dei sacerdotes eiusmodi honores indebite sibi vsurpare: hic obiter de diuino hac in re iudicio meminisse sit satis, cum Valentiniano dedignanti assurgere S. Martino Episcopo, e sella egressus est ignis, qui eum non assurgere modo compulit, & viro occurrere, atque manibus eius caput submittere, sed & ad genua accidere, coegitque prosterni vestigijs. de quo Venantius Fortunatus hisce carminibus [a] præclare admodum:

HONORES EPISCOPIS DEBITI ET MIRACVLO CONFIRMATI.

a Venãt. Fortun. de Vit. S. Martin. lib. 3.

B *Hinc celer exilijt rapiens se Cæsar, & ardens*
Martini genua amplectens, pedibusque volutans:
Sicque superbum hominem se agnoscere pœna coegit,
Vilia regna probans, & celsa cacumina curuans,
Imperiale caput Sancti ad vestigia subdens.] at de his alias. ad Patres nunc veluti postliminio reuertamur.

Quod ergo Eusebius recensens Episcopos, qui ad Concilium conuenerunt, dicit ad numerum ducentorum quinquaginta & amplius peruenisse; attentius est exquirendum: videtur enim in numeri notam irrepsisse mendum: nam Socrates [b] Eusebij verba recitans, ait ad trecentorum numerum & amplius eo conuenisse. Itemque deprauatum putamus locum epistolæ Eustathij Antiocheni Episcopi, qui Synodo interfuit, quam recitat Theodoretus [c]; vbi scri- C bitur numerus ducentorum septuaginta Episcoporum Nicæni Conuentus. Sed præstat his omnibus Athanasij sententia, quæ purior relicta, ac proinde verior, duobus in locis eadem reperitur, cum in epistola ad Iouinianum Imperatorem, tum in disputatione aduersus Arium scripta, in quibus trecenti decem & octo Episcopi Synodo interfuisse dicuntur. Profitetur id ipsum bis Epiphanius [d], Hilarius [e] itidem, Ruffinus [f], & Theodosius [g]; sed & [h] Sozomenus idem significasse visus est, cum ait eidem Concilio præsto fuisse Episcopos circiter trecentos atque viginti: Marius Victorinus [k], qui eodem ferme vixit tempore, trecentos quindecim numerat. Porro ea sententia ceteris præualuisse visa est, qua dicitur, trecentos decem & octo eidem Magno Concilio interfuisse Episcopos: quam quidem vsus probasse videtur: nam quotiescumque contingit citari Nicænum Concilium, & de Episcoporum numero mentionem haberi, totidem recensentur trecenti decem & octo Patres; adeo vt stultum plane sit, ne dicam D temerarium, id iterum in cõtrouersiam reuocare. Nec quicquam de hac re ambiguum reddat longe minor his Episcoporum numerus, qui modo reperiuntur esse subscripti: siquidem ex immenso atque irreparabili Nicænorum Actorum naufragio, eos ibi conscriptos haberi, pro miraculo pene censeri posse existimarim. Deesse enim in ea scriptione quamplurimos, ex eo quoque quis conijcere poterit, quòd cum nonnullarum prouinciarum longe positarum, vt Palæstinæ, Phœnices, Cœlesyriæ, Aegypti, & aliarũ Episcopi plurimi subscripti reperiantur, aliarum tamen minori spatio distantium perpauci tantummodo recensentur.

NVMERVS EPISCOPORVM NIC. CONCIL.

b Socrat. lib. 1. c. 5.

c Theodoret. lib. 1. c. 8.

d Epiph. hæres. 69. & in Ancorato.

e Hilar. lib. cõtr. Constant.

f Ruffin. lib. 1. c. 1.

g Theodor. lib. 1. c. 7.

h Sozom. lib. 1. c. 16.

i Mari. Victorin. aduers. Arium lib. 2. prope finẽ.

Priusquàm autem res in Nicæno Concilio gestas oratione prosequamur: consiste obsecro, ac conquiesce mecum hic paulisper, amice lector, donec nobilissimi Sanctorũ cœtus, florentissimæ Patrum coronæ, & celeberrimi Conuentus sanctissimorum Antistitum, qui ceteris fama præstantiores atque eminentiores elucere videntur, attentius vnà spectemus, quos aliqua E antiquitatis memoria in tanta rerum obscuritate illustriores reddit. Qui primus omnium se oculis offert duplici legatione conspicuus, est Osius Episcopus Cordubensis, Hispaniarum Episcoporum vicem, atque (vt dictum est) Siluestri Romani Pontificis personam gerens, & collegarum Legatorum primarius. Accidit enim ei, perinde ac postea Cyrillo Alexandrino Episcopo, qui quòd ipsi delegasset vices suas Cælestinus Romanus Antistes, in Concilio Ephesino locum primum inter alios deinde missos Legatos tenuit. At quænã ratio, vt Osius primo loco ante collegas Legatos, & secundæ sedis & tertiæ, Alexãdrinæ & Antiochenæ Episcopos, & ante totius Africanæ Ecclesiæ Primatem Cæcilianum (vt de aliis taceam) ipse subscripserit: nisi locum teneret & personam repræsentaret amplissimæ omnium potestatis? Præter autem Episcoporum subscriptionem, quam citauimus, de legatione Osij a Romano Pontifice expresse testari videtur ipsorum Legatorum epistola ad Siluestrum; quæ licet in multis mendosa ac deprauata penitus habeatur, hæc tamen pura verba in ea relicta extant ipsius exordio: Beatissimo Papæ Vrbis Romæ omni reuerentia colendo Siluestro Osius Episcopus

VIRI ILLVSTRES QVI INTERFVERVNT NIC. CONC.

OSIVS LEGATVS SILVESTRI.

prouinciæ

prouinciæ Hispaniæ, ciuitatis Cordubensis, Victor & Vincentius presbyteri Vrbis Romæ ordinati ex directione tua, &c.] A

Sic pariter videas in Concilio Oecumenico Sardicensi, primo loco Osium subscripsisse, ac post eum deinceps Archidamum & Philoxenum Legatos Romanos presbyteros, vt ex Actis eiusdem Concilij ab Athanasio [a] recitatis apparet: confirmat hoc ipsum de Osij legatione, quòd S. Leo & alij Romani Pontifices tres fere Legatos ad Oecumenica Concilia ex antiquo vsu mittere consueuerunt, & ex eis vnum saltem Episcopum. Nihil hac de re dubitarunt Græci scriptores, qui de Synodo Magna Nicæna tractarnnt, vt Dalmatius Cyzici Episcopus, qui Osium inter Legatos Apostolicos numerat. Sed & Photius [b] id ipsum visus est affirmasse, cum Victori seu Vito atque Vincentio Legatis Apostolicæ sedis adiungit ipsum Episcopum Cordubensem. Delectus hic fuit inter omnes Occidentalis Ecclesiæ Episcopos, quorum præclara eruditio erat, spectataque vitæ sanctimonia, ob singularem quamdam tum doctrinæ, tum virtutum præstantiam, & admirabilem in rebus agendis dexteritatem atque prudentiam: quem & tempore Maximiani Imperatoris confessionis gloria effulsisse, satis superius dictum est: quamobrem Athanasius eum, Magnnm Osium, nominare consueuit: sed de eo plura inferius. Porro ex Romanis presbyteris delectos fuisse ad id muneris obeundum præstantiores, quis dubitet? B

a Athanas. Apolog. 2.

b Photius de septem Synodis.

ALEXANDRI EPISC. ALEX. SPECTATA VIRTVS. ET EVSTATHII.

Qui vero primus omnium aduersus grassantem Arij impietatem sublime vexillum erexit, & Synodo interfuit, Alexander Episcopus Alexandrinus extitit, Catholicæ Ecclesiæ præclarissimum decus & ornamentum; qui innumeris ferme Sanctorum elogiis prædicatur, ac denique anniuersaria memoria in S. Ecclesia celebratur [c]. Sed & qui præ meritorum excellentia ex Berœensi ad Antiochenam Ecclesiam (vt diximus) translatus est, Eustathius eidem Magnæ Synodo præsto fuit, qui ex tot tantisque sanctissimis Episcopis delectus est, vt in eodem sacro Cõcilio publicas Deo gratias ageret: hunc Athanasius, ad solitariam vitam agentes scribens, confessione clarum fuisse tradit. Verum ad anteactæ vitæ gloriam incomparabilem, futuris certaminibus, cnm pro pietate exilium subijt, & exul occubuit, mirificam superaddidit claritudinem; cuius memoria pariter in Ecclesia Catholica die anniuersaria reuiuiscit [d]. Macarius item Ecclesiæ Hierosolymitanæ venerandus Antistes interfuit, cui satis ad laudem, quòd hostes ipsi Catholicæ fidei, Ariani, illum sibi præcipue aduersatum esse, suis ipsorum litteris testati sunt [e]; ob idque idem Athanasius [f] adnumerat eum inter præclarissimos fidei defensores; ceu plane dignum, qui sacris tabulis cum sanctis viris adscriberetur, & nomen eius annuatim in Ecclesia audiretur [g]. Porro horum omnium res gestas suis locis opportunius dicturi sumus. C

c Martyrolog. Rom. die 26. Febr.

d Martyrolog. Rom. die 16. Iuly.

e Apud Epiph. hæres 69.

f Athan. orat. 1. contra Arian.

g Martyrolog. Roman. die 10. Martij.

Duxit secum Alexander Episcopus Alexandrinus eximios quosdam, & qui præ ceteris in Aegypto videbantur effulgere pietate, sacros Antistites, quos sacra stigmata decorabãt, atque adeo vt quisque eorum ad cõfutandã Arianam impietatẽ posset Apostolicnm illud ore libero intonare [h]: De cetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.] Quot enim erant eorũ cicatrices obductæ, tot esse ora videbantur aperta, quæ Christi Filij Dei diuinitatem, pro qua testanda, vulnera illa, magna constantia acceperant, iugiter glorioso præconio proclamarent. Quorum duo tantum nobis noti sunt nomine, Potamon, atque Paphnutius, ille Heracleæ in Aegypto, hic vero Thebaidis superioris (vt Socrates tradit [i]) Episcopus: reperitur ille subscriptus Nicæno Concilio vna cum alijs Aegypti Episcopis, hic autem secus: vt plane vel hoc saltem exemplo intelligas, multos in serie illa Episcoporum desiderari; cum hic, cuius celebris est mentio apud omnes, & testificatio non obscura interfuisse ipsum Nicæno Concilio, inter illos tamen minime numeretur. D

h Galat. 6.

POTAMON ET PAPHNVTIVS EPISCOPI.

i Socrat. lib. 1. c. 5. 8.

Quod autem ad Potamonem spectat: iam diximus, hũc in persecutione Maximini ob egregiam Christi nominis confessionem, altero oculorum, effosso illo, priuatum; quo tempore Eusebius Cæsariensis concaptiuus hoc ipsum sibi metuens, Præsidi parens, euasit [k]. Spreuit iste Meletium simul, ac malam causam eum fouere cognouit, & Alexandro inhærens, inter primos aduersus Arianam hæresim decertauit; cuius causa (vt S. Athanasius [l] auctor est, nosque suo loco dicemus) sub Philagrio sæuissimo Præside Ariano, infracto animi robore, martyrium consummauit: quo summæ gloriæ titulo descriptus habetur in Ecclesiasticis monumentis [m]. E

k Epiph. hæres 68.

l Athanas. epist. ad solitar.

m Martyrolog. Rom. die 18. May.

Paphnutius & ipse orbatus oculo, ac poplite insuper excisus, eadem vrgente persecutione, sic clarius videns, & recto pede incedens in Euangelium, in acie aduersus Arium inter primos comparuit, qui antea in eremo sub Magno illo Antonio militauerat. Athanasins in rebus gestis eiusdem Antonij, hunc non oculo, sed oculis, fidei causa, sub Maximiano orbatum tradit,

hisque

A hisque stigmatibus insignitum vixisse monachum apud Antonium: sed puto errorem interpretis, cum omnes de vno tantum effosso oculo affirment. hunc pariter vnà cum Potamone iunctis manibus aduersus Arianos strenue decertasse, indicat epistola quadragintaseptem Aegyptiorum Episcoporum scripta ad Conciliabulum Tyri habitum, cui inter alios sanctos Episcopos mox post Potamonem Paphnutius subscriptus habetur [a]. Affirmat Ruffinus [b], hunc claruisse miraculis: de eo enim sic scribit: Fuit præterea in illo Concilio & Paphnutius homo Dei, Episcopus ex Aegypti partibus, confessor ex illis, quos Maximinus dexteris oculis effossis, & sinistro poplite succiso, ad metalla damnauerat. Sed in hoc tāta virtutum inerat gratia, vt signa per eum non minus quàm dudum per Apostolos fierent. Nam & dæmones verbo tantum fugabat, & ægros sola oratione curabat; sed & cæcis dicitur visum reddidisse, & paralyticos ad stabilitatem corporis reuocasse. Quem Constantinus in tanta veneratione & affe-
B ctu habuit, vt sæpius eum intra Palatium euocatum complecteretur, & oculum illum qui in confessione fidei euulsus fuerat auidioribus osculis demulceret.] hæc Ruffinus. Porro natalis eius dies anniuersaria memoria celebris est in Ecclesia [c].

a Apud Athan. Apolog. 2.
b Ruffin. lib. 1. c. 4.
c Martyrol. Rom. die 11. Septemb.

DVO PAPHNVTII.

At ne quis Paphnutij pulchro nomine decipiatur: scire debet, hoc eodem tempore alterum vixisse Paphnutium, eumdemq. apud suos clarum confessionis gloria, professione monachum, ex Meletij schismate fauentem Arianis: cuius epistolam cum recitat Athanasius, a quorum partibus steterit manifeste declarat [d]. Meminit eiusdem Epiphanius [e], & ipsum non confessorem tantum, sed & filium feminæ, quæ confessionem fecerat, tradit, missumque Legatum cum alijs a Meletianis ad Constantinum, quando illi cum Eusebio Nicomediensi amicitiam inierunt, & Ariana hæresi infecti sunt, de quorum legatione suo loco dicetur. Ab aduersarijs autem Epiphanium de Meletianis mutuatum esse historiam illam diximus.

d Athanas. Apolog. 2.
e Epiph. hæres. 68.

PAVLVS EPISC. NEOCAESAREAE EVPHRATESIAE.

C Inter alios porro Catholicæ fidei coryphæos, enituit in sacro illo Patrum consessu Paulus Neocæsareæ Euphratesiæ Episcopus, qui & ipse persecutionis tēpore multa atque grauia perpessus, de impietate prostrata victoriæ trophæa secum gerebat, de quo hæc [f] Theodoretus: Paulum præterea Episcopum Neocæsareæ (est hoc quidem castellum ad Euphratis litora situm) Licinij rabies tunc acerbe torserat: nam primum ambæ manus ei colligatæ erant: deinde ferrum candens illis admotum, quo nerui, quibus articuli commoueri solent, contracti labefactatique fuerunt.] De eodem quoque Gregorius presbyter [g]: Neocæsareæ Euphratesiæ sanctus Paulus genitalia membra igne amisit, Licinij insaniæ effectus ludibrium.] Causam autem, cur sic eum Licinius mulctarit, superius attulimus.

f Theodoret. lib. 1. c. 7.
g Apud Lipoman. tom. 6.

IACOBVS EPISCOP. NISIBI.

Sed & omnibus spectatissimus in eodem Conuentu præclarus eluxit Iacobus Nisibi in Mesopotamia Episcopus: subscriptus enim & ipse habetur inter Syriæ Episcopos; de quo Theo-
D doretus [h]: Iacobus Episcopus Antiochiæ vrbis Mygdoniæ (hanc autem Syri & Assyrij Nisibin appellant) vixit id temporis, qui & mortuos excitauit inque numerum viuorum restituit, & infinita alia edidit miracula, quæ in hoc rursum opere inserere, superuacaneum arbitror, præsertim cum ea sint a me in historia, quæ Philoteus inscribitur commemorata.] Quantum hic ipse præterea fuerit diuinis litteris imbutus, Gennadius [i] recensens ab eo scriptos commentarios, ostendit, qui & de aduentu eius ad Nicænum Concilium meminit, sicut & alij plures: iste autem secundo loco subscriptus reperitur inter prouinciæ Mesopotamiæ Episcopos. Viget in Ecclesia, eiusdem memoria annua celebritate solemnis [k], titulo confessoris insigniti ob certamen fidei exantlatum tempore Maximini. Sed de eo inferius sæpe.

h Theodoret. lib. 1. c. 7.
i Gennad. de vir. illust.
k Martyrolog. Rom. 15. Iuly.

AROSTANES EPISCOPVS IN ARMENIA.

Ex superiore Armenia aduenit Magnus ille Arostanes Episcopus: successit hic insigni atque celebris famæ viro Gregorio Armeno, qui maioris Armeniæ Regem, vt dictum est, ad
E Christi fidem conuertit, qui pari studio cum Constantino ad propagandam Christianam religionem & idololatriam destruendam incubuit. Ambo hi noui Principes Christiani litteris se mutuo solabantur. In Actis enim eiusdem Gregorij hæc leguntur [l]: Erant autem hi, Constantinus, inquam, & Tiridates, tamquam lucidæ stellæ, alter quidem Occidentem, Constantinus scilicet (respectu enim maioris Armeniæ Occidentem versus situm est Romanum Imperium) alter vero Orientem, lustrantes, honesteque & suauiter resplendentes. Euaserat Tiridates pietate feruentissimus, & nulli ieiunijs & oratione ne monachis quidem cedens, qui in his se exercēt monasterijs. In hac ergo sacra Synodo & alter alterum iuuerunt Reges, & tum alio honore se inuicem affecerunt, tum etiam per litteras collætati sunt sententiæ communione & vera pietate. Porro autē accessit etiam Armeniæ Episcopus Arostanes, cum Imperator Constantinus eum accersisset, qui ipse quoque fuit pars sacri cœtus.] hæc ibi. Reperitur & ipse subscriptus, sed deprauata voce Aristeus, seu Acrites, vel Aristarces dictus. At manifesti erroris arguitur Nicephorus [m], cum ait interfuisse Nicænæ Synodo huius prædecessorem

l Apud Metaph. die 29. Septemb. & Lipom. tom. 6.
m Niceph. lib. 8. c. 14.

Gregorium

Gregorium, quem longe antea constat esse defunctum. Minoris autem Armeniæ, hoc eodem A tempore Constantini, Rex erat Arsaces, qui tributum pendebat eidem Constantino Imperatori, a quo tamen eum absoluit sic rescribens ad Probianum [a]: Præter priuatas res nostras, & Ecclesias Catholicas,& domũ clarissimæ memoriæ Eusebij ex Cõsule & ex Magistro equitum & peditum, & Arsacis Regis Armeniorum, nemo ex nostra iussione præcipuis emolumentis familiaris iuuetur substantiæ, &c.] Sed prosequamur Episcoporum seriem, qui virtutum præstantia celebrioris sunt nominis.

a l. 1. de Annon. & tribut. Cod. Theodos.

Astitit & inter alios ille toti Orienti conspicuus, numquam satis laudandus Leontius Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, quem Gregorius presbyter.[b] Angelis parem appellat: cuius (inquit) multi quidem, etiam antequàm veniret ad Nicænam Synodum, emanarunt sudores propter fidem: multi autẽ per ipsum martyres & victores athletæ prostrauerunt aduersarium: multique vsi vitæ eius doctrina, ciues euasere cælestes: ex eis enim vnus quoque est Gregorius Magnus inter victores athletas, qui inuenit reliquias sanctorum martyrum Ripsimes & B Gaianæ, & impudicum Tiridatẽ prius quidem euertit, deinde etiã vsque ad fidem conuertit.] hæc Gregorius de Leontio,qui Magnum illum Gregorium maioris Armeniæ(vt dictum est superius) ordinauit Episcopum. Eiusdem quoque summa cum laude meminit S.Gregorius,cognomento, Theologus, dum de patre suo agit, qui ad Christi fidem capessendam (Gentilis enim erat) inductus, baptizatus est coram ipso ac collegis Episcopis. contigit id hoc ipso anno, cum Cæsarea discedens, venturus ad publicum Patrum Conuentum Nicænum,Nazianzo transiens, apud eumdem diuertit. rem gestam haud silentio prætereundam, hic ipsius Gregorij Nazianzeni verbis, qui accurate eam prosequutus est, intexere,dignum existimauimus. Recensitis enim impensis a pia matre officijs, vt virum adhuc Gentilicio errore detentum ad salutarem Christianam religionem perduceret; quo modo tandem hoc anno facta sit voti C compos, luculenter enarrat his verbis [c]:

b Extat apud Lipom. tom. 6.

c Greg. orat. in funer. patris.

GREGORIVS PATER GREG. NAZIANZ. BAPTIZATVR.

Huic autem (nempe parenti) ad salutem adipiscendam adiumento erat, cum ratio ipsa curationem paulatim admittens, tum insomniorum etiam visio, quibus animam salute dignam plerumque Deus beneficio afficit. Sed quæ tandem fuit ista visio? Neque enim quidquam in tota narratione mihi perinde iucundum videtur. Putabat se,quod nũquam fecerat (quamuis vxor in oratione frequens esset) ex Dauidis Psalmis eam partem canere [d]: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Nouus erat & insuetus hic cantus; simulque cum cantu cupiditas ingreditur. Quod vbi mulier intellexit: voti iam compos facta,oblatam occasionem arripit, visionem in hanc iucundissimam partem interpretans, beneficijque magnitudinem animi lætitia declarans,salutemque adurgens: ne quid,quod vocationi obstaret, intercederet, negotiumque abrumperet, in quod tanto studio incubabat: ac proinde D cum res ita nata fuisset, vt ad profligandum nuper exortum Arij insanum dogma, quo diuinitas scindebatur, permulti Episcopi Nicæam properarent: Deo sese, veritatisque præconibus tradidit, ac desiderium confitetur, communisque salutis auxilium ab ijs poscit, in quibus illustris quoque Leontius erat, qui metropolim tum nostram moderabatur.

d Psal. 121.

Miraculum autem, quod hic quoque diuina gratia editum est, si reticuero, male certe de ipsa gratia meritus videri possim. Huius porro testes sunt non pauci. Spirituale quoddam erratum exactæ disciplinæ magistri committunt: idque quod futurum erat superna gratia præsignat, & sacerdotij forma cum Christiana institutione miscetur. O initiationem minime spontaneam! etenim in genu flexus, fidei elementis imbuitur: adeo vt multi non perspicaciores tantum, sed etiam minore ingenij acumine præditi, non obscuris signis confirmati, quod postmodum euenit, prædicerent.] hæc in catechesi acciderunt, cum in solemnibus quibus- E dam verbis mutata forma est, vt non quæ ad initiandum sacro baptismate, sed quæ ad imbuendum aliquem sacerdotio solent dici, fuerint errore prolata, futuri eius præsagium sacerdotij. Sed quod accidit diuinitus ostensum prodigium, dum baptizatus est, idem subdit his verbis:

Non multum temporis interfluxerat, cum huic miraculo miraculum aliud adiungitur: hũc autem sermonem pijs auribus commendabo: nam apud prophanas animas nulla res præclara fidem inuenire potest. Ad eam regenerationem, qua per aquam & spiritum renascimur, accedit, per quam Christiani nominis creationem atque consecrationẽ,terreniq. ad spiritualem immutationẽ transitumq. profitemur: et quidem cum ardenti cupiditate & luculenta spe accedit, nimirũ pro viribus ante perpurgatus, atque tum animo, tum corpore maiori cura diligentiaque lustratus, quàm qui olim a Moyse tabulas accepturi erant [e]: illis enim non vltra vestem, exiguamque ventris compressionem ad breuem quamdam & extemporalem corporis

e Exod. 19.

poris

A poris castimoniam, lustratio sese porrigebat: huic vero ad diuinam illuminationem omnis intermedia vita præparatio quædam fuit, & purgationem præcedens purgatio, cælesti dono securitatem afferens, vt baptismus vitæ puritati tuto committeretur, minimeque periclitaretur bonum illud in animi habitudine aduersus gratiam audace. Egressum vero ex aqua lux & gloria eo animi affectu, cum quo ad fidei donum accessit, digna circumfulsit, nonnullis quidem etiam alijs perspicua, qui tum miraculum illud apud se continebant; idcirco efferre non ausi, quòd vnusquisque visionem hanc sibi obtigisse crederet: sed aliquanto post, illud inter se disseminarunt: ei autem qui Baptistæ & initiatoris munere fungebatur, ita clara & perspicua, vt ne mysterium quidem pectore clausum tenere potuerit; sed eum quem inungebat, sibi in Episcopatu successurum, palam publiceque clamauerit.] hucusque Gregorius de parente hoc anno sacro initiato baptisinate.

B Ceterum accidit, vt paulo post sanctus ille Episcopus, qui eum baptizauerat, ex humanis sublatus sit, & vacante diu cathedra illa, tandem idem pater ipsius ad sacerdotium & Episcopatus munus fuerit assumptus, vt idem declarat his verbis: Cum siluosam & agrestem accepisset Ecclesiam, non ita pridem ab Episcopis gubernari solitam, sed quæ ab vno tantum ex antecessoribus suis exornata fuisset, viro vt eximijs atque angelicis moribus prædito, ita simpliciori quàm sint qui hac tempestate populo præsunt; eoque etiam celerrime rebus humanis exempto perdiu neglectam, & quia nullius Antistitis cura excolebatur, desertam & in vepres redactam: eam, inquam, cum talem accepisset, primum ferinos hominum mores haud magno negotio mitigauit, &c.]

Sed iam vnde occasione Leōtij digressa est oratio, paulo latius peruagata ad ea quæ ab ipso in itinere gesta sunt, ad propria reuocetur. Hunc ipsum Magnus Athanasius [a] inter illos re- *a Athanas. orat. 1. contra Arian.*
C censet, qui hoc tempore in Ecclesia videbantur esse columnæ; cuius & celebre nomen in Ecclesiasticis tabulis hoc laudum titulo celebratur [b]: Hic sub Licinio aduersus Gentiles, & sub Constantino aduersus Arianos plurimum decertauit.] Illud vero monendum putamus: cum omnes affirment citati auctores, Leontium Cæsareæ in Cappadocia Episcopum interfuisse Nicæno Concilio, cui & subscriptus inter alios reperitur in calce, vt nulla de his possit suboriri dubitatio: putatur S. Basilius (quod humanum est) memoria lapsus esse, cum Leontij successorem Hermogenem sedisse ait cum Patribus in Nicæno Concilio, sic dicēs [c]; Hermogenes ex diametro hostis erat Arij improbatæ opinionis, quemadmodum manifestum est ex fide, quæ primum ab illo viro Nicææ pronunciata est.] Porro alio loco idem Basilius [d] nominat eumdem Hermogenem Episcopum Cæsareæ Cappadociæ ciuitatis. *b Martyrolog. Rom. die 13. Ianuarij. c Basil. epist. 82. d Idem epist. 74.*

Ex nobili autem vrbe Amasena Eutichius aduenit Episcopus, successor martyris Basi- *EVTICHIVS EPISC. AMASEAE.*
D lei, qui secundum præcedentes prophetias, ob egregia virtutis merita hunc ipsum designauit eligendum successorem Episcopum, vt eiusdē Basilei Acta testantur superius magna ex parte recitata: subscriptus hic reperitur Nicæno Concilio inter Episcopos maioris Armeniæ. Recensetur præterea a Sozomeno [e] inter celebriores sanctitate Antistites, qui sacrosancto huic Concilio interfuerunt, Amphion Episcopus Epiphaniæ vrbis Ciliciæ, qui eidem Synodo subscriptus habetur; clarus & ipse perenni memoria confessionis sub Maximino [f]. Tantæ vero æstimationis in tam celebri Patrum Conuentu hic fuit, vt (quod dicetur suo loco pluribus) deposito antesignano Arianorum Eusebio Nicomediensi, in locum eius fuerit ex omnium sententia subrogatus [g]. *e Sozom. lib. 1. c. 20. AMPHION EPISCOP. EPIPHANIAE. f Martyrolog. Rom. die 12. Iunij. g Athanas. Apolog. 2. & Theodoret. lib. 1. c. 20. & alij.*

Prouinciæ vero Thraciæ clariores enituerunt Alexander Episcopus Cōstantinopolitanus, de quo plura superius, & inferius de eodem rursum dicturi sumus. Magnæ quoque famæ
E fuit Hypatius Gangrēsis Episcopus, qui & auctus est (vt suo loco narrabitur) corona martyrij: tali enim præconio eum Græci in primis celebrant bis in Menologio [h], nec non Latini, cum anniuersariam eius natalem diem cōmemorant [i]. S. Athanasius [k] agens contra Arianos, quosdam recenset sanctos Episcopos magni nominis viros Apostolicos, fidei Catholicæ defensores acerrimos, inter quos numerantur Eupsychius Episcopus Tyanensis in Cappadocia, Longinus Episcopus Neocæsariensis in Ponto, Protogenes Sardicensis, quem (vt vidimus) Constantini quoque Imperatoris illustrat edictum; sed & Pistus Episcopus Atheniensis: hos autem, & alios quos nominat, eiusmodi esse tradit, vt nihil sit quod in eorum scriptis suspicari quis possit erroris: Sincera enim (inquit) & simplicia Apostolicorum virorum ingenia sunt.] qui omnes subscripti pariter leguntur eidem Nicæno Concilio. *FIDE ET OPERIBVS PRAESTANTES EPISCOP. h Menolog. die 29. Martij. & 14. Nouemb. i Martyrolog. Rom. die 14. Nouemb. k Athanas. orat. 1. contra Arian.*

Inter tot plane rutilantis cæli astra, ceu fulgentissimum sidus apparuit Nicolaus Episcopus Myræ in Lycia: quod eius Acta testantur tum a Metodio, tum etiam ab alijs *NICOLAVS EPISC. MYRAE.*

ſcripta. Porro quanta fuerit eiuſdem ſanctiſſimi viri excellentia; innumera prope miracula, quibus & viuens & poſt obitum claruit, ſatis aperte ſignificant. ſed de eo rurſus inferius. A

SPIRIDION EPISCOP. TRIMITVNT. Præterea vero huic nō impar eluxit in Nicæno Conuentu Spiridion Epiſcopus Trimituntis in Cypro, & ipſe vnus ex illis nobiliſſimis confeſſoribus, quos Maximinus, dextro item effoſſo oculo, & ſiniſtro poplite ſucciſo, ad metalla damnauerat: eiuſcemodi enim gloriæ titulo, tam in Græcorum, quàm Latinorum tabulis deſcriptus habetur. Quod autem de eo hic obiter Ruffinus ſcribit [a], & nos deſcribamus; ait enim: Ex eorum numero (& ſi quid adhuc eminentius) fuiſſe dicitur etiam Spiridion Cyprius Epiſcopus, vir vnus ex ordine Prophetarum, quantum etiam nos eorum, qui eum viderunt, narratione comperimus. Hic paſtor ouium etiam in Epiſcopatu poſitus permanſit. Quadam vero nocte, cum ad caulas fures veniſſent, & manus improbas, quo aditum educendis ouibus facerent, extendiſſent: inuiſibilibus quibuſdam vinculis reſtricti, vſque ad lucem, veluti traditi tortoribus, permanſerunt. B Cum vero oues ducturus ad paſcua, matutinus ſe ageret ſenior: videt iuuenes abſque humanis vinculis in caulis pendere diſtrictos. Cumque cauſam noxæ comperiſſet; abſoluit ſermone, quos meritis vinxerat: et ne eis inanis nocturna cederet occupatio: Tollite, inquit, o iuuenes, vnum vobis arietem, ne ſine cauſa veniſſe videamini, quem melius prece, quàm furto quæſiſſe, conuenerat.

a Ruffin. lib. 1. c. 5.

Tradunt de hoc etiam illud factum mirabile. Filiam habuit Irenem nomine, quæ ei cum bene miniſtraſſet, virgo defuncta eſt. Poſt eius obitum venit quidam dicens, ſe ei quoddam depoſitum commendaſſe: rem geſtam ignorauerat pater. Perquiſitum in tota domo, nuſquam quod poſcebatur, inuentum eſt. Perſiſtebat tamen ille qui commendauerat, & fletu ac lacrymis perurgebat; vitæ ſuæ quoque ſe illaturum exitium, niſi commendata reciperet, teſtabatur. C Permotus lacrymis eius ſenex, ad ſepulchrum filiæ properat, atque eam ex nomine clamitat. Tum illa de ſepulchro: Quid vis (ait) pater? Commendatum (inquit) illius vbi poſuiſti? At illa locum deſignans: Illic (ait) defoſſum inuenies. Regreſſus domum, rem ſicut filia de ſepulchro reſponderat, repertam tradidit repoſcenti. Sed & multa alia feruntur geſta mirabilia, quæ etiam nunc ore omnium celebrantur.] hucuſque Ruffinus: eadem quoque Socrates recitat [b]. Ceterum res ab eo geſtas, Tryphillium Epiſcopum, eius olim diſcipulum, fuiſſe iambicis proſequutum, Suidas affirmat: quæ exciderunt: ſoluta enim tantum oratione leguntur hodie res ab eo geſtæ [c], noſque de eodem ſæpe agemus inferius. Deſideratur Spiridionis nomen in ſerie ſubſcriptorum Antiſtitum, ſicut & aliorum plurium interlapſum; cum tamen teſtificatione omnium, ipſum ſacræ Synodo interfuiſſe, exploratiſſimum ſit: prout etiam ibi non reperiuntur nomina Herpocrationis, atque Cynonis, quos ex libello Synodico D Athanaſij recenſet Theodoretus inter celebriores eius Conuentus Epiſcopos. Porro citatus a Theodoreto Synodicus Athanaſij liber, in quo inter alia, Epiſcoporum omniū, qui Synodo interfuiſſent, nomina ſcripta erant, excidiſſe videtur: nam in eiuſdem auctoris libro illo, qui de Synodis Arimini inſcribitur, & alijs, nihil prorſus de his habetur. Celebris item fama fuit Theodorus Tarſenſis Epiſcopus, Auxentij Epiſcopi frater, de quo ſuo loco ſuperius mentio facta eſt. præceſſit hunc Lupus Epiſcopus, qui ob fidei integritatem ab Athanaſio commendatur. Ceterum habuit Theodorus ſucceſſores hæreticos, Antonium, deinde Siluanum Epiſcopos Arianos. diuerſus plane hic Theodorus ab illo eiuſdem nominis Epiſcopo Heracleæ, qui hoc eodem tempore vixit, de quo agit S. Hieronymus [d].

b Socrat. lib. 1. c. 8.

c Apud Metaph. die 12. Decemb.

d Hieronym. de ſcrip. Eccleſ. in Theodoro.

CAECILIANVS EPISCOP. CARTHAG. Magni quoque nominis atque meriti pro vniuerſa Eccleſia Africana interfuit Cæcilianus Carthaginenſis Epiſcopus; quem a factione improborum Donatiſtarum, tot annis, in tot iudicijs, calumnijs fruſtra exagitatum innocentia exhibuit ſemper innoxium, & veritas toti Orbi clariorem reddidit: vt merito ab Athanaſio inter Apoſtolicos huius tēporis Epiſcopos & veritatis Catholicæ primarios defenſores collocetur [e]. At Occidentalium Epiſcoporum, qui pro ceteris legatione functi ſunt, memoria prope excidit; et qui deſcripti habentur, codicum vitio obſcuri admodum magno diſpendio antiquitatis remanſerunt: quis enim dubitet non niſi eos a collegis eſſe delectos, qui præſtarent ceteris ſanctimonia, & eruditione præcellerent? Ad ſummam (ſic claudam orationem Theodoreti [f] ſententia) videre ibi licebat martyrum multitudinem in vnum coactam. Addam inſuper illud ex Mario Victorino huius item ſæculi homine [g]: Fuerunt in ea Synodo totius Orbis lumina.] id & reliqui omnes antiqui ac fide digni profitentur auctores. Quod adeo perſpicuum cunctiſque perſpectum fuit, vt nec qui ſteterint a partibus Arij, ipſi diſſimulare potuerint: Euſebius enim Cæſarienſis Arianorum fautor, veritate quidem manifeſta compulſus, hæc memoriæ prodidit illis verbis [h]: Ex E

e Athanaſ. orat. 2. contra Arian.

f Theodoret. lib. 1. c. 7.

g Mar. Victor. aduer. Arian. lib. 1.

h Euſeb. Vit. Conſtant. lib. 3. c. 7.

omnibus

A omnibus namque Ecclesijs, quæ frequentes in tota Europa, Africa, & Asia extiterunt, Dei ministri, qui facile primas ferre putabantur, in vnum vocati sunt.] Ex quibus plane retunditur petulantis Mecedoniani hominis arrogantia, Sabini, inquam, Heracleæ Episcopi, qui veritus non est tam purulentum mendacium effutire, vt diceret, Magnum illum Nicænum Conuentum ex indoctis & rerum ignaris hominibus fuisse collectum; quos & probris homo contumeliosus affecit [a]. Sed in mendacissimum hominem alij antiqui scriptores omnes pariter declamarunt. SABINI CALVMNIA AB OMNIBVS EXPLOSA. a Socrat. lib. 1. c. 5.

At sicut olim (quod apud Iob describitur [b]) cum venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam satan: ita prorsus in sanctissimo hoc Patrum Consessu astitit diabolus in membris suis. Siquidem (inquit Theodoretus [c]) diuinus iste & venerandus cœtus hostibus Dei non caruit: sed aderant quidam, licet pauci numero, ijque veteratores, qui B maris breuia imitati, calliditatem suam occultarunt.] nam licet eadem sentirent cum Ario, tamen a parte Catholicorum se stare simulabant, tempori inseruientes: alij vero sub vexillo impietatis, sicut turpiter, ita & aperte profitebantur. Erant horum omnium duces Eusebius Nicomediensis Episcopus, alterque Eusebius Præsul Cæsareæ Palæstinæ, Paulinus Episcopus Tyri, Menophantes Ephesi, Theogonius Nicænus Antistes, Patrophilus Scythopolitanus, Narcissus Neroniadis Episcopus, Theonas Marmaricæ, Theodotus Laodiceæ, Athanasius Anazarbi, Gregorius Beryti, Aetius Lydæ, Mares Chalcedonensis, Secundus Ptolemaidis, Paulus Larandis, & si qui alij ijsdem inhærentes: quorum Eusebius Nicomediensis, Mares Chalcedonensis, Theognis Nicænus, inter illos discipulos Luciani connumerati habentur, qui tempore persecutionis, Tyranni crudelitati cedentes, a fide ad superstitionem Gentilium deflexerant [d], sed per magistrum Lucianum postea C reuocati sunt. recensentur & alij, qui pariter deinde Ario adhæserunt, vt Antonius qui post hæc Episcopus Tarsi factus est ab Arianis, Leontius præfectus deinde ab ijsdem Ecclesiæ Antiochenæ, Numerius, Eudoxius, Alexander, & Asterius Cappadox, de quo inferius dicturi sumus. Vides ex schola apostatarum Arij doctrinam inualuisse: nam & de Eusebio Cæsariensi eodem crimine asperso superius dictum est. at quàm dispares hi ab illis, qui traditam a maioribus veritatem de filij Dei diuinitate tutati sunt! verum horum perfidia eo detestabilior est, quòd cum in Constantini gratiam, non veritatis amore, eidem Nicænæ fidei subscripserint (nam in hanc diem reperiuntur esse subscripti) tamen e uestigio præuaricati, Arium sequuti sunt. b Iob. 1. c Theodoret. lib. 1. c. 7. QVALES EPISCOPI ARIANI. d Niceph. lib. 8. c. 31.

Horum autem illud fuisse studium apparet, vt simulac ad Synodum peruenirent, spreto iudicio Ecclesiastico, & tantorum Iudicum reuerendo quoque Angelis tribunali (quòd malæ D causæ diffiderēt) singuli aduersus collegas Episcopos Constãtino Imperatori libellos offerrēt. Hos vero fuisse Arianos, inde certam ducimus coniecturam, quòd religio esset, id inter Catholicos factitari, vt dictũ est superius: fuisseq. hæreticorũ atque schismaticorum, iudicio prætermisso Episcoporũ, sæcularē aduersus Antistites potestatem implorare, non semel est demõstratũ: præstiterat id olim Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus hæresiarcha, ac nuper sæpius Donatistæ. Nefas est igitur id de Catholicis suspicari, qui aduersus eiusmodi temerariam præsumptionem, vt immane scelus, semper consueuerint declamare, & in hæc præsumentes acerrime inuehi. Hisce artibus Arianos pertentasse putamus, Catholicos qui maioris essent nominis, infensos reddere Constantino, quò ad expugnãdam Catholicam fidem, his prostratis & calumnijs circumuentis, faciliorem sibi aditum aperirent. Porro non vanos esse nos coniectores, facillime declarant quæ postea subsequuta sunt, cum aduersus Eustathium An-E tiochenum Episcopum, Athanasium Alexandrinum, & alios, tot extruxere calumnias, quibus tandem eumdem Constantinum, inuitum licet, compulerunt tamen, vt eos e sedibus eijceret & in exilium amandaret. At qui ex Donatistarum causa diutius ventilata prudentior erat redditus Constantinus, a libellorum prorsus abstinuit lectione; quos omnes igne cremandos, ac sic penitus abolendos curauit. Rem autem ante Synodum gestam Sozomenus [e] narrat his verbis: ARIANI CALLIDE TERGIVERSANTVR. CONSTANTINVS QVERELARVM LIBELLOS CREMAT. e Sozom. lib. 1. c. 16.

Multi autem ex sacerdotum numero, qui (vti euenire solet) tamquam ad causas suas ac priuatas disceptandas in vnum conuenerant, tempus opportunum sibi iam oblatum putarunt ad res eas corrigendas, quæ ipsorum animos offendissent. Itaque singuli libellum de criminibus, quæ alijs obijcerent, Imperatori offerre, & peccata in se admissa iam ante exponere cœperunt. Cum autem illud in dies fere singulos accideret: dat mandatum Imperator, vt singuli crimina, quæ alijs obijcere constituerant, ad certum diem proponerent. Vbi dictus dies venit; Imperator oblatis sibi libellis acceptis: Istæ, inquit, criminationes tempus

quidem sibi præstitutum habent, diem videlicet magni Iudicij, Iudicem autem, qui sit tum A
de omnibus sententiam pronunciaturus; mihi vero non est fas, cum homo sim, eiusmodi causarum cognitionē arrogare, præsertim cum & qui accusant, & qui accusantur, sacerdotes sint. Nam non deberent se tales præbere, vt ab altero iudicentur. Age igitur deletis criminibus, exemplum diuinæ clementiæ in danda mutuo venia imitati, iungamus amicitiæ fœdera: et fidei negotia, quæ vos in hunc locum conuenire compulerunt, serio pertractemus. Hac habita oratione, Imperator iubet tum criminationes illatas nullius momenti esse, tum libellos comburi; diemque præstituit, ad quem de rebus fidei vocatis in controuersiam decideretur.] hucusque Sozomenus de rebus gestis antequam sacra Comitia de ijs quæ ad fidem pertinent, haberentur.

a Ruffin. lib. 1. c. 2. b Gregor. lib. 4 epist. 75. Describit eadem Ruffinus [a], eamdemque ipsam citat historiam S. Gregorius Papa scribens ad Mauritium Imperatorem [b], & Nicolaus item Romanus Pontifex, dum litteris monuit Michaelem Augustum, cum ijdem præter ius fasque sibi aduersus viros Ecclesiasticos B
potestatem arrogassent. Referunt ea ex Ruffino accepta, ac potissimum quæ tunc a Constantino ad Episcopos dicta narrantur, nimirum: Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque iudicandi: et ideo nos a vobis recte iudicamur: vos autem non potestis ab hominibus iudicari. propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium; et vestra iurgia, quæcumque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos autem nobis a Deo dati estis dij: et conueniens non est, vt homo iudicet deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos discernit.] hæc ex Ruffino, quæ in Sozomeno desiderantur. Sed & Theodoretus [c] ista addit: Constantinum iureiurando adiecto dixisse, se ne verbum quidem inscriptum perlegisse: Nam sacerdotum (inquit) vitia non sunt populo aperienda, ne ille inde causa offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediatur. Quin etiam eum hoc quoque adiecisse C
memorant: Si suis oculis Episcopum alienæ vxori stuprum inferre forte videret, facinus illud nefandum suo paludamento se obtecturum, ne facinoris aspectus eos qui id ipsum cernerent, vlla ex parte læderet.] hæc Theodoretus, quæ tamen in fine Synodi recenset, sed nos ex plurium sententia & verisimili coniectura ante Concilium gesta fuisse putamus.

SCITE DICTUM CONSTANTINI.

c Theodoret. lib. 1. c. 11.

SACERDOTII DIGNITAS REVERENDA. Ad hæc Gregorius addit: In qua tamen sententia, pie domine, sibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eum quippe Pagani in Republica Principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos & lapideos colebant: et tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid ergo mirum, si Christianus Imperator veri Dei sacerdotes dignetur honorare, dum Pagani, vt prædiximus, Principes D
honorem impendere sacerdotibus nouerunt, qui dijs ligneis & lapidibus seruiebant? Hæc ergo pietati dominorum non pro me, sed pro cunctis sacerdotibus suggero: ego enim homo peccator sum, &c.] Certe quidem tantam fuisse, superius diximus ex eorum auctoribus, Pontificum, Augurumque potestatem, & ius in omnes, vt etiam Consules a Consulatu abire iubere possent, & ab Imperio deponere magistratus: quod ne contingere sibi posset, Imperatores ijdem cum Imperio sacerdotium arrogarunt, vt essent ac dicerentur Pontifices Maximi. At de his alias pluribus actum est. iam vero reliqua prosequamur.

GENTILES PHILOSOPHI AD SYNODUM CONUENARE. Verum non tantum Nicæam confluxerunt Episcopi litteris accersiti, sed & ex Gentilibus plerique philosophicis imbuti facultatibus, vt tamquam in publico quodam certaminis cāpo atque vniuersi Orbis theatro, cunctis spectantibus, ingenij vires ostentarent, & agminibus Dei viuentis insultarēt; cum non deessent ex nostris, qui hac quoque ex parte nequaquam E
essent inferiores, parati cum illis congredi, ac publice redarguere: sed dirempsit curiosum ad ostētationem, non autē ad veritatem indagandam cōparatum certamen, vir quidem simplex, & sermone imperitus, verum diuina apprime imbutus sapientia. Rem gestam Socrates [d] narrat his verbis: Paulo ante quàm Episcopi in locum vnum conuenerant, dialectici in quibusdam disputādi tamquam prælusionibus aduersus plerosque se exercuerunt. Ac cum nonnulli quasi illecebris ad disserendum traherentur: laicus quidam ex Confessorum numero, simplici ac sincero animo præditus, cum dialecticis illis congreditur, sicque contra illos verba facit: Christum certe & Apostolos artem disserendi neutiquam nobis tradidisse, neque inanes fallacias, sed mentem apertam & simplicem, quæ fide & operibus integra seruari solet. Quæ cum dixisset; cum alij omnes qui aderant, & eum admirati sunt, & illius approbauerunt sententiam; tum dialectici, vt primum sincerum veritatis sermonem audierant, æquo animo & placido conquieuere. Sic igitur tumultus ille ex disserendi facultate

d Socrat. lib. 1. c. 5.

A facultate concitatus tandem penitus repressus est.] At id quidem non absque diuina virtute, cum haud facile videri potuerit, compescere petulantiam sophistarum. Hæc autem pridie eius diei, quàm Synodus inchoaretur, facta esse, idem auctor affirmat.

Ceterum diuersam ab hac disceptationem philosophi aduersus Episcopos recitant Sozomenus [a] atque Ruffinus [b]. ille igitur exordiens narrationem de instituto & consilio philosophorum Nicæam tunc aduenientium, hæc ait: Quidam præterea, qui apud Gentiles pro sapientibus habiti erant, disputationibus in hoc Concilio agitatis, dedita opera, interfuerunt: quorum nonnulli, quænam tandem esset Christiana doctrina, admodum scire auebant: alij odio in Christianos propterea inflammati, quòd superstitiosa Gentilium religio nuper antiquari cœpta erat, quæstionem de fide Christiana propositam ad inanem quamdam verborum concertationem deduxerunt; adeo vt ipsi inter se digladiari, & secum pugnare viderentur.

a Sozom. lib. 1. c. 17.
b Ruffin. lib. 1. c. 3.

B Fertur igitur, quòd cum quidam illorum præ insolenti dicendi arrogantia se inaniter iactaret, & sacerdotes petulanter irrideret, senex quidam simplex ex illustrium Confessorum numero superbiam eius non tulit: qui tametsi ineptæ subtilitatis & præstigiarum penitus expers erat, tamen cum eo disputare cœpit.

At cum hæc res petulantibus, qui Confessorem hominem simplicem esse cognoscebant, risum moueret quidem; at modestis inijceret timorem, qui veriti sunt, ne cum viro dicendi perito congressus haberetur pro ludibrio: tamen cum facultas (cui, cum talis & tam prouectæ ætatis esset, pudor erat resistere) data esset, libere quæ vellet loquendi: In nomine Iesu Christi, inquit, philosophe audito. Vnus est Deus cæli, terræ, & omnium rerum tam oculis subiectarum, quàm eorum aciem fugientium opifex: qui hæc omnia & virtute Verbi fabricatus est, & sacrato Spiritus sancti afflatu stabiliuit. Quare hoc Verbum, inquit, quod C nos Filium Dei nuncupamus, misertum humani erroris & belluinæ viuendi rationis, ex Virgine nasci, cum hominibus vna versari, proque ijsdem mortem oppetere voluit. Est quoque iterum venturus, de ijs rebus, quas quisque gesserit in vita, dicturus sententiam. ista ita se habere, sine vlla alia curiosa indagatione pro certo credimus. Noli ergo in his, quæ fide dumtaxat recte intelliguntur, curiose refutandis, laborem frustra consumere, quærereve, qui ista fieri, aut non fieri possint. Quod si credis: mihi quidem sciscitanti responde. Quibus obstupefactus philosophus: Credo, inquit. et gratijs illi actis, quòd ipsum deuicisset, non solum eadem cum sene ipse sentire, verum etiam consilium dare cœpit illis, qui perinde erga fidem Christianam, atque ipse ante, affecti erant; vt iam doctrinæ Christianæ assentirentur: atque iusiurandum adiecit, se non modo non sine numine diuino mutatum esse, sed etiam vi ac virtute quadam inexplicabili ad Christianam religionem D conuersum.]

PHILOSOPHVS CONFVTATVR A SIMPLICE CHRISTIANO.

Sed ad hæc Ruffinus: Philosophus conuersus ad discipulos suos, vel ad eos qui audiendi gratia conuenerant: Audite, inquit, o eruditi viri. Donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur, dicendi arte subuerti. vbi vero pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo aduersari potuit Deo. Et ideo si quis vestrum potuit, in his quæ dicta sunt, sentire quæ sensi; credat Christo, & sequatur hunc senem, in quo loquutus est Deus. Ita philosophus Christianus effectus, tandem se gratulatus est victum.] hucusque Ruffinus. eadem Gregorius presbyter Cæsariensis, & alij ferme omnes tam Græci, quàm Latini recentiores historici. Addit tamen idem Gregorius [c], Menophantem Episcopum Ephesinum philosophicis facultatibus apprime imbutum, sed Arianismo infectum, adeo ex miraculo obstupuisse, vt deserens Arium, Concilio E Nicæno subscripserit. Quisnam porro iste philosophus fuerit; Dalmatianus in sua Collectione Nicæni Concilij, Phædonem hunc tradit appellatum fuisse, Glicas vero Eulogium nominatum. Sed horum nulla est apud Eunapium Sardianum mentio; qui numerans huius temporis philosophos, Sopatrum Apamiensem, & Eustathium Cappadocem caros aliquando Constantino fuisse tradit.

c Greg. presbyt. de Patribus Nicæn. Synod.

At quinam fuerit Episcopus ille, qui Christiana simplicitate munitus, tam gloriosa de fastu philosophicæ disciplinæ trophæa erexit: conueniunt in eamdem sententiam scriptores [d], fuisse Magnum Spiridionem, de quo nuper mentio facta est, Episcopum Trimituntis in Cypro. Hic quidem tenacissimus Ecclesiasticæ antiquitatis, custosque paternarum traditionum, nec vnius voculæ mutatione passus est eam quauis occasione labefactari: vnde accidit, vt cum aliquando gentilem suum Tryphillium Ledrensem in Cypro Episcopum, virum (vt testatur S. Hieronymus [e]) omnium suæ ætatis eloquentissimum, in Synodo orantem audiret, & locum illum Marci Euangelistæ citaret [f], Tolle grabatum tuum, & ambula]

SPIRIDION EPISC. EXPVGNATOR PHILOSOPHI.
d Metaph. die 10. Decembr. Niceph. lib 8. c. 15. Glic. in Annal.
e Hieronym. de Script. Ecclesiast. in Tryphil.
f Marc. 2.

ambula] & loco κράββατον, quod habet textus, dixiſſet σκιμπόδιον, id eſt lectum humilem: A aſſurgens Spiridion: Tu ne, inquit, melior es illo, qui τὸν κράββατον dixit, vt eius verbis vti dedigneris? Quod cum dixiſſet, exilijt e ſede ſacerdotali, populo inſpectante; atque hoc modo Tryphillium eloquentia ſe arroganter efferentem, ad modeſtiam erudiuit: nam ſatis in ſe habuit auctoritatis ad pudorem alteri incutiendum; quippe cum & veneratione dignus eſſet, & rerum admirabiliter geſtarum gloria maxime nobilitatus; quin etiam cum eum & ætate anteiret & dignitate ſacerdotali.] hæc Sozomenus [a] atque alij. Ceterum Tryphillius, qui diu Beryti ius ciuile profeſſus erat, admiratus viri egregiæ vitæ inſtitutionem, miraculorum virtute mirifice illuſtratam, eo licet homine agreſti & cuſtode ouium, vti voluit præceptore, magnam ſibi inde gloriam comparans, quòd Spiridionis diſcipulus effectus eſſet. Sed ad Sozomenum redeamus, qui poſt enarratam hiſtoriam de philoſopho reddito Chriſtiano, ſimile huic exemplum ſubtexit de S. Alexandro Epiſcopo Conſtantinopolitano, his verbis rei ge- B ſtæ ſeriem narrans [b]:

a Sozom. lib. 1. c. 11. & Niceph. lib. 8. c. 42.

b Sozom. lib. 1. c. 17.

ALEXANDER EPISC. CONSTANTINOP. QVID CVM PHILOSOPHO.

Fertur item miraculum huic non diſſimile ab Alexandro Epiſcopo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ editum. Nam cum Conſtantinus forte Byzantium aduenit; acceſſerant ad eum quidam philoſophi, criminique illi dedere, quòd haud rectam religionem coleret; quodque res diuinas mutare, nonnumquam cultum contra inſtituta cum maiorum ſuorum, tum Principum omnium, qui vel Græcis, vel Romanis omni ſæculorum memoria præfuiſſent, in Rempublicam introducere ſtuderet. Rogauere item, vt cum Alexandro Epiſcopo de doctrina Chriſtiana diſputarent. Alexander igitur in eo exercitationis genere haudquaquam exquiſite verſatus, fortaſſe etiam vitæ bonitate fretus (erat enim vir perhoneſta & ſpectata vita) Imperatoris iuſſu in diſſerendi certamen cum illis deſcendit. Philoſophis autem in vnum coactis, cum omnes diſputare cuperent; poſtulauit Alexander, vt vnum quem vellent, ad diſ- C putandum deligerent, ceterique præſentes audirent cum ſilentio. Itaque cum vnus diſputandi onus ſuſcepiſſet: tum Alexander: In nomine Ieſu Chriſti, inquit, præcipio tibi, ne loquare. Quod vt primum dixerat: homo e veſtigio, obſtructo ore, conticuit. An non igitur maius miraculum merito cenſendum eſt, loquelam homini, eique philoſopho, tam facile adimere, atque lapidem manu per verbum quoddam prolatum diuidere? quod a quibuſdam de Iuliano Chaldæoglorioſe iactatum audiui. Sed de his quidem hoc modo.] hæc Sozomenus.

c Ruffin. lib. 1. c. 5.

Quod vero ad cauſam ſpectat, qua Epiſcopi Nicæam conuocati ſunt, nempe de Arij hæreſi cogniturі: ſimulac Nicæam conuenerunt Patres, inquit Ruffinus [c], per dies ſingulos agebantur Conuentus, nec facile aut temere de re tanta ſtatuere audebant. Euocabatur frequenter Arius in Conciliũ, & aſſiduo tractatu aſſertiones eius diſcutiebãtur, & quid aduerſum hæc te- D neri deberet, aut ſtatui, ſumma cum libratione quærebatur.] Sed hæc antequàm Comitia illa agerẽtur, quibus Conſtantinus Imperator interfuit, facta ſunt. Cum vero in his certaminibus tum aliorũ multorũ eruditorum hominũ, tum maxime Athanaſij Eccleſiæ Alexãdrinæ diaconi in differẽdo peritia & acumen ingenij eniteret: præ ceteris ipſe Athanaſius Arij & Arianorũ omnium in ſe odiũ atque inuidiã prouocauit. Ceterũ in ſingulis de fide diſceptationibus Catholici illud potiſſimum contendebant, ne quid ab eo, quod traditũ eſſet, innouaretur, ſed in omnibus ſeruaretur antiquitas. Id quidẽ Sozomenus teſtatur, cum ait [d]: Interea tẽporis Epiſcopi in vnũ conuenientes, accerſunt Ariũ, & opinionibus ſuis in medio poſitis, inter ſe diſſerere cœperunt. Atque cum diſputatio (vt erat veriſimile) in varias diſtraheretur quæſtiones; alij eorum, ijque potiſsimum, quos morum ſimplicitas induxit ad fidem in Deum ſine curioſa inquiſitione amplexandam, nihil noui contra fidem initio temporis Apoſtolorum traditam moliendum cenſuerunt. Alij affirmarunt, opiniones veterum nullo indicio exploratas E neutiquam ſequendas eſſe.] hæc Sozomenus. ſed ad Athanaſium redeamus: quem Ariani cum videret Catholicæ veritatis pæſeferre acerrimũ defenſorem, quibuſdã quæſtionibus eum tentare cœperunt: verum & ipſe Arius aperto marte ipſum inuadens, expugnare conatus eſt. at in caſſum tela coniecit in hominem fidei ſcuto contectum, quo omnes inoffenſus ictus excepit, & verbi Dei ancipiti gladio hoſtes exagitans, oculos cunctorum in ſe conuertit; quod maximam hoſtium inuidiam concitauit; adeo vt manus omnium eſſent contra eum, & manus eius aduerſus omnes ſtrenue dimicarent.

DISCEPTATIONES VARIAE.

d Sozom. lib. 1. c. 16.

ATHANASII SPECTATA VIRTVS IN NICAENO CONCIL.

COMMENTICIVM SCRIPTVM.

Fertur diſputatio quædam inter Arium & Athanaſium habita in Nicæno Concilio, relata inter commentarios Athanaſij: ſed eius præfatio docet eam ſeorſum potius quàm in Concilio habitam: et cum nulla prorſus ſit ibi mentio de Nicæno Conuentu, nequaquam Nicææ habita eſſe creditur. Rurſum vero cum in ipſa Arius acerbiſsime impugnet diuinitatem Spiritus ſancti

A tus sancti, eum Creaturam pariter nominans; Arianus potius homo, quàm Arius esse conuincitur: nam ea sanctorum Patrum (vt dicemus) sententia est, nihil expressius de diuinitate Spiritus sancti, sicut de Filio, in Nicæno Symbolo positum esse, quòd nulla ea de re ab Ario quæstio mota esset. quòd si eius diuinitatem Arius impugnasset; nequaquam sanctissimi illi prætermisissent, ipsam disertis verbis testatam, in omnibusque perspectam, defensamque a cunctis aduersarij obiectionibus reddere; cum accuratissime id præstare conati sint de diuinitate Filij, quam tantum Arius impugnabat. Certe quidem ipse Athanasius in epistola posteriori ad Serapionem scripta, eiusmodi in Spiritum sanctum blasphemias prodijsse tradit ab Arij successoribus potius, quàm ab ipso Ario. subinducta autem videtur in ea disputatione persona Arij potius, quàm ipse Arius Athanasio cedere nescius, qui ibi ponitur Athanasio consensisse. Porro Vigilium Episcopum Tridentinum eiusdem argumenti sub nomine Athanasij scripsisse cõmentarios, ipse testatur agens contra Eutychem [a]; sed de eo inferius erit sermo, cum agemus de disputatione alia Athanasij nomine coram Probo contra Arium scripta.

B (margin: a Vigilius cõtra Eutych. lib. 5.)

Hæc autem omnia superius recitata, gesta quidem esse coram Patribus, antequàm Constantinus Concilio adesset, Sozomenus post enarrata quæ de philosophis dicta sunt, tradit; et de controuersijs aduersus Arium mox hæc subdit [b]: Episcopi autem, qui intelligendi prudentia multum valebant, Ario in medium adducto, accurate ea quæ erant ab eo proposita, inquirere cœperunt: caueruntque sedulo, ne in alterutram partem temere sententiam pronunciarent. Vbi autem venit præstituta dies, in qua constitutum erat de rebus controuersis decidere: Episcopi in Palatium conueniunt, vt decreuerat Imperator, vti consilium vna cum illis de rebus iniret, &c.] At ipse Episcoporum Consessus ab Eusebio, qui præsens erat, in hunc modum describitur [c]:

(margin: b Sozom. lib. 1. c. 18.)

(margin: c Euseb Vit Cõstantin. lib. 3. c. 10.)

(margin: NICAENVS CONSESSVS.)

C Die autem Concilio, quo res in controuersiam vocatæ dirimerentur, præstituta: singuli parati erant in ipsa media regalis Palatij aula, quæ amplitudine ceteris facile præstabat, illud celebraturi. Ac compluribus sedibus in vtroque aulæ latere ordine dispositis; qui erant accersiti, intus præsto fuerunt; et sedem, quæ quemque decebat, capiebat quisque. Atque cum vniuersus ministrorum Dei Conuentus decenti ordine collocatus esset, propter Imperatoris aduentum, qui iam erat in expectatione, omnibus silentium fuit. Ac primum vnus ex Principis familia, denique alter, ac tertius ingreditur: Imperatorem antecedunt alij non ex armatis & satellitibus, qui ei adesse consueuissent, sed ex amicis solum, qui Christi fidem amplexarentur. Signo vero dato, quod Imperatoris introitum indicabat, consurrexisse omnes dicuntur. Imperator deinde tamquam quidam cælestis Dei Angelus, purpureo vestitu & nitido, velut claro luminis fulgore splendescens, coruscantibusque illius radijs illustratus, &
D conspicuo auri lapidumque pretiosorum nitore pulchre adornatus, per medium Consessum intrat. Atque hæc sunt quæ ad corporis decus spectant.

Quòd autem ad animum attinet, eum timore Dei & vera pietate insigniter decoratum constat: quas quidem res, oculi demissi, vultus pudor, & incessus moderatio satis indicabant. Quin etiam reliqua formæ species & proceritas, tum pulchritudinis excellentia, tum magnifica totius corporis cõformatione, tum inuicti roboris firmitate eximia, facile omnẽ omnium suorum præstantiam superauit. Quæ certe cum morum modestia & mansuetudinis vere regiæ suauitate temperata, singularem mentis indolem, quæ nulla dicendi facultate explicari potest, declarabant. Simulac vero ad summum locum venit: primum in medio Conuentu erectus constitit; ac cum parua quædam sella ex auro fabricata illi esset loco posita, non prius consedit, quàm Episcopi ad id innuissent: idemque omnes post Imperatorem factitarunt.]

(margin: CONSTANTINI MODESTIA.)

E hæc Eusebius, Socrates [d], Theodoretus [e], Sozomenus [f], & alij nihil ab inuicem discrepãtes affirmant. Commẽdatur etiam in eo potissimũ a S. Ambrosio [g] de rebus gestis in Nicæno Concilio Constantini modestia, quòd libera in omnibus esse voluit de fide differentium suffragia sacerdotum: quam, scribens ad Valentinianum Imperatorem, eidem proposuit imitandam, cum ait: Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio: sicut factum est sub Constantino Augustæ memoriæ Principis, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit iudicium sacerdotibus.] Sed ad Eusebium [h] redeamus, qui subdit:

(margin: d Socrat. lib. 1. c. 5. e Theodoret. lib. 1. c. 7. f Sozom. lib. 1. c. 18. g Ambros. epist. 33. h Euseb. Vit. Cõstantin. lib. 3. c. 11.)

Episcopus autem, qui in dextro ordine primam sedem occupabat, assurgens, perbreui oratione Imperatorem affatus est, hymnumque, quo Deo omnipotenti gratias ageret, recitauit.] Quisnam Episcopus iste fuerit, qui ab Eusebio tam ingrato silentio condemnatur: Sozomenus arbitratus eumdem Eusebium modestiæ causa de seipso dicere siluisse, eum fuisse ipsum Eusebium, absque aliqua controuersia confirmauit, aitque [i]: Cum vero omnes consedissent: surrexit Eusebius, cognomento Pamphilus, ac Imperatorem oratione compellauit, hymnum-

(margin: EVSTATHII MVNVS IN SYNODO.)

(margin: i Sozom. lib. 1. c. 18.)

hymnumq. recitauit, quo eius causa Deo gratias ageret.] Sed parum Sozomenus mores Eusebij perspectos visus est habuisse; qui nullam vmquam occasionem prætermisit honorifice de se dicendi, ea tantum silentio obuoluta relinquens, quæ suam ipsius turpitudinem potuissent arguere, quod superius est sæpius demonstratum. At satis perspicuum redditur, ipsum absque inuidia reticuisse nomen Episcopi, qui in magnificentissimo illo Consessu in dextero latere locum primum tenebat, & primus omnium ea oratione affatus est Imperatorem. Fuit autem hic ille Magnus Eustathius Episcopus Antiochenus, in sede illa (vt enarratum est) ipsi prælatus Eusebio: quod non ignorauit Theodoretus, qui ait[a]: Statim vt sessum est, Eustathius ille Magnus, qui Philogonio, cuius supra mentionem feci, ex hac vita ad aliam meliorem translato, Episcopatum Ecclesiæ Antiochenæ obtinuit: quippe hunc Episcopi & sacerdotes & vniuersus populus Christo deditus communibus suffragijs inuitum Ecclesiam illam pro Philogonio pascere coegerunt: ille, inquam, Eustathius Imperatorem laudibus insignibus ornare, & ei pro singulari suo studio erga res sacras eximia gloriæ præconia tribuere cœpit.] hæc de oratione Eustathij Theodoretus. Porro Cassiodorus conciliare conatus est Sozomenum cum Theodoreto, dum ait, post Eustathium, Eusebium perorasse: cum tamen ipse Eusebius non nisi ab vno oratum esse testetur, nec post eum aliquem eodem munere in Synodo functum. Eam vero ab Eustathio habitam orationem perbreuem recitat Gregorius presbyter Cæsariensis his verbis[b]: A B

a Theodoret. lib. 1. c. 7.

EVSTATHII ORATIO HABITA IN SYNODO.

Deo agimus gratias, o optime Imperator, qui terrarum tibi regnum dirigit, qui errorem simulacrorum per te aboleuit, & infidelium animis tranquillitatem collocauit. Cessauit nidor dæmonum: multiplicis deorum cultus soluta est falsa religio: expelluntur tenebræ impietatis: luce diuinæ cognitionis Orbis terrarum illustratur: Pater glorificatur, Filius simul adoratur, Spiritus sanctus annunciatur, Trinitas consubstantialis, vna diuinitas in tribus personis & hypostasibus prædicatur. Per eum, o Imperator, tibi munitur tuæ pietatis potentia. Eam nobis serua integram & inuiolatam. Nullus hæreticus subiens Ecclesiam de Trinitate vnum aliquid auferat, reliquum quod restat affectum ignominia. Arius nobis, qui a furore accepit denominationem, orationis causa est & Conuentus: qui nescio quo modo allectus in presbyteratum Ecclesiæ Alexandrinæ nos latuit, cum esset alienus a doctrina beatorum Apostolorum & Prophetarum. Vnigenitum enim Filium & Verbum Patris non veretur priuare eadem & æquali cum Patre substantia; et Creatorem cum creatura, creaturæ cultor contendit connumerare. Eum autem persuaseris, Imperator, mutata sententia, non repugnare doctrinæ Apostolicæ; aut si vanæ opinionis, cuius est conuictus, perstiterit in impietate, eum de Christi & nostro cœtu funditus sustuleris, ne suis turbidis verborum blanditijs venetur animas simpliciorum.] hucusque oratio Eustathij Episcopi Antiocheni a Gregorio recitata. Ad hæc contra Arium fortasse S Hieronymus allusit, cum ad Euagrium scribens ait[c]: Hic primus Antiochiæ Episcopus contra Arium clarissima tuba bellum cecinit.] hæc quidem ad alia tempora nequaquam referri possunt, cum (vt antea diximus) ante ipsum eiusdem sedis Episcopus Philogonius aduersus Arium valide decertauerit. Verum de his superius pluribus. C D

b Gregor. presb. orat. de sanct. Patribus Nicen. Concil. apud Lipom. tom. 6.

c Hieron. epist. 126.

DE RATIONE CONSESSVS.

Sed prius quàm cetera prosequamur, de loco Eustathij nodus ille soluẽdus se nobis offert: Quidnam est, quòd ipse tertiæ sedis Episcopus in dextero Episcoporum ordine primo loco sedet, cui præponendus fuisset Alexander Episcopus Alexandrinus, & ante eum tres Legati Apostolicæ sedis Vrbis Romæ, Osius, Vitus, atque Vincentius? Existimaui aliquando, quòd de eo scribatur, hymnum Deo cecinisse, quo illi gratias egit, Eustathium in sacro illo Conuentu, ob eam causam primum, qui videbatur, omnium locum nactum esse. Sed nec tanti ponderis æstimo hymni eucharisti recitationem, vt propterea in tanto Consessu locum principem obtineret. Verum nec quòd ibidem publice perorarit, primariam illum sedem decuit occupasse. Rursum vero nec dicere possumus ipsum primo loco sedisse tamquam patronum Synodi, cuius partes erant singulorum rogare sententias, vt suo loco dicemus. Nam cui magis credendum de Eustathio, quàm sibiipsi de se testanti; nempe præter illa quæ de fide Catholica adducta essent in controuersiam, reliqua adeo neglexisse, vt nec, quot in Synodo congregati essent Episcopi, scire curarit? At reddam ipsius verba[d]: Nicæam (inquit) aduentauit maximus Episcoporum cœtus, numero ducentorũ & septuaginta ad minimum in vnum coactorum: nam propter ingentem eorum multitudinem nihil certi de hoc numero scribere possum, quandoquidem in eo curiose inuestigando minime laboraui.] huiusmodi quidem haud sunt verba hominis Synodo præsidentis, & cui ex officio hæc & alia exacte scire necessario incumberet. E

d Apud Theodoret. lib. 1. c. 8.

Sed ad hæc cognoscenda nulla verior poterit ratio suffragari, quàm quæ petitur exemplo

A rerum gestarum in alijs sacrosanctis Synodis Oecumenicis: ex quatuor nãque illis antiquioribus Concilijs Generalibus, solius Chalcedonensis Acta integra extant; in cuius prima Actione qualisnam esse soleret Episcoporum consessus in Synodo, perspicue demonstratur, dum hæc ibi scripta leguntur [a]: Residentibus magnificentissimis & gloriosissimis Iudicibus, & amplissimo Senatu in medio ante cancellos sanctissimi altaris; et in læua quidem parte sedentibus sanctissimis & reuerendissimis Episcopis & Vicarijs Deo amicissimis sanctissimi & reuerendissimi Leonis Antistitis priscæ Vrbis Romæ, & Anatolio religiosissimo Archiepiscopo Constantinopolitanæ regiæ ciuitatis, & Maximo religiosissimo Episcopo Antiochiæ, &c.] Anatolius ibi est superadditus, cum nulla esset ratio qua Antiocheno Episcopo præferri deberet. Et paulo post: Ex dextera vero parte similiter considentibus Dioscoro religiosissimo Episcopo Alexandrino, & Iuuenale religiosissimo Episcopo Hierosolymorum, &c.] hæc cùm B situ & sessionis ordine in Synodo Chalcedonensi disposita inueniantur, & haud dubium ex antiquo & vsitato rerum ordine, nempe quod factum Patres scissent in Nicæno Cõcilio, Constantinopolitano pariter, & Ephesino: quis non intelligat, locum sinistrum ab illis sanctiorem & digniorem esse existimatum? nam cum Dioscorus Episcopus Alexandrinus hæresis infamatus, cuius causa in Synodo examinanda erat, primum locum dexteræ partis tenuerit, Legati vero Apostolicæ sedis primum læuæ; plane absque aliqua ambiguitate perspectum notumq. redditur, sinistram partem dextera digniorem esse existimatam.

a Concil. Chalced. Act. 1. tom. 1. Concil.

CONSESSVS PVBLICI RATIO.

Quod duplici ratione potuit contingere: siue quòd (vt dixisse quoque meminimus secundo Annalium Tomo) apud Romanos in sacris potior locus semper sinister sit habitus, dexter vero posterior: siue quòd in Ecclesia Christi ex benedictione illa Patriarchali [b] in Ephraim atque Manassem mutatæ sint rerũ vices & ordo; vt quæ sinistra esset, in dexterã, & dextera in sinistrã C dignitatis & benedictionis ordine mutaretur. Hac igitur ratione affirmandũ est, in hoc Nicæno sacro Episcoporũ Consessu, a læua parte sedisse Osium, Vitum, atque Vincentium missos a Siluestro Legatos a latere, moxq. assedisse Alexandrũ Episcopum Alexandrinũ, ac reliquos suo ordine: a dextris vero primũ (vt visum est) obtinuisse locum Episcopum Antiochenũ. Rursum vero in medio eiusdem Consessus (vt habent Acta dictæ Synodi Chalcedonensis [c] & aliorum Conciliorum) poni solitum erat sacrosanctum Euangelium, in quod vultus omnium conuersi essent. At quid hoc mysticum significaret, S. Cyrillus Alexandrinus declarare videtur, dum ait in Apologia: Sancta Synodus (nempe Ephesina) in sancta ecclesia, quæ Mariana vocatur, congregata est: Christumq. assessorem capitis loco adiunxit: venerandum enim Euangelium in sancto throno collocauit, tantum non in aures sacerdotum clamans: Iustum iudicium iudicate, &c.] Liber igitur ille in sede regia collocatus diuinam præseferebat personam, se-D cundum illud Psalmi [d]: Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat.] Sed ad ipsa Nicæna Acta reuertatur oratio. Quid autem actum sit postquàm perorauit Eustathius atque hymnum absoluit, Eusebius institutam semel prosequutus orationem, narrat sic dicens [e]:

SINISTRA POTIOR DEXTERA.

b Genes. 48.

c Concil. Chalced. Act. 1. paulo inferius.

LOCVS EVANGELII.

d Psal. 81.

e Euseb. Vit. Constant. lib. 3. c. 11. 12.

Postquàm ille assederat, omnibus aciem oculorum in Imperatorem acriter intendentibus, silentium factum est. Imperator vero primum alacri obtutu, & placidos oculos in omnes coniiciens, suæq. ipsius mentis & ingenij vires colligens, sedata ac leni voce, hoc modo apud eos dicere ingressus est: Quoniam mihi admodum in optatis fuit, amici carissimi, isto vestro consessu aliquando frui: iam vero potitus, Regi & moderatori omnium Deo ideo me gratias agere debere fateor, quòd mihi præter ceteros largitus est, vt istud quod omnibus fere bonis antecellit, nempe vos in vnum conuocatos, vnamq. omnium & consentientem esse volunta-E tem, oculis tandem aspiciam. Nolite ergo pati, vt vlla inuidiæ tempestas nostris rebus prosperis inimica istud bonum labefactet: neque cum tyrannorum dimicatio contra Deum suscepta iam Dei Saluatoris virtute profligata sit, vt denuo perditus dæmon diuinam Christi disciplinam & religionem maleuolorum obtrectationibus lacerandam obijciat: quandoquidem intestina seditio in Ecclesia Dei conflata multo plus molestiarum & acerbitatis, quàm quoduis bellum pugnave, videtur mihi in se complecti: atque istæ res ad animum spectantes, longe plus, quàm quæ ad corpus pertinent, doloris afferre videntur. Cum igitur Dei Opt. Max. nutu victoriam ab hostibus reportassem: nihilq. amplius mihi reliquum esse putarem, quàm vt tum Deo gratias agerem, tum vnà cum his, qui, Deo opem ferente, per me essent in libertatem vindicati, communem lætitiam animo perciperem: vt primum dissensio vestra ad aures meas præter omnem spem peruenit, rumorem illum de ea allatum non plane negligebam; sed optans in primis, vt huic rei mea opera & sedulitate remedium inueniretur, omnes vos absque mora accersebam. Attamen lætor equidem vehementer, cum iam vestrum con-

ORATIO CONSTANTINI.

ſeſſum intueor: tunc tamen arbitror rem me maxime ex animi ſententia geſſiſſe, vbi vos animorum coniunctione colligatos & vnam eamdemq. communem inter omnes & tranquillam concordiam (quam quidem vos, cum ſitis Deo conſecrati, alijs etiam a Deo impetrare, conſentaneum eſt) vigere, florereq. intellexero. Itaque ne vlla ſit quæſo in vobis mora, o cariſſimi; ne grauemini, o ſancti Dei miniſtri, & ſpectati communis omnium noſtri Domini ac Saluatoris famuli; ne grauemini, inquam, deinceps cauſas diſſenſionis inter vos graſſantis iam penitus tollere: primoq. omnium operam detis, vt omnia vincula, quibus conſtricta tenetur controuerſia, pacis legibus omnino diſſoluantur. Sic enim eſtis & Deo omnium gubernatori rem gratam facturi, & mihi veſtro in Domino conſeruo maximum præſtaturi beneficium. Hic iſta Latino ſermone, altero eodem interpretante, loquutus: ſermonem omnem deinceps Concilij Præſidibus conceſſit.] A

a Euſeb. Vit. Conſtantin. lib. 3. c. 13. — CONSTANTINVS CVR LATINO SERMONE VSVS IN DICENDO. — b Sozom. lib. 1. c. 8. — c Greg. presbyt. orat. de Patribus Nicæn. Concil.

Cur autem Latino magis quàm Græco ſermone vſus ſit, cum teſte eodem Euſebio [a] idem Græcam linguam calleret: ea potiſſimum ratio redditur, quòd ob maieſtatem Romani Imperij, nec inferiores quidem Iudices decebat interloquendo, & ſententiam ferendo, peregrina vti dialecto, ſed tantum Romana: quod fuſius nos dixiſſe alia occaſione meminimus primo Annalium Tomo. Porro eamdem Conſtantini ab Euſebio recitatam orationem referunt Sozomenus [b] atque Gregorius [c] in eamdem ferme ſententiam. Dalmatianus vero Epiſcopus Cyzicenus, qui tempore Zenonis Imperatoris collegit, vt profitetur, Acta Nicæni Concilij, longe prolixiorem ab his recitat Conſtantini in Synodo orationem, qua inter alia Imperator opportuna occaſione ſe ſacro initiatum eſſe baptiſmate profitetur, quam facilioris fuit negotij ab Euſebio prætermitti: de ceteris ſcriptoribus eamdem orationem omittentibus nulla eſt ſuſpicio doli, cum ſiue rem ipſam, ſiue verba, non alia quàm quæ ab Euſebio ſcripta eſſe repererint, memoriæ commendaſſe intelligantur. B C

ACTA NICÆNA PVTANTVR EXTARE.

Quæ autem poſt hæc in Synodo geſta ſint, vtinam integrum eſſet hic integra Acta deſcribere, ſingulorumq. ſanctorum Patrum ſententias tamquam monilia quædam attexere. Sed quoniam ea deperdita eſſe noſcuntur, ex fragmentis hincinde collectis opus haud ingratũ compingere ſatagemus. Fuiſſe quidem Acta Nicæna accuratiſſime ſcripta, S. Athanaſius auctor eſt in libro de Synodis: verum iniuria temporis & Arianorum conatibus paſſa eſſe naufragia, certum eſt. Ceterum ſcimus, nonnullos qui longe poſt Nicænum Concilium vixere, profiteri Acta Nicæna reperiri: ſiquidem teſtatur Photius ſe legiſſe Acta Nicæna tribus diſtincta voluminibus a Gelaſio quodã ſcripta: non tamen, vt ait, ipſa vere Synodi Acta, verũ de rebus geſtis in Synodo hiſtoriã, humili quidẽ ſermone, ſed diligenti tractãtem quæ in Synodo contigerũt. Aſtruere videtur id ipſum Theodorus Balſamon, eius interpres. Ex noſtris Latinis Iſidorus, nõ ille Hiſpalenſis Epiſcopus (ne quis pulchro nomine decipiatur) ſed ille cognomento Mercator, haud tantæ fidei auctor, vt experti ſumus in multis, hæc de his tradit [d]: Nobis autẽ (inquit) quidam e conſortio fratrum noſtrorum Orientales teſtati ſunt, ſe vidiſſe Concilium Nicænum habens potiorem quàm quatuor Euangeliorum magnitudinem, continens in ſe ſeſſiones Epiſcoporum, & introductiones, iudiciaq. querimoniarum, atque definitiones, & conſtitutiones, necnon & ſubſcriptiones eorum, ad cuius ſimilitudinem Magnum Chalcedonenſe Concilium conſcriptum eſſe confirmarunt.] hæc ipſe. Sed & qui noſtro ſæculo vixit, & ante paucos annos ex hac vita deceſſit, D. Franciſcus Turrianus dignæ memoriæ vir aſſeuerare non dubitat, eadem hodie reperiri Alexandriæ apud illius ſedis, qui illic moratur, Epiſcopum. Credidit ipſe alijs iſtæc referentibus. Alios audiui affirmantes eadem Acta apud Arabes aſſeruari. D

d Iſidor. in præfat. Concilij.

DE ACTIS NICÆNIS AVCTORIS SENTENTIA.

Sed vt libere dicam: ſomnia puto hæc omnia: vtinam falſus coniector inueniar: nam illud ſcimus; omne ſæculum, quod ab eo tempore ad noſtram vſque ætatem interlapſum eſt, cupidiſsimum fuiſſe tam egregiæ atque omnium nobiliſsimæ antiquitatis, nec tamen ea hominum quemquam potitum eſſe. Nec ignoramus in compluribus Concilijs Oecumenicis, in quæ ex omnibus Orientis atque Occidentis prouincijs eruditi Epiſcopi conuenere, cum ſæpius Nicænorum Actorum peropportuna mentio ſe offerret, ab aliquo illorum nomine tenus cognita vel citata. Nec nos latet, ſub Honorio Imperatore, cum de Nicæno canone controuerſia fuiſſet exorta, publica legatione Africanorum Epiſcoporum ad Orientalium ſedium præcipuos Antiſtites miſſa, eſſe omnia Eccleſiarũ archiua reſerata, atque abdita quæque penetralia diligentiſsime perueſtigata; nec quidquam, præter illa quæ hodie habentur, de Nicæno Concilio inuentum eſſe. Quamobrem miſsis his (quod noſtrarum partium eſt) in illud potiſſimum incumbamus, vt quoniam vbertas meſſis deeſt, & pinguis vindemiæ nulla ſpes reliqua, ſpicas colligamus atque racemos: quæ, inquam, diuerſis in locis ſparſa atque diſperſa inueniri poſſunt, relegentes, ſuo ordine diſponamus. E

Illud

A Illud quidem memoria dignum in primis accidit: cum ex conſuetudine, ſcripta Arij de hæreſi, quam protulerat, legerentur; ſanctiſſimos Patres illos adeo exhorruiſſe blaſphemiam, vt mox aures obſtruxerint. Teſtatur id quidem S. Athanaſius, cum aduerſus Arianos agit, his verbis [a]: Ego certe, vel ſolum inter ſcribendum, cum & eius impietatum recordarer, verumq. de religione ſenſum retinerem, non potui hominem non execrari. Nam & in Nicæno Conuentu, omnes quotquot ibi aderant Epiſcopi aures ſuas ad iſta verba obturauerunt, &c.] Lectæ ſunt & litteræ Euſebij Nicomedienſis totius ſatanicæ molitionis præcipui architecti. Quid autem tunc a Patribus de his ſcriptis actum ſit, Euſtathius, quem diximus, Epiſcopus Antiochenus narrat his verbis, quæ recitat Theodoretus [b]:

ARII HAERESIS LECTA IN SYNODO.

a Athanaſ. orat. 1. contra Arian.

Vbi his de cauſis Nicæam aduentauit maximus Epiſcoporum cœtus] et paulo poſt: Vbi etiam de fidei modo quæri cœptum eſt: Euſebij blaſphemia per ſuas ipſius litteras ſatis per-
B ſpicua deprehenſa fuit. Quæ quidem litteræ vbi fuere perlectæ, ſicut auditoribus immenſum dolorem propter eius de Eccleſia deceſſionem, ſic earum auctori inſanabile dedecoris vulnus intulerunt. Ac tametſi iam impia Euſebij officina patefacta erat, & nefariæ eius litteræ in omnium conſpectu diſcerptæ: tamen quidam fraudulenter, nomine pacis ſimulato, omnes qui præclariſſime concionari ſolebant, ſilere compulerunt. Qui autem aperte Arij inſaniam ſectabantur; ij veriti, ne auctoritate tanti Concilij in vnum coacti, in exilium eijcerentur, procedentes in medium ipſi vetitum Arij dogma damnant anathemate, & litteris de fide omnium conſenſu compoſitis, ſua manu ſubſcribunt.] hæc de his modo Euſtathius. Fuit plane Arianotum Epiſcoporum iſtiuſmodi ſponte facta deditio perſimilis fugæ Parthorum; ſic enim contra Arium ſcribunt, vt in ſedibus ſuis relicti, inde pro Ario (quod fecerunt) validius dimicarent. Verum ſcriptio iſta atque ſubſcriptio ſequuta eſt poſtea. Verſemur nunc in his quæ
C ipſius Synodi exordio facta ſunt.

b Theodoret. lib. 1. c. 8.

EVSEBII NICOMED. LITTERAE LECTAE.

Cum enim aduerſus Arium & Arianos diutius ante Nicænum Concilium olim Synodus a Catholicis ac præcipue a Legato Sedis Apoſtolicæ Oſio Epiſcopo Cordubenſi, & Alexandro Epiſcopo Alexandrino, Alexandriæ (vt ſuo loco dictum eſt) collecta fuiſſet: placuit ſanctis Patribus Nicææ collectis, vt eiuſdem Synodi ante habitæ Acta producerentur in medium. id quidem teſtatur S. Iulius Papa in epiſtola apud Athanaſium his verbis [c]: Quocirca Epiſcopi in Magna Synodo Nicææ congregati non ſine Dei conſilio permiſerunt prioris Synodi Acta in alia Synodo examinari: vt & illi qui Iudices erant, præ oculis habentes ſecundum de ea ipſa re iudicium futurum, eum omni diligentia cauſam expenderent; et illi qui ſententiam acceperant, certo cognoſcerent, ſe non per ſimultatem priorum Iudicum, ſed iure & merito condemnatos eſſe.] hæc Iulius. Porro de altercatione tunc habita inter hæreticos atque Ca-
D tholicos, S. Athanaſius, qui interfuit, & ad Alexandri Epiſcopi ſui iuſſa pro defenſione fidei præſto erat, hæc ait [d]: Ita enim in Nicæna Synodo, cum Euſebio eiuſq. gregalibus actum eſt: cum principio in hæreſi ſua contumaces, bella, pugnaſq. in Deum meditarentur (nam quæ ab illis proferebantur, hæreſis impietate ſcatebant) Epiſcopi contra qui conuenerant (erant autem illi plus minus trecenti) placide & humaniter poſtulabant, vt ſuorum dictorum rationes redderent, ſeq. non impios eſſe demonſtrarent: illi autem vix inceperant hiſcere, cum iam & improbarentur, & ipſi quoque inter ſeſe depugnarent; agnitaq. ſuæ hæreſeos perplexitate, muti prorſus reddebantur, ipſoq. ſilentio ſuæ opinionis vitia flagitiaq. prodebant. Epiſcopi igitur, ſublatis Euſebianorum vocabulis, iſtam formulam ſanæ fidei conceperunt; omnibuſq. ſubſcribentibus, ſubſcripſerunt & ipſi Euſebiani ijs verbis, quæ nunc culpant: loquor autem de vocabulis SVBSTANTIA, ET CONSVBSTANTIALITATE: appro-
E bantes Dei Filium nullo modo facturam aut creaturam eſſe, ſed fœtum & Verbum ex Patris ſubſtantia.] ſed hæc poſtea.

SYNODI ALEXANDRINAE ACTA PRODVCTA.

c Extat apud Athanaſ. Apolog. 2.

d Athanaſ. epiſt. contra hæreſ. Arian. decret.

Ceterum antequàm ad iſta deuenirét Euſebiani & alij Ariani, vt Catholicæ fidei ſubſcriberent, & deteſtarentur ſententiam Arij, quam ante defenderant; exploſa iam atque penitus confutata hæreſi, inter Patres nonnihil laboratum eſt, qua potiſſimum voce diuinitatem coæqualem paremq. Filij Dei cum Patre poſſent exprimere, quo omnis illorum impietas remaneret prorſus extincta. Nam cum (inquit Athanaſius [e]) Synodus in hoc eſſet, vt Arianorum impia voca bula tolleret, & voces adhibere vellet, quæ ſine controuerſia ſacrarum litterarum eſſent: nimirum eum Filium eſſe, & nequaquam ex non entibus eſſe, ſed ex Deo, eumq. Verbum eſſe, & Sapientiam, ac nequaquam creaturam aut facturam, ſed germen proprium ſui Patris: Euſebiani pro inueterata ſua & praua opinione volebant, illud, Ex Deo eſſe, commune eſſe & ad homines quoque pertinere, neque quidquam Chriſtum eo nomine a nobis differre.] et paulo poſt: Ibi Patres, animaduerſa illorum fraude & impietatis vafricie, coacti ſunt

DIVINITAS FILII DEI QVIBVS VOCIBVS EXPONENDA.

e Athanaſ. vbi ſupra.

clarioribus verbis exponere quid sit, Ex Deo esse: et scribere Filium ex substantia Dei esse: ne, Ex Deo esse, & commune & æque ad Filium & creaturas pertinere existimaretur.] et inferius: A

Episcopis rursum affirmantibus, & hoc quoque scribi debere: Eum veram esse potentiam, & imaginem Patris, & similem Patri, & immutabilem per omnia, & inconuertibilem, & æternum, & indiuisum in Patre subsistere: numquam enim non erat, sed semper erat, subsistebatq. perpetuo apud Patrem, vt splendor lucis: Ista quidem eatenus sustinebant Eusebiani, nihil ausi contradicere, ob probrum quod in dictis suis refutatis passi erant. sed ita tamen, vt deprehenderentur inter sese mussitare, nutus conferre, oculisque sibi inuicem applaudere. Quasi illud, Simile esse, &, In eo esse, &, Eius potentiam esse, communia Filio nobiscum essent, neque obstaret quidquam quo minus nobis ea ipsa quoque adaptarentur, eo quòd de similitudine nostra cum Deo scriptum habeatur, hominem esse & imaginem & gloriam Dei, &c.] paulo vero post: Ceterum (inquit) Episcopi considerata illorum hypocrisi & vafricie, prout Scriptura dicit: Dolus in cordibus fabricantium mala: ipsi quoque necessitate coacti sunt sententiam earum rerum ex scripturis colligere, & quæ prius dixerant, apertioribus verbis repetere & scribere: Filium consubstantialem esse Patri; vt non solum similem similitudine, sed eumdem, ea voce qua ex Patre esse dicitur, significarent, &c.] multa de his ibi Athanasius. B

QVAE VOCES PRODITAE PARVM TVTAE.

De qua quidem voce Marius Victorinus [a] cùm pluribus agit, hæc ait: Hoc vno, id est, ὁμοούσιον, omne venenum Ariani dogmatis internecatur. O docti Episcopi, o sancti, o fidem spiritu confirmantes, o verbum, vere verbum Dei, quo Deus & λόγος ostenditur ex æterno, & semper, eademq. substantia. Dictum igitur Latine est ὁμοούσιον: vnde necessario etiam Græce ponendum atque tractandum.] hæc ipse.

a Mar. Victorin. aduersus Arium lib. 2. prope finē.

Porro vocem hanc acceptam tunc fuisse ex Eusebij Nicomediensis litteris in Synodo (vt vidimus) recitatis, testatur S. Ambrosius, qui in libro de Fide ad Gratianum Imperatorem sic ait [b]: Auctor ipsorum Eusebius Nicomediensis epistola sua prodidit dicens: Si verum, inquit, Dei Filium increatum dicimus: Homousion, Consubstantialem cum Patre, incipimus confiteri. Hæc cum lecta esset epistola in Concilio Nicæno; hoc verbum in tractatu fidei posuerunt Patres, quod viderunt aduersarijs esse formidini, vt tamquam euaginato ab ipsis gladio ipsum nefandæ caput hæresis amputarent.] hæc Ambrosius. Ceterum quòd calumniarentur Ariani, vocem esse exoticam, nec reperiri in diuinis scripturis; eius tamen significationem ex sacris litteris esse, nomenclaturamq. non nuper inuentam, sed a sanctissimis quoque Patribus vsurpatam, ab ipso præsertim sancto Dionysio Romano Pontifice, Dionysio Alexandrino Episcopo, & ante hos a Theognosto antiquo Theologo, Athanasius pluribus docet [c]. C

b Ambros. de fide ad Grat. lib. 3. c. vlt.

VOX CONSVBSTANTIALIS VNDE.

c Athan. in epist. decret. Nicæn. Concil. contra Arian. hæres.

Hanc autem traditionem plane esse Apostolicam, vt tres personas in vna substantia, eamdemq. vnam substantiam in tribus personis distinctam Catholica profiteatur Ecclesia, externi etiam & impij produnt, fidemque faciunt; vt illud Luciani [d] (quod suo loco diximus) dum, licet irridens, Christianum inducit catechizantem Ethnicum, de tanto mysterio sic paucis docens: Rogante Ethnico Christianum, atque dicente: Quemnam igitur tibi iurabo? Triphon respondit: Deum alte regnantem, magnum, æthereum, atque æternum Filium Patris, & Spiritum sanctum ex Patre procedentē: vnum ex tribus, & ex vno tria [*]. hæc tu Iouem puta: hunc Deum existima.] sic apud Lucianum. sed vnde hæc blasphemo veritas? nisi ex ijs, quæ ipse a Christianis, siue Apostolis, siue eorum discipulis, accepisset de fide sanctissimæ Trinitatis, qua omnes qui credituri essent imbuebantur? Vt vel hoc vno argumento ex veteri traditione, atque adeo Apostolorum, deprompto, omnis impietas conuicta prorsus remaneat & extincta. Nam quo modo tres vnum sunt, nisi in communicatione substantiæ? et quonam pacto vnum tres, nisi in distinctione personarum? Ita enim Ecclesiam Fideles docuisse tempore Apostolorum, etiam (vt vides) Christianæ religionis hostes affirmant. D E

d Lucian. in Philopatr. prope fin.

EXTERNI REFERANT TRADITIONEM APOST. DE TRINITATIS VNA SVBSTANTIA.

* uc2

Cum igitur patroni Arianæ hæresis se causa cadere cernerent, & contra Catholicam veritatem obniti posse vlterius, desperarent: de Ingenito Patre addidere propositionem, nempe, vt Pater tantum diceretur Ingenitus: vt deducere possent in consequentia, ipsum Filium factum atque creatum. Sed sancta Synodus sic Filium genitum nominauit, vt tamen ad eludendam illorum imposturam adderet, Non factum: sicque, Genitum non factum, adiecerit Symbolo. hæc enim ex Athanasio deducuntur [e]. Porro istæc de rebus gestis in Synodo aduersus Arianam hæresin ab Athanasio scripta, Theodoretus [f] omnia ferme recitat ex eiusdem Athanasij epistola ad Africanos; sed breuitatis causa (ne eadem iterum repetamus)

FILIVS DEI GENITVS, NON FACTVS.

e Athanas. in epist. decret. contra Arian. hæres.

f Theodoret. lib. 1. c. 8.

A tamus) omittimus. Controuersias enim in Synodo, de his quæ spectarent ad fidem, inter Catholicos & Arianos agitatas ipse Athanasius prolixiore oratione prosequutus est eo commentario, seu epistola, quam inscripsit, De ijs quæ decreta sunt contra hæresin Arianam. Fuit enim in his quæ ad mutuas conflictationes pertinent Athanasius pars magna Synodi, libera ei concessa licentia aduersus Arianos agendi.

Quid autem inter disceptandum præstiterit Constantinus, Eusebius.[a] narrat his verbis: Cùm igitur multa essent ex vtraque parte proposita; magnaq. controuersia, ipso disputationis ingressu, concitata: Imperator toleranter ac placide omnibus animum attendere, studio acri prolatas sententias sensim excipere: vicissim ferre opẽ vtrique disceptantiũ parti: eos magna cum contentione digladiãtes paulatim recõciliare: conferre cum singulis comiter & benigne sermonem: Græce (nam ne eius quidem linguæ ignarus fuit) quid ipse sentiret eloqui: suauis B fuit & dulcis, dum alijs persuadere, alios sermone lenire, alios qui diserte dixissent, collaudare, omnes denique ad concordiam reducere contendebat: vsque eo, vti tandem eos in omnibus rebus, quæ in quæstionem aliquando venissent, tum conspirantes animis, tum opinionibus adeo consentientes redderet, vt non modo concors fides inter eos vigeret, sed etiam vnũ idemq. tempus in salutari festo Paschatis celebrando obseruandum ab omnibus concederetur. Iam vero quæ erant communi omnium sententia decreta, cuiusque manu subscripta, fuerunt in commentarios relata.] hucusque Eusebius, paucis perstringens quæcumque in Synodo gesta essent, euitans syrtes ac scopulos de se vel socijs ne verbum quidem effandi, vt sic suæ suorumq. turpitudini consultum silentio foret.

a Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 13.

CONSTANTINI PARTES IN SYNODO.

Ceterum de Constantino illud verum: ipsum egisse, vt qui hactenus Arij sententiam defendissent, assentientes Catholico dogmati, sacræ fidei regulæ in Concilio editæ se subscriberent, C inter quos ipse Eusebius hoc idem præstitit. Sed declarauit rerum futurarũ euentus, Arianos non amore Catholicæ disciplinæ, sed priuatis commodis studentes (vt dictũ est) & in Constantini gratiam, inseruientes tempori, hæresin condemnasse, fidemq. Catholicam comprobasse: siquidem ab ea confestim resilierunt, & acriore sunt eam odio persequuti. Habes rursum ex Eusebio satis expressum, quæ fuerint partes Imperatoris in Synodo assidentis, nempe attente audire, studere paci, fauere veritati, & fouere concordiam, tumultus comprimere, discrepantes a veritate ad rectæ fidei semitam reuocare, & in omnibus de fide Catholica bene mereri, non autem ferre suffragium, vel causam sententia definire, vel quampiam ad eam rem pertinentem inconsultis Patribus legem ferre. At nec certe maiorem hac sibi vendicare potuerunt auctoritatem, qui aliàs, absente Imperatore, loco ipsius interfuere Synodo Iudices cognitores: laici enim cum essent, sic præesse Iudices consueuerunt, non vt definirent quidpiam, sed cognoscerent, & interloquendo paci consulerent & quieti. at de eiusmodi functione aliàs suo loco D opportunius: nunc autem ad res gestas in Synodo redeamus.

ARIANI IN GRATIAM IMP. CONSENTIVNT RECTAE FIDEI.

Consentientibus Catholicis Episcopis, & Arianis pariter assentientibus, concepta est Catholicæ fidei formula, qua omnia Arianæ hæresis capita truncarentur: fuit autem eius formandæ Osius in primis sapientissimus architectus, de quo hæc S. Athanasius[b], cum scribit in Arianos ex verbis ipsorum in eumdem Osium apud Constantium conclamantium: Hic princeps est Synodorum; et si quid scribit, vbique auditur: hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos vbique pro hæreticis traduxit.] Porro ipsa sacra fidei formula tunc scripta, quam Nicænũ Symbolum appellare Fideles consueuerunt, cum pluribus in locis scripta habeatur; nos hic describemus eam ex epistola eiusdẽ Athanasij ad Iouinianũ Imperatorem[c]:

b Athanas. epist. ad solitar.

SYMBOLVM NICAENAE FIDEI.

c Athanas. ad Iouinian. de fide.

Credimus in Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium creatorem: E Et in Dominum Iesum Christum Filium Dei, natum ex Patre, & vnigenitum, hoc est ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, & consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt tam in cælis quàm in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in cælos, venturus inde ad iudicandum viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum.] hæc est regula Catholicæ fidei: quæ vero sequuntur, anathematismi sunt, pronunciati aduersus omnes impias Arianorum positiones, ne vlla ex parte hæresis consistere posset; quos idem sic subdit: Eos autem qui dicunt; Erat, quando non erat; et antequàm fieret, non erat; aut ex non entibus extitit ex alia substantia, subsistentiaque; aut creatum, aut conuertibilem, aut alterabilem dicentes Filium Dei: hos anathemate ferit Catholica & Apostolica fides.] hucusque Nicænum Symbolum, quod secundum diuersas translationes in Latinum factas, interdum aliquibus diuersis verbis scriptum habetur, vt in Synodo Chalcedonensi[d], & apud S. Basilium[e], alijsque in locis.

d Synod. Chalc. Act. 2.

Cum autem ad astruendam Spiritus sancti diuinitatem nihil præterea addidisse reperiatur

e Basil. epist. 78.

Nicænum Concilium Symbolo Apostolorum: id eam ob causam accidisse S.Basilius ait, quòd nulla tunc ea de re cõtrouersia mota esset: sic [a] enim ait, postquàm Nicænum Symbolum recitauit: Quoniam igitur in hac fide reliqua quidem satis diligẽter determinata sunt, alia ad correctionem noxiorũ, alia ad præmunitionem contra ea quæ in futuro suboriri possunt: sententia vero de Spiritu sancto in transcursu sine omni diligentia posita est, propterea quòd nondum mota esset ista quæstio, sed adhuc credentium mentibus securus ac nullis obiectus insidijs inesset de Spiritu sancto intellectus. Paulatim vero peruersa impietatis semina sese exeruerũt: quæ quidem primum ab Ario hæresis auctore seminata, postea vero ab illis qui impia Arij cõmenta susceperunt, ad perniciem Ecclesiarũ nutrita sunt.] hæc S.Basilius. In eamdem sententiã item S.Hieronymus [b] aduersus obiectionem illam pro Origene allatam: Quidam constantius aiunt: Quo modo damnabimus, quos Synodus Nicæna non tetigit? Quæ enim damnauit Ariũ, damnasset vtique & Origenẽ, si illius dogmata reprobasset. Scilicet, vno medicamine omnes simul morbos debere curari, & idcirco Spiritus sancti negãda maiestas est, quia in illa Synodo super substantia eius silentium fuit. De Ario tunc, non de Origene quæstio fuit: de Filio, non de Spiritu sancto. Confessi sunt quod negabatur; tacuerũt de quo nemo quærebat.] ita Hieronymus. A B

Sed & satis expressam esse Spiritus sancti diuinitatem in Nicæno Symbolo, S. [c] Epiphanius docet, dum in eo posita illa sunt verba: Et in Spiritum sanctum] sicut dixerant: Credimus in Patrem, & in Filium, in vnam ipsorum (vt ait) glorificationem, in vnam Deitatis vnitatem, in vnam coessentialitatem, in tria perfecta, vnam vero Deitatem, vnam essentiam, vnam glorificationẽ, & vnam dominationem, a voce tertio repetita Credimus & Credimus & Credimus.] in hũc modum Epiphanius. Verum & dilucidius idem qui Synodo interfuit Athanasius, scribens libellũ Nicænæ fidei ad Iouinianum Imperatorem, post recitatum Nicænum Symbolum hæc subdit: Sed nec alienauit Spiritum sanctum a Patre & Filio, sed eum vna glorificauit cum Patre & Filio, & in vna sancta Trinitatis fide, eo quòd sit vna in sancta Trinitate Deitas.] hæc ibi, rursumq. scribens ad Africanos [e]: Eadem (inquit) illa Synodus blasphematores Spiritus sancti, dicentesq. eum creaturam esse, subuertit: Nam cum Patres statuissent de fide in Filium, id statim adiectum voluere: Credimus & in Spiritum sanctum: vt perfectam & plenam de S.Trinitate fidem confessionesq. absoluentes, formam eius, quæ in Christo est, fidei, & doctrinam Catholicæ Ecclesiæ exhiberent: cum & vobis & omnibus sit notum, neminiq. vmquã Christianorum dubium fuerit, nos in Deum, non in creaturam habere fidem: Deum inquam Patrem omnipotentem omnium visibilium & inuisibilium conditorem: et in vnum Dominum Iesum Christum filium eius vnigenitum: et in Spiritum sanctum: Vnum Deum in sancta & perfecta Trinitate cognoscentes, in qua baptizamur, & in quam cooptamur, Deitate.] hactenus Athanasius. C D

Conscripta igitur sacrosancta fidei regula singulorum Episcoporum chirographo muniẽda fuit. Subscripserũt Catholici omnes & Ariani, qui & hactenus in Episcoporum subscriptione positi leguntur, nempe Eusebius Episcopus Nicomediensis primarius Arij propugnator, Eusebius Pamphili Cæsareæ in Palæstina Episcopus, Mares Chalcedonensis, Theognis Nicænus, Narcissus Neroniadis, Asclepius Gazæ, Patrophilus Scythopolitanus, Gregorius Berythi, Aetius Lydæ, Secundus Ptolemaidis, Theodorus Heracleæ, & Menophantes Ephesinus. Cum autem (vt dictum est) omnes ij subscripti reperiantur Nicæno Concilio; quonam modo Socrates ex his quatuor non subscripsisse testatur, & quintum quem addit, Theonam Marmaricæ Præsulem? ait enim [f]: Hanc fidem approbauerunt trecẽtum decem & octo Episcopi, omnesq. ei assensi sunt; et vti scriptum est apud Eusebium, consentientibus animis, opinionibusq. eidem subscripserunt, quinque solum exceptis, qui hanc vocem ὁμοούσιον, id est, Consubstantiale, repudiarunt, Eusebio videlicet Nicomediæ Episcopo, Theognide Nicææ, Marete Chalcedonis, Theona Marmaricæ; Secundo Ptolemaidis.] et paulo post: Proinde & vocem illam, Consubstantiale, vehementer irriserunt, & abdicationi Arij subscribere noluerunt. Ob quam causam Concilium non solum Ario & omnibus eius opinionis fautoribus denunciauit anathema; verum etiam vetuit, ne Alexandriam Arius omnino aduentaret.] hæc Socrates. E

Sed hac in re diuersa sunt tempora consideranda, atque illud primũ, cum regula fidei scripta est; tunc enim accidit, vt ijdem a Socrate recensiti resilierint, & subscribere recusauerint: paulo vero post oblato libello recantantes palinodiam, ijs quæ de fide decreta fuerant subscripserunt. At post hæc a S.Synodo in Arium, damnata iam eius hæresi, anathema inflictum est, quòd a sententia non discederet. Tunc subscribentibus omnibus Episcopis Arij anathemati, duo tantum id facere renuerunt; nempe Eusebius Nicomediensis Episcopus, & Theognis Nicænus: quando ijdem cum Ario a Synodo damnati sunt, & priuati sedibus, in locum ipsorum Nicomediæ Amphione suffecto, & Cresto Nicææ. Porro decreta sunt

Marginalia:

a Basil. ead. epist. 78.
IN NICAENA SYNODO CVR NIHIL DE SPIRITV SANCTO.
b Hieron. epist. 65.
c Epiphan. hæres. 74. prope finem.
d Athanas. ad Iouinian. de fide.
SPIRITVS SANCTI DIVINITAS ASSERTA IN NICAENO CONCIL.
e Athanas. epist. ad Afric. in fin.
ARIANI EPISC. QVI SVBSCRIPSERE.
f Socrat. lib. 1. c. 5.
EVSEBII NICOMED. ET THEOGNIDIS NICAEN. PERTINACIA.

A sunt hæc quidem a Synodo; sed Constantinus ab Eusebio ipso rogatus intercessit, quo minus ista in eos statuta executioni penitus mandarentur, neve subrogati in locum ipsorum Episcopi sedes illorum capesserent: testatur id quidem ipse suis litteris, quas postea ad Nicomedienses dedit, nosq. inferius eas suo loco ponemus: egitq. Imperator, vt ijdem, quos S. Magna Synodus condemnasset, recantarent palinodiam, & ipsi sacro Patrum conuentui pœnitentiæ libellum mitterent. Quamobrem hallucinati esse videntur, qui putant, Arium, Eusebium Nicomediæ, & Theognidem Nicænum hoc ipso anno, eius Concilij sententia priuatos sedibus exulasse, atque diu post restitutos fuisse. Quando autem exilium eorumdem Episcoporum contigerit, suo loco dicturi sumus. Extat ipse libellus ab eisdem Eusebio & Theognide ad Patres missus, recitatur a Socrate, illumq. nos ob euidentiorem rerum gestarum certitudinem hic describemus; est enim huiusmodi [a]:

[a] *Socrat. lib. 1. c. 10.*

LIBELLVS EVSEBII NICOMED. ET THEOGNIDIS.

B Tametsi, cum antea a vestra sanctitate essemus condemnati, nostrum fuisset, ea quæ erant a vobis sancte & religiose iudicata, tacite & cum silentio tulisse: tamen quoniam absurdum erat, vt nos silentio nostro contra nos opinionem alijs afferremus, nos plane calumniatores esse; idcirco vobis significauimus, nos fidei decisioni consensisse; atque vi & notione verbi Consubstantialis diligenter considerata, paci nos totos addixisse, atque nullum errorem sequutos esse: sed tum quo Ecclesiarum securitati proinde consuleretur, ea quæ in nostram cogitationem venerant, vobis suggessisse; tum quo illos qui nostro consilio & sententiæ acquiescere deberent, certa persuasione confirmaremus, fidei illi subscripsisse; anathemati autem Ario a Concilio denunciato non ob eam causam non subscripsisse, quòd fidem illam incusaremus; sed quòd minime crederemus, eum qui erat accusatus, hominem eius generis fuisse: præsertim cum ex illis, quæ priuatim ad nos ab eo tum per epistolas relata erant, tum per eius C sermonem coram habitum declarata, pro certo essemus persuasi, ipsum longe alium esse. Quòd si sanctum vestrum Concilium nostris verbis voluerit fidem adhibere: illa quæ vestro iudicio decreta sunt, non contradicendo impugnare, sed consentientibus animis confirmare decreuimus: et hoc libello consensum illum roboramus: non huc inducti, quòd exilium grauiter & iniquo animo ferimus, sed quòd libenter cupimus hæresis vitare suspicionem. Nam si nos iam in vestrum conspectum venire permiseritis: comperietis nos vestris decretis omnino suffragaturos. Et quoniam vestræ reuerentiæ visum est, illum qui rerum istarum reus agitur, humanitus excipere, & ad vos accersere: est plane a ratione alienum, vt cum is qui crimine tenetur implicatus accersitus sit, illisq. quæ ipsi obijciuntur, responderit, nos reticendo nosmetipsos culpæ conuincere videamur. Ne grauemini igitur (sicut vestram benignam decet reuerentiam) sanctissimum nostrum Imperatorem de nobis in memoriam redigere, nostra D postulata illi exponere, & mature ea quæ sunt prudentiæ vestræ consentanea de nobis statuere.] hucusque libellus eorum: qui ab eis scriptus esse putatur, cum sententiam depositionis & exilij accepissent, nondum tamen ad locum exilij peruenissent.

ARIVS POENITENTIAM SIMVLAVIT.

Subdit his Socrates: Ex huius libelli verbis coniecturam facio, tum istos (quamquam fidei in Concilio decretæ subscribebant) abdicationi Arij suffragari noluisse, tum Arium ante istos accersitum fuisse: verum licet hoc ita se habere videatur; Ario tamen interdictum esse, ne Alexandriam accederet: quod plane constat ex illis rebus, quas postea excogitauit, vt per falsam & commenticiam pœnitentiæ speciem (sicut loco a nobis dicetur idoneo) reditum sibi ad Ecclesiam & vrbem Alexandrinam patefaceret.] hæc ipse. Porro hæc omnia durante adhuc Synodo gesta esse, & Arium accersitum ad Synodum palinodiam recantasse, ex his quæ S. Hieronymus scribit in dialogo in quo cum Luciferiano agit Orthodoxus, affirmare necesse E est; cuius verba hic describere opportunum existimamus: Cum (inquit Orthodoxus) in Synodo Nicæna, quæ propter Arianam perfidiam congregata est, octo Episcopos Arianos susceptos sciamus (plures tamen his superius numerati sunt) & Episcopus iam in Mundo nullus sit, nisi quos Synodus illa ordinauit: quo modo potuerunt aduersum eam facere, propter quam exilium sustinuerunt? LVCIFERIANVS dixit: An tandem & tunc recepti sunt Ariani? Quinam quæso? ORTHODOXVS dixit: Eusebius Episcopus Nicomediensis, * Theogonius Episcopus Nicænus, Saras tunc presbyter Libyæ, Eusebius Episcopus Cæsareæ Palæstinæ, & reliqui, quos enumerare longum est: ipse quoque caput horum & causa malorum Arius presbyter, & Euzoius diaconus, qui post Eudoxium Antiochenus Episcopus fuit, & Achillas lector: hi quippe tres Alexandrinæ Ecclesiæ clerici auctores huius hæreseos extiterunt. LVCIFERIANVS dixit: Si quispiam eos negasset fuisse susceptos, quo modo reuincetur? ORTHODOXVS dixit: Supersunt adhuc homines, qui illi Synodo interfuerũt: et si hoc parum est, quia propter temporis antiquitatem rari admodum sunt, & in omni loco testes adesse non possunt;

[b] *Hieron. aduersus Luciferian.*

* Theognis

possunt; legamus Acta & nomina Episcoporum Synodi Nicænæ; et hos quos supra diximus A
fuisse susceptos, subscripsisse, homousion, inter ceteros reperiemus.] hucusque ex Hieronymo.
Cum igitur tam constanter affirmet, Arium pœnitentē a Synodo cum alijs fuisse receptum:
plane rem hunc in modum esse gestam, ex ijs quæ paulo ante sunt dicta, potest intelligi: vt primum
eius hæresis ac subinde ipse a Synodo damnatus sit, & a Constantino in exilium missus:
quem postea Synodus receperit pœnitentem; sic tamen, vt ad euitandas turbas atque tumultus,
abstineret a ciuitate Alexandrina. Quod vero spectat ad damnationē primitus factam;
a Sozom. lib. 1. c. 20. vnà cum ipso etiam eius scripta fuisse damnata, Sozomenus tradit his verbis [a]: Concilium autem
tū Arium, tū suæ opinionis fautores pariter abdicauit, decreuitq. ne veniret Alexādriam:
quin etiam & verba, quibus eius explicabatur opinio, & librum quem de eadem ediderat, in-
ARII SCRIPTA DAMNATA ET CVM EIS THALIA SOTADICA. scripserattq. Thaliam, legi vetuit; cuius libri stylus (vti audiui, nūquam enim illū legere cōtigit)
ita dissolutus est, vt præ mollicie, qua diffluit, Sotadicis cātibus similis videatur.] in hūc modū B
Sozomenus de facta a Synodo dānatione Arij & scriptorū eius. Sed quod ad Thaliā Arij pertinet,
b Athanas. de sententia Dionysij. de eadem hæc Athanasius [b], cum loquitur de Ario: Hæresinq. Thalia effeminatis ridiculisq.
numeris ad similitudinē Aegyptij Sosadæ conscripta in lucē promulgarit.] Locus hic noscitur
deprauatus, cū habeat Aegyptij Sosadæ, pro Sotadæ. Ceterū (vt hæc obiter dicā) nō fuit
Sotades Aegyptius, sed ipse Arius ob contumeliā Sotades Aegyptius dictus est. Suidas enim
c Suid. in verbo Sotades. de Sotade hæc refert [c]: Fuit Sotades Cretēsis Maronita a dæmonio vexatus; Iābographus scripsit
Phlyacas, siue Cinædos lingua Ionica] Poeta turpissimus: vt merito dicat de eo Athana-
d Athanas. orat. 2. contra Arian. sius [d]: Nescio quis Sotades reperitur, homo apud Ethnicos ridiculus.] Sed quot quibusve pedi-
e Vid. in Thesaur. Sotadeum carmen. bus cōstaret Sotadeū carmen cōscripsit Attilius Fortunatianus [e]. verū de eodē Cōmētario ali-
f Athanas. orat. 2. contra Arian. bi idē Athanasius his verbis [f] paulo fusins agēs de Arianis eiusmodi scenicis scriptis vtētibus:
Quo modo de numero Ecclesiæ Catholicæ habeantur, qui Apostolicam fidē excusserunt, & C
THALIA ARII QVALIS. nouarū pestium inuētores se præbent? qui relictis Christi eloquijs, θαλείας Arij, hoc est Crapulas,
titulo nouæ sapientiæ cohonestant, ac bono iure eum titulum vsurpant? nouam enim
hæresin annunciant. Quapropter non sine admiratione est, nusquam in multis multorū operibus
& sermonibus tum in vetus tum in nouum Testamentū conscriptis, inter titulos librorum,
θαλείας, hoc est Crapularum nomen reperiri, immo ne apud Ethnicos quidem frugi & tēperantes,
sed apud istos dumtaxat, qui istiusmodi res inter pocula ad risum captandum per plausum,
iocum, lasciuiamq. decantant. At eximius ille Arius, cum nihil aut sanctum aut graue
imitandum desumeret, securus, negligensq. istiusmodi probitatis; depeculatis aliorum hæresibus,
æmulum se in ridiculis vni Sotadæ præbuit.] et paulo post: Ira quoque fucatus & Sotadicus
Arius simulat se quidem de Deo loqui, cum interponat verba sacrarum litterarum: deprehenditur
tamen vndecumque atheos, dum Filium negat, & illum rebus conditis adnumerat.] D
At quodnam qualeve esset Arij Thaliæ exordium, idem reddit his verbis, quæ tamen
non ad numeros metricos translata esse reperiuntur: ait ergo:
Tale igitur exordium Crapularum Arii & vaniloquentiæ, moribus, numerisque effeminatum
inuenias: Ex secundum fidem electis Dei, peritis Dei, pueris sanctis, rectigradis, qui sanctum
Dei Spiritum acceperūt, ista didici ego ex sapientiæ cōsortibus, ab hominibus Dei discipulis,
per omnia sapientibus: horum per vestigia cum eadem dogmatum opinione incessi: Ego
ille perinclytus multa passus propter meam de Deo existimationem: a Deo autem sapientiam
condidici, & cognitionem cognoui.] hucusque ex Thaliæ principio Athanasius recitat. Comparat
eadem quoque oratione superius Thaliā ipsam filiæ Herodiadis saltatrici; vtpote quæ
lasciuo solutoq. numerorū gressu hinc inde saltans ludensq. se verteret, vt posset illi intendentes
simplices quosque mulcendo decipere. sed cum iusta querela Athanasij illa sit de nefandi E
hæresiarchæ procacia, dum titulum illum operi excogitauit, qui nec apud Ethnicos, qui frugi
essent & temperantes, vsurpatus inueniretur: his addimus amplius, ea molli eneruata atque
diffracta Arium in Thalia esse vsum Sotadica cantione, quam & solutus ille atque obscenus
g Martial. epigram. lib. 2. quoque poeta vitasset, nempe Martialis [g], qui ad Classicum ita scribit:

Quòd nec carmine glorior supino,
Nec retro lego Sotadem cinædum:
Nusquam Græcula quod recantat Echo:
Nec dictat mihi luculentus Attis
* Choliambos *Mollem debilitate Galliambon* *.
Non sum, Classice, tam malus poeta, &c.]

En vides, lector, perditissimum Arium ea non veritum esse adhibere in summis Theologicis
assertio-

A assertionibus, quæ poeta Gentilis idemque turpis vt nimis effeminata vitasset. Potuit ne diuino Spiritu esse ebrius, qui huiuscemodi putidam crapulam ex alieno vomitu haustam adeo obscene atque turpiter eructauit? siccine diuina proteruus, furore arreptus, prauoque dæmone agitatus homo tractauit? vt vel ex hoc vno nomen eius atque doctrinam, vt portentum atque monstrum aliquod, sapiens quisque exhorrescere merito debuisset.

Quid autem tam de Ario quàm de eius Thalia Constantinus edixerit, Sozomenus tradit his verbis [a]: At vero Imperator non Arium solum mulctauit exilio: verum etiam Episcopis omnibus & populis edictum scriptum misit, vt tum illum, tum eius opinionis fautores impiorum numero ducerent; et si qui liber reperiretur ab illis scriptus, in ignem conijcerent: quo neque ipsius, neque opinionis cuius auctor fuerat, vllum monumentum extaret. Quòd si quis aliquem librum eius occultare deprehenderetur, ac non illico in publicum productum incen-B deret; vt capitis mulctaretur supplicio. Quin etiam epistolas ad ciuitates singulatim scriptas misit, quibus Arium eiusque fautores damnabat.] Extat de his Constantini edictum, nempe de Ario & eius scriptis, in hæc verba [b]:

a Sozom. lib. 1. c. 20.

b Apud Socrat. lib. 1. c. 6.

VICTOR CONSTANTINVS MAX. AVG. EPISCOPIS ET POPVLO. S.

CONSTANTINI EDICTVM.

Cum Arius scelestorum & impiorum hominum consuetudinem imitetur: eamdem cum illis ignominiæ & turpitudinis notam merito subire debet. Quemadmodum Porphyrius capitalis pietatis hostis, qui nefarios libros contra religionem Christianam nuper edebat, mercedem dignam laboribus recepit, & eiusmodi quidem, vt apud posteriora sæcula non ipse solum maximis probris vexatus fuerit, & turpissima infamiæ labe aspersus, verum etiam impia eius scripta deleta penitus & extincta: Sic etiam visum est, Arium & eius sectatores, Porphyrianos nuncupare; vt quorum sequuti sint mores, eorum etiam nomen habeant. Quin etiam, si C quod opus ab Ario scriptum reperiatur; illud cremandum esse: vti non modo execrabilis eius doctrina funditus tollatur, sed etiam nullum monumentum eiusdem omnino relinquatur ad posteritatem. Illud etiam mandamus, vt si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus sit, & eum non statim in medium adductum igne combusserit; morte mulctetur: nam mox vt comprehensus fuerit, plectatur capite. Deus vos seruet incolumes.] hucusque edictum. Huius Constantini sanctionis meminit Theodosius iunior in edicto, quod promulgauit aduersus Nestorium, cum ait [c]: Quemadmodum Ariani lege diuæ memoriæ Constantini ob similitudinem impietatis, Porphyriani a Porphyrio nuncupantur; sic vbique participes nefariæ sectæ Nestorij, Simoniani vocentur, &c.]

c l. vlt. de hæretic. Cod. Theodosian.

ARIANI CVR PORPHYRIANI DICENDI.

Quòd autem cum Arium tum Arianos ipse Imperator Porphyrianos dici voluerit, vt cuius sequuti sint mores (vt ait) eius quoque nomine censerentur: cur potius Porphyrio similem D dicit Arium, quàm reliquis impijs? Num ob dogmatis similitudinem, quòd Arius, instar Porphyrij, Dei Verbum Patre minorem diceret? Sed hac ex parte Arius non tam Porphyrio, quàm reliquis Platonicis comparandus fuisset. An vero quòd, sicut Porphyrius, aduersus Christianam religionem tot volumina edens, eam prorsus destruere, idololatriam vero in omnibus integram conseruatamque reddi volebat; ita & Arius impia hæresi id ipsum præstare, licet alia ratione, conatus sit? Equidem hac quoque ex parte magna intercedit similitudo Ario cum Porphyrio; quippe qui enixe studuerit, vt iste, abolita fidei veritate, idololatriam in Ecclesiam introducere. At quonam modo; Athanasius [d] egregie docet: cum enim sic ille prædicet vnum Deum ingenitũ, vt eius Filium creaturam dicat: manifestum est, instar Gentilium creaturam adorandam exponere conatum esse in Ecclesia, ac proinde creaturæ cultores Christianos omnes efficere. Sed ipsum Athanasium audiamus.

d Athanas. contra Arian. ser. 4.

ARIVS IDOLOLATRIAM CONATVS INTRODVCERE.

E Cum (inquit) Ariani eiusmodi sententiæ sint: vitari omnino non potest, quin plura numina consocient: id enim facinus eorum qui ab vno Deo desciscũt. Cur igitur Ariani, cum hoc sensu sint, sese non adnumerant Gentilibus? siquidem ambo, omisso Creatore Deo, creaturæ inseruiant. Sed illi ad circumueniendos simpliciores, vocabulum Ethnicorum subterfugiũt, similem tamen cum illis sententiam fouent. Etenim sophisma illud, quod soliti sunt dicere: Non proferimus duo ingenita: id deprehenduntur ad simpliciorum imposturam dicere. Nam cum inquiunt, se non duo ingenita statuere, duo numina constituunt, eaq. diuersæ naturæ, alterum increatum, alterum creatum. Iam si Ethnici vni increato inseruiunt, & multis creatis: isti autem vni increato, & alteri creato: ne ita quidem quidquã discriminis inter ipsos & Ethnicos fuerit: cum is qui ab ipsis creatus censetur, vnus sit ex multitudine Gentilium deorum, & vicissim Gentiles dij eamdem cum isto vnico naturam possideant.] Sunt hæc plane admiratione digna, quibus sinuosis spiris atque mæandris veternosus serpens, humani generis hostis diabolus (cum videret magno suo damno idololatriæ iacturam pati, colentibus iam & ipsis

Imperatoribus Christum) iterum eamdem Christiano nomine contectam, larua pietatis appo- A
sita, per Arium restituere conatus sit.

Sed & admiratione res digna est, considerare quibus dolis atque vafricie idem Christianā
religionem, quam opera tot Imperatorū extinguere non potuerat, vnius hominis arte pessun-
dare ac penitus abolere studuerit, dum diuinū mysterium, baptismū inquam, quo omnes consi-
gnantur ac nominātur pariter Christiani, Arij hæresi auferre molitus est. Athanasij enim hæc
a Athanas. contra Arian. sermone 3. — iusta est querela, dum ait [a]: Ariani autem in periculum veniunt, ne amittant integritatē myste-
rij: loquor autē de baptismate. Si enim in nomine Patris & Filij datur perfectio, plenaq. initia-
ARIVS CONATVS ABOLERE CHRISTIANISMVM. — tio: Patrem autem verū illi non pronunciant, eo quòd negent aliquid ex ipso existere & simile
esse illius substantiæ; negantq. verum Filium, aliumq. ex non entibus conditū sibi cōminiscen-
tes in baptismate proferunt: qui quæso igitur non plane vanum ac inutile fuerit baptisma,
quod ab illis datur, cum non nisi species sit & inane simulacrum, ipsiq. ea re nihil solidæ opis
afferant ad pietatem? Non enim in Patre & Filio tribuunt baptisma Ariani, sed in Creatore B
& Creatura, in Factore & Factura, &c.] En vides quibus cuniculis vna simul & idololatriam
in Ecclesiam introducere, & ab ea auferre sacrum baptisma per Arium hostis humani generis
nisus sit. vt merito fuerit Porphyrio comparandus; nisi quòd in hoc Arius illo deterior, dum
Porphyrius aperte comparatis vndique muralibus machinis quatere tentauit Christianam
religionem; hic vero proditione, sub nomine Christiano, dolose eam prorsus perdere co-
natus est.

Sed quod ad Porphyrium spectat, qui aduersus Christianam religionem tot tantasq. bla-
sphemias effutisset, & ipsum Imperatorem contumelijs proscidisset, cum inter alia (quod te-
b Gild. de excid. Britan. — statur Gildas [b]) dixerit etiam in ipsius odium, Britāniam fertilem tyrannorum prouinciam es-
PORPHYRIVS MVLCTATVS EXILIO RECANTAT PALINODIAM. — se: dignam laboribus mercedem eum recepisse Constantinus cum tradat; non tantum quòd
libri eius fuerint incendio condemnati, sed & quòd exilio mulctatus sit, id affirmasse vide- C
tur: ac plane insinuat, eumdem Porphyrium adhuc eo tempore, quo hæc contra Arium scri-
bebat, fuisse superstitem: quem ex testificatione S. Hieronymi [c], abhinc post triennium, nem-
c Hieron. in Chron. — pe anno vigesimotertio eiusdem Constantini Imperatoris, misso ad eum insigni, vt ait, volu-
mine, ab exilio liberatum apparet. Exēplo illum puto Arij ductum, quem recantata palinodia,
ab Imperatore receptum audierat: vnde & ipse quoque decrepita senectute, exilij pertæsus,
volumen aduersarium ijs quæ superius scripserat ad Constantinum misit, quo ab exilio libe-
rationem est consequutus. Et licet S. Hieronymus minime dicat, quo argumento fuerit
conscriptus liber ille Porphyrij: tamen quòd pro mercede testetur solutionem ab exilio obti-
nuisse, quo ob nefarios contra Christianam religionem scriptos libros fuerat condemna-
tus: satis perspicuum perspectumq. reddi videtur, non nisi confutationem eorum quæ scripse- D
rat, insigne volumen illud continuisse; quod sane perijsse, dolendum. Ad hæc plane al-
d Eunap. Sardian. Vit. Philosoph. — lusisse colligitur Eunapius Sardianus [d], dum ait, ab eo in senecta nonnulla scripta fuisse contra-
ria ijs quæ prius ediderat: qui & de ætate & obitu eius, multa de eo loquutus, hæc dicit in
fine: Videtur extremam senectam attigisse; qua factum, vt multas reliquerit obseruatio-
nes libris prius ab se editis repugnantes, de quibus non possum aliter existimare, quam
quòd ætatis progressu sententiam mutarit. Romæ vitam cum morte commutasse dicitur.]
hæc Eunapius ipse Gentilis; sed ea frigide nimis, in gloriam Christi vertentia, enarrasse satis
habuit. Magna quidem hac ex parte Christianæ religioni gloria comparatur, cum in ea ora-
e Psalm. 71. — culum illud diuinum videatur impletum [e]: Et inimici eius terram lingent:] et illud [f]: Venient
f Isai. 60. — ad te curui, qui humiliauerunt te: et adorabunt vestigia pedum tuorum, qui detrahebant ti-
bi; et vocabunt te, Ciuitatem Domini.] E

PORPHYRII ÆTAS. — Quod vero ad Porphyrij ætatem pertinet: cum ad extremam senectutem (vt ait Eunapius)
g Socrat. lib. 3. c. 19. Niceph. lib. 10. c. 36. — peruenerit: Libanius [g] Sophista eum Tyrium senem appellat, cum de Iuliano Apostata scri-
bente aduersus Christianos, illum cōmendans, sic dicit: Qua in re sapientiorem se Tyrio sene
præstitit.] Ex his autem arguendus est Suidas, qui eum vsque ad Diocletiani tempora vi-
xisse tradit, cuius Imperij anno decimonono Porphyrium attigisse annum ætatis suæ sexagesi-
mumoctauum diximus, anno vero decimo Gallieni Imperatoris implesse annum ætatis trige-
simum, idq. ex eiusdem Porphyrij scriptis. Ex quibus omnibus certa annorū Porphyrij ratio-
ne deducta, affirmandum est, hoc anno eūdem peruenisse ad annū ætatis nonagesimumprimū.
At de Porphyrio hactenus, in cuius narrationem incidimus occasione edicti Constātini Impe-
ratoris, cū Arianos, Porphyrianos nominari præcepit. Iam ad Acta Nicæni Cōcilij redeamus.

Damnato Ario, non hæc tantum ad omnes Christi fideles Constantinus scripsit; sed & ad
h Socrat. lib. 1. c. 6. — Ecclesiam Alexandrinam, quam ille diu hæresi infestarat, has litteras dedit [h]:

Constantinus

A Constantinus Augustus Catholicæ Alexandrinorum Ecclesiæ.

Saluete plurimum, fratres carissimi. Permagnum certe & singulare beneficium a diuina prouidentia in nos collatum est, quòd omni errore liberati, vnam eamdemque fidem agnoscamus. Non est profecto diaboli insidijs contra nos intentatis de cetero quidquam loci relictum: nam quidquid est per fraudem in nos molitus, illud funditus sublatum est. Dissensiones autem animorum, schismata, tumultus illos, & letalia discordiarum (vt ita dicam) venena, veritatis splendor, iuxta Christi monitum, penitus obruit, deleuitque. Vnum igitur Deum omnes & nomine veneramur, & esse credimus. Vt autem istud Dei admonitione ad exitum perduceretur, magnam Episcoporum turbam ad vrbem Nicæam accersiui, quibuscum ego (qui vnus ex vestrum numero sum, quiq. eidem obsequio vna vobiscum libentissime me ipsum totum addico) operam dedi, vt veritas diligenter inuestigaretur. Proinde B omnia, quæ aut controuersiæ aut dissensionis materiam præbere videbantur, accurate excussa & exagitata sunt. Quanta & quàm execrabilia probra (o bone Deus, sis nobis clemens & misericos) nonnulli in venerandum nostrum Saluatorem, in spem & vitam nostram, scelerate nefarieque iecerunt; et scripturis diuinitus inspiratis, fideique sacrosanctæ contraria non modo impudenter effutiuerunt, sed se ita credere palam confessi sunt! Nam cum trecenti amplius Episcopi, viri propter animi modestiam & solertiam admirabiles, vnam eamdemque fidem, quæ & veritate & exquisitis legis diuinæ testimonijs vera fides esse confirmatur, constabiliuissent: solus Arius inuentus est, qui vi ac fraude diabolica victus, ab ea penitus desciuerit; quiq. impia animi impulsione incitatus, hanc erroris labem primum apud vos, deinde apud alios sparserit. Quocirca eam quam omnipotens Pater nobis tradidit doctrinã, amplexemur: ad fratres nostros carissimos, a quibus nequam & impudens diaboli minister nos segregauit, C redeamus: ad commune corpus Ecclesiæ, & ingenua nostra membra toto pectore, vt dicitur, reuertamur. Istud enim vestræ prudentiæ, fidei, & sanctitati in primis consentaneum est; vt errore illius, qui se hostem veritatis constituerit, penitus depulso, ad Dei gratiam & voluntatem vos denuo recipiatis. Nam quod trecentis Episcopis visum est: non est aliud putandum, quàm Dei sententia: præsertim cum in talium & tam præclarorum virorum mentibus sacer insideret Spiritus, qui illis diuinam voluntatem aperuerit. Quapropter nemo vestrum hæsitet, nemo moram interponat; sed omnes lubentibus animis ad viam veritatis redite; vt simul atque ipse ad vos aduentauero, debitas gratias Deo, qui omnia lustrat, vna vobiscum agam, quòd non modo fidem sinceram vobis patefecerit, verum etiam claritatem, quæ omnibus optanda erat, bene largitus sit. Deus vos, fratres carissimi, diu seruet incolumes.] hactenus Constantini litteræ ad Alexandrinos scriptæ, mox vt stabilito fidei Symbolo, damnatus est D Arius: nam cum nulla in his de terminata de Paschate cõtrouersia mentio habeatur (quæ quidem haud leuis erat) neque de dãnato Meletiano schismate, quod magnopere vexauit Aegyptum: ea omnia post Arij damnationem, postq. has scriptas litteras, contigisse, significantur.

CONSTANTINI LITTERAE AD ALEXANDRINOS.

Visis igitur hactenus quæ iam ante & post scriptum Symbolum acta sunt ab Ario & Eusebio Nicomediæ Episcopo in Nicæno Concilio: non prætermittẽdæ sunt res gestæ ab Eusebio Pãphili Cæsareæ Palæstinæ Episcopo. De eo enim in primis Athanasius [a] tradit, ipsum prima die admodum restitisse fidei regulæ a Patribus decretæ, postridie vero assensum præbuisse. quæ omnia Socrates narrat his verbis [b]: Per idem tempus Eusebius cognomento Pamphilus, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, in illo Concilio, cum paulisper hæsitauisset, secumque attenta cogitatione expendisset, num illam de fide decisionem deberet admittere; sic tandem vna cum reliquis vniuersis eam & approbauit, & subscriptione ratam fecit; et populo, cui ipse E præerat, eamdem scriptis proditam misit: vocemque, Consubstantiale, illi interpretatus est, ne cuiusquam animo de ipso inijceretur suspicio, quòd in eo aliquantum hæsitauisset.] sic plane ipsum excusat Socrates. Sed ex multis eius epistolis, quàm fuerit Ario addictus, superius est enarratum. Epistolam vero ab eo ad suos Cæsarienses scriptam idem auctor ad verbum recitat, quæ est huiusmodi [c]:

a Athanas. contra hæres. Arian. decret.

b Socrat. lib. 1. c. 5.

EVSEBII PAMPHILI RESCRIPTA IN SYNODO NICAEN.

c Socrat. eod. c. 5.

Etsi verisimile est, fratres carissimi, ea quæ de fide Ecclesiastica in amplo & frequenti Concilio Nicææ coacto tractata sunt, ad vos antehac perlata esse, præsertim cum fama ipsa accuratam rerum gestarum narrationem sua celeritate superare soleat: tamen ne veritas, si auditione solum ea acceperitis, contra ac se habeat, vobis nuncietur; primum eam fidei formulam, quæ a nobis Concilio proposita est; deinde alteram, quam Episcopi, vbi nostris verbis pauca adiecerint, ediderunt, ad vos mittere, necesse putauimus. Nostra vero formula, quæ tum coram Imperatore nostro sanctissimo perlecta est, tum recte se habere, pro certo explorata, ad hunc modum se habet:

EVSEBII PAMPHILI EPIST. AD SVOS CAESARIENSES.

Sicut

Sicut ab Episcopis, qui nos antegressi sunt, accepimus; sicut cum fidei fundamenta in nostris animis primum iacta essent, cumque lauacro baptismatis abluti essemus, audiuimus; sicut a diuinis scripturis didicimus; et sicut cum fungeremur presbyterio, & cum Episcopatum obtineremus, credidimus, & docuimus; sic etiam iam credentes nostram fidem vobis patefacimus, quæ eiusmodi est. Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem, visibilium omnium & inuisibilium creatorem. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Dei Verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, Filium vnigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia sæcula ex Deo Patre genitum, per quem omnia facta sunt. Qui propter nostram salutem incarnatus est, & inter homines versatus: qui passus est, & resurrexit tertia die. Ascendit ad Patrem, & iterum venturus est iudicare viuos & mortuos. Credimus etiam in vnum Spiritum sanctum. Et istorum quemque esse & existere credimus, Patrem vere Patrem esse, Filium vere Filium, & Spiritum sanctum vere Spiritum sanctum; sicut Dominus noster, cum discipulos suos ad prædicandum mitteret, loquutus est [a]: Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. De quibus confirmamus, nos hoc animo esse, sicque sentire, & sic etiam sensisse, & ad mortem vsque sic sensuros esse, in hac perseueraturos fide, anathemate impiæ hæresis cuique denunciato. Atque de istis rebus omnibus nos sincere & ex animo ita sensisse, ex quo nosmet noscere poteramus, & iam etiam vere tum sentire, tum dicere, Deum omnipotentem, & Dominum nostrum Iesum Christum coram testamur: certaque demonstratione ostendere possumus, vobisque ratione persuadere, nos temporibus præteritis ita credidisse, & huic fidei a nobis expositæ congrua prædicasse; neminemque posse nobis in hac re contradicere. Quin etiam Imperator noster sanctissimus hanc nostram fidem, veritatem in se complecti, primus omnium testificatus est; seque eodem animo esse, constanter asseruit; præcepitque vt omnes ei assentirentur, decretis eiusdem subscriberent, congruerentque cum iisdem, dummodo vna vox, Consubstantiale videlicet, adscriberetur.]

a Matth. 28.

Hanc quam ostentat Eusebius fidei suæ confessionem, si quis fœtui efformato in matris vtero comparauerit, cui nondum sit anima rationalis infusa; minime a scopo veritatis errauerit; vtpote quæ plane imperfecta esse ostendatur, & informis, quæ nec Arij excludat impietatem, & nihil penitus habeat de coæqualitate, coæternitate, & essentia Filij cum ipso Patre; ac proinde eiusmodi esse, qua Arius vti posset, & Ariani. Quamobrem ad eludendam, vt dictum est, vafriciem & subdolum consilium Ariani hominis; vocem illam, Consubstantiale Verbum Patri, iure meritoque Patres addendam putarunt; quo sicut anima rationalis infusa corpori perfectum hominem format; ita vox illa perfectum Deum æqualem Patri demonstret Filium Dei. Sed addit Socrates:

EVSEBII PAMPHILI PRAVITAS ET DOLVS.

Quam quidem vocem, Consubstantiale, ille ipse explicauit in hunc modum: Consubstantiale de corporis affectionibus non posse intelligi; neque Filium Dei vel diuisione, vel desectione, vt ita dicam, ex Patre constare: nam non posse fieri, vt natura, quæ materiæ expers est, quæ sola intelligentia percipitur, quæ corpore vacat, corpoream vllam affectionem in se excipiat: sed eiusmodi res nos diuinis & arcanis verbis debere complecti, sapientissimus quidem & pius noster Imperator de his isto modo philosophatus est.] hæc ipse dicens, humili plane sensu eneruat vocis istius potentissimam energiam. Recitato autem ab ipso Nicæno Symbolo, ista subnectit, quæ ab eo in Synodo agitata esse tradit:

Cum ista formula ab illis præscripta esset, illud, Ex substantia Patris esse, & illud, Patri consubstantialem esse, quo modo essent intelligenda, ab eis diligenter quærere cœpimus. Vnde quæstiones & responsa nata sunt; rationeque accurate peruestigatum, quæ illis verbis subiecta esset sententia. Fatebantur illi, Ex substantia esse, idem significare, quod, Ex Patre esse, non tamen partem Patris esse. Ista sane nobis videbantur pulchre consentire cum piæ illius doctrinæ sententia, quæ docet, Filium ex Patre esse, non tamen partem substantiæ illius esse.] O versipellis & impudens, qui eiusmodi vocis interpretationem non erubescit, ad suos scribens, impingere toti illi sacro Patrum Concilio! sed & subdit: Quapropter huic sententiæ etiam a nobis assensum est; neque vocem, Consubstantiale, reiecimus, propterea quod pax tamquam scopus ad intuendum ante oculos nostros versabatur, & cautio erat a nobis adhibita, ne recta fidei sententia excideremus.

Pari ratione, Genitum non factum approbauimus. Nam, Factum, verbum cum ceteris creaturis, quæ per Filium factæ sunt, commune esse dixerunt; nec Filium earum simile quidquam habere, ac propterea eum non esse creaturam illarum similem, quæ ab ipso factæ sunt, sed præstantioris esse substātiæ, quàm qua vlla creatura prædita sit, quam quidem ex Patre genitam

A nitam esse sacræ litteræ perdocent; quippe cum modus eius generationis a nulla mortali natura vel verbis exprimi, vel cogitatione comprehendi possit. Eodem modo & illud, Filium Consubstantialem esse, ratione & exquisitum est, & probatum, non more corporeo debere intelligi, neque simile habere quidquam cum mortalibus animantibus: nam neque diuisione substantiæ, neque defectione, neque mutatione paternæ essentiæ & facultatis posse constare: Ingenitam enim Patris naturam ab his omnibus prorsus alienam esse; et hoc, Patri Consubstantialem esse, nihil aliud ostendere, quàm Filium Dei ad reliquas creaturas nullam habere similitudinem, sed vnius Patris qui illum genuit, omnino similem esse, neque ex alia quàm ex Patris substantia & essentia genitũ. Quod quidem sic expositum rectum videbatur assensione approbare. Nam nõnullos veteres Episcopos & scriptores, viros sane disertos atque illustres, in Patris & Filij diuinitate explicanda, hoc verbo, Consubstantiali, vsos fuisse cognouimus.

B Sed de fide in Concilio Nicæno exposita & diuulgata, hæc hactenus. Cui quidem omnes ad vnum assensi sumus, non temere & inconsulto, sed secundum sententias coram ipso sanctissimo Imperatore propositas, discussasque, & communi omnium consensu, propter causas quæ superius memoratæ sunt, approbatas.

Quin etiam anathematis formulam, quæ post fidem explanatam ab illis proposita est, approbandam quoque putauimus: propterea quòd vetet, ne quisquam vocibus a scriptura abhorrentibus (ex quibus in Ecclesias omnis fere confusio & discordia inuecta est) omnino vtatur. Etenim cum nulla scriptura diuinitus inspirata his vocibus vsa sit, Filium Dei ex nihilo ortum esse, & tempus fuisse aliquando, cum non esset, & quæ sequuntur in eamdem sententiam; minime consentaneum videbatur, eas vel proferre, vel docere; quandoquidem numquam antehac istiusmodi verba vsurpare consueuimus. Ista ad vos, fratres carissimi, necessi-
C tate coacti misimus; non solum vti vobis decretum, quod nostram disquisitionem & assensionem sequutum est, planum faceremus; verum etiam vt intelligeretis, quòd primo, dum ea quæ aliter ab alijs scripta erant, animum nostrum ostendere videbatur, in vna eademque sententia (sicut ratio postulabat) ad extremam vsque horam perstitimus. Verum postea facile sane & sine vlla cõtentione, ea quæ nullam habebant offensionem, tum demũ amplexati sumus, cum nobis verborũ sensum & sententiam æquis animis disquirentibus, illa quæ exposita erãt, consentire viderẽtur cum his quæ in fidei formula ante proposita a nobis cõcessa & approbata fuerant. Ista Eusebius Pãphilus ad Cæsaream, quæ est Palæstinæ ciuitas, misit] & vt apparet, ob eam causam, vt se excusaret apud suos, si aliã ab ea quam docuerat fidei formulã suscepisse videri posset: in quibus quidẽ conscribendis (vt libere dicam) sic se superinduisse nouum vestimentum demõstrat, vt tamen vetus neqnaquam abiecerit, atque vlcus non curatũ obduxerit.

D Sed de eo quid S. Athanasius scribat[a], videamus: Quodque (inquit) maioris admirationis est, Eusebius ex Cæsarea Palæstinæ, quam pridie abnegasset, in eam tamen sententiam postridie subscripsit, quam etiam Ecclesiæ legendam misit, dicens, eam esse Ecclesiæ fidem, & Patrum traditionem: omnibusque manifesto apparuit, eum prius & temere errasse, & frustra contra veritatem pugnasse. Nam tametsi eum puduit scriptis errorem fateri, & vt potuit, se Ecclesiæ excusauit; in epistola tamen, in qua Dei Filium consubstantialem & ex substantia Patris existere non inficiatur, clare se in errore fuisse demonstrat: miserque prorsus in eo fuit, quòd vt se purgaret, coactus sit Arianos accusare, quòd illi scriptum reliquissent, non fuisse Filium antequàm gigneretur, indeque ratiocinari vellent, eum ne ante quidem carnis natiuitatem extitisse. Et hoc ipsum scit Acacius, nisi & ille quoque nunc metu temporum id dissimulandum putet, veritatemq. inficiari velit. Certe & is in fine subiunxit epistolã Eusebij, &c.]
E hæc Athanasius in eo versatus, vt demonstraret etiam Arianæ hæresis assertores subscripsisse Nicæno Symbolo. At qualis fuerit istæc Eusebij pœnitentia, exitus demonstrauit: nam soluto Nicæno Concilio, eodẽ cum Ario & Arianis perseuerante fœdere amicitiæ, in fidẽ Catholicã structa acie, paribus cum illis studijs dimicauit; quod multis argumẽtis inferius apparebit.

Sic etiam, quod dictum est superius, Ariani Episcopi, immo & ipse Arius recantarũt palinodiã, vt extiterint postea etiã Arianæ hæresis defensores: cũ & inter hæc plures alij reperirentur, quorũ ope dãnata Ariana hæresis fulciebatur; qui quòd essent priuatæ personæ, sicut nõ accesserũt ad Synodũ, ita nec Synodo innotuerũt: inter quos ille apostasiæ macula aspersus Asterius erat, de quo hæc Athanasius[b]: Asterius Cappadox sophista multiceps, vnus ex socijs Eusebianis, quoniã idolis in priori persecutione, quæ fuit sub auo Cõstantij (Maximiano Herculio scilicet) immolauerat, & propterea nequiret in clerũ cooptari: de sententia Eusebij opusculũ fecit, quale & ipse volebat, & quod sceleri immolationis magnitudine respõderet, in quo locustã & erucã cũ Christo cõparat, immo Christo anteponit, aliamq. quàm Christũ in Deo Sapientiam

[a] Athanas. contra hæres. Arian. decret.

DE EVSEBIO IVDICIVM ATHANASII.

[b] Athanas. de Synod.

ASTERIVS ET ALII APOSTATAE FAVTORES ARII.

tiam collocat Christi & Mundi cōditricem. Obambulat ille per Syriā, & per alias Ecclesias ex A
cōmendatione Eusebij, vt semel Christū negare doceat, atque ea sæuitie contra veritatē vtitur. Ascendit igitur homo audacissimus in loca minus sibi licita; sedensque in gradibus clericorum, publice suū opusculum, quamquam id multi grauiter ferrent, recitauit, &c.] hæc de Asterio Cappadoce Athanasius. Vide ex quali improborum fæce prodierint, nempe ex apostasia & Christi negatione, qui huic sceleſtissimæ hæresi patrocinati sunt: quibus quidem sordibus aspersum quoque fuisse Eusebium Cæsariensem, ex testificatione Potamonis sanctissimi Episcopi & confessoris, superius dictum est; eadem quoque labe inquinatum Eusebium Nicomediæ & alios, iam ante meminimus.

QVÆSTIO PROPOSITA DE TEMPORE PASCHATIS.

Terminatis vero illis in Synodo, quæ ad Arium & Arianam hæresin spectare videbantur: quæstio illa, cuius quoque causa Concilium præcipue coactum diximus, de tempore Paschatis celebrandi, reliqua erat. Vetus hæc controuersia fuit iam (vt narratum est secundo Annalium Tomo) Polycarpi tempore in Asia agitata, sub Victore autem Romano Pontifice, celebrato in Palæstina Concilio definita. At quoniam eius sectatores traditionem de ea re Apostolicam prætexebant: hac de causa factum est, vt licet quamplurimi resipuerint, ingens tamen adhuc multitudo in eadem perstaret sententia, sicque in schismate infeliciter permanerent. Erant hi ex prouincia Syriæ Christiani, qui in his quæ ad tempus spectant, more Iudæorum, die decimaquarta Lunæ sanctum Pascha celebrarent, non autem die Dominico post dictam Lunam, vt ceteræ omnes Ecclesiæ agerent. Haud tamen facile erat, eos qui contrariam tuebantur opinionem, quam a patribus atque auis & proauis accepissent, & in ea pariter consenuissent, ab ea deducere, & in communem cum ceteris sententiam de Paschate vna die celebrando perducere. Fuit (vt patet ex litteris Constantini ad Eusebium) magno cum labore eadem causa ad finem perducta. Quamobrem controuersia illa apertissime cognita & C
declarata; qui hactenus a ceteris diuisi erant diuerso ritu Paschatis celebrandi, sponte ad Catholicæ Ecclesiæ consortium redierunt, qui & pro Ecclesia aduersus Arianam hæresin magnis animis pugnauere. Testatur hæc de ijs S. Athanasius, cum ait [a]: Syri in aliorum sententiam traducti sunt, & Arianam hæresin decreuerunt pro Antichristi præcursatrice habendam esse; et scriptis contra eam editis, sua placita promulgarunt.]

[a] Athanas. de Synod. Arim.

DIVERSA DECRETA DIVERSO MODO CONCEPTA.

Compositis duabus hisce in Synodo controuersijs, diuersa diuerso modo concepta de singulis placuit edi decreta: nimirum, cum Symbolum fidei scriptum est, nullā notam temporis, diei, vel Consulis ad certum tempus consignandum adhibendam esse, Patres (vt diximus) existimarunt, quòd scilicet ea non esset recentis fidei constitutio, sed profiterentur eamdem semper in Ecclesia viguisse, nec a se, sed ab Apostolis Ecclesiæ traditam: quam etiam ob causam nec illa verba in ceteris Synodicis decretis adhiberi solita voluerunt præfigi Catholico D
Symbolo: VISVM EST: ne videretur recens elaborata fidei confessio. Non sic quidem factum est in illa constitutione de Paschatis tempore a Synodo edita, cui voluerunt diem apponi & Consules & cetera quæ spectant ad certum tempus definiendum. Testatur id quidem S. Athanasius [b] in eodē libro de Synodis, vbi cum agit de Nicæno Symbolo: Nec Consulem, inquit, nec diem, nec mensem addiderunt; sed in negotio Paschæ non abhorruerunt ab istiusmodi appendice; ibi enim placuit vt adderetur, VISVM EST; vt omnes obtemperarent. De fide vero nō scripserunt, VISVM EST; sed, AD ISTVM MODVM CREDIT CATHOLICA ECCLESIA: et statim ipsa confessio credendi adiuncta est: vt ostenderent, eam non esse nouam sententiam, sed Apostolicam: et quæ ipsi scripsissent, non esse sua inuenta, sed Apostolorum documenta.] hæc Athanasius.

[b] Athan. eod. lib. de Synod.

At sicut fecisse vidimus Constantinum, damnationem Arij & Arianæ hæresis a Concilio E
suis quoque esse litteris publicis persequutum: ita pariter statutum decretum consensione totius Concilij de tempore sacri Paschatis celebrandi, suis litteris ad omnes Ecclesias datis, voluit innotescere [c]; ne scilicet Episcopi illi (erant hi Syri) qui ea longa consuetudine tenerentur, nec ad Concilium conuenissent, sancto pioque Synodi decreto aduersarentur, ac proinde in schismate remanerent. Vt igitur omnes assentirentur ijs quæ magna consideratione in S. Synodo definita essent, idem Imperator ad omnes Ecclesiarum Episcopos humanitate ac pietate plenas litteras dedit huiusmodi [d]:

[c] Apud Theodoret. lib. 1. c. 10.

[d] Apud Socrat. lib. 1. c. 6.

LITTERÆ IMP. DE PASCHATE.

Constantinus Aug. Ecclesijs S.

Cum ex florenti & prospero Reipublicæ statu, quanta sit diuinæ virtutis erga nos benignitas, compertum haberem: istud omnium maxime mihi propositum putaui, vt in sanctissima Ecclesiæ Catholicæ multitudine vna fides, sincera charitas, & consentiens erga Deum omnipotentem religionis cultus seruaretur. Verum quoniam istud non poterit in loco tuto firmoque

A moque collocari, nisi vel omnes Episcopi, vel maxima eorum pars in vnum conuenisset, singulique suum iudicium de rebus ad sacratissimam religionem pertinentibus interposuissent: eam ob causam cum cœtus (quantum fieri poterat) maximus coactus esset, ipse tamquam vnus e vestrum numero vna adfui. Neque enim recusabam (ex qua re iam maximam capio lætitiam) me vobiscum in eo ministerio coniungere. Atque vsque eo de rebus omnibus accurate quæsitum est, quoad sententia Deo omnium contemplatori grata acceptaque propter concordiam & animorum consensum palam pronunciata esset: sic vt nihil, quod vel ad discordiam, vel ad fidei controuersiam spectaret, omnino in posterum reliquum fieret.

Ibi eum de sanctissimo festo die Paschatis disceptaretur; cōmuni omnium sententia rectum esse videbatur, vt omnes vbique vno eodemque die illud celebrarent. Quid enim præstabilius, quidve augustius esse poterat, quàm vt hoc festum, per quod spem nobis immortalitatis ostentatam habemus, vno modo & ratione apud omnes continenter obseruaretur? Ac primum omnium indignum plane videbatur, vt sacratissimum istud festum, Iudæorum ritum & consuetudinem imitantes, ageremus: qui quidem quoniam suas ipsorum manus detestabili scelere polluerunt, merito, vt sceleftos decet, cæco animorum errore irretiti tenentur. In nostra enim situm est potestate, vt illorum more reiecto, veriore & magis sincero instituto (quod quidem vsque a prima Passionis die hactenus recoluimus) huius festi celebrationem ad posterorum sæculorum memoriam propagemus. Nihil igitur sit nobis commune cum Iudæorum turba omnium maxime odiosa: aliam enim viam, quam insistamus, a Saluatore didicimus: proponitur namque sanctissimæ nostræ religioni cursus quidā legitimus & decorus. *VNA AB OMNIBVS DIE PASCHA AGENDVM.* B

Hunc igitur consentientibus animis mordicus tenentes, fratres honoratissimi, ab illa nefaria Iudæorum opinione nos ipsos remoueamus: est enim reuera absurdissimum, vt illi insolenter se iactent, nos absque ipsorum disciplinæ subsidio istas res nullo modo posse obseruare. *NEFARIVM INHAERERE IVDAEIS.*

C Quid tandem est, de quo illi recte sentire queant, qui post necem Domino illatam, post parricidium illud nefarium, ex mentis statu deturbati, non ratione vlla, sed intolerabili animorum impetu, quocumque insita ipsis & innata insania rapiat, feruntur? Hinc etiam existit, quod ne in hac quidem parte veritatem perspiciant: quippe præ errore extra exquisitam temporis in hoc festo celebrando obseruationem longissime euagati, eodem anno alterum Pascha celebrant. Proinde quid est, cur istos imitemur, quos grauis erroris morbo laborare constat? Eodem namque anno idem festum denuo recolendo renouari non permittemus. Verum quamuis ista non a me fuissent proposita: tamen vestræ solertiæ esset, cum diligentiam adhibere, tum precibus semper optare, vt nulla de causa vestrorum animorum integritatem nequam hominum moribus admiscere cogamini. Porro illud etiam facile potest intelligi, maximum

D nefas esse, vti in tanto & tam solemni religionis nostræ festo regnet dissensio. Vnum enim libertatis nostræ diem festum, hoc est sanctissimæ Passionis, Saluator noster nobis tradidit, vnamque Ecclesiam Catholicam esse voluit; cuius quidem membra, tametsi in multa & varia loca dispersa sint, tamen vno spiritu, hoc est, diuina voluntate & nutu coalescunt. Vestræ igitur sanctitatis prudentia accurate secum consideret, quàm graue, immo quàm indecorum sit, vt iisdem diebus alij ieiunijs vacent, alij agitent conuiuia, ac post dies Paschatis alij in festis & animorum remissione versentur, alij præscriptis ieiunijs se dedant. Quapropter istud rectius instituendum est, & ad vnam formam & modum redigendum: hoc enim (sicut omnes vos satis animaduertere existimo) diuina prouidentia vult.

Et quoniam istud ita via & ratione gerendum erat, vt nihil nobis cum consuetudine parricidarum, & eorum qui necis Domini auctores extiterunt, esset commune; et modus ille decorus eximiusque seruandus esset, quem omnes Ecclesiæ totius Orbis partes, vel versus Occidentem, vel versus Meridiem, vel versus Septentrionem incolentes seruant, ac nonnullæ quoque quæ in locis ad Orientem spectantibus habitant: idcirco omnes in præsentia, hoc recte se habere, arbitrati sunt. Ipseq. etiam in me recepi, vestram sapientiam facile assensuram, vt quod in Vrbe Roma, in Italia, in Africa, in tota Aegypto, Hispania, Gallia, & Britannia, in Libya, & vniuersa Græcia, in diœcesi Asiatica, & Pontica, in Cilicia denique vna & consentiente sententia conseruatur, hoc a vobis quoque lubentibus animis approbaretur; illud sedulo reputantibus, non solum in locis quæ modo citaui, maiorem Ecclesiarum numerum existere, sed etiam sanctissimum institutum esse, vt omnes communi consilio id ratum cupiant, quod accurata & recta ratio postulare videtur, quodq. nihil cum Iudæorum periurio habeat commercij. E

Verum vt summam rei breuiter complectar: visum est communi omnium iudicio, sacratissimum Paschatis festum vno eodemque die celebrandum esse: neque enim in re tam sancta *DECRETVM SYNODI DE PASCHATE.*

atque

atque solemni vlla dissensio debet existere: immo vero hanc sequi sententiam, cui nullus a A
fide alienus error, nullumve virium omnino admixtum sit, multo maximam habet commendationem. Quæ cum ita se habeant, lubentes hoc decretum, tamquam donum Dei & mandatum teuera cælitus demissum, amplexamini. Nam quidquid in sanctis Episcoporum Concilijs decernitur, id vniuersum diuinæ voluntati debet attribui. Quamobrem vos, vbi omnibus dilectis nostris fratribus res in hoc Concilio gestas, sententiam iam decretam, & sanctissimi festi obseruandi modum denunciaueritis: eadem ipsi approbare, riteque disponere debetis: vt simulatque vestram rectam omnium rerum dispensatiunem iam pridem a me desideratam me plane perspicere contigerit, vno eodemque die vobiscum vna sacrosanctum festum recolere possim, vt simul omnium causa permagnam animo capiam voluptatem: quod quidem fiet, cum intellexero non solum diabolicam crudelitatē per vestra recte facta, diuina virtute opem ferente, penitus profligatam esse; verum etiam fidem nostram, pace & concordia conciliata, vbique egregie florere. Deus vos, fratres carissimi, seruet incolumes.] hucusque Constantini litteræ. B

TEMPORIS CALCVLVS ALEX. EPISCOPO TRIBVTVS.

Ceterum quod spectare videbatur ad Paschales cyclos cōficiendos, quibus quo potissimum die singulis annis sanctum Pascha celebrādum esset ostenderetur: haud leuioris negotij videri potuit esse opus; cum non omnes eamdē inirent computi rationem; periculumque illud immineret ex diuersa temporū supputatione, vt licet Fideles omnes die Dominico celebraturi Pascha forent, tamen diuersis id facturi essent diebus Dominicis. Quamobrem quòd omnibus constaret, ex antiquissimo tempore Aegyptios hanc peculiarem sibi vendicasse scientiam, vt anni tempora, Solis & Lunæ cursum peruestigarent: placuit sanctæ Synodo in Alexandrum Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopum hanc curam conijcere: qui adhibitis secum viris calculandi peritissimis, creditum sibi munus diligenter exoluit: sed & successorum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcoporum S. Synodus voluit esse officij, vt quo potissimum die singulis annis celebrandum Pascha foret, Romanæ Ecclesiæ Episcopis primum significarent, a quibus reliquæ omnes Ecclesiæ certiores redderentur: quod diu multumque seruatum est. C

a Leo epist. 64.

Hæc autem ne absque maiorum auctoritate leuiter dicta videantur, S. Leo Magnus locuples testis accedat, qui scribens ad Marcianum Imperatorem hæc ait[a]: Paschale etenim festum, quo sacramentum salutis humanæ maxime continetur; quamuis in primo semper mense celebrandū sit; ita tamen est Lunaris cursus conditione mutabile, vt plerumque sacratissimi diei ambigua currat electio; et ex hoc fiat plerumque quod non licet, vt non simul omnis Ecclesia, quod non nisi vnum esse oporteat, obseruet. Studuereque sancti Patres, occasionem huius erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes; quoniam apud Aegyptios huius supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quam, qui annis D
singulis dies prædictæ solemnitatis eueniret; sedi Apostolicæ indicaretur, vt huius scripti ad longinquiores Ecclesias iudicium generaliter percurreret.] hæc S. Leo. Proterius vero Episcopus Alexandrinus scribens ad eumdem S. Leonem magna animi summissione profitetur, omnia se accepta ferre Romanæ Ecclesiæ, cum scilicet ea omnia Petrus Marcum docuerit, cum eum Alexandriam Episcopum misit: habentur hæc ex S. Leonis scripta epistola ad

b Apud Bed. de ration. tempor. c. 42.

Proterium, cuius fragmentū in huiusmodi verba recitatur a Beda[b]: Lætificauerunt me litteræ dilectionis tuæ, quas frater & Coepiscopus noster Nectarius pio adportauit officio. Oportebat enim vt ab Alexandrinæ Ecclesiæ Præsule talia scripta ad sedem Apostolicam mitterentur; quæ ostenderent magisterio beati Petri Apostoli hæc ab initio per beatum Marcum eius discipulum didicisse Aegyptios, quod constat credidisse Romanos.]

PASCHALES EPISTOLAS DARI SOLITAS AB ECCLESIA ALEX.

Perseuerauit mos iste diu in Ecclesia Alexandrina, vt eius sedis Episcopus Paschales (quas E
vocabant) daret epistolas: sed interceptum eiusmodi fuit officium, postquam eidem Ecclesiæ hæresiarchæ præsidere cœperunt Episcopi, cum licet illi darent litteras, nemo tamen ab eis acciperet, quibus in fide minime communicarent. Porro quamdiu Catholicæ communionis in Ecclesia Alexandrina sederunt Episcopi, vigebat eiusmodi obseruantia: qualesnam vero esse solerent eiusmodi Paschales epistolæ; quæ adhuc extant Theophili Episcopi Alexandrini,

c Extat tom. 1. Biblioth. sanct.

quas S. Hieronymus in Latinum vertit[c], docere poterunt; de quibus suo loco pluribus agendum erit. Cognito igitur primum ex Episcopi Alexandrini litteris, quoto anni die celebrandum Pascha esset, eoque Apostolicæ sedis litteris omnibus Ecclesijs promulgato, sacro Epiphaniæ die diaconi in singulis Ecclesijs inter sacra Missarum solemnia annunciare consueuerant. Verum antehac vigebat antiquus in Ecclesia vsus, vt a Romano Pontifice quæreretur Paschalis dies: quod habetur expressum in Arelatensis Concilij primi canone primo, dum his verbis Synodus scribit ad Siluestrum: De obseruatione Paschæ Domini, vt vno die & tēpore

per

A per omnem Orbem obseruetur, & iuxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.] Porro subscriptione Formatarum a Primatibus ceteris inferiorum sedium Episcopis quid nunciandum, Carthaginense Concilium monuit[a]. [a Concil. Carthag. c. 7.]

Cum vero hæc de Paschate in Nicæno Concilio discuterentur; ea occasione factum est, vt ad facilius inueniendum cuiuslibet anni Paschalem diem, constitueretur numerus ille, qui Aureus nuncupari consueuit, decem & nouem annorum periodum continens: id quidem S. Ambrosius, ad Episcopos prouinciæ Aemiliæ scribens, testatur his verbis[b]: Non mediocris esse sapientiæ, diem celebritatis definire Paschalis, & scriptura diuina nos instruit, & traditio maiorum: qui conuenientes ad Synodum Nicænam, inter illa fidei, vt vera, ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem & nouem annorum collegere rationem, & quasi quemdam constituere circulum, ex quo exemplum in B annos reliquos gigneretur: hunc circulum Enneadecaterida nuncupauerunt.] hæc S. Ambrosius. Cuius sententia cum reddatur exploratissimum, non alium quempiam, quàm illos, quibus a Synodo delegatum est eiusmodi negotium, fuisse eius numeri inuentores, atque ad opus conficiendum requisitam præcipue industriam Episcopi Alexandrini: quidnam est, quòd Beda[c] & alij post eum, qui ab eo acceperunt, auctorem circuli nouennalis Eusebium Pamphili fuisse dixerunt? Decepti hi esse videntur, quòd constet Eusebium scripsisse librum de Paschate, quem obtulit Constantino. Sed ex litteris Imperatoris ad eum redditis, cuiusnam argumenti fuerit commentarius ille, perspicue declaratur. Verum reddamus hic ipsius verba, quibus hæc idem præfatur Eusebius[d]: Cum nos dedicato illi libello arcanam huius festi rationem retexeremus: quemadmodum nos compensarit, honorificeque responderit, quiuis ex eius ad me litteris potest facile intelligere. [AVREVS NVMERVS INVENTVS.] [b Ambros. epist. ad Episc. prouinc. Aemil.] [c Bed. de rat. tem. tempor. c. 42.] [d Euseb. vit. Constantin. lib. 4. c. 34. 35.]

C

VICTOR CONSTANTINVS MAX. AVG. EVSEBIO S.

Difficillimum sane opus est & supra omnem orationis facultatem positum, mysteria Christi pro dignitate explicare; et institutam de Paschate controuersiam, vnde orta, & quo modo laboriose quidem, sed vtiliter ad exitum adducta sit, congruenti oratione exponere. Nam numinis magnificentiam ne illi quidem, qui eam mente cogitationeque assequi queunt, satis pro dignitate sua vlla orationis facultate explicare possunt. Veruntamen incredibilis voluntatis & studij tui magnitudinem admirans, cum ipse libellum tuum libenter legi; tum etiam, vt is pluribus diuinarum rerum vere studiosis ederetur, quoniam ita voluisti, edicto mandaui. Quapropter cum animaduertas, quanta auiditate ista tam præclara munera abs tua prudentia accipimus: vide, vt quibus ipse te præceptionibus educatum esse D fateris, his nos, & quidem frequentioribus, alacriores reddas. Te vero (quod vulgo dici solet) sponte currentem, ad vsitata tua curricula adhortor: quandoquidem hæc tua fiducia ostendit, dignum te inuenisse lucubrationum tuarum interpretem, qui illas in nostram linguam conuertat; quamuis nulla sane queat elocutio tam præclararum rerum consequi dignitatem.] hucusque Constantini ad Eusebium epistola: ex qua videas, Eusebij lucubrationem in scribendo de Paschate, non esse versatam circa Paschalem computum, sed in antiquo ritu diei Paschatis celebrandi. [EPIST. CONSTANTINI AD EVSEB. PAMPH.]

Statuto igitur a S. Synodo de celebranda vno eodemque die, itemque Dominico, solemnitate Paschali, ad decretum appendix illa addita est, vt æquis ritibus omnes sanctum diem Dominicum agerent: qui enim Luna decimaquarta celebrabant Paschale festum, nulla penitus Dominicæ diei, quæ repetendæ resurrectionis Domini causa memoriæ qualiE bet hebdomada iteratur, apud illos curæ erat. Ea igitur S. Synodus occasione compulsa, quòd Quartodecimani eius diei nullam rationem habentes, in communibus precibus perinde ac in reliquis diebus genua flecterent, hæc omnibus æque obseruanda constituit[e], videlicet: Quoniam sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes: vt omnia in vniuersis locis consonanter obseruentur: placuit sancto Concilio, stantes Domino vota persoluere.] [DE DIE DOMINICO CELEBRANDO.] [e Concil. Nicæn. c. 20.]

His autem de sancti Paschatis die ab omnibus æque seruando, a S. Synodo constitutis; causa Meletij schismatici, qui Ecclesiam in Aegypto positam a temporibus S. martyris Petri Alexandrini Episcopi vehementer exagitauit, in Synodum allata est; qua (vt par erat) diligenter expensa, ob Ecclesiæ pacem sic cum eo transactum est, atque indultum, vt nomen tantum ipse Episcopi retineret, munera autem obire cessaret, & ab eo ordinati sic in officio permanerent, vt tamen cum in ordinatione confirmati essent, illis inferiores esse deberent qui ab Alexandro ordinati fuissent. At hæc fusius explicata habentur in [MELETIANVM SCHISMA COMPONITVR.]

Synodicis litteris ab ipso Concilio ad Alexandrinos datis; cum nondum tamen absoluta Synodus esset, vt ex ijsdem litteris colligi potest: recitat eas Theodoretus, sed ante hæc præfatur[a]: Quoniam autem Meletius, qui non multò ante tempus, quo insanus Arij error cœptus est, Episcopus delectus fuerat; quiq. postea ob quasdam nefarias opiniones a sanctissimo Petro Episcopo Alexandrino, cui corona fuit donata martyrij, refutatus erat, & Episcopatu abdicatus: quoniam, inquam, abdicationis non acquieuit sententiæ, sed Thebaidem & Aegyptum ei finitimam tumultu ac procellis contentionis refersit, & tyrannidem contra Primatem Alexandrinum exercuit; idcirco Episcopi scripsere epistolam ad Ecclesiam Alexandrinam, qua plane quid de isto Meletio nouas res moliente statuissent, significarunt: cuius exemplar infra posuimus. A

a Theodoret. lib. 1. c. 9.

Sanctæ eximiæque Dei gratia Ecclesiæ Alexandrinæ, & dilectis fratribus Aegyptum, Libyam & Pentapolin incolentibus, Episcopi Nicææ coacti, & ad amplum sanctumque Concilium conuocati in Domino salutem. B

SYNODI LITTERAE AD AEGYPTIOS.

Quoniam Dei gratia, & mandato sanctissimi Imperatoris Constantini, qui nos ex varijs prouincijs & ciuitatibus in vnum congregauit, Magnum & sanctum Concilium Nicænum coactum est: necessarium videtur, vt a toto sancto Concilio litteræ ad vos mittantur, ex quibus possitis intelligere, tum ea quæ in cōtrouersiam adducta & exquisite disceptata sunt, tum quæ decreta & constabilita. Primum impia & peruersa dogmata Arij, eorumque qui eius sectam sequuntur, coram sanctissimo Imperatore Constantino perquisita sunt: vnde placuit Concilio, communibus suffragijs anathema denunciare eius nefariæ opinioni, & verbis sententijsq. execrabilibus, quibus vsus est ad Filium Dei blasphemijs afficiendum; nimirum cum ex nihilo ortum esse, nec fuisse antequàm natus esset, fuisse tempus aliquando cum non esset; Filium Dei libera voluntate & arbitrio, vitij & virtutis capacem esse, creaturam esse, factum esse. Quibus omnibus sanctum Concilium indicit anathema: immo vero ne pati quidē potest, vt vel impia eius opinio, vel insolens ipsius amentia, vel verba plena blasphemiæ ad aures perueniant. Quin etiam ea quæ ad istum pertinent, quem sint exitum consequuta, omnino vos vel audiuistis, vel saltem a nobis audietis; ne nos hominem, qui debitam mercedem suæ culpæ acceperit, temere & sine causa insectari videamur. Eo vsque certe eius prorupit impietas, vt Theonam Marmaricæ Episcopum, & Secundum Ptolemaidis ad exitium secum perduceret: nam easdem cum illo pœnas ipsi luebant. Verum cum Aegyptus non modo illa opinionis peruersitate, impietate, & blasphemia, sed etiam certis hominibus, qui in populo vitam ante illud tempus pacate & tranquille degente seditionem & discordiam concitare non veriti essent, Dei gratia penitus liberata esset: tamen adhuc pertinax inscitia tum Meletij, tum eorum quibus honores Ecclesiasticos detulerat, restabat. De qua re quid Concilium decreuerit, fratres carissimi, sic habetote. C D

DECRETVM SYNODI DE MELETIO.

Concilium clementius aliquāto in Meletium commotum (nam si accurate in eum inquisitum fuisset, nihil certe commeruisset veniæ) decernit, vt in propria ac sua ciuitate remaneat, nullamque habeat potestatem vel cuiquam manus imponendi, vel quemquam ad aliquod munus Ecclesiasticum deligendi, vel in alienam regionem ciuitatemve eius rei gratia commeandi; sed vt solum dignitatis & officij nomen retineat. Illi autem qui ab eo presbyteri designati sunt, simulatque sanctiore ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in Ecclesiæ communionem admittantur; nimirum vt Ecclesiasticæ dignitatis & ministerij gradum habeant illi quidem; sed tamen omnibus presbyteris in singulis prouincijs & Ecclesijs versantibus, qui sunt ab honoratissimo viro & collega nostro Alexandro ordinati, sint omnino inferiores. Quin etiam vt nulla illis potestas sit, eos ministros Ecclesiæ designandi, qui ipsorum probentur arbitrio; neque nominationem penes se habeant eorum, qui sint ad Ecclesiæ munera obeunda deligendi: neque quidquam absque consensu Episcoporum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ sub ipso Alexandro sunt, omnino transigant. Hi autem qui Dei gratia & vestris precibus adiuti ad nullum schisma deflexisse comperti sint, sed se intra Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fines ab erroris labe vacuos continuerint, auctoritatem habeant tum ministros ordinandi, tum eos qui clero digni fuerint, nominandi, tum denique omnia ex lege & instituto Ecclesiastico libere exequēdi. Quòd si quis forte eorum qui Ecclesiæ fungantur muneribus, diem suum obibit; tum vnus ex illis qui nuper in Ecclesiam adsciti sunt, modo idoneus videatur, & populus illum eligat, Episcopusque Alexandriæ ei suffragetur, atque adeo populi electionem confirmet; in locum succedat demortui. Atque sit istud alijs quidem omnibus concessum. E

De Meletio autem nominatim aliter decisum est; vt videlicet, cum propter insolentem audaciam

A audaciam, qua antea Ecclesiæ statum perturbauerit, tum propter temeritatem & mentis inscitiam, quam palam ostenderit, nulla potestas, auctoritasve ei tribuatur; quippe cum is homo sit, qui eamdem perturbationem in Ecclesiam denuo possit inducere. Atque ista decreta ad Aegyptum & sanctissimam Ecclesiam Alexandrinam proprie ac separatim referuntur. Quòd si aliud præterea quidpiam, dum honoratissimus dominus collega & frater noster Alexander vna adest, sancitum & statutum fuerit: ipse, vtpote qui rebus decisis cum præfuerit, eum communicauerit, vobis accurate renunciabit.

Quod autem ad omnium consensum de sacratissimo Festo Paschatis celebrando attinet: scitote, quòd vestris precibus controuersia ea de re suscepta, prudenter & commode sedata est: ita vt omnes fratres, qui Orientem incolunt, quiq. Iudæorum consuetudinem ante in eo festo obseruando imitari solent, iam Romanos nos, & omnes vos qui eumdem morem B quem nos in illo recolendo a primis temporibus tenuistis, sint consentientibus animis in eodem celebrando deinceps sedulo sequuturi. Quocirca vos cum ex his rebus tam prospere gestis, tum ex pace & concordia communiter inter omnes constituta, tum denique quòd omnes hæreses quasi fibræ radicitus extirpatæ sunt, lætitiam capientes, maiore honore & amore ardentiore Alexandrum collegam nostrum & vestrum Episcopum complectimini: qui dum aderat, nobis permagnæ voluptati fuit, permultumque laboris (vt in ea ætate) suscepit, quo Ecclesiæ vestræ statum ad tranquillitatem traduceret. Pro nobis omnibus etiam preces ad Deum fundite, vt quæ rite constituta & decreta sint, ea rata stabiliaque permaneant Dei Patris omnipotentis & Domini nostri Iesu Christi auxilio vnà cum Spiritus sancti gratia. Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.] hucusque Synodalis epistola ad Alexandrinam Ecclesiam. recitat eamdem quoque Socrates [a]. Addit post hæc omnia Theodo- C retus [b]: At quamquam diuinus ille Episcoporum cœtus morbo, quo Meletius, laborabat, hanc adhibuit curationem: tamen in hodiernum diem illius stupiditatis reliquiæ remanent; suntque in illis locis quædam monachorum turbæ, quæ non sanæ assentiuntur doctrinæ, sed vitæ rationem inanibus quibusdam institutis informatam sequuntur, & insanæ Samaritanorum & Iudæorum dementiæ se addicunt.] hæc Theodoretus. Quonam pacto autem Meletiani Arianis aduersus Athanasium manus dederint, suo loco dicturi sumus. Vix namque interlapsus est annus, cum ipsi ab Eusebio solicitati, rursum perturbare Ecclesiam aggressi sunt: quod Athanasius dira passus ab illis affirmat [c].

DECRETVM DE PASCHATE.

[a] Socrat. lib. 1. c. 6.
[b] Theodoret. lib. 1. c. 9.
[c] Athanas. Apolog. 2.

Sed quod ad Nicæna de Meletianis decreta spectat: his a Synodo constitutis, suspectam habens Meletij calliditatem Alexander Episcopus Alexandrinus; ne mentitos nouos tamquam a se ante ordinatos superinduceret suæ communionis Episcopos, presbyteros, & dia- D conos; petijt a Meletio sibi dari indiculum omnium. Hoc autem (inquit Athanasius [d]) ideo Alexander fecit, ne Meletius per Ecclesiam securitati restitutos titulos plurimos venderet, & mendacio quotidie nouos tamquam a se creatos subijceret. Breuiarium igitur (nempe indiculus ipse) quod fecit Meletius, tale est, cui præfixa erat eiusmodi inscriptio:

[d] Athanas. vbi supra.

Breuiarium Meletij Episcopo Alexandrino datum.

INDICVLVS MELETIANORVM CLERICORVM.

Ego Meletius in Lyco, Lucius in Antinoo, Phasilæus Hermopoli, Achillas Chusis, Ammonius Diospoli in Ptolemaide, Pachimes Tetyris, Maxianopoli Theodorus in Copto, in Thebaide Cales in Hermete, Calathus in superiori Cyno, Pelagius in Oxyrincho, Petrus Heracleæ, Theon in Nelupe, Isaac in Læto, Heraclides in Nycio, Isaac in Cleopatride, Melas in Arsenoite, in Ilio Amos in Leontis, Ison in Atribia, Harpocration in Bucalto, Moses in Phascusis, Callinicus Pelusij, Eudæmon in Taneæ, Ephraim in Thmui, in Sai Hormæon E in Cyno & Busiride, Syntericus in Serbennito, Pinimutes Phethænegi, Chromus in Metole, Agatammon in Alexandrinorum agris, in Memphi Ioannes iussus ab Imperatore vt esset vna cum Archiepiscopo: et hi quidem Aegypti Præsules. Cleri autem Alexandrini isti fuere, Apollonius presbyter, Irenæus presbyter, Tyrannus presbyter. Diaconi vero, Timotheus, Antinous, Ephestion, & Macaris presbyter παρεμβολῆς. Hos etiam præsente Episcopo Alexandro tradidit.] At nec sic quidem vitare potuit Alexander, quin progrederentur insani, qui se Meletij clericos esse iactarent, inter quos fuit Ischyras, qui se Mareote presbyterum esse, mentitus fuit, quem sibi diutius aduersantem Athanasius (vt dicemus) expertus est.

Huius rei gratia S. Synodus sextum canonem edidit, quo secundum aliqua priuilegia Ecclesiæ Alexandrinæ vetuit, ne in Aegypto, Libya, vel Pentapoli aliquis ordinaretur Episcopus absque ipsius Metropolitani scientia; quod etiam tertiæ sedi, nempe Antiochenæ, veteri consuetudine debitum, voluit custoditum. Quoniam vero ex varia translatione & diuersa

CANONVM NICAENORVM EDITIONES. editione idem canon redditur nonnihil obscurus, hic ipsum integrum describemus, vt pariter elucidemus. Si fidelitas atque peritia in transferendo, & sinceritas in edendo quàm maxima requiratur: nulla exquiri potest editio exactior atque fidelior, quàm quæ elaborata est a magno illo, sed cognomento Exiguo Dionysio, cuius eximiam in vtraque lingua peritiam, & morum egregiam probitatem Cassiodorus dignis laudibus mirifice prædicat [a]. Sed nec quidem purior atque sincerior ea editione afferri posse videtur, quæ in Oecumenica Synodo Chalcedonensi in amplissimo Patrum consessu ab Apostolicæ Sedis Vicario Paschasino Episcopo est recitata. Porro ab vno eodemq. exemplari tam Dionysium transtulisse, quàm Paschasinum edidisse, apparet, cum vtriusque eadem ferme sit verborum complexio atque sententia; nisi quòd Dionysius, qui postea vixit, eo liberius atque tutius antiquum sequutus est exemplar, quod consentaneum esse nouit editioni a Paschasino in Synodo Oecumenica factæ: quæ in eodem Concilio Chalcedonensi [b] ab eodem Apostolicæ sedis Legato recitata, sic proponitur: Gloriosissimi Iudices dixerunt: Vtraque pars canones proponant. Paschasinus vir reuerendissimus Episcopus Vicarius sedis Apostolicæ recitauit.

a Cassiod. Instit. diuin. lect.

b Concil. Chalced. Act. 16.

CANON SEXTVS RECITATVR ET ELVCIDATVR.

TRECENTORVM DECEM ET OCTO SANCTORVM PATRVM CANON SEXTVS.

Quòd Ecclesia Romana semper habuit Primatum: tenuit autem & Aegyptus, vt Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem; quoniam & Romano Episcopo hæc est cõsuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia constitutus est, & in ceteris prouincijs Primatus habeant Ecclesiæ ciuitatum ampliorum. Per omnia autem manifestum sit, vt si quis præter voluntatem Metropolitani Episcopi fuerit ordinatus, hunc (quia statuit hæc S. Synodus) non debere esse Episcopum. Sane si communi consensu & rationabiliter probato, & secundum Ecclesiasticam regulam statuto, duo aliqui aut tres per contentionem suam contradicunt: illa obtineat sententia, in qua plures fuerint numero sacerdotes. Quoniam verò mos antiquus obtinuit, & vetusta traditio, vt Aeliæ, id est Hierosolymorum Episcopo, deferatur; habeat consequenter honorem suum; sed & Metropolitano sua dignitas salua sit.] hucusque canon sextus, verum & septimus secundum Græcorum editionem in Africam missam; cum aliàs non careat suspicione doli eiusmodi vnius canonis in duos facta partitio, quòd aliquis e viceenario antiquo numero sublatus sit, ille nimirum citatus a Zosimo Papa de appellatione ad Romanum Pontificem. sed de ea re suo loco pluribus opportunius.

Quòd vero idem canon sextus sui exordio mutilatus sit in illis scilicet verbis: Quòd Romana Ecclesia semper habuit Primatum] et fine truncatus in ijs quæ de Hierosolymitana Ecclesia statuta sunt, ex codice Archidiaconi Ecclesiæ Constantinopolitanæ: æque falsitatis suspectus redditur recitatus ex eodem codice ibidem canon nomine primæ Synodi Constantinopolitanæ de Primatu Ecclesiæ eiusdem post Romanam: quem perspicue falsum esse, non tantum Lucẽtius sedis Apostolicæ Legatus ibidem in Synodo publice declarauit, sed & S. Leo litteris [c] tum ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum totius doli fabricæ architectum, tum ad Pulcheriam Augustam datis manifeste redarguit. Probasse autem Iudices lectionem Nicæni canonis allatam ab Apostolicæ sedis Legato, ex eorum interloquutione intelligi potest, cum dixerunt: Perpendimus omnem quidem Primatum & honorem præcipuum secundum canones antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.] per canones intelligentes duos ibi recitatos, alterum verum certumque ex Nicæno Concilio, vt dictum est, alterum ex Concilio Constantinopolitano prætensum.

c Leo epist. 53. & 55.

CANON SEXTVS QVOMODO MVTILATVS.

Si vero in omissione canonis huius exordij in alijs editionibus dolum abfuisse velimus: tunc illud est verisimile accidisse, vt verba illa: Quòd Romana Ecclesia semper habuit Primatum] non esse canonis, sed titulus fuerit existimatus, atque ideo prætermissus, quòd desiderarentur in reliquis canonibus affixi tituli, ob idque videretur superflue superadditus. Sed perperam quidem & iniuria: non enim censendus est ille titulus, sed ipsius sexti canonis esse verba: nam absque eo exordio redditur sensus plane obscurus, ac mutilatus, obq. sui ambiguitatem a Nouantibus in diuersa distractus, & a Catholicis diuersimode interpretatus. Si autem secundum lectionem propositam a Legato in Concilio Chalcedonensi legatur: Quòd Romana Ecclesia semper habuit Primatum:] et his iungatur quod sequitur: siue vt Dionysius e Græco sic in Latinum cõuertit: Ecclesia Romana semper habuit Primatum, mos autem antiquus perduret, &c.] erit eius canonis sensus haud abstrusus. Ex priori quidem lectione illud significatum fuisse videtur: quòd ex Romanæ Ecclesiæ Primatu subortum fuerit vt Aegyptus sedem habeat & Primatem Episcopum; inde euenisse, vt Episcopus Alexandriæ omnium Ecclesiarum quæ sunt in Aegypto, quæ

continet

A continet Libyam & Pentapolin, habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo: redditur enim causa, vt Episcopus Alexandrinus, qui a Romano, nempe a Petro per Marcum, Primatum obtinuit, habeat totius prouinciæ Episcopos sibi subiectos, quoniam sic fuit moris Romano Episcopo illi concedere. In id ipsum recidit Dionysij editio, vt demonstretur ex Romanæ Ecclesiæ Primatu pendere ac firmari Primatum Episcopi Alexandrini.

Nec quemquam moueat, si in editione Nicæni canonis ex Romanæ Ecclesiæ archiuo producta non nisi de Aegypto mentio habeatur, in alijs autem communioribus editionibus etiam Libyæ & Pentapolis: nam Aegyptus in quantum est Augustalis Præfectura, has sub se prouincias continet, quas omnes simul Aegyptū, siue Aegyptiacam diœcesin moris erat appellari: ita Gratianus [a] & Zeno [b] Imperatores nominãt. Erant in his decem Metropolitani, qui parebant Alexandrino, vt constat ex epistola Theodosij iunioris ad Diodorum [c]. Immo ipsa Augustalis Præfectura (vt habet Notitia prouinciarum) continebat sub se Aegyptum, Thebaidē, Libyam inferiorem & superiorem, quę alio nomine Cyrenaica, vel Pentapolis dicta reperitur, Augustanicā, & Arcadiam; cum tamen ab antiquis cosmographis triangulus ille, Delta dictus, qui a Nilo flumine constituitur, Aegyptus nuncupari soleret; recentiori vero & communiori vsu omnes prouinciæ, quæ, vt diximus, Aegypti Præfecto Augustali parebant, eædemque Episcopo Alexandrino subditæ erant. hinc S. Epiphanius [d]: Hic enim (inquit) mos obtinet, vt Alexandriæ Episcopus, totius Aegypti, & Thebaidis, Mareotæ, ac Libyæ, Ammoniacæque & Mareotidis, ac Pentapolis, Ecclesiasticam habeat administrationem.] quæ omnes vel vna Aegyptus dici solitæ erant, vel cum Aegypto Libya atque Pentapolis: sed cum in alias prouincias partiebantur, decem metropoles constituebant, quæ omnes parebant Alexandrino, C de quibus in Concilio Chalcedonensi habetur [e], vt omnis Aegyptiaca prouincia sequeretur Archiepiscopum Alexandrinum: quæ ipsa Aegyptiaca diœcesis, vt dictum est, vocabatur Aegyptus.

AEGYPTI PRIMATVS ET DIOECESIS.

[a] l. 107. de Decurion. Cod. Theod.
[b] l. vnic. C. de priuat. carcer.
[c] Concil. Chal. Act. 1. ex 2. Concil. Ephesin.
[d] Epiphan. hæres. 68.
[e] Concil. Chalced. Action. 4.

Sed iterum ad sensum canonis. Legitimam atque germanam illam esse huius interpretationem apparet, vt S. Synodus voluerit demonstrare ratam firmamque esse auctoritatem Ecclesiæ Alexandrinæ in omnes Aegypti prouincias; quam (vt superius est declaratum) Meletius schismaticus impugnabat: idque ex Primatu Romanæ Ecclesiæ, ex quo ea omnia Alexandrinus Præsul acceperat: quod & res ipsæ postmodum gestæ ac maiorum scripta declarant. Quidnam est, rogo, quòd de Iulio Papa cum scribit Theodoretus, eum vocasse Romam Arianos negotium facessentes Athanasio, nec non Athanasium, sic ait [f]: Ille (nempe Iulius) Ecclesiæ canonem sequutus, & eos iussit Romam venire, & diuinum Athanasium, quo D pro se in iudicio ipse responderet, vocauit.] Nonne ex his perspicue demonstratur, ex Romanæ Ecclesiæ auctoritate subsistere Primatum Ecclesiæ Alexandrinæ, dum Athanasius eius Episcopus calumnijs Arianorum circumuentus, & eorum iudicio condemnatus, confugit ad Iulium Romanum Pontificem; et ille ad dicendam causam, scriptis litteris, eosdem Arianos Romam conuocat? Vel cum Constantinopolitanum Episcopum Anatolium vsurpantem sibi iura Ecclesiæ Alexandrinæ & Antiochenæ commenticijs canonibus, Leo Papa pluribus datis litteris [g] retudit, atque eius audacem impetum fregit; vbi & crebrius est iterata querela de huius Nicæni canonis violatione, quo ait Alexandrinæ sedis secundam dignitatem, Antiochenæ vero tertiam esse cognitam atque probatam, sed eam antea ab Ecclesia Romana collatam: nam scribens [h] ad Anatolium alienorum iurium inuasorem, citato sæpius eodem Nicæni Concilij canone; Non conuellantur, inquit, principalium iura Pri-E matuum, nec priuilegijs antiquitus institutis Metropolitani Antistites fraudentur. Nihil Alexandrinæ sedi, eius, quam per sanctum Marcum Euangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum prædicante beato Apostolo Petro Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseueret, & in gradu tertio collocata, numquam se fiat inferior.] hæc eadem ipsa inculcat scribens ad Marcianum Imperatorem, & alijs litteris ad Pulcheriam Augustam datis, & Iulianum. Si enim alius esse posset eiusdem canonis germanus sensus, tota illa argumentatio Leonis Papæ corrueret, & ab aduersarijs solui facile potuisset atque frustrari; cum tamen appareat ex ijs Anatolij temerarium ausum esse perfractum [i], eumque a petitione repulsum.

SEXTI CANONIS SENSVS LEGITIMVS RESTITVITVR.

[f] Theodoret. lib. 2. c. 4.
[g] Leo epist. 53. 54. 55. 56.
[h] Leo epist. 53.
[i] Leo epist. 59.

Qui autem sensum hunc minus exploratum habuerunt, delira quædam & somnijs simillima loquuti sunt, vt voluerint, S. Synodum ex verbis illis quæ habentur in vulgatioribus editionibus, Quia Vrbis Romæ Episcopo parilis mos est vel similis] exæquatum declarasse ius & potestatem Alexandrinæ Ecclesiæ cum Romana: cum etsi deessent aliæ

FATVA CANONIS SEXTI INTERPRETATIO.

testificationes, atque iura deficerent; facta tamen ipsa ex aduerso clament, dum constat ex ijs quæ pluribus dicta sunt secundo Annalium Tomo, Dionysium Episcopum Alexandrinum ab Episcopis Libyæ accusatum esse apud Dionysium Romanum Pontificem, apudque eum causam dixisse, atque ab eodem, causa demum cognita, absolutum: sed & idem æque demonstrant quæ post Constantinum sub Constantio cōtigerunt, nempe cum Iulius Papa Atianos & Athanasium ipsum sedis Alexandrinæ Episcopum Romam ad iudicium citauit, atque causam iudicauit. Sed omittimus in his adeo claris atque perspicuis addere alia sexcenta propemodum loca hæc ipsa testantia. A

Sed illud absurdius: quòd enim in eodem canone mentio habeatur de Romana Ecclesia; nescio quonam pacto vel ratione in mentem venire potuerit aliquorum, quos tetra nubes odij sic excæcauit, vt palpent (quod dicitur) in meridie, dicantque Romanam Ecclesiam a Nicæno Concilio priuilegia, quibus potitur, esse sortitam. Qui hæc effutijt, fuit inter alios Theodorus Balsamon, qui tunc ait institutum esse Romanum Patriarchatum, atque tres alios: quo nihil insulsius dici potuit. At licet multa Tomo primo de priuilegijs Romanæ Ecclesiæ, vnde manarint, a nobis sint enarrata; tamen quid hac de re Nicolaus Papa scribat ad Michaelem Imperatorem, Romanæ sedis, eiusque primariæ dignitatis acerbissimum aduersarium, audiamus; sic enim ait: Ecclesiæ Romanæ priuilegia, Christi ore in beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus obseruata, & a sanctis vniuersalibus Synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia iugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari: quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amouere conatus; et quod Deus statuit, firmum, validumque consistit: illeque potissimum peccat [b], qui Dei ordinationi resistere tentat. Priuilegia inquam eius sedis vel Ecclesiæ perpetua sunt; diuinitus radicata atque plantata sunt; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, euelli non possunt. Quæ ante Imperium vestrum fuerunt, & permanent (Deo gratias) hactenus illibata post vos & quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata. B C

ROMAN. ECCLESIA NIHIL ACCEPIT A NIC. CONC.

a Nicol. ad Mich. Imp. epist. tom. 2. Concil.

b Rom. 13.

Ista igitur priuilegia huic sanctæ Ecclesiæ a Christo donata, a Synodis non donata, sed solummodo celebrata & venerata, per quæ non tam honor quàm onus nobis incumbit, licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione Dei gratiæ per beatum Petrum & in beato Petro simus adepti, nos cogunt, nosque compellunt omnium habere solicitudinem Ecclesiarum Dei.] et inferius de duabus Ecclesijs Alexandrina & Antiochena: Sicq. demum Alexandrinam Ecclesiam suam fecerunt Petrus & Paulus per beatum Marcum vnius horum filium ac discipulum: hereditas quippe filij in potestate patris existit, & gloria discipuli ad magistrum sine cunctatione refertur. Fecerat autem beatissimus Petrus præsentia corporali & Ecclesiam Antiochenam iam suam, quæ (sicut beatus Papa dicit Innocentius) Vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quòd illa in transitu meruit, ista susceptum (quippe beatum Petrum) apud se, consummatumque gauderet. Per has igitur tres præcipuas Ecclesias, omnium Ecclesiarum solicitudo beatorum Apostolorum Principum Petri ac Pauli proculdubio moderamen expectat.] ac paulo post: D

Heredes quippe horum effecti, facultatem potestatis quam a Domino perceperunt, & opus solicitudinis nihilominus capessere nos oportet. Proinde animaduertendum est, quia non Nicæna, non denique vlla Synodus quidquam Romanæ contulit Ecclesiæ priuilegij, quæ in Petro nouerat eam totius iura potestatis pleniter meruisse, & cunctarum Christi ouium regimen accepisse, sicut beatus Præsul Bonifacius attestatur vniuersis Episcopis per Thessaliam constitutis scribens: Institutio vniuersalis nascentis Ecclesiæ de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen eius & summa consistit. Ex eius enim Ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias, religionis iam crescente cultura, fons emanauit. Nicænæ Synodi non aliud præcepta testantur, adeo vt non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic nouerat Domini sermone concessa: si omnia, ergo nihil defuit quod illi non cesserit. Denique si instituta Nicænæ Synodi diligenter inspiciantur: inuenietur profecto, quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum, sed potius ex eius forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exemplum.] hactenus de his ipse. Alia item complura addenda essent; sed parcimus, ne ab instituto longius digredi videamur. Ex his pariter illud considera, quàm procul abhorreat, vt Romani Pontifices Romanæ Ecclesiæ priuilegia accepta tulerint Constantino; cum nec ab ipsis Oecumenicis Synodis aliquid illi impartitum esse dici, æquo passi sint animo, a Christo dumtaxat per Petrum sibi (vt par est) omnia vendicantes. E

At

A At nec dissimulandam putamus perperam factam a Ruffino huius canonis interpretationem, dum Nicænos canones non leui præiudicio in compendium redegit, & de canone sexto sic ait [a]: Vt apud Alexandriam & in Vrbe Roma vetusta consuetudo seruetur, vt vel ille Aegypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat.] quorum verborum nec vllus quidem sensus elicitur. Quamobrem sunt qui legendum velint absque geminata illa alternatiua, vel; vt dicat: Apud Alexandriam & in Vrbe Roma vetusta consuetudo seruetur, vt & ille Aegypti, vt hic Suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat.] Sed & hæc contra canonem; vbi non legitur, vt, comparationem significans, sed, quoniam, causam insinuans. Anfractus hosce Ruffini nobis considerantibus, opportune in mentem hic veniunt verba S. Hieronymi, Ruffini imperitiam sugillantis [b], cum post multa sic ait: Denique & ego scripta tua relegens, quamquam interdum non intelligam quid loquaris, & Heraclitum me B legere putem; tamen non doleo, nec me pœnitet tarditatis; id enim in legendo patior, quod tu pateris in scribendo.] et alibi [c]: Tantam habes Græci & Latini sermonis scientiam, vt Græci te Latinum, & Latini Græcum putent.] Omittimus de eo hic referre recentiorum querelas de translatione Eusebij ab ipso perperam facta in sugillationē hominis ignorantiæ & nimis licentiosæ libertatis, cum addiderit quæ voluit, & alia ex animi voluntate deleuerit: parcerem libenter ipsi, nisi de re omnium grauissima quæstio verteretur.

RVFFINI INTERPRETATIO SEXTI CANONIS NICAENI.

a Ruffin. hist. lib. 1. c. 6.

b Hieron. Apolog. 1. aduersus Ruffin.

c Hieron. Apolog. 3.

Nouantes vero hæretici captantes atque arripientes qualemcumque sibi putant oblatā occasionem, & ex aliorum erroribus proficere se existimantes, hanc nacti interpretationem Ruffini, magno tripudio gestierunt, velut hoste penitus prostrato triumphantes, quasi ex Nicæno Magno Concilio definita fuerit Romanæ Ecclesiæ iurisdictio, vt tantum præsit suburbanis Ecclesijs: atque hac ex parte sit amplior a Synodo circumscripta diœcesis Ecclesiæ Ale- C xandrinæ & Antiochenæ, quàm Romanæ: immo ex eiusmodi perperam facta interpretatione Ruffini verborum, quilibet Metropolitanus ditione præstare videatur Romano Pontifici, cum ille vni prouinciæ, hic vero suburbanis tantum præesse videatur Ecclesijs. Sed reddam verba vnius ex ipsis, nempe illius Iurisconsulti a Catholica Ecclesia apostatæ defensoris [d], qui ait: Ruffinus, vt apparet, fines Romanæ prouinciæ suburbanarum tantum vrbium terminos a Nicæna Synodo circumscriptos testatur.] hæc ipse. At qualisnam iste Iurisconsultus, qui nec, vt cognoscitur, voces legum intelligit? Miratus sum hominem non tantum mendaciter reddentem verba Ruffini, sed & perperam interpretantem, dum putat per Suburbicarias Ecclesias, quas Ruffinus dicit, suburbanas intelligi ciuitates, ac proinde idem esse Suburbicarium, quod suburbanum, non intelligens ex Principum rescriptis vim vocis hujus. Nam etsi interdum Vrbicarium idem sit quod Vrbanum; hincq. dictæ inueniantur Præfecturæ Vrbicariæ D a Valentiniano [e] & socijs, nec non a Zenone Imperatoribus: ampliorem tamen esse constat huius vocis significationem, quàm vt his limitibus coarctetur: idque aperte diuersis Principum rescriptis manifestum reddi.

HAERETICORVM VESANIA PATENS.

d Sugillat auctor defensorem Molinæi; aduersus quem etiam scripsit eruditè Remundus Rufus.

VRBICARIVM VEL SVBVRBICARIVM QVID.

e L. 3. C. Vbi Senatores.

Atque illud in primis, idem esse Vrbicarium, & Suburbicarium, satis expresse potest intelligi ex ijs quæ habentur [f] in Notitia prouinciarum, vbi agitur de dispositione Comitis rerum priuatarum. Rursum vero apparere liquet, adeo amplam esse harum vocum significationem, vt non tantum excedat loca prope Vrbem posita, sed etiam plures contineat prouincias, tam in Italia, quàm etiam extra Italiam sitas, & interdum etiam transmarinas. Vnde Iulianus Imperator rescribens ad Taurum [g] ait: Non enim per Italiam tantum, sed etiam per Vrbicarias regiones & Siciliam Patrimonialium & Emphytheuticorum fundorum vires seruandas esse perspeximus.] Sed & Gratianus Augustus cū Valentiniano & Theo- E dosio Imperatoribus sic ad Probum [h]: Igitur sinceritas tua id ipsum per omnem Italiam, tum etiam per Vrbicarias, Africanasq. regiones, ac per omnem Illyricum prælata oraculi hujus auctoritate firmabit.] ex quibus plane intelligas Vrbicarias regiones aliquas fuisse extra Italiam positas. Inter Italiæ autem regiones Vrbicarias, esse nominatas inuenimus Picenum & Tusciam [i]. Sed vnde id quæso nomen, & quænam, & cur dictæ reperiuntur etiam extra Italiam positæ Vrbicariæ regiones? Res est haud facilis exploratu: ex eo tamen quem inuenimus dictum canonem Vrbicarium, possumus etiam intelligere regiones Vrbicarias: sunt enim hæc veluti cognata. In duabus constitutionibus [k] Arcadij & Honorij Imperatorum mentio habetur de canone Vrbicario; debitum fuisse quoddam diuersarum prouinciarum, quo tenerentur conferre in Vrbem annonam: obstrictæ autem erant ad eiusmodi collationem aliquæ Italiæ prouinciæ, itemq. Sicilia, Africa, & Aegyptus, & si quæ aliæ. Quæ igitur prouinciæ tenebantur ad præstandum canonem Vrbicarium, ad inferendam scilicet annonam in Vrbem, eædem dicebantur regiones atque prouinciæ Vrbicariæ, siue Suburbicariæ nominatæ: quo sensu, sicut illæ

f L. 2. & 14. de indulg. debit. Cod. Theodos.

g l. 9. de extraord. mun. Cod. Theodos.

h l. 1. si per obrep. Cod. Theodos.

i l. 12. de indulg. debit. Cod. Theodos.

k l. 3. & 6. de canone frumentario Vrbis Romæ Cod. Theodos. & Iust. eod. tit. l. 2. & 3.

illæ dictæ sunt prouinciæ Vrbicariæ, quæ Vrbi debentes annonam, eidem peculiari nexu tenebantur obstrictæ; ita eodē exēplo constat esse pariter appellatas a Ruffino Ecclesias Suburbicarias, quæ Romanæ Ecclesiæ dioecesi peculiariter præ ceteris viderētur esse subiectæ; quo etiam iure Episcopus Alexandrinus moderaretur omnes subditas sibi Aegypti prouincias. hæc ex sensu Ruffini: sed canonis aliam fuisse sententiam diximus. at de his hactenus. Parce, lector, si interdum duceris per huiuscemodi perdifficilium quæstionum anfractus; ex his plane tenebris veritate in lucem vindicata, maiorem capies animi voluptatem. Iam perspicue, puto, intelliges ex his quæ dicta sunt, quàm a scopo veritatis aberrent, qui perperam factam a Ruffino sexti canonis Nicæni compendiosam translationem deterius interpretantur, cum errores erroribus attexentes, adeo monstruosas deformitates compingant, atque deformia monstra effingant, dum suburbanis tantum ciuitatibus ex Nicæni canonis præscripto volunt dioecesin Romani Pontificis definitam, quæ sui amplitudine toto est Christiano Orbe diffusa: quandoquidem tum ex his quæ superioribus Tomis Annalium dicta sunt, tum etiam ex alijs quæ singulis ferme annis dicentur inferius, omni probationum genere remanent consignata. vt plane intelligas, nonnisi erroris spiritu exagitari, qui tam obstinate contra apertissimam veritatem insurgunt. Ceterum quod rursus spectat ad eiusdem sexti canonis interpretationem: ab alijs leuioribus hæreticorum calumnijs vindicatam eam habes a plerisque eruditissimis viris [a], vt non sit nobis in his amplius laborandum. B

[a] *Alanus Copus 2. dialog. Turrian. aduers. Magdeburg. lib. 1. c. 15. Remund. Rufus aduersus Patronum Molinai. Belarmin. controuer. tom. 1. lib. 2. de Rom. Pont. c. 13.*

Sed quid post hæc de Hierosolymitana Ecclesia statuerit eodem canone [b] sancta Magna Synodus, accipe: Quoniam mos antiquus obtinuit, & vetusta traditio, vt Aeliæ (id est Hierosolymæ) Episcopo honor deferatur: habeat consequenter honorem, manente tamen metropolitanæ ciuitatis propria dignitate.] hæc Patres de Ecclesia Hierosolymitana. Mira quidem in huius canonis interpretatione detegitur Theodori stupiditas [c], dum hoc atque superiore canone, nempe sexto & septimo, statutos tradit a sanctis Patribus quatuor Patriarchas, Romanum videlicet, Alexandrinū, Antiochenum, atque Hierosolymitanum: quem meminisse oportuit, id primū tentatum esse a Iuuenale Episcopo Hierosolymorum post Chalcedonense absolutum Cōcilium, vt eiusmodi honoris insignia Hierosolymitana Ecclesia obtineret, cum ei restitit vehementer S. Leo Romanus Pontifex: quod ipse Nicænorum canonū obseruantissimus minime ausus fuisset, si id illi Ecclesiæ a Magna Synodo collatum accepisset; sed & Iuuenalis vir solertissimus id a Nicæna Synodo Ecclesiæ illi collatum, tunc magnifice ostentasset. C

[b] *Eod. can. 6. Nicæn. Concilij.*

DE ECCLESIA HIEROSOLYMITANA.

[c] *Theod. Bals. in Nomoc. Photij.*

Ceterum tantum abest, vt huius canonis auctoritate Hierosolymitana Ecclesia aucta fuerit Patriarchatu, vt nec exempta fuerit, quia Ecclesiæ Cæsariensi subiecta esset totius Palæstinæ metropoli: quod quidem ita se prorsus habere, verba Ioannis Hierosolymorum Episcopi, qui post Cyrillum eidem Ecclesiæ præfuit, rexitq. eam cum S. Hieronymus degeret Bethlehem, ab eodem S. Hieronymo [d] recitata, manifeste declarant. Scripserat enim idem Ioannes ad Theophilum Episcopum Alexandrinum Apologiam, in qua hæc inter alia legebantur: Tu qui regulas quæris Ecclesiasticas, & Nicæni Concilij canonibus vteris, & alienos clericos & cum suis Episcopis commorantes tibi niteris vsurpare, responde mihi: ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Ni fallor hoc ibi decernitur, vt Palæstinæ metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsariensem Episcopum referre debueras, cui spreta communione tua communicare non noueras: aut si procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potius litteræ dirigendæ.] Sic igitur dum ipsemet Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopus profitetur, aduersus se interpellari potuisse iudicium Cæsariensis Episcopi; plane apertissime ipse significasse visus est, eidem metropolitanæ Ecclesiæ Cæsariensi subiectam fuisse Hierosolymitanam Ecclesiam. En vides testificatione eiusdem sedis Episcopi, quàm procul abhorreat, vt a Magna Synodo Nicæna eadem Patriarchatu sit aucta. sed & iurisdictionem Cæsariensis Episcopi in Ecclesiam Hierosolymitanam, eo quoque facto, hoc etiam sæculo habes expressam, dum Ioannes Episcopus Cæsariensis scribit ad Prailium, aliàs Cyrillum, Hierosolymitanum Episcopum, vt mittat ad se Porphyrium illius Ecclesiæ presbyterum, quem Gazæ crearet Episcopum: quod minus licuisset ab aliena Ecclesia clericum diuellere, ipsis Nicæni Concilij institutis repugnantibus, nisi Ecclesiæ Cæsariensi totius Palæstinæ metropoli Hierosolymitana quoque Ecclesia subiecta fuisset. Scribit hæc Marcus diaconus fidelissimus historicus rerum gestarum eiusdem Gazensis Episcopi, cui ipse diaconus ministrauit. D E

[d] *Hieron. epist. 61.*

Quid ergo cōtulit Magna Synodus ipsi Hierosolymorum Ecclesiæ? Nihil prorsus: nequidquam enim in ea Synodo statutum est, nisi vt qui ex antiquo vsu deferri solitus erat honor ei Ecclesiæ, sic deferretur, vt tamen salua in omnibus iura essent Ecclesiæ metropolitanæ: adeo vt ex

A vt ex Synodo prospectum potius habeatur Ecclesiæ Cæsariensi, quàm Hierosolymitanæ, ne scilicet ex honore illi exhiberi solito quidquam derogatum videretur primariæ Ecclesiæ, eius prouinciæ metropoli, Cæsareæ Palæstinæ. Quòd enim Hierosolymitana, attenta eius origine, mater sit dicta omnium Ecclesiarum (nam sic nominatur in epistola Synodali Concilij Constantinopolitani Oecumenici ad Damasum Papam scripta, quam recitat Theodoretus [a]) inde accidit vt ipsius ciuitatis Episcopus eum antiquitus honorem sit consequutus, vt inter Apostolicarum Ecclesiarum Antistites consideret, & in litteris quoque ita nominaretur; vnde etiam euenit, vt in eiusdem Magnæ Synodi litteris ad Siluestrum (licet deprauatæ admodum reperiantur) post Osium Macarius Episcopus Hierosolymitanus inscriptus habeatur; quamuis excusus codex perperam legat, Macarius Constantinopolitanus. Rursum vero in Concilio Chalcedonensi iuxta Episcopum Alexandrinum consedisse legitur Episcopus Hierosolymitanus ante omnes Metropolitanos. Inde fertur [b] Polycronio eius sedis Episcopo prauam illam inhæsisse ex ambitione sententiam, vt ausus sit dicere Hierosolymorum Ecclesiam locum principem obtinere, & dignitate reliquas sedes Apostolicas antecellere. Sic igitur optime cōsultum a Patribus huius Magnæ Synodi fuit, dum ita voluerunt consuetum exhiberi honorem illi esse seruatum, vt tamen nihil imminueretur dignitatis Ecclesiæ metropolitanæ. Intelligis iam, lector, quàm procul abhorreat Theodorus ab huius canonis germano sensu. Vnde & illud hic obiter admonendum putamus, quod ad eumdem canonem sextum spectat: longe quoque errare, qui existimarunt ex Nicæni Concilij decreto factam esse diuisionem prouinciarum, & certos limites sedibus diœcesibusq. præfixos: id quidem Ecclesiarū institutoribus Apostolis ex Tertulliani [c] sententia tribuēdum est, & S. Basilius [d] ab antiqua hoc sibi vendicat consuetudine, eaque ex sanctorum Patrum communi concordi-

C que proueniente sententia: quibus penitus inhærendum affirmat.

IVS ANTIQVVM HIEROSOLYMITANAE ECCLESIAE.

a Theodoret. lib. 5. c. 9.

b Nicol. Pap. epist. ad Mich. Imp.

c Tertullian. de præscript.

d Apud Gregor. Nazian. orat. in laud. Basil.

Sed rursus ad Theodorum. Rogo modo ipsum, si (vt vult) in decreto donationis Constantini vna ex quatuor sedibus Patriarchalibus Constantinopolitana Ecclesia nominatur; cur in Nicænis his canonibus nulla de ea mentio, sicut de ceteris? Erubescens hoc ipse, & omni se probatione destitui sentiens, ac proinde irrita reddi quæ in eo decreto de sede Constantinopolitana habentur apposita (nam in Magna Synodo, cui intererat Constantinus auctor decreti, hæc a Patribus inculcanda & confirmanda fuissent) erubescens inquam, quid ait? De Constantinopolitano Patriarcharu in alijs canonibus tractabitur.] perbelle sane sic vitans verbera, quæ sibi a certa veritate ex Synodo infligebantur. Nam vbi quæso magis necessariū, vt decreta ab Imperatore de prærogatiuis Ecclesiarum Magnæ Synodi approbarērur assensu? et vbi etiam opportunius, quàm cum de primis sedibus mentio haberetur? ac denique vbi

D vtilius, si tantæ Synodi auctoritate peragi potuisset, quod diuersis postea temporibus eiusdem sedis Episcopi tot studijs perficere conati sunt? Sed facessant hæc tam insana atque delira; et iam quæ sunt reliqua Magnæ Synodi decretorum breuiter absoluamus. Ne quis, rogo, dum hæc fusius explicamus, existimet nos potius interpretem agere, quàm historicum: sciat namque eiusmodi historiæ esse connexa, sed aliorum incuria erroribus adeo vndique obuoluta & tenebris offusa, vt nisi exactius explicentur, & dilucidius elucidentur, in mille alia sit necesse impingere portentosa mendacia, & a veritate historica longius aberrare. Eiusmodi enim esse solet Christianarum rerum historia; vt quæ sæpius de veritate dogmatum, Ecclesiarum iurium, sacrorumque Conciliorum habeat narrationem connexam, magno periculo talia pertractentur, nisi de his omnibus consideratio exactissima habeatur.

DE SEDE CONSTANTINOPOLITANA REPELLITVR GRAECORVM COMMENTVM.

Post hæc autem sancta Synodus, ne quid relinqueret intentatum, sed quoscumque a Ca-

E tholica communione alienos errare conspiceret, ad Ecclesiam reuocaret: Nouatianos antiquitus (vt dictum est) diro schismate primum, ac demum hæresi ab Ecclesia separatos studuit communioni Catholicæ restituere: sed frustra laborauit, resistente Acesio eorum Episcopo, quem & Constantinus Imperator officijs atque blandicijs incassum delinire conatus est: de eo enim hæc habet Sozomenus [e]: Fertur item, Imperatorem, quo omnium Christianorum prouideret concordiæ, Acesium Episcopum Ecclesiæ Nouatianorum ad Concilium conuocasse: ostendisseque ei Concilij de fide & festo Paschæ decisionem, quæ iam tum Episcoporum subscriptionibus confirmata fuerat: percunctatumq. esse, verum ille eorum approbaret sententiam: respondisse autem Acesium, nihil noui decisum esse, Concilijque decretum laudasse: sic namque se ab ineunte ætate didicisse tum credendum, tum festum agendum esse. Cui Imperator: Cur ergo, inquit, cum eadem sentias quæ ceteri, te ab eorumdem communione segregas? Cum vero in medium proferret Acesius dissensionem, quæ regnante Decio inter Nouatianum & Cornelium intercesserat, & quo modo qui post baptisma peccato illo,

ACTVM IN CONCIL. NIC. DE NOVATIANIS.

e Sozom. lib. 1. c. 21.

illo, quod peccatum ad mortem sanctæ scripturæ vocant, se obstringerent, mysteriorum A
communione indigni essent (oam non in sacerdotum, sed in Dei solius situm esse potestate illud peccati genus ignoscere) Imperator, accepto sermone, dixit: Erigito tibi scalam Acesi, & tu solus in cælum ascendito. Quæ quidem arbitror Imperatorem Acesio dixisse, non quo eum laudaret, sed quo homines existimarent, se minime a peccati labe vacuos esse.] hactenus Sozomenus. eadem quoque Socrates [a] narrat, qui istæc addit: Ipse hæc a viro minime vano, qui ætate admodum prouecta erat, atque ea quæ in Concilio gesta ipse viderat commemorabat, equidem accepi.

a Socrat. lib. 1. c. 7.

PATEFACTVS ADITVS NOVATIANIS AD ECCLESIAM. At sancta Synodus quantumlibet Acesij Nouatianorum Episcopi duritiem diu tentatam satis exploratam haberet: tamen apertam voluit, statuto canone, Nouatianis ianuam reliquisse, si ad Catholicam Ecclesiam redire vellent. Quibusnam autem conditionibus excipiendi essent, eiusmodi decreto edito significauit [b]: B

b Concil. Nicæn. c. 8.

Si qui voluerint venire ad Ecclesiam Catholicā ex Nouatianis: placuit S. Concilio, vt ordinentur, & sic maneant in clero. Ante omnia autē hanc habeant ab eis confessionem (quam per scripturā exigi oportet) vt fateantur se cū omni consensu Ecclesiæ Catholicæ statuta obseruaturos, id est, cōmunicaturos se & ijs qui forte secūdas nuptias experti sunt, vel his qui persecutionis tēpore lapsi sunt: quibus tamen lapsis pœnitentiæ modus & tempus adscriptū est: vt in omnibus sequātur ea quæ in Ecclesia Catholica obseruātur. Et sicubi ijdē ipsi fuerint inuenti, siue in vicis, siue in vrbibus clerici ordinati a Catholicis, sic etiā in clero persistāt, vnusquisque tamen in suo ordine. Si vero Episcopus vel clericus Ecclesiæ Catholicæ fuerit, ad quem aliqui ex his accedunt; certum est, quòd Episcopus quidē Catholicus suam habeat dignitatem: similiter autem presbyteri & diaconi habeant. Hi vero qui ab istis veniunt, si forte Episcopus fuerit, habeat sacerdotij dignitatem; nisi forte placeat Catholico Episcopo concedere ei etiam C
Episcopalis nominis honorem: si vero non placuerit, inueniet ei locū, vt sit in parochia Chorepiscopus, aut in clero presbyter, vt in vna ciuitate noo videantur duo Episcopi esse, & ille omnimode in clero permanere videatur.] hucusque canon de Nouatianis recipiendis statutus. Ad hanc fortasse vltimam partem canonis, qua de ijs quæ decreta essent ea redditur ratio, ne in vna ciuitate duo Episcopi esse videantur, allusisse voluit S. Augustinus [c] in Actis substitutionis Eradij, cum ait: Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, qnod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.] Existimant autem aliqui canooem ab Augustino citatum specificam de ea re tractationem habuisse pluribus ac dilucidius explicatam, qui tamen canon cum alijs nonnullis exciderit. Eumdemq. Nicæni Concilij canonem visus est citasse Innocentius Romanns Pootifex in causa S. Ioannis Chrysostomi aduersus eos qui in locum D
viuentis Ioannis alium creassent Episcopum. recitat eam Innocentij epistolam Sozomenus [d].

c August. epist. 110.

d Sozom lib. 8. c. 26.

QVID DE PAVLIANIS ET CATAPHRYGIS NICAEN. CONCIL. Rursum vero de hæreticis Paulianistis, a Paulo Samosateno sic dictis, necnon Cataphrygis (de quibus omnibus Tomo secundo fusius actum est) ad Ecclesiam Catholicam veoire cupientibus, sancta Synodus, edito canone, hæc decreuit [e]: Si quis confugit ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis & Cataphrygis; statutum est, rebaptizari eos debere. Si qui vero clerici erant apud eos; si quidem inculpati fuerint, & irreprehensibiles, rursus etiam ordinentur ab Episcopo Catholicæ Ecclesiæ. Si vero examinati, minus fuerint apti deprehensi; deponi eos oportet. Similiter autem & circa diacones, & de omnibus, qui in eo clero inueniuntur, eadem forma seruabitur. Commemorauimus antem diaconissas, quæ in hoc ordine inuentæ sunt, quæ nec manus impositionem aliquam habeaot, & omni modo inter laicas habeantur. Similiter autem diaconissæ, quæ in Catholico canone non habentur, simili loco, id E
est laicæ, tamquam non eoosecratæ deputentur.] hæc de his sancta Synodus. Causa autem cur iterandum esset baptismum collatum a Cataphrygis, allata est secundo Annalium Tomo.

e Concil. Nicæn. c. 19.

CANONES STATVTI ADVERSVS DELINQVENTES. Quoniam autem præter illa quæ de fide in eodem Concilio recte statuta sunt (inquit S. Basilius [f]) alia ad correctionem noxiorū, alia vero ad præmunitionem contra quæ in futuro suboriri possent, a sanctis illis Patribus instituta fuerunt: ad emēdationem delictorum illa plane statuta fuisse videntur, quæ de ijs qui persecutionis Licinianæ tempore lapsi, quibus præuijs pœnitentijs recipiendi forent, sancitis canonibus constituta essent [g], quorum a nobis superius mentio facta est. Porro huic illud præcedit decretum in hæc verba [h]: Si qui presbyteri sine examine sunt prouecti, vel cum discuterentur peccata sua confessi sunt, & homines contra canones commoti manus confessis imponere tentauerunt: tales regula non admittit: qoia quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.] ac rursum post hæc: Quicumque de lapsis ad ordinem cleri promoti sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem: hoc

f Basil. epist. 78.

g Concil. Nicæn. c. 11. 12.

h Concil. Nicæn. c. 9. 10.

Ecclesiasticæ

A Ecclesiasticæ non præiudicat regulæ: cogniti namque deponatur.] Sed & illud [a]: De lapsis qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisq; seruabitur ita, vt si quis egreditur de corpore, vltimo & necessario viatico minime priuetur. Quòd si desperatus, & consequutus fuerit communionem, oblationisque particeps factus iterum conualuerit: sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito,& poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.] hæc vna cum alijs Osius, temperans quæ seuera nimis ipso præsente statuta fuerant in Concilio Eliberino. Sed quod ad lapsos pariter spectat, hæc ibidem de Catechumenis decreuit sancta Synodus [b]: Placuit hoc sancto & Magno Concilio, de Catechumenis qui lapsi sunt, vt tribus annis inter audientes verbum sint tantummodo, post hæc vero orent cum Catechumenis.] qua quidem pœna plectendus fuisset ipse Constantinus Imperator,
B nisi post lapsum baptizatus iam interfuisset eidem Nicæno Concilio: nam inter lapsorum Catechumenorum classem ipsum, quòd consuluisset Aruspices, reijciendum fuisse, quæ superius dicta sunt, manifeste declarant.

a Concil. Nican. c. 13.
b Concil. Nican. c. 13. vel 14.

Ad hanc quoque partem emendationis delictorum pertinet quod statutum est de his qui se sponte absciderunt; aduersus quos primus ordine positus canon a Patribus habetur conscriptus. Non erat plane concedendum (qui exemplo Origenis penes nonnullos error inualuerat) vt prætextu quodam edomandæ libidinis, sibiipsis genitalia excidendo (de quibus pluribus dictum est Tomo secundo) victores certaminis existere viderentur. Recens sane facinus Leontij, qui postea ab Arianis creatus est Episcopus Antiochenus, canonis sanciendi causam dedisse videtur, de quo in primis hæc S. Athanasius [c]: Leontius enim accusatus de commercio cuiusdam iuuenculæ mulieris: iussusque proinde ab Eustathio (Antiocheno Epi-
C scopo scilicet) vt ab eius contubernio abstineret: seipsum castrandum dedit, quo ita liberè eius commercio vti posset: neque tamen vel ita suspicionem abluere potuit, quo minus cum presbyter esset, deponeretur.] et alibi [d], nec ad laicam quidem communionem ob eam causam admittendum esse, aduersus Arianos proclamat. illam vero, Eustolium, dictam fuisse nomine, tradit; eadem quoque de Leontio Socrates [e], & Theodoretus [f]. Aduersus igitur abscissos agens sancta Synodus, illos excepit, quos non voluntas, sed necessitas fecisset eunuchos, sic statuens [g]:

c Athanas. Apolog. de fug. sua in fin.
LEONTII FACINUS CAUSAM DEDIT LEGIS SANCIENDAE.
d Athanas. epist. ad solitar.
e Socrat. lib. 2. c. 21.
f Theodoret. lib. 2. c. 24.
g Nicen. Concil. c. 1.

Si quis a medicis propter languorem defectus est, aut a barbaris excisus: hic in clero permaneat. Si quis autem seipsum sanus abscidit: hunc & in clero constitutum abstinere conuenit, & deinceps nullum deberi talium promoueri. Sicut autem hoc claret, quod de his qui hanc rem affectant, audentque semetipsos abscindere, dictum sit: sic eos quos aut bar-
D bari aut domini castrauerunt, si inueniuntur alias dignissimi, tales ad clerum suscipit regula.] hæc Patres. Porro Leontius infelix sic presbyterij gradu depositus, defecit ad Arianos, apud quos ex impietate magnum consequutus est nomen. de eo enim sæpe inferius dicendum est.

Inde quoque occasio fluxisse videtur, vt eadem Magna Synodus canone sancito vetuerit, ne quis quouis prætextu apud se subinductam mulierem retineret; hæc decernens [h]: Interdixit per omnia Magna Synodus, non Episcopo, non presbytero, aut diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt.]

h Concil. Nicen. c. 3.
NE CVM FEMINIS CLERICI HABITENT.

Cum hæc in celeberrimo illo Episcoporum conuentu agitarentur, opportuna (vt videbatur) emersit occasio, ex quo semel de clericorum cælibatu & mulierum vitando contubernio
E agi cœptum est, vt de illis quoque clericis ageretur, qui antequàm ordinarentur coniugati essent, num initiati postea sacris ordinibus cum ijsdem consuetudinem habere possent. Quid autem de his a Patribus statutū fuerit, non apparet: de eiusmodi vero rogatione hæc recitat Sozomenus [i]: Dum (inquit) est de hac re deliberatum: alijs visum est, legem introducere, quæ iuberet vt Episcopi, presbyteri, diaconi, & subdiaconi cum vxoribus quas ante duxissent, quàm essent sacris initiati, neutiquam dormirent. At Paphnutius Confessor in medio consessus surgens, illi legi contradixit; nuptiasque honorabiles, & consuetudinem virorum cum suis vxoribus continentiam vocauit. Postremo Concilium hortatus est, vt talem legem minime promulgaret: nam rem esse ad ferendum difficilem; et fortasse causam illorum vxoribus fore, vt non satis caste vitam traducant: ac veterem Ecclesiæ traditionem esse, vt qui cælibes gradum sacerdotalem consequuti fuissent, postea minime vxores ducerent: qui autem post nuptias vel ad eum ordinem vocati essent, hi ab vxoribus, quas habebant, minime separarentur. Atque ista quidem, licet coniugij expers, suasit Paphnutius: cuius sententiam

i Sozom. lib. 1. c. 22.

approbauit Concilium, & de hac re nullam legem tulit, sed eam in cuiusque arbitrio, non in A
necessitate poni voluit.] hæc Sozomenus, atque etiam Socrates [a].

a Socrat. lib. 1. c. 8.

Habes, lector, ex his in primis veterem in Ecclesia traditionem fuisse, eamdemque cum in Oriente tum in Occidente vbique seruatam, vt cælibes ordinati nullo modo possent denuo sperare coniugia. Id quidem in Ecclesia Dei semper obseruatum esse, primo Tomo [b] fusius disseruimus, cum & huius a Sozomeno & Socrate recitatam historiam discussimus, & vt adulterinam excussimus; vtpote quæ cum primis Nicæno nuper recensito canoni aduersari videatur. Nam cum expressæ habeantur in eo feminæ, quibuscum permittantur clerici habitare, nec de vxore vlla prorsus mentio facta sit, plane ipsa esse explosa conspicitur: quòd enim ea in re dubitatum esset, plane vxoris nomen ante alias fuerat exprimendum, quod silentio omnino censeretur exclusum. Nec veritati consentaneum est, quod dicit Sozomenus, nullum a Patribus ea de re sancitum esse canonem, ob id quod non cogere vellet quemquam, sed B
relinquere cuique, quod vellet facere, liberum: nam id necessario scripta lege sanciendum erat, cum scriptus canon his contrarius militaret, quo personæ illæ fuerant definitæ, quibus cum clericis liceret habitare.

b Annal. Eccles. Tom. 1. an. D. 58.

REPELLVNTVR SOZOMENVS ET SOCRATES.

CAELIBATVS ANTIQVA TRADITIO.

Sed & quo modo sine decreto scriptis prodito potuit sancta Synodus antiquam a temporibus Apostolorum consuetudinem in Ecclesia abrogare, quæ ordinatos coniugatos a sacris arcebat, si se iterum vxoribus miscuissent? Est enim huius veterrimi vsus locuples testis S. Hieronymus, cum ad Pammachium scribens hæc ait [c]: Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes: Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici.] et aduersus Iouinianum agens, id ipsum nec cælibatus impugnatores negare audere tradit [d], cum inquit: Certe confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.] Nec est quod quis possit obijcere, de consuetudine Occi- C
dentalis Ecclesiæ hæc ab ipso dici: nam aduersus Vigilantium agens: Quid (inquit) facient Orientis Ecclesiæ? quid Aegypti, & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desierunt?] et qui (vt alibi ait [e]) se norunt hostias offerre non posse, si operi inseruiant coniugali.] Sed etsi non tantum de Orientali Ecclesia testimonium, verum & testem eiusdem Ecclesiæ quæris: habes S. Epiphanium, qui hæc tradit [f]: Sanctum sacerdotiũ ex virginibus quidem, vt plurimum, procedens: si vero non ex virginibus, at ex solitariam vitam degentibus: si vero hi non suffecerint ad ministerium; hi qui continent a proprijs vxoribus, accipiantur, &c.]

c Hieron. epist. 50. in fin.

d Hieron aduers. Iouinian. lib. 1.

e Hieron. ad Pammach. epist. 50.

f Epiphan. in Compend. lib. 3.

Vides igitur ex testibus, qui vixerunt eodem sæculo quo sacrosanctum Nicænũ Concilium celebratum est, quorum tempore (vt idem refert S. Hieronymus [g]) nonnulli superstites erant, D
qui eidem Nicæno Conuentui interfuerunt, testatum reddi, non modo minime liberũ cuique relictum vti vxoribus post susceptos sacros ordines, sed fuisse id expresse vetitum, & absque controuersia ab omnibus obseruatum. Sed & illud quoque Synodicis decretis cautum constat in Arelatensi Concilio: neminem assumendum ad sacerdotium coniugij vinculo obligatũ, nisi spopondisset conuersionem, continentiam scilicet ab vxore [h]; licet sicut mater & auia soror vel filia, conuersa vxor cũ viro caste habitare ab eodẽ permissa sit [i]; sed id præter consuetudinẽ Ecclesiasticam, de qua Gregorius Turonensis sic testatur [k]: Apud Aruernum post Astremonium Episcopum primus fuit Vrbicus ex Senatoribus conuersus, vxorem habens: quæ iuxta consuetudinem Ecclesiasticam, remota a consortio sacerdotis, religiose viuebat.] Quando autem id vsurpari sit cœptum a Græcis, vt coniugati ordinati, contra ius fasq. suas penes se in vsum coniugij retinerent vxores, alibi dictum est [l]. Ceterum quod ad Nicænum canonem E
spectat, eum Patres inuiolate obseruatum custodierunt: vnde S. Basilius [m] huius potissimum canonis nisus auctoritate, non permisit septuagenarium senem habitantem secum habere mulierem: sed (inquit) eijce illam ex ædibus tuis, & trade in monasterium. Sit illa cum virginibus: tu inter viros ministra.] idque ex præscripto Nicæni canonis; nam ait: Lege canonem a sanctis Patribus nostris in Nicæna Synodo constitutum, qui manifeste interdixit, ne quis mulierculam subintroductam habeat.]

g Hieron. aduers. Luciferian.

h Concil. Arelat. 2. c. 2.

i Eod. Concil. c. 3.

k Gregor. Turon. hist. Franc. lib. 1. c. 44.

l Annal. Tom. 1. an. D. 58.

m Basil. epist. 17. ad Paregor. in addit.

Pertinet quoque ad præteritorum prauorum morum correctionem quod sancta Synodus aduersus clericos fœnus exercentes constituit [n]. Rursum vero emendauit prauum illum, qui penes aliquos abusus irrepserat, quo diaconi Eucharistiam porrigebant presbyteris: ne id vsquam fieret, vetuit sancta Synodus, simulq. prohibuit ne diaconi sederent coram presbyteris. Porro ex administratione rerum temporalium adeo creuit diaconorum fastus in locupletibus præsertim Ecclesijs, postquàm sub Christianis Imperatoribus sunt auctæ diuitijs, vt sedere

n Concil. Nicæn. c. 17.

A cœperint coram presbyteris, abſente Epiſcopo, & alia ſibi illicita vſurpare, quæ S. Hierony-
mus ſcribens ad Euagrium damnat [a]. At de his aliàs pluribus. *a Hieron. epiſt. 85.*

Sed & praua illa quoque conſuetudo ſublata eſt [b], qua Epiſcopi, presbyteri, atque diaconi *b Concil. Nicæn. c. 15. 16. 17.*
de Eccleſia, in qua ordinati ſunt, in aliam transferebantur. Vt autem id corrigeret ſancta Sy-
nodus, turbæ Antiochenæ, cum ex Eccleſijs externis ſibi poſtulaſſent Epiſcopum, alijs Euſebiũ
Cæſarienſem Antiſtitem expetentibus, alijs vero Euſtathium Pontificem Berœenſem, occa-
ſionem dediſſe videntur. Quod plane intelligendum eſt, quando id affectent Epiſcopi, vel ſtu-
dia populorum & clericorum ſibi inuicem diſſidentia & mutuo altercantia æmulatione procu-
rent: nam cum vehemens id aliqua ratio perſuadeat, nempe vt alicui ſedi ab hæreticis peſſun-
datæ inſignis aliquis alterius Eccleſiæ pręficiatur Epiſcopus, id ſancta ac Magna Synodus exẽ-
plo docuiſſe videtur, cum depoſitis (vt dictum eſt) inſignioribus Arianis Epiſcopis, Euſebio
B Nicomedienſi, & Theognide Nicæno, in ſedem ipſorum aliarum ſedium Antiſtites ſuffecerũt.
His addidit ſancta Synodus [c], ne quis alterius Eccleſiæ aliquem ordinaret clericum abſque *c Concil. Nicæn. c. 17.*
conſenſu illius Eccleſiæ Epiſcopi.

Ceterum quòd ex diſtinctione S. Baſilij non tantum ad correctionem præteritorum noxio-
rum, ſed ad præmunitionem quoque eorum quæ ſuboriri poſſent, canones ſtatuerit ſancta Sy-
nodus: ad hæc in primis ſpectat quod decretum eſt, ne recens baptizati in Epiſcopos aſſume-
rentur, vel presbyteri ordinarentur. eiuſmodi enim conſtitutio ſic ſe habet [d]: *d Concil. Nicæn. c. 2.*

Quoniam plura aut per neceſſitatem, aut aliàs cogentibus hominibus, aduerſus Eccleſiaſti-
cam facta ſunt regulã: vt homines ex Gentili vita nuper accedentes ad fidẽ & inſtructos breui
tempore mox ad ſpirituale lauacrum perducerent: ſimulq. vt baptizati ſunt, ad Epiſcopatum
vel presbyteratum promouerent: optime placuit, nihil tale de reliquo fieri: nam & tempore
C opus eſt ei qui catechizatur, & poſt baptiſmum probatione quamplurima. Manifeſta eſt Apo-
ſtolica ſcriptura, quæ dicit [e]: Non Neophytum; ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat, & *e 1. Tim. 3.*
in laqueum diaboli. Si vero proceſſu temporis aliquod delictum animæ circa perſonam repe-
riatur huiuſmodi, & a duobus vel tribus teſtibus arguatur, a clero talis abſtineat. Si quis au-
tem præter hæc fecerit, quaſi contra Magnum Concilium ſe efferens; ipſe de clericatus hono-
re periclitabitur.] hæc Patres. Ceterum ob inſigniorem perſonam aliquam, & ad ſedandos
concitatos tumultus, tum in Ambroſio, tum in Nectario fuit canoni derogatum.

Sed quod ad Epiſcoporum pariter ordinationem ſpectat; quo modo facienda eſſet, hæc ibi-
dem ſunt a Patribus definita [f]: Epiſcopum conuenit maxime quidem ab omnibus qui ſunt in *f Concil. Nicæn. c. 4.*
prouincia Epiſcopis ordinari. Si autẽ hoc difficile fuerit, aut propter inſtantẽ neceſſitatem, aut
propter itineris longitudinem: tribus tamen omnimodis in idipſum conuenientibus, & abſen-
D tibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tũc ordinatio celebre-
tur. Firmitas autem eorum quæ geruntur, per vnamquamque prouinciam Metropolitano tri-
buatur Epiſcopo.] Citatur hic canon in Synodali epiſtola ſanctorum Patrum, qui conuenerũt
ad ſacroſanctum Cõſtantinopolitanum Cõcilium Oecumenicũ, ad Damaſum, cum hoc addi-
tamẽto: Vt ſingularum prouinciarum Antiſtites vna cum finitimis, modo ipſis ita viſum fuerit
Epiſcopis, &c.] quæ verba in dicto canone deſiderantur: recitat eum Theodoretus [g]. Quo in- *g Theodoret. lib. 5. c. 9.*
ſuper firma rataq. concordia perduraret inter Epiſcopos: illud his additum [h], vt excõmunica- *h Concil. Nicæn. c. 5.*
tus ab vno, ab altero non recipiatur Epiſcopo: vtque [i] bis in anno Antiſtites Concilia celebra- *i Eod. c. 5.*
rent, ad quæ cauſæ deferrentur eorũ, qui ab Epiſcopo ſe iniuſte paſſos aliquid cõquererentur.
delecta vero ad Concilia celebranda anni ſunt tempora ante Quadrageſimã, & in Autumno.

Sunt autem canones omnes, quos recenſuimus, viginti numero, non eadẽ tamen partitione *NVMERVS NICAENORVM CANONVM.*
E & ordine vbique diſpoſiti, ſicut nec eadem verſione Latinitati redditi: quarum duæ auctore in-
certo extant Tomo primo Conciliorũ, alia præterea Dionyſij, qui collegit Græcos canones, &
in Latinũ conuertit, tradiditq. Stephano Epiſcopo Salonitano: habetur & alia ſub Attico An-
tiſtite Conſtantinopolitano, elaborata a Theilone & Thearisto, quando ab eodẽ Attico ijdem
canones miſſi ſunt ad Concilium Carthaginenſe ſextum, cui annexi fuerunt, & hactenus ex-
tant [k]. in quibus omnibus editionibus viginti tantummodo canones enumerantur, qui licet a *k In princ. Concil. 6. Carthag.*
Ruffino [l] vigintiduo recenſeantur, ijdẽ tamen eſſe noſcuntur, cũ ab eo duo ex illis in duas ſecti *l Ruffin. lib. 1. c. 6.*
partes effecerint quatuor. Sed & Theodoretus viginti tantũ canones in Magna Synodo ſtatu-
tos affirmat [m]: totidẽq. repertos eſſe in archiuis Alexandrinæ, Antiochenæ, & Cõſtantinopo- *m Theodoret. lib. 1. c. 8. in fine.*
litanæ Eccleſiæ, cum illi magna diligentia perquiſiti ſunt ab Epiſcopis Africanis, dictæ Synodi
ſextæ Carthaginenſis Acta & epiſtolæ ea de cauſa tunc ſcriptæ certiſſimam fidem faciunt.

Ceterum Nicænos canones aliquod paſſos eſſe naufragium, tabulæ quæ hinc inde diſperſæ
reperiuntur, manifeſte ſignificant. Quis neget, immo quis auctoritate S. Hieronymi non affir-

CANON DE LIBRIS HAGIOGRAPHIS.

a Hieron. epist. 111.

met, atque tuto confirmet, in eadem Magna Synodo de diuinis scripturis authenticis editum A esse canonem? ipse enim sic præfatur in Iudith [a]: Apud Hebræos liber Iudith inter Hagiographa legitur; cuius auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur: Chaldæo autem sermone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum scripturarum legitur computasse: acquieui postulationi vestræ, &c.] Nemo igitur inficias ire poterit, eiusmodi canonem, quo libri canonici numerati erant (nescio quo casu) penitus excidisse.

b Ambros. epist. ad Vercellen. Eccles.

CANON DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

Rursum vero de bigamis non ordinandis Nicænum canonem citat S. Ambrosius [b], qui pariter desideratur: ait enim: Sed prius cognoscamus, non solum hoc Apostolum de Episcopo & presbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilio Nicæno tractatus addidisse: neque clericum quemquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit.] hæc ipse. At quis, rogo, tam perfrictæ frontis homo tot tantosq. Patres mendacij adeo impudẽter redargueret, & affirmare ausit eos esse mentitos, quòd hi duo canones extra numerum illorum viginti positi videan- B tur? Qua pariter ratione falsarius haud dicendus est sanctissimus ille Zosimus Papa [c], quòd citauerit Nicænum canonem de appellatione ad Apostolicam sedem, qui tamen inter viginti illos nequaquam numeratus habetur, neque apud Græcos inuenitur, sicut nec duo alij superius recensiti: cum tamen Theodoretus illum ipsum digito signet, dum scribit Athanasium Arianorum calumnijs circumuentum, & illorum iudicijs exagitatum in Occidentem venisse, & Arianos litteris contra eumdem causam prosequutos esse; quando, inquit [d] de Iulio: Ille Ecclesiæ canonem sequutus, & eos iussit Romam venire; et diuinum Athanasium, quo pro se in iudicio ipse responderet, vocauit.] Sed quinam iste Ecclesiæ canon? non certe Sardicensis Concilij, quod (vt idem demonstrat auctor sequenti capite) nondum fuerat celebratum. compelleris ergo fateri, per Ecclesiæ canonem non alium significatum esse, quàm citatum C Nicæni Concilij canonem de appellando ad Romanum Pontificem, quem Athanasius (vt suo loco plutibus declarabimus) aduersus Arianorum iudicia contra se lata legitime appellauerat. Cum vero constet longe grauiori ex Ariana hæresi tempestate iactatam esse Orientalem, quàm Occidentalem Ecclesiam; haud mirum sit, Hieronymum, Ambrosium, & Zosimum Papã, ex Romanæ Ecclesiæ archiuis, atque aliunde petitos alios, præter viginti illos, nouisse Nicænos canones: quod intelligentes Patres Catholici, qui Sardicam ad Oecumenicum Concilium conuenere, complures ex canonibus Nicææ in Magno Concilio editis, tamquam in recentiori theca recondentes, decretis [e] Sardicensibus, additis quibusdam alijs, intexuere.

c Concil. Carth. 6. c. 3.

CANON DE APPELLATIONE AD ROM. PONT.

d Theodoret. lib. 2. c. 4.

e Nican. Concil. c. 5. Sardicens. c. 16. 17. Nican. 16. 17. Sardic. c. 18. 19.

CANON NIC. DE SACRIF. OFFEREND. A IEIVNIS.

Rursus autem Episcopi ipsi Africani in tertio Concilio Carthaginensi sub Siricio Papa, quod constituerunt canone vigesimonono, vt nonnisi a ieiuno sacrificiũ offeratur, in Nicæno Concilio statutum fuisse, inferius canone quadragesimooctauo profitentur, cum in fine sic aiunt: D De fide enim Nicæna tractatus audiuimus. Verum & de sacrificijs inhibendis post prandium, vt a ieiunis, sicut dignum est, offeratur, & tunc & nunc confirmatum est.] hæc ibi.

Insuper quòd quæ antea aduersus Ariũ in Concilio Alexandrino gesta essent, cognita sunt etiam in eodẽ Nicæno Concilio: ille itidem a Patribus canon sancitus est, quo cautũ fuit vt res cognitæ in minori Synodo, in maiori iterum examinari atque tractari possent. Huius quidem canonis meminit Iulius Papa in epistola ad Arianos recitata & intexta ab Athanasio in Apologia secunda, in qua hæc verba leguntur: Episcopi in Magna Synodo Nicææ congregati non sine Dei consilio permiscrunt prioris Synodi Acta in alia Synodo examinari.] et paulo post: Quòd si istiusmodi cõsuetudo olim fuit, eiusq. memoria renouata est & scripto prodita in Magna Synodo, eamq. apud vos valete non finitis, rẽ profecto indecorã facitis.] hæc Athanasius.

Ceterum nec ipsi Græci, quantumlibet austeri & tenacissimi Nicænorum canonum numeri E vicenarij custodes & iudices, negare vsquam potuerunt, nihil præterea in Magna illa Synodo esse statutum, quod extra viginti illos canones inueniatur: cum ab Attico ipso Episcopo Constantinopolitano editum sit exemplar Formatæ scribendæ, cuius communicatione (vt Tomo secundo dictum est pluribus) vniuersa compaginari deberet Ecclesia; quod excusum habetur post Concilium Chalcedonense, sed in Cresconiana collectione sub eiusdem Attici titulo descriptum reperitur in hæc verba:

CANON DE CONFICIENDA FORMATA.

Græca elementa litterarum numeros etiã exprimere, nullus qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos Latinus Formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temere præsumeretur; hoc a Patribus trecentis decem & octo Nicææ congregatis saluberrime inuentum est, & constitutum; Vt Formatæ epistolæ hanc calculationis, seu supputationis habeant rationem: id est, vt adsumantur in supputationem prima Græca elementa Patris & Filij & Spiritûssancti, hoc est, π, υ, α, quæ elementa

A menta & octogenarium, & quadringentesimum, & primum significant numerum: Petri quoque Apostoli prima littera, id est, π, quæ numerum octoginta significat. Eius quoque qui scripsit epistolam prima littera; cui scribitur secunda littera; accipientis tertia littera; ciuitatis quoque, de qua scribitur, quarta; & indictionis (quæcumque est) eiusdem temporis, idem qui fuerit numerus assumatur. Atque ita his omnibus Græcis litteris, quæ (vt diximus) numeros exprimunt, in vnum ductis; vnam, quæcumque collecta fuerit, summam epistola teneat. Hanc qui suscipit, omni cum cautela exquirat expresse; addat præterea separatim, ἀμήν, Amen, quod in epistola nonagesimum & nonum numerum secundum Græca elementa significat, Valete in Domino.] hactenus ex collectione Cresconiana, quæ hæc habet amplius: XLVIIII. L. Nam numerus noster non tenetur in epistola Græcus, sed Latinus explanatur, quæ directa vnanimiter ab Episcopo Osio & Victore & Vincentio presbyteris ad Episcopum Vrbis Romæ Siluestrum: per quorum nomen seruantes gremium direximus sedi Apostolicæ.] hucusque ibi, vt B se habent in nostro codice: quibus quidem manifesti erroris redarguuntur illi, a quibus in Forsmatæ canone, vox, ἀμήν, prætermittitur, cum ex ipso textu liqueat easdem Græcas litteras reddere numerum nonagesimumnonum. Quamobrem ad canonis huius elucidationem, hic describenda putamus, quæ ex Iuone leguntur his verbis[a]:

Græca elemēta litterarum numeros etiā exprimere, nullus qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos Latinus Formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temere præsumeretur: hoc a Patribus trecentis octodecim Nicææ congregatis saluberrime inuētum est & constitutū: vt Formatæ epistolæ hanc calculationis seu supputationis suæ habeant rationem: id est, vt assumantur ad supputationē prima Græca elementa Patris & Filij & Spiritus sancti, id est, π, υ, α, quæ elementa octogenarium, qua-C dringentesimum & primum seruant numeros: Petri quoque Apostoli prima littera, id est, π, quæ numerum octogesimum significat: eius qui scribit epistolam prima littera, cui scribitur secunda, accipientis tertia, ciuitatis quoque de qua scribitur, quarta, & indictionis (quæcumque est) illius temporis numerus assumatur.

Atque his ita omnibus Græcis litteris, quæ (vt diximus) numeros exprimūt, in vnum ductis; vnam, quæcumque collecta fuerit, summā epistola teneat. Addat præterea separatim in epistola etiam nonagenarium & nonum numeros, qui secundum Græca elementa significant, ἀμήν. Tres igitur prædictæ litteræ Græcæ, id est, π, υ, α, & prima littera ex nomine Petri, id est, π, quingentesimum sexagesimum & vnum faciunt numeros, π, enim prima, quæ est in nomine summi Patris, 80. numerat: υ, vero, quę est prima in nomine Filij, 400. numerat: α, vero, quæ prima est in nomine Spiritus sancti, vnum indicat. Si addas, π, quæ est in nomine Petri prima, id D est 80. reperies 561. ἀμήν vero, quod in prædictæ epistolæ fine scriptū est, 99. indicat: α, enim vnum, μ, quadraginta, η, octo, ν, quinquaginta numerum, qui nonagintanouem efficiunt numeros. Si vero totam summam simul iungas, 660. epistola numeros tenet.] hucusque ipse.

Sed hic illud animaduertendū est, quòd habetur in canone, id inuentū a Patribus, ne (quod ait) aliqua fraus falsitatis temere præsumeretur. Non video, quomodo quilibet impostor non valuerit eiusmodi litteras fingere: nempe si exempli causa dicamus aliquem Arianum cupientem videri Catholicum, hoc perlecto canone, ad eius præscriptum, iisdem signatas elementis litteras exarasse. Vt cum finxerit eas datas ab Athanasio Alexandria ad Iulium Romanum Pontificem per Serapionem diaconum, addita indictione, exque singularum vocum primis Græcis elementis numerum collectum conscripserit: Quid hoc quæso tanti negotij opus, vt non valuerit ab impostore quolibet factitari, & hæretico homine vel schismatico fingi? At E quonam pacto potuerunt, publica lege conscripta, regula Formatarum secreta fieri litterarum commercia, quæ vix secretioribus notis & singlis inter paucos mutuo assensu contesserratione condicta perfici solent?

Quamobrem in eam sententiam imus, vt existimemus eiusmodi canonē nequaquam esse cū ceteris editū, sed penes Episcopos Catholicos retētum esse secretum: atque illud de eiusmodi formula Formatarū fuisse Patrum cōsilium, vt dantibus & accipiētibus communicationis Catholicæ tesserā hisce elementis exprimerent: nempe vt qui fidem & cōmunicationē Catholicā his elementis significatā scriberet, vel deferret, censeretur esse Catholicus, sicq. vt Catholicus inter Catholicos mereretur Catholica cōmunicatione recipi: nam huius rei causa in vsu fuisse Formatas, nēpe vt qui has scriberet, vel afferret, existimaretur esse Catholicus, secundo Annalium Tomo dictū est. Quoniam vero ad Catholicā communicationē, vt alicui impertiri posset, duo potissimum esse necessaria videbantur, nimirum ne hæresi vel schismate ab Ecclesia Catholica diuisus esset: ea de causa talis formula fuit a sanctis Patribus præscripta Formatis, qua

a Iuo. de caus. Cleric. part. 6. c. 433.

vtrumque significaretur; nempe, qui daret, & deferret epistolam, de fide recte sentire, & communicatione Ecclesiæ Catholicæ inhærere. A

Sic igitur quòd in hac Formata tribus illis prioribus elementis, Patris & Filij & Spiritussancti, perfectæ & sanctissimæ Trinitatis nomina adnotarētur; veluti symbolicis formulis aduersus ipsos qui tunc insurrexissent hæreticos Arianos fides Nicæna eadēq. Catholica videbatur esse descripta. Quòd vero non solum in rectæ fidei confessione, sed & ex vera cū Ecclesia Catholica cōmunicatione probari deberet, qui recipiendus esset: inde additum est a sanctis Patribus primum illud quod sequitur elementum, π, nominis Petri: idq. ea de causa, quòd in sede Petri vigeret totius Ecclesiæ Catholicæ principatus, adeo vt ille probaretur vere esse Catholicus, qui Petri successori esset communione coniunctus: quo quidem perspicuo argumento probat (prout superius dictum est) Optatus Mileuitanus, se Catholicum, Parmenianum vero & alios Donatistas, aduersus quos agit, esse schismaticos, dū enumerans seriem Romanorū Pōtificum, B qui sederunt (vt ait) in cathedra Petri, ad Siricium vsque descēdens, de eo addit: Hic noster est socius, cum quo nobis totius Orbis cōmercio Formatarum in vna communionis societate cōcordat.] de Donatistis vero subdit, procul abesse, vt Formatis cōmunicent cū cathedra Petri.

Vides ex his manifeste, lector, ad quid nomen Petri potius, quàm (si sanctioris personæ ponēdum fuisset) Dei genitricis Mariæ, vel Ioānis Baptistæ; aut si, π, littera ad constituendum certū numerū requireretur, magis ipsius Petri, quàm Pauli Vasis electionis & Doctoris gentiū nomē; post trium personarū sanctissimæ Trinitatis nomina, statim habeatur expressum; nempe ob cōmunicationē cū cathedra Petri, per quod signū qui esset Catholicus, posset aperte significari.

Exarabantur autē in Formata quatuor hæ litteræ, quæ numquam a quouis mutari deberent; π, υ, α, π, id est Pater, Filius, Spiritussanctus, Petrus: et quod adijciebatur in fine, ἀμήν, Amen. Reliquæ autem, quibus indicabantur nomina scribentis, afferentis, recipientis, tēporis quo scripta, & loci ex quo data Formata erat, pro occasione diuersarū personarū, locorum & tēporum C mutabantur. Inhærebant itaque dicta elemēta cuique Formatæ immutabilia, quibus hæ voces (vt dictum est) PATER, FILIVS, SPIRITVSSANCTVS, PETRVS, AMEN, eo modo primis litteris haberentur inscriptæ; idq. Apostolorū exemplo: nam vidimus Paulum solitū pro signi nota (vt ait [a]) apponere illas voces, GRATIA DOMINI, &c. Sanctum vero Ignatiū has, AMEN, GRATIA, vt superius primo & secundo Annalium Tomis pluribus est explicatum.

a 2. Thessal. 3.

Porro quòd eædē Græcæ litteræ numerū significarent, in hoc potuit aliquod latere secretū, vt scribēdo etiā (si placeret) Latini numeri elemētis numerū illum expressum in canone Græcis litteris, quid intelligeretur, haberetur incognitum: vt in appendice eiusdem Formatæ apud Cresconium his notis XLVIIII. & L. idem est quod AMEN. Et siue Græce scriberētur, numeri potius esse crederētur, quàm voces: reipsa autē voces, eīq. maximi pōderis significatiuæ. licet D sciamus, etiam Latinos Græcis vti solitos characteribus, quod complura exempla declarant. Sicq. siue Latine ex Græcis, siue Græce notæ numeri scriberētur; nomina & voces illæ, quæ cōmunicationis Catholicæ erant indicatiuæ, nonnisi eius tesseræ conscijs fierent manifestæ, ceteris autē extra Ecclesiā positis (nisi proditio aliqua intercederet) occultæ essent. At de his hactenus: quæ fortasse prolixius, quàm par erat, sunt pertractata, sed plane necessitate cogente, quòd neminem reperimus, qui istæc de Formatis ita ex Concilio Nicæno præscriptis elucidarit.

Post vero descriptum canonem de Formatis in dicta Cresconiana collectione, postq. recitatam breuem illam appendicem: mox subijciuntur S. Synodi litteræ ad Siluestrum Romanum Pontificem: quas collatione habita cum alijs exemplaribus (vt licuit) paulò emendatiores reddidimus, relicta in margine varia lectione: sunt autem huiusmodi:

LITTERAE SYNODI AD SILVESTRVM PAPAM.

Beatissimo Papæ Vrbis Romæ cum omni reuerentia colendo Siluestro, Osius Episcopus E prouinciæ Hispaniæ ciuitatis Cordubæ, Macarius Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ*, Victor* & Vincentius presbyteri Vrbis Romæ ordinati ex directione tua, & ceteri Episcopi CCCXVIII. in Domino salutem. Quoniā omnia corroborantur* diuinis mysterijs Ecclesiasticæ vtilitatis causa: quę ad robur pertinent S. Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, ad sedē tuam Romanam explanata & de Græco redacta scribere confitemur: nunc itaque ad veræ* fidei augumentum* accurrimus roborari. Itaque censeat vestra Apostolica doctrina, Episcopos totius vestræ Apostolicæ Vrbis in vnum conuenire, vestrumque habere Concilium*: sicut docet mystica veritas, confirmet* nostra sancita*, vt gradus fixos connexa* ordinationi tuæ sanctimoniæ nostra possit habere regula: quoniam decet numerum dictorum Coepiscoporum a te discere gradus conformes* conscendere Verbi. Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestro oris consortio confirmetur. Oret beatitudo tua pro vniuerso Concilio. Dat. VIII. Kal. Iulias. Accept. XIII. Kal. Nouemb. Paulino & Iuliano

* Constantinopolitanæ
* Vitus
* corroborata
* vestræ sedis
* argumentum
* Consilium
* vt firmet
* sanctimonia
* contexta
* fornices consternere Vrbi

A & Iuliano summis Coss.] huic habetur coniuncta Siluestri epistola ad Synodum, sed mendosissima, quæ & ob Consules perperam positos commenticia reputatur, vtpote quæ data & accepta habeatur sub Consulatu Constantij quarto cum Constantini octauo siue septimo, qui est ab hoc annus quintus. Porro cum his litteris missum æque fuisse decretum fidei, & reliqua in Synodo gesta, certum est.

Ceterum quod ad Magnæ Synodi confirmationem spectat: etiamsi dicta epistola non extaret, vel omnino reijceretur, vt spuria: quis ignorat antiqua Ecclesiastica iura, quibus traditum & obseruatum est, omnia decreta Synodica ab Episcopo Romanæ Ecclesiæ accipere firmitatem? vnde apud Socratem [a]: Canon Ecclesiasticus vetat ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesijs sanciantur.] Sed quinam iste canon, qui in re tanta, tanta decernat, vt inuiolabiliter & semper fuerit vbique seruandus? non equidem in Synodo aliqua reperitur B esse sancitus, sed potius antiquo vsu, vti Apostolica institutio, ad posteros iugi obseruatione omnium appareat stabilitus, quod & superius demonstratum est. SYNODI CONFIRMATIO. [a] Socrat. lib. 2. c. 13.

Sed quod rursus ad Nicæna pertinet instituta: non prætermittimus dicere, indicare videri Sozomenum [b], ex instituto Nicæni Concilij secundū traditam in eo fidei formulam hymnos cani consueuisse; cum agens de Leontio Ariano Episcopo Antiocheno, ait eum passum esse Catholicos hymnis fidei Concilij Nicæni consentientibus Deum laudare. Etenim Ariani sicut baptismi formam, ita quoque Glorificationis hymnum corruperant, vt dicerent, Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto;] Catholici vero more vsitato & antiquitus tradito canerent: Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto:] idq. ex præscripto verborum Domini ad suos dicentis [c]: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.] At ex Concilio Nicæno (vt dicemus) ad eiusmodi hymnum Glorificationis illud C accessit additamentum, vt post Gloria Patri, &c.] diceretur: Sicut erat in principio & nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.] [b] Sozom. lib. 3. c. 19. in fin. NICÆNVS CANON DE SACRO HYMNO GLORIA PATRI ETC. [c] Matth. vlt.

Sed ad hæc omnia certius exploranda, illud in primis monendum putamus; eiusmodi hymnum Glorificationis, sic a maioribus dictum, nequaquam (vt aliqui putant) inuentum esse a Nicæno Concilio; sed ab ipsis Apostolorum temporibus Fideles, cum in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizarentur, easdem tres personas sanctissimæ Trinitatis eiusmodi hymno conglorificare cœpisse. Quod quidem ex maiorum traditione, absque aliquo scripto, sibi Ecclesiam vendicare, pluribus affirmat S. Basilius [d] ad Amphilochium scribens de Spiritu sancto, vt cum ait: Proinde quod a maioribus nostris dictum est, & nos dicimus gloriam esse communem Patri cum Filio; quapropter & Glorificationis hymnos Patri simul cum Filio offerimus.] Sed & cœptam esse in Ecclesia Dei eiusmodi Glorificationem ex eo tempore D quo ab Apostolis promulgatum est Euangelium, & cum (vt diximus) sacrum baptismum ab eisdē iussu Domini in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti collatum est, a Fidelibus occini cœptam, & absque scripto Fidelibus traditam, pluribus idem inferius docet [e]; eamdemq. pronunciandam esse monet vt a Domino accepit Ecclesia, licet ab aliquibus, CVM, pro, ET, dictum reperiri tradat: nam ait [f]: Dictum est igitur, nihil referre ad sensum, siue dicas: Gloria Patri & Filio cum Spiritu sancto: siue dicas: Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Non igitur fas est cuiquam syllabam, et, ex ore Domini profectam reijcere, aut aliter scribere.] hæc & alia huiusmodi Basilius de huius Glorificationis ab Apostolis Ecclesiæ traditæ vsu: quam tanti ponderis esse nouerunt Patres, vt cum postea in Constantinopolitano Concilio firmanda esset aduersus hæreticos Spiritus sancti negantes diuinitatem regula fidei, huiuscemodi Conglorificationis testimonium in ipsa intextum voluerint, atque scriptum illud de E Spiritu sancto: Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur.] HYMNVS GLORIFICATIONIS EX TRAD. APOST. [d] Basil. de Spir. sanct. c. 7. [e] Basil. de Spir. sanct. c. 27. 29. [f] Ead. c. 27. in fin.

Porro quod attinet ad decreta Nicænæ Synodi: sicut nullo modo dicendum est, Glorificationis sanctissimæ Trinitatis hymnum ab ea primum inuentum; ita nec, vt in fine cuiusque Psalmi caneretur, esse statutum, putamus. Equidem si Magna Synodus id statuisset, vniformem regulam (sicut in ceteris) Ecclesijs omnibus pariter præscripsisset, a qua nullus vmquam deuiare, vel latum vnguem præterire aliquando, præsumpsisset: cum tamen videamus diuersas ea de re fuisse diuersarum Ecclesiarum consuetudines, ritusque dissimiles: sic namque Cassianus ait [g]: Illud etiam (quod in hac prouincia vidimus) vt vno cantante, in clausula Psalmi omnes astantes concinant cum clamore, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto: nusquam per Orientem audiuimus: sed cum omnium silentio ab eo qui cantat, finito Psalmo, orationem succedere, hac vero Glorificatione Trinitatis tantummodo solere antiphonam terminari.] hæc ipse: ex quibus etiam, sicut ex multis alijs, commenticia plane detegitur epistola illa Hieronymi nomine ad Damasum consignata, quæ merito ab eruditis Hie- [g] Cassian. lib. 2. c. 8.

 tis Hie-

tis Hieronymi res accuratius expendentibus, vt adulterina iure exploditur, in qua hæc A
leguntur [a]: Precatur ergo cliens tuus, vt vox ista psallentium in sede tua Romana, die noctuq. canatur,& in fine Psalmi cuiuslibet, siue matutinis siue vespertinis horis,coniungi præcipiat Apostolatus tui ordo, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, sicut erat in principio, &c.] Si enim in Oriente nusquam se audisse, inquit Cassianus, vt in fine Psalmi diceretur Gloria Patri, &c. quo modo ex Orientis more de eiusmodi psallendi genere Hieronymus potuit Damasum monuisse; cum antea tam in Occidentali Ecclesia, quàm in Orientali, eiuscemodi psallendi vsum viguisse, idem affirmet? Qui tamen eidem epistolæ fidem adhibuerunt, ex S. Hieronymi monitu id sancitum a Damaso existimarunt.

Quòd igitur ante Nicænum Concilium, ex traditione (vt vidimus) Apostolorum, vigeret vsus in Ecclesia, vt a Fidelibus Glorificationis dictus hymnus occineretur vbique, licet diuerso ritu: alia occasione recens accepit additamentum. Nam cum Ariani blasphemantes dicerent Filium a Patre in tempore factum, & fuisse tempus quando non erat: placuit sanctæ B
Synodo aduersus eiusmodi hæresin addi ad antiquum Glorificationis hymnum, Gloria Patri, &c. illam appendicem, qua dicitur: Sicut erat in principio, &c. testatum habetur id ex Concilio Vasensi, vbi hæc reperiuntur expressa [b]: Et quia non solum in sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam vel Italiam, propter hæreticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis post GLORIA PATRI ET FILIO ET SPIRITVI SANCTO] SICVT ERAT IN PRINCIPIO ET NVNC ET SEMPER ET IN SAECVLA SAECVLORVM, AMEN, dicitur: etiam & nos in vniuersis Ecclesijs nostris hoc ita dicendum esse decernimus.]

Hic autem illud lectorem admonendū putamus: canones Concilij Vasensis primi confusos C
existere cum illis Vasensis secundæ Synodi, hincq. recitatum hic canonem esse Vasensis primæ, quæ paulo post Nicænum Concilium celebrata est temporibus Constantij Imperatoris, cum S. Nectarius Episcopus Viennensis sederet, qui eidem Synodo interfuit, de quo sic Ado eiusdem Ecclesiæ Episcopus [c]: Florebat (inquit) & tunc temporis (quo Maximinus Episcopus Treuerensis hospes Athanasij) Nectarius Viennensis Episcopus in doctrina fidei eximius: qui in Vasensi illa Synodo venerabili primus interfuit, & Patris & Filij & Spiritus sancti vnam esse naturam, & potestatem, & deitatem, & virtutem, in Ecclesia publice prædicauit, & docuit.] hæc Ado. Quamobrem qui subscripti Episcopi ibi in fine ponuntur, alterius Vasensis Synodi esse oportuit, illic vero (quod etiam accidit de Arelatensibus Synodis) per errorem appositos. Sic igitur, quod dicitur a Sozomeno, cani hymnos a Catholicis Nicænæ fidei consentientes; de Glorificationis antiquo hymno, tunc vero eo additamento aucto, debere intelligi, potius assentimur. At de his modo satis. D

SYMBOLVM NICAENVM VBI CANI COEPTVM IN ECCLESIA.

Putarunt nonnulli, vt sicut huiuscemodi sic auctus Glorificationis hymnus ad confutandam grassantem publice in Ecclesia hæresin Arianam, vt frequentius caneretur, ex hoc tempore Nicæni Concilij, fuerit a Patribus laudabili consuetudine introductum; ita pariter, vt Nicænum fidei Symbolum in Ecclesia publice concineretur. Verum eiusmodi institutionis antiqua vestigia in Ecclesia Orientali facilius reperio; nam vbi Arij hæresis magis inualuit, ibi potissimum eiusmodi Symbolum in sacris solemnibus publice debuit frequentari. De his enim hæc testatur Theodorus Lector [d]: Timotheus (erat hic Constantinopolitanus Episcopus) ab amicis rogatus, Symbolum fidei trecentorum decem & octo Patrum per singulas Synaxes dici curauit, ad reprehensionem videlicet Macedonij, quasi ille Symbolum hoc non receperit; cum antea semel tantum in anno, in Parasceue scilicet Dominicæ Passionis, tempore quo Episcopus catechizabat, recitatum esset.] ita Theodorus. In Romana autem Ecclesia secus accidit; quippe quæ custos tenacissima ac fidelissima antiquitatis, quod didicerat ab Apostolis, nullo penitus aucto additamento, seu elucidatione, Symboli ditius vsa est. De ea enim Ruffinus [e] hæc tradit, Symbolum explicans: CREDO IN DEVM PATREM OMNIPOTENTEM. Verum (inquit) priusquàm incipiam de ipsis sermonum virtutibus disputare: illud non importune commonendum puto, quòd in diuersis Ecclesijs aliqua vel his verbis inueniuntur addita: in Ecclesia autem Vrbis Romæ hoc non deprehenditur factum: quod ego propterea esse arbitror, quòd neque hæresis vlla illic sumpsit exordium; et mos ibi seruatur antiquus, eos, qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publice, id est Fidelium populo audiente, Symbolum reddere: et vtique adiectionem vnius saltem sermonis eorum qui præcesserunt in fide, non admittit auditus. In ceteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, E

SYMBOLVM APOST. IN VSV ROM. ECCLES.

per quæ

[a] Habes ea tom. primo Concil. in rebus Damas.
[b] Concil. Vasen. in fin. cap. 5. tom. 1. Concil.
[c] Ado in Chron. an. D. 337.
[d] Theodor. Lect. lib. collectaneorum Biblioth. sanct.
[e] Ruffin. in expos. symb. apud Cyprian.

A per quæ nouellæ doctrinæ sensus crederetur excludi.] hucusque Ruffinus. De vsu vero Symboli Constantinopolitani suo loco dicendum.

Quod autẽ rursum spectat ad numerum Nicænorũ canonum: quòd illi in epistola quadam, Marci nomine, septuaginta recenseantur; atque nonnulli ex ijs, in litteris quæ Iulij & Felicis Papæ dicũtur, descripti habeantur; quòd insuper Dalmatius Episcopus Cyzicenus quasdam constitutiones eiusdem Synodi ad rectè viuendi formam præscriptas ferri tradat, ex eisque nouem recitet; quodque demum Turrianus profiteatur, octoginta Nicænos canones Arabica lingua scriptos inuentos se Latinitate donasse, secundum epistolam illam nomine Athanasij ad Marcum editam, de octoginta pariter capitulis in eadem (vt ibi dicitur) Synodo constitutis, & in septuaginta redactis: quoniam hæc ignorasse maiores visi sunt, quando oborta controuersia in Ecclesia Africana, de ijs mentio necessaria incubuisset; hæc libentius alijs dis-
B serenda relinquemus: cum tamen nullo pacto inficias ierimus, ex ijs quæ dicta sunt, canones Nicænos numerum vicenarium excessisse.

His omnibus in sacrosancta Synodo absolutis, consequuta est subscriptio Patrum; qui tum fidem Catholicam Symbolo illo, quod recensuimus, explicatam, tum etiam sancitos canones singuli suo chirographo munierunt, omnes simul trecenti decem & octo: numerus videlicet in magno illo, Patre fidei dicto, Abraham, consecratus, cum totidem ex suis vernaculis aduersus quinque Reges, quos & vicit, armasset [a]: eodem quippe numero Patrum certatum est non tantum aduersus Arium & Arianos, sed quotquot antea extitissent, Filij Dei diuinitatis impios aduersarios; obtentaque est victoria in ciuitate Victoriæ, Victore atque Vincentio vna cum Osio primarijs ducibus pietatis: vt & in his nominibus quoque intelligas admirabile sacramentum. Quid autem mirandum acciderit de duobus Episcopis nu-
C per, antequàm subscriberent, vita functis, cum narrent Gregorius presbyter Cæsariensis, atque Nicephorus, & si qui alij ex recentioribus (apud antiquiores enim id frustra quæritur) hic describemus, ne quid temere aut inconsulto prætermisisse videamur potius, quàm probasse.

MYSTERIVM IN NVMERO ET IN NOMINIBVS.

a Genes. 14.

Gregorius igitur in ea oratione, quam de Nicæna Magna Synodo habuit, hæc ait [b]: Duo sancti Episcopi, Chrysantus & Musonius, cum nondum decisioni suas adiecissent subscriptiones; accidit vt diuina prouidentia ab humanis excederent. Diuini ergo Patres, cum venissent ad communem locum, in quo dormiebant, cumque simul cum eis essent, & quæ dicebantur, audirent: O Patres, dixerunt, & Fratres, præclarum certamen nobiscum decertastis, cursum perfecistis, fidem seruatis. Si ergo quod factum est, Deo gratum iudicastis (nunc enim purius cernitis) ne quid sit impedimento, quo minus vos quoque decisionem subsignetis. Hæc simul & dixerunt, & signata decisione sanctorum Patrum loculo imposita, totam il-
D lam noctem insomnem peragunt in oratione. Die autem sequenti, cum venissent ad loculum, solutis quæ erant imposita, signaculis, cum sanctam reuoluissent decisionem, inuenerunt sanctorum Patrum ad eos adiectas subscriptiones: adeo vt citra dubitationem vnusquisque, etiam ex eis qui erant extrinsecus, fateretur sanctum illum sanctorum Patrum chorum constare præsentia & ope sanctissimæ Trinitatis, eamque suam ostendere defensionem ijs qui digni habentur, vt videant.] hæc Gregorius. addit his Nicephorus [c] eorũdem subscriptionem in huiusmodi verba: Chrysantus & Musonius, qui cum Patribus omnibus in S. prima Oecumenica Synodo consensimus, quamuis corpore translati, manu tamen propria nos quoque libello subscripsimus.] hæc ille, quorum omnium fides sit apud auctores, cum tantæ rei nullum vestigium sit reperire penes Athanasium, Hilarium, & alios, qui nihil plane reliquere intactum, quo insultantem Arianam hæresin oppugnare potuissent. Sed nec fuit moris, fidem
E inter Fideles velle miraculis probatam reddere, cui suffragarentur firmiores diuinæ scripturæ sermones.

b Apud Lipom. tom. 6.

DE CHRYSANTO ET MVSONIO EPISCOPIS.

c Niceph. lib. 8. c. 23.

At Nicæni Concilij hic finis esto: cuius quidem singularem cum primis excellentiam ac venerandam insuper eximiamque maiestatem, vix credi potest, quot laudibus atque præconijs prosequuti sint sanctissimi Patres; quorum vnius S. Leonis Papæ scribentis tum ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, tum ad Pulcheriam Augustam, hic satis sit elogia sane præclarissima recitare, cum inquit [d]: Nulla sibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur; neque trecentis illis decem atque octo quantumlibet copiosior numerus sacerdotum vel comparare se audeat, vel præferre; cum tanto diuinitus priuilegio Nicæna sit Synodus cõsecrata; vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur; omni pene auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diuersum. nimis ergo hæc improba, nimis sunt praua, quæ sacratissimis canonibus inueniuntur esse contraria.] et inferius: Sancti illi ac venerabiles Patres, qui in vrbe Nicæna sacrilego Ario cum

PRAECONIA NICAENI CONCILII.

d Leo epist. 53.

cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem Mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto Orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt: et si quid vsquam aliter, quàm illi statuerunt, præsumitur, sine cunctatione cassatur; vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa.] A

a Leo epist. 55.

Idemque ad Pulcheriam Augustam in hæc verba[a]: Contra statuta paternorum canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in vrbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur: ita vt si quis diuersum aliquid decernere velit, se potius minuat, quàm illa corrumpat, quæ si (vt oportet) a cunctis Pontificibus intemerata seruentur, per vniuersas Ecclesias tranquilla erit pax, & firma concordia.] et in calce: Consensiones vero Episcoporum, sanctorum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus, in omnibus Ecclesiasticis his legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium sacerdotum per trecentos decem & octo Antistites Spiritus sanctus instituit: ita vt, etiam si multo plures aliud quàm illi statuere decernerent, in nulla reuerentia sit habendum quidquid fuerit a prædictorũ constitutione diuersum.] hactenus Magnus Leo, horribilis deserti immanes beluas, ferasque sæuissimas, rugitus sui terrore concutiens, iuxta propheticum epiphonema illud[b]: Leo rugiet: quis non timebit?] B

b Amos 3.

c 2. Reg. 6.

NICAENA CIVITAS MIRA EST CONSEQVVTA EX CONCILIO.

d Greg. presbyt. orat. de Patrib. Nican. Concil. apud Lipoman. tom. 6. die 10. Iulij.

At sicut cum diuina illa Arca[c] mãsit tribus mẽsibus in domo Obededom Gethæi, magnam inde ille benedictionem consequutus est: ita Nicæna ciuitas, licet antea non ignobilis, longe clarior atque celebrior reddita est totidem mensium Magni illius Concilij incolatu, admirandis quibusdam sibi diuinitus impertitis potita beneficijs, quæ Gregorius presbyter recenset, his annectẽs quæ sua quoque ætate peracta sunt: ait enim[d]: Cum Patres postridie essent precaturi Saluatorem vniuersorum pro suo domum reditu, & pro ea quæ illos excepit ciuitate: accidit, vt in eo qui dicitur, μεσόμφαλος, id est, medius vmbilicus, ingressus Orientalis, scaturirent fontes circa medium apsidis, circa quam constiterat Sanctorum chorus; qui quidem in hodiernum vsque diem apparens, ostendit orationum fructuosos effectus; et nunc apud omnes celebratur & nominatur Nicæa. Quantum autem illi pro ea laborauerint, & quantam eius curam gesserint, conijcere licet ex ea re admirabili, quæ nostra ætate facta est. Nam cum ingrati fuissent Assyrij, & per quod eis parta est salus, Romanum Imperium depopulati essent, & vexassent, omniaque barbarica consumerent insolentia: remansit intacta omnino a Babylonica contumelia; vt quæ nec igne, nec gladio, virorum aut mulierum aut infantium senserit captiuitatem, cum eam sæpe clanculum & aperte adorti essent. Dicitur autem superbum quoque quemdam ex eius exercitu Tribunum militum impudenter audax cœptum aggressum esse, nempe vt magiæ illic execranda piacula faceret: nocturna autem visione (quæ illi soli apparebat) & diurnis terroribus incussum esse timorem, vt acerbe periret; adeo vt mutatus sceleratus, templum, vel potius templi habitatorem Christum verum Deum nostrum honoraret, & lucernis accensis placaret: atque ex eo tempore omnem Babylonicum exercitum a sancto templo arcuisse, & hospitalem mansuetudinẽ barbaricæ ferociæ minime respondentem, ijs qui in ipsa ciuitate vitam agerent, ostendisse.] hæc Gregorius, qui & multa addit de incorruptione, qua donatæ sunt sacræ illorum Patrum reliquiæ, qui Magnæ Synodo interfuerunt, quorum memoriam Orientalis Ecclesia quinto Kalendas Iunij (vt Græcorum indicat Menologium) celebritate anniuersaria consecrauit. C D

e Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 34. 35.

VICENNALIA CONSTANTINI.

f Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 40.

CONSTANTIVS CREATVR CAESAR.

Quid autem, absoluta Magna Synodo, egerit Constantinus, sic Eusebius tradit[e]: Quibus ad exitum perductis, secundam istam victoriam Imperator se contra Ecclesiæ hostem consequutum affirmauit; et propterea festum triumphale ad Dei honorem illustrandum egit. Eodem tempore vigesimus eius regni annus completus est, in quo conuentus celebres etiam apud reliquas gentes agitabantur.] Vicennalia enim cum agerentur, tum ob solutionem publicorum nuncupatorum pro Imperatore votorum, tum & in nouis iterum nuncupandis festi dies in exhibitione munerum agebantur. Sed & hæc Constantini Vicennalia aucta creatione noui Cæsaris, nempe Constantij, augustiora atque celebriora reddita sunt. His quippe Vicennalibus creatum fuisse Constantium Cæsarem, testatur idem Eusebius, cum alibi ait[f]: Secundus aui nomine appellatus Constantius, vigesimo fere Imperij paterni anno, quando publicus solemnisque omnium hominum conuentus agebatur, renunciatus est.] eadem in oratione habita de laudibus Constantini in Tricennalibus, vbi nulla prorsus de Crispo Cæsare creato memoria; quem Eusebius, vt dictum est, ne videretur patris sæuum facinus refricare, silentio condemnauit: tantum de tribus filijs mentionem faciens, tribus decennijs Cæsaribus E

omnibus

A omnibus creatis. Habuit in his Vicennalibus Eusebius ipse Cæsareæ Palæstinæ Episcopus in laudem Imperatoris orationem, vt ipsemet testatur, cum sic præfatur in libros Vitæ eiusdem Constantini, quos scripsit: Quemadmodum vniuersum hominum genus illustrem & præpotentem nostrum Imperatorem ad decimum quemque Imperij annum ratis conuersionibus iterum ac tertio reuolutum, diebus festis epulisque solemnibus magnifice celebrauit: ita nos quoque, non solum cum iam viginti annos regnasset, multisque victoriæ trophæis esset nobilitatus, illum amplo ministrorum Dei consessu stipatum, diuinis laudibus ad cælum vsque extulimus: verum etiam cum triginta annos modo in hoc imperandi munere confecisset, &c.] Desideratur hæc Eusebij oratio; eius enim illa tãtum extat in Tricennalibus habita. Studuisse plane vafrum hominem, Græcanicæ eloquentiæ lenocinijs Imperatorem demulcere, sibique conciliatum in omnibus reddere, quis poterit dubitare, cum ipse testetur se eum illa oratione B diuinis laudibus in cælum euexisse? Sed quid tum in ea celebritate cum Patribus Constantinus? hæc in loco antea citato habentur[a]:

[a] Euseb. vbi supra lib. 3. c. 14. 15.

CONSTANTINI STVDIVM ERGA EPISCOPOS.

Inter Dei ministros iam pace conciliata, ipse Imperator conuiuium celebrare cœpit, & hoc tamquam sacrificium Deo valde accommodatum per illorum præsentiam obtulit; neque quisquam ex Episcoporũ numero ab illo regali epulo abfuit. Istud porro, quod ibi factitatum est, omnem dicendi facultatem superat. satellites enim armati districtis gladijs vndique regia vestibula obseruabant; per quorum mediam turbam sancti Dei homines absque formidine ingressi sunt, & ad interiores Palatij ædes perrexerunt. Ex quibus alij deinde vnà cum Imperatore accumbere, pars prope triclinij valuas vtrinque assidere: regni Christi effigies ea in re adumbrari videbatur; quam rem somnij similius quàm rei gestæ aliquis existimare potuerit. Vbi autem conuiuium magno cum splendore venit ad exitum: illud præterea, quo C omnes magnificentius & liberalius exciperentur, accessit: quisque nimirum pro dignitate muneribus honorifice donatus fuit. De hoc porro Concilio Imperator illos etiam, qui ei neutiquam interfuissent, certiores fecit per litteras; quas quidem in hanc nostram historiam, tamquam in columellam quamdam inscribam; quæ ita se habent, &c.] describuntur mox ab eo litteræ datæ a Constantino de ijs quæ in Synodo gesta essent de Paschatis festi celebratione ab omnibus vna eademque die vbique seruanda; quæ quidem a nobis suo loco opportunius sunt recitatæ. Sed non cesso Eusebij calliditatem vehementius admirari, dum ipse retexens historiam de Nicæno Concilio, nihil prorsus habet de Arij atque Arianorum damnatione, nec quidquam meminit de datis litteris aduersus Arium & scripta ipsius: atque perinde ac in Magna Synodo nihil præterea gestum fuisset, quàm de Paschate obortam dirimere controuersiam, amplissimas illas Constantini ea de re scriptas litteras ad verbum D recitat. Iam quid post eas subinferat, cum ad propria dimisit, hic reddamus: De cetero autem (inquit[b]) vbi Concilium erat dimittendum, sermonem apud Episcopos de rebus ordine dispensandis instituit. Omnibus igitur vno eodemque die in vnum conuocatis: eos, cum adessent, admonuit sedulo, vt pacis inter ipsos mutuo colendæ diligentem curam adhiberent, & contentiosas lites auerterent: et si quisquam inter illos ex sapientiæ præstantia multum laudis adeptus fuisset, nulla in illum flagrarent inuidia, sed virtutis vnius commune bonum esse censerent; qui autem præstabiliores viderentur, non aduersus tenuiores se insolenter efferrent: Nam qui, inquit, sint reuera bonitate superiores, diuini numinis est decernere. Dixit porro, oportere eos propter animi lenitatem & indulgentiam, se inferiorum imbecillitati submittere: rarum esse illud, quod sit expletum omnibus suis numeris & partibus; et propterea inter ipsos, ijs qui leuiter peccant, veniam debere tribuere, benigne gratificari, & quæ hu- E manæ sunt fragilitatis, condonare; concordem animorum consensum in primis colere; ne ipsi inter se concertantes, illis qui ad obtrectandum verbo Dei parati sunt, ansam eidem illudendi præberent. quam rem omnium maxime præcaueri debere; posse autem facile præcaueri, dummodo quæ apud nos sunt, illis admiratione digna videantur. Neque cuiquam nostrum obscurum esse, vtilitatem quæ ex sacris litteris capitur, non omnibus conferre solere: alios enim delicijs ad tempus oblectari: nonnullos in eorum familiaritatem, qui aliquem dignitatis gradum adepti sunt, se callide insinuare: complures, eos qui humanitus & benigne ipsos excipiunt, amplexari: multos muneribus donatos ad diligendum compelli: sed paucos admodum veræ doctrinæ amore flagrare, & amicum veritatis perraro reperiri.

EVSEBII VAFRVM CONSILIVM.

[b] Euseb. Vit. Constan. lib. 3. c. 20.

CONSTANTINI ADMONITIO AD EPISCOPOS.

Quare omnibus esse in primis consentaneum, vt ea quæ ad salutem vtilia sunt, quisque alteri instar medici suppeditet: ad eum plane finem, vt apud omnes omnino salutaris disciplina magno in honore habeatur. Ista cum primis adhortatus est Imperator. Ad extremum etiam illud adiecit, vt pro ipso ad Deum preces obnixe funderent. Cum igitur his præceptis

eos

eos instruxisset, omnibus fecit potestatem ad sua domicilia reuertendi. Illi lætitia gestientes redierunt. Ad hunc modum cum illi propter dissentientes opiniones longo quasi interuallo ab se mutuo diuulsi fuerant, tamquam in vnum corpus essent denuo coagmentati, deinceps vna apud omnes viguit sententia, ipsius Imperatoris consensu confirmata. Proinde Imperator de prospero rei euentu lætus, illis qui Concilio neutiquam interfuissent, per litteras fructum eiusdem vberem præbuit; populoque vniuerso cum per agros, tum per ciuitates disperso ingentem pecuniæ vim distribui mandauit: sicq. festum diem ad recolendam vigesimi anni sui memoriam celebratum cohonestauit.] hucusque Eusebius: eadē quoque[a] Sozomenus. Theodoretus insuper de conuiuio & donis collatis hæc addit[b]: Iussit vt sedes multæ pararentur, quo illis pariter omnibus epulum daret: qui autem erant illustriores, eos suæ ipsius mensæ fecit participes, alios vero ad alias dimisit mensas. Et cum videret dextros oculos quibusdam effossos, intellexissetque, quòd constantia pro pietate eam cladem illis attulisset; labra vulneribus admouit, pro certo persuasus, osculo se benedictionem inde hausturum esse.] Eiusmodi insigne Constantini pietatis officium iterum ab eo exhibitum tum in aduentu ipsorum Episcoporum, tum cum ijdem postea recessuri essent, ab Eusebio silentio fuit prætermissum, quòd Arianus ipse, vtpote nequam oculus, Orthodoxorum constantiæ inuideret, quæ præsertim sugillasset ipsius ignauiam, quòd in persecutione negasset. Sed prosequitur Theodoretus:

a Sozom. lib. 1. c. vltim.
b Theodoret. lib. 1. c. 11.
CONSTANTINUS EXOSCULATUR CICATRICES CONFESSORUM.

Conuiuio tandem peracto, alia dona rursus illis distribuit: quin etiam litteras ad prouinciarum Præfectos dedit; mandauitque, vt certus frumenti numerus viduis, & ijs quæ perpetuam seruant virginitatem, quin etiam illis qui diuinis ministerijs obeundis consecrati sunt, in singulis ciuitatibus quotannis suppeditaretur; cumque non tam egentium necessitate, quàm sua ipsius munificentia mensus est. huius congiarij adhuc tertia pars suppeditatur: quippe impius Tyrannus Iulianus totum penitus abstulerat ille quidē; sed qui ei successit in Imperio, hoc quod iam suppeditatur, donari mandauit: fames enim, quæ tum grassabatur, subsidia quæ talibus tribui consueuerant, exigua admodum effecerat. Quòd si congiarium, quod id temporis a Constantino donatum erat, triplo maius fuit, quàm quod iam datur: facile inde quisque, si modo voluerit, Imperatoris magnificentiam poterit perspicere.] hæc Theodoretus: quod autem subdit de combustis ab eo in Episcopos querelarum libellis; id primitus accidisse, superius dictum est.

MUNIFICENTIA CONSTANTINI.

At quidni daret clericis singulis congiarium Constantinus, cum Gentilium deorum sacerdotibus sæculi Principes ex publicis horreis victum affatim suppeditarint? Etenim ait diuina Scriptura[c]: Aegyptijs sacerdotibus, præter terram quæ a Rege illis tradita fuerat, statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur.] et apud Iudæos præter ciuitates sacerdotales, & aliarum ciuitatum suburbana, quæ sacerdotum erant, de omnibus ijdem accipiebant decimam, & ab hominibus quoque ex legis præscripto pecunias exigebant. Gentilium vero sacerdotes cum multiplicis & diuersi generis essent: vt de propinquioribus Bithyniæ regionibus agamus, nempe Ponticis, quorum exemplo idem Cōstantinus permoueri potuisset; apud eos sacerdotes summo honore habebantur, atque adeo vt eorū Pontifex gestaret regium diadema certis diebus, & secūdus a Rege honore haberetur; cuius sacerdotij erant sex millia seruorum sacrorum, quibus & ager publicus suppeditabat impensas. tradit hæc Strabo[d]: additque tantæ fuisse æstimationis Comanense sacerdotium, vt Pompeius Magnus Asia potitus, Archelao Regi pro magno munere & honore illud ipsum contulerit sacerdotium, auxeritq. agrum sacerdotale. De Romanis, penes quos nihil antiquius cultu deorum; sacerdotes, qui apud eos amplissimi erant honoris & potestatis, vt alias diximus, ex publica pecunia accipere consueuerunt stipendia & rerum sacrarum impensas: quæ omnia tandem Gratiani Imperatoris edicto ablata sunt, & Fisco arcæq. publicæ vendicata[e]. Quid, inquam, mirum, si cum tot tantaq. vbique gentium sacerdotes e publico accipere consueuerint; Constantinus perpetuum tribuerit sacris ministris, virginibus, ac viduis congiarium? Sed illud plane miramur; quòd cum hæc scribat Theodoretus; S. Ambrosius tamen agens aduersus Symmachum, nequidquam huiusmodi factum fuisse affirmare videatur, cum sic ait[f]: Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda virginibus: quæ Christianis munera redundabunt? quid tantas opes sufficiet ærarium?] istæc idcirco, quòd tam immensa erat vbique in Ecclesijs sacrarum virginum multitudo, vt Imperij diuitias vix sufficere existimaret, si sicut olim Vestales, ita Christianæ Deo dicatæ virgines fuissent alendæ publico sumptu. Verū nec sacerdotibus Christianis quidquam præstari ex ærario, immo potius demi, iustæ sunt eiusdem Ambrosij ibidem ad Valentinianum Imperatorem querelæ. Sed de his alias.

c Genes. 47.
QUO HONORE SACERDOTES HABERI SOLERENT.
d Strab. lib. 12.
e Ambros. epist. ad Valentinian. Imp. ante relationem Symmachi.
f Ambros. ad Valentin. Imp. aduersus Symmachum.

A Post hæc autem, rogatu Constantini, Patres qui Magno Concilio interfuere, Constantinopolim perrexisse, eamq. ciuitatem ex Byzantio Nouam Romam, Constantinopolim cognominasse, atque dedicasse Dei Genitrici Mariæ, Nicephorus [a] tradit. Ceterum Eusebius, qui de eius vrbis dedicatione agit [b], de accessu Episcoporum nihil penitus, sed ait eam ab eodem Imperatore Memorijs martyrum illustratam, & Deo martyrum consecratam: nec alius quispiam antiquiorum de aduentu Patrum post Nicænum Cõcilium Constantinopolim meminit: incertus tamen auctor narrat, illos eo migrasse, Metrophanemq. eius ciuitatis Episcopum conuenisse, atque ab Imperatore de successore sibi nominando rogatum, sibi suffici Alexandrum petijsse. hæc ibi & alia, quæ quidem fide carent, cum longe ante Nicænũ Concilium Metrophanem defunctum esse, & in eius locum Alexandrum subrogatum, ex certa Sozomeni [d] assertione superius sit demonstratum. Sed & probatione deficiunt, quæ a Nicepho-
B ro vel a quouis alio recentiore de eius ciuitatis dedicatione sunt tradita. Siquidem ex certis manifestisq. testificationibus constat eius ciuitatis dedicationem post annos quinque ab hoc tempore contigisse; nosq. suo loco de ea fusius disseremus, & cum Nicephorum, tum alios ea in re plane hallucinatos esse perspicue demonstrabimus.

a Niceph. lib. 8. c. 26.
b Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 47.
c Apud Metaph. die 10. iulij.
d Sozom. lib. 3. c. 3.

Sic igitur absoluta Synodo, Episcopi qui ex diuersis regionibus Nicæam in vnum conuenerant, inde recedentes, veluti ex fonte exuberante largissimi riui in diuersa diducti, vniuersam Dei Ecclesiam Catholicæ doctrinæ laticibus copiosissime irrigarunt: quam enim acceperant a SS. Magna Synodo Orthodoxæ fidei regulam a Romano Pontifice confirmatam, ceteris Episcopis qui non interfuerant, & fidelibus populis communicarunt. Etenim Metropolitani colligentes sub sua diœcesi constitutos Episcopos, & Antistites sibi subiectos clericos, & illi plebem sub se positam; quæ decreta fuissent trecentorum decem & octo Patrum consen-
C sione, edicta promulgant, & in albo Ecclesiastico cunctis inspicienda proponunt. Et inter alia perlata quoque fuisse in Africam statuta Nicæni Concilij per Cæcilianum Episcopum Carthaginensem, qui eidem interfuit, Concilium sextum Carthaginense palam testatur [e].

SYNODI DECRETA TOTO ORBE VVLGATA.

e Concil. sext. Carthag. can. 9.

Dum vero fidei formam perlegunt; eamq. in omnibus consentientem ijs quæ hactenus crediderant, intelligunt, licet verbis pluribus declaratam, nihil tamen penitus immutatam: immensas sanctissimæ Trinitati, cuius in sacro baptismate signaculum suscepissent, gratias agunt, seq. omnes eiusdem custodes fidelissimos exhibent: quam in omnibus integram illibatamq. seruare contendunt. Tunc & Alexander Episcopus Alexandrinus cum eamdem fartam tectam & in omnibus cuperet custoditam, præcauens in futurum, illud in ea Ecclesia statuit esse seruandum, ne scilicet, ibi quantumlibet amplissima ciuitate, populum fidelem alius quispiam, licet presbyter, sed ipse tantum doceret Episcopus. de quo quidem instituto sic tradit Sozo-
D menus [f]: Apud Alexandrinos vero solus ciuitatis Episcopus docet: aiunt tamen hanc consuetudinem non prius inoleuisse, quàm ex quo Arius presbyter de doctrina differens, insolitam introduceret.] hæc ipse. sed cum sciamus, peregrinum Episcopum, Paulum Emesenum Legatum, rogatum a S. Cyrillo [g], ad populum de fide Catholica publice sermonem habuisse: munus prædicandi verbi Dei Alexandrinis presbyteris tantum inhibitum fuisse, dici posse videtur.

f Sozom. lib. 7. c. 19.
g Cyrill. Alexãd. homil. 7. & 8.

Perlatis autem Romam decretis SS. Magnæ Synodi, atque litteris, quas superius recitauimus: Siluester collegit ex Italia Episcoporum Concilium, cuius hæc tantum fragmenta supersunt: Siluester Episcopus sanctæ & Apostolicæ sedis Vrbis Romæ dixit [h]: Quidquid in Nicæa Bithyniæ constitutum est, ad robur sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ a sanctis sacerdotibus trecentis decem & octo, nostro ore conformiter confirmamus. Omnes qui ausi fuerint dissoluere diffinitionem sancti & Magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum
E est sub præsentia pijssimi & venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes: Placet.] hic admonemus lectorem; eum qui huius Synodi fragmentis præfixit titulum, in eo esse hallucinatum, quòd præsente Constantino Augusto, hoc a Siluestro Romæ Concilium celebratum tradit, deceptus nimirum ex recitatis primi capitis verbis, quibus de Constantino habetur mentio. quæ cum referenda essent ad ea quæ præcedunt de Nicæno Concilio, cui interfuit Constantinus: ille imprudens, ad ea quæ sequuntur, eadem verba retulit, vt dictum putarit a S. Siluestro: Anathematizamus sub præsentia Constantini.

h Extat tom. 1. Concil.

ROMANVM CONCILIVM.

Addidit ad hæc Siluester de Paschate: Omnibus Episcopis & presbyteris præceptum est, Paschæ obseruantiam custodire a Luna decimaquarta vsque ad vigesimamprimam, ita vt Dominicus dies coruscet. Et dixerunt Episcopi: Placet. Rursus ad eos Siluester dixit: Robustius duximus consilium (si placet) vt omnis Episcopus qui conuenit ad Concilium, fidem suam * chirographo confirmet: vt deinceps rediens ad parochiam suam, compaginem nostræ salutationis plebi suæ innotescat; vt fide Concilij declarata, intemeratus ordo seruetur. Et dixe-

** suo*

Et dixerunt Episcopi: Placet.] In hac item Synodo idem Siluester Pontifex, de clericis, ne iudicent publice sæcularia, nec coram Iudice sæculari causam dicant, statuit, his verbis: Nulli omnino licere clerico causam quamlibet in publico examinare: nec vllum clericum ante Iudicem laicum stare. Et dixerunt Episcopi: Placet.] Sunt alia ibi statuta, quæ lector, si cupit, inspiciet. Consueuisse enim, quæ decreta essent in Oecumenica Synodo, ad Romanum Pontificem confirmanda deferri, & ab eo ad alias deinde Ecclesias mitti; cum ea quæ sunt hactenus dicta, demonstrant; tum etiam gesta postea, absoluto Concilio Ephesino, declarant; quando a S. Leone Papa de his quæ acta essent, redditi sunt absentes Episcopi certiores; et illi coacta Synodo, & consignata fide chirographo, ad eumdem Pontificem rescripserunt [a]. A

[a] Apud S. Leonē post epist. 52.

Quòd autem post dictum Concilium Romæ habitum de confirmatione Nicænorum decretorum, in codice aliud attexatur Romanum Concilium ab eodem Siluestro Pontifice celebratum (vt illic dicitur) eodem tempore, quo Nicææ Magnum Concilium ageretur, XIII. Kalendas Iulij; haud certa fide & ratione consistere posse videtur: nam quòd ibi habetur, Nicææ tunc non tantum Arium, sed Photinum quoque fuisse damnatum, eumdemq. in ea tunc Romæ Synodo habita pariter condemnatum: hoc vno mendacio tota illa narratio suspecta redditur, ac fide infirma: siquidem Photinus (vt suo loco dicemus) longe post hæc vixit. Reliqua autem, quæ ibi reperiuntur esse posita, a vero Romano Concilio putantur esse desumpta, atque in compendium redacta, quibus tamen incertus auctor & mendax præfationem affixerit. Ceterum nec illud dicere prætermittimus: tria illa Romana Concilia sub Siluestro ordine præpostero esse in edito codice posita; cum quod habetur ordine tertium, illud ante Nicænum Concilium (vt suo loco demonstratum est) celebratum fuisse constet, ac proinde primo loco ponendum. B C

Quod vero ad Constantinum Imperatorem spectat: compositis in Nicæno Concilio rebus Ecclesiasticis; quæ ad polyticum statum recte disponendum pertinere viderentur, solicite procurauit. Quoniam autem quales in Republica Principes ac Magistratus, tales & reliqui illis subiecti esse soleant: cum de seipso optimi Principis in omnibus specimen ederet; de Magistratibus, ac sibi ministrantibus aulicis recte moderandis ac disponendis subijt eum potissimum cura: quamobrem vt eos in omni probitatis officio contineret, aduersus ipsos eiusmodi edidit sanctionem [b], sic ad vniuersos prouinciales scribens:

[b] l. 4. de accus. Cod. Theod.

CONSTANTINI EDICTVM ADVERSVS MAGISTRATVS.

Si quis est cuiuscumque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcumque Iudicum, Comitum, amicorum, vel Palatinorum meorum aliquid veraciter & manifeste probare posse confidit, quod non integre atque iuste gessisse videatur: intrepidus & securus accedat, interpellet me. Ipse audiam omnia, ipse cognoscam. Et si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo. Dicat securus, & bene sibi conscius dicat. Si probauerit (vt dixi) ipse me vindicabo de eo, qui me vsque ad hoc tempus simulata integritate deceperit. Illum autem, qui hoc prodiderit & comprobauerit, & dignitatibus & rebus augebo. Ita mihi summa diuinitas semper propitia sit, & me incolumem præstet, vt cupio, felicissima efflorente Republica. PP. XV. Kal. Octobr. Nicomediæ, Paulino & Iuliano Coss.] hucusque sanctio, & quidem sanctissima Constantini, digna sane quæ ad velum cuiusque Principis pro foribus affigatur: cum sæpe contingat, bonos Principes, aulicorum ministrorum, & Magistratuum perperam gestis rebus enormiter infamari. Sed præstitit reipsa quæ comminatus est Constantinus, qui in præcipuos domesticos viros, & inter alios gratia apud eum præ ceteris pollentem Sopatrum iussit animaduerti. At de his suo loco opportunius agendum erit. D

Rursus vero hoc eodem anno cruenta gladiatorum spectacula, lege sancita, antiquari iussit, sic de his rescribens ad Maximum Præfectum Prætorio [c]: Cuncta spectacula in otio ciuili & domestica quiete non placent. Quapropter qui omnino gladiatores esse prohibemus, eos qui forte delictorum causa hanc conditionem atque sententiam mereri consueuerant, metallo magis facies inseruire, vt sine sanguine, suorum scelerum pœnas agnoscant. PP. Berythi. Kal. Octob. Paulino & Iuliano Coss.] Ceterum haud valuit, eiusmodi Constantini lege edita, ludus gladiatorius penitus tolli, sed nec legibus Constantij eius filij potuit omnino abrogari, quin perseuerarit diutius sub Christianis quoque Imperatoribus: quando autem & qua occasione prorsus sublatus fuerit, suo loco dicemus. Verum ab horum plane sanguine temperatum voluit Imperator, quem furor inhumanus, non autem ab illo, quem iuste exertus gladius Magistratus effunderet, vt de clarissimo viro nuper dicto (etsi de alijs taceatur) exemplum testatur. Quamobrem sicut mendacij, ita turpis adulationis Eusebius arguendus est, dum tradit fuisse Constantini Imperium sine sanguine, cum in primis sic ait [d]: Toto E

[c] l. 1. de Gladiat. Cod. Theodos.

VETITI GLADIATORES.

[d] Euseb. vit. Constant. lib. 3. c. 4 in fin.

A illo tempore quo regnabat Constantinus, dum populus cuiusque nationis, & ciues paternis potius gubernati legibus, quàm necessitate adducti parebant: gladius quisque, quo Iudicum sententia suppliciũ de maleficis sumi solet, otiosus suspensus fuit.] ac deinde [a]: Cum Imperator se totum ad humanitatem & misericordiam dedisset; et qui singulis prouincijs præerant, nullũ prorsus de maleficis supplicium sumerent: res hæc vniuersæ administrationi non minimã reprehensionem peperit. quæ siue iusta, siue secus, iudicet quisque pro sua volũtate: mihi liceat, quæ vera sũt, monumẽtis mãdare.] hæc Eusebius, scilicet, vt quas silẽtio obuolutas reliquit, de Crispi filij, vxoris, & aliorũ domesticorũ cędibus conceptã suspicionẽ quãcumq. supprimeret.

a lib. 4. c. 31.

At quod etiam commendat Imperatoris humanitatem, illud est; quòd sicut gladiatorũ supplicium a legibus irrogari solitũ sustulit, ita & suppliciũ Crucis penitus abdicauit: de his enim hæc tradit Sozomenus [b]: Postremo supplicium Crucis a Romanis olim decretum maleficis, le-

B ge sustulit.] Sed & S. Augustinus [c]: Christus ipse, quia ipse honoraturus erat Fideles suos in fine huius sęculi, prius honorauit Crucem in hoc sæculo, vt terrarũ Principes credentes in eum, prohiberent aliquem nocentium crucifigi.] affirmant id ipsum alij complures. Verum sciendum est, haud statim post debellatum Maxentium a Constantino (quod putant aliqui) sublatum fuisse Crucis supplicium; immo in seruos accusantes dominos irrogatũ esse, ex rescripto eiusdem Constantini ad Maximum constat, dato anno nono eius Imperij, Volusiano & Aniano [d] Coss. cum ait de eius criminis reo: Denegata audientia, patibulo affigatur.]

CRVCIS SVPPLICIVM SVBLATVM.

b Sozom. lib. 1. c. 8. in fin.

c Aug in Matth. serm. 18. & serm. 2. in Parasceue.

d l. vnic. ad leg. Iuliam Maiest. in fine Cod. Theod.

Sed ad Sozomenum redeamus, qui ita subdit: Quin etiam suam imaginem Constantinus seu in nummis expressam, seu depictã in tabulis iussit semper hoc quoque diuino signo inscribi, consignariq. cuius rei adhuc testimonio sunt imagines eius hac figura descriptæ.] ita ipse.

IMAGO CONSTANTINI CVM CRVCE EFFINGI SOLITA.

Quod autem spectat ad Constantini imagines in nummis cusas, ac (vt ait Sozomenus) ef-

C figiatas diuino signo, tum numismata superius formis expressa, tum alia cõplura ære, argento, vel auro formata, quæ Romæ præsertim apud viros antiquariæ facultatis peritos inueniũtur aperte demonstrãt: quorum satis erit hic illud repræsentare numisma [e], quod eãdem firme refert imaginem, quam testatur Eusebius [f] in tabula pingendã effingendamque ante vestibulum Palatij Constantinum curasse, nẽpe draconem medio ventre Cruce transfixũ, ac Christi virtute penitus superatum. cuius rei analogiam idem Eusebius ex Constantini ipsius mente, vt vidimus superius, declarauit, nempe Crucis Christi virtute draconem illum, qui in ca specie humanum genus superauit, iam penitus esse prostratum, vnde salus & spes publica parta est.

e Habet num. areum Rom. Angelus Breuentanus Papiens.

f Euseb. Vit. Constant. lib. 3. c. 3.

D





Porro posteriores Augusti æmuli gloriæ Constantini, nomen Christi & signum Crucis non tantum in Labaris (vt vidimus) atque armis, galeis, & clypeis expresserunt, verum etiam superati humani generis hostis eiusmodi hieroglyphicum in comptesso dracone æque reddere

E cupierunt, vt quod huic subdimus Maioriani [g] Aug. numisma egregio declarat exemplo.

g Num. aureus D. Lelij Pasqualini Rom. Canonic. S. Mariæ Maioris.





In quo vides in primis clypeum Christi nomen & Crucem simul exprimente signo decorum, & Imperatorem Cruce potentem dexterò pede, caput nefandi percalcare draconis.

Rursum vero quod spectat ad insignem Constantini de quo agimus pietatem nummorum A
signis varijs modis expressam; hæc his idem Eusebius addit: Quanta autem fidei vis diuino
quodam instinctu in eius animo defixa fuerit, vel ex eo intelligi potest, quòd in aureis num-
mis imaginem ita insculpi curauit, vt pansis manibus instar precantis cælum coutueri vide-
retur: quod genus nummi hac effigie sculpti per omnes Romani Imperij gentes volitabat.]
Ceterum nullum hactenus (etsi solicite exquisierimus) inuenire licuit nummum tali for-
ma, quam describit Eusebius, cusum: si quis autē ex ijs aliquem, quem & germanum esse no-
uerimus, suppeditabit, in secunda editione hic exprimendum curabimus. sed rursum de eius-

a Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 15. 16.

dem imaginibus Eusebius [a]: Iam in ipsis Regijs per quasdā ianuas in tabellis quæ summis ve-
stibulorum partibus affixæ erant, erecto statu pingebatur, sursum in cælum contemplans, &
precantis forma manus sursum tollens. Hoc modo cum in tabellis se Deo supplicantem
repræsentasset, lege cauit, ne ipsius effigies in idolorum templis poneretur; ne ipsa ta- B
bella, vel minima lineamentorum parte, propter vetitorum idolorum errorem labem ali-
quam contraheret.] hucusque Eusebius. At nec illud ad postremum, eiusdem Impera-
toris pietatis insinuandæ causa, his addere prætermittimus, eumdem Constantinum
Augustum, lanceam etiam, qua vti soleret in prælijs, in similitudinem Crucis elaborandam
curasse; eam vero a successoribus Imperatoribus hereditario iure possessam, ad Henricum
quoque Imperatorem, & Othonem eius filium peruenisse, ac magno in pretio habitam esse
constat [b].

b Vid. Act. S. Gerardi Ab. apud Sur. tom. 5. die 3. Octob.

LEGATIONES DIVERSAE AD CONSTANTINVM.

Quod rursum pertinet ad anni huius Constantini Magni res gestas: hoc potissimum
anno (postquàm omni ex parte pacatissimum redditum est Romanum Imperium) quo &
Vicennalia festa solemnia toto orbe Romano celebrata sunt, & Constantinus eius filius
creatus est Cæsar, accidisse putamus quod scribit Eusebius, complures ex diuersis pro- C
uinciis extra Romanum quoque Imperium positis ad Constantinum missos esse Legatos:

c Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 7.

ait enim [c]: Indeque factum est, vt frequentes vndique ex omnibus gentibus Legati adess-
sent, secumque pretiosa dona ad Imperatorem afferrent: ita vt qui fortuito ad vesti-
bulum regiarum portarum accederent, claras & illustres barbarorum personas quasi or-
dine quodam dispositas animaduertere possent: quibus vestis non eadem, formarum spe-
cies dispar, coma vero tum capitis, tum genarum valde dissimilis: vultus ipse truculen-
tus, barbarus, horribilis: corporum incredibilis pene magnitudo: iam alijs ora rube-
bant, alijs niue erant candidiora, nonnullis mediocri colore imbuta: nam Blemyum, &
Indorum Legati, Aethiopumque simul, quorum iacet extima tellus, in ista hominum se-
rie conspiciebantur. Ii singuli tamquam in tabulis depicta honoraria munera ad Impe-
ratorem deferebant: coronas hi aureas, illi ex pretiosis lapidibus diademata. Iam alij D
flauam comam, alij auro & floribus contextas barbaricas vestes, equos alij, alij cly-
peos & longas hastas & sagittas & arcus: quibus Imperatori, si ita ei videretur, offi-
cium & societatem in omnibus bellis se offerre significabant. Quæ postquàm accepisset Im-
perator, suumque singulis tribuisset locum, vicissim eos tantis muneribus donisque orna-
bat, vt eodem puncto & momento temporis Legati locupletissimi euaderent. In quibus etiam
nonnullos ceteris clariores & nobiliores Romanis honoribus sic illustrabat, vt plerique obli-
ti ad patrios lares reuersionis, genus hoc vitæ amplexi sint.] in hunc modum de Legato-
rum vario genere Eusebius, qui hoc anno, cum Nicæam ad Concilium venit, eos, quos tam

d Euseb. ibi. c. 8.

exacte describit, vidisse potuit; qui & de Persis hæc subdit [d]:

FOEDVS CVM REGE PERSARVM COMPOSVIT.

Cum vero etiam Persarum Rex Constantino per Legatos notus esse cuperet, eique dona
quædam mitteret, tamquam fœderis & amicitiæ signa: cum hoc quoque se Imperator E
societate & fœdere iunxit, & incredibili quodam studio perfecit, vt a quo ipse primum
honorum præmijs prouocatus esset, eumdem refundendis honoribus & præmijs longe su-
peraret. Idemque cum accepisset apud Persas frequentes esse Dei Ecclesias & infinitum
pene populum Christi gregibus contineri; non mediocri ex hac fama affectus voluptate, vt-
pote quem communis quædam omnium cura tangeret, de ijs etiam solicitus erat.] hæc
Eusebius. Ioannes enim Christianorum qui in Perside erant Episcopus, cum hoc anno ad
Nicænum Magnum Concilium venit, vt par est credere, de Ecclesia quæ erat in Perside Cō-
stantinum certiorem reddidit; ab eoque ipse Imperator persuasus dedit litteras ad Regem
Persarum (Sapores is erat) quibus Christianos omnes, qui agebant in regno illi subiecto,
magnopere commendauit. Porro epistolam ad eum tunc scriptam Eusebius ad verbum reci-

e Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 9.

tat, quæ est huiusmodi [e]:

Diuinam fidem conseruans, veritatis luce perfruor: et huius veritatis luce ductus

diuinam

A diuinam fidem intelligo. His igitur (vt res ipsæ confirmant) sanctissimum Dei cultum percipiens, hanc colendi rationem quasi magistram me habere profiteor ad cognitionem sancti Dei. Huius Dei vim & potentiam auxiliatrices meorum bellorum nactus, ab ipsa vltimi Oceani ora exorsus vniuersum inde Orbem firma & salutari spe erexi: ita vt omnes gẽtes, quæ tot tyrannorum dominatu oppressæ, dum quotidianis calamitatibus cederent, prope extinctæ essent, mea opera, meisque laboribus ad cõmodiorem statum reuocatæ sint. Hunc Deum immortali memoria me honorare profiteor: hunc liquida & pura mente celsissima in sede locatum auidissime contemplor: hunc humi procumbens inuoco, omnem sanguinem execrandum & odores ingratos ac detestandos abhorrens, omnem terrestrem e sacrificio flammam fugiens: quibus omnibus turpiter pollutus nefandus & inexplicabilis error multas gentes & totas fere nationes ad profundissima tartara proiecit. Nam quæ huius vniuersitatis Deus B ad humanæ prouidentiæ necessarium vsum benignitate quadam sua in lucem edidit, hæc ad cuiusque cupiditatem rapi, nullo modo patitur; puram solummodo mentem & animum omni labe vacantem ab hominibus flagitat, quibus ille virtutis & pietatis actiones ponderat. Bonitatis enim & mansuetudinis officijs placatur, complectens mites, turbulentos auersans, amans fidem, coercens infidelitatem, omnemque cum superbia iunctum dominatum perrumpens, arrogantium vim reprimens; quos fastus extulit, de solio deturbans; humiles & iniuriarum perferentes iustis præmiis afficiens: eodem modo iustum etiam Imperium magnifaciens, suis subsidijs & opibus communit, regiamque prudentiam pacis tranquillitate conseruat.

LITTERAE CONSTANT. AD REGEM PERSARUM PRO CHRISTIANIS.

Minime sane errare mihi videor, frater mi, si hunc solum Deum profiteor omnium ducem & parentem: quem multi hic cum Imperium tenerent, insanis erroribus agitati, respuere & C aspernari conati sunt. Sed horum tam acerbus exitus fuit, vt omnium mortalium iudicio illorum calamitates exempli loco proponerẽtur similia scelera persequentibus. In hoc numero illum vnum fuisse arbitror, qui diuina ira tamquam aliquo fulmine ex hoc loco deiectus, in vestras oras delatus est, patefacto de famosa sua turpitudine triumpho nostro*. Sed illud bene accidit, quòd nostris potissimum temporibus in eiusmodi sacrilegos tale supplicij exemplum editum sit. Nam & mihi contigit nonnullorum exitus animaduertere, qui paulo ante populum Deo consecratum nefandis edictis perturbauerant. Quapropter immortales Deo gratias ago, quòd singulari prouidentia erga vniuersum hominum genus, qui diuinam legem colunt ac venerantur, restituta pace, incredibili lætitia & voluptate afficiuntur. ex quo facile mihi persuadeo, optimo, tutissimoq. statu omnia collocata esse; cum per eorum castam & acceptam Dei colendi rationem, & ipsorum inter se de diuina natura consensionem, omnes D ad se Deus tapere & colligere dignetur. Hunc præclarum hominum cœtum, Christianorum inquam, de quibus omnis est a me suscepta oratio, cum audiam etiam Persidis potissimam partem (quod mihi sane est gratissimum) exornasse; quanta me putas perfundi voluptate? Tecum igitur præclarissime agitur, & cum illis etiam: quoniam vtrique vestrum hæc felicitas communis est. Isto enim modo Deum huius vniuersitatis dominum ac parentem propitium & placatum habebis. Hos igitur, quoniam hac dignitate es, tuæ fidei commendo: hos eosdem propter insignem tuam pietatem tibi in manus trado: hos, vt decet humanitatem tuam, complectere, & ama: sic enim & tibi & nobis ista tua fide immensum beneficium præstabis.] hucusque epistola Constantini ad Saporem Regem Persarum. Meminit huius etiam Sozomenus[a]: sed plane errare videtur, dum putat eam scriptam esse, postquàm Sapores aggressus est Christianos persequi; cum nulla prorsus mentio in ea de persecutione habeatur, quæ E multos abhinc annos cœpta est sub Constantio Imperatore.

RATIO SUSCEPTAE FIDEI.

* vestro

a Sozom. lib. 2. c. 14.

De propagatione autem Christianæ fidei ad Persas, Armenos, aliasque finitimas gentes, hæc idem Sozomenus ait[b]: Deinceps autem religio Christiana ad gentes finitimas permanauit, & in multos diffusa est. Armenos autem iam antea se ad fidem Christi recepisse, accepi. Nam fertur, Tiridatem qui tunc huic genti præerat, admirabili quadam & diuina visione, quæ circa illius ædes forte apparuerat, non modo ad Christianam religionem vocatum esse, verum etiam edicto omnibus subiectis imperasse, vt fidei Christi se addicerent. postea vero ad vicinas gentes eadem peruasit religio, & ad multos vagata est. Quod ad Persas spectat: ex illis etiam initio Christianos arbitror factos fuisse nonnullos, qui propter consuetudinem quam habebant cum Osroenis & Armenis, in colloquium (vt verisimile est) cum diuinis viris, qui ibi erãt, venerant, & virtutis eorum periculũ fecerant.] hæc Sozomenus. At de Tiridate & Christianis Maioris Armeniæ a nobis superius actum est: Persas vero complures longe ante hæc tẽpora accepisse Euangeliũ, quæ de Persis martyribus secũdo Tomo dicta sunt, fidem

FIDEI CHRISTIANAE PROPAGATIO.

b Sozom. lib. 2. c. 7.

faciunt. Quamobrem Iberorum conuersionem per Christianam feminam factam, quam ante A
hæc idem auctor recenset, posteà contigisse, suo loco dicemus.

DE CHRONICO EVSEBII AC HIERONYMI.

At demum ad huius anni res gestas coronidem apponamus, quæ ad exactam explorandam temporum rationem plurimum confert. Eusebius, qui historiarum libros vsque ad Licinium extinctum perduxit, Chronicon in hunc annum Constantini vigesimum propagauit, cui S. Hieronymus (vt ipsemet testatur [a]) appendicem addidit vsque ad Consulatum Valentis sextū & Valentiniani iterum. Se enim habent Chronica recte disposita, veluti bases quædam & fundamenta, super quæ vniuersa construendæ historiæ moles consurgat: quamobrem quæ reperimus in eis interdum nutantia & infirma, solidioribus ac firmioribus curauimus suffulciri repagulis. Fuit in his sane nobis magnopere insudandum, quòd Hieronymi lucubrationes, librariorum negligentia, non in omnibus integræ atque sinceræ, vt ab ipso elaboratæ, nobis sunt redditæ: vt qui ista exactius non consideret, ei plane accidat (quod ipse ait B
cum præfatur in Eusebij Chronicon) vt vitia librariorum ad auctorem facile referantur. Ne igitur tum Eusebius, tum Hieronymus hanc iniuste calumniam patiantur, neque nos temeritatis leuiter arguamur, cum interdum diuersam ab ea, quæ in eorum Chronico habetur, ineamus temporis rationem: hic quadam veluti necessitate compulsi, repetere cogimur, quæ idem ipse Hieronymus in Eusebij Chronicon inter multa alia, quæ ad hanc tantum rem spectant, præfatus est: sic enim ait:

[a] Hieron. in præfat. ad Eusebij Chronic.

MIRA DILIGENTIA S. HIERONYMI IN EVSEBII CHRONICO ADHIBITA.

Vt autem manifesto cognoscatur indicio, ad quem numerum historia quæque pertineat: has distinctiones positas lector aduertat.

Vt si ad primum numerum Regni primitus adnotati historia referenda est; primam litteram in explicatione historiæ cotempletur 1 et si quidem eam ex minio viderit; illi tempori applicandam, vel anno sciat, quem suggesserit numerus similiter eodem minio figuratus. C

Si vero numerum non puro minio, sed mixto nigro notatum esse peruiderit; secundæ lineæ numero debetur historia.

Si autem tertio numerorum ordini applicandum est, quod fuerit adscriptum; medium puro minio numerum, & partem reliquam ex solo nigro expressam conspicabitur.

Quarta numeri linea nihil habebit ex minio, sed indicio erit, quòd sibi historia debeatur cum minio facta littera in principio enodationis historiæ, quæ etiam superioribus signis subdenda est; nihilo minus apparebit nullo superius memoratorum signorum in numeris respondere.

Sin vero non minio, sed mixtim nigro, rubroque littera fuerit expressa; refulgens ex rubro numerus in quintā numerorum lineam poterit aduerti: et ita sexta linea numeri vt secunda, septima vt tertia designabitur; octaua quoque vt quarta, apparente littera bicolori. D

Cum vero nec in numeris, nec in explicatione historiæ vllum illorum, quæ prædiximus, signorum fuerit: non linea quod adnotatum fuerit vendicabit. Non tamen omnia huiusmodi requirenda sunt necessario, cum minor est numerus linearum.

Vnde propemodum puto, vt prout quoque scripta sunt, etiam colorum diuersitates seruentur: ne quis irrationabili existimet voluptate oculis tantum rem esse quæsitam; et dum scribendi tædium fugit, labyrinthum erroris intexat. Id enim elucubratum est, vt regnorum tramites, qui per vicinitatem nimiam pene mixti erant, distinctione minij separarentur, & eumdem coloris locum, quem prior mebrana signauerat, ex aduerso positi numeri retinerent, vel etiam posterior scriptura seruaret.] hæc ipse: ac plane accidit, quod antea dixerat; vt pene difficilius esset legendi ordinem discere, quàm ad lectionis notitiam peruenire. E

EVSEBII CHRONICON CORRVPTVM.

Quàm vero diuersum ab his sit Eusebij ac Hieronymi Chronicon, quod habetur typis excusum, vel scriptum in antiquis codicibus, nemo non videt: vt plane appareat, librarios pertæsos eiusmodi linearum & litterarum distinctionum & colorum varietates, in aliam ac plane diuersam redegisse formam Eusebij atque Hieronymi Chronicon, multa, vt puto, ex eodem subducentes: nam si non nisi quæ extant, fuerant ordine temporum disponenda; cur adeo fuit Hieronymo laborandum, vt tot litterarum, linearum, & colorum adhibitis differentijs, lectorem inutiliter fatigaret? cum tamen ea omnia adeo necessaria fuisse testetur, vt librarius si tædio victus aliquid prætermiserit, intexeret non tam Chronicon, quàm (vt ait) labyrinthum erroris. Quamobrem ob paulo prolixiorem rerum gestarum narrationem, quam simplex Chronicon postulat, eiusmodi opus Eusebij idem Hieronymus in exordio suæ appendicis, historiam nominat, cum ait: Hucusque historiam scribit Eusebius, Pamphili martyris contubernalis, cui nos ista subiecimus.] de Chronico enim hæc ipsum loqui,

A loqui, non autem de libris decem Historiæ, certum est, cum illi Licinij exitu terminentur. Nominat etiam alibi idem Hieronymus eiusmodi opus, Historiam, distinctam plane a decem libris illis, quibus indidit titulum, Historia Ecclesiastica: nam sic ait [a], dum eiusdem Eusebij lucubrationes recenset post alias: Ecclesiasticæ historiæ libri decem, Chronicorum canonum omnimoda historia, & eorum ἐπιτομή.] hæc ipse; cuius labores non in epitome, sed in Chronicorum historia adhibitos esse, ex ijs quæ nuper recitauimus ex ipsius præfatione, satis expresse intelligi potest, atque pariter cognosci, Chronicon quod extat, non esse illam ab Eusebio confectam epitomen, sed Chronicon historiæ mutilatum. Qui igitur Eusebij & Hieronymi Chronicon sic decurtauit, & in aliam formam temere commutauit; cum ipsos auctores in erroris sæpe culpam adduxit, tum nobis de his disserendis, arguendis erroribus, ijsdemque confutandis, atque emendandis & restituendis plane incredibiles labores peperit. Hinc
B & in eodem opere inter alia, in annis Christi inconstantia orta est, dum quos ad rectæ Chronographiæ ordinem dispositos esse superius demonstrauimus, postea a iusta linea effluere videas, & enormiter aberrare; nam & præsens annus, qui est Constantini vigesimus, anno Domini trecentesimo vigesimo quinto consignatus, apud Eusebij Chronicon annotatur anno Domini trecentesimo atque trigesimo: qui quidem error, si non corrigatur, alios pariat, & immensas gignat difficultates.

Sed quæ partes fuerint S. Hieronymi in tradendo Latinitati Eusebij Chronicon, atque suum addendo, ipsummet audi, qui ait [b]: Sciendum etenim, me esse & interpretis & scriptoris ex parte officio vsum: quia & Græca fidelissime expressi, & nonnulla quæ mihi intermissa videbantur, adieci in Romana maxime historia, quam Eusebius huius conditor libri non tam ignorasse, vtpote eruditissimus, quàm vt Græca scribens, parum suis necessariam per-
C strinxisse, mihi videtur. Itaque a Nino & Abraham vsque ad Troiæ captiuitatem pura Græca translatio est. A Troia vsque ad vigesimum Constantini annum nunc addita, nunc mixta sunt plurima, quæ de Tranquillo & ceteris illustribus historicis curiosissime excerpsimus. A Constantini autem supradicto anno vsque ad Consulatum Augustorum Valentis sextum, & Valentiniani iterum, totum meum est. Quo fine contentus, reliquum tempus Gratiani & Theodosij latioris historiæ stylo reseruaui; non quo de viuentibus timuerim libere & vere scribere (timor enim Dei hominum timorem expellit) sed quoniam debacchantibus adhuc in terra nostra barbaris, incerta sunt omnia.] hucusque Hieronymus: ex quo quidē perspicuū redditur, ipsum edidisse Chronicon Gratiani & Theodosij Imperatorum tēporibus. At licet huiuscemodi lucubrationis non fecerit mentionē in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, cum sua in fine operis recenset scripta: idem tamen ipse in epistola ad Oceanum de optimo genere
D interpretandi, ingenue profitetur, dum & dictæ præfationis suæ præpositæ Eusebij Chronico meminit, & ex ea aliqua recitat: nam ait [c]: Cum Eusebij Cæsariensis χρονικὸν in Latinum verterē, tali inter cetera vsus sum præfatione: Difficile est alienas lineas insequentē, &c.] Citat & in Commentarijs in Danielem idem Eusebij Chronicon a se translatum [d]. Hæc igitur de Eusebij & Hieronymi Chronico disseruisse adstrictos nos necessitate quadam oportuit, aduersus eos qui maiorem nomini (minus re ipsa perspecta) quàm veritati tribuunt auctoritatem: vt & intelligat ex his lector, nobis immensos ac plane incredibiles opus fuisse subire labores, ad res Ecclesiasticæ historiæ per annos singulos scite & congrue disponendas.

[a] Hier. de script. Eccles. in Euseb.

[b] Hieron. in ead. præfatione.

EVSEBII CHRONICON A SANCTO HIER. AVCTVM.

[c] Hieron. epist. 101.

[d] Hieron. in Daniel. c. 9.

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
326.	13.	21.

E

TRecentesimus vigesimusſextus, qui sequitur, Christi annus Consulatu Constantini Aug. septimo cum collega Constantio Cæsare antiquis Fastis adscriptus habetur. quo anno moritur S. Alexander Episcopus Alexandrinus, & in locum ipsius Athanasius eiusdem Ecclesiæ diaconus subrogatur: ætate longæuum, & in assiduis laboribus vita perfunctum eum decessisse, Athanasius verbis illis ipse testatur, quibus ait [e]: Quòd si res quoque nostri temporis contemplandæ sunt: nostis quomodo beatus Alexander vsque ad mortem contra hanc hæresin depugnarit, & quot tribulationes, quantosque labores, quamquam iam senex in decrepita ætate sustinuerit: qui & ipse ad Patres suos appositus est.] Quod autem spectat ad tempus obitus eiusdem Alexandri: vt hoc potissimum anno eum contigisse dicamus, Athanasiumq. suffectū esse, Theodoreti testificatio persuadet, sic scribētis [f]: Cum Episcopus ille egregius Alexāder, qui tam strenue cōtra Arij blasphemiam decertauerat, quinque mēses

MORTVO ALEXANDRO ATHANASIVS SVBROGATVR.

[e] Athan. orat. 1. contra Arian.

[f] Theod. lib. 1. c. 26.

post Concilium Nicææ celebratum finem viuendi fecisset: Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopatum capessit Athanasius, &c.] hæc Theodoretus, cuius exploratior fides redditur ex ijs quæ Athanasius ipse in Apologia secunda scribit [a] de Synodo Nicæna, dum ait: Ceterum ea in Synodo anathemate damnata est hæresis Ariana, Arianiq. reiecti sunt: Meletiani aliquo modo recepti sunt (neque necessum est vt eius rei causam dicam) nondum quinque menses præterierant, cum beatus Alexander mortē obijt.] ita Athanasius. At nec contrarium est quod Epiphanius tradit [b], eodem anno, quo a Magna Synodo damnatus est Arius, decessisse e vita Alexandrum: nondum enim anni spatium est euolutum, circulus scilicet duodecim mensium, cum id fieri contigit; licet anno sequenti, a Nicæno Concilio, nempe sub huius anni Consulibus, id ponatur. A

a Athanas. Apolog. 2.

b Epiph. hæres. 69.

ELECTIO ATHANASII QVOMODO SE HABVIT.

His hunc in modum de tempore obitus Alexādri & subrogatione Athanasij stabilitis: quo modo eiusmodi electionē fieri obtigerit (quòd diuersæ hac de re inueniantur scriptæ sententiæ) accurate est perquirendum. Primum omnium Sozomenus, non aliunde, puto, quam ex Arianorum calumnijs, atque officina Sabini, de electione Athanasij huiusmodi historiam recitat [c]: Ariani (inquit) dicunt, quòd Alexandro mortuo, quinquaginta quatuor Episcopi, qui partibus Alexandri & Meletij fauebant, ex Thebaide & Aegypto in vnum coacti, communicarunt inter se de Episcopo creando: et dato iureiurando, cōmunibus suffragijs consensere de vno eligendo, qui Ecclesiæ Alexādrinæ gubernacula susciperet: sed septem eorum, violato iureiurando, contra omnium voluntatem, clam Athanasium Episcopum ordinasse: et propter eam causam multos tum ex populo, tum ex clericis Aegypti, eius vitasse cōmunionem.] istæc cum Ariani dicerent, deque his scriberent ad Imperatorem: Synodus Alexandriæ celebrata ab omnibus Aegypti, Libyæ, Thebaidis, atque Pentapoleos Episcopis, eiusmodi apertissime calumniam refellens, ita de Athanasij electione encyclica epistola inter alia conscripsit [d]: B

c Sozom. lib. 2. c. 16.

d Apud Athan. Apolog. 2. circa princip.

DILVITVR CALVMNIA AB ARIANIS ILLATA.

Aiunt igitur post obitum Episcopi Alexandri, cum paucissimi essent, qui Athanasij mentionem facerent, sex aut septem Episcopos clanculum & in loco obscuro eum in Præsulem elegisse. hæc eadem illi, quibus nullum mendaciorum genus reformidandum videtur, Imperatoribus scripsere. Nos autem contra eum tota ciuitate & vniuersa prouincia testamur: omnem multitudinem, populumque Catholicæ Ecclesiæ in vnum coactum, quasi in speciem vnius corporis & animæ, clamoribus, vociferationibusque postulasse Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari, idque publicis votis a Christo expetijsse, nosque vt faceremus, per multos dies & noctes iureiurando obtestatos fuisse, cum interea nec ipsi ab Ecclesia discederent, neque nobis discedendi facultatem permitterent. Hoc nostrum, totiusque ciuitatis & vniuersæ prouinciæ testimonium, nec mali quidquam de eo, quod ab illis fit, pronunciamus; sed optima quæque prædicamus, bonum illum esse, religiosum, Christianum, deuotarium, & vere Episcopum. Porro quòd nostrum plerique sub omnium oculis exclamationibusq. Athanasium Episcopum crearint; nos ipsos in testes offerimus; quibus, vt creationis auctoribus, maior quàm istis, qui tunc aberant, & nunc mentiuntur, fides haberi debet.] & post multa: Fingunt fuisse (scilicet in Athanasij introitu) seditiones, luctus, populorumque lamentationes, indigne ferentium illius creationem. Nihil ibi tale contigit, sed potius omnia contraria, gaudia scilicet, animorumque alacritates, & populorum desiderio videndi hominis accursus, vbique per Ecclesias lætitiæ & gratulationes ad Dominū.] in hunc modū Episcopi ex Concilio Alexādrino. C D

e Epiph. hæres. 68.

Hæc cum Synodus Generalis dicta amplissime testata sit: nescio vnde acceperit Epiphanius, subrogatum fuisse in locum Alexandri a Meletianis Theonam, eumque post tres menses vita functum: ait enim [e]: Mortuus est autem Alexander Episcopus Alexandriæ post Synodum Nicænam: non aderat autem Athanasius post Alexandri mortem: erat enim diaconus illo tempore sub Alexandro, & missus fuerat ab ipso ad Comitatum. Cum autem Alexander præcepisset, nullum præficiendum esse nisi Athanasium, velut ipse, & qui de regula erant, ac tota Ecclesia confitebantur: qui Meletium Aegypti Episcopum sequebantur, arrepta occasione, Episcopo Alexandriæ non præsente (numquam enim Alexandria duos Episcopos habuit, velut aliæ vrbes) constituerunt pro Alexandro Theonam quemdam nomine, qui mensibus tribus peractis mortuus est. Et non longe post accessit Athanasius, post Theonæ obitum, & vndequaque congregatus est Orthodoxorum Conuentus, & sic eius institutio facta est, & traditus est ipsi thronus digno, & cui præparatus erat iuxta Dei voluntatem, & iuxta beati Alexandri testimonium, ac præcepta.] Alibi autem alia addit [f]: nempe post Alexandri obitum, cum Theonas a Meletianis creatus esset, ab Orthodoxis fuisse suffectum Achillam, quòd Athanasius non adesset: nam mos in illa Ecclesia erat, non cunctari post obitum Episcopi successoris electionem; ne scilicet contentiones in populo fierent, E

f Epiphan. hæres. 69.

eo quòd

A eo quòd factiosissima gens sit, & ad capessenda atque fouenda diuersorum studia valde propensa. Ne igitur turbæ exorirentur, neve schismaticus electus a Meletianis sedem inuaderet, iussum esse sedere Achillam; ipsum vero post menses tres, Athanasio adueniente, illi thronum cessisse.

Quæ autem cótigerint de facta diuinitus Athanasij in Episcopű electione, per præcedentes more Apostolico prophetias osteńsa, Sozomenus ex Apollinario narrat, cum ait[a]: Eodem tempore Alexáder Episcopus Alexandrinus, cum iam de vita decessurus esset, suum in Episcopatu successorem Athanasium reliquit, diuina quadam impulsione, mea quidem sententia, ad ei suffragandum inductus. Siquidem ferunt, illum, cum conatus esset aufugere, inuitum ab Alexandro ad Episcopatum illum capessendum, compulsum fuisse. Cuius rei testis est Apollinarius Syrius, qui sic scribit: Neque postea a bello destitere impij: sed vti in initio aduersus B beatum huius viri magistrum arma sumpserant, & ipse non aliter atque filius patri, ei aduocatus aderat; ita post in hunc ipsum, vt primum in Episcopatum successerat, impetum fecere. Qui tametsi aufugerat, ne in illo gradu locaretur; diuinitus tamen denuo repertus est: quandoquidem diuinis quibusdam indicijs præsignificatum fuerat beato illi viro, qui Episcopatum administrauerat, non alium quàm hunc ei successorem fore. Nam cum ex hac vita vocaretur, essetq. iam morti vicinus: Athanasium, qui neutiquam aderat, nominatim appellat. Atque vbi eius gentilis, qui forte aderat, cum nomen illud audiret, respondisset; obticuit ille, quasi eum non vocasset. Rursum vocat Athanasium: et quia hoc sæpius fecisset; ille alter Athanasius qui aderat, deinceps silentio vsus est; siquidem ille qui aberat, significabatur. Quod etiam beatus ipse Alexander more Prophetæ aperte indicauit, cum diceret: Athanasi, putas te posse effugere? non tamen effugies. Quibus verbis ostendit, eum ad certamen vo- C catű esse. hæc de Athanasio scribit Apollinarius.] Captasse visus est Athanasius eundi ad Comitatű occasionem, cum iam Alexander senio & morbo grauatus, crederetur e vita proxime migraturus; quem absentē & quasi fuga lapsum idē Alexander moriens interpellarat. Rediens autem, omnium cōsensu, legitime, riteque, magno vniuersorű desiderio, & expectatione, creatus est Episcopus Alexandriæ ciuitatis; de cuius electione hæc Gregorius Nazianzenus[b]: Sic igitur atque eas ob causas, totius populi suffragijs, non autem secűdum peruersum exemplum, quod postea inoleuit, neque per vim ac cædem, sed Apostolice & spiritualiter in Marci thronum euehitur, non minus pietatis, quàm primariæ sedis successor.] Primariam sedem vocat Ecclesiam Alexandrinam, quòd primatum haberet omnium, quæ sunt recensitæ superius, prouinciarum.

Sic igitur creatus Episcopus Alexandrinus, sedit annos quadragintaquinque: peruenit D namque (quod tradit Socrates[c]) vsque ad Consulatum Gratiani secundum & Probi: Cuius quidem (inquit Ruffinus[d]) tanti in Ecclesia pro fidei integritate agones fuerunt, vt etiam de hoc videatur dictum esse[e] illud quod scriptum est: Ego enim ostendam ei, quanta eum pati oporteat pro nomine meo. In huius etenim persecutiones vniuersus coniuratus Orbis & commoti sunt Principes terræ; gentes, regna, exercitus coierant aduersus eum: ille autem diuinum illud conseruabat eloquium[f], dicens: Si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum, &c.] At non tantum simulac Athanasius creatus est Episcopus Alexandrinus, ab Arianis est certaminibus appetitus; sed iam antea viuēte Alexandro, cui veluti Ionatæ armiger accedebat, acerbissima illorum in se concitata odia & simultates expertus est. Testantur id quidem Aegypti omnes Episcopi in dicta Synodali epistola circulari, quam scripserunt ex Concilio Alexandrino, cum inter alia multa de Athanasio hæc habent[g]: Cum autem Arius, vnde E Ariomanitarum hæresis conflata est, ab Ecclesia per beatum Alexandrum Episcopum eiectus esset: Eusebiani discipuli pariter & socij impietatis, semetipsos eiectos esse arbitrantes, multis adhortationibus Alexandro scripserunt, ne Arium extra Ecclesiam relinqueret. Alexandro autem ob pietatem in Christum, hominem impium non recipiente, in Athanasium eius diaconum iras conuertunt: et quia eum assiduum esse apud Alexandrum, & in pretio haberi, curiose animaduerterent; et quia iam antea eius pro Christo pietatem in Synodo Nicæna, vbi magna cum libertate contra Arianam hæresin disseruerat, experti essent; in grauissimű odium exarserűt. Vbi autem Deus eum ad Episcopatum prouexit: veterem iam olim malitiam refouentes, veriti illius Orthodoxam mentem, & in resistendo contra impietatem robur, conscientia vecordes, omnibus rationibus coniurationes in eum coquebant, princepsq. hac in re Eusebius fuit, conscientiæ suæ furijs agitatus præceps, &c.] Quibus autem certaminibus eum Ariani primo impetu appetiuerint, suo loco dicemus.

At quid inter hæc Meletiani, qui (vt vidimus) summa Patris humanitate, pacis Ecclesiæ confouendæ

[a] Sozom. lib. 2. c. 16.
ELECTIO ATHANASII PRAECOGNITA.
[b] Greg. Nazian. oratio. in laud. Athanas.
LABORES ATHANASII.
[c] Socrat. lib. 4. c. 16.
[d] Ruffin. lib. 1. c. 14.
[e] Act. 9.
[f] Psal. 26.
[g] Apud Athanas. Apolog. 2.

fouendæ causa, honestissimis conditionibus recepti fuerunt in Nicæno Concilio, Athanasius A narrat his verbis [a]: Nondum quinque menses præterierant (a Nicæno Concilio scilicet, in quo Meletiani recepti sunt) cum beatus Alexander mortem obiit: Meletiani autè, quos & quietos & gratos esse oportuit, quòd aliquo saltem modo recepti essent; more canum, non obliti vomitus sui, rursum Ecclesias perturbare cœperunt.] sed quonam modo, Sozomenus sic tradit [b]: Meletius Alexandro in Aegyptum reuerso ex Nicæno Concilio, Ecclesias quas inique occupasset, reddidit; ipse in Lyco iam ætatem degit: tamen non multo post, cum erat e vita migraturus, Ioannem vnum ex familiaribus suis, contra decretum Nicæni Concilij in suum locum suffecit; sicq. Ecclesias denuo conturbandi auctor & causa extitit.] Ordinauit pariter Meletius contra decreta Nicæna Arsenium Episcopum Hypselitarum, quibus ipse Meletius, vt ait Athanasius [c], aliquando præfuit. hæc quidem Meletio viuente: eo vero defuncto (hoc eodem, vt videtur, anno) Meletiani scissam a Meletio rursum Ecclesiæ pacem turpius B lacerarunt: nam præter Theonæ ordinationem, cuius meminit Epiphanius, Athanasio electo Episcopo Alexandrino rebelles ac contumaces, omnia pro arbitrio voluntatis agentes, magnas iterum turbas excitarunt in Aegypto: quando Eusebius Nicomediensis (vt Athanasius inquit [d]) propugnator Arianæ hæreseos, re cognita, ad illos litteras dat, magnisq. promissis, societatem & amicitiam clanculum inijt, sibiq. ipsis rebus agendis tempus constituunt.] Sed quænam iuncti Meletianis Ariani in Athanasium moliti sint, dicemus inferius.

a Athanas. Apolog. 2.

MELETII ET MELETIANORVM STVDIA CVM ARIANIS.

b Sozom. lib. 2. c. 20.

c Athanas. Apolog. 2.

d Athanas. Apolog. 2.

QVANDO ARIANI CVM MELETIANIS CONSPIRARVNT.

Cum igitur ex his omnibus constet, coisse cum Arianis Meletianos post Meletij obitum, & Alexandri: plane erroris arguuntur, qui antea hæc accidisse tradunt [e], nempe Meletianos tunc occasione legationis, quam ad Constantinum Imperatorem susceperant Nicomediam, ab eius ciuitatis Episcopo Eusebio persuasos mutuo inter se inijsse fœdus. Sic & Socrates [f] pariter hallucinatur, dum ait, ante Nicænum Concilium, eam inter Meletianos & Arianos int- C tam concordiam: cum instar omnium habendus sit Athanasius, qui (vt vidimus) contrarium asserit.

e Epiphan. hæres. 68.

f Socrat. lib. 1. c. 3.

Epiphanius Meletium ante Alexandrum mortuum esse tradit, qui ex Meletianorum fautore (vt superius dictum est) mutuatus historiam, totam culpam conuertens in Alexandrum, hæc ait [g]: Iam vero beatus Alexander in Alexandria post obitum Meletij prædicti confessoris, zelo contra sectam ac dissidium Ecclesiæ assumpto, vndique priuatim inter communitatem habentes & a Meletio relictos turbare videbatur, continereq. ac cogere, ne ab vna Ecclesia dissentirent. Illi vero non volentes turbam mouebant, ac tumultus excitabant: et cum sic premerentur, ac continerentur a beato Alexandro; aggrediuntur quidam ex ipsis principes ac primas ferentes tum in pietate, tum in vita, & proficiscuntur ad Comitatum colloquij gratia, quo assequantur, vt & offerant, & communionem habeant priuatim, & non impediantur. D Erant autem Paphnutius quidam magnus vir anachoreta, & ipse filius feminæ quæ confessionem fecerat, immo etiam ipse aliquo modo confessionem attigerat, & Ioannes Episcopus ipsorum, vir & ipse venerandissimus, & Callinicus in Pelusio Episcopus, & alij quidam, qui hoc fecerunt: qui sane profecti ac delati ad Regem, repellebantur, ac reijciebantur: qui enim in Palatio erant, audito Meletianorum nomine, & ignorantes quidnam esset tale, non permittebant ipsis colloqui Regi. Et in hoc contigit, vt Paphnutius & Ioannes, ac reliqui multum tẽporis tererent in partibus Constantinopolis & Nicomediæ. Tunc vero in amicitiam veniunt cum Eusebio Nicomediæ Episcopo, & causam suam ad ipsum deferunt. Nouerant enim ipsum dicendi libertatem apud Regem Constantinum habere: rogantq. ipsum, vt Regi per ipsum noti fiant. Hic vero postquàm promisisset, se ad Regem delaturum esse ipsos, & negotiũ, quod petierant, curaturum: petit vicissim ab ipsis hanc petitionem, vt suscipiant Arium se- E cum in societatem, nimirum qui simulate & per ironiam pœnitentiam egerat. Hi vero pollicentur, se suscepturos esse ipsum. Atque hinc defert Ipsos Eusebius ad Regem, & causam ipsorum Regi exponit: et conceditur Meletianis, vt ex eo tempore per se communitatem habeant, & a nullis impediantur. Atque vtinam ijdem Meletiani, qui summam iustitiam veritatis demonstrabant, cum lapsis post actam pœnitentiam communionem habuissent potius, quàm cum Ario & sectatoribus eius: contigit enim ipsis iuxta hoc prouerbium: Fugientes fumum, in ignem inciderunt. Neque enim Arius potuisset habere statum & dicendi libertatẽ, nisi per huiusmodi occasionem: quæ mala coniunctio contigit ipsis vsque in hanc diem: permixti enim sunt hi, qui quondam pure degebant, & summe iusti erant, ac fide Meletiani cum Arij discipulis, & plerique iam imitati sunt mala Arij a fide emoti in his temporibus: quidam vero etiamsi manserint in vera fide, non tamen alieni sunt a cœnosis sordibus propter societatem cum Ario & Arianis.] hucusque Epiphanius de coniunctione Meletianorum cũ Arianis.

g Epiphan. hæres. 68.

LEGATIO MELETIANORVM AD IMP.

Meminisse

A Meminisse debet lector, quod superius perspicue demóstrauimus, S. Epiphanium historiam de Meletio & Meletianis a parum fideli auctore sumpsisse; qui cum illi, tum ipsis magnopere faueat; hominesq. tempore persecutionis fidei desertores, obstinatosque schismaticos nimis laudet, & indignis eos titulis prædicet. Sed & intolerabilis plane est nota ista, quam idem hanc historiam recensendo inurit Constantino Imperatori, cum ait ab illo ijs fuisse concessum, vt seorsum ab Episcopo Alexandrino colligerent, agerentq. synaxes. Absit vt tantus Imperator tam leuiter voluerit abrogare quæ de illis in sacrosancto Concilio Nicæno fuerant firmata decreta. Porro ab hac tanta calumnia suis ipsius litteris Constantinus, quibus quo esset animo aduersus Meletianos postea scripsit ad Athanasium, omnino purgatur, cum ait [a]: De illis autem omni execratione dignis Meletianis, immanibus inquam & nefarijs hominibus, qui quasi apoplexia icti stupent, & solummodo inuidia & æmulatione & tumultibus ad scelera B motum habent, &c.]

HISTORIA DE MELETIANIS FYDOLA.

[a] Apud Athanas. Apolog. 2.

Sed & Eusebius auctor est (cum alioqui ob hæresin Arianam posset esse suspectus) in his controuersijs in Aegypto post Nicænum Concilium exortis & agitatis, Constantinum Imperatorem humanitus cum illis agentem, conatum esse ad concordiam reuocare, studuisseq. in primis vt Nicæna decreta in suo vigore ac robore permanerēt: sunt enim hæc verba [b] Eusebij: Verum cum, absoluto Nicæno Concilio inter omnes pax esset conciliata: solos Aegyptios seditiosa contentio mutuo inter ipsos distraxit: ita vt Imperatori de integro non nihil negotij facesserent illi quidem, sed tamen bilem ei minime commouerent; quippe eos vt patres, immo vero vt Dei Prophetas omnino honorifice reuerens, illos secundo accersere dignatus est: se rursus non inuitum, tamquam arbitrum, eorum controuersijs interponere: illis iterum munera honorifice impertire: arbitrium suum & sententiam per epistolam significare, & Concilij C decreta suo sigillo rata facere: hortari etiam, vt concordiæ adhærescerent, vt non distraherent Ecclesiam, dirimerentq. consensum, sed diuini iudicii recordationem intima cogitatione complecterentur. Ista per litteras Imperator illis significauit. Alia item infinita his similia scripsit; vixq. dici potest, quot & quàm multas epistolas exarauit; interdum Episcopis ea quæ ad Ecclesiarum Dei commodum spectabant præscribendo, interdum etiam cum ipsa multitudine per litteras colloquendo, & vt beatum decet, singulos e populo fratres & conseruos appellando.] hucusque Eusebius.

[b] Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 22. & 23.

CONSTANTINI STVDIVM PACIS.

Sed quod spectat ad tres illos Meletianorum insigniores ab Epiphanio nominatos, Ioannem, Paphnutium, & Callinicum: erat Ioannes qui in locum Meletii in Episcopatu subrogatus est, de quo supra ex Sozomeno [c], cuius & Athanasius meminit [d], nominans eum, histrionem Arianorum, nempe ad fabulam de nece Arsenii simulata repræsentandam præcipuum D simulatorem. Paphnutius vero teterrimus ille monachus, cuius extat epistola apud Athanasiū, qui & de fabricandis iisdē in Athanasiū dolis cum illis ante conniuerat, longe alius fuit a Paphnutio illo Antonii Magni discipulo, quē ipse Athanasius summis laudibus celebrat [e]: atque rursum lōgissime diuersus ab illo Paphnutio, qui interfuit, & in omnibus egregie spectatus est in Nicæno Concilio. Sed & de Callinico eius doli telæ textore idē quoque meminit Athanasius [f]. At hi ac reliqui omnes Meletiani, non noui atque recentes Ecclesiæ hostes, sed (vt dictū est ex Synodo Alexandrina [g]) vetusti iam olim a temporibus beati Petri, cui insidias posuerunt: et Achillæ eius successoris, quem calumniati sunt: et Alexandri, quem vsque ad tribunalia Cæsaris, calumniis persequuti sunt: et postremo ita meditandis calumniis exercitati, Athanasium inuaserunt, nihil alienum a sua malitia facientes.] hæc ex Synodo Aegypti Episcopi.

LEGATI MELETIANORVM QVALES.

[c] Sozom. lib. 2. c. 20.

[d] Athanas. Apolog. 2.

[e] Athanas. in Vit. Antonij.

[f] Athanas. Apolog. 2.

[g] Apud Athanas. Apolog. 2.

E Callide igitur atque vafre admodum Ariani (vt dictum est) ad inuadendam rursum Ecclesiam, Meletianos sibi conciliarunt, quos ante sibi ob hæresin experti essent infensos: sed & hi flagrantes odio vehementissimo in Athanasium, cum inimicis fœdus inierunt, & in Ecclesiæ damnum Alexandrinæ eosdem sibi adsciuerunt commilitones, de quibus hæc idem Athanasius [h]: Qui (nempe Ariani & Meletiani) cum ad ea inter se contentiosi essent, nunc vt Herodes & Pontius in blasphemias aduersus Christum cōnsentiunt. Quapropter merito quis eos exosos habeat, quòd cum de priuatis rebus inter se simultates gerant, odio tamen inimicitiaque communi aduersus veritatem conspirent, & in impietate aduersus Deum fœdera conglutinent, seseq. mutuo amplexentur, securi quiduis facere & pati, modo id quod semel animo cōceperint, tueantur. Meletiani quidem tum ambitione, vt rebus præsint, tum insano auaritiæ studio: Ariani vero vltro sua ipsorum impietate incitantur, vt huiusmodi conspirationibus mutuo inuicem animi sui prauitatem promoueant. Et isti quidem horum impietatis personam induunt: hi vero illorum malitiæ accedunt & adstipulantur, ac in commune scelera sua

COITIO MELETIANORVM CVM ARIANIS.

[h] Athanas. orat. 1. contra Arian.

veluti

veluti Babylonis poculum commiscentes, insidias illis nectunt, qui recte pieq. de Domino nostro sentiunt.] et paulo post de Arianis, quòd nihil præterea ex Meletianorum coniunctione intenderent, nisi vt hæresim propagarent, docet his verbis: Ceterum ex ijs quæ nunc fecerunt, clara iam in reliquum tempus documenta data sunt, eos non alia de causa tum contra nos, tum reliquos Orthodoxos Episcopos iam ab initio insidias tetendisse, nisi vt impietatis suæ hæresim propagarent.] hæc ipse. A

ATHANASIVS VRGET MELETIANOS.

Porro Meletianis ad Constantinum accedendi, inde putatur oborta occasio; quòd S. Athanasius, cum Alexandrinus Episcopus creatus est, solicitus pro custodia Magnæ Synodi decretorum, quæ Meletius viuens soluisset, Episcopum Ioannem sui successorem ordinando, cum ceteros Meletianos rursum schismate diuisos vt reuocaret ad Ecclesiæ vnitatem, magnopere studuisset, & legibus Ecclesiasticis eos obtemperantes reddere compulisset: de eo enim hæc habet Epiphanius [a]: Cum igitur venisset Athanasius, & confirmatus esset, qui circa fidem magnus zelotes erat, & pro Ecclesia afficiebatur: cum iam congregationes & auulsiones vndique fierent a Meletianis nominatis ob eam causam, quam in tractatione de Meletio supra declaraui; et vellet counitionem Ecclesiæ facere; conquerebatur, & minabatur; admonebatq. ac nihil efficiebat, nemoque aduertebat. Vnde omnia contra ipsum commota ex superexcellente in ipso diuinitus zelo facta sunt atque constructa, &c.] B

a Epiphan. hæres. 69.

Huius igitur rei causa cum Meletiani (vt dictum est) abijssent ad Constantinum expostulaturi aduersus Athanasium; Eusebius & qui cum eo erant Ariani, oblatam sibi optatam occasionem arripientes, aduersus Athanasium commouere Imperatorem conati sunt: Quare (inquit Sozomenus [b]) eum apud Constantinum vt seditionis & tumultus in Ecclesia auctorem falso insimulant, & quòd plerosque in Ecclesiam ingredi cupientes prohiberet, cum liceret concordiam inter omnes constitui, si istud vnum permitteretur. Quas criminationes contra eum confictas, multi Episcopi & clerici qui cum Ioanne conspirabant, quiq. continenter fere ad Imperatorem accedebant, veras esse confirmauere; atque adeo dixerunt, se Orthodoxos esse: et tum eum, tum Episcopos sibi subiectos, cædis, vinculorum, plagarum iniuste inflictarum, vulnerum, & incendij Ecclesiarum accusauere. Vbi vero Athanasius etiã significasset Imperatori iniquas Ioannis & Episcoporum sibi fauentium ordinationes, & non eas solum, verum etiam innouationem decretorum Concilij Nicæni, fidem corruptam, seditiones, & contumelias Orthodoxis impositas, criminis loco illis obiectasset; Imperator deinceps non habebat cui crederet, &c.] Quæ autem subdit Sozomenus scripta a Constantino ad Athanasium, de recipiendo Ario & alijs in Ecclesiam, hæc postea contigerunt: egisse enim primo Constantinum blanditiis, vt Aegyptiacos eiusmodi tumultus compesceret, iam ex Eusebio superius demonstratum est. At de rebus Meletianorum & Arianorum, quæ pertinent ad hunc annum, hactenus: quas vero simul aduersus Athanasium calumnias concinnarint, suo tempore dicturi sumus. C D

b Sozom. lib. 2. c. 21.

CALVMNIAE DELATAE AD IMP. IN ATHANASIVM.

CONSTANTINVS QVID IN SCHISMAT. ET HAERETICOS.

Quod autem spectat ad Constantinum: quos obstinatos in schismate Meletianos esse cognosceret, & hæreticos post Nicænum Concilium in hæresi permanere; eos primum quos humanitas atque benignitas non curasset, priuilegiis reliquis Christianæ legis cultoribus concessis, hoc anno, edita sanctione, priuauit, & aliis oneribus obligauit, quæ est huiusmodi [c]:

c l. 1. de hæretic. Cod. Theodos. & Iustin. eod. tit.

Priuilegia quæ contemplatione religionis indulta sunt, Catholicæ tantum legis obseruatoribus prodesse oportet. Hæreticos autem atque schismaticos non tantum ab his priuilegiis alienos esse volumus, sed etiam diuersis muneribus constringi, & subiici. PP. Kal. Septemb. Generasto, Constantino A. VII. & Constantio Coss.] De Nouatianis autem ad Bassum hoc eodem anno hunc in modum rescripsit [d]: E

d l. 2. Cod. eod.

Nouatianos non comperimus prædamnatos, vt iis quæ petiuerunt, crederemus minime largienda: itaque Ecclesiæ suæ domos & loca sepulchris apta sine inquietudine eos firmiter possidere præcipimus; ea scilicet, quæ ex diuturno tempore, vel ex empto habuerunt, vel qualibet quæsiuerunt ratione: prouidendum erit, ne quid sibi vsurpare conetur ex iis quæ dissidium ad Ecclesias perpetuæ sanctitatis pertinuisse, manifestum est. Dat. Nono Kal. Octob. Spoleti, Constantino A. VII. & Constantio Coss.]

At quid est, quod ait: Nouatianos non comperimus prædamnatos?] Numquid non Nicænum Concilium, cum agit de Nouatianis ad Ecclesiam Catholicam venire volentibus, demonstrat eos extra Ecclesiam Catholicam positos? Sed fortasse dici potuit, eos connumerandos fuisse inter schismaticos, non autem inter hæreticos; quòd de Christi persona atque natura cum Catholicis recte sentirẽt. Hæreses enim a schismate S. Basilius ad Amphilochium scribens sic distinguebat [e]: Schisma est in pœnitentia aliter se gerere, quàm qui sunt Ecclesiæ: Hæresis

HAERETICI A SCHISMATICIS DISTINCTI.

e Basil. epist. Canon. ad Amphiloch.

A Hæresis autem est vt Manichæorum, Valentinianorum, & Marcionitarum, & horum ipsorum Pepuzenorum.] et S. Augustinus hæreticos ait [a] esse ab Ecclesia fide diuulsos, schismaticos charitate ab eadem separatos. At S. Ambrosius [b] nec fidem schismaticis tribuit. Ceterum quod spectat ad Nouatianos, non tantum inuenimus numeratos inter schismaticos, sed inter hæreticos recensitos; quippe qui etsi de sanctissima Trinitate recte sentirent, in nonnullis tamen a sinceris sanisq. Ecclesiæ dogmatibus longius aberrarent, vt cum de eis superius loquuti sumus secundo Annalium Tomo plenius demonstrauimus. Quamobrem consultius sane idem Constantinus Imperator in alia prolixiore sanctione, quam aduersus hæreticos edidit, primo loco Nouatianos posuit: recenset eam Eusebius, hæc ante præfatus [c]:

[a] Aug. de serm. Domini in mont. lib. 1. c. 9. & 24. q. 1. c. vbi sana. [b] Ambr. in orat. in funere Satyri fratris. & 24. q. 1. c. aduocauit.

[c] Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 61. 62.

Postquàm Ecclesiam Dei, sublatis e medio discordijs, in tranquillo statu Constantinus Imperator collocauerat: inde aliud impiorum hominum genus, tamquam latens venenum B humanæ vitæ paratum, comprimendum censuit. Isti corruptores quidem erant, qui honestatis specie & simulatione ciuitates labefactabant: eos vero pseudoprophetas & lupos rapaces Saluatoris vox diuinitus vaticinando nuncupauit in hunc modum [d]: Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; a fructibus eorum cognoscetis eos. Edictum igitur Imperatoris, quod ad prouinciarum Præfectos missum fuit, vniuersum illud hominum genus grauiter insectatū est. Et præter ipsum edictum Imperator etiam salutarem admonitionem illis ipsis proposuit, hortatus admodum, vt mature resipiscerent. Nam asseruit, illos Ecclesiam Dei salutis portum habere, quo se reciperent. Attende ergo quo pacto cum illis per litteras sermonem contulerit.

NOVATIANI IVRE RECENSITI INTER HAERETICOS.

[d] Matth. 7.

VICTOR CONSTANTINVS MAX. AVG. HAERETICIS.

Cognoscite iam per legem hanc, quæ a me sancita est, o Nouatiani, Valentiniani, Marcioni-C tæ, Pauliani, quiq. Cataphrygum nomen vsurpatis, & omnes omnino qui per conspirationes a vobis conflatas, hæreses ac sectas etiam atque etiam augere conamini: cognoscite, inquam, quibus mendacijs vestræ doctrinæ inanitas implicata teneatur, & quatenus pestiferis quibusdā venenis vestra vsque eo inficiatur disciplina, vt per eam integri ac valentes ad morbum, viui autem ad sempiternum interitum abstrahantur. O veritatis inimici, hostes vitæ, internecionis auctores & consiliarij: omnia apud vos veritati contraria, turpibus consentientia maleficijs, ineptijs & commenticijs fabulis exultantia: quibus certe mendacia struitis, premitis insontes, Fidelibus veritatis lucem denegatis. Nam falsa visione & specie pietatis semper delinquentes, omnia contagione vestra contaminatis, conscientias integras & labe vacuas letalibus plagis vulneratis: ipsum diem (pene dixerim) hominum oculis adimitis.

CONSTANTINI EDICTVM ADVERSVS HAERETICOS.

At quid attinet singula persequi, cum de vestris flagitijs, sicut eorum natura postulat, di-D cere, neque temporis angustia, neque occupationes, quibus districti sumus, sinant? Nam scelera vestra adeo grandia, adeo immensa sunt, adeo etiā turpia, & omni crudelitate redundantia, vt dies integer ad ea explicanda non sufficeret. Immo vero ab huiusmodi rebus aures abducere, oculosq. auertere conuenit, ne singulorum explanatione sincera & incorrupta fidei nostræ professio commaculetur. Quid ergo? Patiemur ne eiusmodi malorum contagionem longius serpere, præsertim cum longa dilatio faciat, vt sani ac valentes ea tamquam pestifero morbo inficiantur? Cur igitur non cum maxima celeritate eiusmodi prauitatis, vt ita dicam, radices animaduersione & pœna publica amputamus?

Atque quo ista vestræ pestis pernicies longius grassari impediatur: per hanc legem mandamus, ne quis vestrum posthac conuentus cogere audeat. Et propterea etiam iubemus, vt vniuersæ ædes vestræ, in quibus congressus illos celebrare consueuistis, penitus euertātur. Et hæc E cautio eo vim suam porrigat, vt nō modo non in publicis, sed ne in priuatis quidē ædificijs, aut in locis vllis separatis huius vestræ superstitiosæ amētiæ factiones coeant. At vero quod multo præstabilius est, si qui vestrum veræ & sinceræ religionis curam habeāt, ad Catholicam Ecclesiam reuertantur, & eius sanctitatis sint participes, per quam poterunt ad veritatem peruenire: fraudulenta vestræ peruersæ mentis astutia, hoc est scelerata & perdita hæreticorū & schismaticorum seditio, omnino ab hac prospera temporum nostrorum conditione seiungatur. Nostræ enim prosperæ ac beatæ vitæ rationi, qua Dei beneficio fruimur, est admodum consentaneum, vt qui ætatem bona spe sustentatam degant, ab omni vago & cæco errore ad rectam viam, a tenebris ad lucem, ab inscitia ad veritatem, a morte denique ad salutem traducantur. Ac quo prouisio hæc in curandis erroribus robur & firmitatem sibi necessariam assequatur: mandauimus (vt supra dictum est) vt omnia superstitionis vestræ loca, in quibus conuenire soleatis, omnia dico hæreticorum templa (si modo templa appellare conuenit) sine recusatione aut controuersia diruantur, & diruta absque mora Catholicæ tradantur Ecclesiæ, reliqua

ſiæ, reliqua loca publica Reipublicæ vſui addicantur: ne vlla in poſterum vobis conuentus celebrandi relinquatur facultas. Sit igitur hoc ratum, ſtatutumque, vt poſt hunc diem nullo in loco vel publico vel priuato nefarij veſtri conuentus in vnum coire audeant.] hucuſque Conſtantini Imperatoris edictum. A

DOLVS EVSEBII.

Sed miramur, quomodo inter receſitos ſuperius hæreticos, Ariani, quorum precipua mentio habenda fuiſſet, vtpote qui totum pene Orientalem orbem exagitaſſent, reperiantur omiſſi. Quocirca ſuſpecta redditur perfidia Euſebij hominis Ariani receſentis edictum, potius quàm reuocari poſſit in dubium Conſtantini pietas. Quòd ſi dolum malum abfuiſſe ab Euſebio quis velit; ad eius excuſationem fortaſſe poſſet afferre, quæ tradit Sozomenus, dum eiuſmodi edicti viſus eſt meminiſſe ſic dicens [a]: Dogma autem Arij, quamuis illud quidem per diſceptationes a pleriſque laboratum eſſet, nondum tamen peculiari alicui populo ſeparatim attributum eſt, aut nomine inuentoris appellatum: ſed omnes ſimul conuentus egerunt, & communicarunt inter ſe, exceptis ſolum Nouatianis, Cataphrygis, Valentinianis, Marcioniſtis, Paulianis, & ſi qui alij alias iam inuentas hæreſes conſectarentur. Nam contra iſtos omnes legem tulit Imperator, mandauitq. vt templa ipſis adimerentur, Eccleſijsq. adiungerentur; et neque in ædibus priuatorum, neque in loco publico conuentus haberent. Quin etiam illis expoſuit, quòd præſtaret cum Eccleſia Catholica communicare, atque ad eam accedere hortatus eſt.] Sed haud poſſumus Sozomeno conſentire, dum ait nomen Arianum nondum inditum fuiſſe Arij ſectatoribus: nam ex mille pene locis ſuperius citatis liquet, ſtatim promulgata ab Ario hæreſi, eius ſectatores nuncupatos eſſe Arianos. Quamobrem dolum malum in Euſebio ſupprimente in edicto nomen Arianum fuiſſe putamus. At poſt hæc addit Sozomenus: B

a Sozom. lib. 2. c. 30.

Hac lege promulgata, iſtarum ſectarum memoria magna ex parte deleta eſt. Nam dum ſuperiores regnarent Imperatores; omnes qui Chriſtum colebant, tametſi opinionibus diſſentirent, tamen eodem in numero ac loco habebantur a Gentilibus, & pari ratione torquebantur: nec poterant præ communibus calamitatibus curioſe in ſe ipſi inquirere. Et propterea ſinguli ſeorſum per ſe facile in vnum conuenire, conuentus agere, crebro in mutuum venire colloquium ſolebant: et licet eſſent numero pauci, non tamen diſiuncti ſunt. At hac lege ſancita, hæretici, propter Epiſcopos & clericos qui eos aſſidue obſeruabant, facultatem minime habuerunt, vel palam, vel in occulto conuentus peragendi. Qua de cauſa complures eorum admodum perterriti, ſe Eccleſiæ Catholicæ, addixerunt. Alij autem, qui in eadem perſtabant ſententia; quoniam neque in vnum conuenire permiſſi erant, neque poterant ſine metu ſuæ opinionis fautores docere; idcirco nullis ſuæ ſectæ ſucceſſoribus poſt ſe relictis, e vita exiuerunt. Siquidem aliæ omnes fere ſectæ initio perpaucos habebant æmulos, vel propter peruerſitatem dogmatum, vel propter inuentorum & auctorum ſuorum improbitatem. C D

AVCTOR NOVATIANVS GLORIOSE DE NOVATIANIS.

At Nouatiani, tum quòd duces ſuæ opinionis viros bonos ſunt conſequuti, tum quòd eamdem quam Eccleſia Catholica de Deo doctrinam tuebantur, ab initio permulti extiterunt, & manſerunt hactenus, nec multum incommodi ex hac lege acceperunt. Nam Imperator, mea quidem ſententia, dum inſtitueret ſubditis ſuis non exitio eſſe, ſed terrori ſolum, de legis ſeueritate ſua ſponte nonnihil remiſit. Quin etiam Aceſius, qui id temporis Conſtantinopoli ſectæ Nouatianæ Epiſcopus fuit, quoniam propter vitæ integritatem Imperatori carus erat, non parum (vt eſt veriſimile) ſuæ Eccleſiæ attulit præſidij. Cataphrygæ autem eadem afficiebantur pœna, qua ceteri hæretici Imperio ſubiecti: exceptis ſolum illis, qui Phrygiam incolebant, & in reliquis gentibus illis finitimis ætatem degebant. In quibus locis permulti Cataphrygæ & a temporibus Montani extiterunt, & adhuc ſunt.] hæc Sozomenus, & ipſe eidem ſectæ Nouatianorum addictus. Quæ autem iſtæc fuerint ſubſequuta, Euſebius narrat his verbis [b]: E

b Euſeb. Vit. Conſtatin. lib. 3. c. vlt.

Ad hunc modum occultæ quaſi latebræ & receſſus eorum, qui alienam ab Eccleſia Catholica doctrinam & opinionem tenebant, Imperatorio edicto euoluti patuerunt: beſtiæ etiam immanes, quæ huius erant impietatis auctores, exactæ. Ex illis vero qui eſſent iſtorum impulſu in fraudem & errorem inducti, alij Imperatoris minis perterriti, fallaci & fucata ſpecie in Eccleſiam obrepere cœperunt, temporum conditioni callide & diſſimulanter cedentes. Ac quoniam lex hominum libros perſcrutari iuſſerat; tandem manifeſto deprehenſi fuerunt ij qui vetitas & interdictas illas artes ad hominum perniciem comparatas conſectati fuiſſent. qua de re omnibus (vt dicitur) opibus viribuſq. elaborabant, vt ſimulatione ſalutem ſibi adipiſcerentur. Alij forte ad ſpem, quæ in Deo optimo maximo poni debet, vere & ex animo ſe transferre. Quos cum Eccleſiarum Præſides internoſcere ſtuderent; alteros ouium pellibus obtectos, adumbrata ſpecie ſe inſinuare conantes, procul amandarunt; alteros vero, qui idem integra

CONVERSIO PLVRIMORVM.

A integra & incorrupta mente inſtituerent, vbi temporis longinquitate explorando, de illis ſatis exquiſite periculum feciſſent: in multitudinem aſcititiorum adſcripſerunt. Hoc modo cum illis qui alienam ab Eccleſia opinionem & doctrinam ſequebantur, actum eſt. Alios autem, qui dum in eorum dogmatum diſciplina verſabantur, nihil concepiſſent impietatis, ſed ſchiſmaticorum culpa ſe temere a communi Eccleſiæ congregatione & frequentia ſeiunxiſſent, abiecta omni cunctatione, in Eccleſiam receperunt. Hi igitur gregatim tamquam ex colonia reuertentes, ſuam recuperarunt patriam, & matrem Eccleſiam agnouerunt; a qua diu aberrantes, cum gaudio & lætitia ad eam redierunt, membraque communis corporis fuere in vnum coagmentata, & concordiæ quaſi compagibus firme copulata: ſolaq. Dei Eccleſia in ſe coaleſcens tum reſplenduit, cum nuſquam gentium vel hæreticæ vel ſchiſmaticæ factionis veſtigium reliquum quidem eſſet.

B Cuius præclari facinoris cauſam Imperator Deo (cui ſolus ex omnibus Imperatoribus, qui aliquando extitiſſent, curæ erat) acceptam plane tulit.] hactenus Euſebius. Sed illud plane per hyperbolen, cum ait, induſtria Conſtantini ne veſtigium quidem hæreticæ vel ſchiſmaticæ prauitatis relictum fuiſſe: nam ex rebus geſtis ſingulorum annorum ſequentium ſatis apparet, numquam intermiſſum eſſe temporis ſpatium, quin ab hæreticis atque ſchiſmaticis, nempe Arianis, atque Meletianis, negotium Catholicis fuerit faceſſitum.

Sed laudanda plane eſt in omnibus Conſtantini pietas, qui ſtabilita anno ſuperiore in Nicæno Concilio fide Catholica, & hæreſibus atque ſchiſmatibus, quantum licuit, legibus profligatis: ad extirpandum idolorum cultum, & Dei Eccleſiam in Oriente (quod in Occidente fecerat) ædificijs illuſtrandam, animum addixit. Quam porro **CONSTANTINVS IDOLOLATRIAM PASSVNDAT.**

C multus in his fuerit, Ethnicus auctor Chriſtianis rebus infenſus Eunapius Sardianus [a] teſtatur, cum de Aedeſio ſic ſcribit: Fieri namque poteſt, vt iſtud occultum habuerit Aedeſius ob temporum iniquitatem, quòd tum Conſtantinus Imperium regeret, qui fana toto Orbe celebratiſſima euertebat, & Chriſtianorum ædificia extruebat.] hæc quidem hoc anno geſta eſſe, poſtquàm de conciliandis ſchiſmaticis in Aegyptum litteras ſcripſerat, Euſebius auctor eſt: ſed & alij quoque antiqui hiſtoriarum Eccleſiaſticarum ſcriptores eadem facta referunt ſtatim poſt Nicænum Concilium: ait enim Socrates [b]: Imperator poſt confectum Concilium, in magna lætitia ætatem degit: et ſimul vt feſtum ſolemne ad vigeſimum annum Imperij ſui, vt aſſoler, celebrauerat; nulla interpoſita mora, ad eccleſias conſtruendas omne ſuum ſtudium contulit.] hæc ipſe. Quænam autem fuerint iſtæ, primum ex Euſebio aggrediamur enarrare, qui ſic

D exorditur [c]:

His rebus hunc in modum conſtitutis, aliud quoddam opus maxime memorabile apud Palæſtinorum gentem diuinus iſte Imperator efficere aggreſſus eſt. At quodnam quæſo? Sanctiſſimum illum ſalutaris Chriſti reſurrectionis locum Hieroſolymis exiſtimauit ita a ſe illuſtrari debere, vt omnibus eximius & veneratione dignus videretur. Idcirco mandauit, in eo ſtatim templum conſtrui: neque iſtud opus aggredi abſque diuino impulſu, immo vero ipſo Saluatoris ſpiritu incitatum, in animum induxit. Olim enim viri impij, immo vero iſtorum ſubſidio vniuerſum dæmonum genus omni ſtudio incubuit, **CONSTANTINI STVDIVM ERGA LOCA SANCTA HIEROSOLYM.**
vt diuinum illud immortalitatis monimentum tenebris obrueret, obliuioneq. penitus deleret: ad quod quidem Angelus de cælo delapſus, luminis claritate refulgens, non ſolum lapidem reuoluebat ab illis, quorum animi inſtar lapidis obduruiſſent; verum etiam

E quem ipſi inter mortuos adhuc verſari putabant, cum mulieribus viuere annunciauit; et ad vitam & reſurrectionem illius, qui quærebatur, illuſtrandam, incredulitatis lapidem ab eorum mentibus amouit. Iſtud Saluatoris ſepulchrum impij quidam & ſcelerati homines ex hominum memoria delere cogitabant, & (quæ eorum inſcitia fuit) cenſebant veritatem ad hunc modum ſe poſſe occultare.

Itaque primum permultum capere laboris cœperunt in terra aliunde & extrinſecus inuehenda, qua locum vniuerſum obducerent. Deinde cum molè terræ in immenſam altitudinem erexiſſent, conſtrauiſſentq. lapidibus; diuinum ſepulchrum, ingenti aggere ſuper iniecto, obtegere. Poſt cum nihil iam illis ad opus explendum deeſſet, ſuper illum terræ cumulum nefandum reuera & execrabile buſtum animarum conſtruere, & receſſum laſciuæ Veneris dæmoni vna ædificare, ſimulacriſq. mortuis complere: tum deteſtabiles ibi victimas ſuper impuras aras & omni nequitiæ labe pollutas immolare. Nam non aliter illud quod inſtituerant

a Eunap. Sard. de Vit. Philoſoph. in Aedeſio.
b Socrat. lib. 1. c. 12.
c Euſeb. Vit. Conſtantin. lib. 3. c. 24. & ſequent.

ſe putabant ad exitum poſſe perducere, quàm vt per iſta nefanda ſcelera ſalutare illud ſepulchrum penitus obruerent. Verum miſeri illi neutiquam illud poterant intelligere, quòd Sol ipſe (modo terram ſuo ſplendore colluſtrare & conſuetum ſibi curſum in cælo obire pergeret) non poſſet præclarum illud facinus Chriſti, qui contra mortem tam præclara victoriæ trophæa fuiſſet adeptus, ita in obſcuro relinquere, illudq. vniuerſum hominum genus prorſus celare. Immo vero ſalutaris & diuina huius rei potentia & virtus, quæ non corpora, ſed animos hominum maxime ſolet illuminare, ſuæ lucis fulgore vniuerſum orbem terrarum compleuit. Verumtamen impiorum & nequam hominum molitiones contra veritatem paratæ longinquo tẽporis ſpatio proceſſerunt. Nemo enim vel ex Præfectis, vel ex Ducibus, vel ex ipſis Imperatoribus ad eorum conatus euertendos ſatis idoneus repertus eſt, præter vnum ſolum: qui quidem, vtpote Deo omnium gubernatori carus, & diuino eius afflatus ſpiritu, locum illum qui ſupra eſt demonſtratus, per fraudulentos hoſtium conatus omni impura materia obductum, & obliuione ignorationeq. obrutum iri, non paſſus eſt, neque auctorum eius facinoris ceſſit malitiæ; ſed Deo adiutore inuocato, illam terræ particulam hoſtium ſcelere contaminatam, in primis purgari iuſſit: quam quidem cenſuit admirabili & ſingulari Dei optimi maximi beneficio per illum potiri debere. A B

REPVRGANTVR LOCA SANCTA.

Confeſtim igitur eius mandato machinamenta ad homines in errorem inducendos comparata de ſublimi ad ſolum proſternere, & ædificia falſo cultui conſecrata vnà cum ſtatuis & dæmonibus diſturbare, diruereq. cœpit. Neque his rebus geſtis alacre Imperatoris ſtudium acquieuit, ſed deintegro mandatum dedit, vt materia eorum quæ erant deiecta, ſiue lapidea eſſet, ſiue lignea, tolleretur penitus, & quàm longiſſime extra loci fines eijceretur: cui quidem mandato rei exitus plane reſpondebat. Neque ſatis habebat Imperator in iſtis ſolis rebus expediendis progredi; ſed rurſum diuini numinis inſtinctu impulſus, iubet vt ipſum ſolum ad ingentem altitudinem defoſſum (quippe impura dæmonum contagione infectum erat) foras procul cum ipſo aggere exportaretur; quod eueſtigio effectum eſt. Simulatque vero ſolum terræ oppletum ſordibus egeſtum fuit, & aliud ſolum, id eſt locus ille monumenti, ex abditis terræ ſedibus eminebat, ipſum etiam venerandum & ſacroſanctum ſalutaris Chriſti reſurrectionis monimentum præter omnium ſpem vna emerſit; et ſepulchrum, quod merito ſanctiſſimum appelletur, reſurrectionis Saluatoris apte propterea expreſſit effigiem, quòd poſt tenebrarum caliginem, quibus quaſi ſepultum iacuiſſet, in lucem denuo prodijt, & illuſtrem ſane miraculorum ibi editorum viſum (qui reuera omni voce clarius Saluatoris reſurrectionem teſtificatus eſt) ſub aſpectu eorum, qui ad illud ipſum contemplandum veniebant, ſubiecit. C

RESVRRECTIONIS TEMPLVM ERIGITVR.

His rebus in hunc modum confectis, extemplo Imperator non modo ſacratis legibus ſanciuit, vt templum auguſtum circa ſalutare illud antrum extrueretur; verum etiam ſubſidijs ad eam rem ſuppeditatis (quippe hoc opus longo iam tempore apud animum propoſuerat, attentioreq. cogitatione proſpexerat quod erat futurum) illud magnifice ac ſplendide exædificandum curauit. Gentium igitur Præfectis Orientem verſus habitantium mandat, vt adiumentis neceſſarijs abundanter & copioſe ſubminiſtratis, opus eximium, amplum, & magnificum fabricandum curarent. Quinetiam ad Epiſcopum, qui id temporis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præerat, tales miſit litteras, quales ſinceram & ſalutarem de fide noſtra doctrinam plane & apertis verbis complexæ ſunt. ſic enim ſcribit: D

VICTOR CONSTANTINVS MAX. AVG. MACARIO S.

EPISTOLA CONSTANTINI AD MAC. EPISC.

Tanta Saluatoris noſtri erga nos benignitas declarata eſt, vt nulla tam accurata dicendi ratio & vis ſit, quæ præſens miraculum pro dignitate explicare poſſe videatur. Nam vt inſigne illud ſanctiſſimæ illius Paſſionis monimentum, quod terræ viſceribus abditum, tot tamq. multis annorum conuerſionibus iam delituiſſet, tum illuceſceret ſeruis Dei, cum illi, hoſte deuicto, in libertatem eſſent vindicati: omnem profecto hominum admirationem longe ſuperat. Etenim ſi omnes qui in vniuerſi orbis terræ ambitu ſapientes videntur, in vnum locum congregati, aliquid pro rei dignitate dicere aggrederentur, ne minimæ huius parti oratione ex æquo ſatisfacere poſſent: miraculi enim magnitudo tanto plus vniuerſum humanæ rationis & naturæ captum vincit, quanto res cæleſtes & diuinæ humanis ſunt valentiores. Quapropter hoc mihi vnum in primis propoſitum ſit ad dicendum, quòd ſicut vera fides ſeipſam quotidie nouis miraculis patefacit: ſic noſtri omniũ animi omni modeſtia & concordi alacritate ad ſanctas Euãgelij leges colendas attẽtiores fieri debent. Præterea illud quod cuique perſpicuũ eſſe arbitror, E

A arbitror, pro certo tibi in primis persuasum esse velimus, hoc nobis præ ceteris rebus omnibus maxime curæ esse, vt locus ille sacer, quem Dei iussu turpissima simulacrorũ mole, tamquam quodam graui onere imposito, purgauimus, quemq. vt primis Mundi tẽporibus, ipsius Dei iudicio sanctũ habitum esse, & postea etiã, quia fidem Passionis Saluatoris tamquam e tenebris in lucem euocarit, multo clariorẽ sanctitatis suæ significationem dedisse cognouimus, præclara ædificiorũ structura exornetur. Par est igitur, vt tua prudentia ita opus disponat, vt prouide res quasque accuret necessarias; quo nõ modo sanctuarium templi reliquis omnibus, quæ vbique sunt, pulchritudine antecellat, sed etiam ceteræ eius partes tales sint, vt omnia templa quæ in singulis ciuitatibus primas tenent, huius ædificij dignitate longe superentur. Ac de parietibus erigendis, exquisitoque artificio expoliendis, tum Draciliano amico nostro, qui nonnullas aliarum prouinciarum partes administrat, tum vestræ etiam prouinciæ Præfecto, scito a no-
B bis curam esse impositam. A nostra enim benignitate illis imperatum est, vt qui artifices, qui operarij, quæve res aliæ fuerint ad illud ædificium necessariæ, a tua prudentia discant, ac statim ipsorum prouisione eo mittantur.

Quod autem attinet ad columnas, ceterasq. partes marmore conficiendas, quas ipse existimaueris vel ad decus illustriores, vel accommodatiores ad diuturnitatem fore: cum eas quasi summatim tecum consideraueris, fac ad nos diligenter perscribas; vt cũ ex litteris tuis, quibus rebus opus fuerit, intellexerimus, vndique eædẽ illo comportari possint: nam locus ille, qui totius orbis terrarum facile primas fert, omnibus ornamentis merito illustrandus est. Testudinẽ vero sanctuarij laqueatam ne facere, an alio quodam fabricæ genere extruere placeat, abs te certior fieri velim. Quòd si fiat laqueata, scite quoque inaurari poterit. Restat igitur vt tua sanctitas illis, quorũ iudicio (vt supra dictũ est) rem permisimus, quibus operarijs, quibus arti-
C ficibus, quibus denique sumptibus opus fuerit, quàm celerrime significet. Quin etiã nos non solum de columnis, alijsq. partibus ex marmore conficiendis, verum etiam de testudinis laquearibus (si modo illud fabricæ genus pulchrius esse censeas) quàm ptimum facias certiores. Deus te, frater carissime, diu seruet incolumem.] hactenus Constantinus ad Macarium. Dracilianus autem iste, cui de templi constructione Constantinus mandatum dedit; ille ipse est, ad quem idem Imperator (vt dictum est) aduersus hæreticos rescriptum dedit. At quid post hæc factum sit, Eusebius subdit:

Ista (inquit) ab Imperatore præscripta fuerũt, rerumq. nulla interposita mora, prospere successit euentus. Atque ad illud salutare Christi monumentum noua Hierusalem ædificata est e regione veteris illius, quæ hominũ sermone iamdiu celebrata fuisset, quæq. post cruentã cædẽ Domini ad extremã vastitatem prolapsa pro impietate ciuium eam incolentium pœnas dede- *NOVA HIEROSOLYMA EXTRUCTA.*
D rit. Imperator itaque huic ex aduerso salutare victoriæ Christi contra mortẽ comparatæ monumentum (quæ fortasse recens est illa & noua Hierusalẽ Prophetarum oraculis prædicata, de qua vaticinationes pluribus verbis explicatæ plurima Spiritussancti instinctu canere videntur) liberali & abundanti sumptus magnificentia erigendũ, extruendumq. curauit. Et primum omnium sacrũ antrum, diuinum illud videlicet monumentum, ad quod olim Angelus fulgore enitens delapsus, spem regenerationis, quæ est a Saluatore nobis illic ostentata, omnibus annũciauit: primum inquã omnium Imperatoris magnificẽtia istud, velut totius ædificij caput, eximijs colũnis illustrare, & ornatu splendido maximoq. decorare, atque adeo varijs cuiusque generis insignibus illuminare cœpit. Deinde ad amplissimum templi locum libero cælo patentẽ exornandũ se contulit: cui & solum lapide eximio constratum, & porticus longis ambulacrorũ spatijs ex tribus lateribus circumdati, permultum decoris attulerunt. Aduerso autem lateri antri, *TEMPLI DESCRIPTIO.*
E quod Solem orientem spectabat, regale & augustale sanctuarium adiunctum fuit, opus plane eximium ad infinitam altitudinem erectum, longitudine & latitudine immensa patens. Cuius ædificij partes interiores, marmoris versicoloris materia incrustatæ: exterior autem parietum superficies politis lapidibus, qui commissuris quibusdam inter singulos interiectis colligabantur, exornata, singularem quamdam pulchritudinis speciem, eamque non minus ad aspectum illustrem, quàm si marmore obducta fuisset, præbuit.

Quod autem ad ipsa tecta in sublimi posita attinet: exteriores eorũ partes plumbea obtexit materia, quæ tamquam firmum munimentũ tempestuosos imbres depelleret. Interiores vero cælatis laquearibus affabre inter se cõpactæ, & tamquã vastum quoddã pelagus per vniuersum sanctuariũ coagmẽtationibus quibusdã inter se cõtinenter cohærentibus, diffusæ, dilatatæq. & fulgente auro passim coopertæ, totũ templum, velut lucis claritate, mire illuminarunt. Duabus porticibus partim subterraneis, partim supra terrã eminentibus, xysti gemini ex vtroque latere adiecti, in longitudinẽ sanctuarij porrigebantur: quorũ testudines erant auro insigniter & vario artificio

artificio illuſtratæ: ex quibus alter a frõte inferioris tẽpli columnis ingentibus ſuffulciebatur; A alter intro ſpectans, ſubſtratis poſtibus, magno extrinſecus ornatu decoratis erigebatur: tres portæ ad orientem Solem apte & eleganter diſpoſitæ multitudini ingredientium patuerunt. Iſtis ex aduerſo erat fornix dimidiati vniuerſi cæli circuli ſpeciem adumbrans in ſummo Sanctuario in orbem ductus: quem duodecim columnæ Saluatoris Apoſtolis numero pares, tamquam corona, cingebant, crateribus ex argento confectis circa faſtigia concinne expolitæ, quas Imperator Deo illic pro monimento pulcherrimo dicauit. Inde ad introitus pro templo locatos accedentibus area patuit.

Erant inibi vtrinque primo atrium, deinde porticus, ad extremum atrienſes portæ; poſt quas in ipſa media platea e foro eo deducente totius ædificij veſtibula perpolite conſtructa, iter illac facientibus admirabile viſu ſpectaculum, quod rerum intus fabricatarum pulchritudinem quodammodo monſtrabat, exhibuerunt. Iſtud vero templum, quo tamquam teſtimo- B nio ſalutaris Domini reſurrectio illuſtris & nota fiebat, extruxit Imperator: et quo totum illud magnifico & regali ornatu decoraret, inſignibus, quæ oratione explicari nequeunt, & monumentis auri, argenti, & lapidum pretioſorum materie diſtinctis & quaſi depictis, quæ erant numero fere infinita, adornauit. Quorum apparatum tum magnitudine, tum multitudine, tũ varietate, denique adeo artificioſe elaboratum, ſingillatim iam oratione proſequẽdi otium non datur.] hucuſque Euſebius de templo Hieroſolymitano. Fuiſſe autem operis architectum Euſtathium presbyterum Conſtantinopolitanum, S. Hieronymus in Chronico tradit [a]. Porro ipſum abſolutum, dedicatumq. eſſe anno trigeſimo Conſtantini maxima omnium celebritate, ſuo loco dicturi ſumus.

a Hieronym. in Chron. anno 30. Conſtantini Imp.

Ceterum quod ad nomen templi huius ſpectat, Cyrillus Hieroſolymitanus [b] ſcribit nominatum fuiſſe MARTYRION, hoc eſt, Teſtimonium; nempe Chriſti reſurrectionis monu- C mentũ & teſtem, idq. (vt ait) ex Prophetarũ oraculo. Dictũ idem reperitur ab alijs pluribus Baſilica Conſtantiniana: quam inter cõplura ornamenta fuiſſe etiam ſacris picturis decoratam, & inter alias Deiparæ imagine, Acta Mariæ Aegyptiacæ fidem faciunt, quæ recitantur in Nicæno Concilio [c], & a Ioanne Damaſceno [d]. Euſebius ea oratione quam in Conſtantini Tricennalibus habuit in laudem Imperatoris, tria ab eo tradit Hieroſolymis templa erecta eſſe, cum ait [e]: Quæ autem ſequuntur, in Palæſtina ab eo etiam geſta fuere. In media vrbe, quæ apud Hebræos primas obtinet, non modo Eccleſiam ampliſſimam, quæ ad memoriam Chriſti Paſſionis ædificata fuit, verum etiam templum ſanctum ſalutari ſigno Crucis dedicatum magnificis ſumptuoſisq. inſignibus exornauit: quin etiam monumẽtum Saluatoris, quod ſempiternæ memoriæ commendandum eſt, illiuſque trophæa contra mortem ſtatuta, ornamentis, quæ dicendo exprimi non poſſunt, cohoneſtauit.] ſed & de alijs meminit: at de his inferius. D

b Cyril. Catecheſ. 14.
c Nicæn. Concil. Act. 4.
d Ioan. Damaſc. de imagin. lib. 3.
e Euſeb. orat. in laud. Conſtãtin.

Subdit Euſebius [f], eumdem Conſtantinum in matris ſuæ memoriam, eius ſcilicet nomine, duo alia celeberrima templa ibidem ædificari iuſſiſſe, Bethlehem, vbi Chriſtus natus eſt, alterum, alterum vero in vertice montis Olìueti, vbi idem Dominus ad cælos aſcendit: ait enim: Eodem tempore, cum alia duo loca, quibus duo abdita & quaſi myſtica antra multum honoris & dignitatis afferebant, reperiſſet; ea magnifico apparatu ſumptuque honeſtare inſtituit: Ac primum illud, in quo primum Saluator noſter diuini numinis virtute in carne apparuit, honoribus decenter affecit: deinde alterum, quod fuit in cælos aſcenſionis monimentum, in ſummo montis vertice ſitum præclaris ornamentis illuſtrauit: atque iſta tam ſplendide decorauit loca, quo matris ſuæ memoriam, quæ tantum benignitatis hominum vitæ detuliſſet, immortalitati commendaret.] Ipſam namque diuino inſtinctu, licet ſenio prægrauatam, pietatis ergo Hieroſolymam petijſſe, idem Euſebius narrat his verbis: E

f Euſeb. Vit. Cõſtantin. lib. 3. c. 40. & ſequent.
ALIA TEMPLA A CONSTANTINO ERECTA.

Illa enim cum Deo omnium gubernatori debitum piæ mentis & affectionis munus impertire in animo haberet, & pro filio ſuo tanto & tam præclaro Imperatore, proq. liberis eius Cæſaribus Deo cariſſimis, ſuis nepotibus, gratias per preces agendas eſſe putaret, ætate iam ingraueſcente, ſingulari quodam conſilio, & prouida animi cogitatione vereq. regia, adducta: propere, inſtar adoleſcentulæ venit, tum ſacroſanctam terram oculis luſtratura, tum gentes Orientem incolentes, plebemq. pariter ac populi multitudinem conſpectura. Ac poſtquàm locis, in quibus Saluatoris erant impreſſa veſtigia, debitam venerationem adhibuerat, idque conuenienter prophetico ſermone dicente [g]: Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius: pietatis ſuæ monumenta, quibus poſt ſe relictis, poſteris hominibus prodeſſet, ſtatim fabricare aggreditur.

S. HELENA AVGVSTA HIEROSOLYMAM PETIIT.
Pſal. 131.

Iam Deo, quem adorauerat, duo dicauit templa: quorum alterum ædificauit in monte vbi aſcenderat, alterum ad obſcurum illud antrum natiuitatis eius. Etenim nobiſcũ Deus in terris

naſci

A nasci (locus autem illius natiuitatis proprio nomine apud Hebræos, Bethlehem, appellatur) pro nobis sustinuit. Ac propterea Imperatrix sanctissima Deiparæ partum eximijs monimentis exornare, & sacrum illud antrum varijs cuiusque generis insignibus illustrare studuit. Imperator autem paulo post eumdem locum ornamentis regalibus ornare, & monimentis ex auro & argento, varijsq. aulęis matris suæ magnificentiam adaugere cœpit. Rursus eius mater, quo omnium nostri Saluatoris in cælos ascensionis memoriam celebraret, excelsa quædam ædificia in monte Oliuarum extruere parat. Ac primum in summo totius montis vertice Sanctuarium Ecclesiæ Dei erexit: templumq. inferius etiam ædificauit in eo ipso antro, in quo (vt vera & sacrata Dei testantur eloquia) discipuli & Apostoli a Saluatore omnium arcanis mysterijs initiati fuerunt. Imperator quoque ibidem varijs monumentis & insignibus Regem magnum Deum veneratus est. Ista igitur duo templa memoria perpetua celebranda, augusta, & eximia in duobus obscuris quasi antris & mysticis Helena Augusta pij
B Imperatoris pia mater suæ piæ mentis tamquam indicia Deo Saluatori fundauit, filio suo ei opem per regiam suam potentiam & auctoritatem porrigente.

HELENAE PIVM STVDIVM.

Itaque illa neque adeo multo post præmia digna laboribus reportauit. Nam cum iam plene grandis esset, inq. omnium bonorum affluentia omne vitæ suæ tempus ad extremam vsque senectutem obijsset: et tum verbis, tum rebus ipsis veros pietatis fructus, quos præcepta Saluatoris præscribunt, extulisset; atque ita vitam suam florentem & expertem cuiusque molestiæ, valenti corporis simul & animæ virtute, transegisset: deinceps eximium pietatis suæ exitum & præclaram recte factorum a Deo remuneratione etiam in hac vita consequuta est.] hæc Eusebius. At priusquàm cetera ab eo narrata de rebus ab ipsa Helena gestis prosequamur, quæ ab alijs antiquis & spectatæ fidei auctoribus de tēplo in montis vertice tunc erecto scripta
C sunt, & a nobis primo Annalium Tomo descripta, hic breui compendio repetamus. Hieronymus [a] in primis, Paulinus [b], atque Seuerus [c] tradunt, in loco illo montis Oliueti, vbi Dominus, videntibus discipulis eleuatus, ascendit in cælum, impressa remansisse eius vestigia cunctis perspicua, eademq. diuino miraculo indelebilia facta esse, locumq. illum absque pauimento relictum, quòd solum ipsum excuteret quidquid ad ornatum loci desuper poneretur: insuper & qua recta linea cælum aspicitur, partē aeris, qua Dominus transijt, concamerari minime fornice potuisse, sed sic patentem esse relictam, indicem semitæ Domini ascendentis in cælum: de qua Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus [d]: Stat, inquit, ad hodiernum vsque diem mons Oliuarum, qui ascēdentem in nube oculis Fidelium modo commonstrat, & portam, qua ascendit in cælum, indicat.]

a Hieron. de locis Hebraic. in Act. Apost.
b Paulin ad Seuer. epist. 11.
c Seuer. hist. lib. 2.
MIRACVLVM IN STRVCTVRA TEMPLI.
d Cyril. Catech. 14.

Quod vero ad Basilicam ad Domini præsepe structam pertinet: fuisse locum illum, in quo
D Dominus natus est, tectum auro atque argento, eodem Tomo superius dictum est auctoritate Chrysostomi [e]. Demum Eusebius breui compendio singulas Basilicas tunc ibi ædificatas recensens, sex videtur enumerasse in ea oratione, quam habuit de laudibus Constantini, cum ait, primam erectam esse in memoriam Christi Passionis, secundam dedicatam in memoriam sanctissimæ Crucis, tertiam exædificatam in loco vbi sepultus est; quibus recēsitis, hæc addit [f]: Tria præterea loca tribus mysticis nostræ salutis antris nobilitata amplis & eximiis illustrauit ædificiis. Primum illi antro, in quo Christus Mundo primum apparebat, debitum decus impertiit. Deinde ad illius antri memoriam, vbi postremo assumptus est, in montis iugo monumentū præclarum extruxit. Ad extremum, antrum illud inter hæc duo interiectum, vbi Saluator totius suæ passionis quasi certamen obibat, victoriamq. Mundo salutarem ab hostibus reportabat, templo extructo, illustre reddidit.] hæc Eusebius: quæ quidem loca dilucidius distinguun-
E tur, ac pariter describuntur ab illis, qui de locis sanctis tractationes scripsere.

e Chrysost. in Luc. c. 2.
SEX TEMPLA ERECTA.
f Eusib. orat. in laud. Cōstantin.

Sed magna plane tenet omnes admiratio; quid sit quòd Eusebius ædificationem omnium harum Basilicarum relegens, & de Helena prolixiorem mentionem faciens, de Cruce ab ea inuenta ne verbum quidem! cum eam repertam esse sub Constantino, nulli sit dubium, sic scribente Cyrillo Episcopo Hierosolymitano ad Constantium Constantini ipsius filium Imperatorem: Tempore quidem (inquit) Deo dilectissimi & beatæ memoriæ Constantini patris tui salutare Crucis lignum Hierosolymis repertum est, &c.] Scimus tamen eumdem Eusebiū inuentionis S. Crucis in Chronico meminisse, sed alio (vt videtur) tempore, nempe anno decimoquinto Imperii Constātini, vbi hæc ait: Helena Cōstantini mater, diuinis admonita visionibus, beatissimum Crucis signum, in quo Mundi salus pepēdit, apud Hierosolymam reperit.] Ceterum quòd Eusebii Chronicon a librariis admodum esse deprauatū, in fine anni superioris euidētissime demōstrauerimus; et in eodē Chronico appareat, etsi in numero annorū Cōstantini sit error, tamen cōstare ibi positā Crucis inuentionē anno sequenti post Nicænū Conciliū:

CRVX INVENTA TEMPORE CONSTANTINI.

non immerito ſane ab antiquis omnibus Græcis auctoribus hoc anno, nempe ſequenti a Ni- A
cæno Concilio, aduentus Helenæ Hieroſolymam, & Crucis inuentio poni videtur. At non
a Zonar. Annal. tom. 3.
audiendus omnino Zonaras [a], dum ait, Helenam poſt baptizatum Conſtantinum adſcito ſibi
comite S. Silueſtro Hieroſolymam profectam eſſe: commentum enim iure dicẽdum eſt, quod
nulla vel maiorum traditione probatur, vel antiquorum ſcriptorum auctoritate fulcitur. Sed
& alia complura minus ſolidæ veritatis itidem in hiſtoriam inuentionis ſanctiſſimæ Crucis
non nuper, ſed antiquitus irrepſere, quæ Gelaſius Romanus Pontifex ſic reliquit dubia atque
incerta, vt in arbitrium prudentis lectoris reijciat, qui ſeparare ſciat pretioſum a vili & verum
a falſo, vt æqua lance cunctis examinatis, recto libramento omnia iudicet. Verum reddamus
b Gelaſ. in Rom. Concil. c. de libris auth. & apocryph.
hic verba Gelaſij [b]: Item ſcripturã (inquit) de inuentione Crucis Dominicæ, & aliam ſcriptu-
ram de inuẽtione capitis Ioannis Baptiſtæ, nouellæ quædam reuelationes ſunt, & nonnulli eas
Catholici legunt: ſed cum hæc ad Catholicorum manus adueniunt, beati Pauli Apoſtoli præ- B
c 1. Theſſal. 5.
cedat ſententia [c]: Omnia probate, quod bonum eſt tenete.] hæc ipſe. Nos autem, ex more, quæ
nouimus antiquioribus Patribus eſſe probata, omniumq. fide recepta, hic deſcribemus, cetera
vero legentium arbitrio relinquentes.

Ambroſius igitur rem geſtam coram ampliſſimo magiſtratus conſeſſu ſic pro concione re-
d Ambroſ. orat. in fun. Theodoſ.
cenſuit [d], cum laudes Theodoſij Imperatoris defuncti egregia proſequutus eſt oratione: Ve-
CRVCIS INVENTAE HISTORIA A S. AMBROSIO RECITATA.
nit ergo Helena, cœpit reuiſere loca ſancta: infudit ei Spiritus, vt lignum Crucis requireret.
Acceſſit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pugnæ: vbi eſt victoria? Quæro vexillum ſalutis, &
non inuenio. Ego (inquit) in regnis: et Crux Domini in puluere? Ego in aulis: et in ruinis
Chriſti triumphus? Ille adhuc latet: et latet palma vitæ æternæ? Quo modo me redemptam
arbitror, ſi redemptio ipſa non cernitur? Video quid egeris, diabole, vt gladius quo perem-
ptus es, obſtrueretur. Sed Iſaac obſtructos ab alienigenis puteos eruderauit, nec latere aquam C
paſſus eſt. Tollatur igitur ruina, vt vita appareat. Promatur gladius, quo veri Goliæ caput
eſt amputatum. Aperiatur humus, vt ſalus fulgeat. Quid egiſti, diabole, vt abſconderes
lignum, niſi vt iterum vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit Triumphatorem, quæ ſine im-
minutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, & mortuus ſubiugaret. Vin-
ceris & hodie, vt mulier tuas inſidias deprehendat. Illa quaſi ſancta Dominum geſtauit;
ego Crucem eius inueſtigabo. Illa generatum docuit, ego reſuſcitatum. Illa fecit vt
Deus inter homines videretur: ego ad remedium peccatorum diuinum de ruinis eleua-
bo vexillum.

Aperit itaque humum: decutit puluerem: tria patibula confuſa reperit, quæ ruina conte-
xerat, inimicus abſconderat. Sed non potuit obliterari Chriſti triumphus. Incerta hæret,
vt mulier; ſed certam indaginem Spiritus ſanctus inſpirat, eo quòd duo latrones cum Domi- D
no crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum: ſed poterat fieri, vt patibula inter ſe rui-
na confunderet, caſus mutaret, & inuerteret. Redit ad Euangelij lectionem: inuenit quia in
medio patibulo prælatus titulus erat, IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. Hinc
collecta eſt ſeries veritatis, titulo Crux patuit ſalutaris. Hoc eſt quod petentibus Iudæis Pi-
e Ioan. 19.
latus reſpondit [e]: Quod ſcripſi, ſcripſi: id eſt, non ea ſcripſi quæ vobis placerent, ſed quæ ætas
futura cognoſceret: non vobis ſcripſi, ſed poſteritati: propemodum dicens: Habeat Helena,
quæ legat, vnde Crucem Domini recognoſcat. Inuenit ergo titulum: Regem adorauit, non
lignum, quia hic Gentilis eſt error & vanitas impiorum: ſed adorauit illum qui pependit in li-
gno, ſcriptus in titulo: illum qui ſicut ſcarabæus clamauit, vt perſecutoribus ſuis peccata do-
naret. Auida mulier feſtinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare ſacra-
mentum ſalutis. Læto corde & trepidante veſtigio quid faceret, neſciebat. Pertendit tamen E
ad cubile veritatis. Lignum refulſit, & gratia micuit.] hucuſque de Crucis inuentione: quæ
autem ſubdit de clauis, paulo poſt dicturi ſumus.

Quòd autem ait S. Ambroſius, S. Helenam, tribus inuentis Crucibus, ad diſcriminationem
CRVCIS DOMINICAE MANIFESTATIO QVOMODO FACTA.
Crucis Domini ab illis quæ latronum eſſent, vſam eſſe titulo indice: diſcrepant plane (vt di-
ctum eſt alias) ab eo ceteri omnes antiqui ſcriptores, & inter alios eiuſdem ſæculi auctores
S. Paulinus Nolanus Epiſcopus, atque Ruffinus. Ille enim ad Seuerum ſcribens nonnulla
alia habet quæ in Ambroſio deſiderari videntur: ea ergo a nobis hic deſcribantur: ſic enim
f Paulin. epiſt. 11. tom. 9 Biblioth. ſanct.
exorditur [f]: Sed in hiſtoria Crucis accipire magnum & vere diuinum miraculum. Regina
illa venerabilis vt venit Hieroſolymam, diligenter & pie locis illis, & circa omnibus, diuinorũ
curioſa inſignium, & oculis haurire geſtiens fidem, quam pijs auribus litteriſq. perceperat;
Crucem Domini ſtudioſiſſime perquirere adorſa eſt.] et inferius: Itaque non ſolum de Chri-
ſtianis doctrina & ſanctitate plenos viros, ſed & de Iudæis peritiſſimos, vt propriæ, qua miſeri,

& glo-

A & glorientur impietatis, indices exquisiuit, & accitos in Hierosolymam congregauit. Tum omnium vna de loco testificatione confirmata; iussit illico, vrgente sine dubio conceptæ reuelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi.] Par est credere ex ijs quæ tradit Paulinus, Rabinos illos in consilium adhibitos, traditionem Iudæorum reserasse, cuius meminimus primo Annalium Tomo; nimirum moris fuisse, instrumenta quibus sonti alicui illata mors esset, iuxta eum consepeliri: quamobrem cum constaret de loco, vbi sepultus Dominus esset, omnium sententia fuisse decretum, ab eodem proximo loco terram effodere.

Sed subdit Paulinus: Parataque mox ciuium pariter & militari manu, breui laborem istius molitionis hausit; et contra spem omnium, sed secundum tantum ipsius Reginæ fidem alta egestione reseratis terræ finibus, abditæ Crucis arcana patuerunt. Sed cum tres pariter Cruces, vt quondam fixæ Domino & latronibus steterant, repertæ fuissent; gratulatio repertarum B cœpit anxia dubitatione confundi iusto piorum metu, ne forsitan aut per * Crucem Domini patibulum latronis eligerent, aut salutare lignum pro stipite latronis abijciendo violarent. Respexit pias fideliter æstuantium curas Dominus, & ipsi potissimum, quæ tam piæ sollicitudinis princeps erat, huius consilij lumen infudit, vt aliquem recens mortuum inquiri & inferri iuberet. Nec mora, verbum factum, cadauer illatum est; deponitur; iacenti vna de Crucibus admouetur, sed earum ligna mors spreuit. Postremo Dominicam Crucem prodit resurrectio: et ad salutaris ligni tactum, morte profuga, funus excussum & corpus erectum est; tremefactisque viuentibus, stetit mortuus, & funebribus, vt Lazarus quondam, vinculis expeditus, illico inter expectatores suos rediuiuus incessit. Ergo Crux Domini tot operta ætatibus, & Iudæis in tempore Passionis abscondita, neque Gentibus in ædificatione fani, terram sine dubio ad ipsam fabricam egerentibus, reuelata est: non ne diuina manu latuit, C vt nunc inueniretur, cum religiose quæreretur? Ita (vt Crucem Christi decuit) experimento resurrectionis inuenta & probata Crux Christi est, dignoque mox ambitu consecratur, condita in Passionis loco Basilica, quæ auratis corusca laquearibus, & aureis diues altaribus, arcano positam sacrario Crucem seruat: quam Episcopus vrbis eius quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium promit.] hucusque de Crucis inuentione Paulinus. Confirmat id ipsum Seuerus, qui & ex resurrectione extincti cadaueris Cruci admoti, Crucem Christi innotuisse testatur[a].

* pro Cruce

MIRACVLVM IN CRVCIS INVENTIONE.

Ruffinus autem non mortuum reuocatum ad vitam, sed semineccem feminam restitutam tradit incolumitati, cum ait[b]: Accidit in eadem vrbe, primariam quamdam loci illius feminam graui ægritudine confectam, semineccem iacere. Macarius per idem tempus Ecclesiæ illius Episcopus erat. Is vbi cunctantem Reginam, atque omnes pariter qui aderant, videt; D Adferte, inquit, huc totas quæ repertæ sunt Cruces, & quæ sit quæ portauerit Dominum, nunc nobis aperiet Deus. Et ingressus cum Regina pariter & populis ad eam quæ decumbebat, defixis genibus, huiuscemodi ad Deum precem profudit: Tu Domine, qui vnigenitum Filium tuum salutem generi humano per Passionem Crucis conferre dignatus es: et nunc in nouissimis temporibus adspirasti in corde ancillæ tuæ perquirere lignum beatum, in quo salus nostra pependit: ostende euidenter ex his tribus, quæ Crux fuerit ad Dominicam gloriam, vel quæ extiterit ad seruile supplicium: vt hæc mulier, quæ semiuiua decumbit, statim vt eam lignum salutare contigerit, a mortis ianuis reuocetur ad vitam. Et cum hæc dixisset, adhibuit primo vnam ex tribus, & nihil profecit; adhibuit secundam, & ne sic quidem aliquid actum est: vt vero admouit tertiam, repente adapertis oculis mulier consurrexit, & stabilitate virium recepta, alacrior multo, quàm cum sana fuerat, tota domo discurrere & magnificare E Dei potentiam cœpit. Sic euidenti indicio Regina voti compos effecta, templum mirificum eo in loco, in quo Crucem repererat, regia ambitione construxit.] in hunc modū de inuenta Cruce Ruffinus: eadē quoque Theodoretus[c], Socrates[d], atque Sozomenus[e]. Sed & vtrumque miraculum accidisse Nicephorus[f] tradit, cum subdit: Dicunt quoque, postea mortuo prorsus Crucem impositam, in vitam illum repente reuocasse.]

a Seuer. hist. lib. 2.

b Ruffin. hist. lib. 1. c. 7. 8.

DIVERSA DE MIRACVLO EDITO RVFFINI RELATIO.

Addit ad hæc Sozomenus, in altera parte antri illius, in quo sepulchrū Domini inuentū fuit, tres illas esse Cruces repertas, & tabellā tituli seorsum positā: vt non sit mirū si post trecentos septem minus annos Cruces subtus terrā absconditæ non penitus emarcuerint: nam (vt taceamus de ligno Crucis Christi, quam a putrefactione potuit miraculum præseruasse) quòd aliæ duæ integræ sint repertæ, non potuit alia ratione contingere: sic etiam nec eas fuisse ex diuersa ligni materia, sed & sicut illam, ex ligno, quod cariem non admitteret, possumus intelligere. Rursū vero apparet nec fuisse figura distinctas, quas oportuit discriminari miraculo, sed eamdē omnes tres illas imaginē reddidisse, quæ a S. Irenæo[g] de Christi Cruce loquente his verbis describitur:

c Theodoret. lib. 1. c. 18.

d Socrat. lib. 1. c. 13.

e Sozom. lib. 2. c. 1.

f Niceph. lib. 8. c. 29.

g Iren. lib. 2. c. 42.

CRVX QVALIS.

describitur: Ipse habitus Crucis fines & summitates habet quinque, duos in longitudinem & duos in latitudinem, vnum in medio, in quo requiescit qui clauis affigitur.] nam si aliter contigisset, ex Crucis figura quam Irenæus expressit, qui longe ante hæc tempora scripsit, satis Crux Christi quæ esset, intelligi absque experimento miraculi potuisset. A

a Sozom. lib. 2. c. 1.
b Theodoret. lib. 1. c. 18.
c Socrat. lib. 1. c. 13.
CRVX IN PARTES DIVISA.
d Ruffin. lib. 1. c. 8.

Crucis autem inuentæ partem alteram Hierosolymis esse relictam, alteram vero ad Constantinum allatam, idem Sozomenus affirmat [a], nec non Theodoretus [b]: Quam (inquit Socrates [c]) vbi Constantinus accepisset, ratus ciuitatem, in qua illa seruaretur, omnino saluam & incolumem fore, in suam ipsius inclusit statuam, quæ Constantinopoli in foro, quod ab ipso Constantino nomen traxit, super columnam ingentem ex lapide porphyriteo confectam collocata est. Istud quamquam ipse auditione solũ accipiens, scriptis mando: tamen omnes fere, qui Constantinopolim incolunt, verum esse affirmant.] huius quoque tunc factæ Crucis diuisionis Ruffinus [d] meminit. Ceterum haud magna potuit esse Crucis portio illa quæ aliquo statuæ membro includeretur: sed particula aliqua ibi recondita, reliquam constat Romam esse perlatam, & in Basilica ad Atrium Sessorianum, de qua diximus, collocatam. B

e Paulin. epist. 11.
LIGNVM CRVCIS MVLTIPLICATVM.
f Cyril. Catech. 10.

At non hanc tãtum passa est Crux ipsa diuisionem: sed vt de partibus alijs, & ex alijs subdiuisis dicere prætermittamus; ex maxima illa omnium portione quæ Hierosolymis relicta erat, Fidelibus eò peregrinantibus, pietatis ergo, & pro mercede longi itineris, aliquid ex Dominicæ Crucis ligno sibi impertiri obnixe petentibus, a loci Episcopo erat solitum frustum concedi: sed operante diuina virtute iugi miraculo (quod ait [e] S. Paulinus, & nos alibi diximus) Crux in materia insensata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, vt detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie diuiduam sumentibus, & semper totam venerantibus: sed istam imputribilem virtutem & indetribilem soliditatem de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.] ita Paulinus. Sed & S. Cyrillus Hierosolymitanus Antistes, qui his temporibus vixit, & interfuisse potuit eiusdem Crucis inuentioni (nam sub Constantio filio Constantini eidem sedi post Maximum Macarij successorem fuit præfectus Episcopus) de Crucis innumerabiles fere per partes facta diuisione hæc habet Catechesi quarta: Ligno Crucis vniuersus terrarum Orbis per partes repletus est.] ac rursum Catechesi decimatertia: Per particulas ex hoc loco per vniuersum Orbem sparsum est.] Qui item de multiplicatione in Crucis diuisione diuinitus impartita, quam Paulinus testatur, testis fidelis accedere videtur, cum ait [f]: Quinque panes testantur in quinque millia multiplicati. lignum Crucis testatur, ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos qui secundum fidem ex illo capientes, hinc vniuersum Orbem fere iam replerunt.] hæc igitur a Cyrillo tertium repetita & a S. Paulino disertis verbis asserta, ora obstruunt subsannantium hæreticorum, atque adeo obiectantium, quo modo fieri possit, vt Crux vna tot in partes toto reperiatur Orbe diffusa. Sed quod rursus ad Crucis inuentionis narrationem spectat: circumfertur historia, in qua inter alia narratur de Iudæo quodam, Iuda nomine, qui secretum locum, in quo Crux haberetur abscondita, reuelauit: eumdemque virum redditum Christianum, nominatum fuisse Cyriacum, cuius etiam mentio cum in libro de Romanis Pontificibus [g], tum etiam apud Gregorium Turonensem habetur [h]. C D

g In Eusebio Papa.
h Greg. Turon. hist. lib. 1. c. 36.
DE CLAVORVM INVENTIONE.
i Socrat. lib. 1. c. 13.
k Ambros. orat. in fun. Theodos.

Quod autem ad repertos clauos pertinet: eos non fuisse tam longa temporis diuturnitate consumptos rubigine, sed eodem in antro in monumento positos & inuentos testatur Socrates [i]: adeo vt non opus fuerit eosdem ab alijs alio miraculo discriminari, vt vidimus factum de Cruce. De inuentione vero eorumdem clauorum ijdem omnes citati superius auctores affirmant; et quem primum ordine posuimus, Ambrosius hæc de his tradit [k]: Quæsiuit clauos, quibus crucifixus est Dominus: et inuenit. De vno clauo frenos fieri præcepit, de altero diadema intexuit; vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit. Visitata est Maria, vt Euam liberaret: visitata est Helena, vt Imperatores redimerentur. Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexas Crucis redemptionis diuinæ gemma connecteret: misit & frenum: vtroque vsus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros Reges. Principium itaque credentium Imperatorum, sanctum est, quod super frenum, ex illo fides, vt persecutio cessaret, deuotio succederet.] et paulo post: Recte in capite clauus, vt vbi sensus est, ibi præsidium: in vertice corona, in manibus habena. Corona de Cruce, vt fides luceat; habena quoque de Cruce, vt potestas regat, sitque iusta moderatio, non iniusta præceptio.] ac post multa eodem argumento tractata: Quid ergo, inquit, aliud egit Helenæ operatio, vt frena dirigeret, nisi vt omnibus Imperatoribus sancto dicere Spiritu videretur: Nolite fieri sicut equus & mulus: sed in E

freno

A freno & camo maxillas eorum constringeret, qui se non agnoscerent Reges, vt regerent sibi subditos?] Alludit & inter alios Theodoretus [a] de clauo in freno posito ad id quod olim per Zachariam Prophetam [b] prænunciatum fuerat: In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domino.] Sed hoc S. Hieronymo [c] explicanti verba Prophetæ parum arridet.

a Theodoret. hist. lib. 1. c. 18.
b Zachar. 14.
c Hieron. in Zachar. c. vltim.

Cum autem tres saltem clauos, quibus Cruci affixus est Dominus, esse oportuerit (cuius crucifixionis speciem exhibent hodie eiusdē Christi crucifixi imagines) ex illorū duobus frenum esse confectum tradunt (licet frenos quasi plures Ruffinus [d] dicat) tertio autem regium diadema compactum. Verum quatuor potius fuisse clauos Gregorius Turonensis, qui ante mille & centum propemodum annos vixit, constanter affirmat: et de singulorum vsu hæc scribit [e]: Speciosi autem, omnique metallo nobiliores Dominicæ Crucis claui, qui beata membra tenuerunt, ab Helena Regina post ipsius sacræ Crucis inuentionē reperti sunt: et de duo-
B bus quidem frenum Imperatoris muniuit, quo facilius si aduersæ genres restitissent Principi, hac virtute fugarentur. de quibus non est ignotum Zachariam vaticinasse Prophetam, &c.] ac mox subdit de vsu claui tertij: Eo enim (inquit) tempore Hadriaticum mare magnis fluctibus mouebatur: in quo cum frequentia erant naufragia & demersio hominum, vt Vorago nauigantium diceretur: tunc prouida Regina condolens excidia miserorum, vnum ex quatuor clauis deponi iubet in pelagus, confisa de Domini misericordia, quòd sæuas fluctuum commotiones facile posset opprimere. Quo facto, redditur mare quietū, tranquillaque deinceps nauigantibus flabra præstantur. Vnde vsque hodie nautæ sanctificatum mare venerantur, & cum ingressi fuerint, ieiunijs, orationibus, & psalrerio vacant. Clauorum ergo Dominicorum gratia, quòd quatuor fuerint, hæc est ratio: duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis.] hæc ipse: nonnullæ enim antiquæ Christi Domini Cruci affixi imagines id quidē ex-
C primūt, vt seorsum pedes singuli Cruci habeantur affixi: licet aliæ, eædemque frequentiores (quòd recentior vsus id recepisse videatur) pedum plantis inuicem superpositis, vnico tantum clauo prominentiori suppedaneo ligno Cruci inhærente confixis, vbique visantur eiusdem Crucifixi imagines sculptæ, vel pictæ.

d Ruffin. hist. lib. 1. c. 8.
QVOT CLAVIS CHRISTVS CRVCI CONFIXVS.
e Gregor. Turon. de Glor. martyr. c. 6.

De quarto autem clauo Gregorius ait ipsum in galea statuæ Constantini fuisse positum: testaturq. post alios id ipsum Zonaras [f]. At cum omnium sententia constet, clauum positum in corona, qua ipse vti soleret Constantinus: puro potius coronam simulacro impositam, ad illius, quam gestare soleret Imperator, exemplum, esse compositam, quàm illam reuera alio clauo Crucis ornatam fuisse. Sed quæ Gregorius scribit de freno ex duobus clauis affabre facto: hæc idem habet, dum res gestas enarrar quæ sub Iustino Imperatore, eodem quo auctor vixit sæculo, contigerunt: Magnam (inquit [g]) ferunt virtutem esse huius freni: quod
D ambigi nequaquam potest, quod Iustinus Imperator publice expertus est, ac suis omnibus patefecit. Illusus enim a quodam mago propter pecuniam, emissas sibi a dæmonis vmbra intolerabiles per duarum curricula noctium sustulit insidias: sed cum tertia nocte frenum capiti collocasset, locum insidiandi inimicus vltra non habuit: repertumque auctorem insidiarum gladio perculit.] hæc Gregorius.

f Zonar. par. 3. Annal.
g Greg. Turon. de Glor. martyr. vbi supr.
DE FRENO MIRACVLVM.

Quòd vero claui, quibus Cruci suffixus est Christus, plures diuersis in locis hodie reperiri dicantur: nihil est quòd pluribus quàm tribus, vel ad summum quatuor, Christi manus & pedes confixos esse putemus: licet multa extent exempla sanctorum martyrum, & inter alia quod S. Ambrosius recitat [h] de martyre multiplicibus clauis affixo patibulo. Ait enim ipse, cum agit de inuentione Agricolæ martyris crucifixi: Nos legimus martyris clauos, & multos quidem, & plura fuerunt vulnera, quàm membra.] Sed fortasse accidit, vt ex aliquo clauorum
E Christi modica singulis accesserit ferri portio; vel potius, deperditis antiquioribus rem testantibus monumentis, claui illi quibus compacta sunt ligna sanctisimæ Crucis, crediti ipsi fuerint, quibus Christi membra Cruci fuerunt infixa: nisi forte alicubi accidit, vt clauus alìquis inter sacras reliquias asseruatus, quo mystica membra Christi, nempe martyr quispiam confixus est, idē vnus ex ipsis Passionis Christi clauis fuerit existimatus. Quidquid sit, fides (quod ait Ambrosius) purgat facinus: cum nemo Fidelium ferrū colat, sed Christi potius Passionem veneretur, & adoret in ferro. Sed ad Helenam redeamus.

CLAVORVM CHRISTI MVLTIPLICITAS VNDE.
h Ambros. ad Virg. exhort.

Reliquit Hierosolymis etiam (inquit Ruffinus [i]) indicium hoc religiosi animi Regina venerabilis: Virgines quas ibi reperit Deo sacratas inuitasse ad prandium, & tanta eas deuotione curasse dicitur, vt indignum crederet, si famularum vterentur officijs; sed ipsa manibus suis, famulæ habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & Regina Orbis ac mater Imperij famularum Christi se famulam deputaret.] ita Ruffinus. Porro tantam rem Græcorum quoque scriptorum monumentis esse proditam, &

i Ruffin. lib. 1. c. 8.
HELENAE PIETAS.

a Theodoret. lib. 1. c. 18.
b Socrat. lib. 1. c. 13. in fin.
c Sozom. lib. 2. c. 1.
d Euseb. Vit. Cõstantin. lib. 4. c. 28.
e Euseb. Vit. Cõstantin. lib. 3. c. 43. 44.

egregie testatam relictam, scimus, nẽpe a Theodoreto[a], Socrate[b], atque Sozomeno[c]: omittimus recensere innumeros pene alios recentiores eiusdem gestæ rei egregios laudatores. A
Coluisse plurimum & eius filium Constantinum sanctas Dei virgines, easque ex publico aluisse, præter illa quæ superius dicta sunt, Eusebius[d] testatur his verbis: Maximis autem eos honoribus prosequebatur, qui vitam suam cælesti philosophiæ dedicassent. Sanctissimum ergo perpetuarum virginum cœtum constanter colebat, quòd in earum mentibus Deum ipsum, cui se consecrarant, inhabitare crederet.] Rursum vero de eadem Helena hæc idem habet Eusebius[e]:

Porro autem dum regiarum opum magnificentia instructa omnem Oriẽtem peragrat, cum vniuerso populo quasque ciuitates incolenti simul, tum priuatim singulis eorum qui ad ipsam accedebant, infinita munera largita est. Infinita etiam ordinibus militaribus quasi plena manu distribuit. Quæ vero pauperibus, omnibus rebus nudatis, omnique ope & auxilio destitutis dispertierit, vix enumerari possunt: quippe in alios grandem pecuniarum vim conferre, B aliis corporis regumenta prolixe & largiter suppeditare, vinculis eripere alios, alios tum laboribus in metallis offodiendis afflictatos, tum fraude & iniuria oppressos liberare, denique ab exilio alios in patriam reuocare dignata est. Quæ quidem, licet eiusmodi rebus esset insigniter nobilitata, alia tamen in Deum pietatis munera minime neglexit. Nam vbique cernebatur in Ecclesiam Dei intrare, templaque splendidis exornare monumentis: inque ædes sacras, vel in minimis vrbibus extructas suam benignitatem ostendere licebat: prætcrea eam & decoro eximioque apparatu admirabilem videre sæpe versari cum multitudine, & verum cultum erga Deum omnibus pijs vitæ officijs declarare.] hæc Eusebius.

LVCIANI MARTYRIS BASILICA.

Reliquit in ea peregrinatione S. Helena & illud pietatis suæ nobile monumentum, nempe egregiam Memoriam Luciani martyris Drepani in Bithynia regia munificentia excitatam. C Recens quippe erat in mentibus hominum tanti martyris certaminis recordatio, & insigne quod post martyrium fuerat de corpore eius in mare demerso subsequutum miraculum, cum delphinorum dorso delatum esset ad litus, quando (vt ferebat iniqua temporis conditio) Drepani fuit humili sepultura donatum. Hæc igitur omnium ore vulgata, cum S. Helena percepisset, quæ erat sanctorum martyrum studiosissima, digno trophæo triumphum martyris ornare decreuit; atque illic, vbi Drepani est collocatum eius corpus, sumptuosam desuper Basilicam erigendam curauit. Testantur hæc eiusdem Luciani Acta martyrij antiquitus scripta, in quibus istæc in fine leguntur[f]: Postea autem quàm nobis salutarem Domini restituit Crucem, quæ Magnum inter claros Imperatores genuit Constantinum, veneranda Helena, quando reuertebatur Hierosolymis, locum honorans, & in eo condidit ciuitatem, conuocatis habitatoribus ex ijs quæ circum circa erant regionibus, & effectis operis participibus, & validis eam cinxit mœnibus, & martyri templum ædificauit maximum, quod nunc quoque insigne & pulchre extructum cernitur ab ijs qui & terra & mari ingrediuntur ac nauigant.] D

f Recitat Metaph. die 7. Ianuar. apud Sur. tom. 1.

HELENOPOLIS HELENOPONTVM.

g Sozom. lib. 2. c. 1. in fin. Niceph. lib. 8. c. 31.
h Collat. 14. constit. 28. incip. Quod pulchre.

Filius autem, qui ad omnia sumptus copiosissimos suppeditabat, Constantinus, voluit a matris nomine ciuitatem redditam ampliorem, Helenopolim appellari; quod Sozomenus[g] atque alij post eum affirmant. Sed & Pontum ipsum, Polemaicum antea dictum, a matre sua, Helenopontum, voluit nominari. testatur id Iustinianus in Nouella constitutione, cum ait[h]: Ab omnibus, Helenopontus, nuncupator: quod illi nomen a pientissimo Principe Constantino impositum est, occasione honestissimæ suæ matris, Helenæ scilicet pientissimæ mulieris: quæ nobis etiam sacrum Christianorum lignum inuenit. Vetus enim illud nomen Polemonis, quo plerique in Ponti Tyranno vsi fuerunt, dehinc quiescito: primum quia Tyranni extitit: secundo quia de suo nomine vrbem appellatam habet, scilicet Polemonium: tum E etiam quia pulchrius fuerit regiones Christianorum & Regũm nominibus designare, quàm ijs quæ Polemi, hoc est belli & tumultus, notionem præseferunt.] hæc ibi. At non vnam tantum, sed duas ciuitates a Constantino erectas Helenæ matris nomine, Sozomenus[i] affirmat, alteram nempe, de qua actum est, in Bithynia, alteram vero in Palæstina: sed repugnant ijs quæ tradit Socrates his verbis[k]: Quòd autem Imperator in condendis vrbibus multum studij posuerit, quòd ex nonnullis vicis ciuitates effecerit, vt Drepanum matris nomine appellarit, vt Constantiam sororis Constantiæ nomine nuncupatam in Palæstina ædificarit: litteris in præsentia mandare, minime opportunum arbitror.] in hunc modum Socrates, quod & verius esse probatur, cum ciuitas nulla reperiatur in Palæstina, quæ fuerit Helenopolis appellata. Fuit autem apud Antiochiam ad Daphnidis lucum celebris memoria Helenæ, dicta, Augustale, vbi idem Constantinus Imperator Helenæ suæ matris statuam collocauit. hæc apud Suidam[l].

i Sozom. lib. 2. c. 2. in fin.
k Socrat. lib. 1. c. 14.
l Suid. in verb. Augustale.

At quæ

A At quæ de Helenæ obitu Eusebius & alij veteres narrant, his intexamus: cum enim quoto potissimum anno Domini defuncta ipsa fuerit, incompertum penitus habeatur, neque obitum eius certis consignare Consulibus concessum sit: hic, vbi de rebus ab ea gestis agitur, eius quoque beatum finem annectere, haud erit incongruum: cum tamen affirmare non dubitemus aliquot illã amplius vixisse annos, vtpote quæ octogenaria ætate ex hac vita decessit. De ea enim Eusebius hæc narrat[a]: Demum vero cum naturam viuendi satietate expleuisset, & ad meliorem statum euocaretur; octogesimumque fere ætatis suæ annum confecisset, & ad extremum vitæ exitum prope venisset: decreuit secum, statuitque coram Imperatore filio suo, vnico Principe Mundi potentissimo, huiusque liberis Cæsaribus nepotibus suis, testamentum suum facere: et sigillatim nepotibus suas, quæ sibi in toto orbe terrarum suppeterent, facultates dispertire. Quibus rebus hunc in modum constitutis, suo filio tanto & tam B eximio Imperatore ipsi præsto assistente, sedulo inseruiente, & manus illius tenente, finem ita viuendi fecit, vt beatissima quidem iure optimo non mori prudentibus videretur, sed vitam caducam & fragilem cum cælesti & æterna reuera commutare. Anima igitur corporis compagibus soluta, ad immortalem & angelicam naturam, atque adeo ad ipsum Saluatorem assumpta est.

DE HELENAE OBITV.

a Euseb. Vit. Constan. lib. 3. c. 45. 46.

Eius autem tabernaculum splendidis exequiis decoratum: nam maxima satellitum turba ad ciuitatem, quæ principem locum tenet Imperij, deportatum fuit; ibique regali sepulchro conditum. Sic igitur Imperatoris mater diem suum obijt: quæ quidem est immortali plane memoria celebranda, non modo propter pia vitæ officia, sed etiam propter eximium illud & admirabile germen ab ea editum, Constantinum dico; quem quidem cum ob ceteras res omnes, tum ob pietatem in parentem & procreatricem suam, beatum iudicare, par est: qui C illam, cum iam antea pietate minime esset imbuta, ita piam reddidit, vt a primo tempore ætatis ab ipso cõmunis omnium Saluatoris ore instituta fuisse videretur: ita etiam honore regio exornauit, vt cũ apud omnes gẽtes, tum apud eos qui in aliquo gradu militari collocati essent, Augusta & Imperatrix nuncuparetur, aureaque numismata eius imprimerenrur effigie. Iam vero thesauro regio pro arbitratu vtendi, proque animi sententia, & vt sibi commodissimum fore putaret, singula libere dispensandi, filius ei liberam fecit potestatem, quo etiam in his omnibus eam & splendore eximiam, & amplitudine admirabilem efficeret. Quare inter ea, quæ ad eius memoriam illustrãdam faciunt, ista etiam non sine causa repetita sunt: quæ dum propter singularem pietatis præstantiam in matre colenda exercebat, præcepta etiam diuina, quæ honorem parentibus decenter impertiendum tradunt, accurate expleuit.] hucusque Eusebius de obitu Helenæ & pietate ipsius, & Constantini in ea officijs frequentanda sedulitate.

FVNVS ET SEPVLTVRA HELENAE.

D Addit Theodoretus[b], morientem Helenam plurima de pia viuendi ratione filio præcepta dedisse, eumdemque benedictionibus muniuisse.

b Theodoret. lib. 1. c. 18.

Quod autem spectat ad numismata eius effigie a Constantino filio (quod tradit Eusebius) iussa formari[c]: vel vnum hic reddendum putauimus, quo eius animam post obitum ad cælos esse sublatam, receptamq. a Christo, hisce quæ vides signis demõstraretur. porro longe dispa- ria eiusmodi symbola esse noscuntur ab illis, quibus Gentilicio ritu ex Imperatoribus aliquem a Senatu inter Diuos esse relatum, significari soleret: vt nulli dubium esse debeat, ritu Christiano potius quàm Ethnico, id efformatum esse numisma.

c Num. areus extat Romæ apud R. D. Lelium Pasqualin. canonic. S. Mariæ Maioris. idem apud Angelum Breuentanum Papiensem.

E





Porro illa quatuor elementa, D N M R, Domini nostri matrem (nempe Constantini) significare, antiquariæ rei peritorum eadem est sententia. Quod autem vides altera parte imaginem quadriga ad supera euectam, dimissamq. illi cælitus manum, eũdem plane typum exprimit, quo tradit Eusebius[d] Constantini effigiem post obitum in nummis solitam cudi. Cur autem sic velamine eædem imagines cernantur obductæ, dicturi sumus inferius, dum de nũmis Constantini

d Euseb. Vit. Constan. lib. 4. c. 74.

Constantini eo modo post obitum consignatis agemus: sed iam de eiusdem Helenæ sepultura disseramus. A

HELENA ROMAE SEPVLTA.

Vbinam autem ea sepulta sit, ex Eusebij verborum recta interpretatione exquirendum est: cum enim ait, delatam ad ciuitatem, quæ principem locum tenet Imperij; Socrates Eusebium perperã interpretatus, ita scribit[a]: Corpus eius ad Constantinopolim, quæ Noua Roma appellata erat, deportatum, regali sepulchro conditum est.] hæc Socrates, existimans Constantinopolim ab Eusebio verbis illis esse descriptam, Eusebij phrasin (vt apparet) minus exploratam habens: nam Vrbem Romam iisdem verbis eũdem intelligere consueuisse, quod alibi, dum agit de Legatis ad Nicænum Concilium missis, ait, aperte declarat, cum in significanda Roma, vtitur eadem nomenclatura, sic dicens[b]: Et quamquam illius Vrbis, penes quam Imperium est, Episcopus, &c.] intelligens de Romanæ Vrbis Episcopo Siluestro. Cum autem agit de Constantinopoli, Vrbem eius nomine appellatam nuncupare solitus est. Nicephorus[c], non Romæ tantum eam esse sepultam, sed & defunctam affirmat, translatam vero post biennium Cõstantinopolim: sic enim tradit: Cum autẽ ei finis vitæ instaret, cum celeberrima memoria Romæ decessit, vndeoctogesimum agens annum.] et paulo post: Extra Vrbem Romam sepulta, in tẽplo rotundo, marmorea vrna deposita, atque biennio post vnà cum vrna Constantinopolim deportata est. Princeps ipsa in Imperialia monumẽta ædis sanctorum Apostolorum illata, lætisque posthac atque etiã nocturnis memorijs, vt par erat, est celebrata. Hierosolymis autẽ venerandæ illæ imagines, quibus veluti quædam ancilla inseruierat, præcipuis eã sunt memorijs solemniter prosequutæ.] hæc Nicephorus. Sed & citatus superius Anastasij liber de Munificentia Constantini erga Vrbis ecclesias, cum agit de Basilica sanctorum martyrũ Marcellini & Petri via Lauicana inter duas lauros posita, hæc habet de Constantino[d]: Et Mausoleum condidit, vbi beatissimã Augustam matrem suam posuit in sarcophago porphyretico.] Romæ igitur cum sepulta dicatur, de translatione facta Constantinopolim penes antiquos nulla mentio est, immo Sigibertus[e] ab Vrbe translatam tradit in Galliam. Constat tamen fuisse Constantinopoli sacram ædem S. Helenæ, quæ (vt testatur Iustinianus Imperator[f]) sanctissimæ maiori ecclesiæ copulata erat. B C

a Socrat. lib. 1. c. 13. in fin.

b Euseb. Vit. Constant. lib. 3. c. 7.

c Niceph. lib. 8. c. 31.

d Tom. 1. Concil. in Siluestro.

e Sigibert. an. D. 849.

f Authẽtic. Coll. 2. tit. 3. vt determinat. cõstit. 3. c. 1.

CONSTANTINVS REVERSVS IN OCCIDENTEM.

Quòd vero testetur Eusebius Constantinum matris obitui fuisse præsentem: dicendum est, eum postquàm in Orientem profectus est, iterum redijsse in Occidentem: et quidem verisimile est, ipsum modo huc, modo illuc (vt ferebat occasio) esse profectum. De Helena quidem in Occidentem reuersa satis constat cum ex his quæ modo dicta sunt, tum etiam cum de maris tempestate, quam passa est; quando Hadriaticum mare nauigans, in illud Crucis clauum ad sedandos turgentes ipsius fluctus proiecit, vt superius dictum est. Adueniens autem ipsa in Vrbem, in Basilica, dicta Heleniana, partem quam secum vexit sanctissimæ Crucis, & alias inde secum allatas reliquias, vt titulum eiusdem Crucis, & vnum ex clauis, religiosissime collocauit. At de S. Helena hactenus. Reseratis Constantini & Helenæ opera Hierosolymis locis sanctis, & Christi Passionis instrumentis adinuentis; vix credi potest, quæ fuerit omnium Fidelium frequentia e remotioribus quoque Orbis partibus Hierosolymam confluentium; cum alioqui nec cum loca ipsa terræ oppleta essent aggere, & superstitione polluta Gentilium, non deessent qui religionis ergo (quod secundo Annalium Tomo diximus) Hierosolymam peterent. At de peregrinatione ad eadem loca sancta primo etiam Tomo actum est, & inferius de ea dicendi passim se dabit occasio. D

DOMINICVM AVREVM ANTIOCHENVM.

Quod rursum spectat ad Basilicas a Constantino Imperatore (vt ad institutam orationem redeamus) in Oriente erectas: inter alias plurimas in diuersis locis, quas tradit Sozomenus esse ab eo ædificatas ecclesias, excelluit Basilica Antiochena, dicta a maioribus ob sui mirificam in omnibus excellentiam, Dominicum aureum; cui præter augustissimam eius structuram, accessit in sacris ex auro confectis vasis effusa Constantini munificentia. sed de his alio loco dicendum. Ipsum autem templum ab Eusebio paucis describitur, cum ait[g]: Ciuitates item quæ apud ceteras gentes videbantur vel maxime propter splendorem excellere, templis egregiis magnificisque curauit exornandas, sicut ex præcipua vrbe totius Orientis, quæ nomen traxit ab Antiocho, constare poterit. In qua tamquam in ciuitate illius gẽtis ac regionis primaria, ecclesiam tum propter amplitudinem, tum propter pulchritudinem maxime eximiam Deo dicauit. Quippe vniuersum tẽplum longis porticibus extrinsecus adiectis circumdedit: sanctuarium autem interius ad infinitam erexit altitudinem; quod quidem ad speciem solij octangularis fabricatum multis ædiculis, exedrisque vndique constructis, compluribus item tabulatis super terram eminentibus, denique fornicibus subter eamdem abditis ex omni parte circũsepta fuit. Quam etiam per magna auri ærisque copia & reliquæ pretiosæ materiæ ornamentis E

g Euseb. Vit. Constant. lib. 3. c. 49. & orat. de laud. Constãtin.

A ornamentis decorauit.] hæc ipse, qui & sumptuosissimum quoque ab eo erectum fuisse Nicomediæ templum in Bithynia tradit, sed & de alijs ecclesijs ab ipso exædificatis Constantinopoli meminit: nos vero de eisdem agemus in dedicatione eiusdem ab eo extructæ suo nomine ciuitatis. At de templis hactenus.

Iam autem ad fana Gentilium, cloacas omnium turpitudinum, ab eodem diruta, narrationem conuertamus, atque illa ipsa quæ ab Eusebio eius prouinciæ Archiepiscopo sunt memoriæ commendata, eiusdem insistentes vestigiis, assectemur; qui ait [a]: Ista quidem erant augustissima templa ab Imperatore hactenus consecrata. Verum vt audierat, ipsum Saluatorem, qui nuper in Mundo versatus fuisset, etiam olim sanctis viris ex Palæstina prope quercũ Mambre (sic enim appellabatur) diuinitus apparuisse, ibi quoque Deo viso, templum exædificari mandat. Gentium ergo Præfectis Imperatoris voluntas per litteras ad singulos scriptas signi- [a Euseb. Vit. Constant. lib. 3. c. 50.] [TEMPLVM AD QVERCVM MAMBRE.]
B ficata est, quæ eos admonuit, vt quod esset imperatum, illico ad exitum perduceretur. Nobis etiam, qui hanc historiam litteris mandamus, epistolam accuratius scriptam misit, cuius exẽplar mihi consentaneum videtur huic præsenti sermoni annectere, quo Imperatoris sanctissimi studium & diligentia plenius intelligatur. Proinde quo libere pro his quæ gesta acceperat, nobiscum expostularet, ista totidem verbis perscripsit.] quæ vero subsequitur Constantini epistola, cum ad Macarium Episcopum Hierosolymitanum habeatur inscripta, non autem ad Eusebium, expunctum putamus Eusebij nomen; nisi dixerimus eamdem ad vtrumque missam; immo, vt præsefert titulus, ad omnes Palæstinæ Episcopos est huiusmodi [b]: [b Euseb. ibid. c. 51.]

VICTOR CONSTANTINVS MAX. AVGVST. MACARIO & ceteris Palæstinæ Episcopis. S.

Est hoc vnum maximum meæ sanctissimæ solicitudinis erga vos beneficium, vt quorum- [LITTERAE CONSTANTINI AD MACARIVM.]
C dam nefandorum hominum amentiam, quæ hactenus apud vos in obscuro latuerit, per litteras vobis significem: quo licet mihi quidem sero, necessario tamen erratum, segnitie neglectum, diligentia recte probeque corrigatur. Permagna enim profecto impietas est, vt loca sancta nefandorum scelerum maculis contaminentur. At quidnam est, fratres carissimi, quod cum vestram solertiam præterierit, mea etiam, quam dixi, solicitudo propter obseruantiam, qua Deum veneror, possit silentio prætermittere? Locum qui prope quercum Mambre dicitur, in quo Abrahamum domicilium habuisse cognoscimus, varijs modis a quibusdã superstitioni deditis inquinari ferunt: idola enim, quæ nullo non vastationis genere deleri debent, in illo erecta esse, & altare prope locatum, & impuras victimas sine intermissione immolari. Quapropter cum illud & ab Imperio nostro alienum, & indignum loci sanctitate videatur: vestram grauitatem certiorem fieri velim, a nobis per litteras Acacio illustrissi-
D mo Comiti amico nostro significatum esse, vt absque cunctatione, & idola, quæ in loco prædicto reperta fuerint, ignis tradantur incendio, & altare sedibus conuulsum euertatur. Quinetiam neminem non, qui post nostrum mandatum aliquid impietatis in eiusmodi loco audeat admittere, supplicio coercendum statuimus: quem sane locum decreuimus eximia templi structura adornare, vt consessus dignus sanctis viris in eo deinceps existat. Quòd si quidquam contra hoc mandatum committi acciderit; par est, vt absque mora, nostra clementia per vestras litteras certior fiat; quo nostro mandato, qui illud violasse deprehensus fuerit, summo afficiatur supplicio. Non enim ignoratis, illic primum Deum omnium rectorem tum apparuisse Abrahamo, tum cum eo sermonem contulisse [c]: illic enim primum sacrosanctæ legis cultum & obseruationem initium habuisse: illic primum, Saluatorem ipsum cum duobus Angelis seipsum clementer & benigne Abrahamo ostendisse: [c Genes. 18.]
E illic Deum cœpisse ab hominibus videri: illic prædixisse Abrahamo de semine suo futuro, ac confestim promissum præstitisse: illic prædicasse, eum plurimarum gentium patrem futurum. Quæ cum ita sint, æquum est meo quidem iudicio, vestra cura & diligentia prouideri, vt tum locus iste purus & integer a labe conseruetur, tum ad pristinam reuocetur sanctimoniam, quo aliud nihil in eo præter cultum Deo omnipotenti moderatori omnium & Saluatori nostro decorum & consentaneum peragatur. Quod quidem studiose & decenter a vobis obseruari conuenit: siquidem vestra grauitas, sicut mihi pro certo persuasum habeo, ea quæ cum vero cultu & religione in primis cohærent, alacri studio explere desiderat. Deus vos fratres carissimi incolumes seruet.] hactenus Constantini litteræ, quibus subdit Eusebius [d]: [d Euseb. Vit. Constant. lib. 3. c. 51.]

Ista omnia Imperator ad salutaris Dei virtutis gloriam illustrandam perficere admodũ elaborauit: hocque pacto non solũ Saluatorem suũ magno affecit honore, verum etiã superstitiosum Gentiũ errorem omnibus modis coarguit. Itaque quorumdam delubrorũ vestibula eius [DELVBRA SPOLIATA.]

mandato in quaque ciuitate nudata, portæque dirutæ: aliorum tectum cum laquearibus, A
tegulis ablatis, deturbatum: aliorum insignia monumenta ex ære fabricata (in quibus vete-
rum error longo iam temporis spatio se insolenter iactasset) in foro ciuitatis Imperatoris no-
mine nuncupatæ omnibus palam proposita, vt intuentium oculis pro turpi spectaculo subijce-
rentur. Hic Pythius, illic Sminthius in ipso Circo tripodes Delphici, Heliconides Musæ in
Palatio. Quin etiam eadem ipsa ciuitas Imperatoris nomine, vt modo dixi, nuncupata, tota
simulachris quæ erant apud quasque gentes dijs consecrata, & ex ære artificiose elaborata,
passim referta fuit. Atque his ipsis simulachris deorum nomine erectis, quibus homines er-
roris morbo oppressi infinitas hecatombas, victimasque igne crematas frustra obtulissent,
seroque tandem sapere didicissent, tamquam ludicris rebus ad risum iocumque spectato-
rum Imperator vsus est. In statuis vero aureis aliam quamdam viam & rationem secutus est:
nam vt primum intellexit, multitudinem, instar stultorum infantium, illas erroris tamquam B
laruas ex aurea argenteaque materia effictas, temere extimescentem, eas e medio penitus
tollendas, velut lapides ante pedes incedentium in tenebris ad impingendum proiectos puta-
uit: viamque regiam, quæ plana & æqualis est, omnibus in posterum patefaciendam.

Ista igitur animo complexus, non armata manu, aut ingenti exercitu ad eas res corri-
gendas sibi opus esse: sed vnum & alterum ex illis quos spectatos habebat, ad hoc mu-
nus subeundum satis habere virium arbitratus est; quos vna eademque auctoritate dona-
tos ad singulas gentes misit. Illi autem tum singularis Imperatoris sanctimonia, tum sua
ipsorum in Deum pietate freti, per mediam plebem, perque medium populum multitudi-
ne infinitum proficiscentes, in singulis vrbibus regionibusque errorem longinquo tempore
DEORVM IMAGINES LVDIBRIO EXPOSITAE. inueteratum omnino profligarunt: ac primum ipsos idolorum sacerdotes magna cum irri-
sione & turpitudine suos ipsorum deos ex tenebricosis recessibus in lucem proferre manda- C
runt: deinde exteriori illorum effigie detecta, etiam interioris formæ colore obductæ, de-
formitatem ante oculos omnium statuerunt: tum illis abrasis, materiæ partem, quæ videba-
tur habere aliquid bonitatis, fornace & igne probarunt, eamque reseruarunt in tuto collo-
catam: quæ vero vilis erat, & ad nullam rem vtilis, superstitiosis ad memoriam suæ tur-
pitudinis largiti sunt. Porro autem hoc quod sequitur, non multum huic dissimile ab
isto Imperatore admirabili gestum fuit. Postquàm vero simulachra mortua ex pretio-
sa materia conflata ad hunc modum, quem dixi, expoliauerat: reliquas ad perpetuan-
dam hominum memoriam erectas, quæ ex ære fabricatæ erant, aggressus est; deos-
que quos veteres fabulæ celebrant, funibus ex pilis contextis constrictos, abstrahen-
dos curauit.

a Euseb. ibi. c. 53. Præterea [a] regio suo obtutu, tamquam clara face accensa, sedulo lustrauit, ne vllæ erro- D
ris reliquiæ vspiam delitescerent: quemadmodum enim aquila in superiora aeris loca subuo-
lans, res in terra longissimo interuallo ab se distantes acutissime cernit; sic iste dum in regali
Palatio, quod in præclara illa vrbe ab ipso ædificata situm est, versabatur, ex eo velut specula
periculosum quoddam rete, quo hominum animæ illaqueabantur, in gente Phœnicum la-
titare dispexit, nemus videlicet & delubrum turpi & flagitioso Veneris dæmoni dedicatum,
VENERIS FANVM DIRVTVM. non in media aliqua ciuitate, non in foro, non in plateis (vt multa quæ in vrbibus ornatus
gratia magno splendore decorantur) sed extra semitam, extra triuia, extra viam publicam,
in summo vertice montis Libani inter arbusta collocatum. Erat tamquam schola quædam
nequitiæ ijs qui erant libidini dediti, quiq. nimia licentia corpus labefactauerant suum, cor-
ruperantque. Nam quidam molles & effeminati viri, non viri reuera, pudore prorsus exuto,
instar mulierum turpissima contagione se ipsi inficientes, dæmonem placabant. Scelerati E
præterea & nefarij mulierum congressus, clandestinæ falsorum connubiorum corruptelæ, in-
fanda & turpia facinora in eo delubro, vtpote in loco impuro & fœdo, admissa erant. Nec
quisquam fuit, qui in hæc scelera animaduerteret, propterea quòd ex viris grauibus & hone-
stis nemo illuc audebat accedere. Verùm Imperatorem eximium turpia facinora illic edita la-
tere non poterant: quibus quidem regia sua prouidentia indagatis, erutisque, indignum
censuit, vt Solis splendor huiusinodi delubrum intueretur: proinde vniuersum illud cum ipsis
statuis & monumentis funditus deleri iussit. Extemplo igitur Imperatoris mandato machi-
namenta, quibus petulans & lasciuus error propugnabatur, penitus euersa sunt: quippe mili-
tum manus loco purgando operam nauauit. Qui autem ad hoc vsque tempus luxuria diflu-
xissent, Imperatoris minis perterriti, continentiam deinceps modestiamque colere didice-
runt: non dissimili ratione etiam superstitiosi Gentiles, qui erant opinione sapientes, reipsa
suam ipsorum inanitatem animaduertere cœperunt.

Vbi

A Vbi namque error eorum, qui inter Cilices sapientissimi videbantur, in dæmone ibi colendo longius serpsit, infinitis super eo tamquam conseruatore & medico propterea in admirationem traductis, quòd interdum dormientibus apparuit, nonnumquam ægrotantium corpora morbis releuauit (erat hic sine dubio animarum corruptor, quippe qui homines incallidos a vero Saluatore abstraxisset, & res verisimiles efficiendo, ad impiam peruersitatem rapuisset:) Imperator, qui Deum zelotem, vere Saluatorem sibi ad defensionem semper proponebat, istud delubrum Aesculapij apud Aegeas deijci, soloque æquari mandauit. Ac res illa admiranda nobilium philosophorum celebrata sermonibus, quæ latebris abdita, non dæmonis neque Dei, sed erroris cuiusdam speciem plurimis & diuturnis temporum curriculis hominum animos in fraudem illicientis perspicue repræsentauit, solo nutu & significatione, manu militari disturbata, humique prostrata iacuit. Qui enim Deus alios malis eripere, calamitate leuare simulauerat, non magis iam remedium ad sui propugnationem reperire potuit, quàm cum (vt in fabulis est) fulmine percussus interijt.] AESCVLAPII TEMPLVM DEMOLITVM.

B

Agens de ijsdem Sozomenus, tam de Aesculapij templo in Aegeis, quàm Veneris in Libano, sic ait[a]: Erant ambo quidem fana illustrissima, & magna veneratione a veteribus dignata: quandoquidem Aegeatæ gloriabantur, hominum corpora apud se vi & potestate dæmonis noctu ibi apparentis, medicinamque illis facientis, morbis liberata esse. In Aphacis autem memorant, ignem per quamdam inuocationem certo die, tamquam stellam a summo vertice Libani percurrentem in vicinum fluuium se immersisse: quem ignem Vraniam (hoc enim nomine nuncupabant Venerem) esse dixerunt.] hæc Sozomenus; qui & superius tradit, Pan illum multorum ore celebratum, quem Pausanias Lacedæmonius, & ciuitates Græciæ post bellum contra Medos dedicarunt, a Constantino sublatum esse, eius autem simulachrum deductum Constantinopolim. sed subdit de dicto Aesculapij templo Eusebius[b]: Verum præclara officia, quæ in hac re Imperator noster ad Dei gloriam obijt, non inter fabulas adnumeranda sunt, siquidem illustri & testata Saluatoris ipsius virtute delubrum illud radicitus sic euersum fuit, vt insaniæ amentiæque, quæ illic antea oberrauerat, ne vestigium quidem iam relictum esset.

a Sozom. lib. 2. c. 4.

PANIS SIMVLACHRVM SVBLATVM.

C

b Euseb. Vit. Constan. lib. 3. c. 54. 55.

Ex omnibus igitur, qui ante illud tempus se superstitione obligassent, cum errorem suum patefactum & perspicue refutatum oculis cernerent, cumque delubrorum & statuarum vbique vastitatem reipsa intuerentur; alij ad salutare Dei Verbum se totos conferre; alij licet non illud ipsum agerent, patriam tamen & auitam inscitiam improbare, & quos olim deos existimauerant, risu & ludibrio insectari cœperunt. Ac quidnam, quæso, ita in animum inducerent, cum immensam illam nequitiam interius latentem exteriore quadam statuarum D specie obductam satis manifesto perspicerent? Aut enim extinctorum cadauerum ossa, exiccatæque caluæ versutis præstigiatorum dolis callide obrectæ, aut sordidæ laceratæque vestes, horrida & impura fœditate farcitæ, aut congeries ex fœno & stipula collecta suberant. Quæ cum in simulachra inanima congesta conspicarentur, vehementer & suam & patrum suorum amentiam incusarunt; præsertim cum plane intellexissent, neminem in illis abditis recessibus, aut in ipsis statuis, vel dæmonem, vel ariolum, vel deum, vel vatem, sicut sibi antea persuaserant, tamquam habitatorem considere, immo vero ne obscurum quidem & vmbratile spectrum superesse. Quapropter illis qui erant ab Imperatore ad id negotij delegati, ad omne obscurum antrum, omnemque latentem & apertum recessum facilis patebat aditus. Quin etiam adyta, ad quæ accedere fas non erat, & intima sacraria, pedibus militum proterebantur: adeo vt mentis cæcitas, quæ longinquo temporis spatio E vniuersos Gentiles occupauisset, horum opera & labore perspicue deprehensa, in omnium oculis defigeretur.

DII GENTILIVM RISVI EXPOSITI.

Atque[c] vt ista Imperatoris præclare recteque factis accepta referri debent, sic ea quoque quæ particulatim apud singulas gentes ab ipso erant administrata; vt illud quod Heliopoli Phœniciæ factum est. In qua vrbe nonnulli obscœnam & libidinosam voluptatem pro dea venerantes, simulatione religionis, vxoribus & filiabus stupri admittendi facultatem, nulla habita pudoris ratione, concesserunt. Ceterum iam lex noua plena modestiæ & castimoniæ ab Imperatore promulgata est, quæ iubet ne quis eorum vllum flagitium ibi in more positum, vsurpatumque deinceps audeat committere. His rursus documenta scriptis mandata proposuit, quasi fuisset ob hanc causam potissimum a Deo missus, vt omnes homines temperantiæ legibus instituerct. Quamobrem non est dedignatus cum his per litteras suas familiariter colloqui, eosque cohortari, vt se ad Dei optimi maximi cognitionem mature transferrent. Atque in eo loco etiam eius dictis facta vere & apposite responderunt:

c Ibid. c. 56.

TVRPITVDO GENTILIVM COHIBITA.

quippe apud istos etiam templi amplissimi fundamenta iecit; ita vt, quod ab omni sæculorum memoria non sit auditione acceptum, hoc iam ipsa re perfectum esset: nimirum vt ciuitas eorum, qui superstitione fuissent excæcati, Dei efficeretur Ecclesia, presbyteris diaconisque compleretur, & Episcopus Deo omnium rectori consecratus illis præsideret. Præterea Imperator animo sedulo prospiciens, vti quàm plurimi ad Dei Verbum se conferrent, ea quæ ad subleuandos pauperes pertinebant, copiose suppeditauit. Atque hac ratione ad salutarem Christi disciplinam eos se propere recipere impulit, verbis fere cum Paulo dicente [a] consentiens: Siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur.] hucusque Eusebius. A

a Philip. 1.

TEMPLA DEORVM NON PENITVS SVBLATA.

Qui tamen cum ait, vbique sacra Gentilium, & idolorum fana vnà cum idolis ab Imperatore Constantino esse sublata, hyperbolicos plane loquutus esse videtur, cum longe lateque per Orbem complura eademque famosissima remanserint templa ab eo intacta penitus, vt Romæ, Alexandriæ, Gazæ in Palæstina, Apameæ in Syria, immo & in vicis & alijs nonnullis in locis, quæ postea ab ijs qui eum sequuti sunt Imperatoribus (quod suis dicemus temporibus) prostrata penitus & solo æquata sunt. Nam Theodoretus [b], dum agit de idolorum demolitione per Theodosium facta, hæc scribit de Constantini aduersus cultum Gentilium rebus gestis: Constantinus Magnus omnibus laudis præconijs merito efferendus: qui primus Imperium vero Dei cultu exornare studebat: videns adhuc orbem terrarum cæco errore furentem: tametsi vetuit omnino dæmonibus immolare hostias, non tamen eorum delubra demolitus est, sed mandatum solum dedit, ne quisquam ad ea accederet: quin etiam istius filij sunt paterna diligenter sequuti vestigia.] hæc Theodoretus. sed & Paulus Orosius [c]: Tum deinde primus Constantinus iusto ordine & pio vicem vertit edicto: siquidem statuit citra vllam hominum cædem Paganorum templa claudi.] B C

b Theodoret. lib. 5. c. 20.

c Oros. lib. 7. c. 28. in fin.

SACRA A CONSTANTINO PROHIBITA.

Constantini quidem edicto prohibita fuisse sacrificia dijs offerri, eiusdem filij rescriptum ad Magdalianum testatur, cum ait [d]: Cesset superstitio, sacrificiorum aboleatur infamia. Nam quicumque contra legem diui Principis parentis nostri, & hanc nostræ mansuetudinis iussionem ausus fuerit sacrificia celebrare, competens in eum vindicta & præsens sententia exeratur.] ita Constantius, qui & post hæc de claudendis templis deorum rescripsit ad Taurum [e]: vt plane intelligas, nequaquam ea omnia fuisse a Constantino deiecta. Sed & his consentientia de statutis ab eo aduersus Gentiles legibus hæc ipse Eusebius tradit [f]: Hac autem ratione adductus est, & recte sane, vt frequentibus legibus & edictis præciperet omnibus, ne idolis immolarent, nec oracula curiose sectarentur, nec statuas dedicarent, nec occulta sacrificia facerent.] et alibi [g]: Omnino omnibus Romano Imperio subiectis gentibus & legionibus idololatriæ fores clausæ erant, repressumque quoduis idolis sacrificandi genus.] Istæc autem cum Eusebius tradat; reuocari tamen possunt in dubium, vera ne omnino sint, an eiusmodi de non sacrificando edictum generale fuerit: constat enim diu post Constantinum fuisse hostias immolatas: Romæ siquidem Gentiliciæ superstitionis cultores mordicus patrita sacra retinebant, vixque tandem tempore Valentiniani senioris Imperatoris idolis immolari sacrificia Romanis penitus prohibita fuisse noscuntur. Vnde Prudentius [h] ad Valentinianum iuniorem: D

d l. 2. de Pagan. Cod. Theodos.

e l. 4. de Pagan. Cod. Theodos.

f Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 25.

g Euseb. ibid. c. 23.

h Prudent. aduers. Symmach. in fin.

Quodq. patris superest, successor laudis habeto:
Ille Vrbem vetuit taurorum sanguine tingi:
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.] E

TVRPIA OMNIA ABOLENTVR SACRA.

Quod vero ad templorum ruinas pertinet: sicut Constantinus non dicendus omnium idolorum templorum euersor, ita nec ab ipsorum ruina abstinuisse affirmandus est. Quantum enim ex his quæ dicta sunt, intelligi potest, idem Constantinus Imperator cum esset pudicitiæ & honestatis amantissimus, in ea potissimum deorum delubra, vt diruerentur, mandato egit, quæ essent omnium turpitudinum promptuaria: sed & eorum cultores seuerissimis legibus constat exagitasse: nam præter illa quæ eodem argumento sunt enarrata superius, & paulo ante hoc eodem anno ex Eusebio recensita, idem auctor in loco nuper citato hæc subdit [i]: Cum autem apud Aegyptios & Alexandriæ patrio more fluuius quidam ab hominibus mulierosis coleretur: ad hos etiam perlata lex est, qua cautum, vt omnis hæc Androgynorum gens tamquam adulterina & spuria e vita tolleretur, nec cuiquam liceret vel oculis intueri impura hac lasciuia ægrotantes.] putamus hos illos fuisse, qui Antinoalia sacra peragerent. tum addit:

i Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 25.

Sed

A Sed cum superstitiosi existimarent, minime deinceps fluuium pro consuetudine sua in agros suos effluxurum: Deus fauens Imperatoris legi, longe secus quàm illi expectauerant, vberrimum flumen reddidit. Nam cum impura illa fæx, quæ suis sordibus ciuitatem turpificasset, prorsus esset sublata: fluuius quasi expurgata expiataque tota regione, maiore quàm ante cursu ferebatur, & magnis ac abundantibus gurgitibus intumescẽs omnes agros quaquauersum irrigabat, tamquam reipsa demonstraret, homines impios & sceleratos remouendos esse, & ad Deum solum omnis salutis auctorem omnium præclararum rerum causam esse referendam. Sed huius generis cum pene infinita ab Imperatore singulis in prouinciis gesta sint: magno sane otio est ei opus & vacuo tempore, qui singula litterarum monumentis persequi velit.] hæc Eusebius. NILI FLVVIVS VBERIOR REDDITVS.

Quod porro ad Cõstantini aduersus idololatras in Aegypto res gestas spectat: eiusdẽ quoB que tunc opera fuit, vt Serapidis cubitus, Nili excrescentiæ index a deorum templo sublatus, in ecclesiam Christianorum Alexandriæ inferretur. id quidem Socrates[a] docet his verbis: Cum Gentiles affirmarent, Serapidem esse, qui Nilum ad agros Aegypti irrigandos introduceret, propterea quod vlna quædam, id est mensura aquæ inundantis, quam πῆχυν vocant, in templum Serapidis esset deportata; Imperator vlnam illam ad Ecclesiam Alexandrinam transferri iubet. Cum autem sermo percrebresceret, Nilum præ Serapidis ira deinceps minime inundaturum: non modo flumen anno sequenti extra ripas, vt solet, diffluit, inque posterum diffluxit; verum etiam inde reipsa planum factum est, Nilum non propter eiusmodi superstitiosam religionem, sed propter diuinæ prouidentiæ decreta inundare consueuisse.] hæc Socrates. Porro ipsum templum Serapidis sub Theodosio Imp. dirutum est. a Socrat. lib. 1. c. 14. CVBITVS SVBLATVS A TEMPLO SERAPIDIS.

Quid insuper in ora litoris Palæstinæ ad Nauale Gazæ fecerit Constantinus, Sozomenus C narrat his verbis[b]: Nauale vrbi Gazæ, quod Maiumam appellant, quodq. valde superstitioni deditum esse, & ante veteres ritus in diis colendis cum primis admirari consueuerat, subito vniuersum ad religionem Christianam conuersum est: cuius habitatores, quo eos pietatis causa remuneraretur, magno honore affecit, & locum illum, qui ciuitas non erat, ciuitatem effecit, & nomine filij, qui summum inter filios honoris gradum obtinuit, Constantiam nuncupauit, illamque dignitatem propter religionem ei tribuit.] verum Eusebius[c] & Socrates (vt dictum est) sic appellatam esse a Constantia sorore Imperatoris affirmant; sed subdit idem Sozomenus: Simili etiam de causa Constantinam vrbem Phœniciæ Imperatoris nomine appellatam cognoui. sed singula litteris persequi, magni laboris esset: nam aliæ vrbes quàm plurimæ eodem tempore sua sponte ad religionem Christianam se transtulere, & suapte voluntate, absque vllo Imperatoris mandato, fana quæ apud se erant & simulachra deturbaD uere, sacrasque extruxere ecclesias.] Sed Maiuma Nauale Gazæ sub Iuliano Apostata iterum ad pristinum impietatis & obscœnitatis vsum reuocata ciuitas fuit, at sub Theodosio denuo liberata. b Sozom. lib. 2. c. 4. CONSTANTIA CIVIT. IN PALAESTINA. c Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 38.

Ceterum sicut Constantinus huiuscemodi templa impudicitiarum officinas vnà cum eorum sacrificiis atque cultoribus penitus euertenda atque abolenda curauit: ita a reliquis templis visus est quieuisse, nec aliud nisi in illis offerri consueta sacrificia vetuisse: nam cetera donaria in ea inferri permissa fuisse videntur, eisdemque integra conseruata, vt ex verbis illis Ambrosij intelligi potest, cum aduersus Symmachũ agens sic ait: Dicant & ipsi (Gentiles scilicet) quis templis dona detraxit?] et inferius: Nemo tamen donaria delubris & legata Aruspicibus denegauit.] a nonnullis tamen illorum Constantinum simulachra sustulisse, & ex eisdem aliqua euertisse, superius dictum est. Exhorruit & illud Constantinus, imagiE nem suam in templis idolorum appendi; legeque sancita vetuit, ne id fieret[d]. Exhibebant illi eiusmodi officia, non tam Constantini honorandi gratia, quem odio prosequebantur, quàm vt eiusmodi imagines loco alicui affixæ se haberent tamquam tituli, qui eum ab omni iniuria tutarentur. Quibus autem in locis imagines Imperatorum poni concederetur, Theodosius declarauit[e]: qualiter item Constantinus ipse pingi voluerit, superius dictum est. CONSTANTIN. IMP. VETVIT SVAM IMAGINEM APPENDI TEMPLIS. d Euseb. ibi. c. 16. e L. 4. C. de spect. lib. 11.

Quod etiam pertinet ad amplificandum Christianæ religionis cultum, idem Constantinus Imperator non modo (quod diximus) quàm plurimas vbique locorum, atque in ijs potissimum locis vbi magis Gentilicia superstitio vigebat, ecclesias erigendas curauit, & sanctorum martyrum Memorias extruxit, sed & eorum natales dies voluit celebrari: de his enim hæc Eusebius[f]: Iidem consecratos martyribus dies honore prosequebantur, & festorum solemnitates in ecclesijs celebrabant: quæ omnia secundum Imperatoris voluntatem gerebantur.] hæc Eusebius. f Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 23.

Hoc item anno, quo Imperator Constantinus publicas libidinum scholas (vt diximus) deturbauit, sanctione edita [a] occultas quasque etiam turpitudines insectatus est; nimirum vt si quæ ingenua mulier proprio seruo se occulte miscuisset, capitaliter puniretur, seruus autem ignibus exureretur: deditq. potestatem cuicumque accusare volenti, etiam si serui vel ancillæ forent, apposito præmio consequendæ libertatis, si probassent. his & aliis pœnis excrescentem vbique libidinem sedulo coercere studuit: quod alij complures superiores Imperatores frustra tentarant. Sed & aduersus virginum raptores hoc pariter anno rescripsit [b]: nam Constantinus pro Constantio ex Fastis Consularibus restituendus est in lege illa, & loco Constantij, ponendus Constantinus. A

a l. 1. de mulierib. quæ ser. Cod. Theod.

b l. 1. de rapt. Cod. Theod.

QVI IN CLERVM PROMIDENTVR ADSCRIBI.

Rescripsit idem Imperator hoc anno ad Ablauium Præfectum prætorio de nobilibus, qui ad euitanda militiæ munera, & vt fruerentur priuilegiis ab eodem ministris Christianæ religionis concessis, sese haud recta mente in clericatum obtrudebant: quos repellendos esse (non sine Episcoporum, puto, consilio) existimauit, rescribens aduersus eiusmodi, quos & superius (vt vidimus) alio exagitarat edicto. Rerum quidem Ecclesiasticarum tanta gloria (vt dictum est) erat, vt nobilissimi Decuriones cuperent in clerum adscribi, cum præsertim ex clericatu vacationem a muneribus consequerentur. At vero his omnibus obuians Constantinus eiuscemodi edidit sanctionem [c]: B

c l. 6. de Episc. & cler. Cod. Theod.

Constantinus Imperator Ablauio PP.

Neque vulgari consensu, neque quibuslibet petentibus sub specie clericorum a muneribus publicis vacatio deferatur: nec temere, & citra modum, populi clericis connectantur: sed cum defunctus fuerit clericus, ad vicē defuncti alius allegetur [*], cui nulla ex municipibus prosapia fuerit, neque ea est opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillime queat tolerare. Ita vt si inter ciuitatem & clericos super alicuius nomine dubitetur: si eum æquitas ad publica trahat obsequia, & progenie municeps, vel patrimonio idoneus dignoscetur, exemptus clericis, ciuitati tradatur. Opulentos enim sæculi subire necessitates oportet, pauperes Ecclesiarum diuitiis sustentari. PP. Kal. Iun. Constantino A. VII. & Constante [*] Cæs. Coss.] hæc Constantinus ad Ablauium Præfectum prætorio; de quo magistratu eidem collato meminit Ammianus Marcellinus [d]: Augustus, inquit, summam commisit rerum Constantinus ad Ablauium Præfectum prætorio. Verum quod spectat ad eiusmodi ab eodem Imperatore ad ipsum datum rescriptum: quamlibet id Constantinus decernere æquum existimaret; haud tamen valuit hæc constitutio posterioribus temporibus suo vigore subsistere, eamdem ipso populo irritante; cum sæpius contingeret, nobilissimos viros, atque eos etiam qui gererent in prouinciis amplissimos magistratus, inuitos licet, a populo ad Episcopatum compelli: innumera enim de his exempla suppetunt inferius suis prodenda temporibus. C D

* eligatur

* Constantio

d Ammian. Marcel. lib. 17.

ABLAVII PRAEFECTVRA PRAETORII.

Cum autem ex nuper recitata Constantini Imperatoris sanctione constet, hoc anno Ablauium, ad quem scripsit, prætorij Præfecturam gessisse: quid mirandum sub eiusdem magistratu Constantinopoli contigerit diuina virtute fieri a S. Nicolao Myrensium Episcopo fama notissimo, temporis ratio, & argumenti dignitas, vt hic accurate describamus, exposcit. Scripserunt ex antiquioribus monumentis Acta S. Nicolai Methodius, Ioannes diaconus, & Metaphrastes: huius quidem, & Methodij habentur typis excusa, atque Latinitate donata: Ioannis vero diaconi, qui Latine ea conscripsit, lucubratio continetur adhuc in libris antiquitus scriptis, & in nostra bibliotheca extat exemplar, cuius præfationis exordium est: Sicut omnis materies si ab imperfecto artifice, &c.] horum nos potius affectantes vestigia, quàm recentioris auctoris, qui haud in omnibus nobis probatur, rem gestam sic describemus. E

* Thaiphali

S. NICOLAI RES MIRANDAE.

Exoritur in Phrygia superiori seditio a populo, qui Athaiphi [*] dicebantur, qui defectionem fecerant ab Imperio: hæc cum ad Constantinum perlata essent, euestigio tres militiæ principes, quos antiquitus consueuit nominare Tribunos, ad eos coercendos cum copiis misit. Fuerunt hi Nepotianus, Vrsus, & Herpalio: qui nauali apparatu profecti, ventorum vi per Carpatium mare delati in Lyciam, vix ad Nauale Myrensium, cui nomen Andriaces, iactis anchoris, consistere valuerunt. Accidit post hæc, vt e nauibus egressi milites emendi causa cibos, peruenirent ad locum vbi nundinæ agebantur, qui Placomata vocabatur: et inter mercandum, quòd quædam sibi plus debito vendicarent, non leuis tumultus exoriretur, & seditio conflaretur. Quod cum celeri nuncio Nicolaus Episcopus Myris agens audisset; ad Nauale, quod tribus a ciuitate milliaribus distat, festinus aduenit, conuenitque Tribunos, atque rogat vt militum coerceant insolentiam. Reueriti illi sanctissimi viri veneratione summa dignam præsentiam, eiusdemque oratione quid

A quid diuinum spirante suasi, coercitis militibus, Episcopum ad hospitium inuitati sequuti sunt.

Cum in huiuscemodi suscipiendis omnia humanitatis & Christianæ charitatis officia Nicolaus abundanter exhibuisset: iamq. hospites ad suos reditum properarent: a lugentibus ciuibus ex improuiso quæritur, enixisq. rogatur precibus, vt quàm citissime innocentibus pereuntibus opem ferat: erant hi tres ciues, qui iniquissima Eustathij Proconsulis auro corrupti, capitali sententia condemnati, magno omnium conciuium luctu ducebantur ad necem. Nec mora, Nicolaus dicto citius iter arripit, sequuntur eum tres illi hospites Tribuni militum: peruenit ad locum, cui nomen Leonti: interrogat de damnatis: accipit apud Dioscoros peruenisse, iamq. expectare securim. Erat locus ille, Dioscoros appellatus, non ob Dioscoros illos sic dictos Castorem atque Pollucem, vt recentior male putauit Nicolai Actorum Paraphrastes [a]: sed quod vetusta citata superius Acta testantur, ob proximam illic positam Memoriam martyrum Dioscori atque Crescentij, qui pro Christo passi sunt, Dioscoros locus ille est appellatus: hi enim celebres inter martyres, reddita Ecclesiæ pace, a Myrensibus Christianis celebri ecclesia illic superædificata, fuerant honorati: quorum natalis dies vna cum Paulo & Helladio tam Græcis quàm Latinis adscriptus tabulis Ecclesiasticis celebris perseuerat quinto Kalendas Iunij [b]. Cum autem Nicolaus ad Dioscoros peruenisset, non inuenit; sed audiuit eos extra ciuitatis portas progressos ad Birram, vbi erat locus supplicij damnatorum, perduci. Festinans ad locum, peruenit eodem prope articulo temporis, quo carnifex vibraturus ictum, securim acceperat, compositis damnatorum ceruicibus ad ferrum excipiendum: cum Nicolaus inclamans, sistere carnificem iubet, & diuino actus numine, de manu eius magnanimus securim in terram excussit, vinctosq. soluit.

NICOLAVS LIBERAT INNOCENTES.

a Leonardus Iustinian. corrigitur.

b Menolog. & Martyrol. Rom. ea die.

C Quòd enim Constantini lege liceret Episcopo perperam latas a Præsidibus prouinciarum sententias retractare, promulgata ab eo (vt dictum est superius) sanctione: id agendi fiducia creuit Episcopis, quos amplissimi magistratus etiã eam ob causam magnopere venerari atque timere solerent; eos præsertim quos æqui amantissimos esse scirent, & ipsorum actuum pro defensione oppressorum solertissimos inspectores. Sed accidit postea, vt cum eo vsque prolapsa res esset, vt etiam inferiores clerici, immo & monachi cœnobitæ eiusmodi damnatos vltimo supplicio sententia Præsidum, vi etiam publica ab apparitoribus auferre solerent; Archadius & Honorius Imperatores, ne in posterum id fieret, vetuerint, remedium tamen appellationis ipsis damnatis humanitus concedentes [c]. sed de his suo loco plenius.

c l. 16. de pœnis. Cod. Theodos.

Solutis iniuste damnatis, Nicolaus cum illis properat ad prætorium: quod cum accepisset Eustathius Proconsul, quàm primum occurrit; quem ad pedes eius accidentem repellit Episcopus, hominem dire obiurgans, quòd innoxiorum sanguinem corruptus muneribus condemnasset: sed reiecit ille culpam in Eudoxium atque Simonidem primarios ciuitatis. Ne autem hæc per Nicolaum Constantino Imperatori (quod minabatur) innotescerent, per Tribunos militum qui aderant, Episcopum rogat. Impetrata ergo Proconsuli venia, Tribuni facinus constantissimum ac pientissimum admirantes, ad suos in naues redeunt, ac benedictione precibusq. viri sanctissimi comitati, quo tendebant, proficiscuntur in Phrygiam: vbi feliciter gesto negotio, sedatisq. omnibus, reuersi sunt Constantinopolim; et ab Imperatore, quasi e bello reuertentes victores, magna sunt excepti lætitia & honore. Cum autem ob rem præclare gestam, summam Tribuni apud Imperatorem sibi gratiam comparassent, atque proinde multorum in se inuidiam concitassent: ex ijsdem quidam Præfectum adeunt (hunc fuisse Ablauium Methodius habet) in eiusq. aures aduersus Tribunos insusurrant, dolos consuunt, atque calumniam struunt, crimenq. maiestatis impingunt: eumdemq. Præfectum vi auri corruptum impellunt, vt deferat ad Imperatorem, ipsos moliri res nouas, ac aduersus eum iunctis animis conspirare; remque haud dissimulandam esse, cum facile possent exercitum sibi conciliare, eumq. a fide Imperatoris auertere.

D

TRIBVNI RE BENE CONFECTA REDEVNT AD IMP.

E

Cum autem in eiusmodi rebus leuissimæ quæque suspiciones minime contemnantur, sed perinde ac manifesta crimina molestias Regibus inferre soleant: delatis hisce summo doli artificio concinnatis calumnijs ad Imperatorem, per talem præsertim tantumq. virum Ablauium, qui, vt tradit Eunapius [d], apud ipsum Imperatorem inter aulicos omnes & magistratus locum sibi principem vendicabat: iubet Constantinus in carcerem detrudi Tribunos. sic illis custodiæ mancipatis; quòd res iam, vinctis illis, videretur in tuto reposita, nec vllum instare posse periculum: idem Constantinus de eis quid agendum esset, decernere negligit, & humanitatis obtutu dissimulat, ægro ferens animo in clarissimos militiæ Tribunos de salute Romani Imperij optime meritos lege agere. Sed calumniarũ artifices ad malum vigiles, moræ pertæsi, denuo

d Eunap. in Vit. Philosoph. in Aedesio.

TRIBVNI REI MAIESTATIS DETRVSI IN CARCEREM.

denuo Ablauium adeunt, nouis fucant coloribus technam, arescentemq. iam longo tempore A intermissam in Tribunos calumniosam delationẽ, recentioribus mendaciorum folijs superinductis, reddunt viridem, atque ad persuadendum adeo præpotentem, vt Ablauij animum magnopere solicitum, anxiumq. reddiderint: qui maiori solicitudine de eisdem concepta, omnia defert ad Imperatorem, remq. haud diutius dissimulandam esse confirmat: ad sumendumq. tandem supplicium de maiestatis reis animum ipsius adegit, qui in eos capitalem sententiam protulit.

TRIBVNI DAMNATI S. NICOLAVM INVOCANT.

Quid inter hæc accidit? dum securim carnifex parat, Hilarianus carceris custos dolens, mærensq. sententiam ab Imperatore prolatam Tribunis annunciat: insperato illi nuncio consternantur, inopsq. consilij ratio absorpta mærore tabescit, omniq. spe destituta torpescit: sed inter hæc, quos nuncium repentinum oppresserat, erigit innocentia, & fiducia in Deum corroborat, vniq. ipsorum in mentem reuocat similem suo casum, quem oculis spectasset Myris, B cum tres illos innocentes ciues Myrenses sub securi positos S. Nicolaus diuina virtute pollens fortissime liberarat: egregiumq. facinus, quasi præsens, mentis contemplans obtutu, videbatur sibi Nicolaum videre præsentem, seq. ex illorum numero vnum, qui sub carnifice mortem opperiretur: quamobrem illud ipsum factum, quod eius versabatur in mente, in sociorum memoriam pariter repræsentat: cum omnes simul ad Deum conuersi, Deum Nicolai voce, suspirijs, atque fletibus inuocant, & clamoribus interpellant; ipsumq. denique Nicolaum, vt præsto esset, enixius rogant: id genus verba iungentes, quæ ipse Spiritus postulans pro eis gemitibus inenarrabilibus potuit efformasse.

a Psal. 124.

VISIO OSTENSA CONSTANTINO ET ABLAVIO.

Cum Deus optimus maximus, qui non relinquit virgam peccatorum extendi super sortem iustorum [a], mirabile dictu, ingenti edito miraculo, vinctos educit liberos e custodia: et quonam modo? Quiescentibus noctis tempore singulis in lectis suis, Ablauio Præfecto prætorio C & Constantino, visus est vir imaginem præseferens Episcopi, aspectu graui, vultuq. seuero eos acriter obiurgantis de iniquissima in insontes prolata sententia, ac pariter comminantis, se affore a Deo missum vltorem, nisi a cœptis omnino desisterent. Sed & quinam esset, eodem pariter minaciter admonente significatum est, nempe se esse Nicolaum Myrensem Episcopum missum a Deo eiusmodi sceleris vindicem. Tali visu ambo perterriti, reliquum noctis ducunt insomnes: cum primo diluculo Constantinus Ablauium accersiri iubet; quem aduenientem de ea quam accepit visione reddidit certiorem: cum ille admirans ab Imperatore referri, quæ ipse solum se vidisse putabat; de ijsdem quæ illi simillima accidissent, Constantinum admonuit: præ stupore eadem secum repetunt, & sermone versant, atque de aduocandis ad se Tribunis vna consentiunt, subdubitantes ne quid ab illis esset arte magica comparatum, qua vtriusque mens dormientis esset elusa. D

TRIBVNI LIBERATI LEGATI AD S. NICOLAVM MITTVNTVR.

Perductos ad se vinctos Constantinus de arte magica exagitat quæstionibus: cum ipsi verbis illis, quæ libera innocentia libere loqui dedit, se excusantes, omnem de magia suspicionem ab animo Imperatoris amouent. Tunc ille eosdem de Nicolai Episcopi nomine percontatur, si nossent hominem, & quinam esset: licet alij dicant, de Nicolai nomine, dum eum inuocarent illi, mentionem obiter incidisse. Quidquid sit: de rebus Myris gestis S. Nicolai Constantinus certior redditus, in omnibus persuasus, facti pœnitens, officijs compensare festinans, quod nesciens deliquisset, vinctos liberat, & in pristinã restituit dignitatem; quos & ad sanctum virum iussit abire Legatos, vt de accepto ab eo beneficio gratias agerent: quibus hæc ad eum perferenda munera dedit, opertum auro Euangelium, vas ad sacra mysteria aptum aureum gemmis ornatum, atque duo candelabra aurea ad vsum Ecclesiæ, cui S. Nicolaus præesset Episcopus (ponunt alij & aureas chirothecas) ac dedit ad eum litteras & quidem officiosissi- E mas. Obeunt ipsi hilares munus ab Imperatore mandatum; profectiq. Myras, Nicolao summas gratias agunt, & allatas litteras & munera offerunt: suscepit ille, deq. omnibus Deo immensas vna cum eis rependit gratias. Cum hæc igitur non in angulo, sed in ipsa regia, & in florentissima ac frequentissima ciuitate facta sint, Nicolai virtus & nomen redditum est in omnibus celeberrimum: nam illorum exemplo Fideles admoniti, cum aliqua pulsarentur aduersitate, eum licet longe positum, quasi præsentem vt præsto esset precibus iugiter efflagitabant, ac voti compotes efficiebantur.

S. NICOLAI OBITVS ET EFFIGIES.

At non post hæc diu, sanctissimus vir ille vinculis carnis exutus, quibus tamen numquam sic fuit obstrictus, ne animo versaretur in cælis, in bona senectute & pace reddidit Deo spiritum, relinquens vberem gratiarum fontem, vnguentum inquam iugiter ex ossibus eius scatens, quod & in hanc vsque diem manare non desinit: de quibus consule notata a nobis in Romano Martyrologio. Addimus ad hæc appendicem, nempe quæ de eius vultus effigie sunt in

Nicæno

A Nicæno secundo Concilio recitata his verbis [a]: Theodorus Myrorum Episcopus dixit: Ego quoque ijs non multum dissimilia passus sum. Nam cum aliquando ab aulicis quibusdam iniuria essem affectus, venit ad me diaconus meus vir pius & timens Deum, retulitq. in somnis sibi visum Metropolitanum nostrum pollicêtem negotijs meis expectatum finem & successum: Ibi mihi inquirenti, qua effigie visus sibi esset Patriarcha, respondit: Facie rubicunda, & capite cano. Inquam ego non esse eam Patriarchæ similitudinem, sed sancti Nicolai imaginem, quemadmodum fertur. Respondit tum is mihi, me recte dixisse: sic enim circumfertur eius imago passim expressa, quemadmodum mihi in somnis astitit. Mox itaque confisus sermonibus, in sacram & regiam vrbem profectus, res quæ ad Episcopatum meum pertinebant, ex animi sententia composui.] hæc ibi.

a Nicæn. Concil. 2. Act. 4.

Sed quod ad Ablaiuum pertinet, cuius Præfecturæ prætoriæ huius anni occasione, ad ea de S. Nicolao narranda diuertimus: homo erat auri cupidissimus, qui & auro corruptus adeo præclaris viris de Imperio optime meritis necem inferre pro viribus studuit. Hunc & illum puto ab Eusebio intelligi, dum agit de pio officio Constantini in curandis suorum aulicorum morbis, atque ait [b]: Fertur præterea cuidam ex suis ab se aliquando prehenso dixisse: Quo vsque tandem, o bone, inexplebilem hanc auaritiam cumulamus? Deinde cum corporis humani perfectæ ætatis circumscriptam mensuram, hasta, quam manu tenebat, humi impressisset: Omnes, inquit, vitæ diuitias & totius Orbis opes si domi haberes, tamen plus hoc a me circumscripto loculo non possidebis, si & illud forte possederis. Huiusmodi dictorum & factorum modum sibi nullum statuebat beatus Imperator: resq. ipsæ persuadebant, Imperatoris hæc quasi diuinitus edita præcepta, non nudis verbis, sed diuinis oraculis similia esse.] hæc Eusebius, ac probe quidem secundum illud diuinæ scripturæ [c]: Diuinatio in labijs Regis.] nã Constantinus de Ablauio vera vaticinatus est, cum finem infelicissimum sit consequutus: in morem enim pecudis frustatim dissectus, incertum est an vel vbi fuerit humili saltem sepultura donatus. Sed de his, cum ea contigerint sub Constantio Constantini filio, suo loco pluribus agemus.

ABLAVIVS PF. AVARISSIMVS.

b Euseb Vit. Constantin. lib. 4. c. 29. in fi. & 30.

c Prouerb. 16.

Rursum vero ad compescendam magistratuum auaritiam Idem Imperator diuersas sanxit leges; sed aduersus Aduocatorum rapinas hunc in modum hoc anno ad Bassum [d] rescripsit: Aduocatos, qui consceleratis depactionibus suæ opis egentes spoliant, atque denudant, non iure causæ, sed fundorum, pecorum, & mancipiorum qualitate, rationeque tractata, dum eorum præcipua poscunt, coacta sibi pactione transcribi: ab honestorum cœtu, iudiciorumque conspectu segregari præcipimus. PP. VIII. Id. Mart. Constantinopol. Constantino VII. & Constantio Coss.] Sed & superiore anno, Consulibus Paulo & Iuliano, aduersus eosdem aliam edidit sanctionem [e]. Est præterea in eumdem Ablauium vehemens Eunapij Sardiani querela de nece Sopatri huius temporis inter philosophos Platonicos facile principis, de quo superius mentio facta est, quem plurimum laudat, & apud Constantinum præcipuum ferme locum obtinuisse tradit; cuius felicitate Ablauium liuore exæstuantem hac arte machinatum illi esse necem affirmat [f]:

d l. 1. de postulan. Cod. Theodos.

e l. 1. C. de postuland.

f Eunap. Vit. Philosoph.

Constantinopolis, vetusto nomine Byzantium, antiquitus suppeditabat Atheniensibus annonam, fidemq. omnem excedebat frumenti inde aduecti vis: ac nostro sæculo neque onerariæ naues, quas Aegyptus mittit, totaq. Asia cum Syria & Phœnice, neque frumentariæ copiæ ex alijs prouincijs vectigalibus comportatæ explere valent, aut satiare circumfluentem & copiosam populi multitudinem, quam Constantinus e debellatis vrbibus Byzantium transtulit, ac circum se habere voluit ad captandos in theatro a temulentis & crapulam reiectantibus plausus: ambiens scilicet a titubante populo laudari, nominarique ab his qui difficulter nomen sonant, nisi ex vsu. Accidit forte, vt cum Byzantij situ male conueniret nauium appellentium accessus, ni secundus purusque Auster afflaret: quod cum ob montium naturam vsuueniret, tuncque frequentius malum illud occurreret: plebs stimulante fame incensa ad theatrum conuenit, ingens raritas laudum ebrij populi stuporem Imperatori incusserat. Interea inuidi opportunum cum primis tempus se inuenisse rati: Sopater (inquiunt) tantis per te honoribus cumulatus, beneficio summæ peritiæ, quæ te quoque laudatorem habet, & per quam Imperatorio in solio residet, ventos vinxit, magica nimirum arte. Quo audito, credulus Constantinus, securi virum percuti mandat: maleuoli dicto citius exequi iussa festinant. Istius mali auctor fuit Ablauius prætorij Præfectus, qui a Sopatro claritate superabatur.] hucusque Eunapius: ex quibus pariter videas Constantinum Imperatorem magos vehementer insectatum esse.

QVID ABLAVIVS IN SOPATRVM PHILOSOPH.

SOPATER PHILOSOPH. OCCIDITVR.

At digna

At digna plane retulit Sopater de impietate præmia & temerario ausu, dum eo consilio transtulerat se in Regiam, vt Constantinum a pietatis instituto reuocaret. A

Ad eumdem Ablauium Præfecturam prætoriam hoc anno agentem extat sanctio eiusdem Constantini Imperatoris de Episcopali iudicio & testimonio, quod ratum firmumq. in omnibus & ab omnibus voluit custoditum. Cum enim ea quæ in eadem causa idem Imperator ante rescripserat, iam propemodum exoleuissent: Ablauius Præfectus prætorio sic, vt dictum est, per visum territus a S. Nicolao, grauiora timens, si Episcoporum iudicia paruipenderet, consulit ea de re Constantinum Imperatorem; qui & ipse non immemor eorum quæ per visum passus esset, ad eumdem Ablauium, vt par erat, rescripsit; nempe vt eorum iudicia seruarentur in omnibus inconcussa, & summo honore haberentur ab vniuersis. Constitutio autem Imperatoris sic se habet [a]:

EDICTVM OCCASIONE NICOLAI SANCITVM.

a L. 1. de Episcop. iudic. Cod. Theodos.

Imp. Constantinus A. Ablauio Præf. Præt. B

Religionis est, clementiam nostram sciscitari voluisse, quid de sententijs Episcoporum vel ante moderatio nostra censuerit, vel nunc seruari cupiamus, Ablaui parens carissime. Itaque quia a nobis instrui voluisti, olim prærogatæ legis ordinem salubri rursus Imperio propagamus. Sanximus namque, sicut edicti nostri forma declarat, sententias Episcoporum quolibet genere prolatas sine aliqua ætatis discretione inuiolatas semper incorruptasque seruari: scilicet vt pro sanctis semper & venerabilibus habeatur, quidquid Episcoporum fuerit sententia terminatum. Siue itaque inter minores, siue inter maiores ab Episcopis fuerit iudicatum: apud vos qui iudiciorum summam tenetis, & apud ceteros omnes Iudices ad executionem volumus peruenire. Quicumque itaque litem habens, siue possessor, siue petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, siue cum negotium peroratur, siue cum iam cœperit promi sententia, iudicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis; illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur. Multa C enim quæ in iudicio captiosæ præscriptionis vincula non patiuntur, inuestigat & promit sacrosanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque causæ, quæ vel Prætorio iure, vel Ciuili tractantur, Episcoporum sententijs terminatæ, perpetuo stabilitatis iure firmentur. Nec liceat vlterius retractare negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Testimonium etiam ab vno licet Episcopo perhibitum omnes Iudices indubitanter accipiant: nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi a qualibet parte fuerit repromissum: illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes; vt miseri homines longis ac pene perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus, vel a cupiditate præpropera maturo fine discedant. Quidquid itaque de Episcoporum sententijs clementia nostra censuerat, & iam hac sumus lege D complexi, grauitatem tuam & ceteros pro vtilitate omnium latam in perpetuum obseruare conueniet. Dat. III. Non. Maij Constantinopoli.] Vides igitur, nulli summorum etiam magistratuum tantum deferri, duplici lata lege, voluisse Constantinum, ac Episcoporum Ecclesiastico tribunali. Atque iam, quod ad res gestas præsentis anni, hic finis esto.

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
327.	14.	22.

CHristi annus trecentesimus vigesimusseptimus Constantini Cæsaris quarto & Maximi E Consulatu descriptus reperitur in Fastis, licet perperam apud Cassiodorum eiusdem Constantini Cæsaris quintus hic Consulatus dicatur: sed inde manauit error, quòd non Constantius, verum idem Constantinus Cæsar anno superiore cum patre quartum Consul ponatur. Quo quidem tempore Arij & Arianorum falsæ pœnitentiæ male obducta cicatrix iterum recrudescit, & palam, quam diu occultarant, erumpit in saniem. Cum enim (quod pluribus dictum est superius) tum Arius tum Ariani, simulata pœnitentia, dolose palinodiam recantantes, quam antea profitebantur damnassent hæresin: ipseq. Arius sic receptus a S. Magna Synodo esset, vt tamen ab Alexandrina ciuitate, in qua tot dissidia vnà cum hæresi propagarat, omnino abstineret: qui ei patrocinabantur Eusebiani, atque in primis dux omniũ Eusebius Nicomediensis, inito cum Meletianis fœdere, de restituendo Arium Alexandriam consilium ineunt, & vt perficiant, magno studio collaborant. id quidem hoc anno factum esse, quę

EVSEBIANI LABORANT PRO ARIO RESTITVENDO.

S. Atha-

A S. Athanasius tradit his verbis, insinuant [a]: Eusebius igitur propugnator Arianæ hæreseos, re cognita, ad Meletianos litteras dat (quinque post menses, vt paulo superius ait, ab obitu Alexandri Episcopi Alexandrini) magnisq. promissis amicitiam & societatem clanculum init, sibiq. inuicem rebus gerendis tempus constituunt. Quapropter primum ad nos litteras hortatorias scribit de Ario recipiendo; sed ita, vt sine scripto minaretur, scriptis autem speciem rogantis præseferret. Verum vbi illi responsum esset, hæreseos inuentores veritati infestos, & damnatos ab vniuersi Orbis Concilio, minime recipiendos esse: Cæsarem beatæ memoriæ Constantinum inducit, vt mihi cum minis scriberet, ea nos expectare debere, quæ & nunc & antea passi sumus, nisi Arium reciperem: pars autem epistolæ sic se habet, quam detulerunt Palatini Synclitius & Gaudentius.] Sed hæc de epistola ad Athanasium a Constantino scripta, postea contigerunt, nosq. eam suo loco ponemus.

a *Athanas. Apolog. 2.*

B Incredibile dictu est, quibus se artibus Eusebius in aulicorum intruserit amicitiam, atque Constantinum contra Athanasium commouerit. Iam diu ante cum Eusebius ageret Nicomediæ, Constantia Augusta Licinij Imperatoris vxor in eius (vt diximus) amicitiam se magnopere insinuauerat, qua apud Constantinum præcipua vtebatur administra in omnibus quæ aduersus Athanasium moliretur, curauitq. pariter, vt erga Arium eamdem redderet propensiorem: quod intercurrentibus mutuis inter eos litteris ex animi sententia factum est, vt omnia Reginæ studia in fauendo Ario conuersa essent. Vnde egregie illud S. Hieronymi ad Ctesiphontem: Arius vt Orbem deciperet, sororem Principis ante decepit.] quod defuncta Helena eius matre, facilius est consequutus: ait enim Ruffinus [b]: Postquàm religiosi Principis mater Helena summis Romani regni honoribus affecta ex hac luce discessit; Constantia tunc Licinij relicta, fratris Augusti solatijs vtebatur. Huic accidit presbyterum quemdam venire

EVSEBII STVDIA APVD AVLICOS.

b *Ruffin. lib. 1. c. 11.*

C in notitiam, latenter Arij partibus fauentem. Sed is primo nihil omnino de his apud sororem Principis aperire: vbi vero multa familiaritas copiam tribuit, paulatim cœpit sermonem aspergere, inuidiam dicens Ario generatam, & pro simultatibus priuatis Episcopum suum rem contentiose exagitasse, æmulationis stimulo confixum, quòd Arius apud plebem satis carus haberetur. Hæc atque huiusmodi alia frequentius suggerens, animos Constantiæ suos efficit. Quæ cum diem obitura visitaretur a fratre, atque ab eo blande religioseq. compellaretur, extremam ab eo dicitur gratiam poposcisse, vt presbyterum in familiaritatem reciperet, & quæ sibi ab eo pro spe & salute suggererentur, audiret; se quidem iam ex hac luce discedentem nihil curare, pro fratris vero statu esse solicitam, ne forte pro innocentium pœnis, regni sui pateretur excidium. Quibus ille monitis a sorore susceptis, & fidelem pro se germanæ solicitudinem credens, accommodauit aurē presbytero, & interim accersiri de exilio Arium

CONSTANTIA AVG. SEDVCTA AB ARIANIS.

D iubet, &c.] quæ enim sequuntur, alio postea tempore acciderunt.

Horum omnium fuisse Eusebium Nicomediæ Episcopum architectum, testatur Socrates [c], verū nihil prorsus de Arij exilio, ad quod perperam putant nonnulli eumdē Arium in Nicæno Concilio fuisse damnatum; quem scimus, auctore S. Hieronymo [d], pœnitentiam simulantem subscripsisse cum alijs Nicæno Concilio; sed tantum illum esse prohibitum, ne rediret amplius Alexandriam: nec Athanasius quidquam vspiam de Arij exilio; immo nec Constantini litteræ, quibus ad se Arium accersiuit, eum ab exilio reuocasse demonstrant [e]. Ea enim de recantata in Synodo Nicæna ab Ario palinodia, ex Actis Nicænis prodere se idem S. Hieronymus profitetur, qui & ait eius rei viuentes adhuc testes extare. Quamobrem vt ne latum quidem vnguem ab historiæ veritate recedatur, totam ipsam rei gestæ seriem ex Athanasij scriptis omnia publice testantis, petendam esse putamus: hæc enim nos præfatos esse voluimus, quòd

c *Socrat. lib. 1. c. 19.*

ARIVS NON EXVLAVIT.

d *Hieron. aduer. Lucif.*

e *Apud Socrat. lib. 1. c. 19.*

E sciamus eadem de exilio Arij ex dictis auctoribus complures alios pariter testatos esse, vt inter ceteros incertus auctor præfationis illius, quæ eam præcedit disputationē, quæ fertur Athanasij cum Ario [f], de qua suo loco dicturi sumus. Quòd insuper (vt superius ex Athanasio vidimus) Eusebius Nicomediensis ad ipsum Athanasium dedisset litteras de Ario recipiendo in Ecclesiam Alexandrinam: plane significatur, ipsum non fuisse exilio relegatum: nam non erat vnius Athanasij facultas, eum ab exilio soluere, quod Imperator Constantinus ex Synodo statuisset. Quòd præterea idem S. Athanasius (vt ipse testatur [g]) rescripserit ad Eusebium, hæreseos inuentores ab Oecumenico Concilio condemnatos, minime recipiendos esse: haud potuit hæc intellexisse de hæresiarcha non pœnitente, cum quiuis gregarius hæreticus numquam in Ecclesiam absque pœnitentia consueuerit admitti. Nec Athanasius eius erroris erat, vt negaret Ecclesiam hæreticis pœnitentibus, qui de his scribens ad Antiochenos hæc ait [h]: Omnes igitur, qui vobiscum pacifice agere volunt, in primis autem illos qui in veteris Ecclesiæ communione fuerunt, deinde qui ab Arianis fuerunt, allicite ad vos, eosq. vt patres assumite,

f *Extat apud Athanas. in dispu. Athanasij cum Ario coram Probo.*

g *Athanas. Apolog. 2.*

h *Athanas. ad Antioch.*

mite, & vt magistri & tutores recipite, coaptantes vos interim dilecto nostro Paulino, eiusque A
socijs: nihilq. amplius ab illis exigatis, quàm vt execrentur Arianorum hæresin, confiteanturq. sanctorum Patrum in Nicæa fidem.] hæc ipse; quibus videas, quantum abhorreret, vt noluerit suscipere hæreticos pœnitentes. Sic itaque cum ille negarat recipere Arium Alexandriam, eam reddidit causam, quòd esset hæresiarcha, cui quantumlibet pœnitenti haud indulgendum esset vt ceteris: non enim inuentores hæresum ijsdem cum alijs in Ecclesia Dei pœnis affici consueuerunt, sed grauioribus.

CONSTANTINVS AB EVSEBIO IN ATHANASIVM COMMOVETVR.

Eusebius igitur Nicomediæ cum videret, vt dictum est, se frustra pro restitutione Arij apud Athanasium agere; Constantinum Imperatorem adiens, in Athanasium recentem Episcopum multa obloquutus, eiusdem priuatos affectus aduersus Arium criminatus, alias in eum calumnias corrogans, atque Arium vere pœnitentem affirmans, eo animum Imperatoris in eumdem Athanasium concitauit, vt Constantinus plane indignans, minaces ad Athanasium B
litteras scripserit: id quidem Athanasius ipse illis testatur verbis, quibus ait [a] de Eusebio, postquàm eum in recipiendo Ario renitentem expertus fuerat: Cæsarem beatæ memoriæ Constantinum inducit, vt mihi cum minis scriberet, ea nos expectare debere, quæ & nunc & antea passi sumus, nisi Arium reciperem.] hæc tunc molitus est Eusebius Nicomediensis Episcopus in Athanasium; qui eiusdem Constantini ad se scriptæ epistolæ fragmenta recitat, cum subdit: Pars autem epistolæ sic se habet, quam detulerunt Palatini Synclitius & Gaudentius. Cum igitur mentis meæ sententiam intelligas: omnibus qui in Ecclesiam intrare postulant, aditum inoffensum præbebis. Quòd si prohibueris quempiam, qui se Ecclesiæ participem esse vult, aut si excluseris ab ingressu: mittam continuo cum meis mandatis, qui te deponant, & in alium locum deportent.] hæc quidem & alia ad Athanasium Constantinus, ab Ariano homine, qui se dolose Catholicum profitebatur, Eusebio, ira percitus atque valde commotus C
conscripsit.

a Athanas. Apolog. 2.

ATHANASIVS PLACAT CONSTANTINVM.

Athanasius autem, his acceptis litteris, sic rescripsit ad eum quæ veritati cōsentanea essent, vt animum eius placaret: nimirum istæc omnia ab illo agi, vt damnatam Arianam hæresin, iterum occulto tramite restitueret, cum alioqui nec Arius vere pœnitens erroris esset. hæc & alia ipse id genus multa, quibus Constantini animus concitatus quieuit. Cum vero intelligeret Eusebius, numquam Alexandriam Arium habiturum accessum, donec Athanasius præesset Ecclesiæ Alexandrinæ: vt eum e sede depellat, cum Meletianis consilium agitat, quo calumniarum artificio confictis in Athanasium criminibus, eumdem reddant Constantino infensissimum, atque hac via e sede deturbent. hæc quidem omnia paucis his in superius citato loco Athanasius demonstrat, cum subdit: Hic cum ego Cæsari persuasissem, nullam esse debere Ecclesiæ Catholicæ cum hæresi Christi oppugnatrice communionem: tum demum tempus D
obuenisse arbitratus Eusebius, quod cum Meletianis constituerat, litteras ad eos scribit, vt scelera de nobis confingerent, &c.] quasnam autem illi in Athanasium calumnias excogitarint, tràdemus anno sequenti.

EVSEBIANI INSEQVVNTVR ATHANAS. VT HAERESIN PROPAGARENT.

Porro non aliud egisse Eusebianos, Athanasium insequendo, nisi vt Arium restituerent, & per eum damnatam hæresin restaurarent, idem ipse Athanasius disertis plane verbis affirmat, hæc dicens [b]: Siquidem eo ipso, quòd dicerent, depulsam esse omnem inuidiam, & quia post Athanasij exilium scribebant, Arium cum suis recipiendum esse; satis indicarunt, sese non alia causa Athanasio ceterisq. Episcopis, quos sibi refragatores sentiebant, insidias struxisse, quàm vt Arium reducerent, & hæresin introducerent.] hæc Athanasius, qui easdem alibi [c] repetit querelas. Ex quibus errare conuincuntur, qui Arium mox post Nicænum Concilium tradunt [d] Alexandriam reuersum, & diu ibidem commoratum. Sed & Constantini epistola E
ad Arium scripta, quam recitat Socrates [e], non cum primum actum est de eiusdem Arij restitutione, ab eo data est, verum longe postea, & paulo ante Arij obitum, vt suo loco perspicue demonstrabimus.

b Athanas. de Synod. Arimin.
c Athanas. Apolog. 2.
d Theodoret. lib. 1. c. 14.
e Socrat. lib. 1. c. 19.

PERPLEXA DE ARIO HISTORIA.

Vix equidem credi potest, quot perplexitatibus inuoluta, & obscuritatibus obtenebrata, notissima omnibus habeatur historia de Arij rebus gestis post Nicænum Concilium: adeo vt ad rectam temporis regulam & veritatem ea omnia congrue disponenda, non mediocriter nobis fuerit laborandum. Affirmat quidem Socrates [f], Arium post Nicænum Concilium versatum diu Alexandriæ, sed per Tyriam Synodum plenius restitutum, ac demum anno trigesimo Constantini, Dei vindicta, perijsse. Sozomenus [g] vero tradit restitutum Arium per Concilium Hierosolymitanum, additq. Tyri Concilium ab Arianis post Hierosolymitanum celebratum fuisse. Theodoretus [h] autem coitionem Arianorum cum Meletianis post Arij obitum recenset. Ruffinus [i] eiusdem Arii interitum ponit post Constantini obitum, atque confuse nimis

f Socrat. lib. 1. c. 20. 21. 22.
g Sozom. lib. 2. c. 25. 26. 27.
h Theodoret. lib. 1. c. 14. & c. 26.
i Ruffin. lib 1. c. 11. 12. 13. 16.

A nimis Conciliabulum Tyrium factum putat sub Constantio Imperatore; Epiphanius [a] vero his omnibus senior, qui & his temporibus quibus hæc agitabantur iuuenis erat, affirmat Arij obitum contigisse viuente adhuc Alexandro Episcopo Alexandrino, antequàm etiam cogeretur Nicænum Concilium. In tanta igitur auctorum diuersitate, atque rerum difficultate, vnus nobis sit instar omnium Athanasius, qui ea cuncta spectauit, atque pro rerum & temporum occasione conscripsit, protulitq. eadem ipsis hostibus examinanda, cum aduersus eos Apologias cõposuit; ne quis putet ipsum ea in angulo obloquutũ, nemine arbitro vel contradictore. Ex cuius quidem testificatione constat, primum omnium pro restitutione Arij Alexandriam, Eusebium Nicomediensem & Arianos plurimum laborasse, & acres litteras a Constantino ad Athanasium extorsisse: et cum nec sic quidem profecisse se aliquid intellexissent, ad exturbandum e sede eumdem Athanasium cum Meletianis conspirasse. Quæ autem, B eodem Athanasio auctore, post hæc accidisse noscuntur, eo qui sequitur anno dicturi sumus.

a Epiphan. hær. 69.

His ipsis primordijs Athanasij sacerdotij, quem anno superiore vidimus in locum Alexandrĩ subrogatum fuisse, hæc de propagatione Euangelij ad Indos contigisse, Ruffinus [b] narrat: In ea, inquit, diuisione Orbis terræ, quæ ad prædicandum verbum Dei sorte per Apostolos celebrata est, cum aliæ alijs prouinciæ obuenissent, Thomæ Parthia, & Matthæo Aethiopia, eiq. adhærens citerior India Bartholomæo dicitur sorte decreta. Inter quam Parthiamque media, sed longo interior tractu India vlterior iacet, multis varijsq. linguis & gentibus habitata, quam velut longe remotam nullus Apostolicæ prædicationis vomeri impresserat; quæ tamen temporibus Constantini tali quadam ex causa semina fidei prima suscepit. Metrodorus quidam philosophus, inspiciendorum locorum, & Orbis perscrutandi gratia, vlteriorem dicitur Indiam penetrasse. Cuius exemplo etiam inuitatus Meropius quidam Tyrius philo-C sophus, simili ex causa, adire Indiam voluit, habens secum duos puerulos, quos liberalibus litteris, vtpote propinquos, instituebat. Quorum vnus, qui erat iunior, Aedesius, alter Frumentius vocabatur. Igitur peruisis, & in notitiam captis his quibus animus pascebatur, cum philosophus redire cœpisset, aquæ vel ceterorum necessariorum causa ad portum quemdam nauis, qua vehebatur, applicuit. Moris est inibi barbarorum, vt si quando fœdus sibi cum Romanis turbatum vicinæ nunciauerint gentes, omnes qui apud eos ex Romanis inuenti fuerint, iugulentur. Inuaditur nauis philosophi, cuncti cum ipso pariter perimuntur. Pueruli reperti sub arbore meditantes, & lectiones suas parantes, barbarorum miseratione seruati, ducuntur ad Regem. Horum ille alterum, id est Aedesium, sibi pincernam fecit: Frumentio vero, quem quasi perspicacem deprehenderat & prudentem, rationes suas, scriniaq. commisit: ex quo & in honore magno apud Regem habiti, & in amore.

b Ruffin. lib. 1. c. 9.

EVANGELII AD INDOS PROPAGATIO.

D At vero moriens Rex, vxorem cum paruulo filio regni dereliquit heredem; adolescentibus autem, quid vellent, agendi dedit liberam facultatem. Quos tamen Regina suppliciter exorat, tamquam quæ nihil haberet in toto regno fidelius, vt secum, vsque quo adolesceret filius, regẽdi regni solicitudinem partirentur, & præcipue Frumentium, cuius prudentia ad moderandũ sufficeret regnum: nam alius fidem puram & sobriam mentem simpliciter exhibebat. Idque dum agerent, & regni gubernacula Frumentius haberet in manibus; Deo mentem eius & animos instigante, requirere solicitus cœpit, si qui inter negotiatores Romanos Christiani essent, & ipsis potestatem maximam dare, ac monere, vt conuenticula per loca singula facerent, ad quæ Romano ritu, orationis causa confluerent: sed & ipse multo magis eadem facere, & ita ceteros cohortari, fauore & beneficijs inuitare, præstare quidquid opportunum fuisset, loca ædificijs, aliaq. necessaria præbere, & omnino gestire, vt Christianorum ibi semen exurgeret.

E Sed cum regius puer adoleuisset; qui procurationẽ regni gerebant, expletis omnibus, & ex fide traditis, multũ licet detinẽtibus & rogantibus vt manerẽt, Regina vel filio, ad Orbẽ tamen nostrũ reuertuntur. Et Aedesio festinante Tyrũ, parentes, propinquosq. reuisere, Frumentius Alexandriã pergit, dicens, æquum non esse, opus occultare Dominicum. Igitur rem omnem, vt gesta est, exponit Episcopo, ac monet vt prouideat virũ aliquem dignũ, quem congregatis iam plurimis Christianis, & ecclesijs constructis in barbarico loco, Episcopũ mittat. Tũ vero Athanasius (nam is nuper sacerdotium susceperat) attentius & propensius Frumentij dicta gestaq. considerans in concilio sacerdotũ, ait: Et quem alium inueniemus virum talẽ, in quo sit Spiritus Dei, sicut in te, qui hæc possit implere? Et tradito ei sacerdotio, redire eum cũ Domini gratia, vnde venerat, iubet. Qui cũ Episcopus peruenisset ad Indiã, tanta ei data esse a Deo virtutũ gratia dicitur, vt signa per eum Apostolica fierent, & infinitus numerus barbarorum conuerteretur ad fidem. Ex quo in Indiæ partibus & populi Christianorum & Ecclesiæ factæ sunt, & sacerdotium cœpit. Quæ nos ita gesta, non opinione vulgi, sed ipso Aedesio, Tyri presbytero postmo-

postmodum facto, qui Frumentij comes prius fuerat, referente cognouimus.] hactenus de A his Ruffinus: eadem Socrates [a] ex eodem Ruffino recitat, itemq. Theodoretus [b], atque Sozomenus [c]. At vero nulla de Metrodoro atque Meropio philosophis memoria est apud Eunapium Sardianum, vtpote Christianis ab eo neglectis: de Metrodoro tamen mentio habetur apud Hieronymi Chronicon.

[a] Socrat. lib. 1. c. 15. [b] Theodoret. lib. 1. c. 23. [c] Sozom. lib. 2. c. 23. [d] Ruffin. lib. 1. c. 10.

IBERI PER ANCILLAM AD FIDEM PRODVCTI.

At de Iberis quam his Ruffinus [d] subnectit historiam recenseamus: eam enim a certo homine, Bacurio Comite, eius gentis Rege fidelissimo viro, se accepisse testatur: Per idem (inquit) tempus etiam Iberorum gens, quæ sub axe Pontico iacet, verbi Dei fœdera, & fidem futuri susceperat regni: sed huius tanti boni præstitit causam mulier quædã captiua: quæ apud eos reperta, cum fidelem ac sobriam satis duceret vitam, totisq. diebus ac noctibus obsecrationes Deo peruigiles exhiberet, in admiratione esse ipsa rei nouitas barbaris cœpit; et quid hoc sibi velit, curiosius perquirebant. Illa, vt res erat, simpliciter Christum se Deum B hoc ritu colere fatebatur. Nihil ex hoc amplius barbari præter nouitatem nominis mirabantur. Verum, vt fieri solet, ipsa perseuerantia curiositatem quamdam mulierculis inferebat, si quid emolumenti ex tanta deuotione caperetur. Moris apud eos esse dicitur, vt si paruulus ægrotet, circumferatur a matre per singulas domos, quo scilicet si quis experti aliquid remedij nouerit, conferat laboranti. Cumq. mulier quædam paruulum suum per omnes circumtulisset, ex more; nec aliquid remedij, cunctas domos lustrando, cepisset; venit etiam ad captiuam, vt si quid sciret, ostenderet. Illa se humani quidem remedij nihil scire testatur: Deum tamen suum Christum, quem colebat, dare ei desperaram ab hominibus posse salutem, confirmat. Cumq. cilicio suo paruulum superposuisset, atque ipsa desuper orationem fudisset ad Dominum, sanum matri reddidit infantem.

REGINA CVRATVR AB ANCILLA.

Sermo autem defertur ad plures; factiq. fama magnifici vsque ad aures Reginæ perlabitur: C quæ dolore quodam grauissimo corporis afflicta, in desperatione maxima erat: rogat ad se captiuam deduci. Illa ire abnuit, ne præsumere amplius aliquid, quàm sexus fineret, videretur. Ipsam se Regina deferri ad captiuæ cellulam iubet: quam similiter supra cilicium suum positam, inuocato Christi nomine, continuo post precem, sanam & alacrem facit exurgere: Christumq. esse Deum, Dei summi filium, qui salutem hanc contulerit, docet: eumq. quem sibi auctorem suæ sciret esse incolumitatis & vitæ, commonet inuocandum: ipsum namque esse, qui & Regibus regna distribuit, & mortalibus vitam. At illa cum lætitia domum regressa, marito percontanti, causam tam subitæ sanitatis aperuit: quiq. eum pro salute coniugis lætus, mulieri munera deferri iuberet: Illa, Horum (inquit) o Rex nihil captiua dignatur, aurum despicit, argentum respuit, ieiunio quasi cibo pascitur: hoc solum ei muneris dabimus; si eum, qui me, illa inuocante, sanauit, Christum Deum colamus. D

REX INVOCAT CHRISTVM.

Ad hoc tunc Rex segnior fuit, & interim distulit, sæpius licet ab vxore commonitus: donec accidit quadam die, venante eo in siluis cum comitibus suis, obscurari densissimis tenebris diem, & per terræ noctis horrorem, luce subducta, cæcis iter gressibus denegari: alius alio diuersi ex comitibus oberrant; ipse solus densissima obscuritate circumdatus, quid ageret, quo se verteret, nesciebat: cum repente anxios salutis desperatione animos cogitatio talis ascendit: Si vere Deus est Christus ille, quem vxori suæ captiua prædixerat, nunc se de his tenebris liberet, vt ipsum ex hoc, omissis omnibus, coleret. Illico vt hæc nondum verbo, sed sola mente deuouerat, reddita Mundo dies Regem ad vrbem perducit incolumem. Quiq. Reginæ rem protinus, vt gesta est, pandit. Euocari iam iamq. captiuam, & colendi ritum vt sibi tradat, exposcit: neque se vltra alium Deum, quàm Christum, veneraturum esse confirmat. Adest captiua, edocet Deum Christum, supplicandi ritum, venerandiq. modum: E in quantum de his aperire feminæ fas erat, pandit. Fabricari tamen ecclesiam monet, formamq. describit.

CREDVNT IBERI.

Igitur Rex totius gentis, populo conuocato, rem ab initio, quæ erga se ac Reginam gesta fuerat, exponit; fidemq. edocet, & nondum sacris initiatus, fit suæ gentis Apostolus. Credunt viri per Regem, feminæ per Reginam: cunctisq. idem volentibus, ecclesia extruitur instanter: et eleuato iam perniciter murorum ambitu, tempus erat, quo columnæ collocari deberent. Cumq. erecta prima vel secunda, ventum fuisset ad tertiam, consumptis omnibus machinis, & boum hominumque viribus, cum media iam in obliquum fuisset erecta, & pars reliqua nullis machinis erigeretur, repetitis secundo & tertio ac sæpius viribus, ne loco quidem moueri, attritis omnibus, potuit. Admiratio erat totius populi: Regis animositas hebescebat: quid fieri deberet, omnes simul latebat. Sed cum interuentu noctis omnes abscessissent, cunctiq. mortales, & ipsa opera cessarent; captiua sola in oratione pernoctans,

A ſtans, manſit intrinſecus: cum ecce matutinus & anxius cum ſuis omnibus ingrediens Rex,
videt columnam, quam tot machinæ & tot populi mouere non quiuerant, erectam, & ſuper
baſim ſuam librate ſuſpenſam, nec tamen ſuperpoſitam, ſed quantum vnius pedis ſpatio in ae-
re pendentem. Tunc vero omnes populi contuentes & magnificantes Deum, veram eſ-
ſe Regis fidem & captiuæ religionem præſentis miraculi teſtimonio perhibebant. Et ecce
iam mirantibus adhuc & ſtupentibus cunctis, in oculis eorum ſenſim ſupra baſim ſuam, nullo
contingente, columna depoſita, ſumma cum libratione conſedit. Poſt hoc reliquus co-
lumnarum numerus tanta facilitate ſuſpenſus eſt, vt omnes quæ ſuperfuerant, ipſa die
locarentur.

Poſtea vero quàm eccleſia magnifice conſtructa eſt, & populi fidem Dei maiori ardore ſi-
tiebant, captiuæ monitis, ad Imperatorem Conſtantinum totius gentis legatio mittitur. Res LEGATIO AB
B geſta exponitur: ſacerdotes mittere oratur, qui cœptum erga ſe Dei munus implerent. Qui- IBERIS AD CONSTANTI-
bus ille cum omni gaudio & honore tranſmiſſis, multo amplius ex hoc lætatus eſt, quàm ſi in- NVM.
cognitas Romano Imperio gentes & regna ignota iunxiſſet. Hæc nobis ita geſta fideliſ-
ſimus vir Bacurius gentis ipſius Rex, & apud nos domeſticorum Comes, cui ſumma erat
cura & religionis & veritatis, expoſuit, cum nobiſcum Palæſtini tunc limitis Dux Hie-
roſolymis ſatis vnanimiter degeret.] hucuſque Ruffinus de Iberis illis ad Chriſtum con-
uerſis: eadem quoque Socrates [a], Sozomenus [b], atque Theodoretus [c], & alij recentiores, a Socrat. lib. 1. c. 16.
qui ex eiſdem deſcripſerunt. Fuerunt Iberi, ſiue dixerimus Iberes (vt monet Plinius [d]) po- b Sozom. lib. 2.
puli prope Albaniam & Colchos poſiti, non longe a mari Caſpio & Caucaſijs montibus. c. 24.
Ceterum partem illam Iberiæ, quæ vergit ad mare Ponticum, Colchicam dictam, olim c Theodoret. lib. 1. c. 6.
ſub Traiano Imperatore prædicatione ſancti Clementis Papæ Euangelium ſuſcepiſſe, ſu- d Plin. lib. 6.
C perius dictum eſt: et Irenæi quoque teſtificatione conſtat, longe ante hæc tempora Ibe- c. 10.
ros Chriſtianam fidem amplexatos eſſe. Qui autem iuxta Caucaſum incolunt Iberi in- IBERI DVPLICES.
feriores vergentes ad mare Caſpium, ij putantur ſub Conſtantino Chriſti fidem ſe-
ctati eſſe.

Certe quidem occaſione bellorum & perſecutione Imperatorum Gentilium magnam fa-
ctam eſſe ad fidem Chriſtianam acceſſionem, dum Chriſtiani vel ducerentur a barbaris
captiui, vel metu tormentorum illuc confugerent, teſtatur Sozomenus, dum ait [e]: Cum e Sozom. lib. 2.
vero ad hunc modum per vniuerſum Imperium Romanum ſe dilataret Eccleſia, Chriſtiana c. 5.
religio etiam ad ipſos barbaros peruaſit. Nam gentes circa Rhenum accolentes fidei QVA OCCASIONE BARBARI
Chriſtianæ ſe dediderant. Celtæ enim & populi Galliæ vltimi, qui proximi ad Oceanum FACTI CHRI-
habitant, Gothi etiam, & gentes illis finitimæ, qui ante ad ripas Iſtri habitauerant, iam STIANI.
D pridem fide in Chriſtum recepta, ſe ad cultum & humanitatem ciuiliorem conuerterant.
Cauſa autem cur omnes fere barbari Chriſtianam religionem amplecti cœperint, fuere
bella varijs temporibus (vtpote regnante Gallieno, & Imperatoribus, a quibus ei ſucceſ-
ſum eſt) a Romanis & exteris hominibus adminiſtrata: nam cum infinita fere & promi-
ſcua gentium multitudo ex Thracia in Aſiam traieciſſet, eamque incurſionibus factis occu-
paſſet; alijq. barbari in alijs locis Romanis ſibi finitimis idem præſtitiſſent; multi ſacerdotes
Chriſti pariter captiui a barbaris abducebantur. Qui quidem cum homines in illis locis
morbis afflictatos ſanarent, & dæmonibus occupatos, ſolo nomine Chriſti filij Dei inuo-
cato, liberarent, & ſincerum præterea ac pium vitæ genus colere, & virtutum præſtantia ob-
trectatorum ora penitus obturare viderentur; barbari eos, cum vitæ, tum factorum admirabi-
lium cauſam magnopere admirati, & valde prudentes eſſe; et ſe, ſi tam præſtabiles homi-
E num mores imitarentur, numenq. diuinum ad eorum exemplum colerent, Deum ſibi pro-
pitium habituros. Itaque ab illis, quid ſibi agendum ſit, doceri conſtituunt: diſcunt fidei no-
ſtræ præcepta, baptiſmum recipiunt, & conuentus more Chriſtianorum celebrant.] hactenus
Sozomenus: quæ tamen haud in omnibus probamus: nam longe ante Gallieni tempora Chri-
ſtianam religionem propagatam eſſe ad barbaros remotiſſimos, dictum eſt ſuperiore Tomo
Annalium [f], teſtificatione Irenæi, Iuſtini martyris, Tertulliani, & aliorum. f Annal. tom. 2.

Vt vero ad Bacuriū Iberorum Regem, quē tradit Ruffinus ab Imperatore creatū Comitem an. Dom. 140. & alijs in locis.
domeſticorum, redeamus, quē & fideliſſimum teſtem citat: illum nos eſſe exiſtimamus, quem DE BACVRIO
Ammianus [g] item Bacurium nominat, alias Baturium Iberum, qui in exercitu Romano, vt ait, REGE IBE-
ducebat ordines ſcutariorum & ſagittariorum: quem etiam creatum dicit ab Imperatore RORVM.
Comitem Domeſticorum: ſublimiorum quidem magiſtratuum hic erat ordo; cum alioqui (vt g Ammian. Marcel. lib. 31.
Euſebius [h] auctor eſt) Comites triplicis ordinis eſſe ſolerent. Porro Comitatus nobiliſsima di- h Euſeb. Vit. Conſtantin. lib. 4.
gnitate cōſueuiſſe Conſtantinū Imperatorē inſignire ſublimes ac nobiles viros illos, qui ſpretis c. 1.

 patrijs

patrijs ritibus, se ad Christianam religionem conferrent, cum agit de Iosepho Iudæo S. Epi- A
a Epiphan. hæres. 30. phanius [a] testatur, quem inter Iudæos primarium eadem Comitatus dignitate donatum tra-
dit, quando post multos variosq. casus, magna Dei clementia, Christianam religionem pro-
fessus est. At cum in his versemur, nempe in propagatione fidei mirabili Dei consilio diuer-
sis in locis facta, & tempus hoc a nobis exigat, quòd euenisse id constet sub eodem Constanti-
no Imperatore; ea omnia, quæ ea de re ab eodem auctore scite fideliterq. sunt memoriæ com-
mendata, ipsius verbis narratione hic prosequi, operæpretium esse ducimus.

Erat (inquit) ex Iudæis quidam Iosephus (non scriptor est historiographus ille vetus) sed
DE IOSEPHO COMITE EX IVDAEO CHRISTIANO. a Tiberiade, qui temporibus felicis Constantini Imperatoris illius senioris vixit, & ab ipso
Imperatore Comitum dignitatem assequutus est, & potestatem accepit ædificandi ecclesiam
Christo in eadem Tiberiade, & in Diocæsarea, & in Capharnaum, & alijs ciuitatibus: qui et
multa passus est ab ipsis Iudæis, priusquàm Imperatori manifestaretur. Hic Iosephus inter B
dignitate præstantes viros apud ipsos connumeratus erat. Sunt autem hi post Patriarcham,
Apostoli appellati, assidentq. Patriarchæ, & cum ipso sæpe assidue in nocte ac die degunt con-
sulendi gratia, & vt referant ad ipsum ea quæ sunt in lege.] bene conueniunt hæc, quæ de
nominibus magistratuum Iudæorum Epiphanius tradit, cum eiusdem Constantini Imperato-
b l. 2. & 3. de Iudæis. Cod. Theod. ris rescriptis [b], quibus eisdem indulget priuilegia, in quibus exprimuntur hæc eorum nomina
magistratuum, Patriarcha, Presbyteri, Hieros, Archisynagogi: et in rescripto Archadij Im-
c l. 14. de Iudæis. Cod. Theodos. peratoris [c] nominantur Apostoli, qui ad exigendum aurum & argentum a Patriarcha certo
tempore diriguntur: quos & morum inquisitores & moderatores apud eos fuisse, alias dixi-
mus. sed subdit Epiphanius:

Patriarcha vero illo tempore Hellel nomine erat. Arbitror enim Iosephum sic nomen
eius dixisse (si non ex tempore fallor) ex genere vero Gamalielis erat, qui apud ipsos Patriar- C
HELLEL PATRIARCHA IVD. cha fuit. Ratiocinari autem licet (veluti etiam alij prodiderunt) hunc esse generis illius pri-
mi Gamalielis, qui temporibus Saluatoris vixit, & secundum Deum consilium dedit, vt absti-
d Act. 5. nerent ab insidijs contra Apostolos struendis [d]. Cum autem morti vicinus esset Hellel, cupiuit
Episcopum vicinũ vrbi Tiberiadis ad se venire, & accepit ab ipso sacrum lauacrum in excessu
per medicæ curationis prætextum. Ipsum enim per prædictum Iosephum, velut quòd medi-
cus esset, accersiuit: et omnibus a se remotis, Episcopum rogauit, dicens: Largire mihi signa-
culum in Christo. Ille vero, accersitis ministris, præcepit aquam parari, velut qui morbi gratia
auxilium aliquod adhibere vellet per aquas, cum Patriarcha grauiter ægrotaret. Ministri au-
tem fecerunt iussa: non enim nouerunt, cum Patriarcha, pudoris gratia, omnes a se remouis-
set. Quare sic sacro lauacro & sanctis mysterijs Patriarcha dignus euasit.

At vero Iosephus mihi ipsi hæc retulit: ex ore enim ipsius hæc omnia audiui, & non ab D
aliquo alio, in senecta ipsius, circa septuagesimum ætatis ipsius annum, aut etiam vltra.
IOSEPHVS HOSPES CATHOLICORVM EPISCOPORVM. Ab ipso enim perductus sum Scythopolim. Cum enim migrasset a Tiberiade, possessiones
illic in Scythopoli præclaras acquisiuit. Nam in domo ipsius beatus Eusebius in Italia Epi-
scopus Vercellensis, a Constantio ob fidem Catholicam fugatus, hospitio exceptus erat: et
ad huius visitationem ego & alij fratres illuc profecti, etiam ipsi apud eum diuertimus. Ex
conuersatione vero ipsius Iosephi intra ædes eius & de rebus ipsis percontantes, & cognoscen-
tes quòd ex illustribus apud Iudæos fuit, exquirentesq. ipsius propositum, & quo modo ad
Christianismum deuenit, hæc omnia clare audiuimus, & non ex auditu alterius cuiusdam.
Vnde etiam memorari digna ad credẽtium ædificationem opinati, ea quæ circa virum trans-
acta sunt, propter ea quæ in Hebraicam linguam translata, in Gazophylacio eius reperta sunt,
non incassum omnem rem prædicti Iosephi apposuimus: erat enim vir qui non solum Chri- E
stianus fidelis fieri dignus factus est, sed qui etiam Arianos valde notauit. In illa enim ciuitate,
Scythopoli inquam, solus hic Orthodoxus fuit, omnes vero alij Ariani. Et nisi Comes fuis-
set, & Comitis dignitas Arianorum persecutionem ab ipso prohibuisset, non sustinuisset hic
vit in vrbe morari, præsertim sub Patrophilo Ariano Episcopo, qui multum potens fuit & diui-
tijs & auctoritate, & apud Regem Constantium notitia & dicendi libertate. Erat porro & alius
quidam iunior in vrbe ex Hebræis rectam fidem habens, qui non ausus fuit in aperto, sed oc-
culte nos visitabat. Verisimile vero quiddam & ridiculum Iosephus narrabat, & puto etiam
hæc ipsum vera dixisse. Dicebat enim, quòd mortua ipsius coniuge, veritus fuerit, ne ipsum
raperent Ariani, & clericum efficerent; sæpe enim blanditi ipsi fuerant, & si hæresi ipsorum co-
hæreret, polliciti maiores profectus, vel etiam Episcopatum. Qua de causa dicebat se alteri
vxori coniunctum esse, quo ipsorum electionem effugeret.

Verum redeo ad narrationem argumenti de Patriarcha & ipso Iosepho; vt si qui legere
velint,

A velint, per illius verba a me relata id ipsum exacte clarum faciamus. Et iam, velut ille narrabat, Patriarcha lauacrum suscipiente, per commissuras in foribus introspiciens, inquit, considerabam quæ ab Episcopo & Patriarcha fiebant, menteq. recondebam, & apud me ipsum reponebam. Et idem Patriarcha auri molem quamdam satis magnam in manibus habens, extenta manu, Episcopo dabat, dicens: Offer pro me: scriptum est enim, per sacerdotes Dei ligari ac solui in terra, & erunt eadem soluta & ligata in cælo. Cum igitur hæc facta essent, inquit, & apertæ essent fores, interrogabatur Patriarcha a visitantibus, quo modo per auxilium se haberet: et confitebatur, se optime habere: etenim norat quod dicebat. PATRIARCHA BAPTIZATVR.

Postea vero cum Episcopus per duos aut tres dies ipsum visitaret sub medici prætextu, obdormiuit Patriarcha cum bono deposito, tradito proprio filio valde puero ipsi Iose-B pho, & alteri cuidam æquissimo. Omnia itaque peragebantur per hos duos, propterea quòd Patriarcha adhuc puer & infans esset, & in manibus ipsorum educaretur. In hoc tempore cum mens Iosephi sæpe vexaretur propter mystica quæ facta erant in lauacri tractatione, considerabat quidnam faceret. Et erat quædam Gazophylacij domus conclusa (Gaza autem interpretatur Hebraica lingua thesaurus.) Cum itaque multi multa cogitarent de hoc Gazophylacio propter conclusionem per sigillum: Iosephus clandestino ausus id aperuit, & pecunias nullas reperit, verum libros pecunijs præstantiores. Legens autem inter hos, velut iam dixi, Euangelium secundum Ioannem de Græca lingua in Hebræam translatum; inuenit etiam Acta Apostolorum, quin & Euangelium secundum Matthæum, Hebraicam plantam. Et his perlectis, rursus animo vexabatur, tristatus quodammodo de fide Christi. Iam vero ex duobus argumentis compunctus, nimirum librorum lectione, & mystico Patriar-C chæ ductu ac imitatione, & tamen corde indurabatur, qualia fieri solent. EVANGELIA ET ACTA APOSTOL. INVENTA IN GAZOPHYLACIO.

Cum autem in his attereretur, adolescit puer relictus ab Hellel, qui in Patriarcham educabatur: nemo enim alius rapit principatus apud Iudæos, sed filius patri succedit. Vbi igitur ad vigorem ætatis adolescens peruenisset, corrumpebant ipsum quidam coætanei otiosi & assueti malis: fortassis autem, vt puto, Iudas, sic vocabatur recens Patriarcha, non tamen certo scio, propter tempus. Transtulerunt itaque coætanei iuniores ad multa mala studia, ad corrumpendas mulierculas & scelestas libidines; ita vt per magicas quasdam incantationes conarentur ipsi opitulari ad proteruitatem, illecebras quasdam perficiendo, & per præstigias cogendo liberas mulieres, vt necessario perducerentur eo, vt ab illo corrumperentur. Iosephus autem, & ille alter cum ipso senex, necessario puerum comitantes, ægre ferebant, & sæpe reprehendebant ipsum, atque verbis admonebant. Ille vero magis adolescentibus obe-D diebat, occultans turpia, & negans: neque enim audebat Iosephus aperto sermone eloqui illius facinora; sed velut per scientiam exhortabantur.

Proficiscuntur itaque ad Gadara, ad aquas calidas, quo loco singulis annis conuentus celebratur: accedunt enim vndiquaque qui lauare volunt ad dies aliquot, morborum videlicet curandorum gratia: id quod diabolicum est stratagema. Vbi enim miracula a Deo facta sunt, ibi aduersarius perniciosa sua retia ponere anticipauit: nam & viri & feminæ illic lauantur. Iuxta Sycyriam vero femina quædam libera in balneo erat, formæ pulchritudine excellens: et adolescens ille proteruitatis suæ consuetudine illectus, deambulans ad auram, latus suum ad feminæ latus affricuit: Illa autem signauit se in nomine Christi, vt quæ Christiana esset: cui neque necessarium erat delinquere & inter viros ac feminas lauari: contingunt autem hæc simplicibus & idiotis hominibus, qui per præceptorum negligentiam non sunt muniti doctri-E na. Et tamen vt ostenderet Deus sua miracula, adolescenti suus conatus non successit, ipsi inquam Patriarchæ.] BALNEA GADARENSIA.

At quoniam de balneis Gadarensibus incidit mentio: antequàm de Iosepho relatam ab Epiphanio historiam vlterius prosequamur, quæ scribat Eunapius Sardianus de Iamblico fama insigni philosopho ad eadem balnea accedente, consentientia his quæ scribit Epiphanius de diaboli præstigijs, enarrare opportune se offert occasio: ait igitur [a]: Aliquanto post tempore placuit cunctis, stato anni tempore accedere Gadara, qui locus est thermarum in Syria, secundas a Baijs in Romano Imperio obtinens, quibus nullæ balneæ calidæ comparari possunt. Istic cum lauaret, pariterque ceteri darent lauationi operam, nata de balneis disceptatione, subridens Iamblicus: Tametsi religione, inquit, impediar, quo minus ista aperiam; vestra tamen causa id fiet. Simulque iussit discipulos sciscitari a popularibus indigenis, quibus iam olim nominibus donati fuissent duo e calidis fonticulis minores, sed ceteris elegantiores, venustioresque. Illi postquàm im- IAMBLICVS MAGVS QVID GADARAE OPERATVS.

a *Eunap. in Vit. Philosoph. in Iamblico.*

perata fecissent, negarunt se causam nominum posse scire, vni tamen Amori nomen es- A
se, alteri Anteroti deo amantium iniuriæ vindici. Confestim ipse contacta manu aqua
(sedebat enim forte in crepidine fontis, vbi depletur ac superfunditur alueus) paucis ad-
murmuratis verbulis, de fontis imo pusionem exciuit candidum, commoda statura, capilli-
tio in furuum aurum tincto, dorsi cute nitida, qui totus lauanti aut loto assimilis erat. Atto-
nitis rei nouitate comitibus: Transeamus, inquit, ad proximum fonticulum: simulque exur-
gens præcedebat, in cogitatione defixus, ac suspenso vultu: ibique eadem quæ prius pera-
gens, alterum Amorem euocauit, prioris per omnia similem, extra comas nigrantes huic
magis & rutilas & per collum sparsas. Ambo pueruli circumfusi arctis complexibus Iambli-
cho velut naturali patri inhærebant, quos ille in proprias suas sedes euestigio restituit, lo-
tusq. excessit, obstupefacto comitum & familiarium cœtu, qui ab eo tempore scrutari quid-
quam desierunt, & argumentis & signis quæ viderant, tamquam validis habenis pertra- B
cti, in omnibus credulos se præbuerunt. Ferebantur de illo in vulgus & alia fidei abso-
na, monstrique similia, quorum ego nihil scriptis mandare volui, ratus id parum tutum
esse, Deoq. inuisum, si quis historiæ veraci, & solida fide nixæ, fabulas inanes, commen-
ticias, & fluxas inserat. Quid, quòd & hæc ipsa scribo non sine religione quadam,
metuens ne rumores sint, & fictæ auditiones, nisi quòd viros sequor, qui fidem non
adhibentes alijs, rei visæ sensu permoti fuerunt?] hæc Eunapius, quæ ab Aedesio inter
primos Iamblici familiares se accepisse testatur. Ista quidem acciderunt his ipsis prope
temporibus: nam (quod & Suidas habet) claruit Iamblicus sub Constantino, ad vltimamq.
senectutem eum peruenisse idem Eunapius tradit. En vides (quod sæpius dictum est supe-
rius) S. Augustini testificatione, philosophos ferme omnes, qui renuerunt inter Christi disci-
pulos profiteri, sectatos esse improbatæ magicæ artis studia. C

Sed ad cœptam narrationem de adolescente Patriarcha redeamus: qui etsi vires magicæ
TENTATVR ITERVM CHRISTIANA FEMINA. imposturæ irritas redditas videret in Christiana femina, haud tamen a cœptis destitit,
verum maiora tentauit; et quænam, hæc subdit Epiphanius: Misit enim ad ipsam, & mu-
nera constituit. Illa vero nuncijs contumelia affectis, non flectebatur proterui illius inani
opera. Hinc auxiliarij eius, cognito adolescentis dolore, quem ex femina illa concepe-
rat, aggrediuntur maiores quasdam præstigias construere, velut ipse Iosephus mihi per lon-
gum clare exposuit. Abducunt enim miserum illum adolescentem post occasum Solis in
propinquas tumbas (sepulchra autem sic appellantur, speluncæ videlicet in petris effossæ
ac constructæ) illuc abducunt prædictum adolescentem præstigiatores qui cum eo erant, &
incantationes, ac eiurationes, & studia impietatis plena in ipsum faciunt, & in nomen præ-
dictæ feminæ. D

Ceterum ex voluntate Dei hæc in mentem veniunt alterius senioris, qui cum Iosepho
erat: et ille quidem sentiens quæ fiebant, ea Iosepho communicat; et primum quidem mi-
serum seipsum pronuncians, dixit: Miseri nos, o frater, & perditionis vasa, cui assidemus?
Iosephus autem causam percontatus, non prius audiuit ex ipso per sermones, quàm vbi
senex correptum ipsum manu abduxisset eo, vbi conuentum perditi illi cum adolescentulo
in monumentis incantationis gratia faciebant; et pro foribus quidem stantes, quæ ab illis
fiebant, auscultabant: illis vero ingredientibus, secedebant: nondum enim multa vespera
erat, sed velut esse solet ad Solis occasum, oculo adhuc obscure videre potente. Post exi-
tum igitur impijssimorum e monumento, ingressus est Iosephus, ac deprehendit etiam alia
quædam curiositatis studia humi prostrata, quibus vbi vrinam & sanguinem adiecissent, &
VICTAE MAGICAE INCANTATIONES SIGNO CRVCIS. puluerem admiscuissent, illi egressi sunt, velut ille dixit. Cognouit autem insidias, ob qua- E
lem feminam hæc ab illis malefice perpetrata essent, & obseruabant, an præualerent. Vbi
igitur non præualuerunt præstigiatores (nam per signaculum Christi & fidem femina auxi-
lium percepit) cognouit adolescentem per tres noctes tolerare & expectare feminæ accessum:
deinde vero pugnare aduersus eos, qui hanc curiositatem fecerant (sic magiam Iudæi appel-
a Act. 19. lare consueuerunt, secundum illud Actorum [a]: Qui fuerant curiosa sectati, &c.) quòd assecu-
tus illam non esset.]

Hucusque prosequutus est Epiphanius de Iuda nouo Patriarcha Iudæorum historiam: post
hæc autē de Iosepho Comite, quo modo post multa signa ad Christum conuersus sit, narratio-
nem instituit, atque ait: Tertiū hoc instructionis ad fidē opus Iosepho contigit, quòd non valuit
incātationis vis, vbi erat Christi nomen, & signaculū Crucis: non tamen persuasus est, vt Chri-
CHRISTVS APPARET IOSEPHO. stianus fieret. Postea vero apparet illi in somnis Christus, dicēs: Ego sum Iesus, quē parētes tui
crucifixerunt: verum crede in me. Ille vero necdum persuasus, incidit in morbum magnum
& despe-

A & desperatum. At Dominus rursum apparet ipsi, iubens vt credat in ipsum, & sanitatem assequuturum esse promittens. Ille vero, promissione facta, rursus resilijt, & in duritia permansit. Recidit autem secundo in morbum, eumque similiter desperatum: relictusque velut moriturus a cognatis suis Iudæis, quod mystice ab ipsis semper fieri solet, id ab eis audiuit: nam vir quidam senior legis peritus ad eum accedens, in aurem insusurrauit, dicens: Crede in Iesum Crucifixum sub Pontio Pilato Præside, qui Filius est Dei, & ex Maria postea natus est, & Christus Dei est, & ex mortuis resurrexit: nam ipse veniet iudicare viuos & mortuos. hæc ipsa Iosephus palam mihi recitauit, id quod vere dicere possum.

Sed & ab alio quodam tale quid audiui, qui adhuc Iudæus erat propter metum Iudæorum, sed inter Christianos sæpe versabatur, & Christianos colebat, ac diligebat, atque mihi comes erat in deserto Bethel & Ephraim, dum ad montanā regionem ascenderem a Hierichunte, & obijcerem ipsi de Christi aduentu, ipso nihil contradicente. cum autem admirarer, & interrogarem ipsum causam (erat enim legis peritus & contradicere potens) cur non cōtradiceret, sed persuaderetur tot & talia de Christo nostro audiens: reuelauit mihi etiam hic, quòd morti vicinus audierit ab ipsis susurrum in aurem, nimirum: Iesus Christus Crucifixus Filius Dei de te iudicaturus est. Verum hæc mihi de his, & circa hunc sermonem hoc loco, velut quæ reuera audiui, apposita sint.

Iosephus autem adhuc ægrotabat, & cum audiuisset a seniore, velut dixi, cum alijs: Iesus Christus te iudicaturus est: adhuc obdurabatur. At Dominus rursum ex benignitate sua per somnij visum: Ecce, inquit, sano te: sed tu vbi surrexeris, crede. Vbi autem conualuisset rursus a morbo, non credidit. Itaque sano ipsi rursus Dominus apparet per somnium, conquerens de ipso, quam ob causam non crederet: et promittit ipsi Dominus dicens: In fidei certitudinem, si quod volueris signum diuinum in nomine meo operari, inuoca me, & ego faciam. Erat autem quidam insanus in ciuitate, qui nudus per vbem cuircuibat, in Tiberiade videlicet, & cum sæpe ipse veste indueretur, eam dilaniabat, veluti tales facere solent. Iosephus igitur volens experiri visionem, dubitans autem adhuc, verecundia detinebatur. Assumit autem hunc intro, & præclusis foribus, acceptaque aqua in manum, eaque Crucis signaculo signata, insanum hominem respersit, ac dixit: In nomine Iesu Nazareni Crucifixi, egredere dæmonium ab ipso, & sanus fiat. Homo vero, magno clamore edito, in humū prolapsus, & multa spuma ab ore demissa lancinatus, ad multum tempus immotus permansit.] Quis miretur hæc a Iosepho tentata, cum testentur Acta Apostolorum [a], eadem actitata a filijs Scæuæ Principis sacerdotum? licet res illis haud ita feliciter acciderit, ac Iosepho.

RVRSVM PER VISVM IOSEPHVS ADMONETVR.

[a] Act. 19.

Qui autem putabatur esse mortuus (subdit Epiphanius) post tempus, perfricta facie, surrexit, & conspicatus suam nuditatem, seipsum occultauit, & manus pudendis prætendit, non amplius sustinens propriam nuditatem videre. Itaque amiculo ex his, quæ apud ipsum Iosephum erant, indutus, ad statum prudentiæ ac modestiæ deuenit, ipsique viro ac Deo magnas gratias egit, sciens quòd per ipsum salus sibi contigisset; et virum per vrbem prædicabat. Et hoc sane signum notum factum est Iudæis qui illic erant, & multus rumor sequebatur ex his qui dicebant: Iosephus Gazophylaciis apertis, & inuento nomine Dei scripto, eoque lecto, magna signa facit. Erat autem verum quod ab his dicebatur, sed non sic velut ipsi suspicabantur. Adhuc vero permansit Iosephus obduratus corde: sed benignus Deus occasiones semper præbens salutis bonas ijs qui ipsum diligunt, eas exhibet hominibus qui digni facti sunt vita æterna.

QVID OPINATI IVDAEI DE IOSEPHO.

Accidit enim, vt postquàm adoleuisset Iudas Patriarcha, de quo antea diximus, præmium ac remunerationem, Apostolatum Iosepho daret. Et hic cum epistolis ablegatur in Cilicum terram: illincque reuersus, ab vnaquaque Ciliciæ ciuitate decimas ac primitias, de ijs qui in prouincia Iudæorum sunt, exegit. In hoc autem tempore propius se Ecclesiæ applicat (haud scio in qua ciuitate) in amicitiamque venit eius loci Episcopi, qui clandestine ab ipso Euangelia petiuit, ac legit. Quandoquidem igitur, velut Apostolus (sic enim apud ipsos, velut dixi, dignitas appellatur) potentissimus esset, & ad constitutionem bonæ disciplinæ legis (sic enim se facere prætendebat) multos male constitutos Synagogæ principes & sacerdotes, ac presbyteros, & Azanitas, quos ipsi diaconos aut ministros interpretantur, deponeret, & a dignitate amoueret; in multorum inuidiam deuenit; qui velut vlcisci in ipsum conantes, curiose hunc obseruare, & quæ ab ipso fiebant, inuestigare non parum studebant. Et ob hanc sane causam curiosiores aceruatim in domum ipsius irruerunt: et deprehendunt ipsum Euangelica perlegentem: librumque occupant, & virum rapiunt, humi trahentes, acclamantes, & non vulgares torturas ipsi inferentes: et abducunt quidem in Synagogam, & flagris ipsum cædunt:

IOSEPHVS APOSTOLATVM CONSEQVVTVS.

cædunt: et per legem hoc certamen primùm ipsi contigit. Institit autem Episcopus ciuitatis, & abstulit ipsum. A

Aliquando vero deprehendunt ipsum in itinere quodam (velut ipse nobis narrauit) & proijciunt ipsum in Cydnum fluuium (est amnis in Cilicia, de quo plura apud Quintum Curtium [a] & alios.) cum autem a fluctibus raperetur; cogitarunt ex coniectura, ipsum submersum esse, ac perijsse. Verum ipse paulo post sacro lauacro adhibetur: seruatus enim fuit. Ascendit autem ad Comitatum, & Constantini Regis amicus euadit, & obtulit, atque exposuit omnem ipsi suarum rerum statum, quo modo eminentissimam apud Iudæos dignitatem habuisset, & quo modo visiones Dei sibi pariter apparuissent, Christo ipsum vocante ad sanctam vocationem & salutem fidei ac cognitionis suæ. At bonus ille Rex, cum Christi seruus esset in veritate, & zelum Dei inter Reges post Dauidem & Ezechiam ac Iosiam haberet, honorem dat ipsi, velut iam dixi, dignitatis in regno suo: Comitem enim ipsum constituit, B iussitque insuper petere quidquid vellet. Iosephus autem nihil petijt, præter quàm vt maximum hoc beneficium a Rege consequeretur, vt permitteretur ipsi per mandatum regium, quo Christo ecclesias ædificaret in ciuitatibus ac vicis Iudæorum, vbi numquam quisquam potuit ecclesias construere, propterea quòd neque Græcus, neque Samarita, neque Christianus inter ipsos esset, & hoc maxime in Tiberiade, & in Diocæsarea (quæ & Sepphurin appellatur) & in Nazareth, & in Capharnaum: obseruatur enim apud ipsos, vt non sit aliquis inter eos alterius gentis.] Quando autem & a quo Imperatore concessum sit Iudæis habitare in aliquibus locis Palæstinæ, & nec alios alterius gentis inter eos commorari posse, plane incompertum habetur: ab ea enim prouincia eosdem ignominiose sæpe eiectos fuisse, superius dictum est.

a Q. Curt. lib. 3. Iustin. lib. 11. & alij.

IOSEPHVS MIRACVLO LIBERATVS CONSTANTINVM ADIIT.

Porro occasione, puto, Iosephi, aduersus Iudæos lex olim lata Murgilli in Pannonia sub C Consulatu quarto Constantini atque Licinij, postea Constantinopoli, ad cohibendos Iudæos qui agebant in Oriente, iterum sancita reperitur, his verbis eodem Imperatore ad Euagrium rescribente [b]: Iudæis, & Cælicolis, & maioribus eorum, & Patriarchis volumus intimari: Quòd si quis post hanc legem aliquem, qui horum feralem fugerit sectam, & ad Dei cultum respexerit, saxis aut alio furoris genere (quod nunc fieri cognouimus) ausus fuerit attentare; mox flammis dedendus est, & cum omnibus suis participibus concremandus. D. XV. Kal. Nouemb. Constantinopoli, Constantino Aug. VIII. & Constantio VI. Coss.] est is annus post sequentem; licet ex germanis Fastis Constantinus quartum loco Constantij sextum (numero deprauato) sit restituendum. Sed iam cœptam historiam prosequamur. subdit autem hæc Epiphanius:

b l. 1. C. de Iudæis.

Iosephus itaque acceptis litteris & potestate vnà cum dignitate, in Tiberiadem venit, ha- D bens etiam epistolas, vt de regijs impensis sumptum faceret: immo etiam ipse stipendijs a Rege honoratus erat. Incipit autem a Tiberiade ædificare. Templum autem maximum prius in vrbe fuit, & puto Hadrianum hoc esse vocatum. Cum vero hoc Hadrianum imperfectum permansisset, ciues ad publicum balneum id instaurare conabantur. Quo comperto, Iosephus ex hoc occasionem habebat: et vbi inuenisset id per lapides quatuor cubitorum & quatuor pedum ad aliquam altitudinem euectum, hinc incipit facere ecclesiæ structuram: erat autem opus calce & alia materie: caminos itaque extra vrbem multos facere iussit, forte septem numero, fornaces autem vernacula lingua vocant. At vero callidi & omnia facere audentes Iudæi, a præstigijs apud ipsos fieri solitis non abstinuerunt: incantationibus enim quibusdam ac curiosa sedulitate ignem ligare ac disperdere generosi illi aggressi sunt: sed nòn perfecte potuerunt: cessabat enim ignis, & non operabatur, sed extra propriam (vt ita dicam) E naturam constitutus erat. Vbi autem ij qui combustibilem materiam igni addere iussi erant, ligna videlicet, siue sarmenta, nihil effecissent: Iosepho rem ipsam significarunt. Commotus igitur vir ipse, & zelo erga Dominum correptus, extra ciuitatem cucurrit: et vbi aquam in vase afferri iussisset, accepto aquæ vase corā omnibus (multitudo enim ingens Iudæorum confluxerat ad spectaculum, euentum videre cupidi, & quid Iosephus facturus esset) magna voce Crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit, & inuocato nomine Iesu, sic dixit: In nomine Iesu Nazareni, quem crucifixerunt patres mei & omnium horum circumstantium, fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis atque magiæ, quam hi fecerūt, & ad efficaciam potentiæ ignis, & ad perficiendam domum Domini. Et sic accepit aquam in manum, & de aqua singulas fornaces respersit: et dissoluta sunt incātamenta, & ignis coram omnibus emersit. Turbæ vero præsentes clamore edito; Vnus Deus qui auxiliatur Christianis; secesserunt. Porro cum sæpe illi viro molesti essent, postea parte aliqua tēpli in Tiberiade

IOSEPHVS ECCLESIAS AEDIFICAT.

MIRACVLVM EX AQVA BENEDICTA.

extructa

A extructa, & parua eccleſia abſoluta, ſic illinc diſceſsit. Ad Scythopolim vero digreſſus, illic permanſit: verum in Diocæſarea & alijs quibuſdam vrbibus perfectè ædificauit. Hæc autem facta a me hic relata ſunt librorum interpretationis gratia, quomodo a Græca lingua in Hebraicum Euangelium tranſlatum eſt, itemque Acta Apoſtolorum. Et ſit hic huius hiſtoriæ ac narrationis finis.] hactenus de his Epiphanius: cui bene precamur, quòd tam egregiam hiſtoriam, adeoque certa & firma fide teſtatam ſcriptorum monumentis poſterorum memoriæ commendarit.

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
328.	15.	23.

B

CHriſti Domini annus trecenteſimus vigeſimusoctauus Conſulatu Ianuarij atque Iuſti reperitur Faſtis adſcriptus; quo S. Athanaſius, qui ante ſuperiorem annum creatus Epiſcopus Alexandrinus, mox laceſſitus Meletianorum calumnijs, conniuentibus Euſebianis, anno proxime elapſo (vt vidimus) laborantibus ijs pro reſtitutione Arij Alexandriam, in præſentẽ vſque annũ dire exagitatus eſt, repulſis quibus, perſuaſoque Conſtantino, tandem quieuit: nactusq. nunc primum hoſce tranquillitatis dies Alcyonios diutius expectatos, vt ſuſceptum Epiſcopale munus, vti par erat, obiret; quod magis ſibi neceſſarium viſum eſt, opus aggreditur, perdifficile quidem, nempe vt vniuerſam, eamdemq. ampliſſimam Alexandrinæ Eccleſiæ ſubiectam perluſtrando diœceſin, quod hæreſis & ſchiſma prauique mores in Eccleſijs corrupiſſent, vigilantiſſimo ſtudio reſtauraret, reſtitueretque in eis fidem & pacem C exulem, moreſque corruptos Eccleſiaſtica diſciplinã componeret. Iam tertius agebatur annus, ex quo, Alexandro prædeceſſore defuncto, Alexandrinæ Eccleſiæ gubernacula ſuſceperat, cum viſitãs Eccleſias, peragrãuit Aegypti prouincias Alexandrinæ ſubiectas Eccleſiæ. *ATHANASIVS DIOCESIM VISITAT.*

Huius quidem peregrinationis ex Epiſcopali ſuſceptæ munere, idem ipſe meminit [a], cum quid tunc ſibi contigerit in emendatione temeritatis Iſchyræ pſeudopresbyteri narrat his verbis: Mareotis regio quædam Alexandrina eſt, vbi quondam Meletius ſchiſma inducere non potuit. Cum igitur ibi Eccleſiaſtici certas ſuas ſedes obtinerent, & presbyteri ſynaxes in Eccleſia celebrarent, populuſque in quiete eſſet: Iſchyras quidam, vt nequaquam clericus, ita moribus improbiſſimus, conatus eſt ſui pagi incolas decipere, iactans ſeſe clericum eſſe. Id vbi reſciuiſſet eius loci presbyter, mihi tum Eccleſias perluſtranti renunciauit. Ego igitur illum ipſum cum Macario presbytero ablego ad Iſchyram accerſendum: quem cum morbo D decumbentem in cubiculo inueniſſent, patri iniunxere, vt filio denunciet, ne tale quid quod de eo ferebatur, tentaret. Ille autem vbi a morbo ſurrexiſſet, & ab amicis atque adeo ſuomet ipſius patre coerceretur, ad Meletianos confugit, &c.] Quo modo vero hinc Meletiani in Macarium calumniam de fracto calice compararint, & nouas eaſdemque enormes accuſationes aduerſus Athanaſium concinnarint, ſuo loco dicturi ſumus: relegamus modo pacifice iter eius, de prælijs acturi poſtea. *a Athanaſ. Apolog. 2.*

Cum igitur S. Athanaſius cunctas ex officio viſitaret Eccleſias, non in ciuitatibus tantum, oppidis, atque vicis poſitas, ſed & quæ in ſolitudinibus deſertiſque locis penes ſanctos monachos erant, inuiſit. At quo pacto viſitatione eadem ad monaſterium S. Pachomij peruenerit, ſic habent Acta ipſius [b]: Hoc autem tempore venit ad Alexandrinum Epiſcopatum ſanctiſſimus Athanaſius: qui cum magno ſtudio cuperet ſuperioris Thebaidis & Syenes E Dei Eccleſias videre, & eas per ſpiritualem ſuam doctrinam confirmare, præternauigauit Tabeniſe. Cum hoc autem cognouiſſet Pachomius, egreſſus eſt cum fratribus in gaudio & exultatione animi cum pſalmis & hymnis, vt ſuſciperent Pontificem: erat autem circa eum magna turba fratrum, Deum laudantium propter eius aduentum: Pachomius vero non aperiebat ſeipſum, ſed ſe ſubtrahebat & occultabat in fratrum multitudine: Tentyrorum enim Eccleſiæ Epiſcopus pro ipſo rogabat S. Athanaſium, dicens: Habeo patrem monachorum in locis mihi ſubiectis, virũ admirabilem, & magnum, & vere hominem Dei: quamobrem rogo tuam ſanctitatẽ, vt eum conſtituas patrem omnium monachorum, cum ſuſceperis iam munus Põtificatus. Et ideo ſe ſubtrahebat ſenex, & celabat inter fratres, donec venit Athanaſius. Audiens autem eius ex Deo zelum, & vitã quam agebat in virtute, & perſecutiones quas ſuſtinuit pro Saluatore in fide veræ confeſſionis, & eius quidem charitatem in omnes, præcipue autem in fratres, valde gaudebat, & eum quidem amplectebatur, Deum laudãs.] hæc de his ibi. Qui igitur anno primo belli Liciniani Pachomius natus erat annos viginti, eo anno ſcilicet, qui *b Vit. S. Pachom. Sur. tom. 3.* *ATHANASIVS VISITAT MONASTERIVM S. PACHOMII.*

Domini

Domini numeratur (vt dictum est superius) trecentesimus decimussextus, erat hoc anno ætatis annorum trigintaduorum, habens monasticæ institutionis annos duodecim. Quamobrem quòd ipse in Actis illis senex sit dictus, veneratione potius quàm ætate sic nominatus apparet, vtpote quòd pater multorum monachorum effectus erat, qui & ipsi egregia floruerunt sanctitate. Sed præter monachorum monasteria, sanctorumque virorum cœtus in vnum ibi collectos, cum eius soror ad ipsum venisset, & eiusdem vitæ genus arripuisset, sanctarum quoque virginum cœnobium erexit: quod senioris atque sanctioris monachi curæ subiectum, velut cælestium spirituum absque carne degentium habitatio factum est: de his enim præclara admodum scriptorum monumentis consignata sunt. Acceperat S. Pachomius, veluti alter Moyses, in deserto diuinas leges, quibus suos ad vitam in terris perfectam beatamque ducendam imbueret.

Virginum monasterium.

At ad Athanasium vniuersas Aegypti Ecclesias & ipsa monasteria perlustrantem redeamus: qui enim Pachomium inuisit, Magnum quoque Antonium monachorum omnium fama celeberrimum, vtpote antiquiorem, & vitæ præstantia sanctiorem, atque cœnobitarũ omnium auctorem & principem, quocum ab adolescentia assueuerat, & vt ipse in eius Vita a se scripta testatur, inseruierat, visitauit; ad eumque benedictionis gratia duo pallia attulit, quorum alterum (vt auctor est S. Hieronymus [a]) Pauli Primi eremitæ corpus, cum ex hac vita migrasset, eius rogatu, festine allatum inuoluit: alterum idem Antonius moriens, eidem qui dederat Athanasio, vltimo legauit elogio, dicens [b]: Melotem & pallium tritum, cui superiaceo, Athanasio Episcopo date, quod nouum ipse detulerat.] Cum vero illud ab eo ad se allatum, non missum, dicat: plane significat, Athanasium S. Antonium visitasse; nec ipsum modo, sed & monachos eius discipulos, Ecclesias, atque monasteria in eremo posita Episcopali munere perlustrasse. Ceterum ipse Athanasius in præfatione testatur, se Antonium sæpe visitasse, immo & olim eidem aquam ferentem sedulo officio ministrasse. Sed admiranda plane in his quoq. elucet Athanasij in omnibus spectata modestia: quippe qui res gestas Antonij scribens, numquam de eiusmodi congressu cum eodem vel verbum facit: verum & quæ tum cum ipso, tumque cum alijs viris sanctissimis transacta fuerint, haud dubium memoria digna, silentio obuoluta reliquit; ne videretur, dum aliorum præclaras res gestas contexeret, suarum ipsius laudum prædicator existere, malens recte factorum periclitari memoriam, quàm sui modestiam.

Athanas. visitat Antonium magnum.

a Hieron. in Vit. Paul. Primi eremit.

b Athanas. in Vit. Anton. in fin.

Sed ex quo Athanasij affectantes vestigia peruenimus ad Antonium, hic paululũ subsistemus: his quidem temporibus eiusdem percelebris fama adeo percrebuerat, vt esset vbique terrarum diffusa: nam cum Alexandria existeret (vt ex Dione diximus) totius Orbis emporium: quæ natio potuit ignorasse, quæ ibidem fuissent ore omniũ peruulgata? Sed & quòd Constantinopolim eiusdem fama peruasit, & in ipsa Regia Constantini summo honore nomen Antonij haberetur, alijs quoque eolendi vbique hominem amplissimus patuit omnibus aditus: quod idem eius Vitæ scriptor Athanasius admirans ait [c]: Hoc etiam, fratres, quòd per omnes prouincias amor eius & fama volitauit, quem nec librorum disseminatorum oratio luculenta, nec mundanæ sapientiæ disputatio, nec generis nobilitas, nec opum infinita congestio commendauit; cui omnium ore est adscribendum, nisi Christo, cuius hoc donum est? qui deuotos eius animos erga suam præuidens maiestatem, hominem alio pene Orbe celatum, inter tantas positum solitudines, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Illyrico, ipsi etiam, quæ vrbium caput est, Romæ, vt in exordio promiserat, demonstrauit.] At vero quonam modo non solum Antonij nomen, sed & eiusdem ad summam perfectionem compositum vitæ genus toto Christiano Orbe fuerit propagatum, paulo inferius suo loco dicetur.

Antonii sanctitas toto orbe vulgata.

c Athanas. ibid. in fin.

Antonij igitur virtutum vehementi fama commotus, atque in omnibus persuasus Cõstantinus Imperator religiosissimus, atque filij eius Cæsares, ad eum pietatis ergo, officij & amoris plenas litteras dedere; vt quem tam lõge positum non liceret aspicere, atque præsentẽ alloqui, internuncio litterarum inuiserent, & cum eo pariter loquerentur. Testatur id quidem eius res gestas relegens S. Athanasius, dicens [d]: Hoc in eo viro admirabile est, vt hominẽ in extremo mundi limite conditum, & Principum fauor, & omnis celebraret aula regalis. Nam & Constantinus Augustus & eius liberi Constans atque Constantius talia cognoscentes, crebro ad ipsum quasi ad patrem missis litteris, obsecrabant, vt reciprocis se scriptis exhilararet. At ille eiusmodi manens, qualis antequàm litteræ ad eum venirent, fuerat; nec salutatione Principum mouebatur, & tamquam non acceptis litteris, conuocatis monachis, aiebat: Reges sæculi ad nos miserunt epistolas. Quæ hic Christianis adhibenda admiratio est? licet

Constantinus et filii scripserunt ad Antonium.

d Athanas. in Vit. Anton.

enim

A enim diuerſa ſit dignitas, attamen eadem naſcendi & moriendi conditio eſt. Illa ſunt omni veneratione percolenda, illa toto animi affectu retinenda ſunt, quòd hominibus Deus legem ſcripſerit, quòd per Filium ſuum propriis Eccleſias ditarit eloquiis. Quæ monachis ratio eſt cum Regum epiſtolis? Cur accipiam litteras, quibus conſueta neſciam reddere ſalutationis obſequia? Igitur rogatus ab vniuerſis fratribus, vt Chriſtianos Reges ſuis litteris refrigeraret, ne ſcilicet per ſilentium eius exaſperarentur; ad ſuſceptas litteras conuenientia reſcripſit. Laudauit primum, quòd Chriſtum colerent: deinde ſalutaria perſuaſit, ne magnam putarent regiam poteſtatem; ne præſentis carnis imperio tumentes, ſe homines eſſe neſcirent, & a Chriſto iudicandos obliuiſcerentur. Ad poſtremum clementię circa ſubiectos, & iuſtitiæ, curæ quoque inopum admonuit; atque vnum ſempiternum eſſe Regem omnium ſæculorum Chriſtum Ieſum, epiſtolis teſtatus eſt. His Principes ſuſceptis, vehementiſſime lætabantur, &c.]

B Ceterum non Chriſtum colentes tantum, ſed & Gentiles, & qui inter eos præ ceteris in Chriſtianam religionem oblatrare conſueuerunt philoſophi, Antonium inuiſere, & cum eo ſermones conferre cupierunt: etenim moleſte ferebant, illiteratum hominem tam eximio ferri præconio, quaſi ſummum philoſophiæ verticem attigiſſet. Quorum cum ipſo congreſſus ab Athanaſio conſcriptos hic intexere dignum exiſtimamus. Si enim victorias ex hoſtibus armatis, Crucis virtute partas, ſuperius enarraſſe, pergratum fuit: quanto iucundius accipi debet, abſque armis hoſtes Chriſti inſuperabiles, potentia Crucis penitus demonſtrare ſuperatos? Audiamus igitur Athanaſium iſtæc ipſa diſerte admodum ſcribentem [a]: Erat, inquit, valde ſapiens; et hoc in ſe mirabile habebat, quia cum litteras non didiciſſet, ingenioſiſsimus, & prudentiſsimus, immobilis, & manſuetus erat. Aliquando enim philoſophi duo Gentiles venerunt ad eum, putantes Antonium ſe poſſe decipere: erat vero in ſuperiore

PHILOSOPHI GENTILES INVISVNT ANTONIVM.

[a] Athanaſ. in Vit. Anton.

C monte. Quos cum vidiſſet, Paganos eſſe intellexit ex vultu: et procedens ad eos per interpretē ita cœpit loqui: Quare tam longe ad ſtultum hominem venire ſapientes ſe vexare voluerunt? Illis dicentibus, non eſſe illum ſtultū, ſed & nimium ſapientem: vigilanter reſpondit: Si ad ſtultum veniſtis, ſuperfluus eſt labor veſter: ſi autem putatis me ſapientem eſſe, & ſapientiam habere; bonum eſt: imitamini quod probatis, quia bona conuenit imitari. Si ego ad vos veniſſem, vos imitarer: ſed quia vos ad me, quaſi ad ſapientem veniſtis; eſtote, ſicut ego ſum, Chriſtiani. Abſceſſerunt philoſophi vtrumque mirantes, & acumen ingenij, & dæmonum expulſiones.

Alios quoque ſimiliter Mundi ſapientes, qui eum irridere cupiebant, quia litteras ignoraret, tali diſputatione colligauit, dicens: Reſpondete mihi, quid prius, ſenſus, an litteræ? & quid cuiuſque exordium? ſenſus ne ex litteris, an litteræ oriuntur ex ſenſu? Illis aſſerentibus

CONFVTAT ANTONIVS PHILOSOPHOS.

D quòd ſenſus eſſet auctor atque inuentor litterarum; ait: Igitur cui ſenſus incolumis eſt, hic litteras non requirit. Quis præſentium poſt hanc colluctationem non exclamarit, cum obſtupuerint, & ipſi victi ſint, tantam in imperito ſagacitatem animi admirantes? neque enim vt in ſolitudine & montibus verſatus, atque omnem ibidem exigens vitam, agreſtis & rudis erat, ſed iucundus atque affabilis: ſermonem, ſecundum Apoſtoli præceptum, diuino conditum ſale proferebat, ita vt inuidia careret, & amore omnium potiretur. Inter hæc, quaſi parum eſſet, bis Gentilitatem fuiſſe ſuperatam, & tertio venerunt viri ad eum, omnis ſæcularis prudentiæ nube cæcati, atque vniuerſis philoſophiæ ſtudiis, artium ſuarum æſtimatione doctiſsimi.

Hi cum rationem ab eo exigerent fidei, quam in Chriſto habemus, & niterentur arguta ſophiſmatum interrogatione de diuina Cruce eum illudere; in ſilentium paululum voce cō-

E preſſa, primo eorum miſertus errorem eſt; deinde per interpretem, qui eius verba in Græcum diligentiſsime ſolebat exprimere, ſermonem ita exorſus eſt, dicens: Quid pulchrius eſt, quidve honeſtius, Crucem colere, an adulteria, parricidium, vel inceſtum his aſſignare quos colitis? cum in altero ſit contemptus mortis, inſigne virtutum; in altero turpis religio, obſcœnitatis magiſtra? Quid melius, dicere, quòd Dei Verbum manēs, vt erat, ob ſalutem noſtram humanum corpus aſſumpſerit, vt ſocietate immortalitatis nos eueheret ad cælum, participeſque naturæ cæleſtis efficeret; an vt ipſi aſſeritis, diuinæ mentis hauſtum ad terrena veneranda caput ſubmittere, & pecudum atque ſerpentum formis cæleſte nomen * includere?] Erant hi, vt apparet, Platonici philoſophi, qui aiebant animam eſſe diuinæ mentis manationem atque ſubſtantiam. Sed ſubdit:

QVAM EGREGIE VRGEAT ANTON. PHILOSOPHOS.

** numen*

Quo ore Chriſtianorum credulitatem auderis irridere, dicentium Chriſtum Filium Dei ſine ſui detrimento & cœpiſſe eſſe quod non erat, & manſiſſe quod fuerat; cum ipſi animam de cæleſtibus detrahentes, non hominum tantum, ſed & pecudum ſoleatis ſepelire corporibus?

ribus? Christiana credulitas pro salute Mundi Deum suum venisse testatur: vos vero innatam animam prædicantes, vltro citroque transfertis. Christiana fides, quæ omnipotentiam Dei clementiamque vneratur, consequenter dicit incarnationem Deo fuisse possibilem, ita tamen, vt non euacuauerit dignatio dignitatem. Vos autem, qui animam ex splendidissimi Dei fonte manantem turpiter decidisse iactatis, qui mutabilem & conuertibilem eam post sui diminutionem audetis asserere, iam illam quoque naturam dominam sæculorum per animæ contumelias impia lingua temeratis: imagine enim, quæ secundum nos naturalem similitudinem sui retinet auctoris, cui vna est ex quo defluit, eadéque substantia, humilitates proprias & iniurias consequenter ad suam remittit originem. Igitur animaduertite contumelias animarum ad patrem (vt appellatis) earum per vestram blasphemiam redundare.] Argute quidem retorquet illorum de Verbi incarnatione derisionem: nam cum vnam tantum Christiani credant Dei incarnationem, & eamdem absque Verbi aliqua mutatione, vel iniuria; illi vero quot homines quotque bestiæ vmquam fuerint, tot Dei facta esse fateri conabantur incarnationes, cum dicerent animas diuinam esse substantiam, easdemque turpes fieri & ignominiosas, atque peccatis obnoxias. Sed & ad id quod obijciebant illi de Cruce Christi respondit, hæc subdens:

DE VERBI INCARNATIONE DEFENSIO. (A, B)

Crux Christi Domini Dei nostri hic nobis ingeritur. Rogo, quæ hæc est religionis obscœnitas? Non ne potius est, Crucem attollere, aut alicuius alterius generis mortem ab iniquis hominibus illatã patienter sustinere, quàm Isidis plangere post Osyrin vagos incertosque discursus? Pudeat vos, quæso, insidiarum Typhonis, pudeat Saturni fugæ, & deuorationis crudelissimæ liberorum. Erubescite parricidium Iouis, & incestum: erubescite raptum eius & coitum mulierum & puerorum, &c.] Multa subdit Gentiliciæ superstitionis deorum turpia & obscœna, ac demũ pulchro hoc dilemmate philosophos vrget: Aequo (deprecor pro vestra salute) nostra dicta pensate iudicio. Cuncta, an nihil, libris credenda sunt Christianis? Si nihil; nec Crucis quoque, cui detrahitis, nomen agnoscitis. Si vniuersa credenda sunt; cur cum in ijsdem libris Cruci resurrectio copuletur, Passionem diuinam stolido laceratis eloquio, & non statim iungitis cæcorum visum, surdorum auditum, claudorum gressum, lepræ emundationem, seruiens ambulãti Deo suo mare, dæmonum fugas, resurrectionem mortuorum, & defunctorum ab inferis reditus?] his dictis & illa confutauit quæ illi dicere potuissent de allegoriis, quibus ijdem contegere solerent pudenda deorum, & cuncta referre ad cælestia corpora & naturæ diuersos motus: ostendens magna affici ignominia Creatorem, si debitum sibi honorem & gloriam, non ipsi, sed impendant homines creaturis.

DE GLORIA CRVCIS CHRISTI. (C)

Demum ab opere & experimento ipso veræ fidei atque religionis probationem adducit: et consentientibus illis, ipsa facta esse verbis potentiora, & virtutem sermone præstantiorem, hæc adijcit: Nos Christiani mysteriũ vitæ nostræ non in sapientia Mundi habemus repositum, sed in virtute fidei, quæ nobis a Deo tributa per Christum est. Hanc orationis meæ veritatem quotidie quæ geruntur, ordo commendat. Nobis imperitis & litterarum vestrarum ignaris, ad dignationem eius solum verba sufficiunt. Ecce nos tot Gentilitatis gregibus abstracti, in vniuersum Orbem quotidie propagamur: Vobis vero post aduentum Domini nodosæ sophismatis defecerunt versutiæ. Ecce nos simplicem Christi fidem edocti, Idololatriam debellauimus: et per prædicationem ignominiosæ Crucis aurata templa conciderunt. Vos, si potestis, ostendite, qua contextione verborum Gentilitatem Christo præponere suaseritis. Per omnes iam terras Deus Dei Filius Christus est agnitus: nihil eloquentia sophismatum, nihil disputatio philosophiæ, multitudini potest obesse credentium. Crucifixum nominamus: et vniuersi dæmones, quos vos vt Deos colitis, fugiunt, atque ab obsessis corporibus ad primum dominicæ Crucis signum fugantur. Vbi sunt illa fabulosa oracula? vbi Aegyptiorum incantationes? quo magorum profecta sunt carmina? Certe nunc vastata sunt omnia, cum de sua Cruce Mundo Christus innotuit. Nihilo minus vos, prætermissis debilitatorum cateruis, gloriosam Iesu Christi mortem irridere conamini.

VIRTVS CRVCIS EX REBVS GESTIS EXPENDITVR. (D, E)

Illud autem quale est, quòd numquam regio furore concussa Gentilitas, immo sæculo cata, & hominum præsidijs fulta iam corruit; nos Christi famuli quo plus premimur, eo magis assurgimus, & floremus? Vestra simulacra ornatis quondam septa parietibus, iam vetustate collapsa sunt: Christi vero doctrina, quæ vobis stultitia videtur & ludus, licet tyrannica persequentium Principũ tentamenta pertulerit, licet varijs sit incursata terroribus, nullo tamen terrarum orbe concluditur, nullo barbararum gentium fine prohibetur. Quando tot simul in se conuenere virtutes? Continentia in matrimonio, virginitas in Ecclesia, floret martyrum pro Domino suo gloriosa constantia, quorum omnium Crux Christi principium est.

Cum

A Cum interim vos inter tantos virtutum choros syllogismorum retia tenditis, & veram rerum lucem tenebrosis conamini argumentationibus obuoluere: ecce vos (vt dixit Doctor noster [a]) non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in fide apertissima suademus, quæ verborum affirmationem præuenire consueuit. Adsunt quippe patientes a dæmonibus vexati. (Quos cum in medium produxisset, verba repetiuit dicens:) Nunc vos collectionibus vestris, & quo vultis malefico carmine, deos vestros, quos putatis, expellite. Sin autem non potestis, victas submittite manus, & ad Christi trophæa confugite, & statim Crucifixi fidem maiestatis potentia prosequetur. Dixit, & inuocato Iesu nomine, cum vitale signum in sacro numero Trinitatis pressisset in frontibus; vna cum expulsis dæmonibus vana præsentium philosophorum confutata sapientia est: expauerunt enim, stupentes hominem, cui post tantum ingenium affluxerat signorum diuinorum largitio. At ille vniuersa Christo, qui cu-
B rauerat, adscribens, vsus est affatu reciproco, & ait: Nolite putare me his sanitatem dedisse: Christus per seruos suos facit ista miracula: credite & vos; et videbitis, quia deuota Deo fides, non eloquentiæ vanus tumor talia signa mereatur. Confugite ad Crucifixi legem, nosque eius imitamini famulos, & hac scientia contenti sitis, & nulla deinceps sæcularis impudentiæ argumenta quæratis. Hactenus Antonio dicente, miro philosophi stupore perculsi, cum honorifico salutatu ab eo recedentes, multum eius sibi fatebantur profuisse conspectum.] hucusque de his Athanasius.

[a] 1. Corinth. 2.

FIDES FIRMATA MIRACVLIS.

Cum vero (vt idem auctor testatur) ex omni hominum genere ad eum inuisendum confluerent, & ab eodem ad contemptum sæculi, & perfectæ vitæ studium arripiendum sedulo inuitati, idem viuendi genus & institutum capesserent; complura condidit monasteria, cœnobiticæque ipse primus vitæ iecit in eremo fundamenta: adeo vt cœnobitarum monacho-
C rum idem institutor sit habitus, vel potius restitutor, si Essenorum, qui in Aegypto sub Marco primo Alexandrinorum Episcopo floruerunt, ratio aliqua habenda esse videatur, quos Christianos fuisse, suo loco superius perspicue demonstrauimus. Porro grauioribus persecutionum procellis obortis, quibus non Christiani tantum simul agentes, & conuentus publice celebrantes, sed & latentes in penetralibus alijsque latibulis quæsiti abriperentur ad necem, intermitti illud cæleste viuendi genus oportuit: quod S. Antonius non modo restituit, verum longe lateque in Christianum Orbem copiosissimo fœtu propagauit. Erant quidem ante Antonium, qui timore persecutionis ciuitatibus derelictis, siue ruri, siue in desertis locis abditi, Angelis similem vitam ducebant, quorum nonnullos ex Eusebio diximus fuisse martyrio coronatos; reperit & horum aliquos ipsemet Antonius, cum vt illatam Ecclesiæ persecutionem vitaret (vt dictum est) in desertum locum secessit, & ab vno illorum prima rudi-
D menta monasticæ institutionis accepit: quæ perfecit delitescens in solitudine: cum postea diuino afflatus numine monachos in vnum collegit, & in diuersa loca, tamquam in diuersis aluearijs apum examina, distribuit, qui sub eius disciplina a sæculi abdicatione ad monasticam professionem amplexandam fuerant persuasi. De his enim sic Athanasius [b]: Erant in monte monasteria, tamquam tabernacula, plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium: tantumque ieiunandi & vigiliarum ardorem cunctorum mentibus sermo eius afflauerat, vt futuræ spei auiditate ad mutuam charitatem & misericordiam indigentibus exhibendam iugi studio laborarent, qui infinitam regionem quamdam & oppidum a mundana conuersarione seiunctum plenum pietatis & iustitiæ videbantur incolere, &c.] Quàm autem illustrata esset Aegypti eremus sanctorum monachorum classibus, S. Ioannes Chrysostomus [c] narrat his verbis: Denique si quis nunc ad Aegy-
E pti veniat solitudines, paradiso quouis omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, &c.] sed quonam modo in immensum auctus & dilatatus sit monasticus ordo, institutam prosequamur orationem.

COENOBITICAE VITAE ANTONIVS RESTITVTOR.

MONASTERIA AB ANTONIO ERECTA.

[b] Athanas. in Vit. Anton.

[c] Chrysost. hom. 8. in Matth. c. 2.

Qui igitur Antonium adeuntes, eidem se subiecere discipuli, ex ijs alij in eisdem cum illo montibus monasticam exercuere disciplinam: alij vero eadem ex planta palmites succidentes, & in diuersis prouinciis complantantes, breui tempore factum est, nempe hoc ipso sæculo, vt replerint terrarum orbem tam sancta propagine, nimirum Palæstinam, Syriam, Asiam Minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam, & Boreales regiones, vsque ad latrones Bessas & Dacos, de quibus S. Paulinus hæc cecinit [d] in reditu S. Nicetæ viri sanctissimi, a quo accepit quod scribit:

MONACHISMVS LATISSIME PROPAGATVS.

[d] Paulin. in car. vlt. de reditu Nicetæ ad Natal. S. Felicis.

O vices rerum bene versa fama! A
Inuij montes prius, & cruenti,
Nunc tegunt versos monachi latrones
Pacis alumnos.
Sanguinis quondam, modo terra vitæ est:
Vertitur cælo pia vis latronum,
Et fauet Christus supera occupanti
Regna rapinæ.
Mos vbi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget Angelorum,
Et latet iustus, quibus ipse latro B
Vixit in antris.] &c.

BESSI MONACHI.

a Hieron. epist. 3. Sed & de Besfis meminit S. Hieronymus [a], cum scribens ad Heliodorum hæc ait: Indus, Persa, Gothus, Aegyptius philosophantur: Bessorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferijs homines immolabant, stridorem suum in dulce Crucis fregerunt melos.] et ad Lætam [b]: De India, Perside, Aethiopia monachorum quotidie turmas suscipimus] eorum scilicet qui ad loca sancta visenda pietatis ergo ventitabant. b Hieron. epist. 7.

BASILIVS IMITATOR, NON AVCTOR.

Non est igitur quòd quis huiuscemodi vitæ instituti Basilio primas tribuat, quæ debentur Antonio: Basilius enim imitator potius accessit, quàm inuentus sit auctor; qui nec aliud profitetur, cum ad Neocæsarienses aduersus subdolos operarios eos subuertentes scribit his verbis [c]: Accusamur vero & huius, quòd homines habeamus monachos pietatis studiosos, qui Mundo renunciarint & vniuersis sæculi istius curis, quas Dominus comparat spinis fertilitatem Verbi impedientibus. Qui huiusmodi sunt, mortificationem Iesu in corpore circumferunt; ac cruce quisque sua accepta, Deum sequuntur. Ego vero omnem vitam meam impenderem, vt mihi possent talia impingi delicta, haberemque apud me viros, qui, me doctore, hoc pietatis studium amplexi hactenus fuerint. Nunc autem in Aegypto quidem audio talem esse virorum quorundam virtutem, & forsan in Palæstina quoque sunt, qui ad Euangelij normam vitæ suæ conuersationem perfectam reddant. Audio & in Mesopotamia viros esse perfectos atque beatos. Nos vero perfectis collati, pueri sumus. Sunt autem & feminæ Euangelicam vitam amplexæ, quæ virginitatem quidem nuptiis præferunt, sensum vero carnis seruituti subijciunt, & beato luctui immorantes, beatæ sunt ex proposito; vbicumque terrarum degant. Apud nos vero ista, qui primis adhuc elementis ad pietatem instituimur & initiamur, minuta sunt ac rudia.] hæc Basilius: sed & Ioannes Chrysostomus [d], agens de clarissimis viris qui in Aegypti solitudine floruerunt, de feminis etiam idem vitæ institutum arripientibus, istæc subdit: Atque hæc non in viris solum, verum etiam in feminis splendere conspicias. Nam illæ quoque non minori, quàm viri, virtute decorantur: non clypeo arrepto in equum insilire callentes, vt honestissimi illi, ac sapientissimi Gentilium iubent magistri: sed multo certe vehementius bellum gerentes. Communis enim illis ac viris aduersus diabolum pugna est, contraque huius Mundi potestates: nec vspiam teneritudo sexus his congressibus impares facit: non enim natura corporis, sed voluntate animi exercentur ista prælia: propterea sæpe in huiusmodi acie fortius viris feminæ decertarunt, ac trophæis insignibus claruerunt. Non ita varijs astrorum choris cælum refulget, vt Aegypti eremus innumeris monachorum ac virginum distinguitur atque illustratur habitaculis.] hactenus Chrysostomus. Sed nec caruit hoc sæculum cœnobiis sanctarum virginum Orbis Occidentalis: at de his inferius dicturi sumus; sæpe enim accidet vt de huiusmodi vitæ professoribus se offerat scribendi occasio: nunc autem hæc de Aegyptiis & Orientalibus monachis libasse sufficiat; de Occidentalibus vero pauca tantummodo summatim subdidisse satis erit; nimirum certum exploratumque esse, eius Orbis prouincias ferme omnes vna cum insulis, hoc eodem sæculo fuisse refertas agminibus monachorum: licet enim numquam antea defuerint viri sancti, qui seorsum ab aliis agerent solitarij, atque persecutionum ingruentium occasione potissimum laterent (quod de his similibus loquitur Apostolus [e]) in speluncis & cauernis terræ, circuientes in melotis, & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat Mundus: vt tamen esset tam virorum C D E

c Basil. epist. 63.

d Chrysost. in Matth. homil. 8.

MONIALIVM FORTITVDO IN SPIRITVALI MILITIA.

e Hebr. 11.

A virorum quàm mulierum cœtus, qui monasticam exercerent disciplinam; id primum accepit Roma ab Antonio isto Magno per Athanasium Episcopum Alexandrinum; a Romana vero Ecclesia, velut e promptuario disciplinæ, aliæ omnes Occidentalis orbis Ecclesiæ mutuatæ sunt, omnes ex more cupide amplexantes, quod vidissent Romam esse sequutam. Sed de instituto monastico ab Ecclesia Romana suscepto, inferius suo loco dicturi sumus: modo autem illud satis; præstitisse hoc amplius ceteris Romanam Ecclesiam, vt ipsa prima voluerit etiam intra Vrbem, & in suburbiis cœnobia monachorum: quod quidem æmulatæ sunt nobiliores Ecclesiæ, vt Mediolanensis quæ primum monasterium iuxta ciuitatem positum habuit, vt S. Augustinus testatur [a], qui de his quæ tum Romæ, tum Mediolani viderat, hæc tradit [b]: Vidi ego diuersorium Sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus vnus presbyter præerat vir optimus & doctissimus. Romæ etiam plura cognoui, in quibus B singuli grauitate atque prudentia, & diuina scientia præpollentes cæteris secum habitantibus, præsunt Christiana charitate, sanctitate & libertate viuentibus: Ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt, sed Orientis more, & Pauli Apostoli auctoritate, manibus suis se transigunt. Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est vsque quaque vsitatissimum, sed continuum triduum, vel amplius sæpissime sine cibo ac potu ducere: neque hoc in viris tantum, sed etiam in feminis, quibus item multis viduis & virginibus simul habitantibus, & lana ac tela victum quæritantibus præsunt singulæ grauissimæ, probatissimæque non tantum in instituendis, componendisque moribus, sed etiam instruendis mentibus peritæ atque paratæ.] hæc Augustinus. Tam auide enim Occidentales Ecclesiæ eiusmodi sanctissimæ vitæ genus sunt amplexatæ, vt & clerici idem ipsum fuerint æmulati, in suis Ecclesijs ita degentes: et in Aegypto monachi, in C desertis solitudinibus habitantes.

Rom. Eccl. monaster. a prima intra Vrbem habuit.

a August. Cōfess. lib. 8. c. 6.

b Aug. de morib. Eccles. c. 33.

Qui vero in orbe Occidentali monachismum coniunxerit clericatui, prædicatur a S. Ambrosio S. Eusebius Episcopus Vercellensis, qui Apostolica (vt dicemus) legatione perfunctus, in Aegyptum profectus est, & Alexandriæ aduersus Arianos Concilium habuit, sanctorumque monachorum institutum (vt par est credere) diligentius perquisiuit, & studuit clericali vitæ coniungere: Hæc enim inquit Ambrosius [c]: Primus in Occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt & in ciuitate positus, instituta monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate.] et post aliqua: Hæc igitur patientia in S. Eusebio monasterij coaluit vsu, & durioris obseruationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Namque hæc duo in attentiore Christianorum deuotione præstantiora esse quis ambigat, clericorum officia & monachorum instituta? &c.] Quod ipsum præstantissimum D vitæ genus S. Martinus Episcopus Turonensis transuexit in Gallias, & S. Augustinus in Africam: qui admirabili quadam connexione duo hæc (vt dictum est) omnium perfectissima vitæ genera, clericorum & monachorum in vnum pariter coniungentes, tamquam lucidissimis astris, vt olim martyres tempore persecutionis; in pace, Christi Ecclesiam exornarunt.

Monachismus coniunctus clericatui.

c Ambros. ad Vercell. lib. 10. epist. 82.

At parum visum est Athanasio monachorum instituta in clerum ciuitatis Ecclesiarum transferre: sed ipsos sanctissimos monachos, quos ceteris nosset moribus & peritia antecellere, in Episcopos diuersarum Ecclesiarum asciuit, quod fortissimos hos fore sciret aduersus ingruentem Arij hæresin pugnatores, & quasi munitissimas turres contra Meletianos schismaticos. Quinam vero hi essent, qui ad Episcopale munus obeundum fuerint ab eo postea accersiti, hocq. visitationis tempore diœcesi cogniti atque delecti; idē ipse Athanasius ad Dracontium monachum scribit, quem contentiosius reluctantem ad idem ministerium E suscipiendum expertus, his monet post multa [d]: Neque enim tu solus ex monachis es constitutus, Episcopus scilicet, neque solus monasterio præfuisti, neque solus a monachis delectus es: Nosti enim Serapionem monachum esse, & quot monachorum Præfectum? Neque a te ignoratur, quot monachorum pater fuerit Apollonius. Nosti Agathonem, neque ignotum habes Aristonem. Memor es Ammonij cum Serapione peregre profecti. Fortassis etiā audisti de Cue in superiori Thebaide, poteris etiam rescíscere de Paulo, qui est apud Letos, & de aliis multis; et tamen isti Episcopi constituti, non contradixerunt; sed habentes pro exēplari Eliseum, & conscij quid Elias egerit, & eruditi quid discipuli Christi, Apostolique fecerint, susceperunt hanc curā, neque ministerium hoc aspernati sunt: neque propterea seipsis deteriores facti sunt; sed & laboris mercedē expectant, proficiētes ipsi, aliosque proficere adhortantes: quot ab idolis cōuerterunt? Quot a furiosa & dæmoniaca cōsuetudine suis admonitionibus cōpescuerunt? Quot aduxerunt Christo seruos? adeo, vt qui ista signa conspiciāt, admi-

Athanasius ex monachis creat episcopos.

d Athanas. epist. ad Dracontium.

rentur. An quæso non ingens signum, puellam inducere vt virgo maneat; et adolescentio- A
rem adhuc, vt sit continens; et idololatram, vt cognoscat Dominum?] et post aliqua, quòd non sit impedimento cura Episcopalis monasticæ obseruantiæ, hæc subdit: Quapropter cum istiusmodi habeas exempla, dilectissime Draconti, ne dicas, nec dicentibus credas, Episcopatum esse causam peccati, aut quod inde nascantur occasiones delinquendi: licebit tibi in Episcopatu esurire, sitire cum Paulo: licebit vinum non bibere, sicut Timotheus fecit, & ieiunare frequenter, vt Paulus solitus; ita vt secundum illum ieiunans, alios sermonibus nutrias; et sitiens abstinendo a potu, alijs, docendo, potum præbeas. Ne igitur talia obijciant consiliarij tui: nouimus enim Episcopos ieiunantes, & monachos comedentes, &c.] hæc & alia plura id genus Athanasius ad Dracontium, quem tandem persuasisse constat, & pro fide Catholica strenue certantem, cum alijs Orthodoxis sanctis Episcopis pro ipsa fide exilium subijsse idem Athanasius tradit [a]: sed de his inferius. B

MONASTICA INSTITVTIO CONGRVIT EPISCOPATVI.

[a] Athanasius in Apolg. de fuga sua.

Negari quidem non potest, fuisse Monachismum, seminarium in Ecclesia Dei sanctissimorum Episcoporum, ex quo Basilij, Gregorij, Chrysostomi, & alij tam in Oriente quàm in Occidente viri spectatissimi prodiere; quorum omnium qui Antonium Magnum dixerit Patriarcham, veritatis scopum attinget: in quo mille signis atque virtutibus quàm sit Deo gratum, relicto sæculo, & quæ sæculi sunt vitæ concupiscentijs, monasticam vitam deligere ac profiteri, fuit euidentissime declaratum, & in alijs eiusdem genus vitæ agentibus Domini calculo firmissime stabilitum, vt in Pachomio, Hilarione, Macarijs, Ioanne, Ammone, & aliis ferme innumeris his similibus, in quibus sunt innouata antiqua miracula Prophetarum & Apostolorum.

MONACHORVM INSTITVTVM DIVINO CALCVLO PROBATVM.

Ceterum degentium in Aegypto monachorum non idem erat genus omnium, & institutio, atque vitæ perfectio: dum nonnulli declinantes ab Antonij institutis, aliam inierunt vitæ rationem: quamobrem Hieronymus de his pluribus agens, hæc ait ad Eustochium scribens [b]: Tria sunt in Aegypto genera monachorum. Primum Cœnobitæ, quod illi, Sauses, gentili lingua vocant; nos, In communi viuentes, possumus appellare. Secundum Anachoritæ, qui soli habitant per deserta, & ab eo quòd procul ab hominibus recesserint, nuncupantur. Tertium genus est, quod Remoboth dicunt, deterrimum atque neglectum, & quod in nostra prouincia aut solum, aut primum est.] de quibus vltimo loco, quid scribat S. Hieronymus, dicturi sumus. Quænam vero esse soleret institutio cœnobitarũ, idem inferius his verbis narrat: Prima apud eos confœderatio est, obedire maioribus, & quidquid iusserint, facere. Diuisi sunt per decurias atque centurias: ita vt nouem hominibus decimus præsit, & rursum decem Præpositos sub se centesimus habeat. Manent separati, sed iunctis cellulis. Vsque ad horam nonam (vt est institutum) nemo pergit ad alium, exceptis his decanis, quos diximus; vt si cogitationibus forte quis fluctuet, illius consoletur alloquiis. Post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonant, Scripturæ recitantur ex more: et completis orationibus, cunctisque residentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit disputare: quo loquente tantum silentium fit, vt nemo alium respicere, nemo audeat excreare: dicentis laus in fletu est audientium, tacitæ voluuntur per ora lacrymæ, & ne in singultus quidem erumpit dolor. Cum vero de regno Christi & de futura beatitudine & de gloria cœperit annunciare ventura: videas cunctos moderato suspirio, & oculis ad cælum leuatis intra se dicere [c]: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam! Post hæc concilium soluitur, & vnaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensam, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est: nemo comedens loquitur. Viuitur pene leguminibus & oleribus, quæ sale solo condiuntur: vinum tantum senes accipiunt, quibus & paruulis sæpe fit prandium, vt aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. Dehine consurgunt pariter, & hymno dicto ad præsepia redeunt: ibi vsque ad vesperam cum suis vnusquisque loquitur, & dicit: Vidistis illum, & illum? quanta in ipso sit gratia, quantum silentium, quàm moderatus incessus? Si infirmum viderint, consolantur: si in Dei amore feruentem, cohortantur ad studium. Et quia nocte extra orationes publicas in suo cubili vnusquisque vigilat; circumeunt cellas singulorum, & aure apposita, quid faciant, diligenter explorant: quem tardiorem deprehenderint, non increpant, sed dissimulato quod norunt, eum sæpius visitant; et prius incipientes, prouocant magis orare, quàm cogunt. Opus diei statum est, quod decano redditum, fertur ad œconomum: qui & ipse per singulos menses Patri omnium cum magno tremore reddit rationem: a quo etiam cum cibi facti fuerint, prægustantur. Et quia non licet dicere cuiquam: Tunicam

The letters C, D and E stand in the right margin beside the lines beginning "tio, atque vitæ perfectio", "ad horam nonam" and "pene leguminibus" respectively.

[b] Hieron. epist. 22.

DIVERSA MONACHORVM GENERA.

CŒNOBITARVM INSTITVTVM.

[c] Psal. 54.

A cam, & sagum, textaque iuncis strata non habeo: ille ita vniuersa moderatur, vt nemo quid postulet, nemo non habeat. Si quis vero cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio confouetur, vt nec delicias vrbium, nec matris quærat affectum. Dominicis diebus orationi tantum & lectionibus vacant: quod quidem & omni tempore completis opusculis faciunt. Quotidie aliquid de Scripturis discitur. Ieiunium totius anni æquale est, excepta Quadragesima, in qua sola conceditur districtius viuere. A Pascha ad Pentecosten cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni Ecclesiasticæ satisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato.] hucusque de his S. Hieronymus, qui hos similes tradit Essenis a Philone atque Iosepho descriptis, de quibus suo loco fusius actum est. Sed hæc quidem generatim ipse complexus est, cum alioqui extent prolixiores de institutis cœnobitarum antiquorum formæ conscriptæ a Pachomio, Basilio, Cassiano, Climacho, atque demum in Occidente a S. Benedicto, & alijs recentioribus sanctissimis viris, de quibus B singulis suo loco opportunius.

Quod vero spectat ad cœnobitas moniales, quarum superius mentio facta est, istæc habet S. Augustinus [a]: Hæc est etiam vita feminarum, Deo solicite castequc seruientium, quæ habitaculis segregatæ, ac remotæ a viris quàm longissime decet, pia tantum illis charitate iunguntur & imitatione virtutis: ad quas iuuenum nullus accessus est, neque ipsorum quamuis grauissimorum, ac probatissimorum senum, nisi vsque ad vestibulum, necessaria præbendi, quibus indigent, gratia. Lanificio namque corpus exercent atque sustentant, vestesque ipsas fratribus tradunt, ab ijs inuicem quod victui opus est, resumentes.] sed & de Aegypti feminarum monasterijs hæc Hieronymus ad Sabinianum [b]: Moris est, inquit, in Aegypti, & Syriæ monasterijs, vt tam virgo quàm vidua, quæ se Deo vouerint, & sæculo renunciantes, C omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter, ac velato.] At de institutis sanctarum virginum monialium plura idem Hieronymus ad Eustochium [c], S. Basilius, S. Ambrosius, & alij.

De Anachoretis autem Hieronymus hæc tantum: Hi exeunt de cœnobio, & excepto pane & sale, ad deserta nihil perferunt amplius. Ipsius vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendam, princeps Ioannes Baptista.] et deinde: Horum laborem & conuersationem in carne non carnis, alio tempore, si volueris, explicabo.] Porro quod ait Antonium illustrasse vitam anachoreticam, sic accipiendum est, quòd idem Antonius primo illud genus viuendi exercuit, qui postea cœnobiticam vitam excoluit, & rursus ad anachoreticam redijt, licet suorum curam non dimiserit: cuius exemplo contigit, reciproco quo- D dam ordine, anachoretas generare cœnobitas, & cœnobitas vice versa parere anachoretas: qui scilicet sic voluntate Patris omnium Præsidis agere solitarij permittantur, vt tamen vinculo quoque obedientiæ astringantur: cum alioqui non defuerint viri sanctissimi, qui ipso primo ingressu vitæ monasticæ, eremum petentes, solitariam vitam sectati sunt. Habet ferme eadem Epiphanius [d], & S. Augustinus.

Sed quod ad monachorum tertium genus spectat, quod respectu optimi atque perfecti idem S. Hieronymus appellat deterrimum: hæc de his ait: Hi bini, vel terni, nec multo plures simul habitant, suo arbitratu ac ditione viuentes: et de eo quod laborauerint, in medium partes conferunt, vt habeant alimenta communia: habitant autem quamplurimum in vrbibus & castellis: et quasi ars sit sancta, non vita; quidquid vendiderint, maioris est pretij. Inter hos sæpe sunt iurgia, quia suo viuentes cibo, non patiuntur se alicui esse subie- E ctos: reuera solent certare ieiuniis, & rem secreti victoriæ faciunt. Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, calligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum; et si quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum.] ita de his S. Hieronymus, a quibus paulo diuersi erant, quos Cassianus, Sarabaitas, nominatos esse tradit [e], de quibus ait: Emersit istud Sarabaitarum genus, qui ab eo quòd semetipsos a cœnobiorum congregationibus sequestrarent, ac singillatim suas curarent necessitates, Aegyptiæ linguæ proprietate, Sarabaitæ nuncupati sunt.] hæc ipse, agens tamen pluribus de ijsdem.

At ne monachorum quidem nomine digni, sed plane pseudomonachi appellandi sunt illi, quos S. Augustinus describit his verbis [f]: Tam multos hypocritas sub habitu monachorum vsquequaque dispersit, hostis scilicet humani generis, circumeuntes prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alij membra martyrum, si tamen martyrum, venditant: alij fimbrias & phylacteria sua magnificant: alij parentes, vel consan-

a Aug. de morib. Eccl. c. 31.

b Hieron. epist. 48.

c Hieron. epist. 22. & Basil. de Virgin.

ANACHORETARVM INSTITVTVM.

d Epiph. hæres. 80. & Augustin. de morib. Eccles. c. 31.

TERTIVM GENVS MONACHORVM.

e Cassian. collat. 18. c. 7.

f Augustin. de opere monach. c. 28.

consanguineos suos in illa vel in illa regione se audisse viuere, & ad eos pergere mentiuntur: et A omnes petunt, omnes * exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis: cum interea vbicumque in factis suis malis deprehensi fuerint, vel quoquo modo innotuerint, sub generali nomine monachorum vestrum propositum blasphematur tam bonum, tam sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare.] hactenus Augustinus, cuius etiam hic sentẽtia illa plane aurea recitanda est, qua dicit [a]: Simpliciter autem fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi: quo modo difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasterijs profecerunt; ita non sum expertus peiores, quàm qui in monasterijs reciderunt: ita vt hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum [b]: Iustus iustior fiat; & qui in sordibus sordescat adhuc.] Quod exemplo in primis demonstrari potest in nonnullis Aegypti monachis, qui a recto disciplinæ tramite deuiantes Meletianis schismaticis adhæserunt & Arianis, ac B monstruosas quidem calumnias aduersus S. Athanasium suum ipsorum Episcopum construxerunt; ex ijsdem pariter prodiere complures hæresiarchæ, ex quibus denominati hæretici Euchaitæ, Aeriani, Eustathiani, Massadiani, Andropomorphitæ, Iouinianei, Origenistæ, Eutychiani, Seueriani, & alij quamplurimi vsque ad præsens sæculum, quo quidem nullum vmquam fuit fœcundius desertoribus regularis & monasticæ disciplinæ, ijsdem iam in hæresiarchas in diaboli conflatoria officina transfusis, vtpote ad tam deformia effigianda monstra, idonea delecta materia, nempe ex argento purissimo scoria reiectanea. At de his hactenus, in quæ diuertimus occasione Athanasij peragrantis Aegyptum, & monachorum cœnobia inuisentis.

* ab omnibus

a August. epist. 137.

TETERRIMVM GENVS HOMINVM.

b Apocalyp. 22.

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
329.	16.	24.

C

Trecentesimus vigesimusnonus Christi annus Constantino Aug. VIII. & Constantino Cæs. IIII. Coss. annotatur: quando Meletiani ex Athanasij visitatione, qua ille omne adhibuit studium, vt eos sub iure & obedientia ipsorum Primatis Episcopi Alexandrini redigeret, nonnihil in ipsum commoti, iterũ cum Eusebianis icto fœdere, nouis calumnijs aduersus eum apud Constantinum Imperatorem agere moliuntur. Certiorem ante fecerat Athanasius Imperatorem de eorum schismate iterum acrius recrudescente: quando his acceptis idem Constantinus Imp. eos ad se accersit: id ipse suis testatur litteris ad Nicomedienses scriptis, quas paulo post, hoc eodem anno, descripturi sumus. Arripiunt autem Eusebiani libenter occasionem, quam magna industria conquisissent. Siquidem experti fuerant, sedente Athanasio, nullam fore Ario spem reliquam Alexandriam redeundi, neque hæresis propagandæ. Meletiani igitur, communicato simul consilio, mittunt ad Imperatorem Isionem, Eudæmonem, & Callynicum; qui & Athanasium calumniis infamarent, nempe indixisse Aegyptiis tributum de pendendis ecclesiæ linteis; atque illud pariter exegisse. secunda hæc fuit Meletianorum ad Imp. missa legatio cum accusationibus in Athanasium. sed qui alia occasione præsentes tunc aderant duo presbyteri Alexandrini, Apis atque Macarius, illatum maiestatis crimen in Athanasium facile diluerunt, & vt existimo, de re per Athanasium gesta Constantinum reddidere certiorem; non fuisse (quod calumniabantur aduersarij) eiusmodi indictionem & tributi exactionem, sed Athanasij rogationem ad populum, seu collectã Christianorum more fieri solitam ad ecclesiarum ornamenta & Dei cultum amplificandum de E contribuẽdis linteaminibus factam; populi vero fuisse non coactam, sed liberam collationem, spontaneamque oblationem, idque sibi Athanasio ex more & instituto Apostolico vendicante: Paulus enim Græciæ & Asiæ etiam pecuniarum collectam indixit, sed ea moderatione, vt a sponte dantibus vellet accipere, non autem quemquam cogeret ad præstandum, vt ipse ad Corinthios [c] scribens pluribus monet.

MELETIANI RVRSVM IN ATHANASIVM INSVRGVNT. D

c 1. Corinth. 16.

Agit de his S. Athanasius, rem paucis perstringens, cum in Apologia retexens quæcumque passus esset ab Eusebianis, eadem prout gesta sunt, ordine temporum recensens, sic ait [d]: Cum ego Cæsari persuasissem, nullã esse debere Ecclesiæ Catholicæ cum hæresi Christi oppugnatrice cõmunionem; tum demum tẽpus obuenisse arbitratus Eusebius, quod cum Meletianis constituerat, litteras ad eos scribit, vt scelera ea de nobis fingerent, & fama spargerent, quibus se aduersus Petrum, Achillam, & Alexandrũ prædecessores Episcopos Alexãdrinos exagitauerant. Sed cum plurima captãtibus nihil reperiretur, ex Eusebianorũ sententia tale crimen

d Athanas. Apolog. 2.

per

A per Isionē, Eudæmonē, & Callynicū de ordinarijs linteis emētiuntur, quasi ego canonē iustiusmodi tributi Aegyptijs indicerē, & primus omniū exigerē. Sed id frustra fuit: presbyteri enim nostri Apis & Macarius, qui ibi forte præsentes aderant, eos, audiente Imperatore, de calumnia vicerunt.] hæc Athanasius, eadem quoque Sozomenus[a]: qui tamen loco linteorum, quæ ponit Athanasius, habet vestes lineas, quibus in sacris ministri ecclesiæ vti solerent.

[a] Sozom. lib. 2. c. 21.

Ceterum consueuisse Fideles linteaminibus ecclesias exornare, eaq. ecclesijs offerri solita S. Paulini[b] versus illi testantur in natali die S. Felicis, quibus vna cum alijs oblationibus a Christianis ecclesiæ tribui consuetis sic de linteis, seu velis:

[b] Paulin. Natal. 6. S. Felic.

VELIS EXORNARI ECCLESIAE SOLITAE.

Cedo, alij pretiosa ferant donaria, meque
Officij sumptu superent; qui pulchra tegendis
B *Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,*
Siue coloratis textum fucata figuris.]

Vt velis exornarentur ecclesiæ, diutius perseuerauit vsus. Habes de Rusticiana Patricia, misisse ad ecclesiam S. Petri Romam vela[c]. Monet hoc ipsum querela illa[d] ad S. Gregorium Papam de Natali Episcopo Salonitano perlata, quòd vasa sacra & velamina suis dedisset affinibus; et de Fusco Abbate, qui sacros codices & vela secum asportasset[e]. Sed sunt de his innumera plane exempla.

[c] Greg. epist. 38. lib. 9.
[d] Greg. epist. 14. lib. 2.
[e] Idem epist. 15. lib. 8.

Eiusmodi autem purgata calumnia, haud quieuerunt Athanasij aduersarij: siquidem Eusebiani Meletianos licet victos non permiserunt abire, verum ad nouas consarciēdas calumnias cōducunt perditos homines: qui in primis aduersus Macarium presbyterum, qui apud Imperatorem defenderat Athanasium, scelus effingunt, quòd vas sacrum confregerit: Athanasium C autem vt infensissimum reddant Imperatori, maiestatis rursum reum constituunt, accusantes nimirum, ingentem auri vim misisse cuidam Philumeno, qui aduersus Imperatorem rebellauerat: quam ob causam, quòd grauis admodum hæc accusatio videretur, ab eodem Constantino Imperatore Athanasius Constantinopolim accersitur. Testatur istæc quidem ipsemet, qui & patefacta sua innocentia Constantino, Imperatorijs litteris suæ integritatis testibus acceptis, Alexandriam se reuersum tradit, cum ait[f]: Imperator damnato Isione prioris calumniæ delatore, me istiusmodi litteris ad se accersit: re cognita Eusebius ijs auctor est, ne loco se moueant: ex eius enim consilio rem apud Cæsarem nouis criminibus tentant, accusantes Macarium de calice: mihi autem non quoduis crimen, sed quod maximum est omnium, imposuere, quasi hostis Imperatoris crumenam auri cuidam Philumeno misissem. Psammathiæ causa audita; illos quidem merito, vt calumniosos, reiecit; nos autem in patriam redeuntes D cum istiusmodi epistola ad populos remisit:

RVRSVM CALVMNIAE IN ATHANASIVM.

[f] Athanas. Apolog. 2.

Constantinus Maximus Augustus Populo Catholicæ per Alexandriam Ecclesiæ.

Dilecti fratres, saluto vos, inuocans Deum summum meæ voluntatis testem, & nostræ legis vnigenitum Creatorem, qui omnium vitæ præsidet, & discordias odit. Verum quidnam potissimum dicam? An scilicet nos bene valere? Verum id quidem: sed multo felicius agere liceret, si vos mutuo, excussis odijs, amaretis: rixosorum enim hominum procellis occurrere debemus, quòd portus dilectionis a vobis relictus sit. O rem absurdam! Vah quantæ quotidie calamitates per inuidiam omnia miscentem existunt! vnde fit, vt populus Dei infamia laboret. Quo igitur iustitiæ fides recessit, cum tantarum tenebrarum caligine obuoluamur? neque id tam ex errore, qui multiplex est, quàm malignorum hominum vitijs, dum & propugnatores verecundiæ sustinemus, & eos qui æquitatem & veritatem profligant, etiam cum id sensi-E bus nostris percipiamus, negligendos putemus. Quodnam id genus nostræ peruersitatis, si inimicos non reprehendimus, sed latrocinio nos comites damus? Vnde fit, vt viam quamdam sibi facillime strauerit, nemine repugnante, perniciosissima fraus. Nullus ne tandem sensus est, ne pro dotibus quidem communis omnium naturæ, si legis præcepta contemnenda duximus? Sed dixerit aliquis: Saltem charitas, prout ductus naturæ est, reperitur. Admodum scilicet, qui & Dei lege & bono ingenio instructi, toleremus tamen inimicos, turbationum & tumultuum, facibus quasi incendia miscere: idq. neque oculis præditi cernimus, neque legis sententia imbuti sentimus. Quantus igitur stupor nostram vitam incessit, cum nostrimet tam incurij simus, etiam Deo admonente?

CONSTANTINI LITTERAE PRO ATHANASIO.

Quid igitur, num id mediocre aut tolerabile malum est? Num pro hostibus habendi sunt? Non ne in domum & populum Dei ante oculos nostros per sæuitiam debacchantur, & probra iaciunt scelerati illi? Iam quanta id cum vesania faciant, vobis ipsis cogitandum relinquo. Stulti enim illi in lingua sua sitam habent malitiam, plumbeasq. iras ita secum circumferunt, vt seipsos

IVSTAE QVERELAE CONSTANTINI.

vt seipsos mutuis vicibus feriant, & nos secum ad auctarium sui supplicij abstrahant. interim A qui recta docet, hostis iudicatur: qui autem inuide vitium præsefert, populum mansuetum (quod minime oportuit) inuadit, vastat, absumit, & semetipsum vltro corrumpit, gloriatur, extollit, veritatem subuertit, & fidem circumuenit, donec suæ conscientiæ cauernam & latibulum quæritando inueniat. Ferocitas igitur agrestis eos miseros facit, qui ita temere seipsos, cum indigni sint efferant, inclamantes: Hem scelera, ille ne presbyter est, aut ille ne puer? Mea existimatio attingitur, mihi hoc ipsum debetur, ab illo ablatum est. Ego igitur omnibus spoliatis pro viribus nocebo. Luculentum insaniæ tumultum dicas, si acies, conciliabula, aut comitia istorum importunissimorum conuentuum videas. O nostram in Ecclesiam Dei peruersitatem, spectaculumq. maligni & dementis animi! Numquam ne tandem pudefient? numquam ne semetipsi improbabunt? numquam ne in animo morsus sentient, vt vel nunc saltem contra imposturam & rixas dignum aliquid animo concipiant & B sentire videantur? Vis sola inuidiæ est, suis fucis & pigmentis innitens. Sed tamen nihil mali isti aduersus Episcopum vestrum potuere. Mihi credite fratres: nihil aliud studio habent, quàm afflictis nostris temporibus nullum sibi locum pœnitentiæ in hac vita relinquere.

Ipsi igitur vobismetipsis auxilio estote (obtestor charitatem vestram) ipsi vos inuicem diligite, & omni ope pro vestra concordia istos persequimini, qui vestram concordiæ gratiam demoliri student: Deumq. præ oculis habentes, in mutua charitate consistite. Ego enim Episcopum vestrum Athanasium libenter recepi, eumque vt virum Dei alloquutus sum. Vestri autem est, non mei iudicij, ea de re cognoscere. Quantum autem attinet ad officium salutationis, colloquijq. cum reuerendissimo Athanasio: idoneum eum necessariumq. arbitratus sum, qui vobis in sacris minister esset: ea est hominis in æquitate tuenda sedulitas, C non indigna profecto, nec inepta nostræ pacificæ religioni, vt quæ dotes salutaris sententiæ sempet foueat, & rationis adhortamenta sequatur. Deus vos conseruet dilecti fratres.] hucusque Constantinus.

CONSTANTINI MODESTIA. Intelligis, puto, lector, modestiam Christianissimi Principis; qui cum accusatorum nequitiam plus certo exploratam habuisset, innocentiamq. Athanasij in omnibus dilucide comperisset, quem & suis litteris honorificentissimis comitatur Alexandriam redeuntem; tamen non suæ iurisdictionis esse fatetur de his cognoscere atque sententiam ferre (quòd res Ecclesiastica inter Ecclesiasticos agenda esset:) verum quod ait: Vestri autem est, non mei iudicij, de ea re cognoscere.] ad comprouinciales Episcopos cognitionem causæ remittit, vt non Athanasij modo, sed & Macarij presbyteri de fracto calice accusati causam ipsi peruestigent. D

Sed cum hæc omnia aduersus Athanasium Constantinus intelligeret actitari ab Eusebio Nicomediensi, qui Constantinopolim venientes susceperat Meletianos, & Theognide Episcopo Nicæno, damnatis atque depositis iam in Nicæno Concilio, at simulate palinodiam recantantibus ab eodem Concilio Constantini precibus restitutis: aduersus eos vehementer commotus, vt sedibus pellerentur, secundum priorem Synodi sententiam, data ad Nicomedienses epistola, aperte declarauit, quam Theodoretus recitat sit scriptam [a]:

Quis innocentem multitudinem ista docuit? Eusebius videlicet tyrannicæ crudelitatis administer. Nam quòd Tyranni partibus penitus adhæserat, nempe Licinio, ex multis illius rebus gestis facile potest intelligi: siquidem istud partim Episcoporum, eorumq. vere Episcoporum cædes testantur, partim crudelissima Christianorum persecutio palam clamat.] Conspirasse quidem cum Licinio in persecutione aduersus Episcopos commouenda, sugillat Constantinus Eusebium; quem tempore superioris persecutionis a fide in E Christum defecisse, superius dictum est. Sed subdit Constantinus: Neque certe de iniuriis illius, quibus me affecerit, hoc loco verba faciam, per quem aduersariorum contra me concursus, quantum fieri poterat, maxime procurabantur.] significat plane his verbis Constantinus, Eusebium vna cum Licinio barbaros solicitasse aduersus eum; ac proinde addit: Qui & oculis tamquam speculatoribus me obseruauit; quin etiam ministerio prope militari, quo Tyranno opem ferret, perfunctus est. At nemo existimet, me imparatum minusque instructum esse etiam ad istas res, si opus fuerit, certissimis argumentis confirmandas: verissime enim ostendi potest, tum presbyteros, tum diaconos a me manifesto deprehensos, qui Eusebium assidue stipabant. Sed missa istæc facio, quæ non dicuntur a me, quòd ipse ea grauiter & inimico animo feram, sed quo eos suæ ipsorum pudeat inscitiæ.

Illud solum metuo, illudq. animum meum cura implicitum tenet, quòd vos video in huius criminis

a Theodoret. lib. 1. c. 20.

EPISTOLA CONSTANT. AD NICOMEDIENSES.

A criminis societatem vocari: nam improba Eusebij institutione & peruersa doctrina conscientia vestra a veritate deflexit. Verum huius rei expedita est & facilis curatio, si modo Episcopum fidelem & animo simplici ac sincero nacti, oculos ad Deum denuo conuertere volueritis: quod quidem in præsentia est in vestra situm potestate, quodque etiam dudum penes vestrum iudicium fuerat: nisi aut Eusebius ipse, de quo dixi, aut alius quidam eorum quibuscum conuentus agere solet, huc præceps ruisset, & rectum eligendi ordinem conturbasset.] Porro hunc locum perperam valde interpretatus Theodoretus [a], dicit tum scriptam esse hanc a Constantino epistolam, cum Eusebius Nicomediensis Episcopus, mortuo Alexandro Antistite Constantinopolitano, intrudere se conatus est in Constantinopolitanam sedem: nam post annos decem ab obitu Constantini, vt diximus ex Sozomeno, & suo loco pluribus aperiemus, Alexander Episcopus Constantinopolitanus ex hac vita decessit. Sed & errasse quoque liquet, B dum has litteras post Arij obitum datas affirmat: atqui certum annum obitus Arij suo loco manifeste signabimus. At rursum Constantini epistola:

[a] Theodoret. lib. 1. c. 19.

Sed quoniam mihi de hoc ipso Eusebio pauca ad vos dicenda sunt: Non vos præterit Concilium Nicææ celebratum, cui ipse (sicut conscientiæ meæ munus postulabat) interfui, non alio sane animo, quàm vt tum concordiam inter omnes constituerem, tum maxime omnium eam Ecclesiæ perturbationem, quæ ex Arij Alexandrini amétia exorta est, reprimerem, penitusq. inde submouerem. Quæ quidem perturbatio illico ex absurdo & pernicioso conatu Eusebij vires collegit. Nam quanta concursione, amantissimi, honoratissimiq. fratres, Eusebius iste, vtpote ipsa conscientia conuictus, quanta cum ignominia mendacijs vndique deprehensis, aggressus est, primum certos quosdam homines subornare, qui pro eo deprecarentur; deinde a me auxilium petere, ne tanti sceleris damnatus, honoris sui gradu deijceretur?] Intelligit Constantinus de studio quo eidem Eusebio apud Patres Nicæni Concilij præsto fuit, C ne a sede penitus pelleretur. sed subdit: Huius rei testis est mihi Deus, qui tum mihi, tum vobis benignus perpetuo adsit, quòd & meum peruertit iudicium, & turpiter a veritate abduxit: quod vobis etiam planum faciam. Nam tum omnia ideo gesta sunt ex eius sententia, qui perniciem plane pestiferam adhuc intra cogitationis suæ domicilium occultam tenuit.

QVID IN EVSEBIVM ET THEOGNIDEM IN NICAENO CONCILIO.

Ac primum, vt cetera illius nequitiæ facinora taceam: audite, quæso, quid sceleris cum Theognide, quem suæ socium habet amicitiæ, consciuerit. Ipse forte quosdam Alexandrinos, qui a fide nostra defecerant, huc mitti iusseram: quandoquidem eorum opera dissidii flamma incensa erat.] Meletianos intelligit, quos diximus venientes Constantinopolim, accusatores egisse contra Athanasium. At de Eusebianis eos suscipientibus hæc adijcit: Sed isti honesti, boniq. scilicet Episcopi, qui vera Concilii diiudicatione ad pœnitentiam agendam reseruati D sunt, non solum eos admiserunt ad se, & secum in tuto collocauerunt, verum etiam illorum deprauatis moribus communicarunt. Quamobrem erga istos ingratos aliquod supplicium censui statuendum: et propterea mandatum dedi, vt a suis abrepti sedibus, quàm longissime ablegarentur. Iam iam vestrum est, ea fide in Deum aciem mentis vestræ intendere, in qua vos semper mansisse constat, & in qua manere, omniaq. pietatis officia exequi, consentaneum est. Quod si ita fiat, vt Episcopos tum vitæ integritate, tum sana doctrina, tum benignitate in omnes eximios habeamus; iure lætari debemus. Sin autem quisquam temeritate & audacia accensus, eas Ecclesiæ pestes vel memoria, vel laudibus celebrare aggrediatur; confestim opera & diligentia famuli Dei (meipsum dico) pœnas suæ inscitiæ dabit. Deus vos fratres carissimi incolumes seruet.] hactenus Constantini epistola: subdit his mox Theodoretus:

Isti igitur quamquam tum & honorum gradibus abdicati, & ciuitatibus eiecti erant, & Ni- E comediæ Episcopatum Amphion, Nicææ autem Crestus obtinuit: tamen rursus machinis, quibus ante vti consueuerant, vsi, & Imperatoris facilitatem velut subsidium ad fraudem faciendam nacti, certamine reintegrato, priorem suam recuperauerunt potestatem.] quod putamus accidisse sequenti anno, cum Quinquennalia Constantii Cæsaris agerentur, & ciuitas Constantinopolitana pariter dedicaretur: id enim in his celebritatibus obtinuisse Constantium Cæsarem, qui semper studuit Eusebianis, par est credere. Ceterum quod spectat ad Constantinum: non nouam in Episcopos depositionis & exilii sententiam protulit; sed quam sciebat olim latam a Nicæno Concilio, suis vero precibus reuocatam, voluit iterum validari: depositos hos namque in Nicæno Concilio constat tum ex his quæ superius suo loco sunt dicta, tum etiam ex his quæ habentur in epistola Synodali Concilii Alexandrini, vbi hæc leguntur [b], postquàm de Eusebio ac Theognide Arianis Episcopis depositis in Nicæno Cõcilio plura Patres loquuti fuerant: Bene siquidem cognitum habetis, Amphionem Nicomediæ, Crestum vero Nicææ in eorum locum ob impietatem & communionem, quam cum Arianis a Concilio

EPISCOPI SVBSTITVTI IN LOCVM ARIANORVM.

[b] Athanas. Apolog. 2.

Concilio Nicæno reprobatis habuerunt, Episcopos constitutos esse: hanc igitur Synodum perditam cupientes, &c.] A

Sed præter communicationem cum Meletianis, quam in Eusebio & Theognide tantopere Constantinus est execratus: addidisse eosdem deterius scelus, quam ob causam Imperator commotus fuerit, vt eisdem exilium decerneret, Sozomenus declarat his verbis [a]: Quin etiam cum in alijs vrbibus, tum maxime in Bithyniæ & Hellesponti ciuitatibus, tum Constantinopoli quoque dogmata Arij de integro accensa. Denique fertur, Eusebium Nicomediæ Episcopum, & Nicææ Theognidem cum falsa persuasione, eum cui Imperator libellum de Actis Concilij Nicæni custodiendum commiserat, circumuenissent: suas in eo subscriptiones deleuisse; iamq. conatos palam docere, non existimandum Filium Patri consubstantialem esse. De qua re Eusebium, cum esset accusatus: aperte ac libere respondisse Imperatori; atque veste quadam, qua induebatur demonstrata, dixisse: Si vestis illa, se inspectante, diuideretur: se tamen numquam affirmaturum, vtramque eius partem, vnam eamdemq. essentiam habere. B

a Sozom. lib. 2. c. 20.

EVSEBII ET THEOGNIDIS SCELVS.

Quibus verbis valde grauiter commotus est Imperator: nam cum persuasum haberet, tales quæstiones post Nicænum Concilium penitus compressas fore: præter spem eas denuo excitatas vidit. Maxime autem omnium eius animum offenderant Eusebius, & Theognis, quod cum quibusdam Alexandrinis, quos vt parum recte de fide sentientes, ad pœnitentiam agendam Concilium conseruarat, communicassent: quam ob causam eos veluti dissidij auctores, exilij causa solum vertere imperauit. A nonnullis enim Imperatorem hac de re iracundia accensum, Eusebium & Theognidem exilio addixisse memoratum est.] hactenus de his Sozomenus: qui post hæc de horum molitionibus aduersus Athanasium pertentatis orationem aggreditur: nos autem eas cœptas esse paulo post Athanasij creationem, antea diximus, ipsius Athanasij auctoritate. Ceterum nec, quod Sozomenus tradit, tam Eusebium quàm Theognidem palam auersatos esse Nicænum Concilium, & formam fidei conatos esse conuellere, satis liquet: nam Eusebianorum neminem, nec ipsum, licet Arium ausum esse, viuente Constantino, in Nicænum Concilium vel quidquam mutire; sed se eius professores cum dicerent, non nisi occulto tramite illud aggredi enixe studuisse constat: vt gesta ab eis in Hierosolymitano Concilio, quæ nos dicemus inferius, manifeste significabunt. C

Hoc eodem quoque anno Constantinus Imperator, cum propensiori studio esset nõ tantum ad prauæ religionis cultum abolendum, sed etiam ad inolita vitia extirpanda, edita sanctione, concubinatum penitus sustulit: sic rescribens ad Populum [b]: Nemini licentia concedatur, constante matrimonio, concubinam penes se habere. Dat. XVIII. Kal. Iul. Constantinis Patre & Filio Conss.]

b L. 1. C. de concub.

D

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
330.	17.	25.

TRecentesimo trigesimo Christi anno Gallicano secundum & Symmacho Consulibus, quo celebrata sunt Quinquennalia Constantij Cæsaris, ipsa ciuitas Constantinopolitana a Constantino Imperatore Deo dicata fuit. Quoniam vero in his quæ ad tempus spectant, diuersæ sententiæ reperiuntur, & falsa interdum astruitur magno præiudicio cum rerum gestarum, tum temporis Chronologiæ, ex qua sæpius complures posteriora consueuerunt tempora numerare: quæ nam verior sit, ab antiquis probata; est diligentius perquirendum. Fuit ea quorumdam sententia (haud tamen antiquorum [c]) eo ipso anno, quo Magnum Nicænum Concilium absolutum est, nempe Consulibus Paulo & Iuliano, Constantini anno vigesimo, factam eiusmodi dedicationem a sanctis Patribus qui Nicææ conuenerunt, dicentes, absoluta Synodo, inuitatos esse Episcopos ad nouæ Encœnia vrbis: quæ quidem sententia cum ex ijs quæ superius dicta sunt, & cum actum est de Nicæno Concilio, tum etiam ex ijs quæ modo dicentur, erroris arguitur. E

DEDICATIO VRBIS CONSTANTINOPOLITANAE.

c Niceph. lib. 8. c. 26. & Gregor. presbyt. in orat. de Nicæn. Concil.

Rursum vero apud Cassiodori Chronicon eiusmodi facta dedicatio reperitur, Pacatiano & Hilariano Coss. qui numeratur a Nicæno Concilio annus septimus. Ceterum si numeres annos Constantini ex Chronico Cassiodori, inuenies dedicationem eius ciuitatis incidere in annum vigesimumquintum Imperij Constantini, qui præsens annus est. Quamobrem Cassiodorus occasionem errandi inde sumpsisse videtur, quòd perperam numerat annos Imperij Constantini, & (quod superius est demonstratum) duos præteriens annos, eius Vicennalia ponit sub Consulatu Ianuarij & Iusti, quæ sunt celebrata duos ante annos, nempe sub Con-

A ſub Conſulatu Pauli & Iuliani: quo errore ſemel illapſo, qui hoc anno ſub dictis Conſulibus ponere debuiſſet dedicationem eiuſdem vrbis, eam collocat poſt duos annos. Sed cum quinque annis poſt Vicennalia Conſtantini ciuitatem dicari contigiſſe dicat; plane conſentit hoc ipſo anno eam dedicationem factam eſſe: quod conſtat etiam ex Hieronymi ſententia, in cuius Chronico habetur eius dedicatio vrbis facta anno vigeſimoquinto Imperij Conſtantini: verum cur poſita ibi Chronologia de annis Domini huic noſtræ minus reſpondeat, conſule quæ ea de re ſuperius dicta ſunt, ſcilicet in fine anni Domini vigeſimiquinti ſupra trecenteſimum. Huic quoque ſententiæ aſſentitur Anaſtaſius Bibliothecarius, qui in breui memoria temporum, quam elucubrauit, ſub præſenti anno eamdem celebritatem collocaſſe reperitur. Nec aliud plane ab his ſenſiſſe maiores, ex eo certum deducitur argumentum, quòd cum Marcellinus Comes in ſuo Chronico numeret ab anno regiæ vrbis conditæ vſque ad Conſula-
B tum Mauortii, quo Iuſtinus obiit, & cœpit imperare Iuſtinianus, annos centum nonagintaleptem; liquido conſtat, ab hoc anno eum numerare cœpiſſe. Rurſum vero cum Suidas [a] dicat, Nouam Romam conditam a Conſtantino anno ab Auguſti Monarchia trecenteſimo ſexageſimo; hoc plane anno conditam, nempe abſolutam & dedicatam, affirmare videtur. Ceterum tunc cœptos eſſe numerari annos ab Vrbe condita, cum eadem dedicata eſt, quæ & anniuerſaria celebritate populo recurrere cõſueuit, nulli dubium eſt. Sed cum ibi Suidas ab eo anno vſque ad Imperium Baſilij & Conſtantini Porphyrogenitorum ſubdat numerari annos trecentos & octo, apparet omnino in notas numeri mendum irrepſiſſe, cum ijdem imperare cœpiſſe reperiantur anno Domini nongenteſimo nonageſimoſeptimo: atque ob eam cauſam numerandi eſſent anni ſexcenti ſexagintaſeptem.

[a] Suid. in verbo Conſtantinopolis.

His igitur de anno quo Conſtantinopolis dedicata eſt, elucidatis, dies ipſa dedicationis pu-
C blicis perpetuiſq. monumentis commendata eſt, vt anniuerſaria die natalis Nouæ Romæ, ſicut antiquæ, celebraretur. extat de his ſanctio Imperatorum, in qua cum de ferijs agitur, hæc habentur [b]: His adijcimus natalitios dies vrbium maximarum, Romæ, atque Conſtantinopolis, quibus debent iura deferre, quia & ab ipſis quoque nata ſunt.] Porro in Menologio decima die menſis Maij natalis dies Nouæ Romæ Conſtantinopolis in Eccleſia publice annis ſingulis recitandus deſcriptus reperitur; licet apud Zonaram [c], vndecima menſis Maij, eadem fuiſſe abſoluta legatur.

DIES NATALIS VRBIS CONSTANTINOP.

[b] l. 2. de ferijs. Cod. Theodoſ.

[c] Zonar. Annal. part. 3.

Quod vero ad dedicationem ſpectat; eam a Chriſtianiſſimo Imperatore nonniſi Chriſtianis ritibus oportuit eſſe dicatam. cum agit de his Nicephorus [d], affirmat eam incruento ſacrificio, precibus, votiſq. fuiſſe Dei Genitrici Mariæ conſecratam. Ceterum quòd dedicatio ad cultum latriæ Deo tantum debitæ pertinet: nonniſi Deo dedicari conſueuiſſe a Chriſtia-
D nis eccleſias, S. Auguſtinus ſæpe teſtatur [e]. verum ſicut conſtat eodem auctore dedicari Deo eccleſias in memoriam martyrum; ita etiam potuit accidiſſe, vt Conſtantinopolis Deo conſecraretur in memoriam ſanctiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ: Deo autem omnino dicatam eſſe, Euſebius tradit [f].

[d] Niceph. lib. 8. c. 26.

CVI DICATA CIVITAS CONSTANT.

[e] Aug. de ciuit. Dei lib. 22. c. 10. & alijs in locis.

[f] Euſeb. Vit. Conſtantin. lib. 3. c. 47.

Sed quod ad eius vrbis extructionem pertinet; quæ de ea re in primis Zoſimus ſcripſerit, vt eadem dilucidemus, ſunt recitãda: niſi enim quis ex alijs Zoſimo antiquioribus ac magis probatis hiſtoricis cunctarum rerum perſpectam habuerit veritatem, exiſtimare fortaſſe poſſet Conſtantinopolim totam factam eſſe deorum ſedem & domicilium; ſed re accurate percognita, aliter ſentiet. Poſt igitur deſcriptum ab eodem ſitum vrbis illius, cum agit de ædificijs publicis ab Imperatore in ea conſtructis, hæc ait [g]: Conſtantinus autem eo loco, quo porta quondam erat, extructo foro rotundo, quod porticibus diſtentis incluſit, fornices duos e
E marmore Proconeſio maximos fecit oppoſitos ſibi, per quos ire licet in Seueri porticus, & vrbe priſca egredi: cumq. longe maiorem vrbem efficere vellet, eam vltra veterem murum decem & quinque ſtadijs muro nouo circumdedit, qui totum Iſthmum a mari ad mare complecteretur. hoc modo cum vrbem priorem multo maiorem reddidiſſet, Palatium quoque condidit Romano non multum cedens. Itidem Circum ad omnem elegantiam perpoliuit, cuius partem fecit Caſtoris & Pollucis ædem, quorum ſimulacra nunc etiam in Circi porticibus ſtantia videre licet. Statuit & quadam in parte Circi Apollinis Delphici tripodem in ſe continentem ipſius Apollinis ſimulacrum. Cumque Byzantij forum maximum eſſet, quatuor porticibus incluſum; ad extremas partes vnius ex hiſce porticibus, ad quam gradus non pauci ſurſum ducunt, ædes duas extruxit, collocato in harum altera Matris deum Rheæ ſimulacro, quod in monte Dindymo, qui oppido Cyzico imminet, olim illi conſtituerant, quos Iaſon nauigationis ſocios habuit. Et aiunt, eum hoc quadam ex vecordia nihili faciente res diuinas mutilaſſe, leonibus vtrinque ſublatis, & manum figura mutata: nam cum olim

[g] Zoſim lib. 2.

VRBIS STRVCTVRA ET ORNAMENTA.

tenere leones videretur, nunc speciem precantis exhibet, vrbem inspectans, & obseruans: A in altera Fortunæ Romanæ simulacrum posuit. Præterea quibusdam Roma sequutis eum Senatoribus domos ædificauit.] hactenus de structura Zosimus.

At quis hæc audiens, non putet S. Augustinum esse mentitum, dum Constantini felicitatem recensens, hæc ait [a] inter alia? Cui etiam condere ciuitatem Romano Imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo dæmonum templo simulacroque, concessit Deus.] At veritati per omnia cõsentanea S. Augustinum esse loquutum, quæ Eusebius & alij historici scribunt, satis aperte declarant. Ea enim cum ornatus causa, veluti de deuictis hostibus erecta victoriæ trophæa, in loco conspicuo collocata, tum præcipue ad derisionem deorum Gentilium a Constantino fuisse in locis publicis posita, Eusebius illis verbis superius recitatis, hic autem necessario repetendis ostendit, quibus ait [b]: Aliorum insignia monumenta ex ære fabricata (in quibus veterum error longo iam temporis spatio se insolenter iactasset) in foro ci- B uitatis Imperatoris nomine nuncupatæ omnibus palam proposita, vt intuentium oculis pro turpi spectaculo subijcerentur. hic Pythius, illic Sminthius, in ipso Circo tripodes Delphici, Heliconides Musæ in Palatio. Quin etiam ciuitas ipsa Imperatoris, vt modo dixi, nomine appellata, tota simulacris, quæ erant apud quasdam gentes dijs consecrata, & ex ære artificiose elaborata, passim referta fuit. Atque his ipsis simulacris deorum nomine erectis, quibus homines erroris morbo oppressi infinitas hecatombas, victimasq. igne crematas frustra obtulissent, seroq. tandem sapere didicissent, tamquam ludicris rebus ad risum iocumq. spectatorum Imperator vsus est.] hactenus Eusebius, qui mox subdit de statuis deorum aureis & argenteis ab eodem Imperatore conflatis, atque in massam redactis.

Quid insuper idem auctor tradat de sacris Memorijs in eadem ciuitate erectis, hic describamus [c]: Ciuitatem (inquit) ipsius nomine nuncupatam eximio splendore illustrare instituens, C permultis templis, hoc est præclarissimis ecclesijs in honorem martyrum, illustrissimisq. ædibus sacris adornauit, quæ partim in suburbijs erant, partim in ipsa vrbe, quibus tum martyrum celebrauit memorias, tum ipsam vrbem Martyrum Deo consecrauit. Ad summam, cum sapientia diuina esset imbutus, ciuitatem quam sui nominis appellatione donandam statuerat, primum omni idolorum cultu purgari debere censuit; vt nusquam in illa vel statuæ eorum, qui dij putantur, in templis honoratæ, vel altaria impura cruoris contagione inquinata, vel hostiæ ignis incendio penitus exustæ, absumptæque, vel festa dæmonum nomine celebrata, vel aliud quidquam eorum quæ apud superstitiosos vsurpari soleant, omnino apparerent. Videas etiam adhuc, licet, apud fontes in medio foro positos, Pastoris præclari symbola, illis qui sacris litteris eruditi sunt, satis cognita; Danielem quoque cum leonibus in ære incisum, auriq. laminis splendescentem. Tantus item & tam diuinus amor Imperatoris animum com- D plexus est, vt in ipso Palatij introitu, in ædificio omniũ excellentissimo, in medio tecti laqueari inaurato, in tabula maxima explicata, salutaris Passionis insigne ex lapillis pretiosis cuiusque modi, auroq. multo polite elaboratis confectum, figendum curauerit. Istud Imperatori sanctissimo regni firmum videbatur esse propugnaculum. his igitur ornamentis suam illustrauit ciuitatem.] hactenus Eusebius: eadem de statuis ornamenti causa locatis testantur Socrates [d], & Sozomenus [e].

Quod autem ad nouum ciuitatis nomen spectat: vt eadem ab Imperatoris nomine nuncupata, Noua Roma diceretur, Constantinum lege publica statuisse, idem Socrates tradit, cum ait [f]: Illam ciuitatem, Constantinopolim nuncupauit; lege denique sanciuit, vt secunda Roma vocaretur: quæ lex est in columna lapidea incisa, atque adeo publice apud Prætorium prope ipsius Imperatoris statuam equestrem collocata.] Sane quidem non nomine tantum, sed re E ipsa conatus est Constantinus, ciuitatem illam alteram Romam facere, quæ in omnibus ex æquo, si liceret, veteri Romæ responderet: nam vt illam, in quatuordecim primum Regiones diuisit, Capitolium erexit, Milliarium aureum collocauit, Circum Maximum, Amphitheatrum, Fora, Porticus, & alia publica Romæ instar ædificia, idq. (vt ait S. Hieronymus [g]) omnium vrbium nuditate; cum quidquid nobile in alijs antiquioribus totius Orientis ciuitatibus inueniretur, a Constantino Constantinopolim inferretur: cum & inter alia priscorum Regum Aegypti, quod integrum supererat clarissimum monumentum, obeliscuũ illum omnium maximum, qui Thebis erat, immensæ molis opus Alexãdriam vehendum curauit, vt naui impositum deferret Constantinopolim; sed ante præuentus est morte, quàm ingens opus ac plane admirabile absoluere valuisset: quo modo autem ab eius filio Constantio Imperatore tandem perlatum sit Romam, suo loco dicemus.

Quod vero ad vrbis amplitudinem pertinet & eamdem incolentium frequentiam, hæc Zosimus:

a Aug. de Ciuit. Dei lib. 5. c. 25.
IDOLA CONTEMPTVI EXPOSITA.
b Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 54.
c Euseb. Vit. Constantin. lib. 3. c. 47. 48.
ECCLESIAE CONSTANTINOPOLI ERECTAE.
d Socrat. lib. 1. c. 12.
e Sozom. lib. 2. c. 4.
f Socrat. lib. 1. c. 12.
CONSTANTINOPOLIS DICTA NOVA ROMA.
g Hieron. in Chronic. hoc an. 25. Constantin.

A Zosimus [a]: Constantinopolim ad amplitudinem vrbis longe maximæ tam feliciter auxit, vt plerique post eum Principes ibidem constituto domicilio, maiorem quàm vsus poscat, hominum multitudinem eo pellexerint, quæ vndique terrarum istuc, vel militiæ, vel mercaturæ, vel aliorum negotiorum causa confluit. Quapropter & muris longe capacioribus, quàm essent ij quos Constantinus struxit, eam circumdederunt, & ædificia tam esse contigua permiserunt, vt habitatores eius siue domi se contineant, siue in compitis sint, arctentur, nec sine periculo propter ingentem hominum & animalium copiam incedant. nec pars vicini maris exigua solo cessit, vndique defixis palis, & ædificijs in eos impositis, quæ seorsum ad complendam vrbem amplam sufficerent.] hæc Zosimus de ædificata a Constantino, & aucta ab alijs ciuitate Constantinopolitana. Aperuerat autem ille ad ampliandam eam ædificijs ciuitatem huiuscemodi viam, cum annonam publicā viritim omnibus eamdem habitantibus distribuerit, quam & ad posteros transmitti voluerit: ediditque de his omnibus sanctionem, cuius Theodosius Imperator in rescripto ad Proculum Præfectum Vrbis meminit his verbis [b]: Annonas ciuicas non tam titulis dignitatum, quàm singulorum viritim meritis attributas, diui Constantini liberalitate sat claruit: ideoque nihil ex his scholarum nomine vindicetur; sed pro vniuscuiusque merito, quæ sunt concessa, seruentur: vt quicumque perceptarum annonarum emolumenta vel in heredes proprios iure sanguinis transfuderunt, vel in extraneos distractionis titulo transcripserunt; maneat quod gestum est, vel hereditatis merito, vel venditionis arbitrio.] hæc ibi Theodosius. Sed quanam ex causa ad huiusmodi effusam & perpetuam largitionem præstandam impulsus Constantinus fuerit, quidq. præstari voluerit ab accipientibus annonam, idem Theodosius Imperator alio ad Aurelianum rescripto declarat his verbis [c]: Annonas ciuicas adhuc militaribus viris beneficium diuale distribuit, vt C qui emolumenta perciperent, ædificandi studio magnitudinem vrbis augerent. Ac proinde ne frustra deputatis commodis perfruantur, quorum ope incrementa mœnium non iuuantur: id super his annonis, quæ scholis erogari solent, seruandum est; vt hi tantum, qui domos habent, deputata suo nomini commoda consequantur, &c.] Sed & Arcadius Imperator ad Africanum [d]: Eos, inquit, quos in hac vrbe domos non habere cognoueris, annonis nouis quolibet titulo acceptis priuari, tua magnitudo præcipiet, nec vllis emolumentis ciuicis adiuuari. Neque enim fas est, vt qui vrbis affectum domus indicio monstrare neglexerint, eius commodis perfruantur. Sin vero quisquam est, qui se ædes spondeat habiturum; nisi intra sex menses instruxerit, nequaquam publicarum annonarum modum potiatur.] hæc ibi. Solitam vero fieri eiusmodi erogationem in pane cocto, & magnæ fuisse impensæ, eamdemque a Theodosio auctam esse, inuiolabiliterq. præstari solitam, Theodosij iunioris constitutio de-

D clarat his verbis [e]: Nulli, ne diuinæ quidem domui nostræ frumentum de horreis publicis pro annona penitus præbeatur, sed integer canon mancipibus consignetur, annona in pane cocto domibus exhibenda: ita enim debet canon ab inclytæ memoriæ Constantino præstitutus, nec non a diuo pietatis meæ auo auctus, expendi, &c.] Meminit & Zosimus eiusmodi munificentiæ Constantini, cum ait [f]: Populo Byzantino publicam annonam distribuit: quam & hactenus ille semper habuit.] hæcq. omnia ille, vt vidimus, ampliandæ vrbis causa.

Ceterum quantumlibet cum ipse, tum alij certauerint eodem studio posteriores Imperatores Orientalis orbis, vt æmulam Romæ Constantinopolim illi æqualem redderent, & si possent, clariorem efficerent: tamen quamuis omnem ad id perficiendum conatum atque laborem insumpserint, hoc perficere minus licuit. Id quidem, quæ hactenus præ manibus habetur, excusa in Notitia prouinciarum, vrbs Constantinopolitana in quatuordecim regiones distincta, &

E quibus essent singulæ publicis ædificijs exornatæ, accurate descripta, omni ex parte quàm minor hæc esset, facile monstrat: vnde verissima comprobatur illa de hac re Suidæ sententia, qua dicit [g]: Constantinopolis tanto est alijs omnibus vrbibus maior, quanto Roma esse minor videtur, a qua secundam numerari longe mihi certe quidem videtur esse melius, quàm ceterarum omniū primam existimari.] in hunc modū Suidas. Ex quibus iure redarguitur Sozomenus, qui cum veterem Romam numquam inuiserit, nouam antiquæ prætulit, dicens [h] de Constantino: Denique in omnibus rebus vrbem illā suo nomine nūcupatam, Romæ quæ est in Italia, parem studuit efficere: neque certe suus eum fefellit conatus. Nam virgula diuina (quod aiunt) tantum creuit, vt tum frequentia hominum, tum pecuniæ & diuitiarum abundantia Romam omnium consensu longe superaret.] hæc Sozomenus. Infrenanda pariter ex his est S. Gregorij Nazianzeni hyperbole, dum in carmine de ciuitate Constantinopolitana ait, tantum excellere Constantinopolim pulchritudine inter ceteras omnes vrbes, quantum cælum terræ præstat: nec enim ipse Romanam induxit vrbem.

[a] Zosim. lib. 2.
VRBIS AMPLITVDO ET FREQVENTIA.
[b] l. 10. de Annon. ciuic. C. Theod.
ANNONA DATA CIVIBVS VRBEM ILLVSTRANTIBVS.
[c] l. 11. tit. eod. C. Theod.
[d] l. 13. Cod. eod.
[e] l. 2. de frumento vrbis Constātin. Cod. Theodos.
[f] Zosim. lib. 2.
QVANTVM PRAESTARET VRBS VETVS NOVAE.
[g] Suid. in historic. verb. Constantinopolis.
[h] Sozom. lib. 2. c. 2.

Sed & (quod dolendum est) æmulatio illa Principum dimanauit in recentiores postea sacerdotes, cum eius Ecclesiæ Episcopi malis artibus quod iure non possent (vt suo loco dicetur) nomen sibi Oecumenicum arrogarint: vt merito Nicolaus Papa Michaeli Imperatori exprobret, solam Constantinopolim spolijs & opibus, quas violenter abstulit, esse ditatam: vnde iure illud infelix elogium propheticum [a] sit tandem experta: Væ, qui prædaris: nonne & ipse prædaberis? cum consummaueris deprædationem, prædaberis.] A

[a] Isai. 33.

[b] Zonar. Annal. 3. part.

PIETAS IN ORNAMENTIS VRBIS.

At quod rursum ad Constantinum spectat, hæc insuper addit Zonaras [b]: Denique teretem illam columnam porphyreticam, Roma (vt ferunt) allatam, in foro lapideis tabellis instrato (vnde a Græcis Placoton nominatur) erexit: iuxtaq. simulacrum æneum tum artificio mirabili antiquæ manus, pene viuentis instar, expressum; tum magnitudine insigni spectabile dedicauit: eam statuam Apollinis esse ferunt, Ilio Phrygiæ translatam. Sed diuinus Imperator ille nomen suum ipsi indidit, clauis quibusdam capiti insertis, qui corpus Domini salutiferæ Cruci affixerant. Ea ad nostram quoque ætatem permansit integra columnæ insistens: sed sub Alexio Comneno vehementis venti impetu deiecta concidit; nec ipsa solum comminuta est, sed multos etiam, qui casu illic aderant, contriuit: Palladium item Troia in forum Placoton transtulit.] istæc ipse. Addit his Nicephorus [c], in eiusdē statua super porphyreticam columnam collocata positum in dextera malum aureum, cui venerāda Crux erat superposita, cum tali inscriptione: TIBI CHRISTE DEVS VERBVM HANC COMMENDO. Sed & de sacris reliquijs in basi eiusdem columnæ collocatis hæc subdit: Quatuor autem solidis firmisq. apsidis pulchre circumcirca basi columnæ fundata, sub ea ipsa basi duodecim cophinos, & septem sportas, nec non reliquias septem panum, quibus benedictione sanctificatis Christus multitudinem pauit: præterea dolabram Noe, qua ille Arcam construxit, manibus ipse suis Imperator sigillo suo ea omnia obsignata reposuit: quæ ad nostra vsque tempora etiamnum vrbi ipsi, intactus inuiolatusq. thesaurus, permanent.] Cedrenus de eadem columna porphyretica verba faciens, hos in ea versus incisos fuisse testatur [d]: B C

[c] Niceph. lib. 7. c. 49.

[d] Cedren. in compend.

Tibi Christe, Mundi Domine, rectorq. optime,
Vrbem hanc, tibi quæ seruiat, modo subdidi,
Et sceptra, Romanamq. omnem potentiam:
Hæc tu malis defendes semper ab omnibus.

subter eam iacent duodecim corbes.]

Rursum vero Nicephorus agens de eiusdem Constantini erectis Constantinopoli pietatis monumentis, sic ait [e]: Ad imitationem igitur triplicis istius visionis, tres ex ære fieri curauit Cruces, eisq. sacra hæc imposuit nomina, ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΝΙΚΑΙ, IESVS CHRISTVS VINCIT. Ex his, cui nomen Iesus inditum, auro per omnes partes diffuso ornata, collocata est super fornicem seu arcum triumphalem in foro, vt obscuriore significatione ardorem pietatis ipsius indicaret: potentia nāque roboris eius Græcam superstitionem debellauit. Alteram vero venerandam sacramq. Crucem, Christi nomen præferentem, in porphyretica Romana statuit columna in loco qui φιλαδέλφιον, hoc est, fraternus amor, dicitur. Tertiam vero, quæ Constantinus Νίκη, id est Victoriam, vocauit, Heraclius autem ἀνίκητον, hoc est Inuictam, in alta columna marmorea posuit, in loco cui nomen Ἀρτοπώλιον, id est, forum Panarium: ad quam multæ etiā supra opinionē hominum virtutes sunt editæ: atque in primis, si qui rigore inflammationis vexarentur, & oculorum dolotibus & suffusionibus premerentur, sanati sunt. de qua factum quoddam, quod admodum in admiratione fuit, exponam. Ne vero quisquam narranti mihi fidem non habeat: nihil enim tam præter opinionem & præter fidem est, quod Deus non perficiat; neque etiam quidquam, quod Deus velit, impossibile est. D E

[e] Niceph. lib. 8. c. 32.

ANGELICA APPARITIO.

Dicitur namque & vere dicitur; cum ad eam Angelus Domini ter quotannis per altissimū intempestæ noctis silentium, perinde atque micans quoddam cælitus fulgur, cum splendore insustentabili venit, Crucem eum circumire, suffitum facientem; suauiq. voce, quasi cuiusdam tenuis indicis, præsentiam suam illis, qui puritate vitæ a vitijs abhorrentes, talia & videre & audire idonei sunt, insinuare: atque vbi cantu ineffabili diuinum carmen Tersancti hymni psallens concinuerit, rursum illum veluti stellam magnifice micantem ad munia redire sua. Hanc vero venerandam Domini Crucem, longo post tempore, decimumoctauum annum Mauritio imperante, quòd immenso terræ motu corruerat ferreis quibusdam operibus Heraclius firmauit, & in basi eius huiusmodi incidit inscriptionem: OPVS DEO ACCEPTVM IMPERATORIS MAGNI HERACLIVS FIRMAVIT,

quæ

A quæ inscriptio ad mea vsque tempora durauit. hæc de tribus Crucibus a Constantino constructis.] atque hucusque Nicephorus.

De Cruce rursum super Triumphalem fornicem posita, Cedrenus meminisse visus est, cum ait [a]: Supra Milliarij fornice duæ sunt statuæ, Magni Constantini & matris eius, & in harum medio Crux.] Porro idem auctor recenset alia eiusdem vrbis nobilissima simulacra a viris clarissimis elaborata, non a Constantino tantum, sed a Theodosio quoque Imperatore illuc e diuersis locis translata, quæ Gentes potissimum colebant: sed ea prætermittimus. At de bouis ænei simulacro memoria non prætereat, vtpote nece sanctissimi martyris sanctificato: Pergami in Asia illud erat, instar Phalaridis tauri ad miserorum necem cõpositi, quod illud ipsum fuisse Cedrenus tradit, in quo Antipas testis fidelis, cuius clarissima mentio est in Apocalypsi [b], martyrium subijt. translatum autem eiusmodi bouis ænei simulacrum positum fuit B in Vaderina regione, in qua erat templum Apostolorum.

[a] Cedren. in compend. in Theodos.

[b] Apocal. 1.

Quod pertinet ad ecclesias ab eodem Constantino erectas Constantinopoli: auctor est Eusebius [c], ipsum primum omnium aggressum esse templa quæ illic erigenda erant: meminit de duobus tantummodo Socrates [d], nempe de ecclesia Apostolorum, & altera Pacis dicta, quæ & alio nomine, Sapientia, nominata reperitur. Sed & martyrum has constat ibidem fuisse erectas Memorias, nempe Mocij, Agathonici, Mennæ [e], & Acacij, quæ extant in regione decima. Omnes vero ecclesiæ ibi ædificatæ, vsque ad Arcadij & Honorij Imperatorum tempora, in descriptione citata superius vrbis Constantinopolitanæ numero sunt quatuordecim. Sed hac quoque ex parte intueri licet quantum Roma Vetus Nouæ præstaret, cum in ea reperiri quadraginta Basilicas & amplius Optatus affirmet [f]. Illam insuper ecclesiam ibidem extra vrbem ab eodem Imperatore ædificatam in honorem S. Michaelis Ar- C changeli, satis celebrem fuisse, Sozomenus tradit, qui & diuinas virtutes in ea perfici iugiter consueuisse narrat his verbis [g]:

QVOT ECCLESIAE CONSTANTINOPOL.

[c] Euseb. orat. de laud. Constãtin.

[d] Socrat. lib. 1. c. 12.

[e] Niceph. lib. 7. c. 49. in fin.

[f] Optat. lib. 2.

[g] Sozom. lib. 2. c. 2.

Hanc igitur ciuitatem Constantinus suo appellatam nomine, & velut recens ad Christi honorem extructam, multis maximisq. ecclesijs exornauit: cuius propensiori studio Deus ipse opem tulit; et visionibus quibusdam confirmauit, ecclesiás in ea vrbe ædificatas, sanctas & salutares esse. Ex quibus eam quæ est in loco qui ἑστία, id est Vestæ, sacer olim dicebatur, sita, in maximo honore tum a peregrinis, tum a ciuibus ex illo tempore habitam fuisse constat. Idem tamen locus iam Michaelium nominabatur, estque nauigantibus ex Ponto Constantinopolim ad dexteram positus; atque abest ab vrbe, si naue traijcias, triginta quinque stadia; sin autem sinum qui interiacet, pedibus, aut equo vndique circuire velis, septuaginta. Loco vero istud nomen eo impositum est, quòd pro certo crederetur D diuum Michaelem Archangelum ibi apparuisse: quod etiam ipse quidem, non paruum eodem in loco beneficium adeptus, verissimum esse confiteor. atque id ita se habere, argumento præterea esse possunt multæ aliæ res, quas compertum est ibidem gestas esse. Nam nonnulli in graues casus & pericula, e quibus nullo modo possent emergere, alii in morbos aut perturbationes corporis incognitas delapsi, simulac in eo loco Deum precati essent, calamitatibus quibus premebantur, penitus liberati sunt. Verum quo pacto ista, & quibus hominibus euenerint, singillatim persequi, longum esset. Attamen quid Aquilino nobiscum etiamnum ætatem degenti, & in eodem foro causas agenti, eodem in loco acciderit, partim vt ab eo audiui, partim vt ipse conspicatus sum, iam opportune commemorabo.

MICHAELIVM IN SVBVRBIO.

Cum enim vehemens febris, eaq. paulo ardentior ex flaua bile orta eum occupasset; medi- E ci dederunt illi bibere medicamentum ad aluum purgandam; quod quidem euomuit; atque simul cum vomitione bilis in omnes corporis partes diffusa, cutis extremitatem coloris specie sibi simili tinxit: ex quo factum est, vt omnem cibum & potum euomeret. Vbi autem longo temporis spatio istud perpessus fuerat, & nihil alimenti in stomacho conquiescebat; de morbo curando medici desperare cœperunt. At cum semimortuus esset, dat suis mandatum vt eum in ecclesiam deportent, affirmatq. se ibi aut mortem obiturum, aut morbo liberatum iri. Cui in ecclesia iacenti, de nocte visio quædam diuina obiecta iubet, vt cibum potione, quæ ex melle, vino, & pipere pariter mixtis conficeretur, tingeret. quæ quidem potio, cum esset calidissima, quamuis medicis ex artis ratione eam considerantibus, morbis e flaua bile contractis contraria videretur, hominem tamen morbo recreauit.

MIRACVLVM IBI EDITVM.

Accepi porro, Probianum vnum ex satellitibus qui Imperatorem in Palatio stipabant, cum dolore pedum grauiter afflictaretur, eo in loco etiam cruciatu leuatum, & admirabili quadam ac diuina visione dignatum fuisse. Nam iste cum in initio Gentilis esset, postea

PROBIANVS IBIDEM CVRATVS.

tamen Christianus factus, quamquam omnia alia religionis nostræ instituta probabilia putabat, sanctam tamen Crucem salutis omnium causam extitisse, neutiquam admittere voluit. Cui sic animo affecto, visio diuinitus oblata, quamdam Crucis effigiem, quæ in altari illius ecclesiæ statui solet, ante oculos proposuit, declarauitque manifesto, res, quæcumque a tempore quo Christus in Crucem actus erat, vel ad vtilitatem humani generis communem, vel ad priuatam quorumdam, seu a diuinis Angelis, seu a pijs & perfectis hominibus gestæ fuerunt, non sine virtute Crucis salutaris recte gestas esse. Sed quoniam tempus opportunum minime suppetebat ad ea omnia recensenda, quæ in hoc templo accidisse cognoui: ista solum cõmemorare, consilium fuit.] hactenus Sozomenus: eadem Nicephotus [a], qui Probianum hunc, medicũ fuisse Imperatoris, affirmat; locũ vero, in quo ecclesia S. Michaelis fuit ædificata, nominatũ esse tradit Sostheniũ, sic dictũ a salute, vbi Imperator inuenisset viri simulacrum alatum, quod præseferret speciem (qua soleret effigiari) Michaelis Archangeli, cuius apparitione facta per visum, templum illud extruere aggressus esset. Equidem diuino quodam consilio accidit, vt quo tempore Constantinus abstulisset deorum quæ viderentur celebriora templa, ac potissimum Aesculapij, qui, Gentilium sententia, morbis hominum mederetur; in ecclesijs Christianorum longe maiora atque certiora, diuina virtute, in curandis morbis miracula ederentur.

A

B

a Niceph. lib. 7. c. 50.

SOSTHENIVM.

At quod rursum spectat ad ecclesias Constantinopoli a Constantino erectas: easdem omnes regijs donarijs, ijsdemq. varij generis ac magni pretij exornasse, ex alijs in diuersas ecclesias ab eo collatis, quiuis existimare facile potest. Sed & illud ijsdem ecclesijs summa diligentia præstitisse, vt diuinæ scripturæ libris ad diuina officia celebranda abundarent, Eusebius auctor est. Inter alios autem eiusmodi negotium ab eodem Imperatore iniunctum esse ipsi Eusebio Episcopo Cæsareæ Palæstinæ, vt codices sacri exacte describerentur, idem ipse testatur, qui & litteras a Constantino ad se eo argumento conscriptas recitat; quæ sic habent [b]:

C

b Euseb Vit. Constantin. lib. 4. c. 36.

VICTOR CONSTANTINVS MAXIMVS AVGVSTVS EVSEBIO.

LIBRI SACRI AB EVSEBIO CVRANDI.

Cum Dei Saluatoris nostri prouidentia factum sit, vt in hac vrbe nostri cognomine, infinita fere multitudo sanctissimæ se Ecclesiæ consecret: æquum sane in primis esse videtur, vt vniuerso eorum cœtu mirabiliter aucto, ecclesiæ quoque plures in ea instituantur. Quapropter quid nobis videatur, accipe. Visum est hoc significare prudentiæ tuæ, vt quinquaginta illarum scripturarum volumina, quarum & apparationem & vsum maxime Ecclesiæ necessarium cognoscis, quæq. præterea facile legi & circumferri queunt, ab artificibus scite scribendi peritis politiori membrana describi cures. Nostra clementia ad prouinciæ Præfectum litteras dedimus, penes quem totius administrationis summa est, vt quæ ad eas conficiendas necessaria videantur, omnia summa diligentia suppeditari curet. Nam vt scripti codices quam celerrime apparentur, tuarum id partium est. Ad eos vero perferendos vehicula duo publica nostræ huius epistolæ auctoritate accipies: ita enim quæ pulchre descripta sunt, etiã ad nostrum conspectũ facillime perferentur, si ad hoc munus obeundum aliquem ex tua Ecclesia ministrũ delegeris: qui, vt ad nos venerit, nostram erga seipsum humanitatẽ sentiet. Deus te conseruet, frater dilecte.] hactenus Cõstantini epistola. subdit his Eusebius [c]: Hoc Imperatoris mandatũ res ipsa celeriter consequuta est, cum in membranis curiose elaboratis terniones & quaterniones mitteremus.] Vt autem Eusebij operam hac in re requisierit Constantinus, inde accidisse putamus, quòd vnde emẽdatiores libri exscribi possent, apud eum fideliora esse vetusta exemplaria viderentur, vtpote heredem bibliothecæ Pamphili martyris, quæ nullam in persecutione iacturam (vt dictum est superius) passa esset: ac præterea cum versipellis homo palinodiam recantasset in Concilio Nicæno, cum talem perseuerare, Constantinus existimaret.

D

c Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 37.

E

SCHOLAE SCIENTIARVM EXTRVCTAE.

Quod insuper ad perfectionem conditæ vrbis videbatur requiri posse; scientiarum scholas, in quibus docerent præstantissimi viri, in ea Imperator ædificauit: laudantur illæ a S. Gregorio Nazianzeno [d], quas ait excellẽtissimis oratoribus atque philosophis fuisse refertas, in eisdemq. S. Basilium tyrociniũ exegisse tradit; vnde profectus Athenas, magistri potius, quàm discipuli specimen ediderit. Testatur Aurelius Victor [e] de Constãtino, fuisse ipsum nutritorem bonarũ artium, ac fouisse præcipue studia litterarum: demõstrant hoc ipsum priuilegia, quibus eorum professores munitos voluit esse, atque in primis illa ad Volusianũ edita cõstitutio [f]: Medicos, Grãmaticos, & professores alios litterarum, immunes esse cum rebus, quas in ciuitatibus suis possident, præcipimus, & honoribus fungi: in ius vocari eos, vel pati iniuriam, prohibemus: ita vt si quis eos vexauerit, centum millia nummorum Aerario inferat: a magistratibus vel quinquennalibus exactus *, nec ipsi hanc pœnam sustineant. Seruus eis si iniuriam fecerit, flagellis debeat

d Greg. Nazian. orat. in laud. Basil.

e Aurel. Vict. in Constantin.

f l. 2. de medic. & profess. Cod. Theodos.

* exactis

A debeat a suo domino verberari coram eo cui fecerit iniuriam: vel si dominus consensit; viginti millia nummorum Fisco inferat, seruo pro pignore, donec summa hæc exoluitur, retinendo. Mercedes eorum & salaria reddi præcipimus. Quoniam grauissimis dignitatibus vel parentes, vel domini, vel tutores esse non debent: fungi eos honoribus volentes permittimus, inuitos non cogimus.] hæc ipse, qui & de his aliàs eadem rescripsit ad Populum [a].

[a] l. 3. C. Theod.

BIBLIOTHECA PVBLICA.

Quod autem spectat ad litterarum gymnasia, quæ Constantinus erexit Constantinopoli: perseuerarunt eædem eruditionis scholæ vsque ad impium Leonem Imperatorē cognomento Isauricum, qui eas memorias abolendas curauit [b]. Constantini quoque Magni opus fuisse putatur bibliotheca ibidem ædificata, ab alijs vero aucta libris, ita vt numerum centum viginti millium librorum expleret, quæ tempore Basilisci Imperatoris diro illo incēdio conflagrauit [c]. Zosimus [d] autem tradit a Iuliano Imperatore in regia porticu erectam esse bibliothecā, in eaq.
B collocasse libros quos habebat. At de ædificijs Nouæ Romæ per Constantinum erectis iam satis; qui tamen & in eo magnam ex Christiana mansuetudine sibi gloriam comparauit, quòd cum vetera ædificia eius ciuitatis augustiora in omnibus reddidisset, & noua longe ampliora erexisset, carcerem tamen, vt se habebat, humilem, atque depressum, paucorum hominum capacem, nullo auctum additamento reliquit: quem nec posteri mutare ausi sunt Imperatores vsque ad Phocam, qui eum reddidit ampliorem, vt Glicas testatur [e].

[b] Paul diacon. in Miscel. lib. 21. in Leone Isaurico.
[c] Zonar. 3. par. Annal. in Basilisco.
[d] Zosim. lib. 3.
[e] Glic. lib. 4.

SENATVS CONSTANTINOPOLITANVS.

In hunc modum Byzantio in Constantinopolim commutato, atque reddito Noua Roma, noua quoque Romanorum ciuium Christianorum, ex quibus coagmentatus est Senatus amplissimus, facta fuit colonia: quamplurimi enim antiquæ Romæ Senatores Imperatorem ab Vrbe sequuti fuerant: quibus, ait Zosimus, Constantinum domos ædificasse, Curiamque tribuisse, de qua Sozomenus [f]: Curiam item magnam, quam Senatum nominant, in ea consti-
C tuit: eiusque Senatoribus eosdem honores, eosdem dies sacros, qui Romanis veteribus tribui solent, assignauit.] recensentur aliquorum ex ijs hæc nomina [g], nempe Olybrius, Verus, Vrbicius, Eugenius, Eubulius, Florentius, Callistratus, Marianus, Seuerus, Isidorus, & Zoticus; licet cum huius, tum Eubulij, Isidori, & Callistrati, Græcorum potius, quàm Romanorum nomina esse noscantur: quamuis nec Romæ veteri deessent ex Oriente ciues allecti atque adsciti in Senatum.

[f] Sozom. lib. 2. c. 2.
[g] Glic. lib. 4.

ZOTICVS PIETATE INSIGNIS.

De Zotico autem clara est memoria in tabulis [h] Ecclesiasticis tum Græcis, tum Latinis, vtpote homine, qui miseratione in pauperes, alijsq. virtutibus eniteus, egregia claruerit sanctitate: in Menologio vero his verbis eius anniuersaria memoria in Ecclesia celebrari solita reperitur: Commemoratio S. Zotici orphanorum nutritoris, qui claris parentibus ortus, ex Vrbe Roma a Constantino Magno in ciuitatem Constantinopolitanam cum alijs quibusdam
D nobilibus ductus est.] Sed & in constitutione Leonis & Antemij Augustorum Zoticus hoc præconio commendatur [i]: Zotici beatissimæ memoriæ, qui huiuscemodi pietatis officia inuenisse dicitur.] Constantinopoli enim ipsum primum omnium erexisse xenodochium pauperibus creditur: exciderunt autem eius vitæ Acta, quibus admiranda ipsius opera scriptis mandata habebantur. At de xenodochiorum alijs in locis primis institutoribus consule quæ in Romano Martyrologio annotauimus [k]. Sed & Mariani, cuius mentio facta est, celebris est memoria apud Eusebium [l]: verum de eo suo loco dicemus.

[h] Menolog. die vlt. Decembris. Martyrol. Rom. ead. die.
[i] l. Omnia priuilegia. C. de Episc. & cleric.
[k] Die vltim. Decemb. g.
[l] Eusob. lib. 4. c. 44.

NOVI MAGISTRATVS A CONSTANTINO CREATI.

Sic disposito a Constantino sacro Senatu, politicum statum magno consilio in meliorem ordinem volens reformare, complures nouos magistratus instituit, & veteres magna ex parte mutauit. Est de his querela impij Zosimi cuncta quantumlibet recte gesta Constantini carpentis: Conturbauit (inquit [m]) & magistratuum officia iam olim instituta. Nam cum duo essent
E Præfecti prætorio, qui hoc officium communiter gerebāt; non Palatini tantum ordines eorum cura potestateque gubernabantur, sed etiam ij quibus Vrbis erat commissa custodia, & quotquot in omnibus limitibus erant collocati. Hic enim Præfectorum prætorio magistratus, qui post Imperatorem secundus existimabatur, & annonas erogabat, & contra militarem disciplinam admissa conuenientibus pœnis corrigebat. Constantinus autem recte constituta turbans, vnum hunc magistratum in quatuor Imperia discerpsit. Nam vni Præfecto prætorio totam Aegyptum cum Libyæ Pentapoli, & Orientem ad Mesopotamiam vsque, & prætera Cilices, Cappadoces, Armenios, oramq. maritimam totam a Pamphilia Trapezuntem vsque, & vsque ad castella prope Phasidem sita, tradidit, eidem & Thracia commissa & Mysia, Asemi (Hæmi, est restituendum. sic l. cum appellatio. C. de appellationib. & in Notitia prouinciarum) ac Rhodopes, ac Toperi * oppidi finibus circumscripta: prætera Cyprum adiecit, & Cycladas insulas, Lemno & Imbro, & Samothracia acceptis. Alteri Macedones attribuit, & Thessalos, & Cretenses, & Græciam, & circumiacentes insulas,

[m] Zosim. lib. 2.
* Boberi

 & Epi-

& Epirum vtramque, & Illyricos, & Dacos, & Triballos, & Pannonios ad Valeriam vſque A
& Myſiam ſuperiorem. Tertio totam Italiam, & Siciliam, & circumiacentes inſulas, & Sardiniam, & Corſicam, & Africam a Syrtibus Cyrenem vſque. Quarto Tranſalpinos, Celtas, & Hiſpanos cum inſula Britannica commiſit. Hac ratione diuiſo Præfectorum Imperio, ſtudioſe conatus eſt alijs quoque modis eorum poteſtatem imminuere. Nam cum præeſſent vbique locorum militibus non modo Centuriones & Tribuni, verum etiam Duces (ſic enim appellabantur qui quolibet in loco Prætorum vicem obtinebant) Magiſtris militum inſtitutis, altero equitum, peditum altero, & in hos tranſlata poteſtate militum ordinandorum, & coercendi delinquentes, hac etiam in parte Præfectorum auctoritati detraxit.] hactenus Zoſimus de magiſtratuum mutatione.

a Habes eam poſt Cod. Theod. recentioris edition. Rouill.

REFELLITVR CALVMNIA ZOSIMI.

b Victor in Conſtantino & Niceph. lib. 7. c. 49.

At hæc de quatuor Præfectis prætorio felicius explicata habes in Notitia illa peruetuſta prouinciarum [a], in qua plura inuenies, ex quibus Zoſimus ſit augendus, & interdum etiã corrigendus: ibi & ceterorum magiſtratuum nomina inſunt, qui miro quodam ordine diſpoſiti eſſe B
videntur; vt plane appareat Zoſimum priuato mali animi affectu potius, quàm iure, hac quoque ex parte in Conſtantinũ inuehi. Sicut & eiuſdem illa manifeſta calũnia eſt aduerſus eũdẽ Imperatorem, quòd milites ſubduxerit a præſidijs limitaneis; vnde factos dicit audentiores barbaros, vt in ſolum Romanum irruerent: cum tantum abſit, vt in his coercendis ſe deſidem exhibuerit Conſtantinus, vt pontem ſaxeum (quod tradunt Victor [b] atque Nicephorus) ſicut & Traianus olim fecerat, ſuper Iſtrum ædificauerit, quo ad inuadendos barbaros facilis pateret acceſſus.

ORACVLVM OBSCVRVM MALE CONVERSVM IN CONSTANTINVM.

c l. vnic. de priuileg. vrbis Conſt. C. lib. 11.

Sed quod magis magisq. admireris, eo vſque progreſſus eſt liuor hominis & odium in Conſtantinum; vt cum etiam ſua ipſius ſententia, adeo de Byzantio ſit bene meritus, vt illud reddiderit Romam alteram, & aliarum prouinciarum ſpolijs atque diuitijs locupletauerit; C
quoddam tamen Sibyllinum oraculum a ſe, vt ait, inuentum, pluribus ſcriptum carminibus recitet, in quo per lupos qui potituri eſſent vrbem illam, Conſtantinum, & qui eum ſunt ſequuti Imperatores, interpretatur, ob eam ſcilicet cauſam, quòd graui tributorum onere gentem illam afflixerint: totamq. culpam in Conſtantinum reijcit, qui nouo tributi genere ſubiectas Imperio gentes exagitarit; vt vel ex hoc eius interpretatio reddatur omnino vana, dum quod de Byzantio prædictum ait, non Byzantio ſolum, ſed vniuerſo Romano Imperio accidiſſe tributorum vexationem, ſua ipſius quoque teſtificatione exploratum reddatur. Cum alioqui tam ipſe Conſtantinus, vt pluribus demonſtratum eſt, quàm alij poſteriores Imperatores non ceſſarint ciuitatem illam omni genere honoris & gloriæ locupletare: nam vt de alijs modo taceam, Theodoſius Imperator ſanctione firmauit [c], vt vrbs Conſtantinopolitana non ſolum iuris Italici, ſed etiam Romæ veteris prærogatiua potiretur. Quòd ſi quis obſcuriſſimum oraculum ad tempora Chriſtianorum putauerit proſpexiſſe: ad Turcas Orientale D
Imperium inuadentes, ſedemq. regiam Conſtantinopoli collocantes, eſſe referendum, prudens quilibet æquius iudicabit.

QVERELA ZOSIMI DE EXACTIONIBVS.

d Zoſim. lib. 2.

Sed quænam ſit Zoſimi querela de duris exactionibus Conſtantini, ab ipſo audiamus; et quàm æqui ponderis ſit eiuſmodi accuſatio, prudentiorum iuſta iudicij lance expendatur: ait [d] ergo: Ceterum Conſtantinus his ita perfectis, exhaurire non deſinebat vectigalia largitionibus: quæ non vbi par erat, ſed in homines indignos ac nullius pretij fiebant: et collatoribus quidem tributorum grauis erat: illos autem cumulabat opibus, qui nulli eſſe vſui poterant: nam prodigalitatem pro munificentia ducebat. Idem & auri & argenti collationem impoſuit omnibus vbique terrarum negotiationes exercentibus, & Dardanarijs oppidorum, ad viliſſimos vſque, ne miſeris quidem meretriculis hoc incommo- E
do liberatis. Itaque videre erat, quoties quartus quiſque annus appeteret, quo vectigal illud pendendum erat, meras per vniuerſam vrbem lacrymas & ploratus: vbi vero iam aduenifſet, nonniſi flagra tormentaq. corporibus eorum adhibita, qui propter extremam paupertatem damnum hoc ſuſtinere non poſſent. Quin & liberos ipſæ matres diſtrahebant, & patres filias proſtituebant, ex harum quæſtu Chryſargyri (quaſi dicas Aurargenti) exactoribus pecuniam offerre coacti.]

REFELLITVR CALVMNIA ZOSIMI.

e l. 3. de exactionib. Cod. Theod.

f l. 4. de exaction. Cod. eod.

At quàm calumnioſum hoc ſit quod dicitur de ſæuis exactionibus, ſatis aperte ſuperius eſt demonſtratum, cum legibus eiuſdem Imperatoris, his plane contraria ab eo fuiſſe ſtatuta, omnibus perſpicuum factum eſt; adeo vt nullus tergiuerſationi locus poſſit eſſe relictus. Siquidem illis vetuit [e], ne debitores experiri cogerentur carcerem, vel pœnas aliquas corporales, quibus antea affligebantur: et licet Fiſci debitores eſſent, non niſi in eorum bona agi permiſit [f]: qui de Fiſcalibus debitoribus ad Aelianum hæc quoque reſcripſiſſe

A rescripsisse [a] reperitur: Exactionem sine omni fieri concussione oportet: ita vt si quis in iudicio questus, quòd indebite exactus est, vel aliquam inquietudinem sustinuit, hoc ipsum probare poterit; seuera in exactores sententia proferatur.] At quonam modo rursum passus est Imperator Constantinus ob tributorum exactiones distrahere parentes liberos suos, & filias prostituere; si, ne id cogerentur agere inopes, iisdem vt de publico Aerario suppeditaretur victus atque vestitus, lege cauit [b], atque pariter indulsit [c] vt pauperes vacationem haberent a muneribus personalibus? Vt ex his atque aliis perspicue appareat, nihil apud Constantinum antiquius fuisse humanitate, & in pauperes commiseratione, & liberalitate erga omnes.

Sed rursum ille subdit: Cumque splendidioris etiam fortunæ hominibus excogitare quiddam vellet, quod eos morderet, quemlibet horum ad Præturæ dignitatem euocabat, & honoris

B prætextu magnum pecuniæ pondus exigebat: idcirco quoties ad vrbes venissent, qui huius rei mandatum habebant; erat videre fugam omnium & profectionem ad extraneos, metuentium ne cum patrimonij sui detrimento dignitatem hanc adipiscerentur.] Sed cur non memorat etiam leges Zosimus a Constantino statutas aduersus magistratus iniustum aliquid in quemlibet decernentes? quarum aliæ sunt superius recensitæ, aliæ vero suo loco ponentur inferius. certe quidem inuenisset hac in re, quid in eo primum commendare debuisset. At in eumdem rursus: Habebat autem (inquit) descripta virorum clarissimorum patrimonia, quibus & tributum imposuit, quod ipse Follem nuncupauit; quibus sane collationibus vrbes exhausit. Nam cum longo tempore post Constantinum duraret earum exactio: paulatim exhaustis oppidorum diuitiis, ab habitatoribus complura deserta sunt.] hactenus iniustissimæ Zosimi querelæ: ex quibus arguendus esset oscitantiæ Iulianus Apostata, qui

C cum in Cæsaribus coram dijs (quod fingit) reum habitum recitet Constantinum, nequidquam penitus tale a Sileno in eum obiectum tradit, sed tantum quòd delicijs deditus esset. haud certe pepercisset Apostata Constantino infensissimus, quem minime tot tantaque latere valuerunt, quæ oculis potuit inspexisse, & certiora habere atque recentiora, quàm Zosimus, qui post Honorium Imperatorem, vel ipso adhuc viuente (quod putat Euagrius [d]) scripsit.

Ceterum quòd de tributis a Constantino impositis extet aduersus eum querela Zosimi, sunt hæc accuratius examinanda: quòd enim ait, auri argentique collationem impositam negotiatoribus omnibus, Dardanariis, nempe fraudulentis venundatoribus annonæ, atque personis quibuscumque vilissimis, ac meretricibus, confundit plane diuersa tributorum genera: nam quod impositum erat negotiatoribus, proprie auri & argenti erat, dictumque

D Chrysargyrum, diuersumq. ab eo quod pendere consueuerant lenones, meretrices, & exoleti: quod quidem tantũ abest, vt a Constantino Christiano Principe impositum fuerit, vt etiam longe ante Alexandri Imperatoris tempora Romæ exigi consueuerit; quod idem Imperator ęquissimus, cum ex turpi lucro colligeretur, vetuit in Aerarium inferri, non tamen abstulit, sed ad publicas fabricas deputauit: testatur id quidem Lampridius in Alexandro, cum ait: Lenonum vectigal & meretricum & exoletorum in sacrum Aerarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem Circi Amphitheatri deputauit.] A Caio Caligula eiusmodi tributi genus excogitatum esse, atque auctum aliis probrosis exactionibus, tradit Suetonius [e]. Hæc igitur cum ita se habeant, plane confutatur Zosimi in Constantinum calumnia, quòd meretricibus tributum imposuerit, cum longe ante (vt dictum est) Constantini Imperium eiusmodi tributi pensitatio Romæ vigeret: quamobrem nihil est, quòd dicat Zosimus, inuentum

E illud fuisse a Constantino, qui si forte non ademit, saltem ea ex parte minuit, quæ ad exoletos pertinet, quos, ne essent, lege lata proscripsit.

Rursum vero quod spectat ad auri & argenti tributum: tantum abest, vt indictum illud fuerit meretricibus, vel humilis status personis, iisdemque pauperibus, vt cum a negotiatoribus solum exigendum illud esse statuerint [f] Principes, immunes ab eo esse voluerint etiam rusticanos atque colonos, vel alios omnes, qui victum manu quærerent. Ceterum eo obligari quoscumque mercaturam exercentes, etiam si Decuriones essent aut clerici, ex compluribus legibus sub titulo de Lustrali collatione positis apertissime demonstratur [g]. Sed nec quisquam eiusmodi tributum esse inuentum a Constantino poterit affirmare; cum aurum negotiatorium, sicut & coronarium, pendi soleret Alexandri temporibus; quod illum remisisse aliquando, non autem abstulisse, Lampridius tradit [h]. Quòd vero tunc tantum imperatum aurum, sub Constantino autem aurum & argentum pendi iussum sit; id factum a Constantino, nemo poterit demonstrare. At si demus eiusmodi ab ipso negotiatorum auctum esse tributum: iam si id

Margin notes:

a l.1. de exaction. Cod. Theod.

b l.1. de alimēt. Cod. Theod.

c l. vnic. de his qui numero lib. Cod. eod.

ZOSIMI VI QVAR CALVMNIAE CONFVTANTVR.

d Euag. lib. 3. c. 41.

CHRYSARGYRVM QVIBVS IMPOSITVM.

e Sueton. in Calig. c. 40.

ARGVITVR ZOSIMI PATENS CALVMNIA.

f l.10 de lustral. collat. C. Theod.

g l.3.4.10.11. de lustral. colla. Cod. Theod.

h Lamprid. in Alexand.

si id conferas cum illis ab Ethnicis Imperatoribus indictis, leuissimum debet existimari. An A
non qui modestissimus habetur inter eos, Alexander ad Thermas conficiendas tributū exegit a bracharijs, linteonibus, vitrarijs, pellionibus, plaustrarijs, argentarijs, aurificibus, ac ceteris omnibus artibus? quod tamen non damnat, sed commendat Lampridius, pulcherrimum vectigal id nominans; qui item ait, eumdem imperasse vectigalia ciuitatibus ad publica earum opera conficienda. Qua quidem ex parte quanto potior Constantini causa, qui tot publica ædificauit monumenta? nam vt prætermittamus dicere de sacris vbique toto pene Orbe terrarum erectis ædificiis, & ciuitate instar Romæ constructa: quis satis poterit numerare incredibiles impēsas illas ad pontem super Danubium ex lapide exrruendū? legat Dionem [a], qui hæc cupit exactius intueri, cum agit de alio ponte a Traiano Imperarore super eumdem vastissimum & rapidissimum amnem constructo; ac plane inueniet quod in Constantino maxime admiretur. Omittimus dicere de publicis Thermis ab eodem Romæ ædificatis, & Basilica ad negotia obeunda apud forum erecta; quæ licet augustissima fuerint ædificia, respectu tamen aliorum, vt humilia, remanserunt pene obliuione sepulta. B

[a] Dio in Traiano.

Sed vt ad Chysargyrum redeamus, iure refellit & Euagrius [b] Zosimi calumniam de eo tributo falso Constantino adscripto; quod ait postea ab Anastasio Imperatore sublatum: Porro quale illud fuerit, quod Anastasius aboleuit, describit his verbis Zonaras [c]: Cūque vectigal, quod Aurargenteum dicebatur, subditos premeret, aboleuit. huiusmodi autem illud erat: Omnes mendici & pauperes, omnes meretrices, omnes liberti in agris & vrbibus annuum Fisco tributum pendere cogebantur. Exigebatur tributum de equis, mulis, bobus, asinis, & canibus: de vnoquoque homine nummus argenteus; de equo, mulo, & boue tantumdem, de asino sex folles (nummi genus est) & de cane totidem: quo tributo attriti homines, vbique lamentabantur. Eo igitur abrogato, Anastasius commentarios illos in Hippico, spectante C
populo, concremauit.] hæc Zonaras. At quid hoc cum illo, de quo agitur, Chrysargyro, commune habet? hoc enim annuum fuisse tradit, Zosimus vero illud quolibet quarto adueniente anno consueuisse persolui: istud quoque mendicis ait imperatum fuisse: illud non nisi negotiatoribus impositum ex scriptis legibus manifeste vidimus, adeo vt nullum aliud pertingeret genus hominum. Vel quo modo dictum ait Zonaras eiusmodi tributum Chrysargyrum, si non aurum, sed nummus tantum, vt tradit, pendebatur argenteus? vt plane appareat, improprie, ac nomine tenus, non autem reipsa illud appellatum esse Chrysargyrum.

[b] Euag. lib. 3. c. 39. 40. 41.
[c] Zonar. Annal. Tom. 3.
CHRYSARGYRVM AB ANASTASIO SVBLATVM.

Qua in re illud in primis intelligendum est; sic eiusmodi descriptum a Zosimo tributum, dictum esse Chrysargyrum, siue Aurargenteum, quòd vtraque species penderetur, aurum scilicet & argentum: efformari enim solitos nummos siue aureos, siue argenteos iuxta pondus indicti tributi, diximus superius ex Lampridio in Alexandro; distinctamque plane fuisse D
pensitationem auri ab argenti: adeo vt cum auri rributum indictum esset, non penderetur argentum; nec vice versa, si argentum imperatū esset, soleret aurum tantæ æstimationis pendi. Vt autem argenti pretium in auro persolui posset, Arcadius & Honorius primi statuisse reperiuntur, sic rescribentes ad Eutychianum Præfectum prætorio [d]: Iubemus vt pro argenti summa, quam quis thesauris fuerat illaturus, inferendi auri accipiat facultatem: ita vt pro singulis libris argenti quinos solidos inferat.] Habes ex his pretium auri illius temporis, sed & pondus solidorum, cum constet ex Constantini ad Euphraxium Rationalem rescripto [e], singulos solidos continuisse quaternos scrupulos, septemque solidos appendisse auri vnciā. nam ait: Si quis solidos appendere voluerit auri cocti, septem solidos quaternorum scrupulorum nostris vultibus figuratos appendat pro singulis vnciis, quatuordecim vero pro duabus, iuxta E
hanc formam omnem summam debiti illaturus: eadem ratione seruanda: et si materiam quis inferat, vt solidos dedisse videatur.] sed & quod sequitur, æquissimum Principis animum etiam in minimis intentissimum demonstat, dum quo modo appendendum sit aurum ad fraudem arcendam lege præscribens, hæc subdit: Aurum vero quod infertur æqua lance & libramentis paribus suscipiatur: scilicet vt duobus digitis summitas lini retineatur, tres reliqui liberi ad susceptorem emineant, nec pondera deprimant, nullo examinis libramento seruato, nec æquis ac paribus suspenso stateræ momentis, &c.]

AVRARGENTVM DESCRIPTVM A ZOSIMO.
[d] l. unic. de argenti pret. Cod. Theod.
[e] l. 1. de ponderatoribus Cod. Theod.

Porro solidos omnes vnius esse ponderis consueuisse, idem Constantinus ad Leontiū Præfectum prætorio declarat his verbis [f]: Omnes solidi, in quibus nostri vultus & veneratio vna est, vno pretio æstimandi sunt atque vendendi, quamquam diuersæ formæ mensura sit: nec enim qui maiore habitu faciei extenditur, maioris est pretij, aut qui angustiore expressione concluditur minoris, habere credendus est, cum pondus idem existat.]

[f] l. unic. si quis solidi circulum. Cod. Theod.
PRETIVM SOLIDI ET ARGENTI.

Sed &

A Sed & illud postea statutum est a Valentiniano Imperatore [a]; vt quoniam quamplurimi adulterini solidi essent cusi; qui pro tributo tot solidos pensuri essent, totidem persoluerent redactos in massam; sic vt libram auri in massa inferret, qui septuagintaduos solidos soluere teneretur. hæc quod ad solidos aureos. Quod autem pertinet ad argenteum nummum; consueuisse libram vnam argenti in argenteos sexaginta diuidi, constitutio Imperatorum declarat [b], adeo vt sex argentei vnciam explerent argenti. Erat insuper & tributum, quo iubebatur æs solui; quod si quis auro redimere voluisset, statuit Arcadius Imperator [c], vt vnus solidus penderetur pro viginti libris æris.

a l. 13. de susceptoribus Cod. Theodos.
b l. 1. de expens. lud. Cod. Theod.
c l. vnic. de collat. æris. C. lib. 10.

Quod igitur spectat ad Chrysargyrum, quod pendebatur collatione lustrali: tributum erat huiusmodi, quo negotiatores tantum (quod sæpe diximus) inferre in Aerarium tenerentur auri summam & argenti; quota autem hæc esset, nusquam expressum reperimus. Ceterum B eiusmodi indicendi tributi ratio æquissima erat. si enim agros possidentes, ex eis pendere solerent Imperatori partem mediæ quantitatis, interdum vero tertiam, vt ex rescripto Theodosij Imperatoris ad Isidorum apparet [d]: cur lucrantes ex negotiatione, mercatura scilicet, a tributi solutione esse deberent immunes, cum illa præsertim ex agricultura tributi pensio annis singulis præstari soleret, hæc autem quolibet quadriennio? At de Chrysargyri tributo satis ad refellendam Zosimi calumniam.

TRIBVTVM AEQVISSIMVM CHRYSARGYRVM.

d l. 33. de annon. & tribut. Cod. Theod.

Sed cum idem rursum ex eo etiam insectetur Constantinum, quòd clarissimis quoque viris tributum imposuerit, idemque Follem ipsum nominasse tradat: quodnam esset eiusmodi tributi genus, primo exquirendum putamus, ac demum vindicare a Zosimi hac quoque calumnia Constantinum: haud enim erit otiosa eiusmodi peruestigatio, cum ex his complura tum in historia, tum etiam in alijs sanctorum Patrum scriptis & diuersarum facultatum meC moriis loca veniā elucidanda. et licet sciamus Alciatum [e] atque Cuiacium [f] iuris consultissimos in his dignoscendis non modicum laboris insumpsisse: haud tamen rem obscurissimam ita vendicarunt in lucem, vt adhuc lucerna minus egeat, & superuacaneus sit omnis labor superimpensus, vtpote qui se coniectura nisos esse profiteantur: at vbi inest opinandi diuersa ratio, diuersam quoque sententiam subsequi necesse est; atque ob id præstat audire omnes.

FOLLES TRIBVTVM NOBILIVM.

e Alciat. de Præt. & præt. honor.
f Cuiac. in eod. tit. l. 2.

Duplicis igitur generis follē fuisse Epiphanius docet his verbis [g]: Follis, quod & Talantium vocatur, duplex est, ex duobus argenteis compositum, & fiunt ducenti & octo denarij. et folles duo minuta iuxta denarismum, non iuxta argentismum.] hæc ipse. Qua ratione cùm dictum sit quamlibet argenti libram continuisse sexaginta denarios; quilibet follis prioris generis tres libras & semis, minus duobus denarijs, continebat argenti, solidos vero decem septem & semis: et hic quidem follis erat maioris pretij. De folle autem alterius generis posiD to ab Epiphanio, paulo post dicemus; quem tertio loco ponimus: sed modo de secundo genere follis agamus.

g Epiph. de mensur. & pond.

FOLLES DIVERSI GENERIS.

Rursum vero aliud genus follis reperiri videtur minoris pretij, nempe trium nummorum argenti, vt colligitur ex Constantij rescripto ad Senatum, iuncto simul illo Gratiani ad eumdem Senatum [h] dato. Priori enim dicitur [i] a Constantiniana Prætura conferri solere editionis munerum causa viginti millia follium, & quadraginta libras argenti. Quòd autem huiusmodi collatio nimia videretur, posteriore rescripto temperata est, [l] vt duæ Præturæ simul iunctæ tantumdem soluerent, quantum vna conferre soleret: Sicque, inquit [k], Præturæ duæ, Constantiniana, & Constantiana, conferent argenti libras mille.] et in fine: Ac bini, inquit, posthac incipiant agnoscere, quod singuli antea transigebant.] Cum igitur quod duæ penderēt simul, eiusdē esse dicatur quātitatis, & tot liberas cōtinerent duæ, quot illa vna; ac proinde, E quod Constantiniana & Constantiana Prætura simul penderent mille argenti libras, tantumdem esset, quantum vna ex ipsis antea conferebat, nempe viginti millia folliū & quadraginta libras argenti: opus est dicere tantæ æstimationis fuisse viginti millia follium & quadraginta libras argenti, quantæ essent argenti libræ mille: qua ratione dicendum, quamlibet argenti libram viginti folles paulo minus continuisse. Cum vero argenti libra huius temporis esset sexaginta nummorum, affirmandum est quemlibet follem fuisse pretij nummorum trium, atque illius generis, quod a Romanis: (inquit Marcellinus Comes in Chronico) nominatum erat Terentianum, seu potius restituendum, Tertianum, seu Tertiarium, quòd tres nummos contineret.

h l. 5. de Prætorib. Cod. Theod.
i l. 25. Cod. Theod. eod. tit.
k l. 25. Cod. eod.

FOLLIS MINORIS PRETII.

Tertium follis genus erat minimi pretij, quod Epiphanius ait continuisse duo minuta denarij. Suidas [l] vero follem, obolum appellat, quorum ducenti & decem efficerent staterem aureum: Porro Iustinianus (inquit ipse) priuati emolumenti studio tantum centum octoginta dari iussit, sexta stateris aurei parte subtracta.] Octogesimam vero partem vnciæ obolum argenteum

TERTIVM GENVS FOLLIS.

l Suid. verb. κέρματα.

genteum continuisse, Epiphanius tradit [a]. Ceterum huiusce modi minimi pretij folles fuisse aereos, Lampridij locus in Heliogabalo significare videtur, dum ait, centum aureos, mille argenteos, centum folles aeris habuisse in sorte Heliogabalum. Secundum hanc autem minimi pretij follium rationem intelligendum est Iuliani Apostatae rescriptum ad Apronianum, quo prohibet ne quis carnis porcinae librā vltra sex folles venderet; item quod S. Augustinus [b] ait, venditum piscem trecentis follibus: iuxta vero summi pretij folles illos putamus intelligendos, quos Constantinus Imperator numero trium millium misit ad Caecilianum Episcopum Carthaginensem erogandos in ministros ecclesiarum Africae, Numidiae, & Mauritaniae, vt superius ex Eusebio [c] enarrauimus. Vt ex his locis elucidatis, aliis vero elucidandis haud ingratus tibi, lector, hac in re susceptus labor noster videri possit. A

a Epiph. de mensur. et pon.
b Augustin. de ciuit. Dei lib. 22. c. 8.
c Euseb. lib. 10. c. 6.

Quod vero ad nomen spectat: Marcellinus Comes testari videtur fuisse nomen peculiare Graecis potius, quàm Latinis: nam ait [d]: Nummis, quos Romani Terentianos, Graeci Follerales vocant, Anastasius Princeps suo nomine figuratis, placabilem plebi commutationem distraxit.] haec Marcellinus. Cum igitur follis vox Graeca esse dicatur, & apud Graecos φολὶς & φολὶς non nisi squamma interpretetur, siue piscis, siue anguis, & interdum aeris: fortasse accidit, vt excusus nummus argenteus tenuissimus, dictus obolus ab Epiphanio vbi supra, ob sui exiguitatem squammarum speciem praeseferret; ac proinde eiusmodi pecunia minutissima dicta sit, folles *, seu pholes: vtroque enim modo scripta reperitur haec vox. Porro cum horum summa in vnum congesta conficeret numerum ducentorum & octo denariorum, secundum Epiphanij calculū, nominabatur quoque talentū, Graece τάλαντον: vt autem eadem diceretur & folles, ex eo potuit contigisse, quòd eadem summa pelliceo sacculo, nempe crumena, includeretur, atque quot numerarentur sacculi, tot folles esse dicerentur: sic enim veteres appellabant saccos ex corio factos, vt citat Nonius ex Lucillo: quo sensu & Vegetius saccos pecuniae militaris, folles nominat [e]. Accidisse autem propemodum videtur in folle, quod in sestertio, vt vna eademque ferme vox longe inter se diuersam summam contineat. At de follibus hactenus. B C

d Marcellin. in Chron.
FOLLIS NOMEN VNDE.
* follis
e Veget. lib. 2. c. 20.

Sed quod ad Zosimum pertinet; demus verum esse quod ait, Constantinum imposuisse tributum Senatoribus, follem. si eum velimus esse summi pretij, quid demum? an non tolerabilis videbatur eiusmodi tributi exactio? Oportuisset quidem ipsum meminisse Augusti Imperatoris, de quo tradit Dio [f], tam graue tributum Senatoribus indixisse, vt cōplures eorum coacti fuerint e Senatu migrare. Ceterum hac ex parte magnam sibi laudem cōparasse Constantinum, quòd non tantum noua non imposuerit, sed nonnulla ex impositis ab aliis indicta abstulerit, quae superius a nobis allata sunt fidem faciunt: nam etsi non aliud, certe legis Papiae ex ea parte detruncatio, ex qua ingentem pecuniarum vim corradere potuisset, magnum eius largitatis & a populorum vexatione continentiae fuit experimentum. Quibus omnibus optime suffragantur ea quae ab Eusebio eodem argumento de Constantino traduntur, cum ait [g]: D

ARGVITVR ZOSIMVS.
f Dio hist. Rom. lib 53.
g Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 2. 3. 4.

Quanto autem studio curauerit, vt plebem & inferiorum hominum animos exhilararet; vel ex vno exemplo, quod erat & ad vitam commodissimum, & ad omnes etiam perueniebat, hodieque durat, facile perspicere licet. Nam cum annua ei tributa agrorum nomine penderentur; quartam his detractam partem, agrorum possessoribus donauit; vt annuam detractionem ad calculum reuocanti, facile appareret, frugum dominos quarto quoque anno a pendendo tributo fore leuatos: id quod etiam lege firmatum, & in omne reliquum tempus stabilitum, non viuentibus solum, sed etiam eorum liberis & successoribus indelebilem & perennem beneficentiam praestitit. Cum vero nonnulli agrorum merationes a superioribus Imperatoribus factas reprehenderent, hisque fines suos premi quererentur: hic rursum arbitros misit, qui re diligenter inspecta, postulantes illaesos praestarent. Ceterorum causas pecuniarias ipse Imperator audiens; cum minime vellet, vt qui causa cecidissent, deteriori conditione discederent; libenter eis ex suis bonis nonnumquam agros, aliquando pecunias largiebatur: vt iudicio conuictus, quoniam dignus habitus est vt in conspectum Imperatoris veniret, non minore cum laetitia discederet, quàm qui causam erat adeptus. Etenim cum non decere existimaret, vt qui coram tanto Imperatore compareret, demisso & lugubri animo dimitteretur; ista ratione perfecit, vt vtraque pars placido & sereno vultu iudicio liberaretur. Ita accidit, vt hanc animi Imperatoris celsitudinem omnes admirarentur.] hactenus de his Eusebius. E

TRIBVTORVM RELAXATIO.

Hisce autem enarratis, mox subinfert idem [h] auctor vnà simul Constantini bella aduersus Scythas atque Sauromatas gesta, quae ex Zosimi sententia diuersis temporibus accidisse videntur

h Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 5.

A dentur: ac primum quidem Sauromaticum bellum aduerſus Rauſimodum ipſorum Regem, de quo & nos ſuperius egimus; poſtea vero ait Scythas, Thaifale eorum duce, Romanorum ditionem inuadere auſos eſſe, cum Conſtantinus otioſe ageret quietus ab omni belli tumultu: quod his ipſis temporibus, quibus Noua Roma Conſtantinopolis ab eo ædificaretur, contigiſſe, Zoſimus tradit[a]: quo prælio Conſtantinum maiorem exercitus partem amiſiſſe, & ſibi conſuluiſſe fuga, teſtatur: cum tamen Euſebius, & alij omnes qui proſequuti ſunt res Conſtantini, affirment, ipſum Scythas ſuperaſſe, Romanumque Imperium a vectigali, quod illis pendebat, prælio redemiſſe, ac denique (quod nemo antea fecerat) ſub tributo etiam redegiſſe. hæc quidem his plane temporibus contigiſſe, cum extructo ponte ſuper Iſtrum, eo tranſmiſſo, Scythas debellauit, Cedrenus quoque teſtatur[b]; hoſque eos putamus eſſe, quos S. Hieronymus Gothos vocat[c]. Porro eiuſmodi bellum, quo deuicti ſunt Scythæ, & ſub tri-
B buto redacti, geſtum eſſe a Gallicano viro clariſſimo, qui ea ex cauſa promeruit Conſulatum, Acta ſanctorum martyrum Ioannis & Pauli teſtantur, quæ feruntur a Terentiano conſcripta: commendauit memoriæ ille quidem eorumdem martyrum ſub Iuliano Apoſtata paſſionem, quam ipſe Iudex martyribus intulit: quæ autem interſeruntur de Gallicano, dilucidatione indigere videntur: multa enim habent, quæ fidem poſſent retardare lectoris: idque nos pro facultate præſtabimus.

CONSTANTINVS SCYTHAS REDEGIT SVB TRIBVTO.

a Zoſim. lib. 2.

b Cedren. an. 25. Conſtantin.

c Hieron. Chronic. an. 27. Conſtantini.

Bellum quidem Scythicum a Conſtantino per Gallicanum feliciter confectum habetur ibi, cum ille victor rediens (quod antea ab eo promiſſum erat) Conſul creatus eſt. Ceterum duo reperiũtur Conſulatus Ouinij Gallicani, alter cum Baſſo anno vndecimo Conſtantini, alter vero vna cum Symmacho hoc ipſo anno eiuſdem Imperatoris vigeſimoquinto. Priori quidem Conſulatui ea de bello Scythico minime aptari poſſe videntur; ſi quidem tunc in Thracia,
C vbi ait auctor bellum eſſe confectum, regnabat Licinius, & nihil ad Conſtantinum res Scythicæ. Sed & cum auctor tradat Gallicanum ſe a Conſulatu abdicaſſe, & Curiæ nuncium penitus remiſiſſe, atque amplexatum eſſe humile, Chriſti cauſa, viuendi genus, in eoque vſque ad Iulianum perſeueraſſe; nihil eſt quòd hæc ad priorem Conſulatum aptari poſſint, poſt quem eum Senatu & Curia conſtat vſum, & iterum Conſulem creatum eſſe. Quamobrem ea omnia de Gallicano ad ſecundum hunc eius Conſulatum præſentis anni eſſe referenda, affirmare neceſſe eſt: conſentiunt his quæ nuper ex Zoſimo & alijs dicta ſunt, his ſcilicet temporibus bellum Scythicum accidiſſe. et licet annus certus non deſcribatur; tamen quòd ibi dicatur, poſt victoriam Gallicanum creatum eſſe Conſulem; confectum illud oportuit anno ſuperiore, dum (vt ibidem ponitur) Conſtantinus Romæ ageret, & S. Helena Auguſta eius mater adhuc ſuperſtes eſſet: eam enim poſt Nicænum Concilium aliquot annos vixiſſe, ex Euſebio
D & aliis ſuperius diximus; et Conſtantinum, licet Conſtantinopolim migraſſet, antiquam Romam interdum repetijſſe, pariter demonſtratum eſt: quem tamen hoc anno ad Nouæ Romæ dedicationem Conſtantinopoli fuiſſe, in dubium reuocari minime poſſe videtur. Quòd autem habeant Acta, Gallicanum adhuc Gentilem & diis immolantem perſeueraſſe vſque ad annum ſuperiorem, haud mirum videri debet; cum liqueat, complures ex Senatoribus & ex familiis Senatoriis Romæ adhuc Ethnicos perſeueraſſe, immolaſſe diis, atque etiam deorum templa ibidem aperta manſiſſe, licet alibi multis in locis eſſent clauſa; ſicut ſub Cõſtantio quoque, qui (vt auctor eſt Symmachus[d]) ſacerdotia repleuit nobilibus, & cærimoniis non negauit impenſas.

GALLICANVS PVGNAT ADVERSVS SCYTHAS.

d Symmachi relatio ad Imp. Valentin. apud S. Ambroſ.

Scimus tamen his de Gallicano aduerſari nonnulla, quo minus ad perfectos & vndique abſolutos veritatis numeros eiuſmodi in omnibus reduci poſſit hiſtoria: nam teſtatur Euſe-
E bius[e] in primis, Conſtantinum Imperatorem vel Chriſtianos homines ad magiſtratus gerendos aſſumpſiſſe, vel cum ad eiuſmodi munus Gentiles adſciuiſſet, eis ne hoſtias diis immolarent vetuiſſe. Rurſus vero idem cum agit de bello Scythico, Conſtantinum ipſum ad bellum profectum eſſe, & præuio ſigno ſanctiſsimæ Crucis aduerſus eos pugnaſſe, atque feliciter hoſtes ſuperaſſe, confirmat[f]. Quamobrem de Ouinio Gallicano hiſtoriam illam ab aliquo deprauatam, & nonnullis auctam (vt moris fuit quorumdam, qui de re magna breuis pertæſi narrationis, multa periphraſtice, vt eis opinari contigit, cumularunt) facile exiſtimare poſſumus: niſi velimus Euſebium potius eſſe mentitum.

e Euſeb. Vit. Conſtantin. lib. 2. c. 49.

f Euſeb. ibi. lib. 4. c. 5.

Nos autẽ ea hic tantũ reddemus, quæ ibi inuenimus de victis ab eo Scythis, & Romã reditu, atque abdicatione facta a Cõſulatu, & exhibito ab eodẽ pio pauperibus miniſterio, iiſdẽ verbis quibus in ipſis Actis ſcripta legũtur. Poſt enarrata ibi ſponſalia Cõſtantiæ filiæ Conſtantini cũ Gallicano, & cõuerſionẽ Atticæ & Artemiæ virginũ eiuſdẽ Gallicani filiarũ, hæc de parta ab eodẽ Gallicano victoria ſic recẽſita habẽtur[g]: Cum Scythica gẽs me in Thraciarũ Philippopoli

g Apud Sur. & alios die 26. Iunij.

lippopoli conclusisset, stragesque nostrorum plurimas edidisset: formidante me cum illis con- A
INSPERATA VICTORIA GALLICANI. fligere, quòd exigua esset mihi militum manus, illorum autem innumera multitudo, insistebam
sacrificiis, & varias Marti victimas offerebam: et quid multis moror? Creuit tandem obsi-
dio, & omnes Tribuni & milites mei se hostibus dedidere. Cum autem ego cuperem fugæ adi-
tum reperire; Paulus & Ioannes, quorum alter Præpositus, alter Primicerius est dominæ meæ,
filiæ pietatis vestræ Constantiæ Augustæ, dixerunt mihi: Nuncupa votum Deo cæli, si te libe-
rauerit, fore te Christianum: sicque eris victor amplius, quàm fuisti. Fateor, sacratissime Im-
perator, simulatque votum hoc ore meo prolatum est, apparuit mihi iuuenis statura excelsus,
ferens in humero Crucem, & dicens: Sume gladium tuum, & sequere me. Cumque ego se-
querer illum, apparuerunt mihi hinc inde milites armati, confirmantes me, atque dicentes:
Nos tibi præstamus officium: tu ingredere castra; et dextera læuaque tenens gladium euagi-
natum, respice, donec ad Regem ipsum peruenias. Ad quem cum peruenissem, prostratus il- B
le ad pedes meos, togauit, vt sanguini ipsius parcerem. Ego flexus pietate nullum penitus ex
illis occidi, nec occidi iussi ab alijs. Atque ita vniuersa Thracia a Scythis liberata est, & Scy-
thæ facti sunt tributarij. Tribuni omnes qui cum suis militibus ad me teuerti voluerunt, nisi
fierent Christiani, a me minime recipi potuerunt: eos autem, qui in id consensere, gradu su-
blimiori affeci, ceteris militia priuatis.

GALLICANVS EFFECTVS CHRISTIANVS. Porro meipsum iam Christianum effectum ita Deo deuoui, vt etiam a coniugio promise-
rim abstinere. En habes quadruplicatum exercitum, habes Scythas tributarios, & omnem
Thraciam in libertatem vindicatam. Mihi, quæso, propitij succedi iubete, vt libere possim va-
care religioni, quam didici, & in veritate perstare, quam profectò cognoui. Hæc dicente Gal-
licano, Imperator misit se in amplexus eius, referens quæ gesta erant circa filias eius, quemad-
modum virgines Christo consecratæ essent, & per illas sua gratia Christus alias duas acciue- C
rit, vtque doctrinæ summam complexæ ad perfectionem contenderent, & inter ipsa rudimen-
ta, quæ perfectionis sunt, consectatæ sint. Deinde cum Augusto Gallicanus intrauit in Pala-
tium: cui beata Helena cum Constantia & duabus eius filiabus occurrit: fundebanturque la-
crymæ gaudiis plenæ. Nec permittebatur in domum suam redire Gallicanus, sed quasi ge-
ner Augustorum in Palatio morabatur, cernens filias suas flentes in laudibus Dei.

GALLICANVS CREATVS CONSVL MINISTRAT PAVPERIBVS. Cum autem vellet priuatus abscedere, rogatus ab Augustis, Consul processit, & in fasci-
bus positus quinque millia seruorum libertate donauit, & ciues Romanos fecit, prædia quo-
que & domos eis largitus est: omnesque facultates suas, ijs exceptis, quæ filiarum erant, dis-
trahi & pauperibus erogari iussit; manensque in vrbe Ostiensi [sancto viro Hilarino se adiun-
xit, eiusque ædes auxit ad suscipiendos peregrinos, quos multos recipiebat. Adhæserunt au-
tem ei multi ex seruis suis, quos manumiserat: diuulgataque est fama eius per totum Orbem; D
ita vt ab Oriente & Occidente venientes, viderent virum ex Patricio & Consule, qui esset
Augustis amicissimus, lauantem pedes, ponentem mensam, aquam manibus effundentē, lan-
guentibus solicite ministrantem, & cetera sanctæ seruitutis officiā exhibentem.] hæc ibi, quæ
quidem hic voluimus descripsisse, quòd ab Ecclesiasticis monumentis sibi fidem vendicent, &
de Gallicani ad Ostia Tiberina exhibita omni officio hospitalitate vetera quæque antiqua
a Rom. Martyrolog. Bed. & Vsuard die 25. Iun. Martyrologia [a] testentur, & Ado [b] eamdem quam recensuimus historiam ad verbum recitet.
At Eusebius quamuis de Gallicano nullam prorsus habeat mentionem: tamen quòd more suo
b Ado eadē die. omnia Constantino tribuat, Scythas Crucis potentia superatos esse tantum affirmat [c]. Zosi-
c Euseb. Vit Constantin. lib. 4 c. 5. mus vero cum dicat maiorem Romani exercitus partē apud Scythas esse amissam, licet de vi-
ctoria nihil scribat, quam a Romanis obtentam constat, istæc visus est aliqua saltem ex parte
signasse. Ceterum vt vir post Imperatorem & Cæsares omnium clarissimus, & a Christiana E
fide alienissimus, tam repente ex insperato non Christianus tantum euaserit, sed & a Senatu
discesserit, seq. Consulatu abdicauerit, atque adeo humile arripuerit vitæ institutum; haud
potuit contigisse absque aliquo Christianæ religionis veritatis admirando signo, atque cer-
tissimo argumento.

Extat præterea de eiusdem Gallicani munificentia in superius citato libello Anastasij de
d Tom prim. Concil. in Siluestro. ecclesijs a Constantino erectis eiusmodi monumentum [d]: Itemque obtulit Gallicanus Basi-
MVNERA OBLATA A GALLICANO. licæ suprascriptæ Ostiæ a Constantino ædificatæ sanctorum Apostolorū Petri & Pauli, & Ioan-
nis Baptistæ: obtulit autem hæc: Coronam argenteam cum delphinis, pensantem libras vigin-
ti: Calicem argenteum anaglyphum, pensantem libras quindecim: Amam argenteam, pen-
santem libras decem & octo: Massam Mallianam in territorio Sabinensi præstantem solidos
centum quindecim & tremissem: Fundum Picturas in territorio Veliterno præstantem soli-
dos quadragintatres: Fundum Sutorum via Clodia in territorio Veientano præstantē solidos
quinqua-

A quinquagintasex: Massam Gargilianã in territorio Suessano præstantẽ solidos sexcẽtos quinquagintasex.] hactenus ibi. Hæc contulit Gallicanus ecclesiæ a Constantino ædificatæ. Quæ vero suæ ibidem in memoriam sancti Laurentij erectæ donauerit (quod citata Acta testantur) licet minime reperiantur memoriæ commendata, ex ijs tamen quæ dicta sunt, facile possumus intelligere. Quo modo autem postea idem Gallicanus ab Apostata Iuliano Imperatore fuerit exagitatus, suo loco dicemus.

Hoc eodem anno, ijsdem Consulibus, datum reperitur rescriptum Constantini Imperatoris ad Valentinum Consularem Numidiæ pro clericis Catholicis molestijs & iniuriis affectis a Donatistis. Qui enim semel cœperant apud Constantinum causam Cæciliani deferre, reliquos quoque clericos Catholicæ communionis ijsdem pressuris vexare non destitere, trahentes eos ad sæcularium magistratuum tribunalia: quod ne quis vlterius tentare præsumeret, ad B eumdem Numidiæ Præfectũ Imperator in hæc verba rescripsit [a]: Lectores duinorum apicum, & hypodiaconi, ceterique clerici, qui per iniuriam hæreticorum ad Curiam deuocati sunt, absoluantur. Et de cetero, ad similitudinem Orientis, minime ad Curias deuocentur, sed immunitate plenissima potiantur. Dat. Non. Februar. Sardicæ, Gallicano & Symmacho Coss.] frequens hæc est querela cum Optati, tum etiam Augustini de Donatistis ad Imperatores & eius magistratus, relicto tribunali Ecclesiastico, prouocantibus. DONATISTAE VEXANT CATHOLICOS. a l.7. de Episc. & cleric. C. Theod.

Hoc pariter anno, quo Quinquennalia Constantij Cæsaris celebrata sunt, in gratiam ipsius exules Ariani Episcopi Eusebius Nicomediensis & Theognis Nicææ ab exilio relaxati esse putantur. Quibus fauit Constantia Augusta Licinij olim coniux, soror Constantini Imp. persuadens id eidem Constantino ex quodam conficto somnio (vt Nicephorus tradit [b]) quasi innoxij homines iniuste exilio damnati essent. Quid autem impij postlimio restituti aduer- C sus Athanasium moliti sint, dicemus anno proximo. b Niceph. lib. 9. c. 21.

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
331.	18.	26.

Sequenti anno Domini trecentesimo trigesimoprimo, Ouinius Bassus iterum & Ablauius Aegyptius Consules creati sunt: quo tempore S. Athanasius Episcopus Alexandrinus ab Eusebianis atque Meletianis iterum, nouis excogitatis calumniis, exagitatur. Quieuit ipse aliquantisper, donec scilicet Eusebius Nicomediæ Episcopus ab Ecclesia eiectus vna cum D Theognide Nicæno Episcopo exulauit: ijsdem autem Constantij Cæsaris opera (vt creditur) anno superiori, quo eius sunt Quinquẽnalia celebrata, & Nouæ Romæ vrbis Constantinopolitanę dedicatio facta est, ab exilio ad proprias Ecclesias reuocatis, noua rursus aduersus Athanasium ab ijsdem per Meletianos certamina concitantur. Sed qua occasione, memoria repetens; quod ante annum proxime elapsum gestum est, idem ipse testatur, dum in secũda Apologia recitatis litteris Constantini ad Alexandrinos ante superiorem annum scriptis, quas superius suo loco posuimus, hæc mox subdit: His ita actis, cum aliquantisper quieuissent Meletiani: denuo infestius insurgentes, consilium tale inierunt, &c.] recenset enim quæ contigerunt, cum suam diœcesin visitaret, quæ a nobis suo loco sunt descripta, de Ischyra qui agebat presbyterum cum non esset, de quo hæc subdit [c]: Ille (nempe Ischyras) vbi a morbo surrexit, & ab amicis, atque adeo suomet ipsius patre coerceretur, ad Meletianos confugit: qui re cum E Eusebianis communicata, istiusmodi calumniam composuerunt: Calicem a Macario fractum, Arsenium autem Episcopum a me interfectum esse. Arseniumque (vt calumnia succederet) in abditis habent, quo, si nusquam appareret, occisus esse crederetur. Interim illi manum cuiusdam, tamquam ex eius corpore recisam, ad ostentationem circumferre: Ischyram, quem non nouerant, vt presbyterum celebrare; vt cum de calice loqueretur, auctoritate tituli commodior ad fraudem esset.] hæc de veteri instaurata calumnia & noua superinducta habet Athanasius. ATHANASIVS ITERVM VEXATVR. c Athanas. Apolog. 2.

Cum istæc autem per totam Aegyptum opera Meletianorum & Eusebianorũ spargerẽtur in vulgus, atque vbique diffamarentur: qui Ischyram nouerant auctorẽ calumniarũ, quibus factũ esset vt tanti patris nomen male audiret, cum cõuenientes, amice redarguerunt, atque adeo efficaciter, vt suaserint viro a societate perditorum hominum illorum omnino recedere, & ad Ecclesiã Catholicã se conferre, veniamq. ab Athanasio postulare: quibus cum ille persuasus Athanasium adiret, ab eo obiurgatus, reiectus est, vtpote indignus qui reciperetur; nisi ISCHYRAE POENITENTIA.

de admissis sceleribus pœnitentiam agens, quas concinnasset calumnias, easdem publica in facie Ecclesiæ facta confessione destrueret: quod ipse facere non prætermisit. hæc quidem omnia idem recenset Athanasius, dum eamdem prosequutus, de his quæ acci- A
a Athanas. Apolog. 2.
dissent, narrationem hanc subdit [a]: Ibi cum Ischyras a suis reprehenderetur, ad nos lamentabundus accessit, nihil quidquam inquiens tale factum esse a Macario, qualia iactitabant, sed se subornatum a Meletianis ad istud flagitium comminiscendum: quapropter & ista quoque scriptis protulit.

LIBELLVS ISCHYRAE.

Beato Præsuli Athanasio Ischyras in Domino salutem.

Quia me, domine Præsul, te adeundo, vt in Ecclesiam reciperer, obiurgasti, quòd istiusmodi loquutus essem; quasi ego vltro hoc fecissem, ac non vi potius huc adactus essem: ideo hanc satisfactionem tibi scripto porrigendam putaui, vt cognosceres vim mihi factam esse tum ab Heraclide: ab Isaac porro Letois, & a sociis eius etiam verberibus cæsum esse. Ego B autem, Deo in testem adhibito, pro excusatione mea dico, me nihil eorum quæ illi a te facta iactitant, conscium esse, neque vllum calicem confractum scire, aut mensam subuersam esse; meque ad ista omnia calumnianda, eorum vi adactum esse. Hanc autem pro me excusationem facio, tibique eam scripto trado, optans me vnum eorum esse, qui ad tuos conuentus pertinent, & tuis iudicijs parent. Valere te in Christo exopto. Tradidi autem manu mea tibi Episcopo Athanasio in præsentia presbyterorum Ammonis, Dicellæ, Heraclidis, Pasci, Bocchonis, Chenebri, Achillæ, Myrsenes, Didimi, Taphrosieris, & Iusti ab Comatheo; diaconorum autem eorum qui Alexandrini erant, Pauli, Petri, & Olympij, Marcoticorum vero Olympij, Ammonij, Pisti, Demetrij, & Caij. hæc Ischyras.]

MELETIANI CONTRA ATHANAS. AD IMP. PERGVNT.
b Athanas. vbi supra Apolog. 2.

At tantum abest vt Meletiani confessione Ischyræ repressi fuerint, vt etiam acrioribus odij stimulis exagitati, prosequuturi in Athanasium & Macarium accusationes, ad Constantinum C Constantinopolim proficisci decreuerint. quid autem, his auditis, Imperator rescripserit, idem Athanasius narrat his verbis [b]: Hæc cum ita confessus esset Ischyras; æque tamen illi istiusmodi crimina passim iactitarunt; remque ad Imperatorem Constantinum detulerunt. Ceterum ille iam antea Psammathiæ de hoc calice audierat, cum nos ibi præsentes essemus: quapropter repudiata aduersariorum sycophantia, Antiochiam litteras ad Dalmatium* Censorem* misit, vt cognosceret de causa homicidij.] At quid qualeve ea de re fuerit Dalmatij iudicium, sequenti anno, quo illud contigisse, ex ijs quæ dicenda sunt inferius potest intelligi, dicturi sumus.

*Dalmatianum
* Cæsarem

Horum autem omnium scelerum, quæ Meletiani in Athanasium moliti sunt hactenus, & in posterum ardentioribus in dies studiis prosequi non desierunt, auctor & promotor fuit (quod sæpe demonstratum est) Eusebius Nicomediæ Episcopus: nam Ischyram non ad Meletianos D tantum, sed & per eos profectum esse Nicomediam ad Eusebium, a quo de concinnandis calumniis optime instructus fuerit, testantur Socrates [c] & Sozomenus. Porro maximo omnium malo fuisse eumdem Eusebium in sedem Nicomediensem restitutum, etiam portento cælitus est declaratum, dum hoc vel sequenti anno Basilica Nicomediensis recens extructa, tacta fulmine conflagrauit [d]. Protheus iste ad decipiendos homines egregie comparatus, pallio pietatis decepit sæpius Constantinum: quippe cum Ario faueret intrinsecus, Nicænam tamen fidem coram ipso ardenter profitebatur: et cum Athanasium acerbissimo odio insectaretur; ipse tamen quasi rerum ignarus considere visus, aliorum opera vtebatur: et quod maximum attulit Ecclesiæ detrimentum, insinuauit se in Constantij Cæsaris amicitiam, cui pater Constantinus latioribus regiminis vti permisit habenis, quòd Orientalis Imperij eum heredem relinquere, quod & fecit, in animo haberet. E

c Socrat. lib. 1. c. 20. & Sozom. lib. 2. c. 22.
d Cedren. Compend. an. 26. & 27. Constantini.

DONATVS PSEVDOEPISCOPVS CARTHAGIN.

Hoc pariter anno Domini trecentesimo trigesimoprimo S. Hieronymus inter alia hæc habet in Chronico: Donatus agnoscitur, a quo per Africam Donatiani.] ita ipse, licet Chronologia Imperatoris ibi perperam consignetur eiusmodi annus vigesimussecundus Imperij Constantini. Fuit hic Donatus partis schismaticorum Episcopus Carthaginensis post Maiorinum, de quo superius pluribus actum est: quo autem potissimum anno ille decesserit, hic vero fuerit subrogatus, haud liquet; potuit hoc anno contigisse, quo eum innotuisse S. Hieronymus tradit: cognitus est autē haud dubium, cum fuit factus Episcopus, & suæ partis homines a se denominatos voluit Donatistas, seu Donatianos appellari; quod sub Cōstante Imperatore accidisse, idem S. Hieronymus [e] tradit; quem & ex libris quos edidit, inter suos fuisse celebris famæ, testatur, cum addit: Extant eius multa ad suam hæresin pertinentia opuscula, & de Spiritusancto liber, Ariano dogmati congruens.] Certe quidem qui eum præcesserunt Episcopi Donatistæ, quantumlibet audacissimi, visi sunt, cōparatione Donati huius, de quo agimus

e Hieronym. de script. Eccles. in Donato.

A agimus, frigidi. Eo enim procaciæ atque superbiæ iste peruenit, vt perinde ac Deus esset, per nomen sui ipsius tamquam numen suos iurare pertulerit: de cuius incredibili fastu ac mentis elatione hæc Optatus ait [a]: Extulit cor suum, vt nullum hominem sibi comparandum arbitraretur, & de tumore mentis suæ altior visus est esse; quia quidquid est supra homines, iam quasi Deus est. Deinde cum Episcopi Deo debeant famulari, tantum sibi de Episcopis exegit, vt eum omnes non minori timore venerarentur, quàm Deum: hoc est quod sibi Deus visus est. Et cum per solum Deum soleant homines iurare, passus est homines per se sic iurare, tamquam per Deum. In quo si vnusquisque hominum errauerat, ipse prohibere debuerat: cum non prohibuit, Deus sibi visus est.] hæc Optatus: qui subdit de nomine suo, quod impertitus est suis, vt dicerentur ab omnibus Donatistæ, non autem Christiani.

[a] Optat. lib. 3. — DONATI SVPERBIA.

Rursum vero ad cōciliandam sibi apud suos maiorem fidem, callidissimus homo loquutum B sibi de cælo Deum effinxit, quod S. Augustinus [b] ita testatur: Hæc quidem iactabantur a suis: Donatus orauit, & respondit ei Deus de cælo.] Eo insuper arrogantiæ venit, vt Præfectos contumeliis lacesseret, & in Imperatores conuitia & probra conijceret: de Præfectis quidem, Optatus recitat de Gregorio [c]: Ad quem, inquit, sic scribere minime dubitauit: Gregori, macula Senatus, & dedecus Præfectorum: et cetera talia. cui Donato Præfectus patientia Episcopali rescripsit.] Quænam autem postea effutierit in Constantem Imperatorem, suo loco dicturi sumus, cum agemus de legatione Pauli atque Macarij ab eo in Africam missa. Sub eodem Donato, ipso docente, puto & hortante, oborti sunt in Africa Circumcelliones, vulgo dicti Circelliones, de quorum nomine hæc S. Augustinus [d]: Quid sibi vult nomen Circellionum? Sed non, inquiunt, vocantur Circelliones; forte corrupto sono nominis eos appellamus. Dicturi sumus vobis integrum nomen ipsorum? Forte Circumcelliones vocantur, non C Circelliones. Plane si hoc vocātur, exponant quid sint? nā Circumcelliones dicti sunt, quia circum cellas vagātur.] in hūc modū Augustinus. At de eo quod spectat ad nomen, eos tamen a Donato Agonisticos, & eorum Præfectos, Duces sanctorum, nominatos esse, Optatus [e] testatur: erant hi sectæ defensores, qui auderent Præfectis quoque resistere, quiq. per nundinas, villas, vicosq. circumuagantes, præseferebāt se esse publicæ iustitiæ vindices: quo prætextu & seruos vocabāt ad pileum, & oppressos ære aliquo a creditoribus liberabant, minaces litteras ad eos scribentes, quibus mortem minarentur, nisi expungerent eorum debita, atque chirographa delerent, quibus tenebantur adstricti. Omnia hæc Optatus [f], & frequentius Augustinus; ex quo potissimum immania scelera ab ijsdem aduersus Catholicos perpetrata, suis locis, ordine temporum, quibus sunt gesta, narrabimus. Porro eiusmodi grassatores sub Donato exortos & propagatos, duodecimo vero Constantis anno per Paulum at-D que Macarium Legatos nonnihil fuisse repressos, eodem anno dicturi sumus.

[b] August. in Ioan. tract. 13. prope fin. — [c] Optat. lib. 3. — CIRCVMCELLIONES EORVMQ. — [d] August. in Psal. 132. — [e] Optat. lib. 3. — [f] Optat. lib. 3.

Ad hos autem coercendos ante dictorum legationem, constat ex Optato & Augustino esse missos primo Leontium, deinde Vrsacium; de quibus Optatus [g]: Querelam per ordinē deponitis, sub Leōtio, sub Vrsacio iniuriatos esse quāplurimos:] post hos vero apparet Paulum & Macarium esse legatos, anno quo diximus, duodecimo eiusdem Constantis Imperatoris. De eodem Vrsacio est mētio apud Augustinum [h] ex Petiliano, qui eius interitum Christianis exprobrabat, dicens: Perijt Macarius, perijt Vrsacius, cunctique Comites vestri Dei pariter vindicta perierunt. Vrsacium namque barbarica pugna prostratum, sæuis vnguibus alites, canumque auidi dentes morsibus discerpserunt.] hæc ille, non sic quidem post Macarium Vrsacium nominans, quasi post eum vixerit, quem ipsum Macarium præcessisse Optatus docet. Ceterum consueuisse ea de causa Donatistas appellare Catholicos, Ma-E carianos, non autem Vrsacianos, quòd ipsius Vrsacij vexatio nequaquam vsque ad alicuius ex illis necem progressa fuerit, Augustinus tradit, cum omnia a Petiliano obiecta fortiter confutat.

[g] Optat. lib. 3. — LEONTIVS ET VRSACIVS PRAEFECTI. — [h] August. contra Petilian. lib. 2. c. 92.

Sub tali igitur tantoque doctore adeo superbo, tumido & insano, Donato, creuit Donatistis pariter cum furore stultitia: nam eo dementiæ peruenerunt, vt quasi martyrum gloriæ cupidi nouum excogitarint genus martyrij, seipsos scilicet necantes præcipitio, aqua, vel igne, vel alios ad inferendam sibiipsis necem cogentes: quos ita vita functos insana Donatistarum turba colligere, & loco digno martyre condere, atque honore martyribus congruo venerari soleret. hæc quidem de eorumdem amentia Optatus [i] meminit, & Augustinus innumeris pene locis: de quibus nos sæpe inferius dicturi sumus: hic autem modo satis attigisse ipsorum originem. Ante quidem primum Carthaginense Concilium, quod celebratum est Macarianæ legationis temporibus, in hæc tam immania atque stulta facinora Donatistas schismaticos progressos esse, eiusdem Concilij [k] canon

STVLTITIA DONATISTARVM. — [i] Optat. lib. 3. — [k] Concil. 1. Carthag. c. 2.

contra eiuſmodi pſeudomartyres editus, fidem facit. Atque iſta modo ſatis de Donato & Donatiſtis vſque ad duodecimum annum Conſtantij & Conſtantis Imperatorum. A

Vides lector, quos ſemel vel hæreſis, vel ſchiſma a Catholica Eccleſia, vbi diuini verique ſunt dona Spiritus, ſeparat, per quæ abrupta loca & Gentilibus quoque, qui Deum ignorant, inuia & inacceſſa a malo dæmone impellantur. Vix apud Ethnicos vnum Empedoclem, vel alterum inuenias Peregrinum ſeſe flammis ſponte dedentes, qui & ab ipſis tamquã monſtra habentur oſtentui: apud Donatiſtas vero horum examina reperias, ab eiſdem Donatiſtis, vt ſanctiſsimos martyres, immenſis honoribus cumulatos. hoc enim plane hæreticis omnibus atque ſchiſmaticis ſolet eſſe commune, vt ipſi in ſeipſos exiſtant ſuæ prauitatis vltores, & illud in primis, cum ſponte a qua eſſent abijciendi, ſe ab Eccleſia ſegregent, cuius precibus valuiſſent multipliciter adiuuari.

Hoc ipſo anno Macarius Epiſcopus Hieroſolymitanus cum ſediſſet annos decem & nouem, longæuus, & plenus Domini benedictionibus, cum tot tantaque a Deo per Conſtantinum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ dona collata vidiſſet, reddidit in pace Deo ſpiritum; eiuſque memoria iugi commemoratione die annua repetita in Eccleſia hactenus perſeuerat[a]. In ipſius vero locum ſubrogatus eſt Maximus, de quo hæc habet Sozomenus[b]: Fama eſt Epiſcopum Eccleſiæ Dioſpolitanæ a Macario Maximum ordinatum fuiſſe; ſed a populo Hieroſolymitano, ne eam ſedem capeſſeret, impeditum: nam quia confeſſor erat, & vir alioqui ſpectatus; populi ſuffragiis decretum fuit, vt poſt mortem Macarij in illius vrbis Epiſcopatum ſuccederet. Itaque cum multitudo ægre ferret ſe eo priuatum fore, cuius virtutem explorate cognitam haberet, & ſeditio ex ea re oriri videretur: viſum eſt Dioſpolitanis alium Epiſcopum eligere, vti Maximus maneret Hieroſolymis, & ſacro Epiſcopatus munere vna cum Macario fungeretur, & poſt eius mortem Eccleſiam illam ſolus gubernaret. Attamen intelligendum eſt, quod hi qui in hac re cognoſcenda accuratius laborarint, affirmant plebem iſtam omnia de ſententia Macarij & feciſſe, & ſummo ſtudio conatam eſſe: nam eum omni cura incubuiſſe, vt Maximus poſt ſe conſtitueretur Epiſcopus, memorant: propterea quòd mente complectebatur, illum, cum rectam veramque de Deo opinionem teneret, & ob fidei confeſſionem populo percarus eſſet, neceſſario ad ſibi ſuccedendum reſeruandum eſſe. Siquidem veritus eſt, ne, ſe mortuo, Euſebius, Cæſareæ Epiſcopus ſcilicet, & Patrophilus Epiſcopus Scythopolitanus, ſectæ Arianæ fautores tempus idoneum nacti, illam Epiſcopalem ſedem alicui ſuæ opinioni dedito tribuerent. quandoquidem dum Macarius maneret in vita, nouis rebus ſtudere cœperunt illi quidem; ſed cum ab eo eſſent ea de cauſa ab Eccleſia ſegregati, conquieuerunt.] hæc de Maximi in locum Macarij ſubſtitutione Sozomenus: quot vero annis ſederit, dicemus in eius obitu. B C D

a Martyrolog. Rom. 10. Martij.
b Sozom. lib. 2. c. 19.
MAXIMVS EPISCOP. HIEROSOLYMITANVS.

Quod autem ad ciuilem ſtatum ſpectat: hoc item anno, iiſdemque Conſulibus, Conſtantinus Imperator inuigilans ex more, ne prouinciales a prouinciarum Rectoribus comprimerentur variis pecuniarum indebitis exactionibus, eiuſmodi Chriſtiano Principe dignam edidit ſanctionem[c]:

c l. 1. de offic. Rect. prouinc. Cod. Theod.
MAGISTRATVVM AVARITIA COHIBETVR.
* ob inducendũ

Ceſſent iam nunc rapaces Officialium manus, ceſſent inquam: nam ſi moniti non ceſſauerint, gladiis præcidentur. Non ſit venale Iudicis velum, non ingreſſus redempti, non infame licitationibus ſecretarium, non viſio ipſa Præſidis cum pretio. Aequæ aures iudicantis pauperrimis ac diuitibus referentur. Abſit ab inducendo* eius, qui Officij princeps dicitur, deprædatio. Nullas litigatoribus adiutores eorumdem Officij principum concuſſiones adhibeant. Centurionum, aliorumque Officialium, parua magnaque poſcentium, intolerandi impetus oblidantur; eorumque qui iurgantibus Acta reſtituunt, inexpleta auiditas temperetur. Semper inuigilet induſtria Præſidalis, ne quidquam a prædictis generibus hominum de litigatore ſumatur. Qui ſi de ciuilibus cauſis quidquam putauerint eſſe poſcendum: aderit armata cenſura, quæ nefariorum capita ceruiceſque detruncet: data copia vniuerſis qui concuſſi fuerint, vt Præſidum inſtruant notionem. Qui ſi diſſimulauerint: ſuper eodem conquerendi vocem omnibus aperimus apud Comites cunctos prouinciarum, aut apud Præfectum prætorio, ſi magis fuerit in vicino; vt his referentibus edocti, ſuper talibus latrocinijs ſupplicia referamus. Dat. Kalend. Nouembris, Conſtantinopoli, Baſſo & Ablauio VV. CC. Coſſ.] ſub quibus etiam aliæ Imperiales leges datæ habentur, ſed nihil ad rem. Porro quòd prohibet Iudicis velum eſſe venale; aduerſus eos qui aliquid a litigatoribus exigebant, vt admitterentur ad Iudicem, pœnam intendit: vocabantur hi Admiſſionales, vnde Lampridius dicit de Alexandro, quòd ſalutaretur quaſi vnus de Senatoribus, patente velo (quod Italice, portiera, dicimus) remotis Admiſſionalibus. E

Secretarium

A Secretarium vero locum fuisse vbi Iudices causas audirent & cognoscerent, cum ex pluribus legibus, tum etiam ex Actis martyrum superius recitatis perspicuum redditur.

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
332.	19.	27.

QVi sequitur annus Christi trecentesimus trigesimussecundus, Consulibus Ouinio Pacatiano & Mecilio Hilariano annotatus est Fastis. Quo tēpore cum Imperator Constantinus Dalmatio delegasset causæ cognitionem, qua S. Athanasius Episcopus Alexandrinus B a Meletianis reus homicidij fuerat constitutus; ipse Iudex impigre negotium gerens, Athanasio scripsit, vt se ad defensionem pararet: qui tandem rem tantam minime negligendam existimans, Thebaidem, vbi esse Arsenium audierat, quem a se occisum Meletiani, duce eorum primo Episcopo Ioanne, fuerant calumniati, diaconum suum exploratum misit. Hæc quidem ipse Athanasius recenset his verbis [a]: Dalmatius Censor * igitur mihi perscribit, vt me pararem ad criminis defensionem. Ego autem, litteris acceptis, principio eius rei nullam curam feci, eo quòd mihi conscius essem, nihil veri ab illis dici: sed tamen quia Imperator commotus erat, certiores eius rei facio comministros nostros in sacris per Aegyptum; et diaconum amando, qui de Arsenio cognosceret, quem intra quinque vel sex annos prorsus non videram. Is, vt compendio loquar, primum quidem in Aegypto, dum ibi occultaretur, repertus est.] hæc ipse. Quo modo autem repertus sit viuere, idem inferius declarat ex Meletiano- C rum litteris, quibus istæc præmittit: Iam ideo eum occultatum fuisse, vt cædem verisimilem facerent, testantur eius familiares: quorum Pinnes, reperto tandem post longam inuestigationem Arsenio, ad Ioannem histrionem istius sycophantiæ in hunc modum scripsit:

DALMATIVS COGNOSCIT CAVSAM ATHANASII.

a Athanas. Apolog. 2.

* Cæsar

Dilecto Patri Ioāni, Pinnes presbyter domicilij Ptemēgyris, quæ est in Anteopolitæ Nomo.

Scire te volumus, Athanasium misisse Thebaidem diaconum suum, vt omnia scrutaretur ad Arsenium quærendum. Primum autem obuij, repertique Pecysius presbyter, Siluanus Heliæ frater, Tapenacerameus, & Paulus monachus, Hypseles, confessi sunt eum apud nos esse: id cum resciseeremus, curauimus illum in nauem conijci, vt ad partes inferiores cum monacho Helia aueheretur. Non ita diu post diaconus cum quibusdam superueniens, Arseniumque quærens, in nostras ædes irrupit: verum illum ablegatum iam ad partes inferiores, quemadmodum dixi, non inuenerunt; me autem cum monacho Helia, qui Arsenium aue- D xerat, secum Alexandriam deportauerunt, Ducique nos obtulerunt. ibi mihi minime licuit inficias ire, sed confessus sum eum viuere, & interfectum non esse. eadem quoque monachus, qui eum auexerat, fassus est. Hæc ideo tibi significaui, Pater, vt scires Athanasium tibi accusandum non esse: dixerunt enim eum viuere, & apud nos in abditis haberi, resque innotuit vniuersæ Aegypto, neque celari potest. Paphnutius monachus eiusdem domicilij hanc epistolam scripsi, plurimum te saluto, & valere opto.] in hunc modum illi, cum coram Iudice Alexandrino rem, vt se habuisset, confessi essent.

ARSENIVS QVÆRITVR.

Cum vero hæc sciisset Ioannes Episcopus & Meletianorū caput, Arseniū, quem nauigio in inferiorem Thebaidis partem diximus amandatum, per Nilum ad mare perductū, in externas regiones cōpulit nauigare: appulit nauis Tyrum, vbi sese iterū occultauit. Athanasius autem vigilantissimo studio, cuius semel vestigia inuenisset, exploratores perinde ac venaticos canes E post eum misit; et cum illum soluisse audisset a Nili ostiis, ne sic quidem e spe eum inueniēdi atque comprehendendi excidit; sed cum nauim illam Tyrum appulisse intellexisset, suos illuc misit. Hi vero tandem quæsitum diu Arsenium Episcopū inuenerunt, inuentumque stiterunt iudicio Pauli Orthodoxi eius ciuitatis Episcopi; vbi rogatus causam dicere, se Arsenium vere esse, confessus est, & totam de simulatione suæ necis ex Eusebij Nicomediensis consilio fabulam pandit. His igitur rebus gestis, Athanasius tanta calumnia liber, litteras dedit ad Constantinum Imperatorem, quibus totius commenti catastrophen declarauit. istæc omnia idem Athanasius in Apologia citata superius sic summatim enarrat [b]: Is (nempe Arsenius) vt compendio loquar, primum quidem in Aegypto, dum ibi occultaretur, repertus est: postmodum eumdem Tyri se abstrudentem nostri inuenerunt. Et quod mireris: repertus, deprehensusque noluit se agnoscere Arsenium esse, nisi in iudicio a Paulo eius loci Episcopo conuictus: ab eo enim tempore pudore impeditus, seipsum negare non est ausus. Id autem ideo faciebat, quòd pacta Eusebio seruata cuperet; ne, se reperto, argumentum fabulæ dissolueretur.]

ARSENIVS AD LOCA REMOTA AMANDATVR.

b Athanas. Apolog. 2.

ARSENIVS INVENITVR.

Sed quo modo his omnibus ad veritatis lucem perductis, Athanasius cum hisce testificationibus & Arsenij confessione Macarium diaconum suum Constantinopolim ad Imperatorem miserit; et ille, re comperta, publicis litteris toto Orbi voluerit Athanasij innocentiam innotescere; dicemus anno sequenti: in his enim præsens annus & eo amplius insumptus esse putatur. A

Porro quod ad Arsenium spectat: hallucinati plane de eo esse reperiuntur, qui eum clericum lectorem, vel presbyterū nominant [a]: nam cum & Athanasij testimonio pluribus in locis, & ipsiusmet Arsenij professione in epistola quā post hæc ad Athanasium scripsit, luce clarius, eum Episcopum fuisse, reddatur: de his nullus est locus vel minimum dubitandi. Addit quoque Sozomenus [b] de Arsenio: ipsum ob perpetratum olim immensum quoddā facinus, sese ab Athanasij oculis subduxisse; ex cuius latebris, ad struendā Athanasio de homicidio calumniā, occasionē sumpsisse Meletianos, illaq. vsos esse, immo etiam magicarum præstigiarū eumdem Athanasium accusasse, quòd ea de causa Arsenium interfecisset, vt eius brachio ad incantationes vteretur. sed de magia calumniæ postea emersere. Cum autem complures eiusmodi historiam de Athanasio Meletianorum atque Eusebianorum calumniis circumuento sint prosequuti; nos ea potissimum conscribemus, quæ ipsemet Athanasius publico scripto, nempe Apologia, tamquam patentibus litteris ab omnibus inspiciendis, complexus est. quamobrem iure respuimus quæ ab aliis scripta repugnant historiæ ab ipso Athanasio enarratæ, vtpote cōtraria veritati: cuiusmodi illa esse videntur, quæ a Socrate [c] de inuentione Arsenij facta Tyri, his verbis enarrantur: Factum est Dei prouidentia, vt Arsenius etiam Tyrum aduentaret: nam neglectis mandatis, quæ calumniatores, qui ei pecunias largiti fuerant, dedissent, ex occulto ad res quæ ibi gererentur cognoscendas accedit. Euenit, vt famuli Archelai viri Consularis in taberna ex quorumdam sermone intelligerent, Arsenium, quem rumor erat interfectum esse, illic in hominis cuiusdam ædibus clam delitescere: quæ cum accepissent, eosque qui narrabant, diligenter notassent, ea quæ audierant, ad dominum suum referunt. Ille extemplo, omni abiecta cunctatione, hominem conquirit, conquisitum inuenit, inuentum in loco tuto concludit: Athanasio significat, vt bono animo sit, &c.] Attamen vtcumque demus, vtrumque accidere potuisse, vt exploratores ab Athanasio missi, per famulos Archelai Arsenium inuenerint: certe quidem id contigisse, cum Tyri Concilium haberetur (quod abhinc tertio anno, Athanasij testificatione, celebratum constat) a veritate prorsus alienum est; id enim & quæ singulis annis dicentur inferius, manifestissime declarabunt. Sicut & ab omni prorsus scopo veritatis abhorret, quod apud Epiphanium legitur [d], post Constantini Imperatoris obitum, temporibus Constantini, Constantij, & Constantis filiorum Augustorum, Arsenium esse repertum. Hæc igitur nisi recta temporum ratione distinguantur, quamtumlibet appareant veritate perspicua, redduntur tamen varia scriptorum narratione obscura admodum atque perplexa. At prosequamur cetera ab eodem Athanasio quo sunt facta ordine recensita.

B C D

[a] Sozom. lib. 2. c. 22. & alij eum sequuti. Epiph. hæres. 58.
[b] Sozom. vbi supra.
[c] Socrat. lib. 1. c. 21.
[d] Epiph. hæres. 68.

QVAE CONFVTENTVR DE ARSENIO SCRIPTA.

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
333.	20.	28.

CHristi anno trecentesimo trigesimotertio, Dalmatius* atque Zenophilus Consules creati sunt: quo S. Athanasius, cum de inuento Arsenio Episcopo, quem ab ipso occisum calumniati fuerant aduersarij, cuncta exacte explorata, liquidoque probata habuisset; mittit Macarium suum diaconum Constantinopolim, qui Constantinum Imperatorem ea de re grauissime antea commotum, reddat de omnibus certiorem. At Imperator his acceptis, Dalmatium, ad quem iam scripserat, a causæ cognitione cessare fecit, accusatores abire iussit, & pro Athanasio dignas litteras scripsit. hæc autem ipse Athanasius breui compendio in eadem Apologia his prosequutus est verbis [e]: Cum enim scripsissem Cæsari Arsenium repertum esse, & in memoriam reuocassem quæ de Macario Psammathiæ audierat; inhibuit iudicium Censoris*, litterasque misit, quibus nostri calumnias improbabat: Eusebianosque ad se in Oriente contra nos venientes, re infecta, abire iussit.] quas vero tunc idem Imperator Constantinus ad Athanasium litteras dederit, ipse recitat, easque intexuit in eadem Apologia; quæ sunt huiusmodi [f]: B

* Delmatius

LEGATIO MACARII AD IMP.

[e] Athanas. Apolog. 2.

* Cæsaris

[f] Apud Athanas. Apolog. 2.

Victor Constantinus Max. Augustus Papæ Athanasio.

Litteris tuæ prudentiæ perlectis, in eam veni sententiam, vt putarim te rescriptis nostris

A nostris adhortandum, vt populum Dei ad modestiam & misericordiam adduceres. Meo enim in animo hæc inter præcipua habeo, vt & veritatem colam, & in mente semper iustitiam conseruem, ijsq. potissimum gaudeam, qui recta via incedunt. De illis autem omni execratione dignis Meletianis, immanibus inquam & nefarijs hominibus, qui quasi apoplexia icti stupent, & solummodo inuidia & æmulatione & tumultibus ad scelera motum habent, nefariam suam mentem declarantes, ista mihi dicenda puto. Vides enim, homines illos, quos ipsi ferro interfectos aiebant, in medio versari, & vita frui. quo ipso nullum vmquam fuerit grauius præiudicium, quodq. tam clare eorum causam oneret, quàm eos, quos ipsi necatos asseuerabant, viuere, & luce frui, qui ipsi pro se causam dicere possunt. Deinde & id quoque additum fuit Meletianorum criminibus: te nefario impetu irrumpentem, rapientemq. poculum, quod in sacratissimo loco repositum erat, confregisse: quo scelere nullum vmquam profecto grauius esse posset, si quidem id ita factum & contestatum esset.] Apparet ex his plane, calumniam, quam Meletiani in Macarium diaconum Athanasij coniecissent; cum ille Ischyræ, vt vidimus, aperta testificatione purgatus esset, illos eamdē in Athanasium conuertisse, eumq. calicis perfractorem inclamasse. Vides insuper, lector, quantam adhiberi solitam esse vasis sacris reuerentiam & honorem Imperator demonstret; vt quantumlibet ea schismaticorum essent, tamen quòd sacro vsui inseruirent, tanta in æstimatione habenda esse putarit, vt facinus nullum hoc grauius admitti potuisse testetur. Sed subdit in eadem epistola Constantinus: CONSTANTINI LITTERAE AD ATHANASIUM. B VASA SACRA QVO IN HONORE HABITA.

At quodnam hoc genus criminationis? quæve ista desultoria personarum transmutatio, & reorum diuersitas, vt nunc in hunc, nunc in alium crimen conferant? quæ res ipsa luce lucidior est, ipsos tuæ prudentiæ insidias tetendisse. Denique quis iam deinceps homines istos tam multa ad noxam fingentes sequi velit? maxime cum ipsi seipsos in barathrum ducant; cumque in conspectu sit, eos fictarum & falsarum rerum accusatores esse? Vt iterum dicam: Quis eos sequi velit, & iter exitij præceps inire, in quo illi soli mortalium spem salutis auxilijq. constituunt? Si enim pura vellent conscientia ingredi, & bonæ mentis meminisse, & sanum animum induere; facile intelligerent, nullam ipsis opem a Dei prouidentia expectandam esse, cum se talium rerum æmulatores ad suam perniciem præbeant. Hanc igitur quam denuncio, non asperitatem, sed seueritatem iure appellauero. Postremo etiam illud adiungimus, vt operam des, quo ista quæ scripsimus, subinde ad populum recitentur; vt res ad omnium notitiam veniat; et præcipue vt illi qui ita agunt, & ad istum modum conuersantur, rescíscere possint, quòd ista, quæ nunc a nobis emendationis causa dicuntur, reipsa & factis demonstrantur vera esse. Iam cum in hoc negotio tanta sit malitiæ importunitas; certum habeant, me ita decreuisse, atque huius esse sententiæ: si quid tale iterum mouerint, non pro more Ecclesiarum, sed legibus publicis mea ipsa opera causæ cognitionem suscepturum: ac deinde cognoscent, se non solum humani generis, sed etiam diuinæ disciplinæ latrones esse. Deus te seruet, frater dilecte.] hactenus Constantini litteræ. IVSTA CONSTANTINI EXAGGERATIO. C D

Alias quoque eiusdem Imperatoris id genus litteras datas esse cuique patentes, epistola Alexandri Episcopi Thessalonicensis Athanasio adgratulantis, ad ipsum missa testatur: scripsit ad eum ipse, cum per Macarium diaconū Athanasij Legatum de rebus gestis Constantinopoli certior redditus esset: recitat easdem Athanasius hæc præmittens [a]: Quòd autem me de cæde Arsenij accusarint: ne multorum scriptis ad eam rem probandam vtar: sufficit si vnam dumtaxat Alexandri Thessalonicensis Episcopi epistolam, vnde & ceterorum existimes, apposuero. Ille enim cum sciret quæ de cæde Arsenij aduersum nos vulgo sparsa essent, non ignarus Arsenium viuere, istiusmodi epistolam scripsit: [a] Athanas. Apolog. 2.

E Domino dilecto filio vnanimi, & suo in sacris collegæ Athanasio, Alexander Episcopus in Domino salutem.] filium nominat Athanasium senior Alexander, ætatis causa, quem tamen Patriarcham sciret esse totius Aegypti. sed ad ipsam epistolam accedamus: ALEX. EPISCOPI THESSAL. LITTERAE.

Congratulor optimo Serapioni ita se sacris moribus exornare satagēti, & patris memoriam laudabiliorem efficienti. Consummatus est enim ille (vt alicubi dicit scriptura sacra) & non mortuus est: reliquit enim vitæ suæ monumentum. Quo igitur nos affectu esse erga eum, qui ita virum memoria dignum in se conseruat, existimas? quam tu domine, & sacram eius viri memoriam, & recentioris humanitatem cognitam habeas, per quē vnam solum a tua reuerentia epistolam accepi? Significaui igitur hoc ipsum tibi, vt scire posses domine, dilectū nostrum & diaconum Macarium litteris Cōstantinopoli huc ad me missis, ingenti me gaudio affecisse, dum mihi scriptis suis referret opprobrium dedecusq. Achabis sycophātæ de calumnia conuicti, quòd hominem viuum quasi interfectum sermonibus apud omnes diuulgasset. Condignam autem eum sua audacia mercedem a iusto Iudice cum sua cohorte relaturum esse, sacræ

litteræ

litteræ mentiendi nesciæ satis prædicant. Omnium Dominus te virum optimum quàm diutissime conseruet.] hæc Alexander. Eiusmodi autem aduersus Athanasium ab aduersarijs contextam calumniam, & probatam Athanasij innocentiam commemorat post alios Cyrillus Episcopus Alexandrinus in sua ad Theodosium Imperatorem Apologia, vbi ait [a]: Perseuerarunt hoc pacto seducentes multo tempore; donec Arsenius ille, qui absconditus fuerat, adhuc viuus deprehenderetur: atque ita vix tandem improbitatis ipsorum deprehensus est conatus. Erat enim sycophantia ista animis liberis, bonamq. conscientiam habentibus molesta & acerba, conciderateq. vehementer animus eorum quibus ista acciderant; et molestissimum erat indubitato frustra his qui nihil læserant, insidias passos esse.] Ceterum tam immane scelus bonum illud plane incomparabile subsequutum est, vt cum Arsenius ipse Episcopus, tum etiam Ioannes Antistes Meletianorum antesignanus, facti pœnitentes, supplices pro venia consequenda Athanasio litteras dederint, atque a schismate recedentes eidem se Catholica communione coniunxerint. Extant adhuc eiusdem Arsenij Episcopi litteræ ad Athanasium, qui eas recitat in Apologia his verbis conscriptas [b]: A B

[a] Cyril. Apolog. ad Theodos. Imp. in fin.

[b] Athanas. Apolog. 2.

ARSENII EPISCOPI LITTERAE SVPPLICES.

Athanasio beatissimo Pontifici Arsenius Episcopus ciuitatis Hypselitarum, cui aliquando præfuit Meletius, vna cum presbyteris & diaconis in Domino, S. P. D.

Et nos quoque diligentes pacem & vnanimitatem cum Ecclesia Catholica, cui tu per Dei gratiam præfectus es; volentesq. Ecclesiastico canoni pro veteri instituto subijci, scribimus tibi, Pontifex dilecte; promittimusq. in nomine Domini nos deinceps non communicaturos cum schismaticis, aut cum ijs, quibus nondum pax est cum Ecclesia Catholica, siue Episcopi sint, siue presbyteri, siue diaconi: neque cum illis in consilio coituros, neque litteras pacatas ad eos daturos, neque inuicem ab illis recepturos, neque citra tuam Metropolitani Episcopi sententiam vllum de Episcopis aut alio dogmate communi & Ecclesiastico decretum edituros, sed cessuros canonibus ante susceptis, ad exemplar & modum Episcoporum Ammoniani, & Tyranni e Plusiani, & reliquorũ Episcoporum. Præterea obsecramus tuam humanitatem, vt nobis quàm primum rescribas, & de nobis ad nostros in sacris collegas: indicesq. nos iam stare pristinis decretis, pacemq. agere cum Ecclesia Catholica, & regionum istarum Episcopis counitos esse: credimusq. tuis precibus, vt gratis & efficacibus apud Deum, istam pacem firmam indissolubilemq. perpetuo futuram secundum Dei voluntatem Domini omnium per Iesum Christum Dominum nostrum. Totum cœtum sacrorum virorum, qui sub tua iurisdictione est, nos & qui nobiscũ sunt, salutamus: et cum primum Deus permiserit, excurram ad tuam humanitatem. Valere te exopto multis temporibus, Pontifex beatissime.] sed rursum idem Athanasius: C

IOANNIS EPISCOPI MELETIANI POENITENTIA.

Maius autem & liquidius argumentum, nos calumnijs impetitos fuisse, Ioannis pœnitentia demonstrat, cuius testis fuit ipse Deo gratissimus beatæ memoriæ Imperator Constantinus: qui cum sciret qualia crimina Ioannes ad se detulisset, litterasq. eiusdem iam pœnitentiæ accepisset, in hunc modum scripsit: D

Constantinus Maximus Augustus Ioanni.] erat hic (vt sæpe dictum est) post Meletij obitum princeps Meletianorum, & illi in Episcopatu successor.

IOANNES EPISCOP. MELETI ACCERSITVR.

Ex animo mihi gratæ fuere tuæ prudentiæ litteræ: Iudex enim didici, quæ desiderabam scire, omnem te malitiam animi deposuisse, & cum Ecclesia, vt par erat, communicasse, & cum Athanasio Episcopo reuerendissimo quàm maxime in concordiam venisse. Certum igitur habeas, te a nobis collaudari, quòd relicta omni conferendæ manus cupidine, id quod Deo gratum erat, feceris. Vt igitur quæ concupisti, assequutus esse videaris, tibi permittendum putaui, vt ascenso publico vehiculo ad nostras stationes venias. Restat igitur, vt nihil cures, cum hæc epistola tibi facultatem publici vehiculi præbeat, vt quàm celerrime ad nos peruenias, & votis tuis implearis, nobisque conspectis, congrua fruaris lætitia. Deus te conseruet, frater dilecte. Hæc Constantinus. habuit conspiratio finem hunc, Meletiani igitur cum pudore recesserunt.] hactenus de his Athanasius. Quo modo autem per Eusebianos rursum inuersus fuerit ac perturbatus rerum status, dicemus anno sequenti. E

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
334.	21.	29.

A

SEquitur trecentesimus trigesimusquartus Domini annus, Optato & Paulino Consulibus: quo Eusebiani bellum aduersus Athanasium, iam pœnitentia Meletianorum præcipuorum Episcoporum aliquantulum consopitum, instaurant; de quo Athanasius [a] post enarratum exitum Meletianæ conspirationis hæc subdit: Eusebiani autem ne ita quidem quiescere potuerunt, eo quòd ipsis non Meletiani, sed Ariani curæ essent. Veritiq. igitur, ne Meletianis conquiescentibus, destituerentur huiusmodi calumniæ histrionibus; denuo eos in nos exasperant. Iterum Imperatori Synodum Tyri indicendam persuadent, &c.] Accessu enim illo Ioannis ad Imperatorem, cum ab eo, anno superiore, vt dictum est, euocatus fuit, occasio data est Eusebio atque alijs cum eo iterum agendi: tunc enim ipsum Ioannem iam reconciliatum Athanasio iterum persuadent ab eodem resilire, & cum veteres calumnias instaurare, tum nouas excogitare. Quid plura? talia tantaq. Eusebiani commenti sunt in Athanasiũ; atque adeo admiranda structura dolos & fraudes sibi inuicem iunctas cõcinnarunt, atque prætexerunt eo pietatis tegumento; vt Constantinum alioqui erga Athanasium ipsum propensiorem, hominisq. studiosissimum, a proposito mentis, velut incantatione magica quadam, auerterent, illiq. eum suspectum redderent; & plane dignum, qui coram Synodo Episcoporum reus constitutus causam diceret, ac proinde de Tyrio Concilio indicendo, eidem persuaserint.

[a] Athanas. Apolog. 2.

EVSEBIANI RVRSVS VRGENT ATHANASIVM.

B

Non possum vero non mirari nimiam Constantini animi facilitatem (sic dixerim potius, quàm leuitatem) quippe cum tot tantisque perspicuis omnibus iam redditis argumentis, aduersariorum Athanasij calumnias compertas habuerit, vtpote ipsorummet confessione sæpe testatas: adhuc tamen præbuerit aures scelestissimis illis, quos suæ ipsorum imposturæ crebro reddidissent infames: vt hac ex parte nihil propemodum sit, quo eum digne iusteque valeam excusare. Certe quidem nec laudator eius Eusebius Cæsariensis Episcopus id potuit præterijsse silentio, qui dum eius humanitatem commendat, hæc ait [b]: Pari ratione animus ei ad summum omnis humanæ perfectionis fastigium ascendit, omni virtutum genere exornatus, præcipue vero humanitate: quæ tamen propter improborum hominum in scelere licentiam a multis reprehensa est, cum in eis peccandi causam Imperatoris lenitati assignarent. Et quidem certe nosmetipsi comperimus duo non ferenda vitia temporibus illis viguisse: primum corruptelam vanam inexplebilium quorumdam & sceleratorum hominum, qui reliqua vita dissoluti erant: deinde aliorum inexplicabilem simulationem, qui specie quadam ficta prætextuq. Christiani nominis in Ecclesiam surrepebant. Imperatoris vero humanitas, bonitas, sincera fides, & morum constantia, ac veritas facile eum adduxerant, vt fidem haberet huic istorum in speciem fictæ professioni, qui opinione tantum Christiani sunt habiti: maxime quòd ijdem veram erga illum beneuolentiam, sed falsis ac fallacibus animis, conseruare simularent; quibus cum se credidisset, eiusmodi fortasse calumnijs longe aliter, quàm par erat, infamabatur: inuidia scilicet hanc labem reliquis eius se immiscente virtutibus. Sed hos non multo post diuinitus immissa pœna consumpsit.] hæc Eusebius. At quinam hi fuerint, quos ait diuina vindicta consumptos, haud facile est diuinare.

CONSTANTINI NIMIA FACILITAS.

C

[b] Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 54.

D

Ceterum quantumlibet eam Constantini animi facilitatem, qua facile improbi abuterentur, bonitati ipsius adscribat; haud tamen in Principe, cum præsertim eadem vtitur in rebus grauissimis, commendatione digna est, sed improbanda penitus, cum ex ea hæreticis atque schismaticis in Ecclesiam Dei virosq. sanctissimos debacchandi ansa tribuatur; vt factum vidimus a Donatistis, quos contra ius fasq. omne sæpius appellantes semper audiuit: et nunc ferme idem in causa Athanasij actitari videmus, quem cum iterum aduersariorum calumnijs manifeste nouerit circumuentum, & perspicue notum habuerit innocentem, quod & datis a se litteris publicis firmiter est contestatus atque professus: nihilominus tantum abfuit vt calumniantes Athanasium digno supplicio afficiendos curauerit, ac detestandos homines procul, vt par erat, ab humano consortio separauerit; quin potius ijsdem in eumdem rursum insurgentibus aures accommodauerit, atque ex eorumdem sententia, quidquid petijssent illi, decerneret, nempe Tyrium Conciliabulum, cui præsiderent omnes qui Ario olim manifeste fauissent, modo autem pœnitentiam simularent, in quo pariter detestabiles Meletiani sæpe conuicti agerent accusatores & testes. hæc autem laudet qui velit in Constantino; nos quidem certe commendare non possumus: sic enim comparati sumus, vt in historia veritatem potissimum

E

CONSTANTINVS IVRE REPREHENDITVR.

potissimum excolamus, abhorreamusq. ab Eusebij instituto, qui vt Ariano Principi adularetur, nempe Constantio, de eius patre Constantino, cum Vitam ipsius scripsit, laudibus dicendis totus intentus, multa (quod suis locis demonstrauimus) turpiter mentitus est. At de Tyrio hæreticorum Conuentu, sequenti anno, quo celebratum esse liquet, dicturi sumus. A

QVIBVS PERMOTVS CONSTANTINVS CONTRA ATHAN. AGERET.

Quid autem auribus Constantini insusurrasse potuerint Eusebiani, postquàm audissent Meletianorum principem Ioannem facti pœnitentem cum Athanasio iniuisse concordiam; aliud quod existimem nihil est, nisi ipsos iactasse Ioannem ab Athanasio blanditijs delinitum, pollicitationibus pellectum, & pecunijs etiam fortasse corruptum, vt a criminum obiectorum prosequutione desisteret; immo (quod significant Constantini litteræ de cogenda Synodo, paulo post recitandæ) Meletianos omnes Athanasij potentia esse compressos, & in magno periculo constitutos, vt nec fari præ timore auderent: rursum eosdem inculcasse, quæ propalata erant de inuento Arsenio, stropham esse, ab Athanasioque suppositum hominem, qui nomen assumeret, & referret Arsenij personam. hæc & alia plura ab impostoribus in Athanasium coagmentata, & miro artificio concinnata, credita verisimilia Constantino, reddiderunt animum eius ancipitem ac de Athanasij innocentia fluctuantem; quem & leui negotio ad illud primum impulerunt, vt eumdem Ioannem, a quo cuncta esset exploraturus, quantocius, publico impertito vehiculo, accersiret, datis ad eum litteris illis, quæ superius sunt recitatæ. Cum vero Constantinopolim ille ad Imperatorem venisset, ab Eusebianis quid transactum esset cum eodē Constantino, admonitus fuit: quem & ijdem rogarunt vt omnia ijsdem consentientia vocatus ab eo, firmiter diceret & affirmaret. Vt autem id faceret, pristinum initū inter ipsos aduersus Athanasiū fœdus ijdē in memoriam reuocasse putātur, & alia cōplura admiscuisse, quibus male obductam in Ioanne cicatricem confricantes, animū eius in Athanasium acrius concitarint: Accidisseq. tandem ex sententia, vt titubantem animum Constantini, ad id quod videbatur honestum, induxerint; nempe (quod dictum est) vt sacer Episcoporum cogeretur Conuentus, vbi præsente sancto Antistitum cœtu, more maiorum, quæ obijcerentur in Athanasium accusationes, proferrentur in medium; ipse vero iudicandus, si bonæ causæ fideret, præsens assisteret. hæc plane illi. Sed qualem delegerint locum ad Episcoporum Conuentum, & qui apostatarum & Ario fauentium cœtus accurrerit, ac quinam fuerint qui istæc Imperatori suggesserint, Theodoretus in primis narrat his verbis [a]: B C

a Theodoret. lib. 1. c. 28. & Sozom. lib. 2. c. 24.

At ne sic quidem impios Arianos puduit, sed aliam talem de integro texere fabulam aggressi sunt, qualem nemo veterum Tragicorum Comicorumve aliquando effinxerit: Nam accusatoribus ex sua ipsorum factione conductis, eos deducunt ad Imperatorem. Illi clamant, Athanasium virtutis athletam multa infanda scelera consciuisse. horum causam tutatus est Eusebius, Theognis, & Theodorus Perinthius (Perinthus autem hoc tempore Heraclea nominatur:) dicunt istas res adeo indignas, intolerabilesque, vt hominum aures eas audire refugiant. Proinde persuadent Imperatori, vt Cæsareæ Palæstinæ (ibi enim erant complures Athanasio infesti) Concilium conuocetur, iuberetq. in ea vrbe iudicium de Athanasio exerceri. Imperator autem illis, vtpote sacerdotibus, obsequutus (siquidem ignorabat penitus fraudulentos eorum conatus) quod postulauerant, fieri mandauit. Verum S. Athanasius, intellecto Iudicum odio, ad Concilium non venit. Ariani igitur, ansa inde ad calumniandum arrepta, & bello contra veritatem suscepto, præter alia nefanda facinora, tyrannidis præterea & contumaciæ eum coram Imperatore insimulant. Neque certe spes eorum frustrata est: nam Imperator alioqui mansuetissimus, eorum verbis ad iracundiam prouocatus, scripsit ad Athanasium epistolam, qua & bilem suam aperuit; et ei, vt Tyrum peteret, mandauit. Etenim quoniam suspicabatur (quemadmodum ego censeo) Athanasium Cæsareæ propter illius vrbis Antistitem minime velle comparere; idcirco iussit vt Concilium Tyri cogeretur.] Hoc plane anno, qui præcessit Conuentum Tyrium, ex Imperatoris mandato iussum esse conuocari Concilium Cæsareæ Palæstinæ; Athanasium vero, licet litteris Imperatoris accersitum, ire noluisse, quòd detrectaret subire iudicium Eusebij eius ciuitatis Episcopi, & aliorum Arianorum; Sozomenus affirmat [b]. D E

EVSEBIANI DOLOSE PETVNT CONCILIVM.

b Sozom. lib. 2. c. 24. in princip. & in fin.

c Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 41.

PRAETENSAE CAVSAE CONCILII COGENDI.

Cogendi autem Tyri Concilium, illam quoque causam prætexerunt, nimirum vt Basilicam famosissimam illic erectam Episcopi dedicarent: quod testatur Eusebius, dum illud Conciliabulum malignantium perinde ac Oecumenicum quoddam Concilium celebrās, ait [c]: Sed virtutis hostis inuidia etiam hac in re quasi tenebricosam nebulam clarissimis Solis luminibus offundens, per controuersias quasdam, turbatis denuo Aegyptijs Ecclesijs, institutæ huius celebritatis splendorem obscurare conata est] nempe Tricennalium solemni-

A ſolemnitatem, quæ ſequenti anno trigeſimo Conſtantini celebrata eſt, quo anno ipſum (vt dicemus) contigit Tyrium Conuenticulum peragi. ſubdit autem: Sed Imperator omni cura & cogitatione in Deum defixa, collegit ex omnj Aegypto, Aſia, Africa, Europa frequentem Epiſcoporum cœtum: eumq. tamquam Dei exercitum armis contectum obiecit huic inuido diabolo: mandauitq. primum, vt quàm celeriter renouatæ contentionis finem facerent; deinde vt Martyrum domum, de qua dixi, conſecrarent; obiterque, vt in Phœniciæ metropoli conceptas rixas delerent. Non enim licere ſententijs & opinionibus diſſentientes, ad diuinum cultum adeſſe: quòd in diuina lege diſertis verbis editum ſit [a], non debere ſecum diſcordantes munera prius ſua offerre, quàm amicitia reconciliata, ad mutuam pacem gratiamq. redierint. His ſalutaribus præceptis Imperatoris animus intus cum recrearetur; omni vt conſenſione concordiaque inſtitutum perſequerenrur, litteris ſuis in hanc fere ſententiam B ſignificauit [b]: a Matth. 5.

b Euſeb. Vit. Conſtantin. lib. 4. c. 43.

Victor Conſtantinus Maximus Auguſtus ad ſanctam Synodum Tyri congregatam.

CONSTANTINI LITTERAE DE SYNODO CELEBRANDA.

Erat fortaſſe conſentaneum, & ad præſentis temporis opportunitatem maxime accommodatum, carere omni contentione Eccleſiam Catholicam, & Chriſti ſeruos ab omnibus rixis ſolutos ac liberos eſſe. Sed quoniam nonnulli ſceleratæ cuiuſdam contentionis furore incitati, ac (ne quid grauius dicam) vitam ſua profeſſione indignam agentes, omnia turbare & miſcere conati ſunt (quod ſcelus ſuper omnem calamitatem mihi ſane poſitum eſſe videtur) propterea vos veſtra (vt eſt in prouerbio) ſponte currentes hortor, vt nulla interpoſita mora, ſed omni qua poſſitis celeritate, in vnum locum confluentes, Synodum inſtituatis, & egentibus opem feratis, in periculo poſitis fratribus medicinam adhibeatis, diuulſa membra ad conſenſionem reuocetis, & rata omnia interea emendetis, dum ipſum tem- C pus ferat, vt hiſce tantis prouincijs, quæ maxime decet, concordiam reſtituatis, quam (o futiles ineptias) paucorum hominum deleuit arrogantia. Nam & hoc Deo totius vniuerſitatis Domino gratum, vt nobis quauis re vel optatiſſima magis iucundum, & vobis ipſis, ſi concordiam & pacem reuocaueritis, magnæ gloriæ, vel omnium mortalium iudicio conſenſuque futurum, plane arbitror. Nolite igitur cunctari, ſed acerrimo ſtudio his quibus decet terminis præſentes controuerſias definite, vtpote qui cum omni puritate & fide coijſtis, quam in omni cœtu prope clariſſima voce Saluator noſter, cui ſeruimus, in primis flagitat. Nihil vero, quod eſt noſtrarum partium noſtræque prudentiæ, deerit: nam quæ litteris mihi veſtris ſignificaſtis, omnia curaui: ſcripſi ad quos volebatis Epiſcopos, vt veſtras curas & ſolicitudines præſentia & laboribus ſuis adiuuarent.

D Miſi etiam Dionyſium Conſularem, vt omnium rerum gerendarum eos admoneat, qui veſtræ Synodo adeſſe debent: maxime vero, vt idem animaduerſor ſit & cuſtos conſeruandæ æquabilitatis & ordinis. Quòd ſi quis (quod equidem non futurum arbitror) reiecto & ſpreto mandato noſtro, adeſſe noluerit: delegabimus aliquem, qui regia illum auctoritate in exilium eiectum docebit, hominem minime decere ſummi Imperatoris præceptionibus ad tuendam veritatem editis repugnare. De cetero veſtræ ſanctitatis partes ſunt, non odio, vel gratia vlla, ſed conſentientibus ſtudijs, ſecundum Eccleſiaſticam & Apoſtolicam regulam omnibus erratis errore aliquo admiſſis propriam curationē adhibere: vt & omni aliena contumelia Eccleſiam liberetis, & meas curas alleuetis; et rebus turbatis per vos conſtitutis, maximam vobis ipſis gloriam comparetis. Deus vos conſeruet, fratres dilecti.] hactenus Conſtantini epiſtola de conuocanda Tyri Synodo apud Euſebium: recitat eamdem E Theodoretus [c]. Quinam vero conuenerint, quotve numero, & reliqua Acta Synodi, anno ſequenti, quo celebrata fuit, dicemus.

c Theodoret. lib. 1. c. 29.

Iiſdem Conſulibus quamplures a Conſtantino leges ſancitæ reperiuntur, & inter alias illa pro miſerabilibus perſonis, pupillis, viduis, debilibus, & ægrotantibus, ne ab vllo Iudice compelli poſſent [d] Imperatorem adire. Fauit & militibus in expeditione poſitis in teſtando, vt eorum vltima voluntas rata habenda eſſet, licet in vagina, vel clypeo, vel in puluere ſcripta foret [e]. At nos Eccleſiaſtica proſequamur.

d L. 2. de offic. omn. Iud. Cod. Theod.

e L. 15. C. de teſt. milit.

A

IESV CHRISTI ANNVS	SILVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
335.	22.	30.

CONCILIABVLVM TYRIVM QVALE.

TRecentesimus trigesimusquintus Christi annus Constantio & Albino Consulibus annotatur, celebris Tricennalium Constantini Imperatoris solemnitate: quo ab Eusebianis aduersus Athanasium Episcopum Alexandrinum Tyri in Phœnicia Conciliabulum celebratum est, conspirantibus vna cum eis schismaticis Meletianis: Conciliabulum plane dixerimus, atque conuentum malignantium, non ex nostra tantum, sed maiorum sententia, atque Synodali testificatione sanctorum Patrum: in litteris enim Concilij Alexandrini paulo post celebrati hæc scripta leguntur apud S. Athanasium [a]: At præclari Eusebiani, quo veritatem, B scriptaq. sua obliterent, nomen Synodi suis Actis prætexunt, cum res ipsa negotium Imperatorium, non Synodale haberi debeat: quippe vbi Comes præsideat, & milites Episcopos suo satellitio cingant; & Imperatoria edicta, quos ipsi volunt, coire compellant.] et paulo post: Si enim veluti Episcopi sese Iudices volebant esse: quid opus erat vel Comite, vel militibus, aut edictis ad coeundum Imperialibus? Quòd si Cæsare indigebant, & ab eo Acta robur accipere voluerunt: quo iure ipsi iudicium Cæsaris irritum fecere? aut qua de causa, cum Cæsar Meletianos & calumniatores & nefatios non sine detestatione ob cædem de viuo homine confictam: Athanasium vero innocentissimum suis scriptis pronunciarit; ipsi Meletianos verum dicere, & Athanasium reum esse definiunt?] hæc ibi: quæ ante omnia pro foribus Synagogæ Satanæ tamquam nobilem de rebus in ea gestis titulum voluimus affixisse.

a Athanas. Apolog. 2.

C

TEMPVS CONVENTVS TYRII.

Rursum vero de eodem acturi Concilio: quod ad rectam temporis rationem consignandam ex more pertinet: hoc ipso anno eiusmodi conuentum malignantium fuisse collectum, Eusebij in primis auctoritate probatur, dum ait [b], ipsis Tricennalibus Imperatoris, tum Tyri, tum etiam Hierosolymis eosdem Episcopos conuenisse, tum (vt dictum est) dedicationis ecclesiarum occasione, tum etiam componendi (vt ait) discordias obortas inter Aegyptios. Rursum autem id etiam cōpertissimum redditur ex epistola Ecclesiæ Mareoticæ in Aegypto, dum Tyri Synodus ageretur data sub huius anni Consulibus: nam in fine istæc habet [c]: Consulibus Iulio Constantio illustrissimo Patricio, fratre religiosissimi Constantini Augusti, & Ruffino Albino, clarissimis & Deo gratissimis viris.]

b Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 11. 12. 13. 14.

c Apud Athanas. Apolog. 2.

QVOT ET QVALES EPISCOPI CONVENERINT TYRI.

His igitur de certo Synodi anno exploratis redditis; de numero Episcoporum, & ipsis qui interfuerunt Episcopis, agendum est. Nullus certus numerus ab Eusebio definitur; sed res D suas atque suorum ostentare solitus (dum ait, illuc conuenisse Episcopos ex Asia, Africa, & Europa) visus est demonstrare eiusmodi fuisse Conuentum amplissimum, atque propemodum Concilio Nicæno non imparem; cum tamen nòn nisi sexaginta omnes numero fuisse testetur Socrates [d], nec inter eos ex Occidentalibus aliquem; sed illos tantum præsto fuisse Episcopos, quos Eusebius & Eusebiani aduocandos esse, Constantino persuaserunt: nam ipse ad eos litteris superius recitatis: Scripsi (inquit) ad quos volebatis Episcopos, vt vestras curas & solicitudines præsentia & laboribus suis adiuuarent.] At quinam fuerunt hi? Omnes prope qui Ario studuissent tempore Nicæni Magni Concilij, vel postea eius fautoribus inhæsissent, sententia Ariani; qui tamen (quod deterius erat) vt deciperent Imperatorem, se Catholicos & hostes Arianæ hæreseos, atque aliarum omniū, & Ecclesiæ pacis studiosissimos esse profiterentur: pulchro enim pacis nomine, & concordiæ Catholicæ optata spe pellexerant Constantinum, non tantum ad eiusmodi Synodum congregandam, sed ad cuncta, ne quid accidere in ea posset, quod pacem, quam pollicebantur, perturbaret, ex sua ipsorum sententia faciendα. Qui autem Tyri conuenerunt Eusebiani, Arium intra animum babentes inclusum, ab Athanasio [e] atque Theodoreto [f] nominantur, Eusebius Nicomediensis totius impietatis choreæ ductor, eius gentilis Eusebius Cæsariensis illi perfidia atque astu non impar: præsidebant hi Synagogæ Satanæ veluti Iudices audituri accusationes in Athanasium; quibus inhærebant Theognis Nicænus, Mares * Chalcedonensis, Asclepius Gazæ, Theodorus Laodiceæ, Patrophilus Scythopolitanus, Narcissus Ptolemaidis, Valens & Vrsacius Episcopi in Pannonia, Macedonius, Flacillus, & Georgius, qui ab Alexandro Episcopo Alexandrino ob scelus perpetratum fuerat depositus a sacerdotio, & alij ex Meletianorum factione selecti, quos ad expugnandam aditu clandestino fidem Catholicam Eusebij impietatis tuba collexerat.

d Socrat. lib. 1. c. 20.

E

e Athanas. Apolog. 2.

f Theodoret. lib. 1. c. 28.

* Maris

Ex eorum

A Ex eorum quoque voluntate factum eſt, vt prætextu quodam comprimendi tumultus, & imperandi, cum opus eſſet, ſilentij, coercendæq. procaciæ inſolentium, miſſus fuerit ab Imperatore cum militari manu Dionyſius Comes; reuera vt expugnaret innocentiam, & cum ea innocentes opprimeret, & ſecretum aditum Athanaſij hoſtibus ad oppugnandam fidem Catholicam aperiret. Hunc illum puto Dionyſium, ad quem Tyri publicatum extat Conſtantini reſcriptum de famoſis libellis [a]: diu enim ibi ipſum verſatum cum Paulino Tyri Epiſcopo Arij fautore aſſueuiſſe, opinio eſt, delectum plane hominem qui eiuſdem cum ipſis ſententiæ foret, & in idem facinus conſpiraret: Archelaum quoque Orientis Comitem eo miſſum eſſe, qui cum Dionyſio Concilio præſideret, Ruffinus eſt auctor [b]: ſed de eo nihil apud Athanaſium aliosve antiquos ſcriptores. Ceterum ſic cuncta ex Arianorum voluntate compoſita atque diſpoſita ſunt, vt non Epiſcoporum Concilij, ſed fori
B Præſidis præſeferret imaginem, & ſpeciem repræſentaret apparituræ fiſcalis: ſtipabant omnia armati ſatellites, catenarumque audiebatur ſtridor, hoſtium quoque auribus permoleſtus. Perductus eſt enim illuc Macarius Alexandrinæ Eccleſiæ diaconus, antea miſſus, vt dictum eſt, Conſtantinopolim Legatus ab Athanaſio; et ipſe ad id prædonum conuenticulum minacibus litteris accerſitus vinctus adducitur. Id quidem Athanaſius ipſe teſtatur his verbis [c] poſt recitatam Meletianorum reſipiſcentiam: Denuo eos (nempe Meletianos) Ariani in nos exaſperant, iterum Imperatori Synodum Tyri indicendam perſuadentes, ad quam & Comes Dionyſius miſſus eſt, Euſebianiſque ſatellitium militare additum: eodem Macarius, ſed vinctus per milites deductus eſt: mihi ſcribitur, vt adſim; atque adeo neceſſitas veniendi iniungitur, vt niſi venirem, inuitus adducerer.] hæc ipſe.

DIONYSIVS COMES PRAESES SYNODI.

a l.4. de famoſ. libell. C. Theod.

b Ruffin. lib. 1. c. 16 & 17.

QVALIS SYNODI FACIES.

c Athanaſ. Apolog. 2.

C Qui igitur Imperatorijs litteris fuerat conuocatus S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus, non vt Synodo præſideret, vt par erat, vtpote ſecundæ ſedis Epiſcopus, & dignitate omnium qui aderant primus, ſed vt reus ad dicendam cauſam, ſententiam expectaturus aſtaret; venire ne deberet, diu multumque animo & mente verſauit. Ceterum quod apud Sozomenum legitur [d], Athanaſium, licet grauiter vrgeretur, profectionem diſtuliſſe vſque ad triginta menſes circiter; textum eſſe deprauatum exiſtimo, atque reſtituendum, ad tres circiter menſes fuiſſe remoratum: nam hoc ipſo anno Synodum cœptam eſſe, atque pariter abſolutam, inde vero Hieroſolymam euocatam ad templi dedicationem, omnes affirmant. et licet (quod ait Sozomenus) primo iuſſus eſſet idem Athanaſius ad Synodum proficiſci Cæſaream: tamen cum nec id potuerit niſi anno ſuperiori contigiſſe, quo eadem indicta Synodus fuit; nihil eſt quòd quauis ratione ab Athanaſij vocatione vſque
D ad eius Tyrum aduentum poſſit intercludi ſpatium triginta menſium. Venerunt pariter cum Athanaſio Aegyptij Epiſcopi quadragintaſeptem, quorum nomina ſubſcripta habentur in fine epiſtolæ ipſorum, quam cum Tyri eſſent, ſcripſerunt, & ab Athanaſio in ſua Apologia intexta eſt [e]; inter quos & magnus ille Potamon Epiſcopus confeſſor, de quo ſuperius dictum eſt, legitur, necnon celebris ille nomine Paphnutius & ipſe confeſſione ſpectatus.

d Sozom. lib. 2. c. 24.

ATHANASIVS CVM SVIS VENIT TYRVM.

e Athanaſ. Apolog. 2.

Acceſſit igitur Tyrum Athanaſius; ne, ſi abeſſet, videretur cauſæ diffidere, & aduerſarijs anſam præberet in ipſum vehementius inſultandi, & perſuadendi Imperatori, ipſum ſibi male conſcium iudicium Synodi ſubterfugiſſe. Cum vero illuc perueniſſet, & in Synodum ingreſſus eſſet; nullus ei penitus, vbi ſederet, datus eſt locus, cui primus omnium ob Alexandrinæ ſedis prærogatiuam debebatur; ſed tamquam reus (pro ſcelus!) co-
E ram accuſatoribus iuſſus eſt ſtare. At ſanctus Potamon id minime paſſus, ſed in Euſebium Cæſarienſem Epiſcopum ſedentem vt Iudicem magna libertate inuectus eſt. rem vero tum geſtam S. Epiphanius narrat his verbis [f]: Iubet autem (Conſtantinus nempe) vocari Synodum in Phœnice in vrbe Tyro: et iuſſit iudicare hanc cauſam Euſebium Cæſareæ Epiſcopum, & alios quoſdam: erant autem hi quodammodo magis inclinati ad Arianorum vanitatem. Et vocati ſunt Epiſcopi Aegypti Catholici, & ſub Athanaſio principes quidam ac maiores & in Deo illuſtrem vitam habentes, inter quos erat beatus Potamon, magnus ille Heracleæ Epiſcopus & confeſſor; ſed & ex Meletianorum partibus, hi qui Athanaſium accuſabant. Cum autem zelotes eſſet pro veritate & recta fide prædictus beatus Potamon, liberum habens os, & qui numquam perſonam alicuius ſuſcepit; oculo enim in perſecutione propter veritatem orbatus erat: cum vidiſſet Euſebium ſedentem & iudicantem, & Athanaſium ſtantem, ſuperatus triſtitia, & lacrymans ob ea quæ aduerſus veritatis profeſſores fiunt, inuectus eſt voce magna contra Euſebium, & dixit:

NVLLVS SEDENDI LOCVS ATHANASIO IN SYNODO DATVS.

f Epiphan. hæreſ. 68.

POTAMONIS EPISC. IN EVSEB. CAESAR. INVECTIVA.

Tu ſedes Euſebi, & Athanaſius innocens ſtans a te iudicatur? quis tulerit talia? Dic mihi tu: Nonne mecum fuiſti in carcere tempore perſecutionis? Et ego quidem oculum amiſi pro veritate: tu vero nihil mutilatum in corpore habere videris, neque teſtimonium propter confeſſionem tribuiſti, ſed ſtetiſti viuens, nulla parte detruncata. Quo modo diſceſſiſti e carcere; niſi quòd promiſiſti ijs qui neceſſitatem nobis perſecutionis intulerunt, id quod nefarium eſt, te facturum eſſe, aut ſane feciſti? Hæc vbi audiſſet Euſebius, indignatione quidem commouebatur, & ſurrexit, ac diſſoluit iudicium, dicens: Si huc veniſtis, & contra nos talia dicitis: profecto vera dicunt accuſatores veſtri. Si enim hic tyrannidem exercetis, multo magis in patria veſtra hoc facitis.] hucuſque Epiphanius: quæ autem poſt hæc ſubdit, poſtea (vt dicemus ſuo loco) contigerunt. A

[a] Apud Athanaſ. Apolog. 2.

EVSEBII SCELVS DETECTVM.

Mentio quoque eſt apoſtaſiæ Euſebij Cæſarienſis in epiſtola Synodali Epiſcoporum Aegypti, cum de Conuentu Tyrio agentes Patres illi ſanctiſſimi, qualis ille fuerit, ſic deſcribunt[a]: B Quis enim ibi Conuentus Epiſcoporum, aut conſeſſus veri ſtudioſus? Quis non ex pleriſque noſter inimicus? Nonne Euſebius, Euſebianiq. ſtudio Arianiſmi ad id Concilium perrexerunt, reliquis eiuſdem ſecum ſententiæ adductis? Nonne & nos contra eoſdem homines eo nomine, quòd Arianæ opinionis eſſent, ſcripta euulgauimus? Nonne Euſebius Cæſarienſis de immolatione idolorum a noſtris confeſſoribus accuſatus fuit? Numquid non de Georgio probatum fuit, eum ab ordine ſui ſacerdotij a beato Alexandro eiectum fuiſſe? Nonne ceteri de alijs atque alijs criminibus notam cenſuramq. paſſi ſunt? Quo iure igitur iſti contra nos Synodum vllam conſtituere potuerunt? Aut qua fronte talem conuentum, Synodum, appellare audent, cui Comes præſedit, & vbi ſpiculator apparebat, & Commentarienſis ſiue Carcerarius pro diaconis Eccleſiæ aduentantes introducebat? vbi Comes verba faciebat, ceteri præſentes in ſilentio erant, vel potius Comiti obſequium ſuum accommodabant? vbi quod C communiter Epiſcopis placuit, ab illo impediebatur? Ille imperio vrgebatur: nos a militibus ducebamur, vel potius iuſſis Euſebianorum ſententijsq. ipſe Comes inſeruiebat. In ſumma, dilectiſſimi, quæ ſpecies ibi Synodi, vbi vel cædes, vel exilium, ſi Cæſari placuiſſet, conſtituebatur?] in hunc modum de Conuenticulo Tyrio Alexandrina Synodus Orthodoxorum Patrum. ſed ad ipſa Acta Tyria redeamus.

[b] Athanaſ. Apolog. 2.

PARTES MELETIANORVM ET EVSEBIANORVM IN SYNODO.

Ingreſſus (vt diximus) Synodum Athanaſius, & cum eo Aegypti Epiſcopi; ipſe nomine omnium de ſuſpectis Iudicibus conqueſtus, ac pariter conteſtatus eſt non debere deligi in cauſa inimicos Iudices: teſtati enim ſunt hæc ijdem Catholicæ communionis Epiſcopi eo libello, quem poſtea Synodo obtulerunt[b], quem ſuo loco ponemus. quin & ipſe de ijſdem in ſecunda Apologia: Ita, inqnit, inſidias inter ſe partiti ſunt, vt iſti (nempe Meletiani) accuſationem, iſti (nempe Euſebiani) officium iudicandi ſibi vendicarent. Nos igitur Euſebianos, vt D inimicos nobis ob hæreſin, ab hac lite reiecimus, &c.] Sed cum minime audiretur, & Meletiani accuſatores Iudicum fauore audentiores facti, in medium prodeuntes, in Athanaſium accuſationes inferrent: ipſe veritate fretus, & alij Orthodoxi qui aderant certi de innocentia eiuſdem Athanaſij, etiam coram hoſtibus talia iudicari paſſi ſunt; exiſtimantes, quantumlibet inimici eſſent, non tamen in publico Conuentu (qui vtcumque eſſet, retineret ſaltem nomen Concilij) Iudices graſſaturos fore more latronum, ſed manifeſtiſſima dilutione obiectorum criminum rubore ſuffundendos, & cum eis pariter Dionyſium Comitem confundendum, ſi quid modo a natura inſitæ quibuſcumque hominibus æquitatis eorum animis inſideret. Sed quænam crimina in Athanaſium obiecta tum fuerint, videamus.

CRIMINA IN ATHANASIVM OBIECTA.

Veteres in primis accuſationes illæ, quæ aduerſariorum quoque confeſſione calumnioſæ fuerūt comprobatæ, & litteris Conſtantini Imperatoris adeo improbatæ, atque reiectæ, iterum E afferuntur in medium. At quiſnam primus prodijt accuſator? famoſus ille Iſchyras, qui redargutus quondam fuerat ab Athanaſio, quòd cum presbyter minime eſſet, presbyterum tamen ageret; et conductus a Meletianis de fractura calicis teſtimonium ferre aduerſus Macarium diaconum Athanaſii, atqne in ipſum Athanaſium; facti demum pœnitens, ſupplicem libellum, veniam deprecans, obtulerat eidem Athanaſio: hic, inquam, impudens conuentus iterum ab aduerſariis, ſpe polliciti Epiſcopatus illectus, inexpectatus prodiit accuſator. De cuius gradu male præſumpto, Athanaſius primum omnium euidenter demonſtrauit ex catalogo clericorum omnium Meletianorum a Meletio ipſo confecto poſt Conciliū Nicænum, & tradito Alexandro tunc Epiſcopo Alexandrino, in quo de Iſchyra presbytero nulla prorſus mentio eſſet: Verum (inquit [c] Athanaſius) ea res nihil remorata eſt inimicos, cum & presbyter fingeretur, qui presbyter non erat, & Comes vim adhiberet, & milites nos traherent; ſed tamen Dei gratia victoriam retuli: neque enim de calice Macarium conuincere potuerunt.] ſic ipſe. Cum

[c] Athanaſ. Apolog. 2.

hæc

A hæc autem pluribus diſcuterentur, Aegyptiique Epiſcopi rerum omnium optime conſcii
pro Athanaſio ſtarent atque Macario: ab Euſebianis ſæpe interpolati atque repulſi ſunt, qui
intentabant etiam minas Iudicibus illis, qui re euidenter perſpecta, erga Catholicos propen-
ſiores eſſent. Id quidem ipſi ſuo ipſorum libello ſignificant, cum dicunt [a]: Hic tamen nos ve- a Apud Athanaſ. Apolog. 2.
ritate freti, vbi Meletianorum calumnias refellere cuperemus, neſcio quibus artibus Euſe-
biani noſtros conatus interturbare ſtuduerunt, magnamque operam impendere, vt noſtra di-
cta reiicerentur, nunc ſincere iudicantibus interminantes, nunc etiam nonnullis contu-
meliam inferentes, non alio ſcopo, quàm vt id quod contra nos molirentur, progreſ-
ſum haberet.

Sed hæc (vt ipſe Athanaſius ait [b]) fuſius proſequuti ſunt Epiſcopi ex Concilio Alexandri- b Athanaſ. Apolog. 2.
no, in quorum Synodali epiſtola iſtæc leguntur [c]: Iam ſi, quid in accuſando ſit actum, quæras: c Apud Athanaſ. Apolog. 2.
B longe maiori admiratione capieris. Arſenium quemdam occiſum ab Athanaſio criminabātur,
& poculum myſticum fractum eſſe. At Arſenius iſte in vita ſupereſt, & placet ſibi de veſtra cō- ARSENII CAVSA ITERVM IN SYNODVM PRODVCTA.
munione, neque aliunde teſtimonia expectat, vt viuus eſſe doceatur, ſed ipſe ſeſe confitetur
viuere; idq. in litteris ſuis ad Epiſcopum noſtrum Athanaſium perſcripſit, quem iſti Arſenii
interfectorem aſſeuerabant. Nec puduit impios, hominem tanta intercapedine locorum &
itineribus terra mariq. diſiunctum, ab eo occiſum comminiſci, cuius per illa tempora locus, vbi
agebat, nemini mortalium cognitus fuit; adeo ille nullo dum attactus malo ab accuſatoribus
celabatur; quē quoad licuit in alium Orbē tranſtulerant, occiſuri eum libenter; vt homine vere
extincto, Athanaſium quaſi de certa cæde conuictū occidere poſſent. Sed diuinæ hic prouidē-
tiæ gratiæ agēdæ ſunt, quæ nihil iniuſti inualeſcere ſinit, Arſeniumq. ſub omniū oculos viuum
produxit, dilucide ſua præſentia calumnias eorum & figmenta retegentem.] hæc de his illi:
C ſed & Athanaſius [d] ipſe: Immo, inquit, & Arſenius quem diuulgauerant a nobis interfectum d Athanaſ. Apolog. 2.
eſſe, viuus aſtabat, & eorum ſycophantiam claram euidentemq. faciebat.]

Quod rurſum ad eamdem de Arſenio occiſo cauſam ſpectat: vndenam manarit occaſio,
vt quem viuere certo certius etiam aduerſariorum litteris (vt vidimus) fuerat diuulgatum;
tam ſtupide, vel temere, aut potius dicendum audacter atque procaciter iterum de occiſo ab
Athanaſio Arſenio accuſationem in Synodo illa propoſuerint? Non aliunde quidem, niſi quòd
Arſenius ſibi timens, ſe iterum occultaſſet: nam ſicut Iudæi impij Dei hoſtes reſuſcitatum La-
zarum in odium Chriſti interficere quærebant; ita pariter Euſebiani atque Meletiani, cum vi- ARSENIVS SYNODO PERSPICVVS FACTVS.
derent quem occiſum prædicaſſent, iterum apparuiſſe, & in eorum ſummam infamiam adhuc
viuere, ſtudioſe perueſtigarunt eumdem perimere, conatiq. ſunt eidem necem inferre (id enim
innuūt quoque Synodales litteræ de Arſenio ſuperius recitatę:) quod perſentiens ille, mortem
D metuēs delituit; ſed tandem palam in Tyrio Conuentu ſe prodidit. Sozomenus autem de Ar-
ſenio teſtatur [e], ſponte ſe, vt Athanaſium periclitantem eriperet, Synodo obtuliſſe: ait enim: e Sozom. lib. 2. c. 24.
Arſenius iſte ſeu diuina impulſione motus; ſeu (vt fertur) ab Athanaſij inſidiatoribus occulta-
tus; forte fortuna, cum quidā ei nunciaſſet, Epiſcopum eius cauſa in periculū incidiſſe, de nocte
inde diſceſſit, & pridie quàm iudiciū de Athanaſio exerceretur, Tyrum appulit.] in hunc mo-
dū Sozomenus. Theodoretus [f] vero hæc addit: Ibi (inquit) tum manus illa ad hanc tragœdiā f Theodoret. lib. 1. c. 30.
comparata (nempe, quod ait ſuperius, ſale conditam & in capſa repoſitam) coram Iudicibus
proferebatur. Iſtum Arſenium Athanaſij neceſſarij conquirunt, adducunt, cogunt in diuerſo-
rio parumper latere.] At iſtæc de cauſa Arſenij poſtea geſta ſunt: eiuſmodi enim quæſtionem
accuſatio illa præceſſit, quam idem Theodoretus recenſet his verbis:

Interim illuſtris ille Athanaſius primo mane venit ad Concilium. Ad quem accuſandum in-
E troducta eſt muliercula libidinoſa ac petulans. Clamat impudenter, ſe profeſſam eſſe virgini- MERETRICVLA ACCVSATRIX ATHANASII.
tatem, ſed ab Athanaſio quem hoſpitio exceperat, per vim compreſſam, & inuitam ſtupratam
fuiſſe. Quæ cum dixiſſet, ingreditur Athanaſius, quem accuſauerat, presbytero perquàm
laudato, cui Timotheus nomen erat, comitatus. Vbi autem a Iudicibus imperatum Athanaſio
fuit, vt crimini reſponderet: obticuit ipſe, perinde ac ſi Athanaſius non eſſet: atque Timotheus
ſic mulierculam alloquitur: Ego ne tecum aliquando rem habui? Ego ne in tuas ædes ingreſ-
ſus ſum? Tum illa impudentius petulantiusq. clamare, digladiari cum Timotheo, manum
educere, oſtendere annulum, ac dicere: Tu mihi abſtuliſti virginitatem: tu caſtitate me ſpo-
liaſti: et alia, quæ impudentes meretrices propter intemperantiæ exuberantiam loqui ſolent.
Ad hunc modum igitur tum ijs qui fabulam texuerant, ignominiæ, tum Iudicibus qui facino-
ris conſcij erant, pudoris inuſta nota, muliercula educta eſt e Concilio. Tum Magnus ille
Athanaſius: Non eſt, inquit, dimittenda mulier, ſed inquirendum in eam, cognoſcendumq.
quis hæc crimina confinxerit.

At Ariani vociferari, alia contra eum multo grauiora restare crimina, quæ nulla dicendi arte acumineve dilui possent; de quibus cum proferrentur, non audiendi, sed cernendi sensus iudicium faceret: quæ cum dixissent, capsam de qua tam creber sermo fuit, ostendunt, & manū sale conditam detegunt. Tum singuli, qui eam conspicabantur, clamorem tollere, ac pars eorum scelus vere admissum esse putabant, pars rem fictam falsamq. esse sciebant, & Arsenium adhuc occultatum latitare arbitrabantur. Atque vix momento temporis silentium fuit, cum Athanasius, cui crimen intendebatur, sciscitatus est a Iudicibus: Ecquis inter eos Arsenium nosceret? Cum a multis responsum esset, se accurate hominem noscere: cum introduci iubet: ac rursus sic percontatur: Hiccine est Arsenius, a me quidem interfectus, ab istis autem quæsitus, post cædem affectus contumelia, & dextera manu priuatus? Vbi vero assensum est, illum ipsum esse: Athanasius exuit eum pallio, & vtramque manum tum dexteram, tum sinistram ostendit, aitque: Aliam manum nemo, opinor, quæret: nam amplius quàm duas manus ab vniuersitatis conditore accepit nemo. Quibus rebus in hunc modum patefactis: cum oporteret & accusatores & Iudices, qui facinoris erant conscij, præ pudore se in latebras abdere, optareq. vt tellus sibi dehisceret; Concilium tumultu ac seditione complere, veneficumq. appellare Athanasium, cum hominum oculos præstigijs fefellisse, affirmare cœperunt: quin etiam qui eum paulo ante cædis reum egerant, ijdem ipsi hominem discerpere mactareque aggrediuntur. Verum quibus negotium ab Imperatore dabatur, vt paci ac tranquillitati prouiderent, cædem prohibuerunt. Nam Athanasium, qui in causæ disceptatione superior discesserat, hostium manibus ereptum, in scapham curauerunt imponendum, sicq. eius saluti consuluerunt; qui recta ad Imperatorem profectus, totam tragœdiam, vt gesta est, ei narrat.] hæc Theodoretus, necnon Sozomenus [a], & Socrates [b]. Verum accessus Athanasij ad Constantinum postea accidit.

ARSENII MANIFESTATIO.

a Sozom. lib. 2. c. 24.
b Socrat. lib. 1. c. 21.

QVID RVRSVM IN ATHANASIVM.

** Pelusianum*

Quod denuo ad eiusdem Arsenij causam spectare videbatur, hæc ab aduersarijs Sozomenus tradit fuisse tunc superaddita, dicens [c]: Quod autem ad posterius attinet: accusatores pro suis partibus defendendis satis putabant dicere, Plusianum *, vnum ex Episcopis qui Athanasio parebant, mandato eius, Arsenij domum incendisse, ipsum alligasse ad columnam, loris verberasse, in ædiculam denique compegisse; at Arsenium per fenestram inde aufugisse; ac cum esset conquirendus, aliquandiu abditum delituisse; et quia non comparebat, hominibus opinionem fuisse non sine causa allatam, eum morte obijsse: quam ob causam Episcopos, qui partibus Ioannis fauebant, illum vt virum illustrem & confessorem quæsiuisse, rem detulisse ad magistratus.] hæc Sozomenus, qui & multa alia in Athanasium obiecta tradit, quæ ab aliis sunt prætermissa, nec quidem ab ipso Athanasio ponuntur, vel Synodus Alexandrina illa epistola, qua aduersariorum calumnias & accusationes in eum, atque ea potissimum quæ Tyri sunt gesta, prosequuta est, recenset. At quænam prodantur a Sozomeno, hic eius verbis describamus: ait igitur [c]:

c Sozom. lib. 2. c. 24.

DE FRACTVRA CALICIS REPRICATVR ACCVSATIO.

Callinicus Episcopus, & Ischyrion quidā ex factione Ioannis eum accusauerant, quòd calicem mysticum fregerat, quodq. solium Episcopale deturbarat; ipsumque Ischyrionem, qui erat presbyter, sæpe in carcerem concluserat: quin etiam quòd nomine ipsius ad Hyginum Aegypti Præfectum falso delato, quòd videlicet in imagines Imperatoris lapides coniecerat, vinculis constringendum curauerat: itemq. quòd Callinicum Episcopum Ecclesiæ Catholicæ, quæ est in Pelusio, & Conuentum cum Alexandro agentem, propterea abdicauerat, quòd noluit alia conditione cum eo communicare, nisi de calicis mystici fractura, de qua erat in suspicionem vocatus, verum pro certo cognosceret. Præterea quòd Marco cuidam, qui fuerat presbyterio abdicatus, Ecclesiæ Pelusianæ gubernationem commiserat, ipsumq. Callinicum a militibus custodiri, verberibus cædi, & in iudicium adduci fecerat. Porro Euplus, Pachomius, Isaach, Achilles, & Hermæon Episcopi factionis Ioannis illum insimularūt, quòd ab eo vapularāt. Denique omnes communiter ei obiectabant, quòd quorumdam periurio ad Episcopatum ascenderat: idq. cū vniuersi Episcopi asseuerassent, neminē debere prius ordinari, quàm crimina sibi illata diluerit, seq. ita in fraudē inductos, propterea ab illius cōmunione abstinuisse. Eū autem dedignatū esse causam suam persuadendo obtinere; sed vi cogendo homines, & in vincula coniiciendo, suam in sententiā perducere laborasse.] et paulo post: Quin etiā tabulæ legebantur in quibus scriptę fuerunt populi contra eum vociferationes, perinde quasi plebs Alexādrina propter eū ad conuentus in Ecclesia agendos venire renuisset.] hucusque Sozomenus: quæ cum sint pretermissa (vt dictum est) ab ipso Athanasio, & a Concilio Alexādrino cuncta in Athanasium obiecta crimina epistola sua contexente: in eam interdum venimus opinionem, hæc a Meletianis siue Eusebianis fuisse superaddita Actis Tyrijs. Sed vtcumque demus vere

A in Athanaſium hæc tunc fuiſſe coniecta; ex alijs grauioribus his ſatis conijcere licet, cuius
fidei iſtiuſmodi accuſationes fuerint.

At cum de duabus tantum querelis ab Iſchyra & alijs Meletianis in Athanaſium in eodem
Tyrio Cõuentu illatis mentio habeatur tum apud Athanaſiũ ipſum, tum etiã apud Synodalem
epiſtolam Alexandrini Concilij; quarum altera erat de nece Arſenij, altera vero de ſacri cali-
cis fractura: viſis his quæ ibidem geſta ſunt in priore atque immaniore crimine diluẽdo, reli-
quũ eſt, vt quæ acta fuerũt de cauſa fracturæ calicis, hic deſcribamus, quæ & publica teſtifica-
tione conſignata habentur legitimi ſacriq. Epiſcoporum Conuentus, nempe ea, quam dixi-
mus, Synodali epiſtola Alexandrini Concilij, de quo etiam ſuo loco plura dicturi ſumus: hæc
enim ibi ſcripta leguntur [a]: Poculum autem myſticum quod, aut quonam in loco a Macario — a Apud Athanaſ. Apolog. 2.
fractum eſt? Id enim ſurſum atque deorſum obuolitantes iactant. Atqui Athanaſium ne ac-
B cuſatores quidem auſi fuiſſent eius criminis inceſſere, niſi ab ipſis ſubmiſſi inſtructiq. fuiſ-
ſent. Sed tamen illi ſummam eius criminis in Athanaſium referunt, quod ne in Macarium
quidem, qui victus non eſt, referri debet. Nec pudet eos, coram catechumenis, & quod peius
eſt, Ethnicis, ita de myſterijs tragice agere: cum oporteat, ſicut ſcriptum eſt [b], myſteriũ Regis — b Iob 1.
celare, & vt Dominus præcipit [c], non eſſe ſancta porrigenda canibus, neque proijciendas mar- — c Matth. 7.
garitas ante porcos. non enim fas eſt myſteria Gentibus prodire, ne per imperitiam ea ſubſan- — DEFENSIO MACARII ET ATHANASII EX SYNODO ALEX.
nent, aut cathecumeni per curioſitatem ſcandalizentur. Sed tamen quodnam poculum, quo
in loco, & apud quos comminuit? Meletiani ſcilicet ſunt, qui hic ſe accuſatores præbent, ho-
mines prorſus fide indigni, vt ſchiſmatici & hoſtes Eccleſiæ, neque hi noui aut recentes, ſed
vetuſti iam olim a temporibus beati Petri, cui inſidias poſuerunt, & Achillæ eius ſucceſſoris,
quem calumniati ſunt, & Alexandri, quem vſque ad tribunalia Cæſaris calumnijs proſequuti
C ſunt: et poſtremo ita meditandis criminibus exercitati, Athanaſium inuaſerunt, nihil alienum
a ſua malitia facientes: vt enim Athanaſij anteceſſores, ita quoque & ipſum Athanaſium ca-
lumniantur. Quorum calumniæ antea inefficaces, nunc tandem ſucceſſum habuere, ex quo
Euſebianos in gratiam Arianæ impietatis ſocios & patronos adepti ſunt, pro qua tuenda, vt
in multos alios Epiſcopos, ita quoque in Athanaſium conſpirationes faciunt.

At qui locus ille, in quo poculum fractum iactant? Eccleſia non erat, neque quiſquam pre-
ſbyterorum ei loco vicinus; nec dies, quo id factum a Macario volunt, Dominica. Cum igi-
tur neque eccleſia ibi eſſet, neque ſacra fierent, neque dies hoc ipſum requireret: quale, aut
quando, aut vbi myſticum illud poculum fractum eſt? Pocula multa paſſim in ædibus, atque
adeo in medio foro haberi, nemini dubium; quæ colliſa collidentem non faciunt impium: my-
ſticum autem poculum, quod impium eum reddit, qui id vltro frãgit, nuſquam niſi apud legiti-
D mos eccleſiæ Præſides inuenies: hic enim vnus eſt vſus calicis, & præter eum alius nullus, eoq.
ſolo vos legitimo ritu propinatis populo; cumq. vos pro canone Eccleſiaſtico accepiſtis, ideq.
dumtaxat penes eos habetur qui eccleſijs præſunt: ſolum enim veſtrum eſt propinare ſangui-
nem Chriſti, & præterea nullius. Ceterum vt impius eſt qui hunc myſticum calicẽ frangit, ita
multo magis impius eſt qui ſanguini Chriſti contumeliam facit; contumeliam autem irrogat
qui præter Eccleſiæ inſtitutum calice illo abutitur. Et hæc quidem eo a nobis dicuntur, non
quòd vel ſchiſmaticum poculum Macarius fregerit, ſed quòd ibi omnino nullum fuerit: qui
enim fieri potuit, cum nec locus ipſe dominicus eſſet, neque quiſquam ibi Eccleſiaſticus, at-
que adeo ne tempus quidem myſteriorum ageretur?

Presbyter autem qui fingitur affuiſſe, ille eſt toties rumoribus iactatus Iſchyras, qui neque
ab Eccleſia electus eſt presbyter, neque cum a Meletio conſtitutos presbyteros Alexander in
E Eccleſiam recipiebat, in eorum numero vmquam habitus fuit, aut ab eo creatus. quo pacto
igitur presbyter Iſchyras? aut quo tandẽ auctore conſtitutus? numquid a Colluthо? id enim
reſtat. Atqui Colluthum in gradu presbyterij mortuũ, omnemq. eius manuum impoſitionem
reſciſſam, omneſq. ab eo conſtitutos, in laicorum ordinem redactos eſſe, & ſub nomine laico-
rum ad ſynaxin admiſſos, adeo apud omnes conſtat, vt nemo ea de re dubitandum putet. Quo
modo igitur homo priuatus, & priuatas ædes inhabitans, poculum myſticum ſibi concreditum
habuit? Sed illi hominem priuatum, presbyterum appellant, & in noſtram iniuriã hoc nomen
illi indiderunt; eidemq. pro mercede calumniarum, ædificandæ eccleſiæ poteſtatem concilia-
runt. Qui ergo per id tempus nullam habuit eccleſiam; nunc ad compenſationem ſceleris,
obſequijq. in accuſando præſtiti, Eccleſiam accepit, forſitan etiam Epiſcopatu donandus: id
enim paſſim iactitat, & minis fremit. talia, pro dolor, præmia deinceps per Epiſcopos accuſato-
ribus & ſycophantis deferuntur; neque id immerito: quem enim adminiſtrum ſuæ libidinis
habuere, & eum vt rerum conſiliorumq. ſocium, conſimili Epiſcopatu dignum cenſuere. ...

Obsecro igitur, vt non hactenus tantum, sed ad sequentia quoque vos attentos præbeatis, A vt cognoscere possitis quid deinde ab illis factum sit. Impares ergo veritati, quamquam se omnibus modis communierant; eo quòd Ischyras Tyri pro calumniatore habitus, nihil probare posset, & ipsa calumnia sua vanitate corrueret; iudicium causæ suspensum voluere, donec de probationibus constaret. Promittunt igitur, se aliquot ex suis Mareoten amandaturos, qui rem curiose scrutarentur; quos vos euestigio multis de causis reijciendos docuimus; in primis quòd & Ariani essent, & propter Arianismum nobis propalā infensi. Verum illi potentia magistratuum freti, clam emittunt Theognidem, Marim, Theodorum, Macedonium annis ingenijsq. putidos, & venales; his addunt Vrsacium & Valentem homines Pannonios, qui ab vltimis illis finibus, Tyrum profecti sunt, vt sententiam in aduersarium dicerent, &c.] Delecti sunt autem hi ab Eusebianis Iudicibus præter sententiam omnium Orthodoxorum, qui Tyri conuenerant ad Concilium: qui cum id fieri viderent ex aduersariorum sententia, B & contra omne ius fasq. præsumi, dederunt primo Aegypti Episcopi illi quadragintaseptem contestationis libellos tum ad Synodum, tum etiam ad Dionysium Comitem: addidit deinde eodem argumento & suum Alexander Episcopus Thessalonicensis ad eumdem Dionysium: recitat omnes Athanasius [a] in sua Apologia, atque in primis sic ait:

DECERNVNTVR INIMICI LEGATI IN AEGYPTVM.

[a] Athanas. Apolog. 2.

Quæ autem Episcopi scripserint, qui mecum ex Aegypto Tyrum conuenerant; quæq. illi, re animaduersa, de illorum conspiratione & insidijs pro testimonio dixerunt, sunt ista.

LIBELLVS CONTESTATIONIS AD SYNODVM.

Episcopis Tyri congregatis dominis pretiosissimis, hi qui cum Athanasio ex Aegypto ad Concilium conuenere, in Domino S.P.D.

Non arbitramur vlterius Eusebij, Theogonij *, Maris, Narcissi, Theophili, & Patrophili conspirationem incertam dubiamq. habere. Principio quidem omnes reclamabamus per comministrum nostrum in sacris Athanasium, ne illis, cum adessent, causæ cognitio permitteretur; vt non ignari, vel vnius inimici præsentia, nedum plurium, iudicia turbari & lædi posse. C Neque vobis in occulto est odium eorum non solum in nos, sed in omnes Orthodoxos, & quàm Arianæ rei furioso & immani studio, & zelo impiæ eius doctrinæ omnibus immineant, & aduersus omnes conspirent. Hic tamen nos veritate freti, vbi Meletianorum calumnias refellere cuperemus; nescio quibus artibus Eusebiani nostros conatus interturbare studuerunt, magnamq. operam impendere, vt nostra dicta reijcerentur, nunc sincere iudicantibus interminantes, nunc etiam nonnullis contumeliam inferentes, non alio scopo, quàm vt id quod contra nos molirentur, progressum haberet. Fortasse diuina vestra religio, domini honoratissimi, per id temporis ignorabat eorum conspirationem, quam nunc putamus vobis manifesto apparere, cum sese quales essent, tam clare ostenderint. Quotquot enim ex toto grege suspectissimi erant, Mareoten ablegarunt, vt per nostram absentiam, quibus hic D hærendum est, populos perturbent, & studia sua perficiant. Ecce enim Arianos, Colluthianos, & Meletianos hostes Catholicæ Ecclesiæ, ideo potissimum emittere studuerunt, vt per præsentiam hostium nostrorū futelas quas vellent aduersus nos facerent. Certe Meletiani, qui hic Tyri apud nos sunt, ante quatriduum, quasi certi essent hoc in Concilio decretū iri, quosdam ex suis vesperi per veredarios ablegarunt, qui Meletianos etiā ex reliqua Aegypto Mareoten, cum ibi nulli essent, conuocarent, eodemq. Colluthianos & Arianos ex alijs locis cōtraherent, vt eos instruerent quid cōtra nos dictum vellent. Memores enim estis, ipsum Ischyram confessum esse coram vobis, non plures se habere quàm septem communicantes.

* Theognidis

Ceterum quia post futelas suas, submissosq. suspectissimos homines, audiuimus eos singulos vestrum ambientes, postulare vestram subscriptionem, vt omnium vestrum Concilio id actum videri possit: ideo nos & ista scribimus, & pro testimonio dicimus, protestantes coniurationes, E insidiasque, quas & ab illis & per illos patimur: oramùsq. vt suscepto Dei timore, indignātesq. sine vestra auctoritate illos missos esse, quos ipsi voluerunt, abstineatis a subscriptione; ne quas ipsi per futelas consuunt, eas tamquam vobis auctoribus factas iactitent: cum deceat homines in Christo, non humana respicere, sed veritatem omnibus anteponere: neque minas eorum, aut cōspirationem in omnes, sed potius Deum metuere. Aequum certe erat, si quidem Legati Mareoten mittendi fuerant, nos quoque vna cum illis ibi præsto esse, ad hostes Ecclesiæ indicandos, peregrinosq. eliminandos, vt purum istius rei scrutinium haberi possit. Scitis enim Eusebianos suis futelis curauisse epistolam reddi, quasi a Colluthianis, Meletianis, & Arianis contra nos scriptam; neque ignota res est, hostes Catholicæ Ecclesiæ nihil veri de nobis, sed omnia infesta loquuturos. Lex autem Dei inimicum neque testem, neque Iudicem esse vult. Reliquum est igitur, vt tamquam in die Iudicij rationem reddituri, accepta hac nostra protestatione, certiq. fraudis aduersus nos institutæ, nostrisq. precibus mature admoniti, caueatis

quidquam

A quidquam contra nos facere, aut Eusebianorum consilium adiuuare: scitis enim, quemadmodum superius diximus, eos nostros inimicos esse, & cur ita pridem Eusebius Cæsariensis odium in nos susceperit. Valere vos optamus, domini desideratissimi. Adamantius Episcopus has litteras dedi.] subscripserunt huic contestationi Episcopi quadragintaseptem, quorum nomina ibi sunt expressa, & inter alios magni illi confessores Potamon atque Paphnutius, de quibus sæpe superius.

Iidem quoque Episcopi publico scripto contestati sunt Dionysium Comitem, ne quid amplius ab eo in eadem causa ageretur, sed cuncta quæ spectarent ad eiusdem causæ cognitionem reseruaret integra cognoscenda per Constantinum Imperatorem. Contestatio autem est huiusmodi [a]:

Episcopi qui Tyri conuenerunt ex parte Catholicæ Ecclesiæ, Flauio Dionysio Comiti

B illustrissimo.

Cum multarum videremus calumniarum consarcinationem, & ex consarcinationibus insidias Eusebij, Narcissi, Flacilli, Theogonij *, Maris, Theodori, & Patrophili aduersum nos: quos quia principio detrectantes reijcere non licuit; necessario ad hanc potestationem deuenimus: præsertim cum animaduertamus multa ad gratiam Meletianorum, multa rursus ad insidias Catholicæ Ecclesiæ, sub nostri criminibus agitari: necessario ob id quoque libellum hunc tibi porrigimus, cum multis obsecrationibus, vt Dei metu in animo seruato, qui Imperium augustissimi & pientissimi Imperatoris Constantini tuetur, cognitionem causarum nostrarum ipsi augustissimo Imperatori reserues. Aequum est enim, te ab Imperatore missum, negotium hoc integrum Imperatori retinere. Quandoquidem tolerare non possumus compositas istas calumnias, quibus insidiose ab Eusebianis premimur: ideoque postulamus, cau-

C sam istam pientissimo & religiosissimo Imperatori reseruari, apud quem licebit & iura Ecclesiæ & nostra proponere. Plane enim confidimus, eius pietatem, cognitis nostris rationibus, nequaquam nos condemnaturam esse. Quapropter denuo te obtestamur, adiuramusque per omnipotentem Deum (ita pientissimus Imperator per multos annorum recursus cum liberis suæ pietatis valeat) vt nihil in hoc negotio deinceps facias: neque tibi indulgeas, vt quidquam contra nos in Synodo commoueas, sed reserues rei cognitionem eius pietati.] hucusque libellus contestationis. subdit autem hæc Athanasius: De ijsdem rebus etiam dominis nostris Episcopis Orthodoxis significauimus. Quibus certior factus Alexander Episcopus Thessalonicensis (erat hic Tyri cum aliis Episcopis in Concilio assidentibus) scripsit ad Dionysium Comitem in hæc verba:

Domino suo Dionysio Alexander Episcopus Thessalonicensis.

D Clare video Athanasio calumnias strui: omnes enim quos recusauit, nescio quo pacto, illi emittere voluerunt, nullo nobis eius rei indicio facto. Erat enim decretum, vt consultatio haberetur, quosnam eo amandare oporteret. Consule igitur illis, ne quid temere faciant. Venerunt enim ad me turbidi cum his verbis: Belluas inhorruisse, & in proximo esse vt exiliãt, eo quòd sonitu strepituque consternatæ sint, audierintque Ioannem nonnullos emisisse. Vide ergo ne anteuertant, & ita vt velint, fute las faciant. Nosti porro Colluthianos vna cum Arianis & Meletianis hostes Ecclesiæ esse: itique nunc inter se animo calculisque consociati ingentia mala patrare possunt. Vide igitur quid vtile sit, ne quid triste emergat, ne subiiciamur obtrectationi, quasi qui nequaquam iuste iudicauerimus. Ea autem de illis potissimum suspicio est, ne peragratis Ecclesijs, quarum Episcopi hic sunt, per metum & vim totam Aegyptum perturbent, vt ita Meletianis Ecclesiæ tradantur: quod quidem agitari iam pridem

E animaduersum est.] hucusque ad Dionysium Alexander.

Dionysius autem Comes, his acceptis contestatoriis libellis, ad Eusebianos totius rei gestæ artifices istæc tunc scripsit, recitatq; eadem in Apologia Athanasius: Hæc ipsa, inquit, erant, quæ dicebam domino meo Flacillo: Athanasius insurget; dicetque, quos ipse eiecerat, eos ad istud negotium submitti; seque iniuria tractari, & circumueniri, vociferabitur. Hæc quoque eadem illa sunt, quæ dominus animæ meæ Alexander suis epistolis mihi significauit. Verum vt sciretis ratione constare quæ mihi illius humanitate perscripta sunt, ipsius epistolam, vt a vobis quoque legeretur, subieci. Memores autem estis eorum quæ prius scripsi, cum admonerem vestram bonitatem, Legatos communi iudicio & suffragio deligendos esse. Videte igitur, ne res ista culpæ obnoxia sit, neve iniustam obtrectandi nostri occasionem criminatoribus præbeamus. Vt enim accusantium partem grauari non oportet, ita neque reorum. Arbitror porro, non minimam nostri obtrectandi materiam datum iri, si dominus meus Alexander Actis nostris non videatur suffragari.] in hunc modum ad eos Dionysius Comes. At cum nequidquam

[a] Apud Athanas. eadem Apolog. 2.

LIBELLVS CONTESTATIONIS AD DIONYS. COMIT.

* Theognidis

LIBELLVS AB ALEX. EPISCOP. THESSAL OBLATVS DIONYSIO.

DIONYSII QVERELA AD SVOS SCRIPTA.

quidquam proficeretur, nec ipse Dionysius missam a Iudicibus Arianis legationem reuocandam curaret, atque omnia in gratiam fierent Arianorum, qui iam non cum aliis Episcopis de rebus consulerent, sed seorsum ab illis agerent conuenticula: Athanasius meliorum rerum desperatione recessit Tyro; atque profectus est ad Constantinum Imperatorem expostulaturus de his quæ cum ab Eusebianis, tum a Dionysio gesta essent in Tyrio illo Conuentu. quid autem egerit his auditis Imperator, dicemus inferius suo loco: de sua enim a Synodo profectione idem Athanasius tradit his verbis [a]: Cum res ita agerentur, tamquam e Concilio iniuriosorum recessimus, &c.] A

[a] Athanas. Apolog. 2.

QVID EVSEBIANORVM LEGATIO IN AEGYPTO.

Interim autem prosequamur res gestas ab Arianis Legatis in Aegyptum missis: recitantur eædem in eadem epistola Synodali Concilij Alexandrini, his scilicet [b] verbis: Et post tantum itineris Tyro Alexandriam contenderunt, nullo cum pudore, quòd se ex Iudicibus testes facerent. Quin potius omnibus insidiandi rationibus propalã susceptis, quosuis labores itineraq. subiere, vt calumniam semel initam absoluerent. Hostes ergo Athanasij, Athanasio peregre detento, Alexandriã in populũ Ecclesiamq. debacchaturi contẽdunt: immo, quod est absurdius, Ischyra accusatore secũ abducto, Macariũ reum custodijs Tyri inclusum non permiserũt in comitatu hærere, quẽ antea sub prætextu eius criminis sursum deorsumq. raptauerãt. Soli igitur Alexandriã cum accusatore Ischyra ipsorũ contubernali sodale cõpotore ingressi, assumpto vna Præfecto Aegypti Philagrio, in Mareoten abscedũt: atque illic soli pro libidine sua cum Philagrio quæstionibus incũbunt, nulla permissa presbyteris simul adeundi facultate, quamquã id multis precibus requirerent. Erant autẽ illi qui hoc postulabant omnes tum Alexandrinæ ciuitatis, tum vniuersæ prouinciæ presbyteri, petentes vt sibi ostendere liceret quosnam testes Ischyras subornasset, & quale hoc hominũ genus & ciuitates essent. Sacrorũ igitur ministris exclusis, coram Ethnicis hominibus quæstiones de Ecclesijs, de calice, de mensa Domini, de Sanctis Sanctorum habuere; et quod grauius est, Ethnicos in quæstione de mystico poculo in testes citauerunt; et quinam illud ab Athanasio rapuissent, Catholici interpellatione definierunt: nec puduit eos, eorum testimonia coram se & solo dumtaxat Præfecto recipere, qui vnde gentium essent ignorabãt: nec veriti sunt, eos dicere ab Athanasio occisos, quorum testimonijs aduersus Athanasium abusi sunt. Quin immo necem Athanasio molientes, nouis mendacijs fabulam de ementita nece Arsenij imitantur; eosque qui viui sunt, mortuos fingunt, & vt interfectos qui adhuc supersunt, & hominum oculis in suis sedibus apparent, apud vos longe inde semotos miserrime deplorant; vt cum e longinquo petenda sint rerum documenta, nostrum in sacris ministeriis collegam Athanasium calumniari possint, quasi vi & potentia grassantem, cum ipsi per vim & potentiam omnia agant: eadem enim denuo apud Mareoten, quæ Tyri, designata sunt. Vt enim illic Comes erat cum militari satellitio, nihil quod ipsis displiceret, aut dici, aut fieri permittens: ita quoque & hic Præfectus manu militari succinctus, omnes Ecclesiasticos terrefaciens, nulli permisit ex vero testimonium dicere: et quod absurdius est, in ipsis ædibus accusatoris & commorabantur, & quæstionibus operam dandam, prout libuit, decernebant; eoque tam Iudices, quàm testes, ceterique eiusdem studij, vel quod deterius est, Eusebianæ factionis administri conueniebãt. B C D

[b] Apud Athanas. Apolog. 2.

SCELERA ARIANORVM ALEXANDRIAE PATRATA.

Quæ porro Alexandriæ ausi sunt, arbitramur vobis non ignota esse; cum ea vbique gentium fama diuulgata sint, strictos scilicet gladios in sanctas virgines & fratres intentatos, flagella pretiosis apud Deum corporibus incussa, pedesque fustigationibus ad claudicationem illis mutilatos esse, quæ mentem in castitate & in omnibus solidis bonis exercebant, calumnias quoque vbique ingestas fuisse. Gentilium vulgus interim nudare corpora virginum, verberare, libidinari, & virginibus aras idolorum victimasque interminari: adeo vt homo quidam proteruus, veluti istiusmodi potestas iam deinceps concessa esset in gratiam Episcoporum, virginem manu arreptam ad altare, quod forte obuium erat, protraxerit, necessitatem sacrificandi, & vim persecutionis repræsentans. Inter hæc scelera virgines fugere, Ethnici Ecclesiæ insultare, Episcopis in illis ipsis ædibus, vbi ista perpetrabantur, versantibus; in quorum gratiam virgines miseræ strictos gladios, omnia genera periculorum, & quamlibet contumeliam & debacchationem experiri coactæ sunt. Et hæc quidem passi sunt ipso ieiunij die a coepulonibus Episcoporum, cum quibus conuiuium agitabant, Episcopis intus epulantibus. Hæc cum futura prouideremus, nec vulgarem, sed quasi ex hostili incursu vastitatem: detrectaui, fateor, hoc genus iudicij. Ea res igitur cum Alexandri Thessalonicensis Episcopi animum permouisset, scripsit ad eos qui Tyri adhuc commorabantur: nihil nisi per coniurationem & calumniam cum Athanasio agi.] hæc Aegypti Episcopi ex Synodo postea Alexandriæ habita. E

Agens

A Agens idem ipse Athanasius de eadem legatione ex Conciliabulo Tyrio in Aegyptum missa, meminit & de contestatione tunc facta a presbyteris Ecclesiæ Alexandrinæ, & alia habita ab Episcopis & vniuersa Ecclesia prouinciæ Mareotidis, his verbis ad eosdem Legatos Tyro missos descripta [a], cui hæc ipse præfatur: Presbyteri Alexandriæ & Mareotes, animaduersa illorum malitia, ad hunc modum scripserunt, & protestati sunt:

[a] Athanas. Apolog. 2.

Theogonio *, Mari, Macedonio, Theodoro, Vrsacio, & Valenti Episcopis e Tyro profectis, presbyteri & diaconi sub reuerendissimo Episcopo Athanasio Catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ.

* Theognidi

CLERICORVM ALEXANDRINORVM CONTESTATIO.

Decuit in primis, cum huc veniebatis cum ipso accusatore, adducere quoque vobiscum presbyterum Macarium. Ita enim iudicia constitui debent secundum sacram scripturam, vt reus & accusator simul appareant. Postquàm autem nec Macarium adduxistis, neque reue-
B rendissimus Episcopus noster Athanasius ad iudicium receptus est: postulauimus vt saltem nobis interesse liceret; vt nobis præsentibus certa inquisitio haberi posset, vt ad istum modum rebus actis, iure fidem vestris iudiciis haberemus. Verum & hoc nobis pernegatum, & soli cum Præfecto Aegypti vna cum accusatore id agitis quod libet. Profitemur igitur nos videre in vestris Actis malitiæ suspicionem: animaduertimusque vestrum aduentum nihil aliud in se habere, quàm conspirationem & insidias; eaque de causa epistolam hanc vobis dedimus, monumentum, testimoniumque istius rei aliquando futurum in vera & legitima Synodo; vt omnibus innotescat, quòd inaudita altera parte, ea quæ libuit, inter vos egeritis, & nihil studuisse, nisi vt conspiratione nos opprimeretis. Exemplar harum litterarum etiam Palladio dedimus Imperatoris Curioso, ne celari posset a vobis. Scelera enim, quæ fecistis, talia nos de vobis suspicari cogunt. Dionysius presbyter has litteras dedi, Alexander presby-
C ter, &c.] omnes presbyteri numero sexdecim, & diaconi quatuor, eorumque nomina ibidem subscripta habentur. Subdit Athanasius: Clerici autem Mareotes, qui mores accusatoris norant, & mecum prouincias lustrabant, ad istum scripserunt (ad Conuentū Tyrium scilicet.)

Sanctæ Synodo beatorum Episcoporum Catholicæ Ecclesiæ, Mareotici omnes & presbyteri & diaconi in Domino S. P. D.

Nos nequaquam ignari huius scripturæ, quæ ita dicit: Quod viderunt oculi tui, loquere: & item illud: Quòd falsus testis impunitus non erit: ea quæ vidimus, testanda arbitramur; et potissimum, quia testimonium hoc nostrum necessarium reddidit conspiratio aduersus Athanasium Episcopum nostrum inita. Admiramur autem, quo modo vel vlla tandem ratione Ischyras pro Ecclesiastico habeatur, de qua re primum nobis referendum arbitramur. Ischyras enim numquam ex sacris Ecclesiæ comministris fuit; sed primum iactauit
D se Colluthi presbyterum; verum ita vt neminem haberet, qui ipsi crederet, exceptis dumtaxat cognatis suis, vt qui nec vmquam ecclesiam obtinuerit, nec clericus ab vllis, nisi qui longius ab illius pago habitarent, vmquam sit creditus, solis dumtaxat eius cognatis exceptis. Idemque cum talem sibi titulum vendicasset, in Alexandrina Synodo in præsentia patris nostri Osij depositus est, & cum laicis in ordinem redactus, atque in eo statu reliquum iam inde tempus permansit: ad istum igitur modum inanis illius fama presbyterij excussa est: nam de moribus eius loqui superuacaneum, cum ij ab omnibus sciri possint.

MAREOTICORVM LIBELLVS AD SYNODVM PRO ATHANASIO.

Ceterum quia calumniam impegit nostro Episcopo Athanasio de colliso calice & mensa subuersa: de his necessum est vt verba faciam. Ante omnia dicimus illum nullam vmquam ecclesiam in Mareote habuisse: qua in re Deum testem facimus, neque calicem vllum confractum esse, neque mensam a nostro Episcopo Athanasio, neque a quoquam aliorum qui
E cum illo degunt, euersam esse; nihilque in istis verbis esse, nisi calumniam: et ista quidem vt conscij pro testimonio loquimur, vtpote qui nec longis finibus ab Episcopo distamus, & comites ei in lustranda Mareote adhæsimus. Numquam enim ille solus, visitandi causa, itinera obire solet, sed comites secum trahere presbyteros, & diaconos, & non paucos ex plebe: et quia illi per omnia itinera comites fuimus, quo tempore ad nos accessit; ideo hæc vobis pro testimonio dicimus, nec poculum confractum esse, nec mensam subuersam, sed omnia Ischyram mentiri, quod & ipse sua manu testatum confitetur.

Nam cum ille post defectioné ad Meletianos nobis reconciliari & coniungi vellet, quemadmodum & Pistus, qui ipse quoque talia de Athanasio in vulgus sparserat: neutrum tamen, quamquam propria manu testarentur nihil tale factum esse, & se subornatos a certis hominibus vt talia dicerent, recipere voluerunt. Ac proinde Theogonium *, Theodorum, & Marim, & Macedonium, Vrsacium, & Valentem in Mareotem profectos, nulla documenta reatus deprehendere potuisse. Verum cum res eo tenderet, vt illorum sycophantia in Athanasium in

* Theognidem

LEGATORVM FRAVDES DETEGVNTVR.

sium in apertum proditura videretur: Theognis inimicus Athanasio cognatos suos & quosdam Arianos ita instituit, vt quę ipse vellet, pro testimonio loquerentur. Nemo enim ex populo quidquam contra Athanasium loquutus fuisset, nisi terrore Philagrij Aegypti Præfecti, importunitateque Arianorum vehementer instantium victi coactique essent ad ea facienda, quæ ipsis liberet. Siquidem nos ad calumnias refutandas eo venientes non admiserunt; nobisque reiectis, eos quos idoneos putauerunt, ad calumniam instruendam receperunt, qui metu Philagrij Præfecti in partes eorum concesserunt: atque ideo nimirum erat, quòd nos summotos volebant; ne scilicet subornatos ab ipsis criminatores, aut Ecclesiasticos non esse, aut si essent, Arianos esse, doceremus. Scitis autem, dilecti fratres, in sacris litteris præcipi, non valere inimicorum testimonia. Ceterum a vobis vera dici, attestatur manus ipsa Ischyræ, attestantur quoque ipsorum facta, qui nobis nihil istiusmodi criminum conscijs, præsidio Philagrij, & armorũ terrore ea confecere, quæ voluerunt. Hæc vt coram Deo testamur: hæc vt certi de futuro Dei iudicio loquimur. Nostra quidem voluntas fuit huc excurrendi; sed tamen in eo acquieuimus, vt nonnulli ex nostris istuc venirent cum litteris nostrorum, qui hic remanserunt; vt ita eorum vicem absentiamque sustinerent & compensarent. Ingenuus presbyter, vos valere in Domino opto dilecti fratres, Theon presbyter] atque alij omnes numero quindecim, totidemque diaconi. Iidemq. ad Philagrium & alios Constantini magistratus sic scripserunt: A B

MAREOTICORVM CLERICORVM LIBELLVS DATVS PRAEFECTIS.

Flauio Philagrio, & Flauio Palladio Ducenario Palatino Curioso, & Flauio Antonino Commeatuum Præfecto Centenario, dominorum meorum illustrissimorum Præfectorum sacri Prætorij, Presbyteri & diaconi Mareotici ex regione & Nomo, cuius Episcopatum gerit reuerendissimus Athanasius, hæc vobis cum subscriptione nostra pro testimonio porrigimus. C

* Theognis

Quoniam Theogonius *, Mares, Macedonius, Theodorus, item Vrsacius & Valens missi ab Episcopis qui Tyri in Concilium coierant, ad nostram parœciam profecti, dixere sese in mandatis habere, vt inquirerent in quædam Ecclesiastica facinora, & inter cetera de calice confracto: cum iam antea ad id Ischyram quemdam subornassent, quem secum adduxerunt, hominem minime presbyterum, tametsi eo se nomine iactitet, quippe ordinatum a Collutho quodam, non vero, sed imaginario Episcopo, cui in generali Concilio ab Osio, & a ceteris Episcopis qui vna aderant, iussum fuit, vt se pro presbytero, qualis antea fuerat, haberet, atque ideo omnes ab illo constitutos in veterẽ suum ordinem recurrisse, inter quos etiam Ischyras numerandus est, qui dicit se eam ecclesiam habere, quæ numquam fuit, quippe quæ domuncula sit in prædijs cuiusdam pupilli nomine Isionis: ea res in caula est, vt hoc testimonio vtendum putaremus, vos religiose adiurantes per omnipotentem Deum, & per dominos nostros Constantinum Augustum, & liberos eius illustrissimos Cæsares, vt hæc in cognitionem eorum pietatis referatis. Non enim Ischyras presbyter est Catholicæ Ecclesiæ, neque ecclesiam habet, neque vmquam calix confractus est. sed hæc omnia falsa & conficta sunt: Consulibus Iulio Constantio illustrissimo Patricio fratre religiosissimi Constantini Augusti, & Ruffino Albino, clarissimis & Deo gratissimis.] hæc presbyteri. D

a Athanas. Apolog. 2.

IVDICIVM DEPRAVATVM.

b Actor. 24.

c Actor. 25.

Quid autem egerint eiusmodi impij & ab impietate directi Legati, S. Athanasius [a] narrat, sed primum hæc de illorum perfidia & legum humanarum ac diuinarum contemptu: Quod enim libuit, fecere: sed tamen ea quæ inaudita altera parte fiunt, nihil habere roboris, nemo omniũ mortaliũ ignorauerit. Hoc enim & lex diuina præcipit; hoc quoque cum insidias pateretur beatus Apostolus, & reus esset, postulabat: Oportebat, inquiens [b], Iudæos ex Asia corã te adesse, & accusare si quid haberent aduersum me. Quo tẽpore & Festus [c] conantibus Iudæis easdẽ contra Paulum insidias, quales ego nunc patior, ita loquutus est: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquàm is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad diluenda crimina. Eusebiani autem & legem mutare ausi sunt, & illis ipsis iniustissimis Iudæis iniustiores sese exhibuerunt. Non enim statim a principio ista seorsum sine reliquis agere tentauerunt, sed tum demum, cum coram a me in præsentia refutati succubuissent. Ex eo namque tempore, quemadmodum Iudæi, consilium seorsum & soli inierunt, vt & nos perderent, & hæresin introducerent; et quemadmodum illi Barrabam postulauerunt, ita quoque & ipsi omnia ob hæresin se facere profitentur. E

RES A LEGATIS GESTAE.

Et hæc quidem abunde sufficiũt ad defensionem meam: sed tamen vt eorum scelera, & veritatis libertas magis appareat; nihil vetat quo minus denuo earum rerum mentio fiat, vt pateat ipsos sibimet cõtraria egisse, & in tenebris cõsilia sua cõflantes, in semetipsos impegisse, & studio nos occidendi, seipsos, vti insani solent, vulnerasse. Nã de mysterijs inquirentes, Iudæos interroga-

A interrogarunt, & catechumenos examinauerunt: Vbinam, inquientes, eratis, cum Macarius accessit, & mensam subuertit? Illique responderunt: Nos intus fuimus. Iam si id verum est: ergo eo tempore oblatio celebrari non potuit; siquidem catechumeni intus erant: æque tamen passim scriptitarunt, stante presbytero & sacrificium faciente, Macarium ingressum subuertisse omnia. Et cum interrogarent quos vellent, ita percunctati sunt: Quo in loco erat Ischyras, cum Macarius superueniret? Illique rursum responderunt: In cubiculo ægrotus decumbebat. Ergo in sacro non stabat, qui per morbum decumbebat; neque oblationem facere poterat, qui in cellula sua ægrotus iacebat. Insuper dicente Ischyra, combustos esse libros a Macario: subornati ad eam rem testes, nihil tale factum esse & mentiri Ischyram asseuerauerunt. Iam quod admireris, cum litteris suis famam eam spargant, vbique terrarum a nobis sublatos esse qui conscij testimonium ferre possent; eosdem tamen cum iam appeterēt, B percunctati sunt, nullo interim pudore tacti, cum se viderent vndecumque quadruplatores declarari. Sed tamen quamquam seorsum sine aliorum auctoritate ita pro libidine agerent, nutibusque testes admonerent, Præfectus minas iactaret, militesque tela & vulnera intentarent: nihilominus tamen Dominus veritatem patefecit, eosque sycophantiæ coarguit. Illi ergo Actorum monumenta, quæ habebant, suppresserunt, & Notarijs iniunxere, vt ea amolirentur, neque vlla exemplaria euulgari sinerent. Sed frustra hæc omnia. Nam qui ea scripsit, Rufus est, qui nunc in Augustalliana spiculatorem agit, & testis eius recitari potest. Atque adeo ipsi Eusebiani ea per suos Romam miserunt;eademq.illa ab Iulio Episcopo ad me transmissa sunt. Insaniunt igitur, sua arcana in manibus nostris haberi, & a nobis recitari. His & istiusmodi facinoribus patratis, causam cur ea facerent, manifestam reddidere.] hactenus de his Athanasius. Ceterum quod spectat ad Acta Mareotica ab Eusebianis ad Iulium Pa- C pam missa, hæc longe post contigerunt, post mortem videlicet Constantini Imperatoris, cum sedente eodem Iulio causa ipsa ad Romanā Ecclesiam delata est, vt suo loco dicemus; quando & Eusebiani per Martyrium & Hesychium ad ipsum eadem Acta miserunt, vt idem Iulius litteris suis testatur [a], atque multis prosequitur hæc ipsa de Ischyra & falsis testibus in eamdem causam ab ipsis Eusebianis legatis tunc examinatis ac circumuentis.

[a] *Apud Athanas. Apolog. 2.*

IN ATHANASIVM AB EVSEBIANIS SENTENTIA LATA.

Quibus magna celeritate confectis, Tyrumque perlatis, sequuta est Athanasij, qui Tyro profectus erat Constantinopolim versus ad Imperatorem, ex Eusebianorum sententia condemnatio, de qua hæc habet Sozomenus [b]: Concilium vero eum, indicta causa, condemnat, abdicatque Episcopatu, decernit denique ne postea Alexandriæ habitet: ne, inquit, tumultus & seditiones, si adsit, cogitare aggrediatur. Ioannem autem, & omnes qui ab eo stabant, Meletianos scilicet, vti incommodis per iniuriam affectos, in communionem recipit: et quam D illorum quisque in clero dignitatem obtinuerat, cuique reddit. Episcopi porro in eodem Concilio coacti, Acta Concilij Imperatori significarunt, scripseruntque ad alios omnes vbique Episcopos, vt minime cum Athanasio communicent, neve ad eum scribant, neu ab illo litteras accipiant: quandoquidem & criminum, de quibus certiores facti fuissent, conuictus erat; et partim fuga, partim quòd causam suam in iudicio agere recusauerat, reus deprehensus.

[b] *Sozom. lib. 2. c. 24.*

Prætera per litteras ostenderunt, se ad eiusmodi sententiam contra eum pronunciandam ideo compulsos, primum quòd ægre admodum ferebant, quòd cum Imperator anno præterito dedisset mandatum vt Episcopi Orientis eius causa Cæsareæ in vnum conuenirent, ipse non eo accesserat; idque cum videret Concilium longo tempore ipsum expectando fatigatum: quodque etiam Imperatoris mandata contempserat: deinde, quòd cum permulti Epi- E scopi Tyrum conuenissent, hominum multitudine stipatus eo venerat, & turbas & tumultus in Concilio excitarat, modo pro se respōdere tergiuersando, modo Episcopos sigillatim contumelijs onerando: interdum cum vocaretur ab illis, dicto ipsorum minime audiendo, aliquando iudicium subire indigne & grauiter ferendo. Quin etiam plane compertum esse, quòd calicem mysticum fregerat, declararunt; testesque ad eam rem adduxerunt Theognidem Nicæ Episcopum, Marin Chalcedonis, Theodorū Heracleæ, Valentem item, Vrsacium & Macedonium: quos quidem se misisse in Aegyptum, dixerunt, eo consilio, vt cum in pagum venirent, vbi calix fuerat confractus, verum elicerent. Hæc scripsere Episcopi; singulaque crimina (vt mos forensis fert) perstrinxere; dedereque operam, vt calumniam Athanasio velut arte quadam contexerent. Verum complures sacerdotes, qui aderant in Concilio, hoc iudicium minime sincerum esse existimarunt. Et ob eam causam dicitur, Paphnutium confessorem, qui Concilio interfuit, prehendisse manum Maximi Episcopi Hierosolymitani, ac monuisse vt surgeret: nam non oportere se, cum essent confessores, & pro pietate tum oculos

effossos,

effossos, tum pedum flexus debilitatos haberent, Concilio hominum perditorum communicare.] hæc Sozomenus. A

a Ruffin. lib. 1. c. 18.
RVFFINVS ARGVITVR.

Porro hallucinatus est plane Ruffinus [a], dum putat Athanasium e Tyrio Concillabulo fuga lapsum per annos sex delituisse: quæ quidem longe post hæc contigerunt. Quòd vero Iulius Romanus Pontifex in epistola quam scripsit ad Arianos (recitatur ea ab Athanasio in secunda Apologia) dicat ipsum Athanasium nequaquam Tyri condemnatum esse: intelligendum putamus, a maiori & saniori parte ipsius Concilij ibidē celebrati; siquidem qui ibi aderāt pietatis cultores, a damnatione Athanasij abhorruerunt, Arianisque contradixerunt, atque inde penitus discesserunt; cum Eusebiani seorsum ab ijs coeuntes, in Athanasium quæ sibi visa sunt, decreuerunt. Sunt autem hæc verba Iulij: Athanasij quoque sinceritas in tuenda fide spectara fuit: qui nec Tyri condemnatus est, nec Mareote præsens fuit, vbi contra eum absentem in lite processum est. B

b Athanas. Apolog. 2.
DACARNITVR ISCHYRAE ECCLESIA ET EPISCOPATVS.

Addidisse ad hæc Eusebianos, vt apud Imperatorem agerent, de erigenda ecclesia Ischyræ accusatori, idem tradit Athanasius; ait [b] enim: Ceterum præmia redemptarum calumniarum multo adhuc magis eorum malitiam & impium propositum declarant. Mareotes enim, vt dixi, ager est Alexandriæ; quo in loco numquam Episcopus fuit, immo ne Corepiscopus quidem, sed vniuersæ eius loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subiacent, ita tamen vt singuli pagi suos presbyteros habeant. Sunt autem pagi isti maximi, decem numero, aut aliquanto plures. Pagus autem, vbi habitat Ischyras, minimus est, & paucissimorum hominum, adeo vt non ibi, sed in proximo pago ecclesia constituta sit. Nihilo tamen minus hominem, qui ne presbyter quidem erat, huius pagi præter maiorum traditionem, Episcopum scilicet appellauerunt: non quidem ignari ne ipsi quidem, quàm hoc absurdum esset; sed promissis redemptæ calumniæ adacti, etiam illud sustinendum putauerunt: ne maligne habitus sceleratissimus Ischyras veritatem enunciaret, Eusebianorumque malitiam proderet. Verum ille neque Ecclesiam, neque populum sibi obedientem habet, atque vt canis ab omnibus agitatur. Eusebiani autem Imperarori auctores fuerunt litterarum mittendarum ad Colluthum (adeo omnia illis licent) vt iuberet Ischyræ ædificari ecclesiam, vt auctus ea dignitate, fide dignus habeatur in suis de calice & mensa calumniis. Statim igitur curauere, vt Episcopus nominaretur, eo quòd si nec ecclesiam possideret, neque presbyter esset, pro sycophanta necessario haberetur, & mentiri videretur. Ille tamen cum nec populum habeat, nec suos sibi obsequentes, quemadmodum inane nomen Episcopi, ita quoque epistolam illam Imperatoriam sine vllo fructu detinet, quippe quæ argumentum sit ipsius Eusebianorumque teterrimæ & intentionis & voluntatis.] hucusque de rebus Ischyræ Athanasius. Sequitur post hæc epistola Colluthi presbyteri exarchon Mareotes. Porro longe hic alius a priori illo Colluctho, ex quo Colluthiani dicti sunt: nam ille se gerebat Episcopum, hic autem presbyter nominatur: decessit enim ille longe ante hæc tempora, vt dictum est. sed extat ibi epistola ipsa perbreuis his verbis: C D

Ad preces Ischyræ presbyteri pietati dominorum meorum Augustorum & Cæsarum supplicantis, vt sibi in loco Pacis Seconraururi ecclesia ædificaretur: decreuit diuiniras illorum, vt id quàm primum fieret. Cura igitur, exemplaribus istius diuini diplomatis, quod primo loco positum est, nostræque sanctitatis monumentis perlectis, breuiterque perlustratis, vt in negotio procedatur, & quæ diuinitus constituta sunt, ad effectum perduci queant.] hactenus de ecclesia Ischyræ ædificanda. Sed obserua, lector, Arianorum dicendi consuetudinem, & in adulando blasphemiam, quæ cum hic, tum etiam in compluribus aliis locis sæpius demonstrari continget, quòd qui negarent diuinitatem Filij Dei, ijdem tamen Imperatores diuinitaris consorres non erubescerent appellare, vt cum habet Colluthus in hac epistola: Decreuit diuinitas illorum, nempe Imperarorum:] et, Diuinum diploma:] & alia id genus, quæ inferius crebrius etiam impudentiusque dicta reperiuntur. Sed institutam prosequamur orationem. E

DEDICATIO BASILICAE TYRIAE.
c Euseb. Vit. Cōstantin. lib. 4. c. 41.
d Euseb. hist. lib. 10. c. 4.

His igirur in hunc modum ex sententia Eusebianorum in Athanasium Tyri confectis: qui remanserant ibi Episcopi, ex iussione Constantini Imperatoris, qui (vt superius ex [c] Eusebio recitauimus) mandauerat, vt quàm celeriter altercationibus Episcoporum sine imposito dedicarent Basilicam illic erectam; ritu id Ecclesiastico solemniter perfecerunt; de qua quidem dedicatione exrat eiusdem Eusebij oratio ab eodem collocata in decimo suarum historiarum libro [d], quam ob nimiam prolixitatem recitare hic omisimus.

Quo modo autem Cōstantini Imperatoris iussu ijdem qui Tyri Synodum celebrarunt Episcopi, magna celeritate profecti sint Hierosolymam, ibique etiam eximium templum illud

ceteris

A ceteris augustius, quod idem Imperator erexerat, dedicarint, iam dicendum est: et illud in primis quod ad tempus spectat certa fide consignandum; istud factum esse hoc ipso anno trigesimo Constantini, ipsis Tricennalibus Imperatoris, quibus Constans minimus natu filiorum eius ab ipso creatus est Cæsar; Eusebius[a] testatur his verbis: Tertius filius Constans fuit, qui ipso nomine & appellatione præsens constansque tempus perspicue præseferens, trigesimo paterni regni anno ad honorem Cæsaris euectus est. Ita cum triplicem assimilatione ad Trinitatem liberorum fœtum Deo gratum acceptumque procreasset, eumdemque decimo quouis anno regia dignitate decorasset: extremum trigesimum annum accommodatissimum tempus sibi oblatum esse putauit, in quo omnium Regum Regi grates prosolueret: quo tempore etiam optimum existimauit, Martyrum domum incredibili & optimo studio ab se Hierosolymis coædificatam consecrare.] id quidem factum esse mox post Conuentum Tyrium, idem auctor inferius affirmat, cum ait[b]: Interea vero dum hæc ab Imperatore demandata gererentur: alter ab eodem nuncius festinans superuenit, qui Synodum Imperatoriis litteris commonet, vt celeriter & sine procrastinatione Hierosolymas proficiscerentur.

[a] Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 40.

QVANDO DEDICATVM EST TEMPLVM HIEROSOLYM.

B

[b] Euseb. eod. lib. 4. c. 44. 45. 46.

Cum igitur omnes Phœnicum Episcopi publicis vehiculis ad constitutũ locum contenderent; celeriter totus ille locus frequentissimo Dei cœtu refertus est, confluentibus nimirum eodem tempore Hierosolymas cuiusque prouinciæ Episcopis. Nam Macedones suæ metropolis Episcopum legabant.] hic erat Alexander Antistes Thessalonicensis, de quo plura superius. addit Eusebius: Pannonij & Mysij suum etiam iuuentutis florem, tamquam Dei impuberem cœtum, miserant.] hi erant Valens & Vrsacius, quos veluti in Ariana impietate collegas auctor commendat: tum subdit: Aderat ex Persiæ Episcopis diuinum monumentum, vir summus & in sacris scripturis exercitatissimus.] Milles hic nominatus erat, qui (vt auctor est Sozomenus[c]) ad inuisenda loca sancta, Hierosolymam se contulit: hic autem postea in persecutione aduersus Christianos in Perside excitata martyr occubuit; sed de eo suo loco dicendum pluribus. Rursum Eusebius: Iam Bithyni & Thraces Synodi frequentiam sua præsentia ornabant, nec deerant lectissimi quique Ciliciæ; sed & ex Cappadocia, qui doctrina & eruditione præcipui videbantur, medij inter eos collocati enituerunt. Præterea omnis Syria, & Mesopotamia, Phœnicia, Arabia, Palæstina, Aegyptus etiam, & Africa, & Thebanæ gentis Episcopi magnificum illum Dei cœtum simul omnes implebant, quos innumerabilis pene ex omnibus prouinciis multitudo sequebatur.] Hic vides, Eusebium Eusebianorum conuenticulum tantopere ostentare, quo Arij confessio ibi probata maiorem sibi fidem vendicaret, & Arianorum in eo facta restitutio firma rataque ab omnibus haberetur. Nam etsi aliqui magni nominis ibi fuerunt Orthodoxi Episcopi ad dedicationem Basilicæ conuocati; seorsum tamen ab illis Eusebianos conuenisse, vel post illorum discessum, certum est: etenim Eusebianorum Conuentus potius, quàm legitima Synodus, ille æstimatus est. Sed rursum Eusebius:

EPISCOPI QVI DEDICATIONI INTERFVERVNT.

C

[c] Sozom. lib. 2. c. 13.

D

Hisce vero omnibus præsto fuerunt certi ministri: nam ex curia ipsa delegati erant spectata probitate viri, qui Imperatoris sumptibus celebritatem hanc illustrarent: sed horum facile princeps Marianus fide & prudentia, vel ipsi Imperatori perquàm necessarius: cui, quòd sacrarum scripturarum singularem vsum haberet, & professione veræ religionis diris illis Tyrannorum temporibus clarus euaserat, non sine causa rerum istarum dispositio data est. Is vero se Imperatoris voluntati castissimum & integerrimum ministrum præbens, cum grata quadam & suaui humanitate, tum splendidis cõuiuiis & lætis compotationibus cœtum illum honorifice tractabat. Iam pauperum nudis corporibus, & ceterorum tum virorum, tum feminarum infinitæ pene multitudini in summa victus inopia & reliquarum opportunitatum egestate positæ, prolixe & abundanter pecunias & vestes largitus est. Templum vero omne magnificis regiisq. donis ornauerat. atque hic quidem hoc officij genere perfunctus est.

MARIANVS PRAEFECTVS LAVDATVR.

E

Interea sacerdotes & precibus & disputationibus hanc celebritatem ornabant. Iam alij diuini Regis præclaram in Saluatorem benignitatem prædicabant; simul etiam oratione prosequebantur summam sacræ Martyrum ædis magnificentiam.] sic nominat auctor templum illud sumptuosissimum, quod, vt superius dictũ est, S. Cyrillus Martyrion nominat: sed pergit: Alij celebri diuinarum rerum apparatu, qui de sacris monumentis depromebatur, prẹsentibus conuiuium, quo & animos & aures dapibus & reliquo deliciarum genere pascerent, instruebant. Alij sacras lectiones interpretantes, abditos & occultos sensus in lucem proferebant. Alij, qui horum nihil poterant efficere, incruentis sacrificiis, & mysticis cõsecrationibus diuinum numen placabant, & supplices Deo preces pro communi pace, pro Ecclesia Dei, ipsoque Imperatore harũ præclarissimarum rerũ auctore, proque eius Deo caris liberis offerebant.

QVAE ACTA HIEROSOLYMIS AB EPISC.

Quo etiam in loco nosmetipsi, cui multa supra nostram dignitatẽ tributa sunt, publicis, iisque sane variis orationibus celebritatem illam exornabamus: cum aliquando quæ magnifice ab Imperatore gesta essent, scriptis ederemus; aliquãdo propheticos sensus, propositis quibusdã euidentibus signis, explicaremus. Hoc modo huius Martyrij dedicationis, cõsecrationisque celebritas ipso tricesimo Imperatoris regni anno, summo omniũ gaudio ac lætitia cõsummata est. A

Quale vero Saluatoris templũ, quale item Saluatoris antrũ fuerit, atque etiã quàm præclari conatus Imperatoris, quanta etiã in ipso templo donorum turba ex auro, argento, pretioso lapide; separatim suo, quoad fieri potuit, volumine conscriptũ Imperatori dedimus, eiusq. nomini dedicauimus: quod etiã, cum videbitur, & absoluto quod in manibus est opere, edemus: simul etiam adiungentes tricesimi anni Imperatoris laudationem, quam paulo post Cõstantinopolim profecti (secundum scilicet hoc tẽpus nacti, quo in ipsa regia Regem omniũ Deum gloriose prędicaremus) coram ipso Imperatore recitauimus. quam is vere amicus Dei cum audiuisset, nimia lætitia gestienti similis visus est: idq. reipsa paulo post declarauit, cum omnes Episcopos cõuiuio exciperet, maximumq. eis honorem deferret.] Accessus iste Eusebij Constantinopolim contigit anno sequenti, quo ipsius & collegarum calũnia, decretum fuit Athanasio exiliũ. agemus de his suo loco pluribus: sed rursum ipse de Cõuentu Hierosolymitano [a]: B

[a] Euseb. Vit. Constantini lib. 4. c. 47.

LAVDES NIMIAE SYNODI HIEROSOL.

Hunc secundum Conuentum, quem equidem scimus maximum post illum Bithyniæ celebratum, clarissimũ Nicænum Imperator Hierosolymis collegit. Sed ille Nicænus triũphi nomine vicesimo Imperij anno constitutus in ipsa vrbe Nicæa, νίκην, id est præclarã de hostibus victoriam reportabat: hic vero Hierosolymitanus, tricesimũ eius Imperij annum decorabat, in quo Imperator Martyriũ consecrans circa ipsum Saluatoris monumentum, quasi donũ quoddam pacis Deo omnium bonorum largitori offerre visus est.] hucusque de his Eusebius. Addit ad hæc Sozomenus [b], non solũ templi ipsius, sed & vasorum ministerialiũ consecrationem factam esse secundum Christianæ religionis antiquum ritũ; ac demum subdit: Ex quo tẽpore Hierosolymitana Ecclesia quotannis diem festum splendide admodũ celebrat; adeo vt in eo initiationes sacrorũ peragantur, & dies octo deinceps conuentus fiant; compluresq. ex omnibus totius Orbis terræ partibus, qui vndique ad sacra loca visenda cõfluerent, tẽpore quo dies festus celebrabatur, eo conuenerunt.] hæc Sozomenus, quibus adeo manifeste declaratur non ecclesiarũ tantum & sacrorũ vasorũ consecrationẽ, sed & anniuersariã tẽpli dedicationem solẽni ritu celebrari solitã, cuius rei frequentẽ in Ecclesia Catholica vsum hodie esse videmus. C

[b] Sozom. lib. 2. c. 25.

Rursum vero quod ait Eusebius [c], eiusmodi celebritatem disputationibus quoque exornatam fuisse: ad hoc spectat, quod in eodem Conuentu de recipiendis ad suas Ecclesias Arianis pœnitentiam præseferentibus, actum est. Sed & quòd ijdem recepti fuerint, atque Ecclesiæ conciliati: inde est quod idem Eusebius [d] ait, per eiusmodi Episcoporum Concilium donum quoddam pacis per Imperatorem Constantinum Deo esse oblatum: Arium enim veram certamque simulantem pœnitentiam antea receptũ ab eodem Concilio fuisse susceptum, & Alexandrinæ Ecclesiæ restitutum, Socrates [e] quoque auctor est, cum ait: Solemne festum ob locorum illorũ consecrationem celebratur. Arius cum suis in Ecclesiam recipitur: nam dicebatur ab Episcopis, se in ea re litteris Imperatoris obtemperasse, quibus illis significauerat, se fidem Arij & Euzoij penitus perspectam habere. Quin etiam ab Episcopis litteræ Ecclesiæ Alexandrinæ dabantur, vt omni inuidiæ flamma extincta, res suas pacate & tranquille administraret: referebatur item, Arium erroris sui pœnituisse, veritatẽ agnouisse, de cetero Ecclesiæ velle adhærere, & propterea ab ipsis merito receptum esse, Athanasium autem communi consensu relegatum (sed hoc de Athanasio in Tyri Concilio actum est.) De his etiam ipsum Imperatorem certiorem faciunt.] hæc Socrates: eadem quoque Sozomenus [f], qui & litteras recitat Arij atque Euzoij ad Constantinum Imperatorem, quibus se cum Ecclesia Catholica sentire mentiebantur. reddemus hic ipsas: D E

[c] Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 45.

ARIVS ET ARIANI IN SYNODO RECEPTI.

[d] Euseb. ibi. c. 47.

[e] Socrat. lib. 1. c. 22.

[f] Sozom. lib. 2. c. 26.

Sed illud hoc loco admonendũ putamus, nequaquam, vt ait, Arium hoc tempore fuisse ab exilio relaxatum, quem constat ex his, quæ S. Hieronymus [g] testatur, in Nicæno Concilio palinodiam recantasse, atque receptum fuisse; non tamen vt Alexandriam redire posset: Sed & Eusebianos, vt superius vidimus, nisos esse itidem litteris Constantini eumdem Alexandriam reuocare, verum obnitẽte Athanasio id minime concessum fuisse: quam ob causam tot tantæque molitiones ab eis de pellendo ab Ecclesia Alexandrina Athanasio sunt comparatæ. At quo modo dicendum est exulasse Arium, quem ante hæc, suadentibus Eusebianis, Constantinus scriptis ad eum libere agentem litteris, cur non ad se venerit, admirari se dicit? & eum quàm primum venire, concesso regio diplomate pro viatico, iubet, hoc ipso anno, cum Hierosolymitana Synodus agenda esset? quando auditis tandem Ario & Euzoio &

[g] Hieron. aduers. Luciferianos.

A eorum fidei professione scriptis prodita simul accepta, ambos vna cum ipsorum libello fidei Hierosolymam ad Synodum iudicandos misit: sed reddamus hic cuncta eodem quo gesta sunt ordine, ac primum epistolam Constantini qua honorifice Arium ad se accersit: sic enim se habet [a]: [a] Socrat. lib. 1. c. 19.

LITTERAE CONSTANTINI AD ARIUM.

Iam dudum tuae grauitati significatum est, vt ad mea castra venires, quo posses nostro aspectu frui: vnde vix satis mirari possumus, cur hoc abs te non extēplo factum fuerit. Iam igitur publico curru conscenso, nostra castra adire propera, vt nostram benignitatem & studium erga te expertus, in patriam redire queas. Deus te conseruet, carissime. Data ad quintum Kalend. Decembris.] persuasus enim ab Eusebianis Constantinus, Arium priorem vere mutasse sententiam, & Catholicam fidem profiteri, haec ad illum scripsit, cum ipse vna cum Euzoio ad Imperatorem veniens, eidem fidei suae libellum obtulit, qui a Sozomeno [b] recita- [b] Sozom. lib. 2. c. 26.

B tur in haec verba:

LIBELLUS ARII ET EVZOII.

Religiosissimo sanctissimoq. domino nostro Imperatori Constantino Arius & Euzoius.

Nos quidem, sicut singularis tua erga Deum pietas, domine Imperator, in mandatis dedit, fidem nostram scriptis prodidimus, & de Deo cum ipsi, tum ceteri, qui nobiscum sunt, ita credere confitemur, vt sequitur.

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, & in Dominum Iesum Christum Filium eius ex ipso ante omnia saecula genitum Deum Verbum, per quem omnia facta sunt, tum quae in caelis, tum quae in terris: qui descendit & incarnatus est, & passus est, & resurrexit, & ascendit ad caelos, & iterum venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. In Carnis resurrectionem; In vitam venturi saeculi; In regnum caelorum; In vnam Catholicam Ecclesiam Dei, ab vna Orbis terrarum ora ad alteram vsque se porrigentem.

C Hanc fidem a sacrosanctis Euangelijs accepimus, ipso Domino suis discipulis dicente: Euntes [c], docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. [c] Matth. 18. Si vero ista non credimus, sicut vniuersa Catholica Ecclesia & Scripturae docet, quibus quidem omnino fidem adhibemus: Iudex noster Deus sit & in praesentia & in futuro Iudicio. Quapropter tuam pietatem obsecramus, Imperator sanctissime, vt quoniam viri Ecclesiastici sumus, & sensum tum Ecclesiae, tum sacrarum litterarum tenemus; nos pro tua sanctimonia, quae & pacem conciliat, & Deum auguste veneratur, controuersijs omnibus & inanibus argutijs sublatis, matri nostrae, Ecclesiae scilicet, adiungas: vti & nos & Ecclesia tranquille vitam degentes, inter nos mutuo pro pacato & pio regni tui statu, & pro vniuerso hominum genere omnes communiter consuetas preces peragamus.] hactenus libellus. subdit his Sozomenus:

D Hanc fidei formulam nonnulli ita callide compositam esse dicebant, vt verbis solum ab Ariana doctrina discrepare, reipsa cum eadem consentire videretur: quandoquidem voces in ea positae talem facultatem dabant in vtramque partem ambigendi, vt sensus vterque tum Orthodoxorum, tum Arianorum ex illis colligi posset. FIDES AMBIGUA AT DOLOSA. Verum Imperator Arium & Euzoium eadem cum Episcopis in Concilio Nicaeno coactis sentire arbitratus, re admodum delectabatur: attamen sibi non tantum sumpsit auctoritatis, vt eos ante in communionem reciperet, quàm causa ab illis, penes quos esset potestas, sicut Ecclesiae norma postulat, & dijudicaretur, & diligēter examinaretur. Itaque illos mittit ad Episcopos Hierosolymis id temporis conuocatos: scripsitque vt formulam fidei ab istis editam accurate expenderent, atque vt Concilium benignam de illis pronunciaret sententiam: si vel recte de religione sentire videantur, perque inuidiam structae sint insidiae: vel cum nihil causae habeant, cur factum iam de se iu-

E dicium incusent, resipiscere velint. Ex quibus litteris illi qui istorum causae studebant, occasionem denuo nacti, eos in communionem receperunt. Atque cum hoc fecissent, litteras dedere Imperatori; scripsereque tum ad Ecclesiam Alexandrinam, tum ad Episcopos & clericos Aegypti, Thebaidis, & Libyae, eos cohortati admodum, vt Arium & Euzoium lubentibus animis reciperent: quippe tum eorum fidem veram esse, testimonio Imperatoris confirmatam fuisse (quam quidem fidem suis litteris subiunxerunt) tum Concilium iudicio Imperatoris suffragatum esse. Atque haec quidem in hunc modum Hierosolymis Arianorum studio facta esse cognouimus.] hactenus Sozomenus, eademque ferme Socrates [d]. [d] Socrat. lib. 1. c. 19.

Recitat sanctus Athanasius [e] scriptam ab eis tunc Synodalem epistolam de rebus in Synodo gestis, atque ait: Coeunt igitur (Eusebiani scilicet) Hierosolymis, & istiusmodi scribunt: [e] Athanas. de Synod.

Sancta Synodus Hierosolymis coacta, Ecclesiae Dei quae est Alexandriae, & per Aegyptum,

Thebaida, Libyam, Pentapolim, reliquisque per orbem Episcopis, presbyteris, & diaconis A
in Domino salutem.

EPISTOLA CONCILII HIEROSOLYMITANI.

Omnibus nobis ex diuersis prouinciis in vnum congregatis ad Panegyrin celebrandam pro dedicatione Martyrij Saluatoris, quod religiosissimus Imperator Deo omniũ Regi & Christo eius ædificauit: maiorem nobis animorum lætitiam, Dei gratia, litteræ eiusdem religiosissimi Imperatoris præbuerunt; quibus nos ad ea quæ oportuit instigans, omnem inuidiam ab Ecclesia Dei expellit, & omne odium procul abigit, per quæ Christi membra iampridem dissidebant; auctorque fuit, vt simplici & placido animo reciperemus Arianos, quos aliquandiu improba inuidentia extra Ecclesiam detinuit, & viris istis de rectitudine fidei in litteris suis testimonium præbet, quam cum antea fama audiuerat, ipse eamdem ex viua eorum voce cognouit, cognitamque approbauit; eamque rem nobis manifestam reddidit; eo quod litteris suis orthodoxas eorum virorum opiniones scripto comprehensas subiunxerit, quas omnes B
agnouimus sanas & Ecclesiasticas esse. Quapropter iure admonuit, vt viri isti reciperentur, & coadunirentur cum Ecclesia Dei, vt vos ex epistolæ eius exemplaribus cognoscetis, quæ nos ad pietatem vestram misimus. Credimusque vobis ipsis veluti propria membra vestri corporis recuperantibus, magnum ex ea re gaudium, lætitiamque oborituram; dum ipsi viscera vestra, fratres scilicet, & patres, agnoscitis & recipitis, non solum presbyteris Arianis, sed vniuerso populo cum omni multitudine vobis restituto, quæ ob causam istorum virorum longo iampridem tempore a vobis dissidebat: decetque vos, cognitis quæ hic acta sunt, quodque viri isti nobiscum communicauerunt, & a tanta Synodo recepti sunt, quàm promptissime eos, vt membra Ecclesiæ coeant, & in pace sint, consalutare; maxime, quòd promulgata & publice edita eorum fides, indubitatam & apud omnes approbatam Apostolicam traditionem & doctrinam complectatur.] hactenus Synodalis epistola Hierosolymi- C
tani Concilij.

a Athanas. Apolog. 2.

PROBAT IMP. ACTA IN SYNODO HIEROSOL.

Recitatur pars eiusdem epistolæ ab eodem Athanasio in sua Apologia, vbi hæc subdit[a]: Certe ipse Imperator religiosissimus suo testimonio istorum virorum rectitudinem in fide ambulationem commendat, eamque ex eorum viua voce cognitam approbauit: et nobis eam significauit, certamque & indubitatam reddidit litteris suis, subiecta eorum virorum orthodoxa mente, quam scripto ediderant. Quis igitur, auditis istis, fabricas eorum & technas non perspiciat? Non enim dissimulauerunt, quod ipsis in animo fuit, & fortasse etiam inuiti veritatem confessi sunt. Nam si ego is eram qui Arianos ab Ecclesia arcebam, Arianique, me oppresso, recepti sunt; quid aliud intelligas, quàm omnia in gratiam Arianorum facta esse, omniaque contra me instituta esse, tam calumniam poculi confracti, quàm Arsenij cædem, vt & hæresin in Ecclesiam immitterent, & ipsi interim hæreseos damnati non haberentur? Id D
profecto erat, quod antea Imperator mihi per minas scripserat; nec verentur in dictis suis eos affirmare recte sentire, quos vniuersum Orbis Concilium anathemate damnauit; neque timuerunt, tam præclaram Synodum, nempe Nicænam, quantum in ipsis est, in angulis demoliri, homines quiduis temere & dicentes & facientes.] hæc Athanasius: quibus plane intelligas, ea professione fidei Arium (quam iure ambiguam dicit Sozomenus) nihil aliud efficere conatum esse, quàm vt abolito ex Nicæna fide verbo, Cõsubstantiali, tota pariter extructa a sanctis Patribus sinceræ fidei machina corrueret: nam vt superius late disputatum est, omnia quæcumque a Catholicis ad destructionem Arianæ hæresis afferrentur, haud satis esse videri poterant, quæ omnes illorum tergiuersationes dolosas, captiosasque technas penitus tollerent: nisi verbum, Consubstantiale, ad fidei confessionem adderetur. quamobrem eam vocem reticuisse, idem videri poterat, quòd Arianam hæresin ipsos confessos esse. Rur- E
sum vero ex ijsdem Athanasij verbis, cum ait Eusebianos conatos esse in angulis demoliri Magnam Nicænam Synodum, intelligas plane detegi sic Hierosolymis actum esse, vt peracta templi dedicatione, dimissoque coetu, ipsi tantum Eusebiani relicti conuenerint, Arijque fidem probarint, ac tum ipsum, tum alios recipiendos esse statuerint. Qui enim fieri potuit, vt si Orthodoxi simul ea de causa coiuissent Episcopi, nullus ex eis Nicænam fidem conuelli penitus reclamaret, deque vi illata cunctas Catholicorum moneret Ecclesias?

SVBLATVM VERBVM, CONSVBSTANTIALE.

Rursus vero agens Athanasius de eodẽ Eusebianorũ Conuenticulo, quod vnum idemque existimatum est cum Tyrio Conciliabulo, vtpote quod eodem ferme tempore & ab ijsdem Eusebianis Episcopis fuerit celebratum; ipsum exordium Synodorum Arianorum nominat, cum ait[b], post recitatam ab eo scriptam epistolam Synodalem: Tale Synodorum exordium fuit, in quo quàm celerrime sua studia; quæ vlterius dissimulare nequibant, comprodidere: siquidem

b Athanas. de Synod.

CONCIL. HIEROSOL. ET TYRIVM IDEM.

A ſiquidem eo ipſo, quòd dicerent, depulſam eſſe omnem inuidiam, & quia poſt Athanaſij exilium ſcribebant, Arium cum ſuis recipiendum eſſe; ſatis indicarunt, ſeſe non alia de cauſa Athanaſio, ceteriſque Epiſcopis, quos ſibi refragatores ſentiebant, inſidias ſtruxiſſe, quàm vt Arium reducerent, & hæreſin introducerent.] hæc ipſe, qui mox agere pergit de Antiocheno Conuentu ab eiſdem Euſebianis eadem Encœniorum occaſione poſtea Conſtantij Imperatoris auctoritate collecto.

Quòd autem hic Athanaſius ait, poſt ſui ipſius exiliū ab Euſebianis tractatū de Arij reſtitutione: plane declaratur, nō ſtatim atque Arius receptus eſt Hieroſolymis, ab Euſebianorū Cōcilio actum eſſe de reſtitutione eiuſdem Alexādriam, ſed tum demum id fuiſſe tentatum, cum ipſe Athanaſius in Gallias amandatus eſt, quod Socrates quoque affirmat [a]: quamobrem ſicut de exilio Athanaſij, ita etiam de Arij reſtitutione Alexandriam agendum erit anno ſequenti. [a Socrat. lib. 1. c. 25.]

B Quod igitur tum Sozomenus [b], tum alij quoque tradunt, poſt Hieroſolymitanum Concilium reſtitutum eſſe Arium Alexandriam; non ſic accipiendum eſt, vt ſtatim Hieroſolymis eo fuerit miſſus, ſed poſtquàm Euſebiani profecti Conſtantioopolim, noua inuecta calūnia, nouiſq; ſecū adductis teſtibus, Athanaſius ibi agēs, ſed inauditus, iuſſus eſt ſolum vertere, & in Gallias proficiſci. Quòd rurſum ait Socrates [c] cuncta hæc geſta eſſe anno trigeſimo Cōſtantini Imperatoris, non ſic intelligendū ſunt, vt hoc anno Domini trecenteſimo trigeſimoquinto abſoluta fuerint: ſiquidem alia ratio eſt annorum Imperij Conſtantini ab annis Domini, vt ſuperius demōſtrauimus: non enim cū ipſis Kalēdis Ianuarij inchoantur, ſed octauo Kalēdas Auguſti, quo pater eius Conſtantius mortuus eſt, vel alia eiuſdem anni die ex diuerſorum ſententijs: quamobrem multa quæ facta dicuntur ipſis Conſtantini Tricennalibus, reijciētur in annum ſequentem vſque ad exitum eiuſdem Coſtantini anni trigeſimi. Ceterū quòd ex ſententia omnium, [b Sozom. lib. 2. c. 28.] [DE RESTITVTIONE ARII QVANDO ET VBI ACTVM.] [c Socrat. lib. 1. c. 25.]

C & teſtificatione Euſebij qui interfuit, dicatur Concilium Hieroſolymitanum celebratum ipſis Tricennalibus Conſtantini Imperatoris, haud neceſſe eſt vt ſpatio præſentis anni Domini includatur, cum ipſa Tricennalia in ſequentem quoque annum prorogentur; et ipſum Tyrium Conuentum ob legationem Mareoten miſſam, tam cito haud potuerit abſolui. hæc de his quæ ad temporis rationem ſpectant, ad ea quæ ſuperius dicta ſunt, addidiſſe oportuit.

Quod rurſum pertinet ad res geſtas: io eodem Hieroſolymitano Conuentu cauſam Marcelli Epiſcopi Ancyrani in Galatia, & Aſterij Cappadocis tractatam fuiſſe tradit Socrates [d], ſed eadem repetita dicit in Synodo Euſebianorum ſequenti anno Conſtantinopoli celebrata; agemus de ijs ſuo loco: ſicut & Sozomenum feciſſe vidimus, qui ait [e], Marcellum ad Hieroſolymitanum Conuentum vocatum, accedere contempſiſſe. [d Socrat. lib. 1. c. 24.] [e Sozom. lib. 2. c. 31.]

D Hoc eodem anno, pridie Kalendas Ianuarij, S. Silueſter Romanus Pontifex ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos vigintiunum, menſes decem, & diem vnum. Quòd autem ſciamus Silueſtri anoos a diuerſis ſcriptoribus diuerſo numero conſignatos; cum ſint alij qui eius ſedi tribuerint annos vigintiquatuor & menſes aliquot atque dies; rurſus etiam apud Nicephori Chronicoo legantur eius ſedis anni vigintiocto; et ex deprauata Euſebij Chronographia, cum additamento Hieronymi, annos tantum reperiatur ſediſſe decem & oouem: vt oos eiuſmodi inierimus rationem annorum Silueſtri, illud potiſſimum perſuaſit, quòd cum in libro de Romanis Ponrificibus ponatur ingreſſus Silueſtri ſub Cooſulatu Voluſiani, tempore Conſtantini (ſic legendum eſt, non ſub Conſulatu Conſtantini & Voluſiani) rurſum vero Marci ſucceſſoris Silueſtri ſubrogatio ponatur anno ſequenti, ſub Conſulatu Nepotiani atque Secundi: præſentem annum nequaquam potuit exceſſiſſe Silueſter. Porro in eodem Commentario hæc ſcripta de ipſo habentur: Silueſter fecit ordinatiooes ſex per menſem Decembrem: [SILVESTRI PAPAE OBITVS.]

E ordinauit presbyteros quadragintaduos, diacones vigintiſex, Epiſcopos per diuerſa loca ſexagintaquinque, aliàs trigintaſex. Hic ſepultus eſt in cœmeterio Priſcillæ via Salaria apud Vrbem milliario tertio, pridie Kal. Ianuarij: qui Catholicus & confeſſor quieuit. Ceſſauit Epiſcopatus eius diebus quindecim.] hæc ibi: De S. Silueſtro illud habetur expreſſum in epiſtola Hadriani Papæ, eccleſias Vrbis mira amplitudine a Conſtantino erectas exornaſſe ſacris picturis, ſiue muſiuo opere, ſiue coloribus. De eodē etiā Silueſtro nō prætermittimus, eius plantationem fuiſſe oobiliſſimā virginem, Romanam nomine, filiā Calpurnij Præfecti Vrbis, cuius habetur mētio in Concilio Romano ſuperius recitato: baptizata hæc enim ab eodem S. Silueſtro perpetuam coluit virginitatem; cuius natalis dies [f] ſeptimo Kalendas Martij adſcriptus tabulis Eccleſiaſticis, anniuerſaria commemoratione in Eccleſia perſeuerat, coliturque Tuderti præſertim, vbi eius venerandæ reliquiæ aſſeruantur. [f Martyrolog. Rom. ea die.]

A

IESV CHRISTI ANNVS	MARCI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
336.	1.	31.

MARCVS PAPA. CHristi anno trecentesimo trigesimosexto, Nepotiano atque Facundo Consulibus, decimoseptimo Kalendas Februarij, Marcus Prisci filius natione Romanus in locum Siluestri subrogatus est Romanæ Ecclesiæ Pontifex, seditque annos duos, menses octo, & dies vigintiunum. hæc ex libro de Romanis Pontificibus. Ceterum de ratione annorum sedis ipsius dicemus in eius obitu.

Quo ipso anno cum Athanasius Episcopus Alexandrinus ex Tyrio Eusebianorum Conuenticulo se abstrahens Cõstãtinopolim profectus esset ad Constantinũ Imperatorem (quod B dictum est anno superiore) ipsumque acerrimis querimoniis ob toleratas ab Eusebianis calumnias aduersus eos interpellasset: illud obtinuit, vt ijdem Eusebiani, qui ipsius causam Tyri iudicassent, Constantinopolim se conferrent: dedit enim ad eos ea de re litteras Constantinus, quas ipse S. Athanasius [a] recitat, his præmissis: Nos autem, adito Principe, qui Synodum indixerat, in qua ipsius Comes præsederat, Eusebianorum scelera patefecimus: quibus ille auditis, grauiter commotus, in hæc verba scripsit:

[a] Athanas. Apolog. 2.

Victor Constantinus Magnus Augustus.

LITTERAE CONSTANTINI AD EVSEBIANOS. Ego ignoro, quid sibi velint ista, quæ a vestra Synodo per tumultum & tempestatem iudicata sunt. Mihi sane videtur, nescio quo pacto veritas per immodestiam opprimi, dum per vestram contentionem, quam inuictam cupitis, ea quæ Deo placent, non consideratis. Sed erit diuinæ prouidentiæ officium, & explorare scelera istius cõtentionis, & explorata dissipare; C vobisque clare ostendere, quantam in vestro congressu veritatis curam habueritis, & an vestra iudicia citra gratiam & odium calculum suum promlserint. Quocirca festinanter ad meam pietatem accurrite, vt rerum istarum excussam exactamque fidem coram me in præsentia ipsi præsentes doceatis. Quare autem ista scribere voluerim, & quapropter litteris meis vos accersendos putauerim, ex sequentibus cognoscetis.

Ingredienti mihi cognominem ac felicem patriam meam Cõstantinopolim (eram autem in equo) subito Athanasius Episcopus in media via cum nonnullis aliis, quos circum se habebat, ita inexpectatus occurrit, vt non leuem mihi causam admirationis præberet. Testis mihi Deus omniũ speculator; me, quisquis esset, primo aspectu cognoscere nequiuisse, nisi nostrorũ quidam, quisnam ille, & quamnam iniuriam passus esset, iam antea auditam, vt fieri solet, mihi indicasset. Ego igitur per illud temporis verba cum illo non habui, neque colloquium D miscui. Cum autem ille se audiri postularet, & hoc recusarem, & propemodum eum summoueri iuberem, magna libertate nihil aliud postulauit, quàm vt vos huc euocari iuberem; quo vobis præsentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset. quod cum mihi æquum & temporibus meis congruum videretur; scripto vobis denunciatum volui, vt quotquot Synodum Tyri absoluistis, sine omni tergiuersatione ad Prætorium nostrę clementiæ conueniatis; reipsa, quantũ sinceritatis integritatisq. sit in vestris sentẽtijs corã me ipso sincero famulo Dei (quod ne ipsi quidẽ abnegaueritis) declaraturi. Certe per meũ erga Deum cultum, obseruantiamq. iam vbique terrarum pax est, & a barbaris ipsis nomen Dei sincere benedicitur, qui hactenus veritatem ignorabant. Nihil dubij autem est, eum qui veritatem ignorat, etiam Deum ignorare: sed tamen, vt antea dixi, barbari per me sincerum Dei famulum Deum agnouerunt, & iam metuere didicerunt; ideo quòd illum mihi protectorẽ esse, meique curam gerere, reipsa E experti sint, atque ita in nostris rebus Deum agnitum, nostri formidine barbari reuerentur. Nos contra qui mysteria clementiæ eius ostentare & præferre videmur (non enim dixerim tueri) nos, inquam, nihili facimus, nisi ea quæ ad discordiam & odium pertinent, & vt semel dicam, quæ ad humani generis perniciem referuntur. Quapropter vos meo Prætorio sistite, quemadmodum dixi: et festinate huc quàm celerrime: certique sitis, me omni ope studioque adnisurum, vt ea quæ sunt legis Dei, quàm maxime inoffensa illabefactaque seruentur, quibus nullum nec probrum nec infamia allini possit, profligatis scilicet & contritis semel inimicis legis, qui sub specie sancti nominis, multiplices & diuersas blasphemias afferunt.] hæc Constantinus.

REGIA CONSTANTII AVLICI STVDIOSI. Ex his in primis videas, quàm septa vndique atque vallata fuerit ipsa Constantini Regia Eusebianorũ fautoribus; vt numquã patuerit tanto Episcopo ad Imperatorẽ aditus, quin etiã necesse habuerit in via illi obequitanti occurrere; et quàm male persuasus ipse de Athanasio fuerit

A fuerit Constantinus, vt neque occurrentem in via sibi fiuerit res suas, vt par erat, prolixiore prosequi oratione, vel in Palatium eum secum duxerit, vel postea venire iusserit, quo ab eo singula quæ aduersum ipsum gesta Tyri vel in Aegypto essent, audiret: ex quo enim (vt diximus superius) Constantius creatus est Cæsar, adeo vires Eusebianorum inualuerunt, vt a Catholicis ad Constantinum aditus pene omnis interclusus esse videretur, patuerit vero tantummodo nebulonibus illis Ario occulte fauentibus. Ea enim est aulicorum natura, vt respiciant (quod aiebat Tiberius [a] Imperator) in Solem orientem potius, quàm occidentem; nempe vt ijdem magis Constantio filio iuniori, iam Cæsari, futuro mox post obitum parentis Augusto, quàm senio confecto, & haud post multum temporis ex hac vita recessuro Constantino Imperatori, obsequi, & officijs præsto esse satagerent, ad eiusq. arbitrium cuncta peragerent, & quos illum velle scirent, ad Imperatorem B admitterent, vel reijcerent. Considerare pariter ex his quæ Constantinus scripsit ad Episcopos qui Tyri conuenerant, eius amantissimum æqui animum licet: quippe qui quantumlibet erga Athanasium minus videretur propensus, tamen eidem, quod postulasset, indulsit, & ex eius sententia litteras illas dedit de euocando Tyrio Conuentu Constantinopolim.

a Dio lib. 59. in fin.

EVSEBIANI IN CONFERVNT CONSTANTINOPOLIM.

Qui autem venerunt Constantinopolim, hi fuerunt, nimirum Eusebius Nicomediæ, & alter Eusebius Episcopus Cæsariensis, Theognis Nicænus, Patrophilus Scythopolitanus, Valens atque Vrsacius Episcopi in Pannonia & Mysia: quod constat Athanasij [b] testimonio, cuius causa agebatur. Sed & Eusebius ipse Cæsareæ Episcopus eiusdem sui Constantinopolim aduentus meminit, quem non ante absolutum Hierosolymitanum Conuentum contigisse affirmat [c]; vt nulla esse possit de his dubitatio. Etenim ipse petiturus Athanasij caput (instar Herodiadis, saltatricem filiam præmittentis, quæ saltationis illecebris animum Regis ad concedendum C quæ vellet sibi deuinciret) orationem de Imperatoris laudibus recitauit, cuius auditione (vt ipse testatur [d]) summa ille affectus est voluptate. Excuset licet seipsum; quo tamen animo fuerit in demulcendo Constantino, & ad sua vota trahendo, exitus declarauit. Hæc enim quæ dicimus, iam & tunc ore piorum omnium ferebantur: vnde ad suam excusationem, tunc ipse sibi visus est hoc modo in ea oratione præfari [e]:

b Athanas. Apolog. 2.

c Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 46.

d Euseb. eod. c. 46.

e Euseb. orat. de laud. Cōstantin.

EVSEBIVS HABVIT ORATIONEM DE LAVDIBVS CONSTANTINI.

Causa mihi in hunc locum veniendi, amici & sacerdotes Dei, non fuit illa quidem, vt fabularum commentis aut sermonis elegantia ad auras capiendas conquisita, tamquam suaui Syrenarum cantu vestros animos permulcerem; aut in aureis poculis (vt poetice loquar) id est nitidis orationis flosculis, concinna verborum structura collustratis, voluptatis lenocinia his qui eiusmodi rebus oblectantur, proponerem: sed partim, vti vos, qui sapientum consilio inducti, sancti Dei Verbi ministri estis, commonefacerem in concionando, vt tum a tritis illis D Rhetorum vijs deflectatis, declinetisque, tum sedulo caueatis, ne vestrum sermonē ad imperitę multitudinis accommodetis arbitrium: partim vt nouo orationis genere apud vos Imperatoris laudes percelebrarem, &c.] Videas hominem in adulando profusum miro quodam artificio, pietatis coloribus vndique comparatis, conatum esse laqueos Athanasio fabricatos intus contegere: cum nimirum sic suis laudibus veluti vinculis quibusdam irretire animum studuit Constantini, vt sic deuinctum postea ad necem Athanasio inferendam impelleret: licet quod ad ipsum Imperatorem spectat, ab eodem Eusebio eius modestia commendetur, animiq. summissio in laudibus contemnendis: nam postquàm de recitata a se coram eo oratione in Vita ipsius mentionem habuit [f], hæc subdit [g]:

f Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 46.

g Euseb. eod. lib. c. 48.

Hisce iam rebus omnibus absolutis atque confectis, cum per omnium ora de maximi Imperatoris virtute fama volitaret, ausus est e sacerdotibus aliquis illum in os beatum dicere, E quippe qui tum in hac vita dignus esset qui summam rerum omnium potestatem haberet, tum vero in futura vnà cum Filio Dei regnaret. Sed is cum hæc se moleste audire significasset; hortatus etiam est, ne auderet aliquando eiusmodi vocem vsurpare, sed a Deo potius precibus contendere, vt & in hac vita & in futura Dei famulatu dignus videretur.] hæc ipse. Sed expende, quæso, diligenter Ariani proculdubio hominis laudem: nam bene precari Constantino vt in futura vita regnaret cum Filio Dei, nihil est in his verbis quod vitio verti possit, cum omnes Fideles id expectent & expetant, cuius rei gratia omnes dicant: Adueniat regnum tuum:] secundum illud Apocalypsis [h] de iustis dictum: Regnabunt in sæcula sæculorum vnà cum Deo in gloria sempiterna.] et alia multa id genus in diuinis scripturis. Sed quòd id respuerit Constantinus, & vt dictum minus se dignum exhorruerit: haud dubium adulantis hominis fuit illa laudatio, qua dignum diceret Constantinum in terris omnium rerum summa potiri, & æquali cum Filio Dei in cælesti gloria conregnare: etenim fuit hæc Ariani hominis precatio de Filio Dei humiliter sentientis,

MODESTIA CONSTANTINI.

h Apocalyp. 22.

sentientis, atque creaturam dicentis, consueto Arianorum (vt dictum est) loquendi more. A

NOVAE CALVMNIAE IN ATHANASIVM STRVCTAE.

a Athanas. Apolog. 2.

Quænam autem post hæc Eusebianorum fraude sequuta aspera, atque acerba, Orthodoxis omnibus maximum luctum intulerunt; S. Athanasius post recitatam Constantini ad Eusebianos epistolam, mox subdit his verbis [a]: Quibus (inquit) cognitis, conscij suorum facinorum, ceteris Episcopis a profectione retentis, soli Eusebius, Theognis, Patrophilus, & alter Eusebius, Vrsacius & Valens Principem adierunt absque omni mentione calicis, aut Arsenij: decrat enim illis eius rei fiducia; sed aliud crimen commenticium detulerunt: Athanasium scilicet minatum esse, se impediturum, quo minus frumentum ex Alexandria in patriam Cæsaris, nempe Constantinopolim, deueheretur; idq. Episcopos Adamantium, Anubionē, Agathammonē, Arbethionem, & Petrū præsentes ex eo audiuisse.] hæc ipse de accusatione recens allata, & ceteris omnibus ad commouēdum Imperatoris animum magis accōmodata; sed & quòd eiusmodi esset, quæ in reliquis omnibus veritatis imaginē præseferret, vtpote a testibus fide dignissimis, iisdemq. Catholicis Episcopis, immo & defensoribus alias Athanasij, & ex illis qui B in Tyrio Conciliabulo aduersus Eusebianos pro illo stetissent, atque viriliter egissent: hi enim ex illorum quadragintaseptem Aegyptiorum numero esse noscuntur, qui in eo Conuentu contra Eusebianos atque Dionysium Comitem, iniuste agentes in Athanasium, publicas contestationes scriptis editas obtulerunt: quibus ijdem subscripti reperiuntur: licet apud Athanasium mendose Ambius scribatur, pro Anubion, vt est apud Socratem [b]: In dicta enim contestatione primo loco subscribitur Adamantius, atque tres reliqui inter alios nominati, nempe Petrus, Anubion, Agathammon, & Arbethion.

QVI DEFENDEBANT ATHANASIVM ACCVSANT.

b Socrat. lib. 1. c. 23.

Hos nāque vel Comitis blanditijs, vel alijs Eusebianorum fallacijs deceptos, a sanctis collegis auulsit impietas, & aduersus eorum Primatem Athanasium hostes instruxit, atque ad expugnandam innocentiam Eusebianis adiunxit: qui adeo forti & valido stipati cuneo, relictis C collegis ceteris, & ablegatis omnibus alijs accusationibus, pro quibus struendis adeo laborauerant, vt de fracto calice & Arsenij nece calumnijs, nouæ, recentiq. vni illi, & quidem vehementi accusationi intendūt, quam in ipsius Imperatoris maiestatis offensionem, detrimentum totius Imperij, & iacturam amplissimæ ciuitatis vergere intelligerent: nam aliàs occasione retardati frumenti, ex imaginaria tantum causa vulgi ore iactata, idem Constantinus (quod superius dictum est) Sopatrum philosophum amicissimum sibi hominem securi percuti iusserat [c]. Quo modo igitur idem parceret Athanasio, id præsertim suis atque adeo sibi carissimis aduersus eum testātibus patronis Episcopis? Quid itaque tunc, auditis his, ipse Imperator, cum accusatores præsentes se ab Athanasio ea testarentur audisse? idem plane Athanasius subdit, cum ait [d]: Emicuit ibi Cæsaris ira, adeo vt post tot atroces minas, & tantopere damnatas Eusebianorum iniurias, inaudita causa, euestigio efferbuerit, & omisso iudicio quod in expectatione erat, nos in Gallias relegarit.] hæc ipse, qui quidem infracto animi vigore, ea libertate, D quæ Episcopum decet Catholicæ fidei defensorem, aduersus Constantinum adeo iniustam sententiam proferentem non veritus est diuinum comminari iudicium: Tum enim, Constantino Imperatore indignante, inquit Epiphanius [e]: Papa Athanasius grauem sermonem aduersus Regem protulit, nempe: Iudicabit Dominus inter me & te, quoniam tu consentis calumniatoribus modestiæ nostræ.] sic igitur traditus est Athanasius militibus, qui ad locum exilij eum in Gallias perducerent.

c Eunap. in Vit. Philosoph.

d Athanas. Apolog. 2.

IN ATHANASIVM FERTVR RELEGATIONIS SENTENTIA AB IMP.

e Epiphan. haeres. 68.

Porro tanti viri exilio vniuersa Dei Ecclesia Catholica, veluti ingenti terræmotu concussa, contremuit: tum & Sol ille, qui pietatis radijs totum terrarum Orbem hactenus illustrabat, ipse inquam Imperator Constantinus, deliquium passus, visus est obscurari, magno omnium mærore spectantium. Ceterum eiusmodi tam immane Constantini facinus Alexandrinum E Concilium excusat, cum scriptis publicis de Arianorum impietate litteris, istæc inter alia de eorumdem immanitate testatur [f]: Tota enim eorum accusatrix epistola nihil aliud nisi necem spectat, aut necem moliuntur, si ipsis liceat, aut saltem exules facere, quod & impetrauerunt ab ipso Cæsarum patre; qui iras suas offensasque, cum supplicium capitale posceretur, exilio damnatorum expleuit.] in hunc modū Synodus, intelligens etiam cum Athanasio alios apriter in exilium missos: nam in eadem Synodali epistola Alexandrini Concilij hæc habentur [g]: Et eodem tempore quatuor presbyteros Alexandriæ, quamquam Tyrum non venerant, e finibus suis exterminauerunt.] Macarius vero diaconus nequaquam exulasse reperitur, qui Constantinopoli inuentus est tempore mortis Arij: quod ipse Athanasius in epistola ad Serapionem testatur. Sed & in eadem nuper citata Synodali epistola, de ea ipsa Athanasij causa tunc acta ijdem hæc inferius: Nihil hoc Athanasio profuit, qui oppressus calumnia, quasi verus homicida, ab illis in exilium actus est: non enim parens

f Apud Athanas. Apolog. 2.

g Apud Athanas. vbi supra.

CONSTANTINVS EXCVSATVR.

A rens Imperatorum, sed horum calumniæ illum in exilium exterminarunt. Animaduertite, quæso, num ita se habeant, vt dicimus.] et post narrata breui compendio quæ Tyri idem passus est Athanasius, & aduentum eius ad Imperatorem, de recentiore calumnia, qua circumuentus in exilium actus est, addunt: Eusebiani autem vbi comparuissent, nihil inter accusandum de obiectis Tyri criminibus meminere: sed frumentum ab Athanasio, nauesq. detentas calumniati sunt: eumq. gloriatum esse dixere, quòd frumenti deportationem ex Alexandria Constantinopolim impedire posset. Hæc nonnulli ex nostris, qui in Synodo erant, ex Imperatore admirationis pleno audierunt. Hic cum Athanasius ad tantas calumnias ingemisceret, affirmaretq. eas falsas esse, nec fieri posse vt homo priuatus & pauper tantum virium haberet: Eusebius ne publice quidem detrectans calumniatoris munus, deierauit, Athanasium perquàm opulentum esse, & satis virium atque auctoritatis ad ista omnia patranda habere, vt ita verisimiliter calumnia videretur. B Ad istum modum res actæ sunt per sanctos illos & venerandos sycophantas Episcopos; sed Dei gratia plus in hoc negotio valuit, quàm illorum scelerata malitia, quæ Principis animum religiosum ad clementiam retraxit; vt satis haberet, pro morte exilium irrogare.] hæc Patres ex Synodo Alexandrina.

Quin & ipsemet Athanasius in ea epistola quam scripsit ad solitariam vitam agentes, eumdem Constantinum excusat, egregium plane edens exemplum Christianæ modestiæ de facinoribus Principum excusandis: ait enim [a]: Siquidem pater, nempe Constantinus, calumnia Eusebianorum, Athanasium in Gallias ad tempus amandauit, quo liber esset ab eorum crudelitate, qui illi per insidias imminebant: hoc enim a beato Constante eius fratre post mortem patris scriptum fuit, vt ex litteris illius patet.] Sed & Constantinus iunior, maioris filius, istæc suis litteris ad Alexandrinos postea datis [b]: Ad hanc igitur feritatem eludendam, tot C faucibus inhiantium Athanasius subtractus, vt sub me ageret, iussus est; atque ita in hac vrbe, nempe Treueris, commoratus est, vt omnibus rebus necessarijs abundaret.] addit & paulo post, consilium Constantini parentis fuisse, vt eum ad suam Ecclesiam restitueret: sed & morte præoccupatus, quod animo conceperat, implere haud valuit.

ATHANAS. EXCVSAT CONSTANTINVM. *a Athanas. ad Solitar.* *b Apud Athanas. Apolog. 2.*

Vnus tantum Lucifer Calaritanus, libris illis, quos ad Constantium Augustum pro Athanasio scripsit, culpam omnem in Constantinum reijcit, & quidem iniuste, vtpote quæ ab eo longe longius abhorruerit; nam ait [c]: Quòd enim propter fidem quam semper tenuit Ecclesia, & tenet, quòd eam damnare noluerit, missus fuerit ad exilium, quia videlicet noluerit esse Arianus; idcirco namque Athanasium perosum habitum a patre tuo, non te fugit, quandoquidem & tu in ea eum digneris persequi causa, in qua fuerit & tuus pater persecutus.] hæc ille, sed iniuria sane, quod & abhorret penitus a veritate: siquidem nec ipsemet Athanasius, D neque defensores eius Episcopi qui conuenerant ad Synodum Alexandrinam, & alij plures eiusdem propugnatores innocentiæ, quidquam eiusmodi in Constantinum obijciunt; sed tantum, quòd deceptus fraudulentis Eusebianorum commentis, exilij sententiam in Athanasium tulerit: id quidem rei gestæ series cum ex eiusdem Athanasij scriptis; tum etiam ex Synodali epistola Concilij Alexandrini collecta (vt omittamus alios testes adducere) patenti veritate declarat. Porro rerum tunc gestarum prorsus ignarus ille; quòd scisset, Constantinum Eusebianorum persuasione, itidemq. Arianorum, Athanasium in exilium in Gallias amandasse: credidit omnino id factum, quòd Constantinus transisset ad Arianam hæresin: idque in eum, inconsulte nimis, declamare non destitit: hocq. ipsum Constantium profiteri faciens personam inducit, cum ait [d]: Nisi pater meus bene fecisset, conferre se ad Arianos; non eius filij regnaremus.] hæc & alia ipse multa id genus, sed plane falsa, quæ omni probationis genere reE fellantur. at de fide recta Constantini inferius iterum pluribus.

REFELLITVR LVCIFERI SENTENTIA. *c Lucif. pro S. Athanas. lib. 1.* *d Lucif. eod. lib. 1.*

Ceterum non quantum voluerunt, licuit Eusebianis. Cum enim viderent Athanasium in exilium missum, & Alexandrinam Ecclesiam scirent destitutam esse pastore, solicite & ad hoc Constantinum impellere sategerunt, vt alium in locum Athanasij eidem Ecclesiæ ordinatum Episcopum mitteret: sed restitit ille, nec cessit eorum libidini. quod idem ipse Athanasius tradit in loco superius citato epistolæ ad solitarios, cum subdit [e]: Sed tamen illi quidem non persuasum est ab Eusebianis, vt in Athanasij locum Episcopum, quem ipsi postulabant, summitteret: immo eos, qui id moliebantur, compressit, & eam rem ipsam conantes grauibus minis deterruit.] hæc ipse; ex quibus plane intelligi potest, Constantinum non fuisse penitus animo ab Athanasio auersum, ac proinde neque a fide Catholica alienum.

CONSTANTINVS REIICIT ARIANORVM PETITIONEM. *e Athanas. epist. ad Solitar.*

Rursus vero de eodem Constantino in fraudem ab Arianis allecto, hæc ad eius excusationem haud incongrue Theodoretus affert [f]: Nemini (inquit) certe mirum videri debet, quòd Imperator in fraudem illectus tam illustres viros solum vertere coegit. Nam fidem adhibuit

f Theodoret. lib. 1. c. 33. *EXCVSATVR ITERVM CONSTANTINVS.*

Episcopis,

Episcopis, qui occultare studebant veritatem, illustrem quamdam vitæ speciem præferentes, qua Imperatorem dolo deluserunt. Neque sane eos fugit qui sunt in sacris litteris eruditi, Dauidem Prophetam reuera deceptum fuisse: quem non Pontifex, sed verna & verbero (Sibam dico, qui falsum crimen contra Miphibosceth detulit ad Regem, illiusq. agrum, suum ita reddidit) veteratorie circumuenit [a]. Atque ista quidem dico, non quo Prophetam insimulem, sed quo pro Imperatore respondeam, ostendamq. humanæ naturæ imbecillitatem, & doceam simul, non solis accusatoribus credendum, quamuis digni videantur quibus sit habenda fides, sed alteram aurem integram seruandam reo.] hæc Theodoretus. A

a 2. Reg. 16. & 19.

ANTONIVS MAGNVS SOLICITVS PRO ATHANASIO.

Cum autem de rebus Constantinopoli gestis esset perlatum nuncium Alexandriam, & in totam Aegyptum, atque id quoque monachi percepissent: quid tunc Alexandrini, & monachorum princeps Antonius egerint, Sozomenus docet his verbis [b]: Cum populus Alexandrinus continenter vociferaretur, & precibus Deum solicitaret pro Athanasij reditu, & Magnus B ille Antonius monachus de eo persæpe ad Imperatorem scriberet, obsecraretq. eum, vt Meletianorum sententiæ minime assentiretur, sed eorum criminationes calumniarum loco duceret: Imperator tamen neutiquam suaderi potuit, sed scripsit ad Alexandrinos litteras, eisque criminis loco pertinaciam & turbulentum animorum motum obiectauit: deditq. etiam mandatum clericis & sanctis virginibus, vt quiete se gererent: quin etiam constanter asseruit, se neque destiturum de sententia, neque Athanasium, vtpote seditiosum & iudicio Ecclesiastico condemnatum, reuocaturum. Rescripsit præterea Antonio, se non posse sententiam Concilij contemnere: Nam etsi pauci vel ad odium, vel ad gratiam iudicare solent, tamen non esse probabile, vt tanta illustrium & spectatorum Episcoporum multitudo in simili errore versaretur: Athanasium autem contumeliosum esse, arrogantem, dissidij & seditionis auctorem: etenim qui erant animo ab Athanasio abalienato, hæc vitia potissimum ei falso obiecerant; C propterea quòd satis certo sciebant, Imperatorem eius generis homines supra modum detestari.

b Sozom. lib. 2. c. 29.

PRINCEPS MELETIANORVM MVLCTATVS EXILIO.

Porro cum accepisset Imperator Ecclesiam (Alexandrinam scilicet) in duas partes diremptam, atque alteram Athanasium, Ioannem alteram cum admiratione colere; iniquo animo tulit, & Ioannem mulctauit exilio. hic Ioannes Meletij successor fuit, iussusque a Concilio Tyri habito Ecclesiæ communicare, & vt tum ipse, tum omnes eiusdem cum eo sententiæ fautores, honores suos in clero capesserent. At quamuis illud, nempe de exilio Ioannis, minime ex sententia aduersariorum Athanasij euenerit, tamen factum est. Verum decreta Episcoporum Tyri congregatorum nihil omnino Ioanni profuere: nam Imperator neque precibus, neque vllo postulationis genere induci poterat, vt beneuolo erga eum animo esset, quem suspicaretur multitudines populi Christiani ad tumultum & discordiam excitaturum.] hactenus Sozomenus. D

ALII EPISCOPI EXVLES.

At non Athanasium tantum, sed & illi communione inhærentes Aegypti Episcopos e sedibus suis expulsos esse, & exulare iussos, ipsimet testantur epistola Synodali ex Concilio Alexandrino, celebrato post reditum ab exilio, in qua hæc leguntur [c]: Cur, inquiunt, qui alios calamitates miserorum lacrymis prosequi oportere docent, ne ab exilio quidem nostro se quieti tradunt? Publica enim omnium Episcoporum profligatio ex suis sedibus, exterminatioq. facta est; qui vt nos antea pro exulibus habuerunt, ita nunc cum Athanasio patriæ redditi, pro superioribus doloribus, lacrymisq. quibus eius vicem miserabamur, maximam vicissim hilaritatem & gaudium recepimus.] istæc ipsi, qui ea passi sunt. Eusebiani enim sicut in Athanasium, ita pariter in alios illi communicantes Aegypti Episcopos visi sunt damnationis sententiam irrogasse, & vt consortes criminum cum Athanasio, ab Imperatore, vt in exilium pellerentur, itidem petijsse. E

c Apud Athanas. Apolog. 2.

CONSTANTINVS NON LATOR SED EXECVTOR SENTENTIAE.

Ceterum quod rursum ad Constantinum pertinet: dicere æquum est, de damnatione Episcoporum, ipsum excusando, illud sibi videri potuisse iure prætexere, quòd non ipse damnarit Episcopos, sed a Concilio prædamnatos, iusserit exilio solum vertere; vtpote qui optime sciret, non esse Imperatorum in Episcopos ferre sententiam, sed tantum a Concilio antelatam executioni mandare. In Ioannem vero schismaticum & Nicænorum decretorum contemptorem ex Athanasij sententia iure agere visus est; idq. præstitit, vt aliqua ex parte leniret Catholicæ Ecclesiæ mærorem, cum aduersarium Athanasij pari cum illo pœna mulctauit; existimans hac via Ecclesiarum paci consultum fore, si ambo, quorum causa videbantur esse turbatæ, simili sententia exilii perculsi, sic e medio tollerentur. Verum quod ad Athanasium spectat, æquiorem se postea erga eum exhibuit Constantinus, qui sequenti anno, quo & obiit, Athanasium Alexandriam reuocare in animum induxit; fecissetq. si vita comite licuisset: id quidem de restituendo eo ab exilio, cum litteræ Constantini iunioris suo loco recitandæ,

A tandæ, tum ipsius Athanasij testificatio manifeste confirmant; ait enim ipse [a]: Quamuis tum religiosissimus Imperator Constantinus curam egerit, vt pacifice in patriam, & ad bonam Ecclesiam deduceremur, & in primis rationem concordiæ populorum habuerit, &c.]

a Athanas. orat. 1. contra Arian.

Treuiros ad destinatum exilij locum cum tandem Athanasius peruenisset, nequaquam vt exulem sententia Imperatoris affectum eumdem populus Christianus excepit; sed vt egregium fidei athletam, qui semper aduersus Arij impietatem strenue pugnasset, atque eius causa ab Eusebianis innumeras insidias passus, denique exilium subiens, clarissimus confessor effectus esset. Talis est virtutis summa potentia, vt quo magis videtur esse depressa atque compressa, eo lucidiore fulgore coruscet. Suscepit illum Treuiris S. Maximinus eius ciuitatis Episcopus, & ipse sincera fide præclarus, & gloria sanctitatis illustris, de quo hæc S. Hieronymus [b]: Maximinus Treuirorum Episcopus clarus habetur, a quo Athanasius Alexandriæ Episco-
B pus, cum a Constantino quæreretur ad pœnam, honorifice susceptus est.] istæc ipse: sed perperam interpretatus est ea verba Lupus auctor, qui res gestas Maximini contexuit, dum existimauit tunc Treuiros Athanasium concessisse, cum fuga lapsus a Constantio Imperatore Constantini filio ad pœnas expeteretur; cum ex ijs quæ dicta sunt superius, luce clarius appareat, aduentum eius Treuiros contigisse, cum exulare iussus est a Constantino; eamque ciuitatem non fuisse Athanasij latebras, sed exilium. Sicut pariter reperitur hallucinatus Ruffinus, dum Athanasij absconsionem, cum sex annis delituit, statim post Concilium Tyrium euenisse putauit [c]. At obseruatione quidem digna res est, Athanasij exilium haud quaquam impunitum a Deo esse relictum: Imperium siquidem hactenus felicissimum, inuasione Persarum cœptum est perturbari; et Imperator ipse, cui Eusebius iam Quadriennalia fuerat illa oratione auguratus, sequenti anno ex hac vita subtractus est; quantumlibet videri posset penes homines excusatus.

ATHANASIVS HONORIFICE EXCEPTVS TREVIRIS.

b Hieron. in Chronic.

c Ruffin. lib. 1. c. 18.

C Ariani autem, sublato iam de medio Athanasio Arij aduersario acerbissimo, agunt apud Constantinum de restitutione eiusdem Arij Alexandriam: id non ipse tantum Athanasius [d], sed & Socrates [e] atque etiam Sozomenus [f] testantur. Porro Arius tum Eusebianorum, tum etiam Imperatoris litteris communitus, non est receptus ab Alexandrinis, vt Socrates narrat his verbis: Dum hæc geruntur, tricesimus annus regni Constantini ad exitum venit. Arius cum suis Alexandriam reuersus, eam ciuitatem vniuersam de integro in magnas turbas coniecit. Populus Alexandrinus acerbe & grauiter tulit, tum quòd Arius cum suis redierat, tum quòd significatum erat Athanasium suum Episcopũ in exilium eiectum esse. Vbi autem Imperator acceperat de peruersa Arii mente & instituto; eum denuo Cōstātinopolim accersi iubet, rationem de tumultu & seditione, quam concitare aggressus erat, redditurum.] Quid
D autem actum sit, cum Arius Alexandria Constantinopolim reuersus est, dicemus inferius: nunc vero; quæ læta tunc euenisse Eusebius tradit, his attexamus.

d Athanas. lib. de Synod.

e Socrat. lib. 1. c. 25.

f Sozom. lib. 2. c. 28.

ARIVS NON RECIPITVR ALEXANDRIAE.

Confecto igitur (inquit [g]) tricesimo Imperii anno: quoniam iam multo ante grandiorem natu filium in matrimonio collocasset: secundo filio suo, nempe Constantio, nuptias apparabat, in quibus omnium lætitia celebrata fuere conuiuia, cum ipse Imperator sponsum filium manu deduceret, conuiuiumq. splendide & magnifice instrueret; cumq. separatim virorum coetus, separatim mulierũ choros, præterea vniuersos populos & ciuitates satis large & prolixe muneribus afficeret.] Iuncta est Constantio matrimonio Eusebia, quæ (inquit Zosimus [h]) summa præstabat eruditione, supraq. muliebrem sexum prudens erat.] fuit tamen sterilis, & aliarum partui insidiatrix, vt tradit Ammianus [i], & inuida, sed quod deterius est, Ariano infecta contagio.

g Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 49. 50. 51.

NVPTIAE CONSTANTII CAESARIS.

h Zosim. lib. 3.

i Ammian. lib. 16.

E Verum ad Eusebium: Eodem, inquit, fere tēpore aderant ab Indis Orientalibus Legati, qui dona Imperatori afferebant, in quibus erant omnia prope clarissimarum & pretiosissimarum gemmarum genera, animantia etiam tota natura ab hisce nostris discrepantia: quæ omnia ad Imperatorem deferebant, vt significarent eius Imperium vsque ad vltimam Oceani oram pertinere; Principesq. Indorum, picturarum & statuarum muneribus declarare, se illum summa cum potestate omnium Imperatorem & Regem agnoscere & profiteri. Ita accidit, vt ei primum ad Imperium venienti, initio Britanni ad vltimas fere Occidentalis Solis oras Oceano cincti parerent, nunc vero postremum Indi in extremis Orientis partibus siti.

Vt vero vltimis Orbis terrarum finibus victorias suas terminasset, vniuersum Imperii statū tribus suis filiis partitus est, quod tamquam hereditatem paternam pius pater carissimis liberis assignabat: cum auitam sortem grandiori natu filio Constantino: Orientis partes huic, nempe Constantio, natu proximo: quod vero inter hæc medium interiacebat, tertio filio, Constanti nimirum, tribueret. Sed cum vellet hanc eis fortunam feliciter cedere, & ex animorum

CONSTANTINVS FILIIS PARTITVR IMPERIVM.

salute esse: pietatis etiam in eis semina sparsit, cum suis diuinis præceptionibus, tum magistrorum diligentia, quos omnibus virtutibus insignes eis præfecerat; quemadmodum etiam & in alijs disciplinis eos adsciuerat, qui essent in suo genere consummatissimi: nam alij eos bellicis disciplinis exercebant, alij præceptis de Republica imbuebant, alij legum peritos efficiebant. Iam apparatus & splendor singulis regius tributus est, armati, satellites, stipatores, & omnis generis ac ordinis milites, tum horum antesignani, manipulares, duces, ordinum Præfecti, quorum ipse pater, & rei militaris vsum, & constantem erga ipsos beneuolentiam expertus esset. A

OPTIMA INSTITVTIO FILIORVM CAESARVM.

Igitur dum iam Cæsares essent, sed ætate adhuc tenera, dabantur eis quorũ & ope & opera publicas res administrabant. Sed ad virilem ætatem maturescentibus, paterna institutio satis erat, qui præsentes eos ad paterna studia extimulauit, & ad imitandam pietatem eius instituit: absentes autem regijs litteris compellans, salutaria præcepta tradidit. In quibus istud maximum & præcipuum fuit, vt Dei, qui rerum omnium Dominus est, cognitionem, & sanctam erga illum religionem omnibus opibus, atque adeo ipsi regno anteponerent. Iam aliquando liberum eis fecit, vt per se aliquid ad Reipublicæ vtilitatem gererent: in primis vero hortabatur, vt summa cura afficerentur erga Ecclesiam Dei; præcipiebatq. vt plane & sine fuco Christiani essent. Atque eos quidem pater sic instituebat. Ceterum hi maturo iudicio sensuq. prædití cum essent, non iam eius admonitionibus, sed sua ipsorum diligentia nixi, patris exhortationes longe superabant, mentes semper ad pietatem intentas habentes, & Ecclesiæ ritus in ipso Palatio cum suis omnibus obseruantes. Sed illud quoque paterna cura solicitudoq. prouidit, vt tum filijs suis contubernales adhiberentur hi, qui vera religione pietateq. pollerent, tum magistratuum primores, quorum fidei rerum publicarum cura delegata foret, eiusdem generis essent omnes.] hactenus de his Eusebius. B C

a Hieron. in Chronic. * Dalmatianum DALMATIVS CAESAR.

Quòd vero dicatur [a], iisdẽ Constantini Tricẽnalibus, Dalmatium* ab eo creatum esse Cæsarem: filius hic erat Anniballiani Cõstãtini fratris: verum nec quidquã tale apud Eusebium legitur, qui de tribus tantum Cæsaribus meminit: nam in oratione de laudibus Constantini, cum de tribus Cæsaribus agit, quolibet ipsorum interstitio decem annorum creato, mox addit: Nunc vero si Imperium ad eius annum quadragesimum propagetur, vt Dei nutu temporis spatium crescit, sic numerosa sobole Imperium erit amplificatum, Cæsarumq. declaratione Prophetarum vaticinationes expletæ, quæ iampridem & olim sic palam prædicabant.] hæc Eusebius, more suo ex diuinis quoque scripturis comparans sibi adulaudi materiam: sed (vt diximus) extitit plane falsus vates, dum cui auguratur annum Imperii quadragesimum, anno sequenti ex hac vita sublatus est. Ceterum quod ad Dalmatium spectat, Eusebii de eo silentium (quod Victor & Eutropius dicunt) creato Cæsare, me in suspicionem adduxit, vt aliquando existimarim errore factum, vt loco Censoris, dictus sit Cæsar: Censorem quidem fuisse a Constantino creatum, eiusdem Imperatoris rescriptum ad eum datum, atque superius recitatum, quo demãdata est illi accusationũ cognitio in Athanasium obiectarum, fidem facit. Inter tot Cæsares alium addere fratris filium, haud satis persuasibile videri posset: siquidem si fratrum filiorum habenda ratio fuisset, erant duo alii ex Constantio fratre geniti Gallus & Iulianus, quos optima disciplina tradidit imbuendos. Verum cum fere omnes de dignitate Cæsaris Dalmatio collata affirment, sic conciliandi hi sunt cum Eusebio, nimirum vt tres tantum in successione atque administratione Imperii creati Cæsares fuerint, Constantinus filius, atque eius fratres Constantius & Constans, Dalmatius vero titulo tenus eam dignitatẽ fuerit consequutus, sicut & pater eius & patruus; idq. ex sententia Zosimi, dum ait [b]: Erant & Imperii quodammodo participes Dalmatius a Constantino Cæsar dictus, & Constantius eius frater, & Anniballianus, qui purpurea & aureis ornata limbis veste vtebantur, dignitatem Nobilissimatus, vt vocant, ab ipso Constantino propter agnationis reuerentiam consequuti.] hæc Zosimus: ex quo & illud considerandum, potuisse in Constantini rescriptum irrepsisse mendum, vt Dalmatius, loco Cæsaris, Censor habeatur inscriptus. D E

b Zosim. lib. 2.

c Ruffin. lib. 1, c. 12. SYNODVS CONSTANTINOP. SCRVTATVR ARII FIDEM.

Nunc vero ad res Ecclesiasticas redeamus. Substiterũt Eusebiani Constantinopoli, Arium expectantes, quem Imperator Constantinus cum non receptũ audisset ab Alexãdrinis eam ob causam, quòd a fide Catholica alienus esset; ad explorandam rursus eius fidem, Constantinopolim acciuerat: vbi propinquorum Episcoporum Conuentus collectus erat, ex maxima tamen eorum parte qui Eusebianis studebant. Huius autem cogendi Concilii fuit illis causa Marcellus Ancyræ Episcopus. Meminit eiusdem Conuentus Ruffinus [c] quoque, licet ordine præpostero, dum nulla penitus habita temporis ratione ante Athanasii Episcopatum ponit: ait enim: Arium nequidquam apud Alexandriam commorantem venire facit Imperator, & Imperia-

A Imperialibus edictis Concilium denuo Constantinopolim conuocari: quo conuenere illi maxime qui Arium atque Eusebium sectabantur, quiq. sæpe cum Alexandro congressi, vt Arium susciperet.] Constat quidem ex ijs quæ dicenda sunt, eiusmodi Conciliũ Constantinopoli celebratum fuisse statim post Concilium Hierosolymitanum, de quo superiore anno actum est. Eiusdem Synodi mentio habetur in Synodali Arianorum epistola, qui postea sub Basilio eius ciuitatis Episcopo Ancyræ conuenerunt (recitat eam S. Epiphanius [a]) habitaque dicitur propter Marcellum. Hunc quidem senserant Ariani in Nicæno Concilio Ario acerbissimum aduersarium, vt testatur Iulius Papa in epistola ad Arianos, quam S. Athanasius in secunda sua Apologia intexuit: in ea enim hæc leguntur [b]: Quinam igitur sunt qui Synodum vituperant (nempe Nicænam) & trecentorum Patrum calculos pro nihilo habent, & impietatem pietati anteponunt, nisi Ariani ab omnibus vbique Episcopis condemnati & abdicati? Athanasius B contra & Marcellus Episcopi plurimos habent, qui verbis scriptisq. suis eorum innocentiam tuentur. Marcelli enim fides confessioq. Nicææ spectata est, cum Arianis contradiceret: ibidem quoque Athanasij sinceritas in tuenda fide spectata fuit.] hæc ibi.

a Epiphan. hæres. 73.

b Apud Athanas. Apolog. 2.

Cum igitur hos duos sibi infensissimos esse sensissent Eusebiani, in vtrumque potissimum iacula direxerunt; quorum altero, Athanasio scilicet, iam in exilium pulso, vt Marcellus modo eadem percellatur sententia, viribus omnibus collaborant. Accesserat recens in Marcello causa, quam illi oblatam sponte arripuere, nimirum quòd ad Encœnia vocatus Hierosolymam, cum Eusebianis cõmunicare noluerit, sed inde recesserit, affectis hunc in modũ iniuria Eusebianis, qui rem ad Imperatorem detulere, cuius auctoritate Constantinopolim causam dicturus coram Synodo conuocatur: scilicet ex scriptis quibusdam eiusdem Marcelli ansam sumentes, eum vt hæreticum condemnandi. de his enim sic Sozomenus [c]: Hos, inquit, C (nempe Eusebianos) ei grauiter succensuisse, quòd neque in Concilio Tyri vrbis Phœniciæ habito ipsorum decretis consentiret, neque Hierosolymis de Ario in Ecclesiam admittendo concederet, neque consecrationi magni templi ibi a Constantino ædificati interesse vellet: idq. non alia de causa, quàm vt ipsorum vitaret communionem. Denique scripsere isti ad Imperatorem, hæcq. ad calumniam probandam ei detulere, quòd ipsum quoque Marcellus ideo contumelia affecerit, quòd dedignatus esset consecrationem templi Hierosolymis extructi sua præsentia honorare.] hæc in Marcellum primo obiecta sunt, aliaque rursum addita, sed per calumniam ex eiusdem Marcelli scriptis comparata, de qua mox idem subdit Sozomenus:

MARCELLO INFESTI EVSEBIANI.

c Sozom. lib. 2. c. 31.

Causa autem cur Marcellus accusatus sit, fuit Asterius quidem sophista Cappadociæ, qui cum libros de Christiana religione opinioni Arij consentientes scripsisset, per oppida circumcursare, eosque Episcopis demonstrare cœpit, Concilijs denique vbique conuocatis D interfuit. Cui Marcellus contradicens, in opinionem Pauli Samosateni, seu sponte, seu imprudens, nescio, delapsus est. Verum postea cum in Concilio Sardicensi ratione ostendisset, se haudquaquam ita sensisse, ad Episcopatum denuo restitutus est.] hactenus Sozomenus: quæ quidem vt apertius intelligantur; præter illa quæ de Asterio a nobis ex Athanasio dicta sunt; quæ de eodem habet Socrates ac de Marcello calumniam passo de errore Pauli Samosateni, hic reddamus [d].

CAVSA MARCELLI.

d Socrat. lib. 1. c. 24.

Episcopi (inquit) qui id temporis Constantinopoli congregati erãt, Marcellum etiã Episcopum Ancyræ vrbis, quæ est in Galatia, tali de causa Episcopatu abdicarũt. Asterius quidã, qui in Cappadocia litteras humaniores docuisset, illis relictis, Christi fidem profiteri cœpit, & libros scribere aggressus est, qui ad hodiernum diem hominum habentur in manibus: illorum autem testimonijs Arij dogma confirmatur, Christum videlicet eodem modo virtutem Dei E esse, sicut apud Moysen dicitur, locustam & bruchum virtutem Dei esse, & alia huius similia. Assidue cum Episcopis, illisq. potissimum, a quibus Arij opinio minime reiecta erat, versabatur Asterius, atque adeo ad eorum conuentus accedebat, magno desiderio flagrans ad Episcopatum alicuius ciuitatis arrependi. Ceterum quoniam tempore persecutionis sacrificauerat idolis, ne ad sacerdotis quidem munus obeundum admissus est. Per vrbes Syriæ vndique vagatur; libros, quos confecerat, ostendit. Marcellus autem de his certior factus, dum Asterio ex aduerso se opponere volebat, in contrarium errorẽ ipse dilapsus est. nam Christum, sicut Paulus Samosatenus, solum hominem esse non dubitauit asserere.] hæc ipse.

ASTERIVS INFENSVS MARCELLO.

At quo modo in tam profundum hæresis barathrum oppugnans Asterium potuit Marcellus esse delapsus, qui Nicænæ fidei erat propugnator acerrimus, & ob eam causam cum Arium, tum Eusebianos adeo immense detestabatur? Sed subdit Socrates: Quæ cum Episcopi Hierosolymis conuocati intellexissent, Asterij nullam rationem duxerunt, quandoquidẽ in nume-

EXCVSATVR MARCELLVS.

rum sacerdotum non erat adscriptus.] perinde ac si errantes laici non essent ad rectã credendi normam solicite reducendi: sed verior illa fuit causa, quòd Asterius Arij fauebat errori, cuius ipsi patrocinium suscepissent. Immo ijdem ipsi Eusebiani, quòd sibi non liceret palam Arij hæresin promulgare ac propugnare, eiusmodi laicum hominem quocumque vagantem constituerunt hæresis præconem atque patronum. hinc S. Athanasius ait [a]: Inde nimirum est quòd Asterium immolatorem dæmoniorum, & sophistam impietatis, antesignanum faciunt, vt nihil parcat contra Dominum loqui, aut simpliciores eloquentia seducere. Verum ignorant stolidi id sese in suam noxam facere: fœtor enim victimarum idolis cæsarum in antesignano suo, istam hæresin Christo hostilem & perduellem esse, euidentius demonstrat.] hæc de Asterio Athanasius. at subdit Socrates [b]: A

[a] Athanas. de Synod.

[b] Socrat. lib. 1. c. 24.

Sed a Marcello, vtpote sacris initiato, libri ab eo conscripti rationẽ poposcerunt.] Quæ autem his addit Socrates, ex falsis Arianorum Actis mutuatus creditur, cum ait: Vt primum B compererunt eamdem cum Paulo Samosateno opinionem tueri: præceperunt vt mutaret sententiam. Ille ad pudendum inductus, librum se combusturum promittit: vbi vero Concilium cum festinatione dimissum erat (Imperator enim Episcopos Constantinopolim accersiuerat) tandem de Marcelli causa Constantinopoli coram Eusebio & alijs Episcopis, qui cum eo erãt, denuo disceptatum est. Simulatque vero Marcellus recusauerat, sicut antea erat pollicitus, librum illum tam inconsiderate scriptum comburere: Episcopi qui aderant, eum de gradu Episcopatus deijciunt: Basilium eius loco Ancyram mittunt. Quin etiam librum illius Eusebius tribus libris confutat.] at hæc Marcello falso fuisse adscripta ab Arianis, tum Iulius Romanus Pontifex, tum etiam Synodus Sardicensis, Acta Marcelli diligenter examinantes intellexerunt. vnde & Socrates subdit: Marcellus postea in Concilio Sardicensi, cum librum a se editum neutiquam intellectum esse, & ob eam causam se in suspicionem vocatum, quòd C cum Paulo Samosateno sentiret, Episcopatum recuperauit: sed quid nos de isto auguremur, dicemus suo loco.] hucusque Socrates.

FALSA HISTORIA DE MARCELLO.

Verum & de Marcelli exilio & calumnia ab Eusebianis aduersus eum conflata, hæc Athanasius [c]: De Marcello autem Episcopo Galatiæ superuacuum fuerit fortasse mentionem facere; cum nulli non constet, Eusebianos ab eo de hæresi reprehensos, hæreseos recriminationem pro talione illi vicissim impegisse, senemq. hominem in exilium eiecisse. Ille autem Romam profectus, sese innocentem docuit, & vt iussus ab illis fuerat, scripto suam fidem, quam Sardica Synodus amplexa est, edidit.] hucusque ex Athanasio. Sic igitur cucurrit fama Marcelli Ancyrani vsque ad tempora Iulij & Sardicensis Concilij; quo modo autem postea mutatæ fuerint vices eius, & iterum suspectus sit redditus & accusatus Sabellianismi, suo loco dicemus: atque etiam de infelicissimo Asterio, qui, vindice Dei ira, precibus Iuliani anachoretæ extinctus est, suo pariter loco agemus. D

[c] Athanas. epist. ad Solitar.

MARCELLVS AB ATHANAS. EXCVSATVR.

Ceterum quòd non Athanasio tantum atque Marcello, sed & alijs Episcopis fuerunt exilia irrogata ab Eusebianis contra ius fasque, more prædonum, non expectata sententia sedis Apostolicæ: Iulius Papa alia occasione postea iure conquestus est ad eosdem Arianos alia ex causa scribens: quæ hic intexere, quòd eadem causa & de ijsdem quoque personis vertatur, dignum existimamus: ait [d] ergo de ijsdem denuo a sedibus suis abreptis: O dilecti, non iam vlterius Ecclesiæ iudicia secundum Euangelium, sed vel ad exilium, vel ad mortem instituuntur. Nam si, vt dicitis, omnino in culpa fuerunt: oportuit secundum canonem, & non isto modo iudicium fieri: oportuit scribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus, quod iustum esset, decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgaris Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli sua ope ad fidem instruxerunt. Cur igitur & in primis de Alexandrina ciuitate E nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis, hanc consuetudinem esse, vt primum nobis scribatur; vt hinc, quod iustum est, definiri possit?] hæc Iulius Papa.

[d] Apud Athanas. Apolog. 2.

SENTENTIA ROM. PONT. EXPECTANDA IN DAMNATIONE EPISC.

Quòd vero Constantinus Imperator non Athanasium tantum & alios ei coniunctos communicatione Aegypti Episcopos (vt vidimus) sed & Marcellum Ancyranum Episcopum tunc magni nominis virum, lata in eum ab Eusebianis sententia, exulare iusserit: plane accidit, vt apud nonnullos eiusdem Constantini optima fama Catholici nominis periclitaretur. hinc de eo illud Seueri [e]: Imperator etiam deprauatur; dumque sibi religionis officium videtur implere, vim persecutionis exercuit; actique in exilium Episcopi, sæuitum in clericos, animaduersum in laicos, qui se ab Arianorum communione secreuerunt.] hæc ipse. et Ruffinus [f] post condemnatum ab Eusebianis Athanasium: Et gesta, inquit, in hunc modum ficta per orbem terræ mittentes, ad sceleris sui consensum, Imperatore cogente, ceteros

CONSTANTINVS MALE AVDIVIT.

[e] Sever. lib. 2.

[f] Ruffin. lib. 1. c. 17. in fine.

A ceteros Episcopos perpulerunt.] Lucifer Calaritanus sæpius (quod diximus, dum de exilio
Athanasij sermonem habuimus) Arianæ hæreseos Constantinum insimulat. Sed & apud
Hieronymi Chronicon [a] pariter legitur in obitu Constantini, ipsum in dogma Arianum [a] Hieronym. in Chronic. an. 31. Constantini.
declinasse.

At pace horum omnium dictum sit: longe a rerum gestarum certa exploirataque scientia
aberrarunt: hi enim ob id, quòd Constantinus ex Eusebianorum sententia cum Athanasium,
tum Marcellum Nicænæ fidei defensores acerrimos exilio condẽnarit, & Arium atque Aria- DEFENDITVR CONSTANTINVS.
nos æque restituendos esse scripserit, quodque (si quis tamen his fidem adhibuit) voluerit in
extremo vitæ articulo constitutus ab Eusebio Nicomediensi baptizari: his inquam complures
persuasi, putarunt Constantinum in Arianorum hæresin lapsum esse. At licet ea quæ a nobis
dicta sunt superius, cum egimus de Constantini baptismo, vel quæ paulo ante, cum de Atha-
B nasij exilio actum est, satis esse possint ad refellendam falsam illorum opinionem, qui existi-
marunt ipsum Constantinum a fide Catholica ad Arianam hæresin defecisse: tamen quòd res
magni momenti agatur; alia his quæ diximus, addere ad probandam ac plane demonstran-
dam eiusdem Imperatoris Catholicam fidem integram, haud putamus esse superuacaneum,
immo maxime necessarium; ne vel leuissima saltem suspicio cuiusuis animum pulset, quòd non
vulgares auctores aliter sensisse conspexerimus.

Hæc igitur vt cunctis reddantur perspicua: illud in primis intelligendum est: Eusebianos,
vsque dum vixit Constantinus, cui semel subscripsissent, Nicænæ fidei professores forinse- EVSEBIANI VIDERI VOLVERVNT CATHOLICI.
cus præsetulisse; et si quod bellum Catholicis intulerunt, nequaquam vt Ariani, at potius vt
bonorum morum vindices præstiterũt; sed & Ecclesiasticæ disciplinæ custodes, cum Athana-
sium damnauerunt, seipsos exhibuerunt; vel cum damnantes Marcellum ob hæresin, se exhi-
C buerunt fidei Catholicæ acerrimos defensores. Quibus persuasus Constantinus, cum illis
ijsdem in rebus fauit, sibi visus est tum Catholicæ fidei, tum etiam Ecclesiasticis institutis in-
tegre conseruandis religioso officio præsto fuisse; de quo & illud euidens ac plane apertissi-
mum specimen edidit, dum (quod fusius dicetur inferius) haud assensit in Catholicam Ec-
clesiam esse Arium admittendum, nisi iuratum, & abdicata penitus sua hæresi, ex animo
professum fidem Catholicam, quam & ab eodem exegit scripto editam.

Rursum vero quod commendat fidem Constantini, illud plane est, quòd quousque ip-
se vixit, Eusebiani nequidquam aduersus Nicænæ fidei regulam mutire saltem ausi sunt: QVAMDIV EVSEBIANI DETEGI ARIANI NOLVERVNT.
quod quidem Athanasij testificatione certum redditur & exploratum, dum in libro de
Synodis id ab eis cœptum agi tradit in Concilio Antiocheno, cum illic conuenerunt Episco-
pi sub Constantio Imperatore, occasione dedicationis eiusdem ciuitatis augustissimi tem-
D pli; vbi præter illam fidei regulam Nicææ a Patribus traditam, aliam constituerunt; sed
ita tamen, vt haudquaquam se Arium sequi contestarentur publicis scriptis litteris, quas
ibidem ipse Athanasius recitat, cum sic in eis præfati sunt [b]: Nos certe Arij acoluthi, id [b] Apud Athanas. de Synod.
est sectatores non sumus, nec cum simus Episcopalis ordinis, presbyterum sequimur, ne-
que aliam fidem præterquàm ab initio traditam recipimus, &c.] Sed etsi (quod vult Sozo-
menus) aliquam interpretationem fidei Nicænæ symbolo, eodem tempore cum Marcelli cau-
sa agereretur, addiderunt: verbum tamen illud Consubstantialitatis, in quo tota vis erat &
robur Catholicæ sententiæ, quoad vixit Constantinus, quem scirent acerrimum Nicænæ fidei
professorem & defensorem, a Synodi Nicænæ symbolo nequaquam demere rentauerunt: te-
statur id quidem Sozomenus [c], cum ait: [c] Sozom. lib. 2. c. 30. in fin.

Sub idem tempus Eusebius Episcopus Nicomediæ, & Theognis Nicææ Episcopus scri-
E ptis cœperunt formulam fidei a Niceno Concilio editam innouare: ac tametsi non au- OSTENDITVR ROBORE CONSTANTINVS.
derent palam denegare Filium Patri consubstantialem esse (pro certo enim sciebant Im-
peratorem ita sentire) aliam tamen formulam composuerunt; verbaq. fidei in Concilio Nicæ-
no editæ ab Episcopis Orientis, interpretationibus quibusdam additis, recepta esse, omnibus
indicarunt. Quæ quidem formula & sensus eiusdem effecerunt, vt superior controuersia in
disceptationem rursus vocaretur, & cum iam videretur sedata esse, deintegro agitaretur.]
hæc Sozomenus. Verum illa de noua ab eis excogitata fidei formula, non sub Constantino
facta esse, sed sub Constantio in Synodo Antiochena, quæ suo loco dicturi sumus, manifestius
declarabũt. Adeo igitur, viuente Constantino, Eusebiani abhorrere præseferebant ab Ariana
hæresi; vt nec ipso defuncto, sub Constantio eorũ licet patrono, auderent, cum tamen impij es-
sent, se Arianos publice profiteri. Si ergo Eusebiani ipsi, regnante Constantino, & diu postea
sub Constantio, se Arij sectatores esse nec dici nec velle videri passi sunt: quo modo ipsum
Constantinum in Arianam hæresin ab his seductum fuisse dixerimus? Tantum itaque abest, vt

Constantinus ab his deceptus potuerit lapsus esse in hæresin Arianam; vt nec ipsi qui talia A
agerent Eusebiani, ipsum veriti, Arianos se esse voluerint demonstrare. vim rationis expende, lector, quæ plus satis tibi videri poterit ad declarandam exploratam in omnibus fidem Catholicam Constantini.

His consentiens accedit ipsius Athanasij testimonium, cum aduersus eius filium Constantium Imperatorem agens, quòd patris vestigia pietatis impressa non consectetur, sed ab hæreticis se patiatur seduci, conqueritur, vbi ait [a]: Idem Constantius ob sceleratam & Christo odiosam hæresin, nec quid iuris sit, nouit, & erga fratres se inofficiosum præbet, propter quam nec patris quidem sui voluntatem integre obseruari permittit; sed quod volupe est hæreticis obseruat: quod autem illis graue est, ibi nequit patris sui reuerentiam tueri. Siquidem pater ex calumnia Eusebianorum Athanasium in Gallias ad tempus amandauit, quo liber esset ab eorum crudelitate, qui illi per insidias imminebant: hoc enim a beato Constante eius fratre B
post mortem patris scriptum fuit.] et paulo post: Quòd si (inquit) pater eius Arium sub oculos suos admisit: eum tamen cum periurum, ac proinde effusis visceribus disruptum iacere cognouisset, nulla beneuolentia prosequutus est; sed eum, re cognita, damnatum & pro hæretico habuit.] hactenus Athanasius.

a Athanas. ad Solitar. ATHANAS. PROBAT FIDEM CONSTANTINI.

Sed & Epiphanius [b], cum agit de eodem Constantio filio Constantini, hæc ait: Constantius Rex in alijs quidem omnibus mitis & bonus, veluti filius Magni & perfecti Constantini pij, qui rectam fidem integre seruauit: sed & ipse Constantius pius fuit & bonus iuxta multos modos: verum in hoc solum, quòd non secundum fidem parentis processit, deuiauit, atque deliquit, non ex sui causa, sed ab his qui rationem reddituri sunt in die Iudicij, qui in apparentia quidem Episcopi dicuntur, veram autem Dei fidem corrũpunt.] Quin etiã & de Catholica fide Constantini testata ex Constantij impietate, certum deducimus argumentum ex S. Hilario, cum in eumdem Constantium acrius inuectus sic ait [c]: Audi hæreticæ damnationis C
publicum sensum, & intellige te diuinæ religionis hostem, & inimicum memorijs Sanctorum, & paternæ pietatis heredem rebellem, &c.] Id ipsum quoque magis exploratum redditur ex ijs quæ ipse Athanasius post obitum Constantini Constantem filium adiens rogauit eum, & vt vindex & custos esset paternæ fidei, hortatus est, cum de Arianorum insidijs apud ipsum conquestus est.

b Epiphan. hæres. 69. CÆTERI ILLA TRES PROBANT FIDEM CONSTANTINI.
c Hilar. ad Constant. lib. 1.

Rem gestam Theodoretus sic narrat [d]: Athanasius vero ad Constantem accedens, de factionis Arianæ insidijs conqueri, bellum contra fidem Catholicam excitatum lamentari; et tum patris, tum Magni Concilij Nicæni, quod ille conuocauerat, cum in memoriam reducere cœpit: quin etiam decreta Patrum, quibus ille vna interfuerat, ab eo lege confirmata fuisse. Talia cum gemitu & lacrymis apud Constantem Imperatorem eloquutus, eum ad patrem D
æmulandum excitauit. Nam simulatque ista audiuit, litteras scripsit ad fratrem, nempe Constantium, vti hereditatem pietatis paternæ integram inuiolatamq. seruaret.] hæc Theodoretus. quibus omnibus luce clarior testata redditur fides Catholica Constantini vsque ad vitæ exitum illibate seruata: vnde vniuersa Catholicorum posteritas, ipsaque publica Synodalia Acta, magno præconio ex fide Catholica potissimum comparato, consueuerunt ipsum laudare, quod & superius dixisse meminimus.

d Theodoret. lib. 2. c. 5.

Sed iam cetera, quæ spectant ad dictum Constantinopolitanum Concilium in causa Marcelli congregatum Constantinopoli, prosequamur. Arius ergo, quem diximus ab Alexandrinis minime fuisse receptum, quòd dicerent eadem illum tunc sentire de fide, quæ prius; et ob eam causam Constantini litteris vocatum Constantinopolim: cum eo venisset: num reuera, abiecta penitus antiqua perfidia, eadem cum ceteris Orthodoxis crederet, magna diligentia ab eodem Imperatore explorari iubetur: cum ille Eusebianorum consilio, ad horam E
profiteri Catholicam Nicænam fidẽ, in promptu habuit, quam suo chirographo scriptã atque subscriptione munitam obtulit Constantino. At quo modo eius perfidiã atque periurium vltus est Dominus, & quemadmodũ cuncta ad eius vsque exitũ se habuerint, ea tum ab Athanasio, tum etiã ab alijs eiusdem sæculi scriptoribus memoriæ cõmendata, hic describamus: quæ enim idem Athanasius acceperat a Macario presbytero, qui tunc præsens rei gestæ fuit, Cõstantinopoli existens, scribit ad Serapionẽ hæc rogantem; putamus hunc illum fuisse Serapionem fama celebrem, Thumuis Episcopum, de quo apud eumdẽ frequens mentio est: De tertio (inquit [e]) capite (nimirum de morte Arij) multa mecum perpendi: metuens, ne si id agerem, hominis morti insultare viderer. Verumtamen quia disputatio apud vos de hæresi habita in hanc quæstionem desijt; An communione celebrata cum Ecclesia, diem suum obierit Arius; vt quæstio de eius morte dissoluatur, dicam quod res est, in pari numero collocans & rem gestam indicare,

ARII IN SYNODO EXPLORATUR FIDES.
e Athanas. ad Serapion.

A dicare & contentiosos compescere. Persuadeo enim mihi, cognito mortis eius miraculo, non ausuros esse qui prius dubii erant, rem denuo in dubium vocare, sit ne Ariana hæresis Deo odiosa, an non.]

Alibi quoque idem Athanasius pro concione differens aduersus Arianos necessitate quadam, eadem imbutus Christiana verecundia, sic præfatus est [a]: Omnibus quidem hominibus communis vitæ exitus mors est, neque vlli defuncto tametsi inimico insultandum; cum incertum sit, num ante vesperam ipse quoque a morte sis apprehendendus: sed tamen exitus Arii, quia non vulgaris est, operæpretium est, vt enarretur.] At quid mirum si hæc Athanasius, cum nec apud Gentiles quidem fas esset in defunctos obloqui? vetus quidem prouerbium erat, NON FAS MORTVIS, ex Homeri Odyssea acceptum οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν: vsurpat eamdem quoque parœmiam ex eodem auctore Cicero [b]; adeoq. ea ore omnium ver-

B sabatur, vt non licere putaretur in defunctum insultare, nec quidem si pessimus extitisset, vt Nero: vnde & audita morte ipsius Neronis, Musonius ita ad Menecratem: Sed ne gloriemur: nam mortuis (vt aiunt) non decet conuiciari.] Si istæc philosophus Epicureus, quanto magis oportuit id præstitisse Christianum Episcopum, vt ea enarrare compulsus ad dogmatis veritatem insinuandam, eadem semper præfando præmitteret? Sed rursum idem hæc ad Serapionem:

Ego quidem non aderam, cum ille vita defunctus est. Aderat autem Macarius presbyter, vt ex eius relatu didici. Accersitus autem erat ab Imperatore Constantino Arius, opera & studio Eusebianorum; quem ingredientem Imperator interrogauit, an fidem Ecclesiæ Catholicæ seruaret? Ille autem se recte credere iureiurando affirmauit, suppressis ijs, ob quæ ab Ecclesia eiectus erat per Alexandrum Pontificem; adductis in speciem verbis scripturæ. Illum

C igitur ita iuratum, se nihil eorum ob quæ ab Alexandro eiectus erat, fecisse, absoluit Imperator cum his verbis: Si recta est tua fides, bene iurasti: si autem impia est, & tamen iurasti; Deus te pro iuramento condemnet.] his quæ dicit S. Athanasius (antequàm vlterius progrediamur) reliqua hic attexamus, quæ tum ipse alibi, tum vero Socrates tunc facta tradunt. In oratione enim aduersus Arianos idem Athanasius ait [d] ab eo scriptis proditam Catholicæ veræq. fidei confessionem: Iussus, inquit, vt scripto ederet fidem suam; callide per dolum, suppressis suis impietatibus, prolatisque, vti diabolus solet, sacrarum litterarum simplicibus, vti scripta erat, verbis, formulam suæ fidei conscripsit: deinde ab Augusto interrogatus; nihil ne aliud in animo haberet, & an vere sentiret quod profiteretur? Dominum enim periurij vindicem futurum. Miser iureiurando respondit, se nihil habere præter ea quæ scripto edidisset, neque dixisse aliter, neque cogitasse.] Socrates autem tradit, hæc minime facta esse

D se in Conuentu Episcoporum, sed cum seorsum in Palatium a Constantino vocatus est: nam ait [e]:

Imperator autem opinionis Arij periculum facere cupiens, illum ad Palatium suum accersit; rogat, vtrum Concilij Nicæni decretis consentiret. Ille sine mora, alacri & prompto animo, coram Imperatore subscribit, cum tamen ea quæ in Concilio de fide decisa erant, astute & veteratorie ludificatus sit. Imperator hoc admiratus, illum etiam ad iusiurandum adigit. Ille simulate & fallaciter istud quoque præstitit. Fucata vero ratio, qua ad fraudem in subscribendo vsus sit, sicut ipse audiui, eiusmodi fuit. Arius suam ipsius opinionem in charta, quam habebat, conscribit: eam sub ala gestat. Iurat se vere & ex animo sentire, quemadmodum scripserat. istud ita factum esse, fama solum & auditione accipiens, litteris mando: verum quòd iusiurandum subscriptioni adijciebat, perspicue ex Imperatoris litteris colligo. Im-

E perator illi fidem adhibens, dat mandatum Alexandro Episcopo Constantinopolis, vt in communionem eum recipiat.] ante enim valde restiterat, atque omnino id facere recusauerat: Nam (inquit [f] idem auctor superius) Alexander in graue certamen deuenit, idq. maxime quòd Eusebius Nicomediæ Episcopus sæpe & grauiter illi interminatus fuisset, se quàm primum eum Episcopatu abdicaturum, si non Arium cum suis in communionem reciperet. At Alexander non tantum de abdicatione laborabat, quantum de doctrina Concilij Nicæni, quam omni cura & studio euertere contendebant. Nam cum se patronum decretorum illius Concilij duceret; omnibus viribus sibi nitendum censuit, ne illius formulæ & præscripta vllo modo labefactarentur.

In hac igitur concertatione constitutus, dialecticæ argutias penitus missas facit, ad Dei auxilium confugit, in ieiuniis assiduis se attente defigit, nullam precandi formam prætermittit, tale denique obsequii genus studiose amplexatur. Itaque in ecclesiam, quæ Pacis nomine nuncupata est, se solum occludens, ea quæ sibi videbantur conuenientia peregit:

[a] Athanas. orat. 1. contra Arian.

DEFVNCTIS NON INSVLTANDVM.

[b] Cicer. ad Attic. lib. 4. epist. 7.

[c] Lucian. in Menecrate.

DE MISERANDO ARII OBITV.

[d] Athanas. orat. 1. contra Arian.

[e] Socrat. lib. 1. c. 25.

ARII DOLVS.

[f] Socrat. lib. 1. c. 25.

ALEXANDRI EPISC. CONSTANTINOP. PVGNA ADVERSVS ARIVM.

peregit: ad altare progressus, humi coram sacra mensa se in faciem prostrauit, cum lacrymis A
Deum orauit, per multas noctes diesq. continuos in ijs rebus versatus est: nam a Deo opem postulauit; postulationis compos factus est. Postulatio enim talis fuit: O Deus, inquit, largire, vt si Arij opinio vera est, ipse diem disceptationi præstitutam neutiquam videam: sin autem fides quam ego teneo, vera est, Arius malorum istorum omnium auctor debitas suæ impietatis pœnas luat.] hucusque Socrates. At eiusmodi apud Deum Alexandri contestationem alijs & ab his diuersis verbis atque sententia conceptam fuisse, quæ de his inferius dicemus ex Athanasio, demonstrabunt.

IACOBVS EPISCOP. NISIBIS PVGNAT CONTRA ARIVM.

a Theodoret. in lib. sanctor. Patrū c. 1. in Iacobo Nisib. ex versione Lipom. apud eum tom. 2.

Porro non Alexandrum tantum de imminenti periculo fuisse solicitum, sed & pios cunctos ingenti mœrore affectos, & timore perculsos, tradunt; cum audirent iuratum Arium esse, inuito & renitente Alexandro, introducendum fore in Ecclesiam. Aderat tunc quoque Constantinopoli magnus ille Iacobus Nisibis Episcopus, de quo superius, cum egimus de Niceno B
Concilio, facta est mentio; qui Alexandro, ad resistendum Arij præsumptioni, magno fuit adiumento: Hic enim (inquit Theodoretus [a]) tunc hortatus est omnes, vt septem dies & ieiunio se macerarent, & in orationem pariter incumberent, Deumque rogarent, vt id fieri iuberet, quod vtile futurum esset Ecclesijs. Probato igitur ab omnibus viri sancti consilio (norant enim illum Apostolica gratia præditum) confestim ieiunio iunctæ sunt preces. Quamobrem Ecclesijs omnibus a supremo earum Rectore id consultum est, quod eis erat vtile & salutare.] Quæ autem post hæc subsequuta sint, dicemus paulo inferius.

b Athanas. epist. ad Serapion.

EVSEBIANI VIM PARANT.

Iam quæ de eiusmodi re gesta ab Athanasio ad horum confirmationem scripta sunt, cœptā ab eo narrari historiam prosequamur; prioribus enim hæc addit [b] de Ario post præstitum dolose de professione fidei iuramentum: Ita eum digressum à Principe voluerunt Eusebiani solita sua vi in Ecclesiā introducere. Sed contradicebat Constantinopolitanus Episcopus beatus C
Alexander: non debere, inquiens, hæresis inuentorem in communionem recipi. Ibi iam minabundi Eusebiani: Quemadmodum, inquiunt, eum, vobis inuitis, curauimus ab Imperatore euocari; ita crastino die, etiamsi vobis minimè ex sententia sit, in communionem Ecclesiæ adducemus. Sabbatum autem erat, cum hæc loquerentur. Quibus auditis, Alexander magno cum mœrore ecclesiam intrauit, & porrectis ad Deum manibus, lamentatus est, pronus in vultum cadens, humiq. iacens ita orauit: aderat enim cum eo Macarius socius orationis, qui eius verba excepit. Postulabat autem alterutrum: Si Arius, inquiens, crastina die in synaxin introducetur: nunc dimittas, quæso, seruum tuum, Domine; et non pium cum impio perdas. Sin autem Ecclesiæ tuæ parces (scio autem quòd parces) respice in verba Eusebij, neque des in exitium & vituperium sortem tuam; et tolle Arium, ne eo recepto in Ecclesiam, videatur simul cum eo hæresis recipi; neve deinde impietas pro pietate habeatur. D

INFAMIS OBITVS ARII.

Hæc precatus Episcopus, plurimum cogitabundus & anxius, inde recessit: et res mira incredibilisq. euenit. Eusebianis minantibus, Episcopus orabat. Arius autem Eusebianis fretus, multa blaterans, in secessum abiit, quasi ad vsum alui, & derepente (iuxta quod scriptum est) pronus factus, medius crepuit, humiq. expirauit, vtroque & vita & communione fraudatus: hic finis Arij. Eusebiani autem magnopere confusi, socium coniurationis sepelierunt, Alexander vero, gaudente Ecclesia, cum pietate & sana fide communionem celebrauit vna cum omnibus fratribus, Deum, gratias agendo, magnopere glorificans, non quòd de morte hominis lætaretur; absit (omnibus enim hominibus constitutum est semel mori) sed quòd ea res humana iudicia superauerit. Ipse siquidem Dominus Iudicem se præbens, minis Eusebij, & Alexandri precibus Arianam hæresin condemnauit, ostendens eam indignam esse Ecclesiæ communione: omnibusq. manifestum reddidit, eam, tametsi ab Imperatore & ab omnibus E
mortalibus adiuuetur, ab Ecclesia tamen damnatam esse: declaratumq. est, officinam Arianorum non Deo gratam, sed impiam & inimicam esse.

PROFICVA MVLTIS MORS ARII.

Certe plurimi ex ijs qui ante decepti erant, conuersi sunt; ideo nimirum, quòd non quiuis alius, sed ipse Dominus blasphemiis impetitus condemnauerit hæresin aduersus se conflatam; et manifesto docuit, etiam si nunc Constantius Episcopos vi compellat, illam tamen esse ex sese incommunicabilem Ecclesiæ, & cælo alienam. Quamobrem apud vos hæc iam deinceps quæstio consopiatur (id enim in pactis fuit) nemoque adiungatur hæresi; sed qui recepti sunt, resipiscant: quam enim Dominus reprobat, quis approbabit? et quam ipse incommunicabilem reddidit; quo modo, qui eam recipit, non ingens piaculum commiserit, & palam se Christo hostem declarauerit? hoc igitur sufficit ad cohibendos contentiosos. Ista ergo illis, qui tum hanc quæstionem mouerant, recitentur vna cum his, quæ in compendio de hæresi hac ad monachos scripta sunt; vt inde docti, magis ac magis

impieta-

A impietatem & malitias Arianorum reprobent.] hactenus ex Athanasio[a].

Hæc quidem cum tam Græcorum quàm etiam Latinorum historici omnes affirment: illud modo de Athanasio elucidandum est, quod alibi ait: Nondum Sol exortus erat, cum necessitas Arium in eum locum detraxit, vbi collapsus est.] at hæc quidem verba nequaquam sic accipienda sunt, vt id acciderit Ario, domi cum esset, & necessitas purgandi ventris eum, antequàm egrederetur foras, ad secretum locum impulerit: longe enim aliter se res habuit. Summo quidem mane (vt Ruffinus[b] atque alij tradunt) ab Eusebianis Episcopis educitur domo, vt antequàm ecclesia ab Alexandro præoccuparetur, eam inuaderent; atque in via positus, cum perurgeretur ea alui exonerandi necessitate, paulo diuertens a via, eo miserando interitu extinctus est. Ruffinus inquam sic rem gestam aggreditur enarrare: Eusebius eum suis omnibus, velut hæretici belli signifer, domum Arij matutinus ascendit, eumque pro-

B pere sequi ad ecclesiam iubet, &c.] E domo vero Imperatoris eductum Arium Socrates tradit[c]. Euenisse autem facile potuit, vt qui aliàs publicis vehiculis (quod paucis concedi solebat) ab eodem Constantino Arius accersitus esset, idem Imperator in domo quoque regia eum hospitari voluerit. Vbi autem in via posito Ario id acciderit, ex Socrate audiamus.

Postquàm enim aula Imperatoris egressus est Arius, Eusebij fautoribus stipatus, magna cum celebritate & pompa per mediam vrbem incedit. Simulatque forum Constantini (sic enim appellatum est) appropinquauerat, in quo columna ex prophyrite locata est, timor ex conscientia sceleris exortus Arium opprimit, cuius vi laxatur aluus: rogat, vtrum latrinæ essent in proximo. eum pone forum Constantini vnas esse didicisset, recta eo se confert. Hominem igitur animi defectio occupat, ac simul cum excrementis anus subito delabitur, magna sanguinis copia sequitur, viscera tenuia pariter effluunt, sanguis cum ipso splene & iecore ef-

C funditur, mortem continuo oppetit. Latrinæ illæ ad hoc vsque tempus Constantinopoli, prope forum (vt dixi) Constantini, & macellum, in porticu cernuntur: omnesque qui illac transeunt, digitum ad locum intendunt, quo commemorabilem mortis rationem, qua Arius ibi occubuerit, demonstrent.] addit his Sozomenus[d]: Fama est, neminem eas latrinas, in quibus moriebatur, longo tempore post frequentasse: sed cum iam ad eum locum visendum, vtpote vsu publicum, homines confertim, vt in multitudine fieri solet, reuererent; cumque introeuntes se mutuo cohortarentur, vt ab illis latrinis cauerent: locus posteris detestabilis factus est, propterea quòd in eo Arius debitas impietatis suæ pœnas persoluisset. Verum vbi multum iam temporis præterierat: vir quidam locuples & potens, sectæ Arianæ fautor, dedit operam sedulo, vt locum illum a Republica emeret: quem cum emisset, priore eius forma deleta, ædes in illo extruxit, eo consilio, vt apud populum veniret in obliuionem, & Arij mors

D ne vtiquam loci recordatione deinceps carperetur.] hæc ipse.

Quæ quidem non ante hunc annum gesta esse, sed post elapsum trigesimum Imperij Constantini annum, cum ex ijs quæ dicta sunt, facile potest intelligi, tum etiam auctoritate Socratis[e] comprobatur. Quamobrem errore lapsos esse constat, tam qui statim post Nicænum Concilium ea accidisse putarunt, quàm eos qui ante, vel postea sub Constantio, vel alio quouis tempore posuerunt. Cum enim liqueat tempore Concilij Hierosolymitani, quod celebratum est ipsis Tricennalibus Imperatoris, eiusdem Synodi decreto Arium in Ecclesiam receptum, & Alexandriam restitutum: nihil est dubij, quin eius probrosus exitus hoc ipso, sed in eius tamen fine, acciderit anno: siquidem misso prius Athanasio in exilium, & restituto Ario Alexandriam, & inde demum Constantinopolim reuocato, atque ibi iterum causa eius discussa, hæc oportuit contigisse, eiusdem scilicet anni exitu; nisi forte sequentis

E exordio, quo pariter obijt Constantinus, eum esse extinctum, magis verisimili coniectura quis affirmandum putet.

Hac igitur re gesta (inquit Socrates[f]) ingēs terror & exanimatio Eusebianæ factioni incussa est: fama rei non solum per totam ciuitatem, sed etiam per vniuersum prope dixerim Orbem terrarum permanauit. Imperator vero hac ratione Christianæ fidei firmius adhæsit: fidem Concilij Nicæni auctoritate & nutu diuino reuera cōfirmatam asseruit; et propterea exitu illo Arij magnopere lætatus est.] ex quibus plane apparuit cuius sententiæ essent Eusebiani, qui eidem Ario propensiore studio, ac plane dixerim animo obstinato fauissent. Hinc etiam & vnius ex illis, nempe Eusebij Cæsariensis, detegas imposturam, dum (quod pluribus demonstratum est superius) in gratiam Constantij Imperatoris Ariani Constantinum fingit baptizatum paulo ante obitum, qui contigit anno sequenti, apud Nicomediam ab loci illius Episcopo: cum ex recenti memoria ignominiosæ mortis Arij, quisque vel leuiter tantum pietate tinctus exhorrescere ac penitus execrari debuisset omnes Ario familiaritate & communica-

tione

a Athanas. orat. 1. contra Arian.
CONCILIANTVR HISTORICI.
b Ruffin. lib. 1. c. 12.
c Socrat. lib. 1. c. 25.
LOCVS ARII MORTE INFAMIS.
d Sozom. lib. 2. c. 28. in fin.
TEMPVS OBITVS ARII.
e Socrat. lib. 1. c. 25.
f Socrat. eod. c. 25.

a Athanaſ. orat. 1. contra Arian.

tione coniunctos. Qui igitur Arij & Ariorū deteſtatus eſt Imperator tanto prodigio perſua- A ſus errorem: ſeipſum quoque arguit leuitatis ob miſſum Athanaſium in exilium; quem reuocandum Alexandriam deſtinauit, ſed obitu præuentus non perfecit: id quidem, vt dictum eſt ſuperius, ipſemet teſtatur Athanaſius [a]: ex his ſane modicum temporis ſpatium interceſſiſſe videri poteſt inter mortem Arij atque obitum Conſtantini; quippe morte præoccupatus, quod animo ſtatuerat de reſtitutione Athanaſij, perficere minime valuit. Vnde (quod nuper diximus) ſequenti potius anno quàm præſenti accidiſſe obitum Arij, poſſumus opinari.

DE ARII OBITV SENTENTIAE PATRVM.

b Greg. Nazian. in laud. Athan.

c Ambroſ. de fid. ad Gratian. lib. 1. c. 9.

d Act. 1.

e Biblioth. ſanct. tom. 7.

Hunc plane finem, numine vlciſcente, ſortitus eſt Arius Iudæ ſimillimum: eidem enim iure a ſanctis Patribus comparatur, quorum ſententias hic veluti digna eius ſepulturæ elogia intexemus: et in primis quod S. Gregorius Nazianzenus ait [b]: Arius petulantis & effrenatæ linguæ pœnas dedit, in obſcœnis & impuris locis extinctus, atque orationis, nō morbi viribus B oppreſſus, ac Iudæ inſtar diſruptus in eadem Verbi proditione.] et ex Latinis S. Ambroſius [c], qui hæc de eo ad Gratianum Imperatorem: Cui ergo credimus, Ioanni in Chriſti pectore recumbenti, an Ario inter effuſa ſua viſcera volutanti? vt agnoſceremus ſimilem Iudæ proditoris Arij quoque fuiſſe perfidiam, quem ſimilis pœna damnauit: effuſa ſunt enim & Arii viſcera: pudet dicere, vbi; atque ita crepuit medius proſtratus in faciem, ea quibus Chriſtum negauerat, fœda ora pollutus: crepuit enim, ſicut etiam de Iuda Petrus Apoſtolus dixit [d].] et paulo poſt: Non eſt fortuita mors, vbi in ſacrilegio pari pœnæ parile proceſſit exemplum.] hæc Ambroſius. et illius æqualis S. Gaudentius [e]: Execrabilis Arius, qui Principis Conſtantini temporibus, cum venenato corde Catholicæ fidei confeſſionem ſimularet, ambiens in amicitiam Regis, & in gradum presbyterij; vnde merito pulſus fuerat, reuocari; ad ſimilitudinem Iudæ traditoris crepuit medius, & effuſa ſunt omnia viſcera eius, ne ſub tegumento C ouis lupus ad deuorandum gregem Domini introiret.] ita ipſe ad Paulum diaconum. et ne quid deſit ad laudem eius, hæc Chriſtianus ille poeta his verſibus:

——— *Ruit Arius aluo*
Infelix plus mente cadens, letumque peremptus
Cum Iuda commune tulit, qui gutture pendens
Viſceribus curuatus obit: nec pœna ſequeſtrat
Quos par culpa ligat, qui Maieſtatis honori
Vulnus ab ore parant: hic prodidit, ille diremit
Sacrilega de voce, &c.] Iam vero de Arij probroſo exitu ſatis. D

LAVDES ALEXANDRI EPISC.

f Greg. Nazian. orat. de ſeipſo quòd cathedram Conſt. non affect.

At contra, quàm nobiliſſimo epitaphio egregium factus Alexādri Epiſcopi Conſtantinopolitani in reſiſtendo Ario a S. Gregorio Nazianzeno [f] remanſit poſterorū perpetuæ memoriæ conſignatum! cum enim pro concione Conſtantinopolitanos ciues alloquitur, iſtæc habet: Dicam enim quod res eſt: ſiquidem egregij illius Alexandri diſcipuli eſtis, magni Trinitatis propugnatoris & præconis, qui & verbis & rebus impium errorem depulit, ac profligauit. Neque enim memoria vobis excidat Apoſtolica illa oratio, quæ impietatis auctorem atque antiſtitem ſuſtulit, idque in locis impuriſſima lingua dignis, vt nimirum contumelia contumeliam vlciſceretur, ac iuſta morte mors animarum iniuſta ſempiterno dedecore inureretur.] hæc Gregorius. At de ipſo Alexandro alias ſæpe inferius.

g Tomo 1. Concil. in Marco.

DE MARCI EPISTOLA AD ATHANASIVM.

Hoc anno, iiſdem Conſulibus, decimo Kalendas Nouembris data legitur [g] Marci nomine epiſtola ad S. Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum, & ad ceteros Aegypti Epiſco- E pos, cuius argumentum ex ſcripta ſuperius ibi poſita epiſtola Athanaſij, & aliorum eiuſdem prouinciæ Epiſcoporum ad eumdem Marcum facilius intelligitur: Nempe Aegyptios dira Arianorum perſecutione vexatos, inter alia diſpendium paſſos eſſe Nicænorum canonum, qui vna cum omnibus alijs libris ab iiſdem incenſi fuerint; quorum exemplar a Romana Eccleſia, iiſdem datis ad Marcum Papam litteris, poſtulant impertiri. Quibus quidem litteris tum Aegyptiorum, tum Marci Nicænorum canonum numerus definitur; nimirum ab eadem Magna Synodo ſtatuta fuiſſe ſeptuaginta, ſecundum (vt aiunt) numerum diſcipulorum, capitula.

h Concil. 6. Carthag. c. 1.

Mirum certe, cum diu multumque inter Eccleſiam Africanam [h] & Romanos Pontifices Zoſimum ac Bonifacium agitata ſit controuerſia de numero Nicænorum canonum, ipſos eiuſmodi epiſtolas præteriiſſe. At mercatoris merces nonnihil ſuſpectæ redduntur, vtpote quæ germano rectæ rationis temporis ſigno minime inueniantur eſſe ſignatæ. Quonam pacto,

A pacto, quæso, sub dictis Consulibus potuit Athanasius Alexandria ad Marcum scripsisse, qui iam exul hoc anno agebat in Galliis? et quænam sub Constantino grassatio Arianorum contigit in Aegypto: cum non Marci tempore, sed multo post, quando Constantius Georgium in locum Athanasij subrogauit, passa sit Ecclesia Alexandrina violentam Arianorum vastationem? Sed & quonam pacto Marcus potuit decimo Kalendas Nouembris scripsisse ad Athanasium, cum hoc ipso anno Nonis Octobris reperiatur esse defunctus? cum quidem nonnisi octo menses sedisse, S. Hieronymus testatur in Chronico. Videat hæc, qui eas citat, Marianus Scotus, & pariter contendit, non nisi octo mensibus sedisse Marcum: quonam modo fieri potuit, eam datam esse ab ipso Marco epistolam, si iam ante ipse ex humana vita desierat?

Quidquid sit: vnum eumdemque esse putamus auctorē, qui has concinnauit litteras, cum
B eo qui finxit epistolam illam Bonifacij Papæ ad Eulalium Episcopum Alexandrinum de restituta communione Ecclesiæ Africanæ, de qua consule quæ diximus in nostris ad Romanum Martyrologium Notis [a]. Voluit ille sapiens architectus bene esse consultum assertioni Zosimi & Bonifacii de Nicæno canone extra numerum vicenarium allegatum: homo ille ad fictionem confugit, qui ignorauit ex apertissima veritate solutionem afferre; de quo superius dictum est, cum egimus de numero Nicænorum canonum. Procul absit ab Ecclesiastico tractatore omnis turpis suspicio fictionis & imposturæ, qui pura luce tantummodo gaudeat veritatis: præstat enim ingenue ignorantiam fateri magis, quàm ex mendacijs emendicatam scientiam affectare.

[a] Die 16. Octob. b.

Quod autem ad Marci Papæ annos spectat: cum S. Hieronymus disertis verbis, eum octo tantum mensibus sedisse affirmet: cumque etiam de ipso testetur Sozomenus [b], ad exiguum
C tempus sedem tenuisse: sed & auctor libri de Romanis Pontificibus, de Iulio Papa habeat, ipsum sedere cœpisse Consulibus Feliciano & Maximo, nēpe anno sequenti, quo numeratur primus Iulij sedis annus: hoc potius anno, quàm sequenti, vel quod alij dicunt, post biennium, defunctum esse putamus; ob eamque causam totam illam de duabus ab eo habitis ordinationibus mense Decembri, annis singulis, euanescere. adstipulantur huic tēpore sedis Marci cum Marianus Scotus, tum alij recentiores [c], qui rem accuratius scrutati sunt. Qui igitur sedere cœpisse reperitur decimaquarta die Februarij, & diem obijsse sexta mensis Octobris, qua anniuersaria eius natalis memoria ex antiquiore vsu in Ecclesia agitur: dicendum est, eum in Pontificatu vixisse menses octo, minus dies octo.

TEMPVS SEDIS MARCI PAPAE.

[b] Sozom. lib. 3. c. 19.

[c] Panuin. & alij ante ipsum plures.

De eodem Marco hæc in eodem libro de Romanis Pontificibus leguntur: Hic constituit, vt Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopos Vrbis, tunc pallio vteretur, & ab eodem Vr-
D bis Episcopus consecraretur. Hic fecit constitutum de omni Ecclesiastico ordine. Hic fecit duas Basilicas, vnam via Ardeatina vbi requiescit, & aliam in Vrbe Roma, iuxta Palatinas.] eas reditibus a Constātino locupletatas esse, & pretiosis vasis ornatas, ibidem traditur. Quòd autem dicitur institutum a Marco, vt Ostiensis Episcopus Romanum Pontificem consecrarer, antiquior fuisse videtur eius rei vsus: nam Dionysius Papa a Maximiano Ostiensi Episcopo consecratus habetur: meminit quoque S. Augustinus [d] eiusmodi vetustissimi ritus, agens aduersus Donatistas.

RES A MARCO GESTAE.

[d] August. in Breuic. collat. diei 3. cap. 16.

Quod vero ad pallium spectat: eo donatum a Marco Ostiensem Episcopum, haud inficias imus. Primo autem hic mentio in rebus gestis Romanorum Pontificum habetur de pallio summi honoris & potestatis plenitudinis indice; idemque dictum reperitur Phrygium, quòd potissimum esset Pontificis Romani insigne, ab eodem Metropolitanis aliquando solitum im-
E pertiri. Collatum fuisse eiusmodi Phrygium a Cælestino Romano Pontifice Cyrillo Episcopo Alexandrino, cum eidem vices suas delegasset, Græci [e] testantur. Cur autem Phrygium, quod crucibus intextū est, pallium appellaretur; cum veteris pallij forma longe diuersa esset & amplior (vt quæ superius dicta sunt tam in primo quàm secundo Annalium Tomo de pallio, satis docent) haud arbitror me rem penitus habuisse cōpertam: dicam tamen quæ coniectura suggesserit, atque in primis illud. Sicut olim in sacerdotio Hebræorū [f] erat summi sacerdotis superhumerale insigne, quod nefas esset aliquem alium sacerdotum vel Pontificum indui, de quo etiā primo Tomo sæpe loquuti sumus: ita in Christianæ religionis sacerdotio, genus illud indumenti, quod pallium dicimus, summi tantū Pontificis cessit vsui, ab eo tamen compluribus Episcopis magna ex causa communicatum: Phrygium idem dictum, quòd Phrygionum crucibus contexi soleret. Quòd vero inhæreret, dum Pontifex sacra ageret, indumento illi, quod (vt primo Tomo demonstratum est) pallij præseferebat imaginem, nos autem nunc planetam seu casulam dicimus: inde fortasse accidit, vt Phrygium ipsum præcipuum

DE PALLIO EPISCOPALI.

[e] Theod. Bals. & alij.

[f] Exod. 28.

PALLIA CRVCIBVS ORNATA.

cipuum sacerdotalis pallij ornamentum, itidem pallium appellaretur: cum alioqui pallij nomine omne operimentum in rebus sacris significari soleret: hinc est quòd vela oblata sanctæ Cruci in ecclesia a Gregorio Turonensi Episcopo erecta Venantius Fortunatus pallia appellat, quæ & ipsa crucum imaginibus essent contexta, vt ipse declarat[a] his versibus: A

[a] Venant. Fortunat. lib. 2. epigram. 5. de S. Cruce.

Denique sancta Cruci hæc templa Gregorius offert,
Pallia dum coperit signa gerendo Crucis.
Dona repente dedit diuina potentia Christi:
Mox fuit & voti causa sequuta pij.
Pallia nam meruit, sunt quæ Cruce textile pulchra,
Obsequijsque suis Crux habet alma Cruces:
Serica cui niueis agnata est bractea telis, B
Et textis Crucibus magnificatur opus.
Sic cito Pontifici dedit hæc deuota voluntas,
Atque dicata Cruci condita vela placent.]

At quod ad sacerdotale pallium pertinet: cur e lana confici soleret, ex Isidoro Pelusiota secundo Annalium Tomo diximus. Sed istæc obiter: de pallio enim sæpe inferius continget haberi sermonem.

Rursum vero de Marco hæc in eodem commentario in fine leguntur: Sepultus est in cœmeterio Balbinæ, via Ardeatina, quod ipse constituens fecit, pridie Nonas Octobris. Cessauit Episcopatus eius dies viginti.] Sic igitur vigesimasexta eiusdem mensis Octobris creatur Romanus Pontifex Iulius ciuis Romanus, Rustici filius: quantum autem temporis sederit, in obitu eius, ex more, dicemus. C

IVLIVS PAPA.

Hoc eodem anno Constantinus aduersus Persas expeditionem parauit; sed pace consopita, ad extruendam Apostolorum ecclesiam, in qua sepeliretur, adiecit animum. De his autem hæc Eusebius[b]: Simul etiam illud memoratu dignum, quòd hoc ipso fere tẽpore cum de tumultu quodam Orientalium barbarorum audiuisset, hanc sibi postremam de illis victoriam reliquam esse affirmans, exercitum contra Persas educere properaret. Nam cum id plane secum statuisset, militares ordines eduxit, & de expeditione cum Episcopis, quos secum habebat, communicabat, existimans oportere ex his aliquos ad pietatis officia maxime idoneos perpetuo sibi adesse. Illi vero libenter quidem sequuturos se, nec vestigium ab eo discessuros, sed vna militiam obituros, & apud Deum supplicibus votis se pugnaturos recipiebant. D Hac ille voluntate & studiorum professione vehementer delectatus, totius expeditionis quasi vestigia eis expressit; ac ad bellum illud suscipiendum, tabernaculum interim ad ecclesiæ similitudinem magnificentia faciendum curauit, in quo Deo victoriarum datori ipse cum Episcopis supplicaret. Interea vero Persæ, cum Imperatoris animum de mouendo bello famà intellexissent, ac pugna cum illo congredi metuissent: oratores ad eum de petenda pace mittebant. Ille vicissim (vt erat pacis amantissimus) Legatos obuijs vlnis excepit humanissime, porrectaque dextera, amicitiæ cum illis fœdus lubens iniuit. Magna autem agebatur diei Paschæ eo tẽpore celebritas, & Imperator cum ceteris pernoctans, vota precesque Deo persoluebat.] hæc Eusebius de expeditione aduersus Persas & pace cum ijsdem composita; quæ quidem accidisse anno vltimo Constantini, Hieronymus testatur in Chronico. E

[b] Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 56. 57.

EXPEDITIO CONTRA PERSAS.

Huius belli motus causa, verum inanis prorsus, illa ponitur a Cedreno, nẽpe a Rege Persarum Metrodorum philosophum gemmis spoliatum fuisse, quas ex Indis ad Constantinum ferebat. Sed ex his quæ scribunt Ruffinus[c] & Socrates[d], mendax arguitur; dum longe ante hæc tempora peregrinationem Metrodori contigisse significant ex rebus gestis Meropij, quicum est imitatus, & secum pueros duxit Aedesium & Frumentium, qui ætate prouectus, ipso exordio Athanasij sedis fuit ab eo ordinatus Episcopus. At nec persecutio aliqua a Rege Persarum aduersus Persas Christianos sub Constantino (quod falso idem auctor putat) excitata est, sed sub Constantio eius filio, vt constabit ex ijs quæ suo loco dicemus.

[c] Ruffin. lib. 1. c. 9.
[d] Socrat. lib. 1. c. 15.

Ceterum iam quæ a Constantino gesta sunt post initam pacem cum Persis, hic ex Eusebio[e] describamus. Vbi, inquit, hæc peracta fuerunt omnia, Apostolorum templum in Vrbe sui cognomine ædificare cœpit. Illud vero cum in infinitam extruxisset altitudinem, lapidumque omnis generis ac crustarum varietate ab ipso solo ad superiorem contignationem collustrasset

[e] Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 58. 59. & 60.

APOSTOLORVM TEMPLVM EXTRVITVR.

A ftrasset, summo artificio factis laquearibus tectum intus complexus est, auroque vniuersum contexit. supra vero pro tegula inductū æs a toto opere imbrium iniurias arcebat:quod ipsum etiam multo auro fulgebat; ita vt longe contemplantibus, per reciprocatos Solis radios incredibilis splendor effundi videretur. Interiorem ædis partem vndique in ambitu circumductam, reticulari opere ex ære & muro affabre facto conuestiuit: ac templum quidem hunc in modum permagna Imperatoris & cura & studio exornatum est. Huic autem atrium ingens & subdiale circumdatum, in apertum, purumque aerem explicabatur. Huius per quatuor latera porticus erant dispositæ, quæ medium atrium cum tēplo ipso complectebantur. Porticibus accommodabantur regia domus, deambulatoria, aliæque habitationes plurimæ ad necessitatem illorum qui locum custodirent constructæ. hæc omnia dedicauit Imperator, vt Saluatoris nostri Apostolorum memoriæ apud omnes gentes æternitatem compararet. Attamen B in ipsa coædificatione etiam illud quiddam spectabat, quod primis temporibus obscurum, ad extremum ab omnibus manifeste deprehensum est.

His igitur in opportunum venturæ mortis diem hic locum sibi prouida dispensatione designauit; incredibili fidei propensione prouidens, cum iam corpus suum commune cum Apostolis appellationem post mortem participaret, fore vt defunctus quoque, precationum quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur. Quare cappas * illic duodecim, quasi sacras quasdam columnas, ad Apostolici collegij honorem memoriamque attollens, medium inter ipsos conditorium suum locabat, quod vtrinque seni claudebant Apostoli: sano certe, vt dixi, consilio præcogitans, quòd mortui corporis tabernaculum ibi digne decenterque quiesceret. Atque hæc ille longo ante tempore cogitatione cùm depinxisset, ecclesiam Apostolis dedicauit, quàm plurimum vtilitatis illorum C memoriam animæ suæ conciliaturam existimans. neque sane vota eius expectationemque fefellit Deus: nam vt primas Paschalis celebritatis exercitationes explesset, ipsumque salutarem diem cum sibi ipsi carum & illustrem egisset, tum aliis omnibus omni cum lætitia celebrem reddidisset; cum eodem tempore & extremum diem obiret, & has celebritates curaret; Deus, cuius nutu hęc omnia gesta sunt, hoc peraccommodato tempore ad meliorem eum vitæ conditionem diuinitus transferre voluit.] at de eius obitu, anno sequenti. Vides Constantinum a sanctis Episcopis institutum in fide, ea de causa sibi in ecclesia Apostolorum delegisse sepulturam, vt defunctus particeps fieret precum, quæ ibidem peragi solerent: optime sciens, in Ecclesia Catholica illud ratum ac firmum haberi, animas defunctorum, viuorum precibus adiuuari.

* θήκας

PRECIBVS IVVARI ANIMAS DEFVNCTORVM.

Addit Socrates [a], ædificatum a Constantino templum illud, ne Apostolorum reliquiis Imperatores destituerētur: illuc enim trāsferri iussa esse Andreæ Apostoli, Lucæ Euangelistæ, & D Timothei Pauli discipuli corpora, satis liquet. Ait enim Procopius, cum agit de eodem tēplo a Iustiniano Imperatore restituto: Erat antiqua apud Byzantium ædes Apostolis consecrata, longitudine temporis iam emota, & quæ (vt suspicabatur) amplius stare non poterat: hanc instaurauit pro dignitate. Vbi latomi & artifices, effosso fundamento, inuenerunt ligneas arcas tres, insculptis litteris indicantes, trium scilicet Apostolorum esse corpora, Andreæ, Lucæ, & Timothei: quæ Rex ipse & omnes Christiani maximo cum feruore conspexerunt, & conspecta rursum terra occuluerunt.] hæc Procopius. Fuisse autem eamdem ecclesiam Imperatorum sepulchrum, S. Ioannes Chrysostomus [c] testari videtur, dum ait: Et Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantq̀ue piscatorum ostiarij Reges. Neque hinc in morte E confunduntur, sed honestantur & ipsi & eorum nepotes & pronepotes.] hæc Chrysostomus. Ex quibus quoque intelligas, non intra ipsam Basilicam, sed in atrio ipsius ecclesiæ Imperatores sepeliri consueuisse; quod alibi idem auctor expresse de sepulchro Constantini testatur, nosq. suo loco dicemus, cum sequenti anno de eius obitu agemus atque sepulchro.

a Socrat. lib. 1. c. vltim.

ANDREAE, LVCAE, ET TIMOTHEI RELIQVIAE TRANSLATAE.

b Procop. lib. 1. de ædif. Iustinian. Imp.

c Chrysost. aduersus Gentiles: quòd Christus sit Deus tom. 5.

His quoque Consulibus Constantinus Imperator Christianæ modestiæ amantissimus, ne cuiusuis zeli prætextu eadem a Fidelium animis periclitaretur, ad Felicem Præfectum Prætorio; ne conuersi ad fidem ex Iudæis in Iudæos persecutionem excitarent rescripsit his verbis [d]: Eum qui ex Iudæo Christianus factus est, inquietare Iudæos non liceat, vel aliqua pulsare iniuria: pro qualitate commissi, istiusmodi contumelia punienda, &c. Dat. XI. Kal. Nouemb. Constantinopoli. PP. octauo Idus Maij. Nepotiano & Facundo Coss.] Rursum vero ad eumdem Felicem de Iudæis, ne Christianum mancipium possiderent, in hæc verba rescripsit [e]: Siquis Iudęorum Christianum mancipium, vel cuiuslibet alterius sectæ mercatus circumciderit: minime in seruitute retineat circumcisum; sed libertatis priuilegijs, qui hoc sustinuerit, potiatur. Dat.

d l. 5. de Iudæis Cod. Theod.

DE IVDAEIS SANCITAE LEGES.

e l. 1. & 2. ne Christian. mancip. Cod. Theod.

a l. 2. tit. eod. Cod. Theod.

b Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 27.

c l. 1. C. de natural. lib.

tur. Dat. XI. Kal. Maij, Constantinop. Nepotiano & Facundo Coss.] et ad Euagrium [a]: A
Si quis Iudæorum mancipium sectæ alterius seu nationis crediderit cõparandum; mancipium Fisco protinus vindicetur: si vero emptum circumciderit; non solum mãcipij damno mulctetur, verum etiam capitali sententia puniatur. Quòd si venerandæ fidei conscia mancipia Iudæus mercari non dubitet: omnia quæ apud eum reperiuntur, protinus auferantur, nec interponatur quidquam moræ, quin eorum hominum, qui Christiani sunt, possessione careant.] Meminit eiusdem legis Eusebius [b], quam & commendat sic dicens: Sanxit etiam, ne Christianus quisquam seruiret Iudæis. Etenim nefas esse, vt qui Prophetas trucidassent, Dominum ipsum crudeliter mactassent, hi Domini Saluatoris sanguine redẽptos seruitutis iugo subijcerent.] hæc ipse. Ijsdem quoque Consulibus legem [c] tulit aduersus spurios, ne quid caperent ex patris vltima voluntate.

CVRATORES SEPELIENDORVM MORTVORVM.

Sed & illud sane memoria dignum statuit, & primus auctor fuit, vt ad corpora defunctorum humanda Corpus cõstitueretur ex nongentis & quinquaginta diuersorum collegiorum & artium officinis, qui huic muneri mancipati essent ad efferenda atque curãda defunctorum cadauera: hos vero ad hoc opus delectos, voluit ab omnibus publicis muneribus esse immunes & in vectigalibus liberos. testatur id quidem Iustinianus Imperator in Nouella constitutione quadragesimanona, De impensis quas fieri oportet in defunctorum funeribus, cum ait: Princeps Constantinus recte excogitatum disposuit, & postmodum Anastasius pientissimus Princeps confirmauit, adiecto insuper & reditu. Id nos ruinam minitans, reparare simul, & vndique ad stabilitatem redactum conuenientibus astringere iuramentis properamus, efficientes ea re, vt immortale permaneat. Nã cum pientissimus Princeps Cõstantinus nongentas quinquaginta officinas ex diuersis collegiis huius almæ vrbis sacrosanctæ maiori Ecclesiæ cum immunitate dederit: Anastasius quoque item pientissimus Princeps non solum officinis C
centum quinquaginta alias apposuerit, sed etiam pro liberalitate sua per duas pragmaticas formas certum reditum constituerit, &c.] Idemque Imperator rursus in Nouella constitutione De officinis (est numero signata quadragesimotertio decimæ collationis) hæc de ijsdem ait: Quoniam potentiæ nostræ subditi nostri siue viuant, siue moriantur, curæ sunt; ne vel graues ipsis sepulturæ, vel defuncti cognatis damnosæ existant: propterea & hæc quæ eorum sepulturam concernunt, quo conuenit modo, disposuimus. Et quia tam diuæ memoriæ Constantinus amplæ huius nostræ vrbis conditor, quàm etiam pientissimus Princeps Anastasius Lecticariorum, siue Decanorum, vt vocant, numerum ad certam mensuram redegerunt, mille & centum tantummodo Decanis totidemque officinis definitis.] et infra declarat quo modo hi subiecti essent Ecclesiæ, & immunes a vectigalibus. Opus igitur pium ac religiosum inuentum a Constantino, maiore augmento inde auctum est a posteris Imperatoribus: sed iam D
abolitum & antiquatum, hoc nostro sæculo Romæ sanctioribus legibus & institutis instauratum est, & in diuersas Catholici orbis Ecclesias propagatum eiusmodi piorum virorum collegium, Mortis confraternitas nominatum, Christianæ pietatis dignum exemplar.

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
337.	1.	vltim.

CONSTANTINI OBITVS TEMPVS.

d l. 1. de contrahẽda empt. Cod. Theod. & alijs ll.

e Ruffin. lib. 1. c. 11.

f Sozom. lib. 2. c. vlt.

g Eutrop. lib. 10.

CHristi annus trecentesimus trigesimusseptimus Feliciani & Titiani Consulatu adnotatur in Fastis tam Latinis quàm Græcis; licet in commentario de Romanis Pontificibus, & in Romana Synodo sub Iulio, loco Titiani, ponatur Maximinus, siue Maximianus. Sanctiones autem Constantini Imperatoris, hoc anno datæ, dictis Consulibus Feliciano & Titiano E
consignatæ [d] reperiuntur. Quo quidem anno Constantinus Imperator ex hac vita discessit, vt Socrates disertis verbis affirmat, dum chronologia tum Consulũ, tum Olympiadum, rem testatam reddit: Vixit, inquit, Imperator Cõstantinus annos sexagintaquinque: trigintavnum regnauit: mortem obijt Feliciano & Titiano Consulibus ad vndecimum Kalendas Iunij, anno secundo septuagesimæ octauæ Olympiadis.] Consentit his S. Hieronymus, dum Constantini obitum trigesimoprimo eius Imperij anno ponit: Ruffinus [e] etiam, atque Sozomenus [f], qui sexagintaquinque annis eum vixisse pariter affirmant: Eutropius [g] autem cum itidem triginta & vnius anni eius Imperij sit assertor, sexaginta ramen & sex annorum ætatem egisse tradit. Qui ergo Socrati consentientes, huius anni Consulibus Feliciano & Titiano Constantinum dicunt esse defunctum: sic eos oportuit affirmasse eumdem annos triginta & vnum regnasse, vt tamen vltimum non absoluerit, tantumq. defuerit ad anni eius consummationem, quantum intercur-

A intercurrit temporis ab XI. Kalendas Iunij, quo defunctus est, vsque ad VIII. Kalendas
Augusti, quo ipse Constantio patri successit.
Eusebius [a] autem, Epiphanius [b], Victor [c], Zonaras [d], & si qui alij sunt ex recentioribus,
trigintaduobus annis Constantinum dicunt imperasse; ait enim Eusebius: Duos igitur & tri-
ginta annos, extra paucos menses & dies, cum Imperio fuit, eumdemque annorum nume-
rum vita duplicabat: quo omni tempore corpus ei præclare constitit, sine morbo, sine dolo-
re, nulla conspurcatum labe, quouis iuuenili corpore valentius, aspectu pulchrum, & ad
omnes functiones obeundas, ad quas viribus esset opus, robustum. Itaque facile se exer-
cere, equitare, itinera conficere, bellorum periculis se obijcere, trophæa de hostibus consti-
tuere, & illas (quibus plurimum vti solebat) sine sanguine, sine cæde de hostibus victorias
reportare.] hæc Eusebius; cuius quidem sententia dicendum esset, peruenisse Constantinum
B vsque ad sequentem annum, atque ad Consulatum Vrsi ac Polemij, decessisseque dicta die
XI. Kalendarum Iuniarum.

a Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 53. b Epiphan. lib. de mensur. c Victor in Constantino. d Zonar. 3 part. Annal. TEMPVS EIVS IMPERII.

Ceterum vt consignatæ a Socrate de Constantini obitu chronographiæ huius anni Con-
sulibus Feliciano & Titiano consentiamus, illud in primis maxime persuadet, quòd leges
posthac datæ nominibus Constantij & aliorum nouorum Imperatorum reperiuntur in-
scriptæ potius, quàm Constantini. Extant de his plura exempla, vt in Codice Theodo-
siano, titulo de Annona & Tributis, vbi quarta constitutio data legitur a Constantio
VIII. Idus Decembris, Thessalonicæ, Feliciano & Titiano Consulibus. Sed & in titulo
de Distrahendis pignoribus habetur rescriptum Constantij Augusti ad Egnatium Fausti-
num [e] datum iisdem Consulibus, pridie Idus Decembris. Rursus vero eodem in Codice, titu-
lo de Honorariis codicillis, sub sequentis anni Consulibus Vrso atque Polemio, XVII. Kalen-
C das Iunij extat data Constantij constitutio ad Asconium Africæ Vicarium: quæ quidē omnes
leges, sicut aliæ a Constantino latæ, inscribendæ erant titulo Constantini, si fuisset superstes,
& in sequentem annum vitam propagasset; verum quòd ex hac vita migrarit, eius filij Con-
stantij Augusti nomine notatæ habentur. sed & quòd leges a Constantino sancitæ, in hunc
vsque annum datæ reperiantur; erroris arguuntur qui tradiderunt eum anno Imperij sui tri-
gesimo obijsse.

CONTIGISSE HOC ANNO OBITVM CONSTANTINI. e l. 2. de Distrahen. pign. Cod. Theod.

Quamobrem inhærentes ijs quæ a Socrate & ab alijs antiquis nuper citatis auctoribus de
annis triginta & vno Constantini Imperij dicta sunt, affirmamus cum ipsis, Constantinū hoc
anno XI. Kalendas Iunij e vita decessisse Feliciano ac Titiano Consulibus, Olympiade du-
centesima septuagesimaoctaua, anno, vt ait Socrates, secundo, sed iuxta Eusebij supputatio-
nem, anno eiusdem quarto: hacque habita ratione, dicendum imperasse annos triginta &
D vnum minus mensibus duobus atque diebus tribus. Sed & quòd Eusebius ait, eumdem quo
imperauit, annorum numerum viuendo duplicasse extra paucos menses & dies; dicendum est
eum ex hac vita decessisse anno suæ ætatis sexagesimo secundo, vel sexagesimo tertio exacto
secundum eiusdem Eusebij sententiam, asserentis eum imperasse (vt diximus) annos tri-
gintaduos præter paucos menses & dies. His igitur de tempore Constantini obitus elucidatis,
iam quæ Eusebius ad eum spectantia narrat, hic recitemus; atque in primis quæ de eiusdem
vitæ institutis ad obitum vsque seruatis, & mala corporis valetudine ipse præmittit, dum ait [f]:

f Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 55.

Imperator autem vsque adeo mente, rationisque viribus constabat, vt vsque ad vlti-
mam senectutem pro consueto more orationes conscriberet, solitos cum amicis congressus
faceret, & dignas homine Christiano disciplinas auditoribus suppeditaret. Assidue etiam
leges ferebat, aliquando de rebus ciuilibus, aliquando de bellicis: omnia vero quæ ad
E vitam degendam essent necessaria, mente & intelligentia comprehendebat. Iam illud
dignum sane sempiterna memoria est, quòd cum eius extremus prope vitæ dies adesset,
recitabat funebrem quamdam orationem, eo ipso fere loco, quo dicere consueuerat; in
qua etiam multa disputabat perpetua oratione de animorum immortalitate, deque his qui
vitam pie sancteque egissent, & de præmiis quæ bonis & gratis acceptisque Deo homi-
nibus apud ipsum Deum reposita essent: ad hæc etiam, quem finem habituri essent, qui
contrariam partem sequerentur, copiosa & longa oratione demonstrabat, impiorum euer-
sionem & interitum præsentium auribus obiter inculcans. Hæc ille cum constanter &
grauiter contestaretur, ita visus est domesticos quosdam suos tangere, vt ex eis ali-
quis qui sapiens haberi volebat, interrogatus, quid sibi videretur de Imperatoris ora-
tione? licet inuitus, responderet tamen: Vera quidem illum sibi videri dicere, at-
que adeo vehementer laudare, quæ contra numerosam deorum turbam ab Imperatore

CONSTANTINI VITAE TOTIVS EXERCITIA.

disputata essent. Hæc ille cum familiaribus suis paulo ante mortem commentans, visus est genere hoc sermonis viam sibi ad meliorem vitam mollem atque æquabilem præstruere.] his præmissis & aliis de Apostolorum templo, & sepultura sibi in eo condita, hæc subdit [a]: A

a Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 61.

CONSTANTINI OBITVS EX EVSEBIO.

Cum primum oboriretur ei quædam corporis inæqualis intemperies, ad eamque iam vehementior dolor accessisset; ad calida ciuitatis balnea proficiscitur, & inde ad ciuitatem matris suæ cognominem, nempe Helenopolim in Bithynia, vbi in Martyrum sacra æde diu versatus, supplices preces & vota publica adhibuit Deo.] hæc de Cōstantino Eusebius, qui de suscepto ab eodē in suburbano Nicomediæ baptismo narrationē subinfert: quæ quidem sunt a nobis superius recitata & confutata; eaque in gratiam Constantij Imperatoris eius filij hæreticorum Arianorum fautoris ab ipso fuisse conficta, atque dolo malo composita, cum de Constantini baptismo Romæ suscepto est fusius disputatum, aperte nos demōstrasse existimamus. Sed etsi ceteris omnibus destitueremur probationibus & verisimilibus coniecturis: satis hæc vel ex eo infirma, fide dubia, & labefactata reddi videntur, quòd ab Arianorum omnium callidissimo homine, & in præsidium hæresis Arianæ, atque ad Arianorum patroni, ipsius scilicet Constantij Imperatoris nutum, ostendimus esse conscripta, ab Eusebio inquam illo, qui in his quæ spectant quouis prætextu ad causam Arianorum aduersus Catholicos confouendam, quàm egregius semper extiterit mendaciorum concinnator, Acta Tyria atque Constantinopolitana contra S. Athanasium superius recensita locupletissimam fidem faciunt. Tacuit Eusebius quod de Constantini obitus causa peruulgatum fuit: nempe ipsum a fratribus suis (hi erant Constantius, & Anniballianus) potatum esse veneno; ob eamque causam a Constantino datas esse Eusebio Nicomediensi litteras ad Constantium filium, vt caueret sibi a patruis. istæc vera ne sint, & quibus ferantur auctoribus, dicemus inferius, cum de eorumdem nece agemus. At quid post hæc addat Eusebius, eodem quo ea texit ordine, hic reddamus [b]. B C

b Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 63. 64.

VLTIMA ACTA ET ELOGIA CONSTANTINI.

Cum vero (inquit) Centuriones & Duces militares intromissi, casum suum deplorarent, quòd deinceps se orbos fore, lugubri voce testarentur, longioremque ei vitam optarent: etiam his respondit: Se nunc veram vitam adeptum esse, seque ipsum solum intelligere, cuius felicitatis particeps factus sit: ac propterea festinare, nec migrationem ad Deum suum procrastinare. Deinde quæ videbantur, extrema quasi voluntate sua disponebat: ac Romanos, qui regiam ciuitatem incolebant, annuis pensionibus honorifice donabat; liberis vero suis regni hereditatem, tamquam patrimonium relinquebat; ceteraque omnia quæ ei videbantur, expresse, disertisque verbis describebat. Hæc sigillatim omnia gesta & consummata sunt maxima illa celebritate venerandæ & sacræ Pentecostes, quæ septem continuas hebdomadas omnibus honoribus decorata, ad extremum vnitatis numero consignata est: quo tempore, sacræ litteræ testantur, & communis nostri Saluatoris in cælos ascensum, & sancti ad homines Spiritus descensum accidisse. Huius celebritatis extremo fere die (quam si quis omnium celebritatum principem & maximam vocet, haud aberrauerit) omnia ista consequutus Imperator, ipso meridie ad Deum suum assumptus est, partem sui mortalem mortalibus cognatam relinquens humi, sed animi partem intelligentem & diuinam Deo coniungens suo. Hic Constantini extremus vitæ dies fuit.] hactenus Eusebius, historiam prosequutus vsque ad obitum Constantini. Prænunciam vero Constantini obitus apparuisse in cælo crinitam stellam, quæ inusitatæ magnitudinis diu refulsit, auctor est Etropius [c]. D

c Eutrop. lib. 10.

d Ruffin. lib. 1. c. 11.

TABVLAE CONSTANTINI.

Quæ autem ad Constantini pertinent testamentum, Ruffinus [d] hæc addit: Venerabilis Augustus Constantinus in suburbana villa Nicomediæ, trigesimo & primo Imperij sui anno defunctus est, liberis de successione Romani Orbis testamento heredibus scriptis. Quo in tempore, quoniam quidem Constantius, cui Orientis regnum decreuerat, præsens non erat, dicitur secreto accersiens presbyterum, quem a sorore commendatum supra diximus, & exinde familiariter habitum, tradidisse ei testāmentum quod scripserat, & obtestatus sub sacramento, ne vlli, nisi Constantio, cum venisset, in manus traderet. Cui etiam quòd eunuchi qui erant in Palatio fauebāt, arte, indicio de Imperatoris morte suppresso vsque ad Constantij præsentiā, multis noua tentantibus oppressis, res tutæ integræque remanserunt. Cum vero Constantius affuisset, depositum presbyter restituit. Cuius beneficij gratia, Imperator regni cupidus, ita ei deuinctus est, vt qui imperare cunctis ambierit, ab illo sibi imperari æquanimiter pateretur. ex quo deuincto sibi Imperatore, cœpit de Arij restitu- E

A tione suggerere; et nolentes acquiescere sacerdotes, vti cogeret, persuadet.] hæc Ruffinus: sed in his quæ de tractata Arij restitutione dicit post obitum Constantini; ex ijs quæ superius ea de re omni ex parte testata, perspicua reddita sunt, omnino refellitur. Eadem quoque de concredito testamento presbytero illi, affirmant Socrates [a] atque Sozomenus [b]. Spectare etiam iure dixerimus ad Constantini testamentum, quod declarauit vltima volūtate, Athanasium in suam esse restituendum Ecclesiam: quod superius, dum de eius exilio actum est, pluribus demonstrauimus.

a Socrat. lib. 1. c. 26.
b Sozom. lib. 2. c. 32.

ARIANVS PRESBYTER IGNOTVS.

Quisnam autem fuerit presbyter ille, qui primo apud Constātiam Augustam, deinde apud Constantinum Imperatorem, ac denique penes filium eius Constantium tantæ fuit existimationis, quem & dicunt secta fuisse Arianum: nemo vmquam (quod sciam) scriptis prodidit: coniectura tamen si res agitur, videtur hic ille fuisse Acacius Luscus presbyter, qui B in sede Cæsariensi Palæstinæ metropoli successit, cum defunctus est Eusebius Pamphili. Vt autem id existimemus, illud magnopere persuadet, quòd dicant hunc imperasse Constantio Imperatori: de Acacio tradit S. Hieronymus [c], ea claruisse fama sub Constantio, vt ipse Romæ in locum Liberij Papæ Felicem Episcopum constituerit: quod ei haud facere quidem, sed nec tentare licuisset, nisi summa præ ceteris apud Constantium ipsum gratia, amicitia, atque etiam sacerdotali auctoritate plurimum valuisset. Sed de his, liberum esto cuique, vt vult, opinari.

c Hieronym. de script. Eccl. siast. in Acacio.

Ceterum nullius commoueat animum & in suspicionem adducat de Catholica fide Constantini intimus eiusmodi amicitiæ vsus & consuetudo cum presbytero Ariano; cum ille nequaquam se proderet, qualis esset; qui ad omnem perfectæ vitæ integritatem ex industria mores componens, summum de se ederet omnibus in rebus ad decipiendum Imperatorem C specimen sanctitudinis; sed & sicut Eusebianos omnes fecisse narratum est, nequaquam se manifestaret Arianum; licet, sicut illi, Arium gestaret intrinsecus: viuo enim Constantino, omnes quantumlibet Arianæ hæresis studiosissimos, in gratiam Imperatoris se exhibuisse Catholicos; sed & Arium ipsum, suo damno, id iuramento quoque affirmare conatum esse, satis superque est superius demonstratum, cum de Eusebianis egimus, ad circumueniendum Imperatorem ea arte optime comparatis. Quòd vero idem Ruffinus hæc narrando dicat, eunuchorum opera Constantini obitum vsque ad Constantij Imperatoris aduentum silentio fuisse suppressum: inde puto accidit, vt apud ipsum Constantium Imperatorem magno in pretio & æstimatione eunuchi fuerint; cuius rei causa idem Constantius pessime semper audiuit: cum tamen apud Constantinum eius patrem, eiusmodi genus hominum humili loco contineri soleret: quod Lampridius [d] tradit in Alexandro, cum ait: Scio Imperator Constantine, D quo periculo ista dicantur apud Imperatorem qui talibus seruit: sed salua Republica, posteaquàm intellexisti quid mali clades istæ habeant, & quemadmodum Principes circumueniant, & tu eos eo loci habes, vt nec chlamyde vti iusseris, sed necessitatibus domesticis delegaris.]

d Lamprid. in Alexand. in fin.

Sed iam quæ sunt Constantini funeris prosequamur. Eusebius itaque res gestas post eius obitum sic subdit [e]: Satellites igitur & vniuersus stipatorum cœtus, dilaceratis vestibus, corporibusque ad pauimenta proiectis, & collisis ad solum capitibus, lugubres voces cum magno luctu & clamoribus edebant: cum identidem dominum, Principem, Imperatorem, & tamen non vt dominum & tyrannum, sed vt patrem pij liberi & germani inclamarent; Centuriones vero manipulares seruatorem, custodem, beneficum prædicarent; totus exercitus cum omni reuerentia, tamquam ouium greges, pastorem suum desiderarent; populus omnis per omnem E vrbem volitaret, occultum animi vulnus apertis vociferationibus & clamoribus contestans; reliqui demisso vultu tamquam obstupefacti incederent, singuli eam sibi calamitatem præcipue accidisse putarent, seque ipsos quasi communi humanæ vitæ salute orbatos miserabiliter affligerent.

e Euseb. Vit. Constantin. lib. 4 c. 65. 66.

CONSTANTINI FVNVS.

Hic milites arreptum cadauer aurea capsula includunt, & vndique purpurea veste contectum, Constantinopolim perducunt. Ibi tum in omnium magnificentissimis Imperatoriis ædibus, celso atque edito loco, deponunt: luminibusque circum funus aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebant, & sane huiusmodi, quale numquam in terris vllum a condito Mundo sub Sole visum est. Nam intus in ipso fere medio regij Palatij excelsa & aurea capsula inclusum Imperatoris corpus, Imperiali apparatu, id est purpura & diademate ornatum, permulti circumfusi vigiles die noctuque asseruabant. Iam totius exercitus Duces & Comites, omniumque Principum cœtus quibus antea in more fuit Imperatorem venerari, pristinum morem & consuetudinem conseruantes,

statis temporibus introeuntes, Imperatorem in capsula iacentem tamquam viuum etiam A post mortem humi procumbentes salutabant. Horum reuerentiam eodem pietatis officio subsequutus est Senatus, & omnes reliqui magistratus. Tunc vero cuiusque ordinis hominum etiam mulierculatum & puerorum infinita turba ad idem spectaculum confluebat. Hæc per multos dies factitata, quòd exercitus consistere funus eo loco, & per se asseruari constituerat, quoad eius filij reuersi, efferendo paterno per ipsos funere, patrem suum honorassent. Solus vere iste beatus Imperator etiam mortuus regnauit; cum ei soli post hominum memoriam, vel ipso Deo auctore, omnes qui solebant, honores tamquam superstiti tribuerentur. Nam cum is solus ex omnibus Imperatoribus Regem omnium Deum, & Christum eius, omnibus vitæ actionibus pie sanctéque coluerit: iure sane etiam hunc honorem solus adeptus est, vt Dei voluntate, quod in eo morte sepultum erat, tamen apud homines regnaret: vt ista scilicet ratione nobis Deus significaret, animorum regnum B his qui non prorsus obduruerunt, numquam consenescere, numquam emori. Atque hæc quidem isto modo.

a Euseb. vit. Constantin. lib. 4. c. 68. Interea [a] Duces selectos quosdam e toto exercitu, homines, quorum aliquando erga Principem fides & beneuolentia perspecta fuit, ad Cæsares mittunt; qui omnem rem gestam eis nunciarent. Id quod illi cum diligenter fecissent, cumque statim quasi diuiniore quodam afflatu cunctæ per omnes oras sparsæ legiones de Imperatoris morte audiuissent: eodem animo & consensione statuunt, se perinde atque si adhuc sibi Magnus Imperator Constantinus viueret, neminem præter eius filios Romani Imperij Principem agnituros. Ac non multo post, non iam eos Cæsares solum, verum etiam Augustos omnes nuncupari volebant: quæ vox maximæ cuiusdam dignitatis plena, celsissimi Imperij propria nota est. Hæcque omnium copiarum, quocumque loco essent, vna eademque consensio, vel ipso temporis momento ad C omnium aures peruenerat, cum ipsi sua decreta & sententias vicissim secum per scripta communicarent.] et paulo inferius:

b Euseb. ibid. c. 70. 71. 72. 73. 74. 75. Hic [b] honor ei a legionibus homini ab ipso Deo honorato delatus est. Sed minor natu filius ad patris funus accedens, idemque princeps efferendi funeris in vrbem id deduxit. Præibant turmatim militum cohortes, infinita hominum turba sequebatur. Imperatoris funus hastatis & armatis militibus cingebatur. Vt vero ad Saluatoris nostri Apostolorum ædem ventum est, funus deponunt. Sic adolescens Constantius Imperator, cum præsentia sua, tum reliquis rebus tanto homine dignis omnia patri pietatis officia præstabat. Sed cum is iam cum reliquis militum cohortibus secessisset, aderant Dei sacerdotes, circumfusi turba, ac vniuerso pietatis studioso populo, a quibus diuinus per preces cultus adhibitus est.] Vides pium Fidelium ritum fuisse prosequi precibus animas defunctorum. Sed de hoc D ipso rursum, cum subdit: Hoc igitur loco, excelso solio iacens beatus Princeps, gloriose prædicabatur. Iam populus frequens vna cum sacerdotibus non sine lacrymis, & sane magno cum gemitu preces pro anima Imperatoris Deo fundebant, in quo & illi gratum atque optatum pio Principi officium præstabant, & Deus ipse singularem beneuolentiam erga famulum suum ostendit: quòd post mortem caris eius ac germanis filiis, patris sui successoribus Imperium donasset: et quem votis expetiuit, locum vna cum Apostolorum Memoria consequutus est. Nam adhuc quidem licet contemplari ter beatæ animæ tumulum Apostolici nominis appellatione decorari, & ad Dei populum aggregari, diuinisque cærimoniis & mystico sacrificio, sanctarumque precationum societate perfrui, atque etiam post mortem cum Imperio esse, tamquam iam in filiis reuiuiscens, summam Imperij administraret, Victor, Maximus, Augustus ipsa appellatione vocitatus. Neque tamen ita, vt Aegy- E ptia illa auis, nempe Phœnix, quam aiunt, cum naturæ prouidentia vnica sit, sibi ipsi mortem consciscentem in aromatum aceruo emori, ex cineribus vero eius reuiuiscere & excitari aliam eiusmodi, qualis ipsa fuit; sed Saluatoris sui exemplo, qui pro vno fere tritici semine, benedicente Deo, spicam multis seminibus refertam exhibuit, suoque fructu vniuersum Orbem cōpleuit: ita is ter beatus per trium liberorum successionem, pro vno multiplex redditus est, ita vt in imaginibus & picturis apud omnes gentes vna cum liberis suis eumdem

c Vit. Constantin. lib. 4. c. 74. honorem adeptus sit, & Constantini nomen etiam vita functus retineat. Iam [c] vero in ipsis nummis exculptæ formæ, quæ vna parte beatum hunc nostrum obuoluto capite repræsentabant, altera parte quadrigis instar aurigæ insidentem, demissa illi cælitus manu dextera exceptum.

Hæc exempla cum omnium mortalium Deus in solo Constantino, qui ex omnibus Christianis maxime tandem aliquando Christianus declaratus est, nostris oculis proponeret; nimirum

A nimirum ostendere voluit, quantum inter eos interſit, qui ipſum, Christumque ſuum colere vellent, quiq. contrariam ſectam ſequerentur, id eſt qui Eccleſiæ eius bellum inferentes, ipſum ſibi hoſtem & inimicum redderent: cum cuiuſque vitæ exitus manifeſtum argumentum præberet ſuæ cum Deo inimicitiæ: quemadmodum Conſtantini extremus dies, quanta pietate Deum coluiſſet, aperte demonſtrabat. Solus enim ex omnibus Romanis Imperatoribus Deum omnium Regem incredibili pietatis ſtudio honorauit: ſolus omni cum libertate vocis & linguæ Chriſti verbum perſonuit: ſolus, vt ita dicam, Eccleſiam eius præter ceteros ab omni æuo honoribus affecit: ſolus impium multorum deorum fictitiũ cultum ſuſtulit, omneſque vias idololatriæ refutauit. ſolus igitur & dũ viueret, & poſtquàm mortuus eſt, his honoribus cumulatus eſt, quales neminem aliquando nec apud Græcos, nec barbaros, ſed ne antiquiſſimis quidem Romanorum temporibus (cum neminem cum iſto conferendum vlla vmquam ſæculorum memoria nobis profuderit) adeptum eſſe, quiſquam commemorare poteſt.]
B hactenus Euſebius.

Quod vero ſpectat ad cuſos nũmos, quorum Euſebius meminit, qui Conſtantinum altera parte capite obuolutum reddant, altera vero inſtar aurigæ, quem inſidentem quadrigæ dimiſſa manus in cælum accipiat: vidimus ex eis plures eiuſdem generis: quorum vnum formis diligenter expreſſum, hic, vt vides, reddendum curauimus.

a

C





a Num. æreus extat apud D. Horatium Tygrinũ de Marijs Rom.

Sed cur operto capite, immo & tota velata Conſtantini effigies poſt mortem, cum ad ſuperos tranſit, expreſſa habetur? Num more Gentilium, quòd Romani deos adeuntes (quod ait Plutarchus [b]) eo ſigno, animi demiſſionem profiterentur, velatoque capite numina venerari ſolerent? ſicque Conſtantinum relatum inter diuos, mortalem inter mortales, eo habitu ſummiſſionem animi præſeferentẽ, æquum fuerit demonſtrari? cum id præſertim nec a Chri-
D ſtiano ritu procul abhorrere videretur, quòd de Helia [c] diuinis litteris proditum ſit, tranſeunte Domino, pallio vultum operuiſſe. An quòd ſicut velo obducta Aeternitas effigiari ſoleret: ita Conſtantinus poſt obitum in cælum receptus, æternam gloriam ſit conſequutus? Vel dicemus potius, quòd veli appoſitio hieroglyphicum apud Gentiles eſſet noctis, ac vitæ humanæ termini vltimique eius finis? ipſamque quadrigam ſumma actam velocitate, totius vitæ hominis per quatuor anni tempora ſignificare curriculum: prout in antiquis ſepulchris hæc omnia egregie expreſſa cernuntur: quorum illud in exemplum adducimus, quod eſt perſpicuum omnibus in eccleſia S. Laurentij in Agro Verano ad Cœmeterium Cyriacæ, in cuius ingreſſu a dextris ſepulchrum adeſt his ſignis nobiliter ſculptum: vbi in vitæ curſus fine, quadrigæ equis in procliue deorſum ad inferna loca labentibus, noctis ineſt ſimulacrum velum obtendentis, per quod finis temporum deſignatur: quod & in alio ſarcophago egregia
E ſculptura celebri viſitur in ædibus V. I. Tiberij Ceuli in atriolo ad ſecundum ſcalarum ordinem poſito, vbi iuxta Cereris quærentis Proſerpinam currum noctis ineſt ſimulacrum, nempe alata femina velum prætendens, quo cum dici tum lucis præſentis vitæ finis ſignificatur. Sic igitur cum veli ſuperinductio eſſet hieroglyphicum noctis, ſimulque mortis indicium: æque congruere videri poteſt, vt quas cernis imagines Conſtantini, demonſtrent eum vita defunctum, verum nequaquam deorſum vt alios deſcendentẽ ad tartara, ſed extenta manu cælitus ſubuectum ad ſuperos. Quod quidem cum de nullo alio Imperatorũ, a Senatu patrijs ritibus, quos ſcribit Herodianus [d], inter diuos relatorum, ſit in numiſmatibus reperiri; in quibus, aliis plane ſignis ab his longe diuerſis, eorumdem conſecratio habetur expreſſa: a Chriſtianis potius quàm a Gentilibus Conſtantinum ſic poſt mortem in nummis effigiatum eſſe, poſſumus intelligere. Sed & his addimus, quòd nec abhorreret a Chriſtianorum more, ſic Conſtantinum poſt obitum velatum oſtendere, quibus ſolemne erat (vt ſuo loco ſuperius dictum eſt) funebri linteo ad opus compoſito defuncti corpus obuoluere.

b Plutarch. qq. Rom. q. 10.

c 3. Reg. 19.

d Herodian. lib. 4.

a Eutrop. lib. 10.

Ceterum quod tradit Eutropius [a], Constantinum inter diuos esse relatum: vel potuit ille A intellexisse eiusmodi recensita officia a Christianis eidem post mortem exhibita, vel quid a Gentilibus Senatoribus more patrio actitatũ. Illud notum est omnibus, a Græcis solemni celebritate Constantinum coli vt sanctum, animamq. eius subuectam inter beatos in cælum: inter Sanctos enim relatus reperitur in Ecclesiasticis eorumdem Græcorum tabulis, qui diem anniuersarium natalis eius religioso cultu hactenus prosequuntur. Porro quod ad locum sepulchri spectat: quantumlibet ipsum Imperatorẽ summo honore funeratum atque sepultum Eusebius prædicet: nequaquam tamen Constantius eius filius ausus est eum tumulare intra ipsam Basilicam Apostolorum, sed foris in atrio: quod præter illa quæ dicta sunt superius, accurate considerans S. Ioannes Chrysostomus [b] ait: Hic quoque (Constantinopoli nempe) Constantinum Magnum filius ita demum ingenti honore se affecturum existimauit, si eum in Piscatoris vestibulo conderet: quodq. Imperatoribus sunt in aulis ianitores, hoc in sepulchro Piscatoribus sunt Imperatores. Atque illi quidem, velut domini, interiores loci partes obtinent: hi autem, velut accolæ, ac vicini, præclare secum agi putarunt, si vestibuli ianua ipsis assignetur.] hæc ipse & alia plura, amplificans gloriam seruorum Dei, quos præ cunctis Regibus terræ voluit honorari: eadem quoque concionatus alias [c]: Nec hoc tantum (inquit) quis Romæ fieri viderit, verum & Constantinopoli: nam & hic Constantinum Magnum ipsius filius in honore magno censuit haberi, si pro foribus Piscatoris paternum corpus collocaret.] In eadem vero Apostolorum Basilica non tantum (vt dictum est) Imperatores, sed & Episcopos sepeliri consueuisse, Sozomenus testatur, cum ait [d]: Ab eo igitur, tamquam ex eius rei auctore consuetudine ducta, Imperatores Christiani ibi sepeliuntur, atque Episcopi etiam: quippe cum dignitas sacerdotalis Imperij dignitati par sit, immo vero in locis sacris primas partes obtineat.] sic ipse. Et hæc quidem tum Constantinopoli facta sunt. C

b Chrysost. hom. 26. in 2. epist. ad Corinth. tom. 4.
c Chrysost. hom. 66. ad popul. Antiochen.
d Sozom. lib. 2. c. vlt. in fin.
e Euseb. vit Constantin. lib. 4. c. 69.

ROMANORVM LVCTVS IN OBITV CONSTANTINI.

Sed & quanto mærore ac luctu prosequuta sit vetus Roma Constantini obitum, Eusebius [e] docet huiusmodi narratione: Vt vero Imperatorem vita functum esse, Senatus Populusque Romanus, ac tota Imperatoria ciuitas accepisset: cum hac fama nihil sibi grauius aut luctuosius accidere posse existimarent, nullum dolori & lamentationi modum statuebant: nam balnea clausa, & fora, publica item spectacula summota, & præterea omnia quæ per vitæ otium & tranquillitatem facere solebat animus pacatus & nulla perturbatione impeditus: namque lætitiis omnibus affluebant, nunc tristi & demisso vultu in publicum procedebant: et omnes tamen beatum Imperatorem, acceptumque Deo, & vere Imperio dignum prædicabant. Neque hæc voce tantum & clamoribus significabant, verum etiam reipsa declarabant, cum eum vita functum pictis tabellis tamquam viuum colerent: nam cum cæli effigiem in tabellis propriis coloribus expressissent, depingunt eum super cælestes orbes in æthereo cœtu D requiescentem. Iam liberos eius hi solos rerum dominos & Augustos nuncupabant; adhibitisque supplicibus vocibus, funus Imperatoris sui ad ipsos efferre, & in Imperatoria vrbe deponere cupiebant.] in hunc modum Eusebius. atque hactenus de Constantini funere, cuius quidem corporis effigies sic a Nicephoro describitur [f]:

f Niceph. lib. 8. c. 55.

CONSTANTINI EFFIGIES ET HABITVDO CORPORIS.

Fuit Constantinus formæ decore nemini secundus: et cum gratiosus maxime fuit, tum decentiæ ipsi magnificentiam coniunxit: statura quoque corporis spectabundus: nam neque nimium procerus est habitus, & exiguam breuitatem longe supergressus est. humeris latis, sensim ceruicem crassiorem prætulit. colore corporis rubicundus, minus densum habuit capillum, eumq. flauescentẽ: barba mediocriter tenuis & rara, neque admodum demissa erat, ita vt in pleraque faciei parte succrescere non videretur: oculi quales virum decent, & placidi, ex quibus mirifica quædam eminebat gratia, acutioresque illi, & grandiores. nasus subaduncus, cui carnosum quiddam insidebat: facies ipsa latior, & magnanima admodum.] hæc Nicephorus. E Animæ vero faciem ex rebus gestis facile deprehendes, quam Ethnici quoque scriptores perpaucis quibusdam lineamentis sic expressere: etenim Victor [g] hæc de eo: Commodissimus rebus multis fuit, calumnias sedare legibus seuerissimis, nutrire artes bonas, præcipue studia litterarum: legere ipse, scribere, meditari, audire legationes & querimonias prouinciarum.] ita quidem Victor; sed & Eutropius [h]: Ciuilibus (inquit) artibus & liberalibus studijs deditus erat, affectator iustitiæ & amoris, quæ omnino sibi & liberalitate & docilitate quæsiuit.] Dat tamen crimini Constantino Victor, quod (vt ait) fuerit, vltra quàm æstimari potest, laudis auidus. verum quod mox subdit, eum derisorem potius, quàm appetitorem fuisse laudis significat, dum illud superius a nobis recitatum inculcat: Hic Traianum, herbam parietariam, ob titulos multos in ædibus inscriptos, appellare solitus erat.] cum certe in tot (vt alias diximus) vbique locorum erectis a Constantino

MORES EIVSDEM.
g Victor. in Constantino.
h Eutrop. lib. 10.
CALVMNIA VICTORIS ARGVITVR.

Basilicis

A Basilicis, ceterisque ædificijs publicis, quæ supersunt, numquam vel rarissime inueniat quis in aliquo ipsorum Constantini nomen inscriptum: vt ex his saltem eiusdem Victoris testimonio refellere liceat illatam in eum ab ipso calumniam. Sed alterius fortasse generis gloriæ, quæ ex militia comparatur, Constantinum cupidissimum fuisse, Victor voluit significasse, secundum ea quæ de eodem Eutropius affirmat his verbis: Innumeræ in eo animi corporisq. virtutes claruerunt: militaris gloriæ appetentissimus, fortuna in bello prospera fuit, verum ita vt non superaret industriam.] At hac ex parte laude quoque dignissimus Constantinus fuit: quippe qui secundum illud Apostoli [a]; Qui gloriatur, in Domino glorietur] omnes aduersus tyrannos & barbaros vni Christo victorias acceptas ferret: quod in omnibus pene edictis superius recitatis, ingenue ac libere profitetur. non igitur humanæ iactantiæ, sed grato est animo adscribenda cuncta eius gloriatio in Deum refusa, quem bonorum omnium (vt vidimus) suis scriptis semper prædicabat auctorem. [a] 1. Corinth. 10.

B Rursum vero ea fuit Iuliani Apostatæ in Constantinum querela, quòd magistratus amplissimos contulerit quoque barbaris. quòd si hoc delictum est; grauius in hoc peccasse ipsum Iulianum, idem Ammianus docet his verbis [b]: Tunc & memoriam Constantini, vt nouatoris, turbatorisq. priscarum legum & moris antiquitus recepti, vexauit; eum aperte incusans, quòd barbaros omnium primus ad vsque fasces auxerat & trabeas consulares: insulse nimirum & leuiter; qui cum vitare deberet id quod infestius obiurgauit, breui postea Mamertinum ad Consulatum euexit, nec vita, nec splendore, nec vsu, nec gloria horum cuiusquam similem, quibus magistratum detulerat amplissimum Constantinus, contra inconsummatum, & subagrestem, & quod minus erat ferendum, celsa in potestate crudelem.] hæc Ammianus. At quid adeo nouum atque mirandum, si Magnus Constantinus pressus bellis ciuilibus, eiusmodi C magistratibus barbaros sibi deuinxit, cum ex barbarorum nationibus homines sciuerit ad Romanum Imperium administrandum iam antea peruenisse, vt Seuerum ex Africa, Maximinum e barbaris ortum parentibus, quorum alter e Gothia, ex Alanis alter genitus perhibetur, Philippũ ex Arabia, e Pannonia Probum, Carum e Gallia Narbonensi, Diocletianum e Dalmatia libertinum, e Dacia vero Ripensi Galerium armentorum pastorem? cum alioqui præter vnum Ablauium Aegyptium, quem ex barbaris crearit Constantinus Consulem, inuenerimus neminem: verum & ipsos Aegyptios iam inter Romanos ciues & Senatores allectos ab Antonino Caracalla, ex Dione superius dictum est. Sed prolixi nimis esse videmur in excusando Constantino ab hac Iuliani calumnia, in qua, etiam sententia Ammiani Ethnici hominis, eiusdem Iuliani studiosissimi, ipse accusator tulit posteriores. [b] Ammian lib. 21.

D Sed & grauius vrgetur, carpiturq. etiam Constantinus ab eodem Apostata Iuliano, ipsi ob derelictum deorum cultũ & Christianam susceptam religionem in omnibus infensissimo, quòd voluptatibus atque delicijs deditus fuerit, conuiuijs tantum & comæ capitis exornandæ intentus; quam ob causam fingit deorum sententia iudicatum, ne inter deos, sed cum dea deliciarum, ac veste muliebri amictus ageret. Verũ & quòd solebat (vt Zosimus [c] tradit) femineo amictu ad irrogãdam summam ignominiæ notam vestire milites desertores: ea ratione etiam eumdem Constantinum muliebri vestitu, calumnioso stylo contexto, vt deorum desertorem voluit induisse: mirum tamen est, quòd non vt cóplures alios ad tartari inferna loca ipsum detruserit; siquidẽ id quoque facere in fabula, quam commentus est, ex animi arbitrio licuisset. Sed magnæ profecto cedit laudi ipsius Constantini, beneq. cum eo actum est, quòd ab hoste acerbissimo appetitus, & caninis dilaceratus dentibus, tantum vestis iacturam fecerit, qui ipsos deos eorumque delubra fuerat demolitus, cultumq. ipsorum & sacra deturbarat, at- E que magna ex parte funditus pessumdederat: quodq. vna illa animaduersione vltus in ipsum esset, qui de Iouis manu fulmen excusserat, acu vindicans iacturam fulminis, dum ea vestem illam consuit Constantino, quam tamen ipse, licet nolens & imprudens, exuit atque conscidit, dum fortissimum ducem Constantinum fuisse vel ex eo cogitur affirmare, quòd inter alios ab eo domitos barbaros, Dacos ait Romano Imperio subiugasse, tanto iam ante labore atque prælijs a Traiano tandem vix superatos: quos, superbe excusso e ceruicibus iugo Romano, redditos duriores atque acerbiores, post tot Imperatores solus Constantinus Imperator Crucis virtute perdomuit. IVLIANI CALVMNIA REFELLITVR. [c] Zosim. lib 3.

Sed & indignans in Constantini comam conuertitur stultus, dum iniquo fert animo caprinam barbam suam a Christianis carpi dicterijs atque scommatibus. Quod enim ait, comæ exornandæ fuisse Constantinum intentum: ad illud alludere visus est, quod de eodem ait Victor [d], eidem Iuliano addictissimus, a quo Consulari præfectura secundæ Pannoniæ honoratus, & statua ænea (vt auctor est Ammianus [e]) donatus fuit; ipsum exornare caput solitũ perpetuo diademate: [d] Vict. in Constantino. [e] Ammian. lib. 21.

diademate: gemmatum illud erat, corona nimirum auro gemmisq. contexta, muliebre præferens ornamentum. Vnde inter alia Lampridius[a] Heliogabalo etiam infamissimo Principi vitio vertit, quòd gemmato diademate vteretur, quo pulchrior appareret. Sed qualenam idem esse soleret, hic ex numismate Constantini reddi curauimus. A

a Lamprid. in Heliogab.



B

CONSTANTINI CORONA CVR NON EX LAVRO, SED EX GEMMIS.

Cur autem Constantinus laureas, ipsa nempe lauri folia, in aurum gemmasq. mutauerit: existimatur quidem id ipsum pie sancteq. fecisse, vtpote religiosissimum Christianum, qui exhorruerit quod sciret ex Gentilium superstitionis officina manare: nam Apollinem, comitãte Victoria, eidem adhuc Gentili mioistrasse laureas, Gallicanus orator in Panegyrico quarto testatur: indecẽs enim iam sibi visum ex arbore Apollini dedicata victricia insignia sumere, qui cunctas Christo victorias ferret acceptas, indignumq. ratus ornare tempora ex folijs sacratis Apollini, cuius ipse pleraque templa demoliri iussisset, videriq. velle ab eo donari corona, cuius virtutem atque potentiã superasset: cum præsertim in diuina scriptura de impio Rege damnetur exemplum[b], qui cogebat Iudæos hedera coronatos Libero circumire. C

b 2.Machab.6.

At Christianissimus Princeps, qui superstitione contextas laureas respuit, & loco foliorum connexas auro gemmas in diademate positas gestare consueuit, nequaquam impurissimum imitatus est Heliogabalum, sed potius Deo carum, sanctissimum Regem Dauid, ex quo Christus secundum carnem, vnde & Christiani omnes sunt dicti: hic enim de seipso a Deo coronato sic ait[c]: Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.] vt nullus mortalis audeat redarguere, quod constat consilio atque auctoritate factum esse diuina. Si quæ autem reperiuntur numismata Constantini capite laureato, eadẽ sciat vel a Gentilibus cusa, vel antequàm Christianus esset, impressa, aut cum Apollinis Daphnem, suo nomine indito, expiauit, vt suo loco pluribus dicturi sumus.

c Psal. 20.

ALII IMPP. CHRISTIANI ETIAM LAVREIS VSI SVNT.

Ceterum sic Constantini exemplum sequuti sunt posteriores Imperatores, vt tamen interdum laureis in numismatibus appareant coronati; quòd scirent eiusmodi de abiiciendis Gentiliciis laureis ex scrupulositate Tertulliani[d] Montano iam addicti manasse: quam certo constaret absque veræ pietatis offensa a Christianis militibus fuisse iure contemptam, quod suo loco superius pluribus est demonstratum, secundum illud[e]: Omnia munda mundis.] cum nec desit ex diuina scriptura de eodem Dauid exemplum, qui regium ornare caput consueuit corona illa ex gemmis & auro, quam abstulerat e vertice Melchom[f]. Vidimus enim numismata Constantini iunioris atque Constantii filiorum Magni Constantini, de quo agimus, in quibus eorumdem Imperatorum capita cernuntur laureis redimita. D

d Tertul. de cor. milit.
e Tit. 1.
f 1.Paralip.20.

IVLIANVS VSVS QVOQVE EST DIADEMATE GEMMATO.

Ad hęc vero digressi sumus occasione Iuliani atque Victoris calũniose sugillantiũ de nimio ornatu capitis Constantinũ: cũ alioqui oĩa ferme eiusdẽ Iuliani numismata eius vultũ reddãt, capite sertis cõtextis ex margaritis ornato, vt vides ex vno ipsorum exẽpli causa hic expresso. E



Sed displicuit fortasse pexa Constantini coma Cynico canem in hircum barba & capillo mutanti. Verum sic Constantino mundicies cordi fuit, vt obduratis iam militia membris, ab

A effeminatis delicijs abhorreret. Delicijs ne vacabat & genio indulgebat homo cuius labores belli pacisq. tempore essent propemodum incredibiles? quiq. frequenter dicere soleret [a] ijs qui eum ab immensis susceptis laboribus euocare tentarent: pro vtilitate Reipublicæ Imperatores non debere labores recusare? Sed & si quid a bellorum curis & administratione tam vasti Imperij toto Orbe diffusi otij superesset, illud in scribendo insumere consueuerat: elucubrabat enim, vt dictum est, pias sanctasq. conciones, quas etiam interdum coram populo recitabat: nec quidem ea in re segnis, sed vigilans ac sedulus apparebat: nam de illo hæc habet Eusebius [b]: Equidem suam ipsius mentem quodam quasi afflatu & instinctu diuinarum rerum exaggerans, totas sæpe noctes sine somno traduxit: et cum per otium liceret, orationes scribens, frequentes cum suis inibat congressus; quòd suarum esse partium existimaret, rationis freno Imperio suo parentes cogere, atque adeo vniuersum regnum rationis imperio subijcere.

B Quapropter infinita multitudo solebat ad Imperatoris nutum confluere, vt eum philosophantem audiret. Quòd si eo dicente, aliquando aliqua occasio incidisset de Theologia loquendi: erecto corpore consistens, contractoq. vultu, & depressa voce, adhibita summa prudentia & moderatione, præsentium animos cælesti disciplina initiare & deuouere videbatur. quam rem cum sequeretur populi grata acclamatio: solebat nutu significare, vt cælum suspicerent, & venerandis laudibus omnium Regem Deum admirarentur & colerent.

a Pomp. Lat. in Vit. Constantin. in fin.

LABORIOSA CONSTANTINI VITA.

b Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 29.

Cum vero distribute de pluribus rebus loqui vellet: primum refutabat argumenta, quibus magno errore deorum multitudo introducebatur, probans Gentium superstitionem fraudis esse causam, & huius de Deo erroris propugnaculum. Deinde Deum vnum vni Imperio præsidentem eis commendabat: cuius de prouidentia deinceps generatim & particulatim disputabat: indeq. ad Saluatoris nostri dispensationem descendens, hanc quoque ostendebat, vt

C eius ratio postulabat, necessario extitisse. Ab isto loco digrediens, disputationem mouebat de Dei tribunali; quo genere maximo terrore ferire videbatur audientium animos, cum seuere reprehenderet raptores, iniuriarum auctores, & qui se inexplebili diuitiarum auiditati mancipassent. Familiares vero nonnullos suos oratione quasi verberans & flagellans, cogebat aliquando sua ipsorum conscientia perculsos, humi oculos deflectere; cum eis clara voce contestaretur & prædicaret, actionum suarum omnium rationem Deo daturos esse: nam & se terrenum quoduis Imperium illius Dei Imperio subijcere, eique rationes singularum rerum redditurum esse: cunctos enim mortales magno Regi aliquando rationem suæ vitæ relaturos. Hæc ille perpetuo contestabatur, hæc suggerebat, horum magister & auctor fuit.

CONSTANTINVS DICENDI PARITVS.

Sed is quidē veram & minime simulatam fidem peculiari quodā modo retinens, hæc sentiebar, hæc præcipiebat: at illi ad hæc percipienda tardi, & ad præclara ista præcepta obsurde-

D scentes, voce & acclamatione applaudebant; sed inexplebili cupiditate obcæcati, reipsa contemnebant, &c.] hæc Eusebius, qui & de eiusdem Imperatoris lucubrationibus sic paulo post subdit [c]: Romana lingua orationes Imperator conscripsit: quas interpretes quidam, ad quos illud interpretādi munus pertinebat, Græce fecerūt. Ex his e Latinis Græce factis orationibus, exempli causa, postquàm institutum opus absoluero, attexam orationem illam, quam ipse hoc titulo inscripsit, AD SANCTORVM Cœtum oratio; quamquam præterea Ecclesiæ Dei dedicauit: ne quis meum de eo testimonium vanum & ostentatoriam prædicationem esse iudicet.] ita Eusebius, qui (vt superius diximus) alibi [d] testatur eumdem Constantinum vsque ad extremum vitæ tempus orationes conscribere minime prætermisisse: qui & quasi sui proxime futuri exitus præscius postremam omnium funebrem elaborauit scriptionem. Verum periérūt istæc nobilissima Imperatoris monumenta; quæ si æstimanda sunt cōpa-

E ratione vnius quæ superest, Ad Sanctorum cœtum inscripta, talis habendus est Constantinus, vt in eo dicendi genere inter Christianos Imperatores & complures alios scriptores peritia & facultate scribendi nulli concedat: liberalibus quidem eum studijs deditum fuisse, affirmat Eutropius; et legere ac scribere ipsum solitum, Victor tradit.

c Euseb. Vit. Constantin. lib. 4. c. 32.

LVCVBRATIONES CONSTANTINI.

d Euseb. ead lib. c. 55.

Vindicato igitur a tot tantisq. aduersariorum calumnijs Constantino, sententia bonorum omnium optimum Principem fuisse constat, ac plane felicissimum existimandum. Non tam autem ex rerum temporalium affluentia, & debellatis hostibus, rebusq. belli & pacis tempore præclare gestis, Christianorum Principum felicitatem metiendam esse, quàm ex morum præstantia, Christiana regula docet: nam S. Augustinus hæc ait [e]: Neque enim nos Christianos quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos ciues aduersus se insurgentes & cauere & opprimere potuerunt: hæc enim & alia vitæ huius ærumnosæ vel munera vel solatia quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum

IMPERATOR QVI FELICISSIMVS HABENDVS SIT.

e August. de Ciuit. Dei lib. 5. c. 24.

regnum Dei, quo peruenient isti. Et hoc ipsius misericordia factum est, ne ab illo ista qui in A
eum crederent velut summa bona desiderarent: sed felices eos dicimus, si iuste imperant: si inter linguas sublimiter honorantium & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt: si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum maiestati eius famulam faciunt: si Deum timent, diligunt, colunt: si plus amant illud regnum, vbi non timent habere consortes: si tardius vindicant, facile ignoscunt: si eamdem vindictam pro necessitate regendæ tuendæq. Reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odijs exerunt: si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent: si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compensant: si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior: si malunt cupiditatibus prauis, quàm quibuslibet gentibus imperare: et si hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ: si pro suis peccatis, humili- B
tatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos Imperatores dicimus esse felices, interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod expectamus, aduenerit.] hæc Augustinus: cuius quidem sententiæ calculo, Constantinum felicem fuisse, non dubitamus; quin & felicissimum appellandum; nisi falsorum hominum, hypocritarum inquam Eusebianorum, dolosis artibus circumuentus, a recto iustitiæ tramite nolens abductus, S. Athanasium & alios Episcopos mulctasset exilio, licet facti pœnitentia (vt dictum est) facinus diluisset.

a August. de Ciuit. Dei lib. 5. c. 25.

CONSTANTINVS CVR A DEO TOT CONSECVTVS EST BONA.

Cur autem Constantinum Imperatorem voluerit Deus adeo prosperis rebus clarescere, S. Augustinus eiusmodi rationem affert, cum ait [a]: Bonus Deus, ne homines qui eum crederent propter æternam vitam colendum, has sublimitates & regna terrena existimarent posse neminem consequi, nisi dæmonibus supplicaret, quòd hi spiritus in talibus multum valerent; Con- C
stantinum Imperatorem non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam condere ciuitatem Romano Imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo dæmonum templo simulacroq. concessit. Diu imperauit: vniuersum Orbem Romanum vnus Augustus tenuit & defendit: in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit: in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est: grandæuus ægritudine & senectute defunctus est: filios imperantes reliquit. Sed rursus ne Imperator quisquam ideo Christianus esset, vt felicitatem Constantini mereretur; cum propter vitam æternam quisque debeat esse Christianus: Iouianum multo citius quàm Iulianum abstulit.] hæc Augustinus, atque de his hactenus.

VIRI CELEBRES SVB CONSTANTINO.

b Apud Metaphrast. die 17. Februar. recitat Sur. tom. 1.

c Niceph. lib. 8. c. 42. in fin.

Constantini autẽ tẽporibus claruisse Dei Ecclesiã viris doctrina atque sanctitate insignibus, rerum gestarum continuata series annis singulis digesta, facile demonstrauit. Quibus addendi D
sunt alij, & inter ceteros Parthenius Episcopus Lampsaci ciuitatis in Hellespõto, cuius Acta a Crispino conscripta candido & puro stylo extant [b]: meminit eiusdẽ quoque Nicephorus, cum ait [c]: Par istis (nempe Nicolao & Spiridioni Episcopis) etiam fuit Parthenius vrbis vnius in Hellesponto Episcopus, vitæ splendore, humanitate, & prodigijs ingentibus clarus, adeo vt accepta a Deo potestate mortuos excitarit, dæmonibus imperarit, & variorum morborum curator gratuitus & promptus fuerit.] Innotuit autẽ hic Constantino Augusto, qui ei petenti vt liceret idolorum templa suæ ciuitatis euertere, rescripto dato, concessit; quin etiam vt ecclesiam erigeret, pecunias suppeditauit. Res gesta sic describitur ab auctore, postquàm eius ordinationem factam ab Ascholio Episcopo Cyziceno, eiusdemq. prædicationem Euangelij idololatris habitam enarrauit:

PARTHENIVS EPISC. LAMPSACI.

Cum vero, inquit, vidisset eos proficere in fide, & simulacra despicere: voluit idolorum E
templa diruere, & ædificare ecclesiam in nomine Domini nostri Iesu Christi: cum se autem sustinuisset, sic statuit: quòd cum Imperator sit Christianus & pius, iussum sit eius sententia templorum idolorum fieri demolitionem. hæc cum apud se statuisset Christi seruus Parthenius, & soluisset ex ciuitate Lampsaco, venit in vrbem regiam. Forte autem accidit, vt die sequenti pius Imperator Constantinus descenderet in vehiculo ad videndos agros. Ad eum itaque accedens vir sanctus, exposuit ei suam petitionem: venerandus vero & plane Christi amans Imperator Constantinus benigne accepit eius petitionem, & valde lætatus est, iussitq. eum ire in Regiam, & expectare, donec ipse rediret ab agris. Reuersus itaque Imperator in Palatium, lubenter accepit virum sanctum, & complexus rogauit vt pro se deprecaretur, & protinus iussit fieri Sacram pro idolorum & eorum templorum demolitione; et cum hoc diuinis suis confirmasset syllabis, dat Parthenio cum multo auro ad extructionem sanctæ Dei ecclesiæ, & eum amplexatus misit in pace.] Quid autem valde admirandum acciderit,

A derit, cum altare ecclesiæ erecturus esset magnus Parthenius, idem auctor narrat his verbis:

Reuersus autem Parthenius in suam ciuitatem Lampsacum, templa diruit, & cum pulcherrimam & ornatissimam descripsisset Dei ecclesiam, ipse per se assistens operi, magno studio eam curabat excitandam.] et post enarratum de liberato a dæmone homine miraculum ab eo editum, hæc de eiusdem ecclesiæ construendo altari conscripsit: Perfecto autem opere ædificationis sanctæ Dei ecclesiæ, studium ponebat homo Dei, vt poneretur mensa, in qua oportebat Domino offerri spiritale & incruentum sacrificium. Cum autem inuenisset in quodam loco dedicato idolis lapidem pretiosum, & aptum ad sanctæ mensæ concinnandum opus, quod quærebatur, effecit id pulchre elaborari & adaptari ab artificibus. Perfecto vero opere, iussit id afferri in ecclesiam. Cum ergo artifices lapides currui imposuissent, & boues iunxissent, ducebant ad ciuitatem. Inuidens autem & bonorum operum æmulus diabolus, non ferens

TEMPLA PARTHENIVS DIRVIT, ET ECCLESIAM AEDIFICAT.

B ignem diuini zeli sancti viri, conturbatis bobus, effecit, vt ij repente, impetu qui cohiberi non poterat, excitati, supinum in terram proiecerint eum qui trahebat boues, nomine Eutychianum: quem excipiens currus, per rotam perfregit omnem viscerum eius compagem; sicque is expirauit.

Cum autem accepisset quod acciderat seruus Dei Parthenius, dixit: Hoc satanica plane fecit malitia. Non impedies in hoc diabole opus Dei. Et statim assumens secum pios viros, qui cum ipso erant, cucurrit ad locum, & stans prope cadauer, & sancta sua inclinans genua cum lacrymis intente orauit ad Deum, dicens: Tu Domine omnipotens, suppeditator vitæ & mortis, non ignoras propter quam causam auctor malorum inimicus machinatus est mortem in tuum figmentum. Sed o benignissime, nunc quoque ostende inanem eius conatum: vitæ autem participem fac seruum tuum Eutychianum, ostendens ijs qui in te credunt, inuictam

INGENS MIRACVLVM A PARTHENIO EDITVM.

C tuam potentiam: quoniam tu es solus Deus, & te decet gloria in sæcula. Amen. Cum autem vir iustus Deo emisisset has preces; reuersus est mortui spiritus in corpus eius: et cœpit qui fuerat mortuus, dicere in conspectu vniuersi populi: Gloria tibi Christe Deus, qui suscitas mortuos. et cum protinus surrexisset, & factus esset sanus sicut prius, & accepisset boues, traxit currum vsque ad ædem ecclesiæ.] hæc ibi & alia plura insignia miracula ab auctore fideli narrantur, dignissima quidem quæ hic sigillatim intexerentur, nisi instituti ratio ad alia euocaret. Putamus hunc quoque interfuisse Nicæno Concilio; sed desiderantur cum ipsius, tum etiam aliorum eius prouinciæ Episcoporum nomina in ea, quæ ibi extat omni ex parte decurtata, subscriptione.

Sed ex quo opportuna incidit de Lampsacena ecclesia mentio; dignam hic historiam de Gentilium conuersione his temporibus sub diœcesi eiusdem ecclesiæ diuina virtute per Abra-

D hamium anachoretam facta, enarrare, iucundum fore & ad institutum valde accommodatum putamus; cum præsertim ab auctore scripta fidelissimo, nempe Ephrem [a] Syro, diacono ecclesiæ Edessæ, certam fidem ab omnibus sibi vendicet. Auctor igitur post complura alia de sanctissimo viro recensita, huiusmodi subnectit orationem: Lampsaci, quod est oppidum ad Hellespontum, erat quidam magnus vicus & frequens populo, qui vocatur Tænia. Quoniam autem qui in eo vico habitabant, tenebantur a graui errore Gentilium; magna quidem multitudo sacerdotum & diaconorum ab Episcopo ad eos mittebatur; plurimi quoque ex eis qui vitam susceperant monasticam, ab eo constituti erant vici magistri: sed nemo eos poterat conuertere ab errore: immo pijs potius illi inferebant tormenta & supplicia, neque vllum erat pœnæ genus quod non terribilitet eis intentaretur. Cum ergo dubitaret Episcopus quidnam oporteret facere, vt qui errabant, errorem agnoscerent; et rem aliquando cum suis commu-

GENTILES AB ABRAHAMIO CONVERSI.

a Apud Sur. tom. 2. die 16. Martij.

E nicaret: venit eis interim in mentem Abrahamij admirabilis. Tum non expectans ipse aliorum de eo testimonia, eis statim ostendit quid de illo esset sibi persuasum, dicens: Credite mihi, filij, dicturo teste veritate, quòd in tota vita numquam mihi contigit videre talem virum, & qui in tanta virtute viueret, & pietate.] Quid plura? Inito simul consilio de ipso adeundo, atque sacerdote creando, eidemque adscribendo vico illo: perfecit hæc omnia ad eum cum suis accedens Episcopus, illo licet inuito ac reclamante. qui accepta pecunia ædificauit eo in loco ecclesiam, in qua incruentum Deo sacrificium offerebat, & iteratis precibus pro idololatra populo Deum rogabat: quibus absolutis, priuato quodam impulsu diuini Spiritus roboratus, idola quæ apud eos erant, euertit, illis absentibus.

Cum autem post hæc accessissent quidam ex infidelibus, vt illis sacrificarent statuis, & eas precarentur; vidissentq. graui casu corruisse; non ignorarunt hostem: statimq. correptis lignis ac lapidibus, repente in sanctum virum irruerunt, nec prius cessarunt eum petere, & crudelissime percutere, quàm ipsum vidissent plane defecisse, & extremam iam agere animam. Recesserunt

ABRAHAMIVS DIRA PASSVS.

cesserunt enim existimantes eum mox moriturum. Ille autem cum circa mediam noctem re- A creatus esset ab illis intolerabilibus doloribus, vix tandem surgens in ecclesiam ingressus est, & cum se pronum humi deiecisset, flens grauiter, & fronte solum verberans, acerrimo & maximo studio fundebat preces pro illorum salute, vt depelleret impietatis nubem, quæ eos detinebat, & pure aspicerent ad radios veritatis. Mane autem cum illi ad ecclesiam accessissent, non gratia orationis (quo modo enim, cum eorum animi fluctuarent adhuc salo impietatis?) sed ad videndam ædificiorum structuram: erat enim templum bene figuratum, & ea, qua par erat, symmetria constructum, & quod animum & oculos satis poterat lætificare: cum, inquam, venissent ad templum, & offendissent sanctum virum in eo precantem, priorem rursus sæuitiam & rabiem in eum ostenderunt; et cum eum rursus varijs modis & vehementer cecidissent, vinculis & funibus omni ex parte comprehensum trahunt per medium vicum, & in eum omni ex parte lapides niue cadente densiores coniecerunt; ignorantes stulti, pro quali gratia, B pro quali pro ipsis facta precatione, qualem ei redderent remunerationem. Ille ergo tunc quidē ab eis relictus est semimortuus, iam a plagis dissolutus ex in terram sanguinis fluxionibus. Cum autem media nocte ad se redijsset, dicebat: Domine quousque obliuisceris mei in finem? quousque auertis faciem tuam a me? quousque opera manuum tuarum despicis, quæ pereunt? hæc Deo dicebat, & verba miscebat lacrymis. Deinde autem vix tandem e solo surgit, perinde ac si non esset confectus tot plagis ac vulneribus, & in dictam ecclesiam rursum ingreditur.

MIRA ABRAHAMII PATIENTIA. Die autem sequenti belluæ illæ Christi inimicæ cum illuc rursum venissent, & eum orātem inuenissent, ne tum quidem id ferre potuerunt moderate: sed cum ei plagas priores ac etiam multo maiores imposuissent, & eum similibus vinculis alligassent & traxissent, procul a vico proiecerunt. In his ergo se tres annos deinceps fortiter gessit Abrahamius, non fractus, non cedens, nec vlli male precans, sed odio charitatem adiungens, iræ mansuetudinem, maledictis C benedictiones, admonens, consulens, adhortans senes, adolescentes, omnem (vt semel dicam) ætatem, vt patres & filios, vt fratres; nihilq. omnino ostendens quod sit pusilli & abiecti animi, sed reipsa implens quæ sunt diuini Dauidis [a], & inter necessitates & afflictiones meditans præcepta Domini. Propter hæc super ipsum floruit eius sanctificatio [b]. Nam cum repente conuenissent illi qui nuper erant impij & infideles (est enim hoc Dei omnino, qui docet hominem [c] scientiam, & illius gratiæ in Abrahamium) omnesq. qui illum vicum habitabant congregati essent; et vt est consentaneum, in cœtu multitudinis sermones omni ex parte haberentur; res Abrahamij in medium adducebatur, & omnium animi adimplebantur admiratione. Itaque cum præ stupore in magnam adducti essent dubitationem: Videtis, dicebant inter se inuicem, qualia a nobis facta sunt aduersus Abrahamium: ille autem quàm benigne & clementer in nos se gerit, quamq. fortiter & generose tulit mala quæ sunt ei illata? Omnino nisi D esset vere Deus aliquis æternus & immortalis, qui potest pro laborum meritis reddere remunerationes; non ostendisset tantam pro ipso tolerantiam. Porro autem deorum nostrorum imagines videtis quàm facile & citra vllum laborem euertit; neque vllus ex ijs dijs potuit a se propulsare iniuriam?

a Psal. 118.
b Psal. 131.
c Psal. 93.

MIRA GENTILIVM CONVERSIO. Hæc illi quidem inter se dicebant: Deus autem verbis illis finem posuit conuenientem. Ii enim protinus incitati animis dixerunt: Adeste omnes, ad huius boni viri genua procidamus, consentientes Deo qui ab ipso prædicatur. Quæ simulatque dixissent, concurrunt protinus ad ecclesiam, tamquam vna lingua & anima clamantes: Gloria tibi Deo cæli, qui misisti seruum tuum Abrahamium, vt nos a simulacrorum liberaret caligine. Quod quidem cum ille beatus vidisset præter omnem spem, ineffabili in corde repletus lætitia, repente tempus quoque arripit, & ait: O patres in Domino, & filij, & fratres adeste, & Deo simul reddamus glo- E riam, qui tam admirabiliter & arcane illuminauit vestros animæ oculos: et accipite signaculum Spiritus [d]. Accedite ad ipsum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. His verbis coniungit etiam doctrinam veritatis. Et cum, quo modo credere oporteat, verbis esset prosequutus, eos in filiorum adoptionem adsciuit per baptismum, cum essent numero circa mille. Et deinceps erat multus in eis quotidie admonendis & docendis. Illi autem, tamquam bona terra & pinguis & aquis irrigua, reddiderunt fructus multiplicatos diuinorum seminum. atque annus quidem in his fuit consumptus ab Abrahamio.]

d Psal. 33.

Quo modo autem post hæc redditis illis perfecte Christianis, & in Christi fide stabilitis, clam fugam arripiens, reuersus fit in solitudinem; et Episcopus Lampsacenus, re cognita, ministros illuc miserit, qui eam gubernarent Ecclesiam; auctor pluribus prosequitur, & reliquas admirandas sanctissimi viri res gestas vsque ad obitum eius, qui contigit decimoseptimo Kalēdas Aprilis, quo die natalis ipsius, tabulis affixus Ecclesiasticis, remāsit posteris anniuersaria commemo-

A commemoratione in Ecclesia rediuiuus: meminitq. eiusdem rursus Ephrem in suo testamenti libello, quod scripsit. Hæc quidem tum occasione Ecclesiæ Lampsacenæ, tum etiam quòd incertum inexploratumq. haberetur, quibus potissimũ annis Imperij Constantini gesta essent, hoc in loco, in fine inquam eius Imperij voluimus collocasse cum alijs nonnullis, quibus certa anni sedes præscribi non possit. Intelligis ex his pariter, lector, quæ superius dicta sunt; sic a Constantino iussa esse dirui idolorum templa, atque idola subuerti, vt tamen abstinuerit vim inferre nolentibus, & pro suis dijs paratis resistere atque arma capessere: quorum vero locorum habitatores facti essent Christiani, vel si non omnes, maxima tamen ex parte effecti Fideles, apud hos templa esse diruta, fano aliquo interdum relicto impijs, multis declaratur exemplis.

QVORVM TEMPLA DIRVTA ET IDOLA FRACTA.

Rursum vero sub eodem Constantino Imperatore claruisse in Gallijs suo loco diximus S. B Rhæticium Episcopum Augustudunẽsem, cum sanctitate tum etiam eruditione conspicuum, de quo S. Hieronymus [a] hæc habet: Rhæticius Heduorum, id est Augustudunensis Episcopus, sub Constantino celeberrimæ famæ habitus est in Galliis: leguntur eius commentarij in Cantica Canticorum, & aliud grande volumen aduersus Nouatianum: nec præter hæc quidquam eius operum reperi.] Insignis quoque famæ vixit eius collega Marinus Episcopus Arelatẽsis, & Maternus Agrippinensis, delecti olim Iudices in causa Cæciliani: Claudius etiam Episcopus Viennensis Catholico dogmate (inquit Ado [b]) clarissimus fuit. Sed & sub eodem Cõstantino vixisse tradit Nectarium eiusdem sedis Episcopum (hoc enim ipso anno eiusdem meminit) cuius superius mentionem habuimus, cum actum est de Vasensi priore Synodo. At non impar his meritis & doctrina effulsit Maximinus Episcopus Treuerensis, cuius mentio facta est, cum egimus de Athanasij exilio, & inferius item de eo agendum.

a Hieron. de scriptor. Eccles. in Rhæticio.

VIRI ILLVSTRES SVB CONSTANTINO.

b Ado in Chron.

C Sed & S. Euortius Aurelianẽsis Episcopus eximio diuinæ gratiæ fulgore cum in sui electione, tum etiã in administratione eiusdem Ecclesiæ coruscauit. Inter illos autem qui eruditione insignes sub Constãtino vixerunt, S. Hieronymus Iuuencum Hispanũ adnumerat, de quo ait [c]: Iuuencus nobilissimi generis Hispanus presbyter quatuor Euangelia hexametris versibus pene ad verbum transferens, quatuor libros composuit, & nonnulla eodem metro ad sacramentorum ordinem pertinentia. Floruit sub Constantino Principe.] de iisdem libris & Gelasius [d]: Iuuenci laboriosum opus non spernimus, sed miramur.] Inter claros vero oratores qui his Constantini temporibus floruerunt, præter Arnobium atque Lactantium, quorum superius mentio facta est, commendatur a S. Hieronymo [e] Patherius, qui Romæ docuit: sed & laudatur Nazarii Rhetoris filia Eunomia, Christiana virgo, patri eloquentia haud impar. Perierunt horum lucubrationes, ac proinde iidem auctores obscuri remanserunt.

SCRIPTORES ECCLESIASTICI.

c Hieron. de scriptor. Ecclesiast. in Iuuenco

d Gelas. decret. de lib. authen. & apocryph.

e Hieronym. in Chronic.

D Ceterum in Aegypto prope innumeri claruerunt eminenti sanctitate conspicui, sanctissimi monachi Magni Antonii collegæ vel discipuli: nam præter illos quorum superius mentionem habuimus, vixit inter eos Ammon ille, de quo hæc S. Athanasius [f] in Antonio: Alio rursus tẽpore, cum Antonius sederet in mõte, & oculos tetendisset in cælum; vidit nescio quam animã, lætantibus in eius occursum Angelis, ad cælum pergere. cuius spectaculi nouitate stupefactus, beatũ dixit sanctorũ chorum: orauitq. vt sibi rei præsentis agnitio panderetur: et statim ad eum vox facta est, inquiens, istam esse Ammonis monachi animã, qui Nitriæ morabatur. Erat autẽ Ammon vir grandæuus, qui perseueranter a pueritia vsque ad senectutẽ in sanctitate vixerat. Itinere quoque dierum tredecim spatio a Nitria locus, in quo sedebat Antonius, diuidebatur. Videntes autem eum monachi admirantem, qui venerant deprecati sunt, vt causam hilaritatis ediceret. Quibus ait, modo Ammonem quieuisse, quem propter frequentem eius ad Anto- E nium cõmeatum, & propter celebritatem indultorum ei a Domino signorũ optime nouerant.] et paulo post: Monachi vero, quibus dixerat Antonius de morte Ammonis, notauerunt diem; & venientibus de Nitria fratribus post dies triginta, sciscitantes, repererunt illo die, illaq. hora dormisse Ammonem, qua animam eius ferri senex viderat.] hæc Athanasius, qui & de eodem Ammone insigne illud miraculum narrat, cum ab altera ripa fluminis in alteram absque nauigio vel fluctuum calcatione diuinitus eodem momento translatus est.

f Athanas. in Vit. Antonij.

AMMON MONACHVS.

At quoniam ex Athanasio Ammonis felicissimum exitum recensuimus: par est etiam vt eiusdem celsa primordia ex Socrate perbreuiter, multis omissis, his adiungamus; ait enim ipsum inuitum ad nuptias inductum, sponsæ suasisse vnà simul in corporis integritate vitam ducere: qua persuasa; ambo, inquit [g], quasi fœdere de ea re pacto, ad montem qui Nitria vocatur, recta se conferunt: ibique ad exiguum tempus in tugurio ætatem degentes, communem vitæ monasticæ disciplinam exercuerunt, nullo virilis aut muliebris sexus discrimine habito, sed vnum corpus (vt est apud Apostolum) fuerunt in Christo.

AMMONIS PRIMORDIA.

g Socrat. lib. 4. c. 18.

Christo. Non longo post tempore noua sponsa & virgo incorrupta Ammonem sic affatur: Non te decet, qui temperantiæ & castitati colendæ te totum dedisti, fœminam in tantillo domicilio conspicari. Quare, si videtur, quisque nostrum separatim in monastico vitæ genere exercendo se ponat. Hoc itaque de vtriusque sententia pactum est; atque alter ab altera segregatus, quod reliquum erat vitæ, eo pacto contriuit. A vino & oleo vterque abstinet, & panem siccum aridumq. comedit; idq. interdum post vnum integrum diem, nonnunquam post duos, aliquando post plures.] hæc Socrates. At de Aegypti monachis ista libasse, satis: qui plura his cupit, consulat Vitas Patrum: nos autem alio tendimus. A

CONSTANTINVS, CONSTANTIVS, ET CONSTANS IMPPP.

Iam ad nouos Imperatores, eosdemq. Christianos Constantini filios stylum conuertamus: simulatque enim patrē suum ex hac vita sublatum esse audierunt, tum Senatus, tum etiā exercitus studio, quisque eorum relictam sibi ex patris testamento Imperij partem festinus accepit. Quod autem ad eius diuisionem spectat, sic Imperium diuisum esse Zosimus tradit[a]: Primum nationes inter se partiebantur: et Constantinus quidem natu maximus cum minimo natu Constante omnia trans Alpes sita & Italiam & Illyricum sortitus est, præterea Ponto Euxino finitima, & Africæ quidquid ad Carthaginem pertinet, Constantino datum est quidquid esset in Asia, & Oriente, & Aegypto.] Victor[b] autem sic inter tres fratres testatur Imperium esse diuisum, nempe accepisse Constantinum cunctas trans Alpes regiones, Constantium a freto Propontidis Asiam & Orientem, Constantem Illyricum, Italiamq. & Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniamque, & Achaiam.] hæc Victor, sed perperam quidem a ditione Constantij demit Thraciam. Zonaras[c] vero sic: Inter tres illius filios diuisum Imperium, vel ab ipso Constantino, vt quidam scribunt, vel eo defuncto ex ipsorum consensu in hunc modum: Constanti tributam esse Italiam & Romam ipsam, Africam, Siciliam cum reliquis insulis, atque etiam Illyricum, Macedoniam, & cum Achaia Peloponnesum: Constantino Alpes Cottias cum Gallijs & tractum Pyrenæi vsque ad Mauritaniam Oceani angusto freto diremptam ab Hispaniis: Cōstantio ea obuenisse quæ in Orientali parte Romanæ ditionis erant, & Thraciam cum Vrbe paterna.] ita Zonaras. sed de his quoque inferius interdum agetur. B C

a Zosim. lib. 2.

b Vict. in Constantino.

c Zonar. Annal. tom. 3.

IMPERIVM DIVISVM INTER TRES AVGVSTOS.

Constantius autem cum liberas suæ ditionis habenas nactus esset, sæuire cœpit in domesticos Constantini, atque in ipsos præcipue consanguineos. Zosimus rem gestam sic narrat[d]: Diuiso in hunc modum Imperio; Constantius, quasi data opera in hoc incumberet, ne impietate a patre superaretur, exorsus ab ipso lare, cognati sanguinis effusione, virilem omnibus animum probare voluit: ac primum quidem Constantium patruum a militibus interfici curat; deinde Delmatio Cæsari similes insidias struit.] et paulo inferius: Ac veluti contra cognationem vniuersam grassatus, etiā his Aniballianum adiecit, cum subornasset milites vt acclamarent, alterius neminis imperium se ferre posse, quàm Constantini filiorum.] hæc quod ad affinium neces; de aliis vero clarissimis viris sic idem auctor: Optatus quoque cum hoc interfectus est, qui Patricij dignitatem adeptus a Constantino fuerat: eum honoris titulum primus Constantinus excogitauerat; lataq. lege sanxerat, vt qui eum cōsequuti fuissent, supra ipsos Præfectos Prætorios sessitarent.] ita Zosimus. Porro Patricii nomen antiquum erat, & cum Romana Republica congenitum: sed vt ea dignitas his aucta priuilegiis esset Constantinopoli, Constantinus merito dicendus est auctor. At de Patriciis & Patricia dignitate consule quæ a nobis dicta sunt in Notationibus ad Romanum Martyrologium[e]. D

d Zosim. lib. 2.

CONSTANTIVS IN PROPINQVOS SAEVIT.

e Die 27. Augusti.

Quod spectat ad Delmatii necem, Eutropius[f] Constantium sic aliqua ex parte excusat: Verum Delmatius Cæsar prosperrima indole, neque patruo absimilis, haud multo post oppressus est factione militari, & Constantio patruele suo sinente potius quàm iubente.] Sed & vi militum Delmatium oppressum, Victor[g] affirmat; quod alii[h] anno secundo, alii[i] vero tertio Constantii, alii[k] rursum hoc anno sub Consulatu Feliciani & Titiani factum tradunt. Causam autem inferendi necem patruis suis Constantio Cedrenus hanc tribuit: Creditum (inquit) fuit, Constantinum a suis fratribus, exhibito letali veneno, extinctum fuisse, ideoq. eum sua manu scriptis litteris mandasse filio, nempe Constantio, vt a patruis sibi caueret, in eosque vlcisceretur: eas litteras Eusebium Nicomediæ Episcopum accepisse, & Constantio recens ex Oriente reuerso tradidisse, indeque etiam Episcopatu Constantinopolitano potitum. Visum autē fuit absurdū, patruos istos simul vniuersos velle occidere: ideoq. decretum est, rem caute agendā.] hucusque ex Cedreno. Sed quod ait de Episcopatu Cōstantinopolitano Eusebio collato, id postea accidit. Artemius martyr sic excusat Constantinum de impetrata fratrum nece: Pater tuus Constantius (sic Iulianum alloquitur) & eius fratres priores ei fecerunt iniuriam: vt qui ei malum venenum miscuerunt, nulla omnino ab eo affecti iniuria.] E

f Eutrop. lib. 10.

DELMATIVS OCCISVS.

g Victor in Constantino in fine.

h Cedren. in Compend.

i Hieron. in Chronic.

k Panuinius in Rom. Impp.

A hæc coram Iuliano Apostata Artemius Præfectus Augustalis, quæ & descripta leguntur in Actis [a] ipsius martyrij.

Cum Delmatio filio Delmatij, fratris Constantij, pene periclitati sunt Gallus & Iulianus filij Constantij fratris Constantini ex Theodora Maximiani filia geniti, nisi Gallum ægra valetudo corporis, Iulianum vero ætas adeo tenera liberasset; sic enim de eis tradit Sozomenus [b]: Iulianus & Gallus patre orbati etiam cum Delmatio in periculum necis inciderunt. Verum Gallum morbus, quo forte vexabatur, insidijs eripuit, propterea quòd quamprimum naturali morte occasurum expectaretur; Iulianum autem ætas tenera liberauit, quippe qui annum octauum suæ ætatis nondum confecisset.] At quod ad ætatem Iuliani pertinet: cum de eo scribat Eutropius, annos triginta & vnum vixisse, quem constat occisum esse anno Domini trecentesimo sexagesimotertio; dicere opus est ipsum natum anno Domini trecen-B tesimo trigesimosecundo, Pacatiano & Hilariano Consulibus, sicq. hoc anno fuisse tantum ætate quinquennem, Gallum autem natum annos vndecim: etenim cum liqueat ex Ammiano [c] annos vixisse vndetriginta, defunctumque anno Domini trecentesimo quinquagesimoquarto, ortum esse oportuit anno trecentesimo trigesimosexto, Constantino VII. & Constantio Consulibus, atque in hanc diem ad duodecim annos vitam propagasse. Ceterum licet eodem ambo patre geniti essent, nempe Constantio maioris Constantij Augusti filio ex Theodora, nequaquam tamen eadem sunt matre nati, sed plane diuersa: fuit enim Gallo mater Galla soror Rufini & Cerealis Consularium virorum; Iulianus vero ortus est, vt testatur Ammianus [d], Constantinopoli; et vt alii tradunt, ex Basilina nobilissima femina, quam constat Christianam fuisse, ac pientissimam: extat enim eius mentio in Actis Synodi [e] illius Constantinopoli celebratæ, in qua inter alia sanctus Ioannes Chry-C sostomus iudicauit causam Episcopi Ephesini: nam in libello accusationis aduersus eum oblato, hoc quoque scriptum erat: Quòd prædia a Basilina, quæ mater erat Iuliani abominandi Imperatoris, Ecclesiæ consecrata vendidisset, & pretium sibi vsurpasset.]

De eorum autem educatione hæc subdit Sozomenus [f]: Quibus ita præter omnium opinionem conseruatis, dabatur mandatum, vt ætatem degerent in Macello: est locus plane regius ad Argæum montem, non longe a Cæsarea situs, in quo est magnificum palatium, balnea, horti, & fontes perennes. Vbi igitur & cultu, & educatione digna Principibus dignati sunt, ibi disciplinis & exercitationibus illi ætati accommodatis instructi, ibi denique ab artis dicendi magistris & a sanctarum litterarum doctoribus ita instituti, vt in numerum cleri adscriberentur, & libros Ecclesiasticos ac diuinos populo perlegerent.] Sed hæc de clericatus initiatione & sacrorum librorum le-D ctione, postea.

Quod autem spectat ad Iuliani, de quo agimus, institutionem a puero: constat summam industriam Imperatoris Constantij in hoc ipso inuigilasse: etenim de se Iulianus, quòd philosophicis moribus imbutus fuerit, testatur in Misopogone, vbi hæc ipse ad Antiochenos: Sæpenumero mihi adhuc puero (testor Iouem & Musas) dicebat præceptor ille: Ne sinas te a tuorum æqualium multitudine in theatra induci: neque vlla eius spectaculi cupiditate tenearis. Circenses desideras? apud Homerum eos elegantissime descriptos inuenies.] et paulo post: Vultis, inquit, illius nomen præceptoris & genus proferam? Homo barbarus mehercle & genere Scytha is erat, eodem nomine cum illo qui Xersen ad bellum in Græciam, nobilesq. Argiuos induxit, nempe Mardonius. Hoc vero nomen, quod ante vigesimum mensem honoris, nunc contumeliæ appellatur, Eunuchus erat, sub meo auo E educatus, vt matri meæ Homeri atque Hesiodi poemata exponeret. Cumq. illa paucis post mensibus mortua esset, meq. primum & solum filium reliquisset: cum ego tamquam virgo orba & deserta, multis calamitatibus erepta puella & tenera, post annum septimum ipsi traditus fui. Is ab eo tempore cum me ad magistros duceret, vnicam bene viuendi viam esse mihi persuasit. Cumq. ille aliam neque scire vellet, neque mihi ingredi permitteret, effecit vt omnium vestrum odium incurrerem, &c.] pluribus docet se in eo viuendi genere perseuerasse, quo sub tali præceptore fuerat institutus a puero: vt non obscure significet deorum cultum, & a Christo discessionem ab eodem didicisse. Hoc fortasse odoratus Constantius Imperator custodes adhibuit Iuliano puero, ne quid minimum a Christiana professione deflecteret: nam de ipso hæc ait Eunapius Sardianus [g]: Decrescente autem ac deficiente Constantini progenie, solus relictus fuit Iulianus ob ætatis teneritudinem & ingenii molliciem despectui habitus; quamquam eunuchi Palatini ministeria illius obirent, adhibitiq. essent custodes, diligenter

[a] Apud Metaphrast. die 20. Octob.
GALLVS ET IVLIANVS SALVATI.
[b] Sozom. lib. 5. c. 2.
GALLI ET IVLIANI AETAS.
[c] Ammian. lib. 14. in fine.
[d] Ammian. narr. lib. 22.
[e] Apud Metaphrast. in S. Ioan. Chrysost.
[f] Sozom. lib. 5. c. 2.
EDVCATIO GALLI ET IVLIANI.
[g] Eunap. Sardian. in Vita philosoph.

obseruaturi, ne in Christiana fide vacillaret.] hæc Eunapius. quod autem subdit de Maximo philosopho præceptore illi dato; id postea contigit, cum iam adoleuisset. A

CVRA IVLIANI COMMISSA EVSEBIO. Ceterum Iuliani præcipua cura Eusebio Episcopo Nicomediensi potissimum delegata est, vtpote ex materno genere illi propinquo: de cuius quidem sanguinis cum Iuliano coniunctione, licet a longe proueniente, testatur Ammianus, cum ait [a] de aduentu eius Nicomediam: Agnoscebat quosdam ibidem ab Eusebio educatos Episcopo, quem genere longius attingebat.] Eidem quoque Eusebio, cui plurimum Constantius fideret, cuius institutione & ipse imbutus est Arianismo, cum Iuliani educatio credita esset: ab eo haud dubium tamquam a studiosissimo impietatis architecto iacta esse videntur fundamenta occultæ Iuliani apostasiæ. Qui enim (vt dictum est) persecutionis tempore idolis immolauerat, quiq. eadem professus est se cum Ario de Christo sentire, vbique impius & scelestus, sic se sub Christianis Imperatoribus Christi cultorem exhibebat, vt lucrum & honores ex simulata pietate captaret; cum numquam destiterit, quoties opportuna se dedit occasio, præbere se Christianæ religionis in omnibus perduellem. B

a Ammian lib. 22.

Quod rursum pertinet ad Constantij excusationem, & rationem atque consilium eius in pueroruin educatione: Gregorius Nazianzenus in Iulianum hæc ait [b]: Vnum igitur & primum illius est facinus, quòd a Magno Constantio, qui patri in Imperio successerat, salutem consequutus (quo tempore exercitus rerum nouarum metu, res nouas moliens, aduersus eos qui dignitatibus florebant, arma cepit, ac per nouos Præfectos aula Imperatoria constituebatur) & quidem salutem inopinatam & incredibilem cum fratre consequutus, nec Deo ob salutem gratiam habuit, nec Imperatori, per quem salutem acceperat: verum vtrique malum & ingratum se præbuit, illi defectionem parturiens, huic rebellionem. Quod autem mihi prius necessario exponendum est, victu & cultu Imperatorio in Imperatorio quodam loco ab humanissimo Imperatore digni habebantur, ac velut generis reliquiæ ad Imperium seruabantur. Id autem eo consilio faciebat: primum, vt se de his rebus, quæ Imperij sui auspicijs temere & inconsiderate perpetratæ fuerant, purgaret, velut ex eius animi sententia minime admissis: deinde, vt ijs ad Imperij societatem adsciscendis, magnitudinis animi, præstantiæq. argumentum ederet: postremo vt Principatum his incrementis firmius stabiliret.] hactenus Gregorius: et inferius addit, eosdem non cogente Constantino, sed sponte seipsos ambos iam grandiores in clericorum ordinē cooptari curasse: quod redditur ex eo quoque verisimile, quòd scissent a militibus suos ipsorum parentes occisos esse ea de causa, vt omnis suspicio inuadendi Imperij tolleretur: ne igitur & ipsi iam prouectioris ætatis, concepta eadem suspicione, peterentur ad cædem; clericali professione se ab ea re longius abhorrere significarunt. at de eis rursum inferius. C D

b Greg Nazian. orat. 1. in Iulian. CONATVS CONSTANTII, CVM SVMPSIT IMPERIVM.

Inter alios quoque clarissimos viros ipso Constantii Imperii ingressu necatos, adnumerat Zosimus Ablauium virum Consularem, & Prætorii Præfectura aliisq. insignibus decoratum. Equidem recta iustaq. Dei dispensatione accidisse videtur, vt qui facilitate animi Constantini abusi, nec eius monitis ad meliorem frugem conuersi essent, neque ab immani illa diuitiarum auiditate se aliquando temperassent, sed ex nimia Principis indulgētia magis magisq. delinquendi licentiam arripuissent; iidem, ipso defuncto, iustissime pœnas darent. Eo nāque amplitudinis peruenit Ablauius iste, vt Imperatoris socer euaserit: filiam enim eius Olympiadem Constanti Augusto Constantii fratri spopondit vxorem, quam, occiso Constante, Constantius nuptui tradidit Arsaci Armeniæ Regi. Testatur id Ammianus, cum agit [c] de eodem Arsace dicens: Olympiadē Ablabii * filiam, Præfecti quondam Prætorio, ei copulauerat coniugem, sponsam fratris sui Constantis.] et hæc quidem, cum ipse humili loco natus, & plane infimo, ad tantam celsitudinem prouectus esset, vt merito nominatus fuerit Pila Fortunæ; cum eleuatus sublimis, deorsum rursus magno ac miserando casu demissus sit: de eo enim hæc Zosimus [d]: Tunc & Ablauius Præfectus Prætorio necatus est, ipsa vindicta merita hominem pœna mulctante, qui per insidias Sopatro philosopho mortem machinatus fuisset, dum ei Constantini familiaritatem inuideret.] E

ABLAVII INFELICISSIMVS EXITVS.

c Ammian. lib. 22.

* Ablauij

d Zosim. lib. 2.

At quo res magis admiranda appareat quæ fertur de eius exitu: hic etiam eius natalis repetendus est, qui ab Eunapio [e] sic describitur, cum eius miserandum exitum narrat: Ablauio Sopatri cædis architecto & machinatori genus fuit obscurissimum, & quo ad paternam originem infra mediocritatem abiectum & humile. Viuitque in animis hominum huiusmodi fabula, cui a nemine contradicitur: Aegyptius quidam e tractu qui Mendesius vocatur, Constantinopolim hospes veniens, in opiparam cauponam irrumpit

e Eunap. in Vit. Philosoph.

(norunt

A (norunt enim Aegyptii, etiam in publico, quoties peregrinantur turpiter se dare, quibus eos moribus domi imbui verisimile fit) ieiunus etiam magno confecto itinere, ac præ siti prope enectus, iussit vinum molle ac conditum aromatibus misceri sibi, adnumerata pecunia. Cauponaria, viso præsenti argento, ministerio se accingebat, & discursabat satagendo. (erat autem eadem mulier artis quoque obstetriciæ in puerperijs perita) dumque Aegyptio poculum apponit, & depromptum vinum defundit: ecce e vicinia accurrens vna, in aurem illius narrat, sodalem & affinem suam de salute periclitari tertio iam nixu, nisi ocyus succurratur. Hoc audiens illa, relicto Aegyptio priusquam hiscentem & anhelam calida perfunderet, & puerperam a partus laboribus liberauit, & ex vsu compositis in eo ministerio rebus omnibus, post elotas prius manus ad hospitem recurrit: quem grauiter commotum, iraque æstuantem vbi offendit, moræ suæ causam illi aperit. Bonus ille Aegyptius hoc B audito, maiore siti narrandi quod infanti diuinitus esset euenturum, flagrans, quàm suæ siti medendi; confestim tempus diei & horam obseruat & inquirit; claraque voce: Abi, inquit, mulier, & puerperæ dicito, quòd tantumnon Imperatorem enixa sit. hoc eloquutus, pleno poculo se proluit, nomenque suum mulieri cognoscendum dedit. Nato infanti fuit nomen Ablauius, qui vsque adeo pila & ludus extitit Fortunæ noua semper molientis, vt Imperatore plus potuerit: quare & Sopatrum tollendum curauit, causam necis futilem & Socratica vaniorem populo indomito, tunc Imperium quoddam obtinenti afferens. Itaque Constantinus ob euectum ad amplos honores Ablauium, noxam incurrit, vecordiæque pœnas dedit, de cuius obitu in historia ipsius proditum est.] ista homo Ethnicus infensissimus Constantino in eum effutijt, sed hæc de Ablauij nece mox subdit:

NATALIS ABLAVII.

C Reliquit is filium Constantium Ablauio, quicum Imperium æquo iure regeret, postquàm paternum successionis Imperium cum Constante & Constantino fratribus suscepisset, de quibus in diuinissimo illo Iuliano exactius dictum est. Proinde Constantius Imperium adeptus, ac sortem suam cuique fratrum partitus, obtinuit quidquid ab Illyrio ad Nisibin vsque extenditur: mox Ablauium Imperio exuit, aliosq. administratores subrogat. Ille apud extructam sibi olim in Bithynia villam, locum regali otio & secessui dicatum, omnibus rebus affluens substitit, cunctis admirantibus quòd imperare nollet. Paulo post ex vrbe patris nomen præferente percussores non paucos submisit, iussis primis litteras dare: qui in genua procumbentes (qui mos inoleuit apud Romanos in salutando Imperatore) honorarias illi in manum dedere litteras. Ille magno fastu receptis tabulis, metu solutus omni, purpuram aduenas poposcit iam seueriore supercilio, & adspectantibus formido- D losus. At illi nihil se amplius in mandatis habere professi; pro foribus stare quibus tradendæ purpuræ cura incumberet, dixerunt: quos ille insolenti atque elato animo confestim accersi iussit. At hi iniecta manu virum adorti, pro stola purpurea, necem illi purpuream obtulerunt, frustatim dissecto in modum pecudis, quæ publico in epulo conciditur.] hic finis præpotentis Ablauij.

CONSTANTIVS ABLAVIO MORTEM MACHINATVR.

At vtinam qui Ablauium occidi mandauit, ceterosque a patre clarissimis dignitatibus insignitos viros; alios in occisorum locum sufficiendos delegisset his meliores. sed sic se liberare voluit ab illis qui cum patre consenuerant viris insignibus, ne videretur pædagogis indigere, quorum cogeretur reuereri præsentiam. Quamobrem Eusebij Nicomediensis Episcopi arbitratu, qui (vt diximus) Constantini temporibus in Regiam se insinuauerat aulam, & iam ipsius Constantii mille viis fuerat amicitiam aucupatus, viri illi ad E magistratus gerendos deliguntur, qui Arianæ hæreseos aspersi labe, eiusdem propagandæ suscepturi essent patrocinium. Patet aula cunctis Arianæ hæresis sectatoribus; præficiuntur hi quoque cubiculis, qui & aures nacti Imperatoris, quæ velint illis ingerant, & quos libeat, ad eiusdem aures transmittant: vnde manauit malorum omnium in Ecclesiam impetuosus torrens exundans, cuius alluuione fuit diu multumque vndique pessumdata. Extitit autem horum princeps Eusebius eunuchus primarius præfectus cubiculi Imperatoris, sub se habens eunuchos & alios aulicos ipse Arianus Ariana labe conspersos, de quo sæpe inferius dicturi sumus. Eusebius igitur Nicomediensis vna cum suis iam olim ad propagandam Arianam hæresin sacerdotibus comparatis, hisce ad malum potentibus superadditis pugnatoribus semiuiris, sus deque omnia commiscens, primum illud aggreditur facinus post Constantini obitum, vt per Constantium, quem seduxerat, Imperatorem, nouus Episcopus Alexandriam, qui eius ciuitatis sedem occuparet, Athanasio exule, mitteretur. horum vero ad hæc implenda conatus Socrates narrat his verbis [a]:

AVLICI DELIGVNTVR ARIANI.

[a] Socrat. lib. 2. c. 2.

Mortuo Imperatore Constantino, Eusebius Nicomediensis & Theognis Nicææ Episcopus, A
ARIANORVM MACHINATIO. tempus opportunum se nactos arbitrati, omnes suos neruos contenderunt, vt fidem de Consubstantiali confirmatam exturbarent ab Ecclesia, Arijq. opinionem in eius locum introducerent. Verum hoc se minime consequi & efficere posse intellexerunt, si Athanasius rediret Alexandriam. Ista quidem callide aggressi sunt subsidijs illius presbyteri, quem causam fuisse ante diximus, cur Arius esset reuocatus, adiuti.] et paulo post: Constantius presbyterum in magno honore habere, multum illi tribuere cœpit libertatis: libere & audacter in Regiam ingredi iubet. Quæ quidem libertas illi ab Imperatore concessa, tum ad vxoris Imperatoris,
EVSEBIVS EVNVCHVS. tum ad eunuchorum eius familiaritatem aditum cito patefecit. Eodem tempore eunuchus quidam, cui nomen erat Eusebius, primarius fuit Imperatoris cubicularius: hic presbyteri suasu peruersæ Arij opinioni assensit, reliquosque eunuchos in eamdem induxit sententiam.
Quin etiam Imperatoris coniunx, eunuchorum & presbyteri hortatu & consilio, in Arij erro- B
rem prolapsa est. Paulo post Imperator ipse rem in quæstionem vocauit: pedetentim passim vagari cœpit; ac primum inter satellites qui Palatium frequentabant, deinde per multitudinis animos, quæ vrbem incolebat, peruadere. De opinione illa in ipsa Regia, cubicularij Imperatoris cum mulierculis digladiantur, in singulis vrbis familijs litigiosa disserendi pugna fuit. Mali igitur illius contagio ad alias prouincias & ciuitates celeriter permanauit; et controuersia velut scintilla ex paruis admodum initijs exorta, audientium animos ad discordiam concitauit. Nam cuique causam tumultus sciscitanti, ansa statim disceptandi oblata est, & quisque non modo de ea rogare, verum etiam pugnaciter disserere voluit. Ita contentionis procella tranquillus rerũ status penitus labefactatus & euersus est. Atque istæ quidem concertationes vrbes solum ad Orientem vergentes exagitarunt. Nam Illyrium & aliæ regiones ver-
sus Occidentem interea temporis pacatæ & quietæ fuerunt: quippe quæ Concilij Nicæni de- C
creta nullo modo perfringere voluerint. Postquàm igitur contentionis flamma erat accensa & in dies magis magisq. exardescebat, factio Eusebiana multitudinis tumultum in lucro deputauit: sic enim posse fieri sperabat, vt aliquis Alexandriæ Episcopus deligeretur, qui eamdem tueretur opinionem.] hæc Socrates.

ARIANA HAERESIS INVALESCIT. Sic igitur videas, cum Eusebianorum secta, tum eunuchorum classe, tum denique feminarum grege, pellectis per hos ad malum Constantio & eius vxore Augusta, Arianam hæresin iterum inualescere, atque validius reuiuiscere. Hoc plane illud tempus est, quod a S. Gregorio Nazianzeno his verbis describitur, cum eius hæresis ortum atque progressum recenset, ac
a Greg. Nazian. orat. in laud. Heronis. post alia sic ait [a]: Rursus malum Imperium, & rursum malum recrudescit, atque instar subputridi maleq. obducti vulneris aperitur, & foras erumpit; grauesq. lupi, alij aliunde nos inter-
cipientes, Ecclesiam discerpunt. Armantur sacerdotes aduersus sacerdotes: plebs aduersus D
plebem furibundo impetu fertur: Imperator ipse plenam impietati libertatem potestatemq. concedit, atque aduersus Orthodoxam doctrinam leges instituit, ijsq. præterea, qui nec virorum, nec mulierum numero censendi sunt, quorum magna erat apud eum auctoritas & potentia. Quis vero temporis illius calamitates pro rei acerbitate commemorare ac deplorare queat? &c.] quæ autem his subdit, alio tempore contigerunt, quo & nos recensebimus. at rursum ipsius de eisdem eunuchis hæc illa querela: Ex his potissimum muliebres homines, & inter viros virorum nomine indignos, sexuq. dubios, impietate autem certos & perspicuos, quibus cum mulierecularum cura committatur, haud scio qui fiat vt Imperatores Ro-
b Ammian. lib. 14. mani eosdem virorum officiis muneribusq. præficiant.] sed & Ammianus [b] de eodem Eusebio cubiculi Præposito & collegis spadonibus meminit: Horum, inquit, ea tempestate plus ha-
bendi cupiditas vltra mortalem modum adolescebat inter ministeria vitæ secretioris per arca- E
nos susurros nutrimenta fictis criminibus subserentes.]

Quantum autem possent hi apud Constantium, & quàm numerosus esset eorum grex tunc
c Athanas. epist. ad Solitar. in aula Imperatoris, S. Athanasius declarat his verbis [c]: Eodem & ceteros quoque spadones
EVNVCHORVM APVD CONSTANTIVM GRATIA. prouocat: plerique enim apud Constantium vel potius omnes eunuchi sunt, omniaq. apud illum possunt, & sine illis nihil ibi rerum geritur.] et inferius: Eunuchi erant qui ista & reliqua in omnes mouebant. et quod in istis insidiis mireris: Ariana hæresis abnegans Filium Dei, præsidium sibi ex eunuchis comparabat, hominibus vt natura, ita animo ad gignendum sterilibus, & qui proinde ægre patiuntur vllam mentionem de sobole, nempe Filio Dei, fieri. At-
d Act. 8. que Aethiopicus eunuchus [d], cum non caperet quæ legebat, credidit Philippo de Saluatore docenti: Constantii eunuchi contra, ne Petri quidem de Filio confessionem sustinent: immo quem Pater declarat sibi esse Filium, auersantur, furuntque in eos qui dicunt illum genuinum ex Patre. Merito lex vetuit eunuchos in Concilium Ecclesiasticum assumi: atqui

illi nunc

A illi nunc Eccleſiaſticorum iudiciorum principes reputantur; et quod ipſis videtur, Conſtantius iudicat; atque iſtiuſmodi rebus, qui nomen Epiſcopi ferunt, inſeruiunt. Me miſerum, quis hanc hiſtoriam deſcribet? Quis iſta renunciabit generationi alteri? Quis iſta narranti fidem habebit? Spadones, quibus domorum gubernacula vix credũtur (voluptuarium enim & nequam hoc genus hominum, quibuſq. nihil tam curæ eſt, quàm illud impedire quod ipſis natura negauit) illos nunc Eccleſijs dominari? His ergo deditus & obnoxius Conſtantius, omnibus inſidias molitus eſt, &c.] quæ vero ſubdit, ſuo loco dicemus. En apparet, quàm degenerarit Conſtantius a moribus Cõſtantini parentis, qui eunuchos aulicos omnibus exutos voluit nobilitatis inſignibus, & a gerendis magiſtratibus alienos. At quonam pacto, licet conſpirantibus his, vt in locum Athanaſij in Alexandrina Eccleſia alius ſufficeretur Epiſcopus, eiſdemq. aſſentiente, immo & conniuente Imperatore Conſtantio, minime tamen id impleri

B valuerit, obnitente Conſtantino in Galliis Imperatore, ſuo loco dicemus, anno ſequenti.

His quoque Conſulibus, Feliciano & Titiano, conſignata reperitur Romana Synodus ſub Iulio Papa centum & ſexdecim Epiſcoporum; in qua tamen Maximus cum Feliciano ponitur, cum Caſſiodori & Græcorum Faſtorum conſenſu Feliciano non niſi Titianus collega iungatur. Quod autem ſpectat ad Synodum dictis Conſulibus annotatam: cum triplici & inter ſe diuerſa chronographia ſignetur, mendum in notas numeri irrepſiſſe, facile eſt intelligere: primum enim anno quarto dictorum Auguſtorum, rurſum Indictione ſexta, atque demum nominatis Conſulibus ponitur eadem Synodus celebrata. Si igitur moueatur controuerſia, quænam harum trium chronographia fidelior habenda ſit: mea quidem ſententia notatis Conſulibus potius inhærendum exiſtimarim, illa potiſſimum inter alias ratione perſuaſus, quòd facilius ſit in notas numeri errores illabi, quàm in ipſa nomina: quod

C omnes puto iuſtiſsime conceſſuros. Hinc enim eſt, quòd mos inoleuit, vt cum vel anni Imperatoris, vel Indictionis in legibus ab Imperatoribus latis mentio haberetur, Conſulum quoq. nomina adderentur; eam nimirum ob cauſam, vt Faſtorum ſoliditate, annorũ Imperatorum numerus, vel Indictionis ſemper integer ſeruaretur; vel ſi librariorum vitio corrumperetur, ex notatis Conſulibus reſtitui perfacile poſſet. Extant de his complura exempla in Codice Theodoſiano, in cuius libro vndecimo, titulo vigeſimooctauo de Indulgentiis debitorum multæ inſunt leges, in quibus res ab Imperatoribus reperies ſtatutas, certo tempore definitas, Indictionibus ſimul atque Conſulibus cõſignatas. Sed etſi hac deſtitueremur ratione: tamen quia lectionem illam de ſexta Indictione ſubſiſtere nullatenus poſſe, euidentius demonſtrabimus, & ea notata annis Imperatorum rebus geſtis haud ſatis congrue aptari poſſe videatur; merito chronologia illa conſignata Conſulibus magis probata videri debet.

Concilium Romanum.

D His igitur rationibus cum eamdem Synodum præſenti anno potius ponendam exiſtimemus, aliis quoque de cauſis id facere permouemur; quòd ſcilicet Iulius Papa ipſo ſui Pontificatus exordio, vt par erat, eodem conuocato Concilio, voluerit Nicænam Synodum ſuo quoque calculo confirmari, damnatamque hæreſin iterum excommunicatione percelli. hoc quidem recens electi Pontificis munus eſſe videbatur, vt fidem Catholicam ſuo ipſius ingreſſu, primum omnium Catholicæ Eccleſiæ publicis monumentis teſtatam redderet. Rurſum vero quòd hæc ibi ſcripta legantur de cauſa eius cogendæ Synodi [a]: Ad hoc conuenimus, vt hoc primum ſecundum Dei voluntatem faciamus, & a fundamento Chriſti Ieſu incipiamus, & denuo pro fratrum oppreſſione tractantes, laboremus: quia dum illi tam grauiter affliguntur, nos nec reſpirare nec quieſcere poſſumus; quia dum membra vexantur, corpus reliquum pacem aut quietem minime habere poterit:] hæc inquam cum ibi ſcripta habeantur; perſe-

E cutio Euſebianorum in Oriente, qua Athanaſius primo, deinde vero Marcellus Ancyranus pulſi fuerant in exilium, inſinuari videtur. Sed & quòd inferius de Arij interitu, vt re quæ paulo ante contigiſſet, meminit; plane ſignificat, ipſo primo tempore Iulij eam Synodum eſſe habitam; ait enim: Ea quidem quæ de illo geſta ſunt, qualem terminum habuerint, omnia iam audiſtis, & audietis, ne nos forte videamur viro obloqui propter delictum ſuum improperia digna portanti.] hæc ibi: quibus omnibus perſuaſi, hoc, vt diximus, anno, ſecundum nominatos Conſules, libuit eam Synodum collocaſſe: de qua nihil præter confeſſionem rectæ fidei & deteſtationem Arianæ hæreſis reperitur.

Tempus coactae synodi Rom.

a Habetur tom. 1. Concil.

Porro ex centum illis & ſexdecim Epiſcopis, qui Concilio huic interfuere, hi tantum illic nominati leguntur: Benedictus Aquileienſis Epiſcopus, qui præceſſit Fortunatianum eiuſdem ciuitatis Præſulem, de quo ſæpe inferius, Rufus Carthaginenſis, qui ſucceſſit Cæciliano & habuit ſucceſſorem Gratum, qui interfuit Concilio Carthaginenſi. Ponitur ibidem Agapitus Antiſtes Eccleſiæ Rauennatis, qui præceſſit Seuerum einſdem vrbis Epiſcopum, qui

Episcopi qui synodo Rom. interfuere.

reperitur

reperitur interfuisse Concilio Sardicensi post decennium celebrato: sed in edita serie Rauennatum Episcoporum perperam ponitur post Seuerum Agapitus. Cum enim nihil sit quòd dici possit istud Romanum Concilium sexta Indictione (vt habet lectio deprauata) esse celebratum; nam sexta Indictio sub Constantio Imperatore & Iulio Papa vna tantum numeratur, eademque ipso anno Sardicensis Synodus, cui, vt dictum est, non Agapitus interfuit, sed Seuerus: luce clarius constat, longe ante celebratum fuisse Romanum Concilium, sub Iulio de quo agimus, quàm Conuentum Sardicensem. Sed id quidem ea quoque potissimum satis manifesta ratione probatur, quòd Synodo Sardicensi successores horum Episcoporum, qui præsentes fuerunt dictæ Romanæ Synodo, subscripti reperiantur: nempe cum in hac Synodo Romana habeatur interfuisse Benedictus Aquileiæ Episcopus, Concilio Sardicensi præsens fuisse reperitur eius successor Fortunatianus: et cum in hoc legatur præsto fuisse Rufus Carthaginensis Episcopus; in Sardicensi, qui in locum eius succesit, Gratus inter alios nominatur. atque cum huic pariter habeatur Iulius Mediolanensis præsens fuisse; Synodo tamen Sardicensi huius successor post Eustorgium ponitur Protasius; licet in ea quæ perperam deducta est Episcoporum Mediolanensium succesione, in qua & cuiusque eorum sedis tempus temere ponitur [a], Dionysius describatur: cum tam ex Athanasio, quàm etiam ex Actis ipsis quæ extant Sardicensis Synodi, nominatus Protasius habeatur. At quisnam fuerit Iulius iste Mediolanensis Episcopus, qui interfuit cum Agapito Rauennate & aliis huic Romano Concilio sub Iulio, paulo post dicemus.

[a] Apud Panuin. in Fastis.

Hæc autem de succesione Rauennatum Episcoporum cum hic, tum etiam in nostris ad Romanum Martyrologium Notis Plantinianæ editionis oportuit prolixius disseruisse, ad confutandũ illapsum errorem in seriem eorumdem Episcoporum, in quibus Seuerus ante Agapitum ponitur, eumque sedisse a Valeriani temporibus vsque ad Synodum Sardicensem, annos vt minimum sexagintaquatuor. Par erat nostrũ Rubeum a nobis de ijs amice admonitũ, adeo perspicuis, omnique ex parte redditis certioribus rationibus acquieuisse, atque emendasse in sua ipsius posteriori editione Historiæ Rauennatis: sed, puto, dabit manus, si quæ astruit de Synodo Romana sub Iulio habita, sexta, vt vult, Indictione, nulla ex parte posse subsistere demõstrabimus. Vno enim illo nititur ipse potissimum fundamẽto, vt dicta Romana Synodus non sub nominatis Consulibus, sed sexta Indictione (quod habet diuersa ibi posita chronographia) fuerit celebrata. Incidit ea sexta Indictio (quod & ipse testatur) in annũ Domini trecentesimũ quadragesimumoctauũ: sed sic tamẽ (quod ipsum in primis oportuerat animaduertisse) vt eodem anno a mense Septẽbris Indictio septima inchoetur: neque enim aliter quàm a dicto mense consueuisse maiores auspicari Indictionem, nemo est qui dubitet. Quòd ergo eadem Romana Synodus, vt ex eius Actis liquet, cœpta habetur decimooctauo Kalendas Octobris, absoluta (vt in fine eiusdem ponitur) ipsis Kalendis Nouembris: alterum de duobus affirmare necesse est: Aut si vult eam habitam esse anno Domini trecẽtesimo quadragesimooctauo, quo & Agapitum sexta Indictione vult succesisse Seuero: tunc nequaquam dici potest sexta Indictione celebrata esse, sed septima inchoata: Aut vult eam ad superiorem annum reuocare, vt vere sexta Indictione esse habita dici posit: tunc illud in primis falsum erit, quod ait, Agapitum esse creatum Episcopum anno Domini trecentesimo quadragesimooctauo, qui iam anno superiori reperiatur præsens fuisse Romanæ Synodo, sexta Indictione celebratæ anno trecentesimo quadragesimoseptimo. Sed & illud sequeretur absurdius, si dixerimus eamdem Romanam Synodum habitã esse sexta Indictione: tunc enim affirmare necesse erit, ipsam eodem anno esse celebratã, quo & Synodus Sardicẽsis reperitur esse collecta, anno Domini trecentesimo quadragesimoseptimo, quo & sexta Indictio incipit mense Septembris. At quod monstrum illud erit, vt earumdem Ecclesiarum Episcopi diuersi nominis habeantur in vtrisque Synodis scripti, vno eodemque anno habitis? Quamobrem cum hæc nulla ex parte subsistant, nec aliqua alia sexta reperiatur Indictio sub Iulio Romano Pontifice, quem ante absolutam illam periodum Indictionum constat esse defunctum: iam euanescit omnino illa de sexta Indictione argumentatio.

Sed vt quid in dubiũ reuocat, num Gratus ipse, cuius est querela illa in Concilio Sardicensi de Africanis Episcopis, fuerit Episcopus Carthaginensis? nam quisnam alius potuit esse Episcopus ille Gratus, qui subiectos haberet Episcopos Africanos, vt ibi demonstratur, nisi Episcopus Carthaginensis? cum præsertim ex Synodo Carthaginensi prima, quæ (vt suo loco dicetur) anno sequenti a Concilio Sardicensi habita est, certum habeatur, eius nominis Episcopum Carthaginensem Gratum eidem interfuisse, immo & præfuisse Concilio; in cuius canone quinto mentio habetur de celebrato antea Concilio Sardicensi: vnde ex tam explorata, certa,

A certa, constantique ratione explodendus est addititius ille eidem Synodo affixus titulus, quo dicitur celebratum illud esse Concilium temporibus Siluestri, vel Marci: ex legatione enim illa Pauli atque Macarij, cuius est frequentissima mentio apud Optatum & Augustinum, certum redditur tempus eiusdem primi, sic dicti, Concilij Carthaginensis, quod suo loco constabit.

Quòd insuper Protasium Episcopum Mediolanensem ante Iulium eius ciuitatis Antistitem ponit, errore labitur sequutus Panuinum, quem, reclamantibus omnibus, constat errasse, dum Diocletiani temporibus in laterculo suorum Fastorum habet Protasium, & post eum Maternum, & deinde Eustorgium, post illum vero Dionysium tēporibus Concilij Sardicensis: nam ex Actis eiusdem Synodi Sardicensis liquet Protasium eidem præsentem fuisse. Rursumq. in re cōperta hæsitat, dum Fortunatianum Episcopum Aquileiensem, qui Concilio B Sardicensi interfuit, Fortunatum potius existimat appellandum ex quadam sibi, vt ait, cognita lectione. sed si hoc attēdendum est; vt cum apud Athanasium recensetur series Episcoporum qui interfuerunt Concilio Sardicensi, legatur perperam, Fortunatius, pro, Fortunatianus; non duo, vt vult, sed tres dicendi sunt eodem ferme tempore præfuisse Ecclesiæ Aquileiensi, Fortunatianus cuius est mētio quoque apud S. Hieronymum, Fortunatus, & Fortunatius. Sed facessant leuia istæc: vnum tantum nouit Ecclesia Aquileiensis, & veteres scriptores Fortunatianum Aquileiensem Episcopum; licet mendosi codices, loco Fortunatiani, Fortunatium habeant, vel Fortunatum. At otiose nimis, & cum tædio lectoris, vt video, in re adeo perspicua detinemur.

Agedum transeamus ad Iulium illum Episcopum Mediolanensem, qui legitur interfuisse eidem Romanæ Synodo hoc anno sub Iulio Romano Pontifice celebratæ. Miramur profecto C hunc ipsum ab eodem [a] auctore prætermissum, qui (vt apparet) adeo perperam texuit successionem Mediolanensium Episcoporum, & ad libitum ex animi sui sententia annos sedis cuiusque eorum apposuit: nam si alicuius Ecclesiæ antiqui quærantur Episcopi; illi certiores erunt, quos veterum Conciliorum Acta suppeditant. Quamobrem cum Iulium hunc ipsum considero, suspicione interdum pulsor, num idem hic sit cum Materno eiusdem ciuitatis Antistite, antiquis scriptis & memoria anniuersaria ex tabulis Ecclesiasticis celeberrimo; idemque cognominatus fuerit Iulius Maternus; atque fortasse idem ille sit, cuius extat nobilissimus commentarius hoc titulo inscriptus [b], Iulij Firmici Materni V. C. De Mysteriis & erroribus profanarum religionum ad Constantinum & Constantem Augustos liber.] nomina quidem probe consentiunt, & tempora æque conueniunt, licet in titulo illo nomen tantum Episcopi desideretur, errore forsitam librariorum omissum. Voluimus hæc innuisse solum: prudens D vero lector accurate dijudicet.

a Panuin. in Fast.

DE IVLIO MATERNO.

b Extat tom. 5. Biblioth. sanct.

Ceterum quod ad ipsum commentarium pertinet: si quis diligenter eius argumentū consideret; in eam plane sententiam conspirabit, illum ab auctore conscriptum post Constantini Magni obitum, cum eius filij Constantinus minor & Constans in Occidentale Imperium successissent: Ne igitur illi a paterno deflecterent instituto, & ad auitum idolorum cultum a Gentilibus pellicerentur, qui tunc temporis quæ de diis scripta essent turpia & obscœna, physica quadam interpretatione honestare studerent: ne inquam ipsi seducerentur, sed continerentur in officio pietatis; idem Iulius Maternus his occurrit, eo edito, illisque dicato egregio commētario, quo etiam ipsis pluribus persuadet, vt idololatriam funditus pessumdēt; in hisque multus est auctor, & in primis cum ait [c]: Amputanda sunt hæc, sacratissimi Imperatores, penitus, atque delenda, & seuerissimis edictorum vestrorum legibus corrigenda; ne E diutius Romanum Orbem præsumptionis istius error funestus commaculet, ne pestiferæ consuetudinis conualescat improbitas: quidquid hominem Dei conatur perdere, ne diutius in terra dominetur. Nolunt quidam, & repugnant, & exitium suum prona cupiditate desiderāt: sed subuenite miseris, liberate pereuntes. Ad hoc vobis Deus summus commisit Imperium, vt per vos vulneris istius plaga curetur. Facinoris eorum periculum scimus, erroris notæ sunt poenæ: sed melius est vt liberetis inuitos, quàm vt volentibus concedatis exitium. Aegrotantes contraria delectant; et cum corpus hominis aduersa valetudo possederit, contra salutem suam a laborantibus peruersa poscuntur. Capta mens languoris vitio morborum semper augmenta desiderat, & medelas artificum aspernata contemnit: respuit remedium medicinæ, & in exitium suum prona animositate festinat. Tunc si malum morbi fortius creuerit, maiora remedia quæruntur; et pro salute hominis solicita fortius se medicina opponit: asperi cibi, amari potus nolentibus ingeruntur; et si conualuerit malū, & ignis adhibetur & ferrum. sic homo recepta sanitate, & salute sibi reddita, quidquid ægrotātis corporis vitio inuitus passus est,

IVLII MATERNI STVDIVM PIETATIS.

c Iul. Mater. de Myster. & error. prof. relig. tom. 5. c. 17. Biblioth. sanct.

sus est, hoc totum pro vtilitate sua factum esse stantis animi iudicio confitetur.] hæc ipse: atque ea quidem ratione his insistit, quòd complures Gentilium, & Senatorum Romanorum præcipui pro antiquo deorum cultu certarent; haud patientes patrium superstitionis cultum, noua recepta religione, penitus antiquari; quorum pertinaciam Constantinus Magnus pertæsus, vt dictum est, nouam condere ciuitatem, dæmonum sacrificiorum expertem, quod & perfecit, olim in animum induxit. A

Ne igitur Constantini morte, idololatria siue Romæ, siue alibi, iam prope sepulta, iterum reuiuisceret: magno studio nisus est auctor, iisdem persuadete, vt quod reliquum esset superstitionis Gentiliciæ abolerent; eosdemque eiusmodi interpellans oratione, hæc addit: Vos nunc Constantine & Constans, sacratissimi Imperatores, appello, vt venerandæ fidei vestræ imploranda virtus est, quæ supra homines erigitur, & a terrena fragilitate separatur, cælestiumque se rerum societati coniungit: quæq. in omnibus actibus suis, prout potest, Dei summi sequitur voluntatem: modicum talium superest, vt legibus vestris funditus prostratus diabolus iaceat, vt extinctæ idololatriæ pereat funesta contagio. Veneni huius virus euanuit, & per dies singulos substãtia profanæ cupiditatis expirat. Erigite vexillum fidei: vobis hoc diuinitas reseruauit, cuius fauore eminentes prostratores estis omnium hostium vestrorum, quorum opera Romanum firmatur Imperium. Signum venerandæ legis erigite, sancite, promulgate quod prosit. Sit faustum felixque Reipublicæ, quòd tot aceruos cæsorum hostium prostrauistis exercitum*. Felices vos quoque gloriæ ac voluntatis suæ Deus fecit esse participes. Idololatriæ excidium, & profanarum ædium ruinas, propitius Christus populo, vestris manibus reseruauit. Ille spiritualibus armis malos spiritus, vos mala terrena vicistis. Erigite victoriæ trophæa, & proferatur ingens titulus triumphorum. Profanarum rerum strage gaudentes, exultate fortius, exultate fidentet. Felicitas vestra cum Dei virtute coniungitur: pro salute hominum, Christo pugnante, vicistis.] et post nonnulla [b]: B C

a *Ibid. c. 21.* DE TOLLENDA PENITVS IDOLOLATRIA.

* exercitu

b *Matern. c. 29.*

EXHORTATIO AD PRINCIPES.

Tollite, tollite securi, sacratissimi Imperatores, ornamenta templorum. Deos istos aut monetæ ignis, aut metallorum coquat flamma. Donaria vniuersa ad vtilitatem vestram dominiumque transferte. Post excidia templorum, in maius Dei estis virtute prouecti. Vicistis hostes, propagastis Imperium: et vt virtutibus vestris gloria maior accederet, mutato ac contempto templorum ordine, hieme (quod nec factum est aliquando, nec fiet) tumentes ac sæuientes vndas calcastis Oceani: sub remis vestris incogniti iam nobis pene maris vnda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus expauit. Quid amplius vultis? Virtutibus vestris victa elementa cesserunt. Quòd autem Deus iubeat idola non fieri, sacrosanctæ legis scripta declarant, &c.] ac post multa aduersus idololatriam hæc subdit [c]: Sed & vobis, sacratissimi Imperatores, ad vindicandum & puniendum hoc malum, necessitas imponitur, & hoc vobis Dei summi lege præcipitur, vt seueritas vestra idololatriæ facinus omnifariam persequatur.] hæc ibi, atque pluribus diuinæ scripturæ testimoniis eos ad id faciendum impellit; ac demum perorans, sic habet: D

c *Ibid. c. 30.*

Misericordiæ suæ vobis, sacratissimi Imperatores, Deus summus præmia pollicetur, & amplificationis maxime augmenta decernit. Facite itaque quod iubet, complete quod præcipit. Auspicia vestra maioribus cumulata sunt donis: initio fidei positæ, diuini fauoris incrementa sensistis. Numquam vos manus Dei veneranda deseruit: numquam vobis laborantibus denegauit auxilium. Strati sunt aduersantium cunei, & rebellantia ante conspectum vestrum semper arma ceciderunt. Missi sunt superbi sub iugum populi, & Persica vota collapsa sunt: nec stare diu contra vos poterit malis suis armata crudelitas: Dei virtutem vtrique diuerso sensistis euentu. Vobis cælestis victoris* corona collata: et felicitate vestra, nostra releuantur incommoda. Hæc vobis Deus summus, sacratissimi Imperatores, pro fide vestra reddidit præmia: his vos iterum remuneratos insignibus, ad arcana venerandæ legis inuitat. Pura mente, deuota conscientia, incorrupto animo, clementia vestra cælum semper aspiciat: a Deo semper expectet auxilium: Christi venerandum numen imploret: et pro salute Orbis terrarum, ac vestra, salutari Deo spirituales offerat victimas. Sic vobis feliciter cuncta prouenient, victoriæ, opulentia, pax, copia, sanitas, & triumphi; vt diuina maiestate protecti, Orbem terræ felici gubernetis Imperio.] hactenus Iulius Maternus: quæ quidem minime oportuit prætermisisse, cum sæpe de victoriis aduersus hostes diuina virtute partis mentio habeatur, quarum nulla pene memoria apud scriptores alios reperitur: cõtigisse enim ea videntur, cum patre agente in Oriente ipsi Occidentale administrarent Imperium, & barbaros in Britannia atque aliis in locis rebellantes feliciter compescuerunt: sed quoto potissimum anno illa acciderint, ignoratur. E

* victoriæ

VICTORIAE EX CVLTV VERAE RELIGIONIS ACCEPTAE.

A

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTINI CONSTANTII CONSTANTIS IMPPP.
338.	2.	2.

ATHANASIVS RESTITVITVR ALEXANDRIAM.

QVi sequitur trigesimusoctauus supra trecentesimum annus Domini, Consulatu Vrsi atque Polemij annotatus reperitur in Fastis. Quo maior na[t]u fratrum Imperatorum Constantinus Augustus, Athanasium quem viuęte patrę exceperat Treueris, regio diplomate, datis ad Alexādrinos litteris, in suam Ecclesiam summo cum honore restituit. At in primis quod ad tempus spectat, sine quo certo indice, veritatis historiæ intercipitur via: cum testetur Theodoretus eum exulem egisse annos duos & menses quatuor; et ex his quæ dicta sunt superius B satis liqueat, ipsum exilij titulo amandatum a Constantino in Gallias anno Domini trecentesimo trigesimosexto circa vernum tempus: opus est affirmare, eum hoc ipso anno fuisse in suam sedem Alexandrinam restitutum. Theodoretus enim de eius exilij tempore & reditu in Aegyprum ex Galliis hæc ait [a]: Diuinus ille Athanasius, biennio integro & mensibus quatuor Treueris commoratus, reuertit Alexandriam. Quo quidem tempore, Constantinus filius Constantini Magni natu maximus, qui Galliæ versus Occidentem Imperium obtinuit, litteras scripsit ad Ecclesiam Alexandrinam.] Meminit earumdem litterarum Athanasius, qui & eas recitaturus hæc præmittit [b]: Certe quidem beatus Constantinus minor, memor scriptorum patris sui, dum nos patriæ restitueret, in hæc verba epistolam misit:

a Theodoret. lib. 2. c. 8.

b Athanas. Apolog. 2.

Constantinus Cæsar Populo Catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ S.

LITTERAE CONSTANTINI PRO ATHANASIO.

C Neque vestram sacram mentem latere arbitror, ideo Athanasium adorandæ legis interpretem in Gallias missum esse, ne quo tempore sanguinolentorum hostium feritas sacro eius capiti quàm maxime immineret, implicitusque malorum collimitio, aliquid intolerandum, & cui remedium nullum esset, pateretur. Ad hanc igitur feritatem eludendam tot faucibus inhiantium subtractus, vt sub me ageret, iussus est. Atque ita in hac vrbe commoratus est, vt omnibus rebus necessariis abundaret: tametsi eius reuerenda virtus, diuina ope fretus, onera asperioris fortunæ vilipenderet. Iam cum in primis vestræ in Deum pietati, suisque sedibus hunc Episcopum dominus noster & pater Constantinus restituere vellet, & humana sorte præuentus, antequàm hoc votum impleret, requieuerit: ego mihi conuenire puto, vt suscepta voluntate sacræ memoriæ Imperatoris, id ipsum adimpleam, quod ille non potuit. Cum igitur Athanasius ad vestrum conspectum penetrauerit; tunc demum D intelligetis, quantæ apud nos reuerentiæ fuerit. Neque id mirum videri debet, si quid huiusmodi in eius gratiam fecerim: ad hoc enim faciendum, meam mentem & vestri desiderij imago, & species tanti viri instigauit. Diuina prouidentia vos seruet, dilecti fratres. Dat. Treueris decimoquinto Kalendas Iulias.] hactenus Constantini iunioris Augusti epistola: recitat eamdem Theodoretus [c], sed alterius translationis, sicut & Socrates [d], atque Sozomenus [e]. Ceterum dum de his agit Socrates [f], Ruffinum iure redarguit temporis ordinem inuertentem, cuncta sus deque miscentem, cum Conciliabulum Tyrium non sub Constantino, sed Constantio, & sub eodem exilium, siue fugam (vt vult) Athanasij accidisse existimauit; verum & deformius errauit, dum antequàm restitueretur Alexandriam idem Athanasius, sexennium interlapsum putat, quod insumptum tradit in latebris: sed illæ longe postea contigerunt. Porro & illud falsum magis, quod E apud Epiphanium [g] legitur, ipsum exulem mansisse in partibus Italiæ annos plures quàm duodecim, aut quatuordecim: qui enim eum restituit Constantinus, nec quadriennium exegit in Imperio; sed & statim post obitum patris sui id effecisse, litteræ ipsius nuper recitatæ non obscure significant.

c Theodoret. lib. 2. c. 8.

d Socrat. lib. 2. c. 2.

e Sozom. lib. 3. c. 2.

f Socrat. lib. 2. c. 1.

g Epiphan. hæres. 68.

CONSTANTIVS INVITVS CONSENSIT RESTITVTIONI ATHANASII.

At Constantius Imperator licet inuito animo ferret Athanasij restitutionem, quòd ex Eusebianorum persuasione iam cogitaret de subrogando alium in locum ipsius Athanasij Episcopum Alexandrinum: tulit tamen, tum quòd ex Magni Constantini litteris id se facere Constantinus iunior profiteretur; tum etiam ne ea occasione, si aduersaretur, fratrę natu maiorem infensum sibi redderet & inimicum. Lucifer Calaritanus aduersus Constantium pro Athanasio cùm agit [h], hoc ipsum vehementer exprobrat, quòd quem passus est in suam Ecclesiam a fratre restitui, iterum persequatur; atque ait: Si recte fuerat missus ad exilium: cur eum passus es contra patris tui statuta recipere dignitatem, quam ei se tulisse tuus arbitratus fuerat pater? Sed, inquis, fratris mei Constantini factum est interuentu. Sed po-

h Lucif. Calarit. lib. 1. pro Athanas.

Sed potuisti occurrere Constanti, dicens: Pater noster quem probauit hæreticum, nisi se correxerit, recipere in partes regni mei non possum. Sed inquis: Timui ne inter nos bella fuissent exorta. Ergo quia Saporinus * Persarum Rex nunc contra te gerit prælium, si tibi dixerit: Suscipe religiones meas, & ero tecum pacatus: te oportet cum omnibus in Imperio tuo demorantibus facere transitum ad religionem dæmonum? dæmoniis enim sacrificans est Saporinus. Conspicis enim non te egisse vt Dei seruum, suscipiendo eum & loco reuocando suo, quem meminisses in causam fidei deportatum. Primum quòd impotentem iudicaueris Deum, tamquam te tueri non potuerit tuentem veritatem, hæreticis resistentem: deinde quòd magis propitium tibi esse volueris Constantem, quàm Deum: quem vtique Constantem Regem si hæreticum factum memineras fauendo Athanasio, quem tu iam probatum habebas sacrilegum; non solum non regnum tuum Deo debueras præponere, sed nec ipsam tuam animam. Tu etenim ipse testis es conscientiæ tuæ; quod enim propter fidem quam semper tenuit Ecclesia ac tenet, quòd eam damnare noluerit, missus fuerit in exilium, quia videlicet noluerit esse Arianus, &c.] hæc Lucifer in Constantium; sed dum per Constantem restitutum ait, vel ipse memoria lapsus, vel vitio librariorum accidit, vt Constans, pro Constantino, positus fuerit: Constans enim haud modo, sed post Concilium Sardicense, cum iterum pulsus esset, Athanasium restituendum curauit.

* Sapores

De reditu vero eius Alexandriam hæc Theodoretus [a]: Cum istis Constantini litteris S. Athanasius redit Alexandriam: quem omnes tum ciues, tum rustici, tum nobiles, tum plebei cupide perlibenterque excipiunt, exceptis solum Arianis, quibus eius reditus molestiæ & angori fuit.] At quàm faustus lætusque acciderit Catholicis omnibus Athanasij Alexandriam reditus, Aegyptij Episcopi testati sunt epistola [b] Synodali, in qua istæc inter alia aduersus Arianos calumniantes eius reditum infaustum fuisse & multorum malorum causam: Prorsus enim, inquiunt, eiusdem veritatis sunt cum superioribus, quæ nunc fingunt, fuisse scilicet in Athanasij introitu seditiones, luctus, populorumque lamentationes, indigne ferentium illius creationem. Nihil ibi tale contigit: sed potius omnia his contraria, gaudia scilicet, animorumque alacritates, & populorum desiderio videndi hominis accursus: vbique per ecclesias lætitiæ & gratulationes ad Dominum. Ministri autem & clerici ita eum intuebantur, vt animis gaudium conciperent, & illum diem omnibus faustissimum arbitrarentur: nostram autem, qui Episcopi sumus, inenarrabilem lætitiam quid opus est scribere, cum iam antea testati simus, quidquid ei acciderit, nobis videri accidere?] hæc ipsi. Ceterum non Athanasius tantum exul, sed & reliqui Aegyptij Catholici Episcopi eius causa antea profligati, postliminio reuersi, suas receperunt Ecclesias: testantur enim id ipsi in eadem Synodali epistola ex Concilio Alexandrino, cum aiunt [c]: Publica enim omnium Episcoporum profligatio ex suis sedibus, exterminatioque facta est: qui vt nos antea pro exulibus habuere, ita nunc cum Athanasio patriæ redditi pro superioribus doloribus lacrymisq. quibus eius vicem miserebamur, maximam vicissim hilaritatem & gaudium recepimus; quod vtinam Dominus, ne ab Eusebianis subuertatur, nobis incolume seruet.]

a Theodoret. lib. 2. c. 2. in fin.

REDITVS ATHANASII ALEXANDRIAM.

b Apud Athanas. Apolog. 2.

c Athanas. Apolog. 2.

Cum autem Athanasij reditu pariter reddita esset pax Ecclesiæ: Ariani ipsum, licet munitum litteris maioris Imperatoris, exagitare noua persecutione non prætermiserunt, cum in alios illi inhærentes furorem conuertunt, scribentes ad suos qui in Aegypto erant Episcopos: testatur id ipse Athanasius [d], cum ait: In istis scribendis secum habent eos qui cum Ario eiecti fuere, nimirum Secundum Pentapoliten, clericosque Alexandriæ repudiatos. Istis Alexandriam scribunt; et quod mirere, operam dederunt, vt nos, ceterique qui nobiscum sunt, persecutionibus diuexaremur.] in hunc modum ipse. Crebræ tunc, cum Athanasius esset restitutus Alexandriam, fuerunt apud Constantium Imperatorem querelæ, quòd ad libitum tantum Constantini absque Synodali decreto idem Athanasius a Synodo Tyria prædamnatus Alexandriam in Ecclesiam restitutus esset: quod quidem Socrates [e] affirmat, sic dicens: Verum qui in eà vrbe labe Arianæ opinionis aspersi erant, contra illum conspirarunt. Inde crebræ seditiones ortæ, quæ factioni Eusebianæ ansam ad Athanasium apud Imperatorem falso accusandum præbuerunt: eique crimini datum est, quòd suo ipsius arbitrio (eum communis Episcoporum Conuentus illud minime decidisset) Ecclesiæ illius administrationem denuo occupasset.] hæc eadem Sozomenus [f], & alij.

ARIANI INDIGNA FERVNT ATHANASII REDITVM.

d Athanas. orat. 1. in Arianos.

e Socrat. lib. 2. c. 2.

f Sozom. lib. 3. c. 2.

At quoniam reuera non sua sponte Athanasius Alexandriam rediisset, sed litteris Constantini Imperatoris munitus suam recepisset Ecclesiam: periculosa alea Constantio videbatur, eum denuo exturbare, quem sciebat a Constantino Augusto suo germano restitutum: haud enim ausus est eum cogere solum vertere, ne in se fratris Imperatoris iustã iracundiam prouoca-

A prouocaret: quamobrem quod mente coquebat, dissimulat: cum interim Ariani solitas merces congerunt, nouas calumnias comparant, parantque legationem aduersus Athanasium ad tres Imperatores, ad Constantinum scilicet, qui eius susceperat patrocinium, ad Constantem in eumdem quoque propensionem, & ad Constantium, quem in eum reddiderant infensissimum. At de eiusmodi legatione agemus anno sequenti, quo missa putatur. ARIANORVM LEGATIO IN OCCIDENTEM.

Quinam vero fuerint Arianorum antesignani, qui istæc in Athanasium commenti sunt, & Constantio detulerunt: præter presbyterum illum, alios recenset Theodoretus, cum ait [a]: Hoc adiutore vsi Eusebius, Theognis, Theodorus Perinthius (erat quidem Theodorus vir doctrina præter ceteros exquisita, scripsitque commentarios in sacra Euangelia, vulgo Heracleotes nominatur) frequenter admodum, quoniam habitabant in proximo, in Imperato- B ris venere conspectum, reditumque Athanasij ab exilio multorum malorum causam extitisse dixere, & non Aegyptum solum, verum etiam Palæstinam, Phœniciam, & alias finitimas gentes turbulentis illorum fluctibus grauiter agitari.] hæc Theodoretus. Quod autem ad Theodorum spectat, agit de eodem S. Hieronymus [b], adnumeratque eum inter scriptores Ecclesiasticos, atque ait: Theodorus Heracleæ Thraciarum Episcopus elegantis apertique sermonis & magis historicæ intelligentiæ edidit sub Constantio Principe commentarios in Matthæum, & in Ioannem, & in Apostolum, & in Psalterium.] sic ipse, qui eum interdum citare consueuit [c]: dictus vero est quoque Perinthius: nam idem est Perinthus (vt idem ait) cum Heraclea.

a Theodoret. lib. 2. c. 3.
ARIANORVM ANTESIGNANI.
b Hieronym. de Script. Eccles. in Theodoro.
c Hieron. epist. 152.

Fertur & illud factum; nempe hoc anno secundo Constātij Imperatoris scilicet eiusdē iussu de hoc scribentis ad Probum, publice disseruisse Laodiceæ in Syria Athanasium cum Ario: C Sed cum illum ante hæc tempora liqueat esse defunctum; alium volunt hunc fuisse Arium, qui se contulerit cum Athanasio. Non inficias imus alterum his temporibus vixisse Arium Episcopum, de quo inferius plura ex Actis Concilij Sardicensis. Verum quod in epistola illa Constantij ad Probum, Athanasius, diaconus nominetur, & quòd in ipso disputationis progressu arguat Athanasius Arium esse Photiniani dogmatis; plane detegitur euidentior error: siquidem longe ante emersit Arij hæresis, quàm Photini, & ex Ario potius Photinus, quàm ex Photino Arius: de Photino autem, quo tempore innotuerit, suo loco dicemus. COMMENTICIA DISPVTATIO.

Ceterum in eiusmodi argumenti & generis scriptionibus versatum esse Vigilium Episcopum Tridentinum, nimirum vt aduersus Arium, Sabellium, & Photinum per dialogismum Athanasij nomine scripserit commentarios, ipsemet testatur cum agit contra [d] Eutychen, cuius verba, vt hæc exploratiora habeantur, hic reddere, dignum existimamus; ait enim: D Plenissime in eis libris quos aduersus Sabellium, Photinum, & Arium sub nomine Athanasij, tamquam si præsentes cum præsentibus agerent, vbi etiam cognitoris persona videtur inducta, conscripsimus, &c.] siue ergo Vigilius, siue alius eodem scribendi genere vsus est, cum non tantum Athanasium & aduersarium hæresiarcham sic disputantem induxit, sed etiam (quod ait) Iudicem cognitorem sæpe interloquentem adhibuit, quod in ista vidimus disputatione habita coram Probo, nequaquam Athanasio hæc tribuenda sunt.

d Vigil. contra Eutych. lib. 5.

Quod autem spectat ad res Constantij Imperatoris; ipse hoc anno, ijsdem Consulibus, Antiochiam se contulit ob expeditionem aduersus Persas parandam, quod & data ab eo ibi rescripta [e] declarant; quando vlcere, incurabili plane morbo affectus, & vt putatur, diuinitus immisso, vt a qua deflectere videbatur fauens Eusebianis, pietatem ardentius coleret & solicitius custodiret. Sed plane accidit illi quod Pharaoni, dum percussus a E Deo, Moysen lubenter, a quo salutem consequeretur, audiuit: verum cum curatus contempsit, susceptæ semel inhærens impietati. Quonam modo autem ægrotantem ibi Constantium Imperatorem magnus ille Spiridion, de quo superius mentio facta, ad bonam valetudinem reuocarit, eius Acta significant: quorum licet auctor non prodatur, qui scripsit: creduntur tamen ex illis esse deducta, & soluta oratione conscripta, quæ eius discipulus Triphyllius Ledrensis Episcopus, vt testatur Suidas [f], versibus Iambicis cecinit. Ait ergo auctor [g]:

e l. 4. de tempor. cursu. C. Theod. & l. 23. de Decurion. C. eod. Theod.
CONSTANTIVS CVRATVR A SPIRIDIONE.
f Suid. in Triphyl.
g Apud Metaphrast. die 12. Decemb. Sur. to. 6.

Vt autem Antiochia quoque posset videre Spiridionis virtutem & gratiam, & de ea ferre testimonium: hoc quoque fit valde mirabiliter & contra opinionem. Quo modo vero, iam ostendet oratio. Nuper quidem Magnus Constātinus, relicto Imperio, e viuis excesserat: id autem filij diuiserant. Et Constantius quidem, cui sorte obtigerat vt teneret Imperium Orientis, in magna vrbe Cœlesyriæ, nempe Antiochia, versabatur. Eum autem grauis morbus inuadit, qui medicorum manus & artem reprobabat. Hac de causa aliorum omnium spe

abiecta, cum precabatur solum, qui potest curare animas & corpora. Cum vero precatione A vteretur intentius, noctu in visione ei apparet Angelus ostendens ei chorum sanctorum multorum Episcoporum: in quos cum Imperator defixisset oculos, in medio quidem eorum videt quosdam duos stantes, qui erant ipsi quoque Episcopis similes, videbantur autem esse duces & præsides aliorum. cum eos ipsi ostendisset Angelus, solos eos esse dicebat eius morbi curatores. Cum vero eum dimisisset somnus, considerabat quidem quinam ij essent, non poterat autem somnium conijcere: quo modo enim, cum eorum nec nomen nec patria ei esset nota? maxime cum alter eorum, qui apparuerat vt Episcopus, nondum reuera erat factus; sed quod futurum erat, tamquam quod iam factum fuerat, apparuerat.

VISIO FACTA CONSTANTIO.

Cum propter hæc ergo esset animi dubius Imperator, & simul quidem visione moueretur, cruciaretur autem doloribus; nesciebat quidnam ageret: feruor vero fidei illum optime admonebat, non adeo temere illam apparuisse visionem: vnde etiam ei persuadet, vt præclarum, & Imperatore dignum, & in præsentia quidem sapientia minime vacuum caperet consilium. B Quotquot enim Episcopi per vniuersum Romanum Imperium, sibi scilicet subiectum, vitæ ex virtute agendæ curam gerebant, iussit conuenire: non enim omnes accersiuit Episcopos, sed quos audisset esse virtute præstantes; vt cum simul omnes conuenissent, duo quoque, qui ei apparuerant, noti euaderent. Missæ sunt ergo litteræ per vniuersam regionem sibi subiectam, quibus vocabat Episcopos: et quoniã cum alij accessissent, ij qui quærebantur, nequaquam agnoscerentur; mittit etiam in Cyprum insulam accersens Spiridionem, & illius gratiam. Ille autem omnia quidem spiritu præuiderat de Imperatore: in somnis enim ei singula significabat gratia. Cum vero Imperatoris quoque verba ei consentirent, non inuitus ad eum proficiscitur, illum quoque virum secum ducens, qui in ea quæ prius apparuerat, visione, cum illo adstiterat Imperatori: ei nomen erat Triphyllius; qui nondum quidem erat adeptus C sacerdotium, a superis autem, antequàm eligeretur ab hominibus, fuerat designatus.

SPIRIDION IN REGIA MALE HABITVS.

Cum eo ergo simul ingreditur Spiridion in Regiam, tenuiter admodum ornatus & simpliciter: nam vestis quidem erat admodum vilis: in manu autem habeat virgam ex palma, & tiaram gestabat in capite: præterea vasculum quoque quoddam fictile ei pendebat ex collo, (vt qui, sicut mos erat ijs qui sanctã habitabant ciuitatem) statuisset ferre oleum sanctæ Crucis. Quoniam autẽ non satis erat, tenuitate & a rebus superfluis aliena simplicitate, sed etiã in ferẽdis iniuriis moderatione suum imitari Dominũ: quidã in Regia, eius irridens tenuitatem, & indecorum esse arbitrans eum ingredi in Regiam, qui ita esset vestitus; illi sacræ maxillæ incussit colaphum. Fulmen autem non fuit e cælo missum in eum qui percusserat; sed id omnino passus est, qui ipse quoque in seipso diuine id erat passus. Ille vero (o generosum animum & ad patiendum ambitiosissimum) ei qui ipsum afficiebat iniuria, præbuit & alteram, promptus ad Dominicam legem[a] implendam, & se promptum exhibendo ad patiendum, vincens nimiam illam celeritatem manus simul & impudentiam: hoc illum insolentem & iniuriosum cepit hominem, & magno pudore affecit, & maxime quòd acceperat eum esse Episcopum, qui affectus fuerat iniuria: vnde etiam mutatus, fit ei supplex, & petit veniam, inconsideratæ lapsum audaciæ curare contendens calore pœnitentiæ. Ille autem (didicerat enim, sicut ferre iniurias, ita debita remittere, immo vero eum qui ipsi molestiam attulerat remunerari bonis) verbis quibus potuit, eum affecit beneficio, paterne consulens, & meliorem eius reddens animam. quo factum est, vt qui apud Imperatorem primos honores obtinebant, eum reuerenter prosequerentur, & vt par erat, ducerent ad Imperatorem. D

[a] Matth. 5.

DE TRIPHYLLIO VATICINIVM.

Non sunt prætermittenda quæ interim euenerunt, quæ sunt studio digna, & quæ possunt magnam afferre vtilitatem animis studiosis sapientiæ. E Videns ille magnus suum discipulum Triphyllium perfectum mox futurum, & ei similem: in præsentia vero ea quæ in mundo sunt magna, & pro quibus multi esse contendendum existimant, magna esse existimantem, vt qui adhuc esset ætate iuuenis, & haberet ætatem ad hoc opitulantem, & ea quidem admirantem quæ erant in Regia, vestes inquam splendidas, & auri nitorem, & ante omnia quidem ipsum Imperatorem, qui in excelso quidem præsidebat, conspiciebatur vero terribilis & specie insignis: cum propter hæc omnia videret eum stare sublimem & erectum, & quasi a se discessisse: ei veluti somnum soluens, & quæ vere habebat somnia manu palpans, & depellens: Sed mihi, inquit, Triphylli, illum ipsum ostende Imperatorem; neque enim possum scire quisnam sit. Is autem non intelligens quid magnus sibi vellet Spiridion: Hic est, inquit, manu ostendens Imperatorem. Quid est ergo (inquit Spiridion) hic aliis admirabilior, nisi eum etiam dixeris iustiorem, ob

fastum

A fastum & splendorem? Non æque ac quiuis pauper ignotus morietur, similiter vero sepulturæ mandabitur, & interibit, similiter quoque sistetur ante incorruptum Iudicem? Cur quæ fluunt, tamquam quæ stabilia sunt, honoras, & quæ nihil sunt, habes in admiratione; cum liceat potius, ea quæ sunt materiei expertia & æterna quærere, & gloriam amare cælestem, in quam non cadit interitus?

Cum hæc autem diceret Triphyllio: Imperator ex tribunali excelso in sanctum conijcit oculos: et primum quidem cum attrahebat habitus & amictus, formæ quæ visa fuerat, conueniens: sic enim visus fuerat ei adesse in somnis, & erant omnia eadem, virga, tiara, vas e collo pendens, & vestis. Eum ergo statim cognouit ex alto: Triphyllium autem non poterant conijcere, neque enim curabat eius speciem curiose inquirere, quoniam eum non videbat Episcopum, sicut somnus ei significabat. Quamobrem statim surgens e sede, vadit ad magnum Spiridionem: desiderium enim recuperandæ sanitatis faciebat eum alia contemnere: splendorem certe Imperatorium & Imperij magnitudinem postponens honori magni Spiridionis, se humiliter admodum & abiecte in eum gerit; humilitate captans misericordiam, & ostendens quantum intersit inter Regem, qui ad tempus est, & eum qui seruit Regi æterno. Ille ergo inclinato capite placabat eum lacrymis, & eius petebat preces, tamquam validissimum aliquod medicamentum, quod omnem molestiam potest facile soluere. Postquàm ergo manus illius tetigit caput Imperatoris, statim fugatus est morbus, & conualuit Imperator. CONGRESSVS SPIRIDIONIS CVM CONSTANTIO.

B

Quis quæ postea consequuta sunt, narrabit, eorum qui aderant, & ipsius Imperatoris; quemadmodum toto die festum agebant, & propemodum exiliebant, & neque se præ gaudio poterant continere? Solus Spiridion erat in labiis omnium, aspiciebatur Spiridion, Spiridion erat id, quod studio erat omnibus. Imperatori itaque fuit quidem corpus restitutum sanitati: Vt autem sana esset eius anima, numquid vt paruum & a medico contemnendum fuit despectum? Vbinam vero hoc fecit sacrosancta illa anima? Sed ei quoque omnino conueniens adhibuit medicamentum; vt qui suaserit quidem, vt meminisset Dei beneficij: in eos autem qui eius parebant Imperio, ijs quidem qui offendebant & aliquam attulerant molestiam, clementem se præberet & misericordem: ijs vero qui secus se gesserant, benignum & liberalem: ijs autem qui priuati erant rebus necessarijs, patris & curatoris munus obeuntem, manumque & viscera ijs benignissime aperientem: Quantum enim, inquit, præstas ceteris, tantum re esse oportet virtute celsiorem: qui enim non sic est affectus in subiectos, tyrannum oportet eum potius vocare, quàm Imperatorem, qui non est censendus beatus propter potestatem, sed qui censetur miser & odio habetur propter superbiam. Postremo adhortatus est, vt accurate teneret & obseruaret ea quæ pertinent ad pietatem, & ne tantillum quidem admitteret, quod non Dei videretur Ecclesiæ.] hæc quidē ad Constantium Spiridion, probe sciens, hominem ad Eusebianos propensiorem, per quos posset induci in Arianam impietatem; atque idcirco hæc illi oportuit ab eo instantius ingeri, & inculcari. subdit auctor Spiridionis contemptum auri, quo donatus ab Imperatore & accipere coactus, illud erogauit in aulicos: additq. de Imperatore ad meliorem frugē reddito, eiusque studio in subleuandis inopum afflictionibus atque molestiis, deq. immunitate concessa viris Ecclesiasticis, ne quod genus penderent vectigalium, sed in omnibus essent immunes: subditq. his quoque de puero defuncto & ad vitam ibidem, cum esset Antiochiæ, reuocato, & post hæc alia plurima ab eo edita signa, cum in Cyprum insulam reuersus est. SPIRIDIONIS VIRTVS PRAEDICATVR.

C

D

Quod autem spectat ad immunitatem concessam clericis in gratiam Spiridionis: excidit quidem datum de ea re a Constantio rescriptum, cuius tamen mentionem ipse fecisse videtur, cum alias in hunc modum rescripsit ad clericos[a]: Iuxta sanctionem, quam dudum meruisse perhibemini; et vos, & mancipia vestra nullus nouis collationibus obligabit; sed vacatione gaudebitis. Præterea neque hospites suscipietis: et si qui de vobis alimoniæ causa negotiationem exercere volunt, immunitate potientur. Data. VI. Kalendas Septemb. Placido & Romulo Coss.] IMMVNITAS CONCESSA CLERICIS. a l. 8. de Episc. & cleric. C. Theod.

E

Verum haud inmuneratam reliquit Deus Constantij munificentiam tum erga pauperes omnes, tum potissimum clericos tunc impensam; sed longe maiora rependit, & quidem per alium sanctissimum virum Spiridioni non imparem, per Iacobum inquam illum Episcopum Nisibis toti Orienti spectatum, de quo sæpe superius mentio incidit opportuna: ex quibus plane innotuit magna Dei prouidentia erga Constantium, quem vt in officio pietatis contineret, modo perterret minis, exagitat plagis, modo vero beneficiis demeretur; quæ per viros pientissi- IACOBI NISIBITAE INSIGNE FACTVM.

pientissimos, atque Catholica religione præstantes illi voluit exhiberi; vt ex his saltem perdisceret pietatem colere, & auersari scelestissimos Eusebianos ab ea ipsum conantes auertere. At quodnam hoc tandem adeo ingens beneficium per Iacobum Episcopum fuit eidem impertitum? eximium illud sane, atque ita excellens, vt vix sit qui digne prosequi valeat oratione. Sapores quidem ille potentissimus Persarum Rex, audita Constantini morte, cuius summa potentia sæpe coercitus, haud ausus fuit inuadere Romanum Imperium; at eo sublato, tempus idoneum inuenisse ratus diutius expectatum, validissimo exercitu comparato, fines Romanorum inuadit; et quæ sibi fortior atque prior occurrit, Nisibin dura atque diutina obsidione perstringit: sed ab vno præstantissimo eodemque Deo carissimo viro Iacobo eius ciuitatis Episcopo vincitur, confunditur, atque cum ignominia ad propria inglorius redire compellitur. hæc autem quo modo se habuerint, sunt auctore Theodoreto narranda. A B

SAPORIS REG. PERSARVM BELLVM IN MESOPOTAM.

a Hieron. in Chronic.

b Theodoret. in Philoth. in Iacob. Nisibita.

Sed illud primum quod ad tempus spectat, vt certiorem statuamus chronographiam: Ista quidem accidisse ipso exordio Imperij Constantij & collegarum fratrum, sanctus Hieronymus [a] testatur, cum sic habet primo ipsorum Augustorum anno: Sapor Rex Persarum Mesopotamia vastata, duobus ferme mensibus Nisibin obsedit.] hæc inquam ipso anno primo Constantij, qui (vt vidimus) cœptus anno præterito post obitum patris decimo Kalendas Iunij, in præsentem vsque annum, dicto mense ac die protenditur. Et Theodoretus [b] in Philotheo hæc in eamdem sententiam: Cum autem aliquantum processisset temporis, Imperator quidem Magnus & admirabilis (Constantinus scilicet) excessit e vita cum coronis pietatis. Illius autem filij fuere heredes Imperij orbis terræ. Tunc Rex Persarum, cui nomen erat Sapores, contemptis filiis, vt quorum potentia non esset patriæ æqualis, bellum mouet aduersus Nisibin magnis & equitum & peditum copiis: duxit autem elephantos quoque quamplurimos, &c.] hæc quidem quod ad tempus pertinet. Res autem quo modo se habuerit, idem Theodoretus narrat his verbis [c]: C

c Theodoret. lib. 2. c. 30.

NISIBIS OBSIDETVR.

Cum Sapores Persarum Rex contra Romanos bellum gereret; Constantius collecto exercitu venit Antiochiam. Quo quidem tempore, dum moraretur Constantius Antiochiæ, hostes erant profligati non exercitus Romani viribus, sed virtute Dei, quem pij viri inter Romanos sancte coluerunt. Victoriæ autem ratione ac modum hoc loco exponere decreui. Nisibis vrbs, quam nonnulli Antiochiam Mygdoniæ appellant, in finibus, quibus Romanorum & Persarum terminatur Imperium, posita est, cuius Episcopus moderator & dux fuit Iacobus, de quo supra mentio facta est: in isto clari gratiæ Apostolicæ radij elucebant: cuius mirabilia & multorum celebrata sermonibus miracula, quoniam in historia, quæ inscribitur, Philotheus, complexus sum, ea rursus enumerare, vt superuacaneum, sic alienum ab instituto arbitror. Itaque vnum duntaxat narrationis præpositæ causa commemorabo. Vrbem, cui iste Episcopus præfuit, Romanorum ditioni subiectam, forte Persarum exercitus obsidebat: quam ad septuaginta dies obsessam, tametsi multas machinas mœnibus admouebat, & eam vndique varijs bellicis tentabat instrumentis, atque adeo vallo & fossa circumdabat, capere tamen non potuit. D

Postea alueo fluuii per mediam vrbem labentis, qui Mygdonius vocatur, satis longo interuallo supra vrbem obstructo, & ripis ad ingentem altitudinem, vti impetum aquæ inhiberent, exaggeratis: vbi videt tantam aquæ copiam, vt de cetero aggerem inundaret; subito eam velut machinam in murum præcipiti cursu ferri permittit: cuius impetus tam vehemens fuit, vt murus eum non potuerit sustinere, sed in alteram partem inclinatus, ad terram ruerit. eamdem calamitatem altera muri pars, per quam erumpebat fluuius, etiam passa est; quandoquidem cum aquæ violentiam ferre non posset, disturbata concidit. Quod vbi vidit Sapores, spem concepit animo, se nullo negotio reliquam vrbem expugnaturum. Atque ille quidem ideo quiescit, vt cœnosa aquæ inundatio aresceret, & flumen vado transiri posset. Postridie autem, vbi cum omnibus copiis vrbi appropinquabat, expectabatque per disiectas muri partes in eam ingredi: tum murum vtrinque de integro ædificatum, tum laborem a se frustra susceptum videt. Nam diuinus ille vir Iacobus suæ precationis virtute, non solum militum, aliorumque incolarum confirmauit animos, verum etiam murum denuo extruxit, & machinis oppositis hostes irruentes repulit: quas res perfecit non accedendo ad mœnia, sed intus in sacrosancto templo Deum precibus enixe solicitando. Sapores autem non modo ædificandi celeritate obstupefactus est, verum etiam visione quadam perterritus: Etenim vidit in ipso muro quemdam regali plane vestitu amictum, cuius purpura & diadema E

MIRACVLO VRBS DEFENDITVR.

A dema mire resplendescebant: quem Imperatorem Romanum esse suspicatus, minabatur illis mortem, qui nunciarant eum minime adesse. Qui cum constanter affirmarent, vera esse quæ dixerant, & Constantium Imperatorem esse Antiochiæ: intellexit cum visionis significationem, tum Deum pro Romanis (sic enim aiebat) bellum gerere. Itaque miser rem indignatus, telum coniecit in aerem, non quòd putabat Deum se posse ferire, quem sciebat corporis expertem, sed quòd impetum insaniæ suæ sustinere non potuit.

Eodem tempore Ephraim, vir sane admirabilis, & scriptor inter Syros facile excellentissimus, orat Iacobum, vt conscendat mœnia, barbaros conspicetur, & execrationis tela in eos conijciat: cuius postulationi obsequutus sanctus vir, in quamdam turrim ascendit: ac cum videret ingentem eorum multitudinem, non aliud est illis imprecatus, quàm vt cyniphes ac culices in eos immitterentur, vt minutarum bestiolarum morsu eius potentiam, qui ipsis B Romanis auxilium tulerat, agnoscerent. Qua re a Deo postulata, statim cyniphum & culicum examina, tamquam nubes, Persarum copiis circumfunduntur; atque tum elephantorum proboscidas, quæ sunt instar fistulæ, tum equorum & aliorum iumentorum aures naresque compleuerunt. Qui cum bestiarum morsus ferre non possent, frena rumpere, sessores deijcere, & aciem disturbare cœperunt; ac tandem relicto exercitu, fugiunt quantum possunt. Itaque miserrimus ille Rex, cum ex hac leui & clementi castigatione potentiam Dei, curam piorum gerentis perspexisset, inde domum reuertitur, ex ea obsidione non victoriam, sed ignominiam consequutus.] hactenus Theodoretus. hæc quidē felicia omnia Romanum Imperium meruisse per Iacobum eius loci Episcopum, declarauit euentus: nam quoad vixit ipse, licet sæpe munitio illa tentata, numquam tamen valuit ab hostibus capi: sed & eo ex hac vita sublato, quamdiu corpus illius Nisibi mansit (quod validissimum vrbi ex-C titit propugnaculum) plane facta est inexpugnabilis ciuitas illa, & numquam in Persarum Reges manus deuenit, quod suo loco dicturi sumus: non enim semel, sed sæpe virtute Iacobi Nisibin liberatam, testatur pariter S. Hieronymus in Chronico paucis his: Iacobus Nisibenus agnoscitur, ad cuius preces sæpe vrbs discrimine liberata est.] ita ipse anno primo Constantij Imperatoris.

CVLICIBVS VINCVNTVR HOSTES.

REX PERSARVM TVRPITER CADIT.

Hæc quidem satis, & plusquàm satis dixerimus, esse poterant Constantio, ad continendum se in fide Catholica, a cuius cultoribus Deo carissimis videbat tot tantaque præstari: cum a suis Eusebianis nequidquam tale, immo ne minimum quidē diuinæ gratiæ in illis vmquam elucere conspexerit. Fuerunt ambo hi, nempe Iacobus & Spiridion, præsentes sacrosancto Magno Nicæno Concilio, suoque ipsorum chirographo fidei Symbolo subscripserunt, cuius semper extiterunt acerrimi defensores: dederant enim hi sibi manus, qui in Ecclesia Dei D videbantur esse columnæ: quorum quidem signis atque prodigijs, tamquam a Moyse atque Aaron, potuisset de veritate Catholicæ fidei Constantius admoneri; nisi (quod ex suis Magis accidit Pharaoni) ab Eusebianorum præstigiis fuisset penitus dementatus. Meminisse quidem debuisset, quid ipsius pater sibi dederat in mandatis; nempe vt non Iacobum tantum viuentem coleret & obseruaret, sed eius quoque cadauer honore prosequeretur; ac proinde non abhorreret a fide, quam sciebat ab eodem sancto Episcopo prædicari. At ille sic virum viuentem atque defunctum coluit, vt tamen nequaquam ab Ariana impietate recederet: atque pro monstro plane sit habitum, illum ab ipso affici honore, a cuius sententia in fide Catholica procul abesset: conuocauit enim eum post hæc ad Encœnia Antiochena, vt suo loco demonstrabimus.

MAGNA CONSTANTII OBLIVIO RECTI.

Gennadius [a] cum de eius obitu agit, hæc quoque de Constantino atque Constantio in me-E moriam reuocat: Moritur (inquit) hic vir Constantij temporibus: iuxta præceptum patris eius Constantini, intra muros vrbis Nisibenæ sepelitur, ob custodiam videlicet ciuitatis: quod secundum Constantini fidem euenit. Nam post multos annos ingressus Iulianus vrbem, & vel gloriæ sepulti inuidens, vel fidei Constantini, cuius ob id domum persequebatur, iussit efferri de ciuitate sancti corporis reliquias; et post paucos menses, consulendi scilicet Reipublicæ causa, Iouianus Imperator, qui Iuliano successerat, tradidit barbaris ciuitatem, quæ vsque hodie Persarum ditioni cum finibus suis subiecta seruit.] sed de his suo loco prolixius.

a Gennad. de viris illustr. c. 1.

S. IACOBI ORITVS ET SEPVLTVRA.

Qui vero mirabilium rerum gestarum operatione adeo visus est coruscasse, doctrina quoque & rerum diuinarum eruditione haud leuiter tinctus, sed apprime imbutus fuit: Cur autem a S. Hieronymo in catalogo scriptorum illustrium minime fuerit recensitus, facile (inquit Gennadius) excusabitur, si consideremus, quòd ipsos tres vel quatuor Syros, quos posuit, in Græcum versos se legisse testetur. Vnde constat, eum illo

IACOBI NISIBENIS EPISCOP. SCRIPTA.

tempore ignorasse Syram linguam, vel litteras; et ideo hunc, qui necdum versus est in aliam **A** linguam, nescisse scriptorem. Comprehendit autem omne opus suum in vigintisex libris, De fide, Contra omnes hæreses, De charitate generali, De dilectione erga proximum speciali, De ieiunio, De oratione, De resurrectione, De vita post mortẽ, De humilitate, De patiẽtia, De pœnitentia, De satisfactione, De virginitate, De sensu animæ, De circumcisione, De acino benedicto, pro quo in Isaia legitur: Non est exterminandus botrus: De Christo, quòd Filius Dei sit & consubstantialis Patri, De castitate, Aduersus Gentes, De constructione tabernaculi, De Gentium conuersione, De regno Persarum, De persecutione Christianorum: composuit & Chronicon minoris quidem quàm Græcorum curiositatis, sed maioris fiduciæ; quia diuinarum scripturarum tanta auctoritate conscriptum comprimit ora eorum, qui præsumptuosa suspicione de aduentu Christi Domini nostri inaniter philosophantur.] hæc Gennadius, dum sui commentarij exordium Iacobi huius illustrat au- **B** ctoritate atque splendore. Vtinam tantum thesaurum Syri Græcis, & hi Latinis communicassent, sicut res ab eo præclare gestas nobiscum participarunt. Porro tanta viri memoria qualibet anniuersaria natali die non Syris tantum, sed Græcis atque Latinis, cuiuslibet anni periodo Idibus Iulij consummato, expectata reuertitur.

a Sozom. lib. 3. c. 15.

EPHREM DIAC. DISCIPVLVS IACOBI NISIB.

Cum autem in recitatis superius Actis Iacobi Nisibitæ Episcopi, facta sit mentio Ephrem diaconi Edesseni tunc Nisibi apud Iacobum adhuc agentis (Nisibi enim & ipse natus est, vt Sozomenus testatur [a]) apparet ipsum eodẽ Iacobo absque dubio in diuinis potissimũ litteris vsum esse magistro: etenim quinam alius, quod ad Syram linguã spectat, inuẽtus est hoc rẽpore Iacobo eruditione præstãtior? Num apud alios, quorum nulla fama extaret, quærendus sibi doctor esset, cum talem tantumq. toti Orienti conspicuum, quiq. cum eximia doctrina, vitæ quoque simul in omnibus incõparabilem sanctitudinem coniunxisset, domi, paternisque in la- **C** ribus secum haberet? Dignus plane tãto viro Ephrem discipulus extitit, cuius primordia, qualis quantusve ipse futurus esset, admirandis quibusdam signis diuinitus demonstrarunt: quæ ab ipsomet absque iactantia (longe enim ipsum ab omni cupidine humanæ gloriæ abhorruisse, eiusdem plane scripta, si alia deessent testimonia, aperte significant) aliquando amico communicata, a S. Gregorio Nysseno [b] his verbis sunt scriptorum monumentis posteris tradita:

b Greg. Nyssen. Vit. de S. Ephrem.

VISIO FACTA EPHREM.

Fertur (inquit) hæc ipse de se dixisse: sibi eum primum e tenera illa excederet ætate pueritiæ, arcana eiusmodi contigisse visa. Ipsi etenim iuxta linguam admodum fructifera enasci videbatur vitis, quæ quidem ita excrescebat, vt vniuersum terrarum repleret Orbem: cuncta autem cæli volatilia aduentabant, & de fructu eius comedebant: ipsa autem vitis, quanto plures volucres decerpenres fructus excipiebanr, tanto amplius racemis abundabat. **D**

ALIA VISIO DE EPHREM.

Aliud præterea quod ad ipsum pertineret, alius quidam se conspexisse testatus est: Angelorum scilicet copiam descendentem e cælo, volumen intus ac foris conscriptum detinere manibus: sic vero sanctam illam colloqui visam esse aciem: Quis putas volumen istud in manus accipiet? et hos quidem hunc, alios illum, alios vero alium ex præstantioribus eo tempore hominibus, respondisse. Deinde autem post omnium probationem subiecisse: Isti quidem sancti, ac ministri Dei sunt, sed hoc volumen in manus accipere nequeunt. Cumque iam varios ex tunc viuentibus nominassent, nec quisquam ex his placuisset: demum communi omnium consensu, in eam pariter conuenerunt sententiam, vt dicerent, a nullo alio volumen istud in manus posse sumi, præter quàm ab Ephrem Syro. Tuncque cælestes Angelos, idem conspexisse fertur, Ephrem volumen tradere: noctuque surgens, ad ecclesiam, visum illud conspiciens, perrexisse; auditoque ipso Ephrem, qui tunc insignem gratiaque plenam habebat **E** orationem, quid visum illud designaret, cognouisse, Deumque collaudasse, qui tam præclarum dicendi donum viro sancto tribuisset. Tantam enim sapientiæ abundantiam largitus illi Deus fuerat, vt quantumuis ei perpetui quasi verborum fontes suppeterent, rebus tamen explicandis pares nequaquam essent; illudque non tam linguæ tarditate, quàm cogitationis celeritate accidebat.] hæc Nyssenus de Ephrem adhuc adolescente, qua ætate ipse tum Nisibi (vt dictum est) morabatur, & magno illi Iacobo inhæreseebat. At de ipso Ephrem contingent sæpe inferius habere sermonem.

c l. 2. de honorar. codicil. C. Theod. & l. 24. de Decur. Cod. eod.

CONSTANTII CONSTITVTIO IN AMBIENTES MAGISTRATVS.

Quod autem ad politicum statum Romani Imperij pertinet: hoc eodem anno, iisdemque Consulibus Vrso atque Polemio, Constantius Imperator ad Aconium Catullinum Africæ Vicarium aduersus honores ambientes sic rescripsit [c]: Ab honoribus mercandis per suffragia, vel qualibet ambitione quærendis, certa mulcta prohibuit: cui addimus, vt quicumque fugientes obsequia curiarum, vmbras & nomina affectauerint dignitatum, tricenas libras argenti inferre

A ti inferre cogantur, manente illa præterita illatione auri, qua perpetua lege constricti sunt. PP. V. Kal. Decemb. Acc. XVII. Kal. Iunij Thamugadi, Vrso & Polemio Coss.]

Hos autem qui se sic intrusissent, idem honoribus priuandos esse censuit, ita ad eundem ijs ipsis Consulibus rescribens [a]: Quoniam emptæ dignitatis obtentu Curias vacuefactas esse, non dubium est: placuit, vt cuncti qui suffragijs dignitatum insignia consequuti sunt, immeriti honoris splendore priuati, ciuilium munerum solemnitate fungantur. Eorum sane intemeratas inconcussasq. dignitates volumus permanere, qui vel iudicio prouinciarũ in officium legationis electi sunt, vel honestis testimonijs, adminiculis enitentes, talium dignitatum priuilegia insigniaq. meruerunt. Dat. V. Kal. Nouemb. Emesa, Vrso & Polemio Coss.]

Idemq. ad Afros hæc de famosis libellis hoc anno rescripsit [b]: Libellis, quos famosos vocant, si fieri possit, abolendis, inclytus pater noster prouidit: et huiusmodi libellos ne in cognitionem quidem suam vel publicam iussit admitti. Non igitur vita cuiusquam, non dignitas concussa his machinis vacillabit. Nam omnes huiusmodi libellos concremari decernimus. Dat. XIIII. Kal. Iulij, Vrso & Polemio Coss.]

Sed & illud aduersus occultos delatores edixit Reipublicæ vtile [c]: Innocentiam securitate firmantes, & quorumdam audaciam prohibentes, edictum promulgauimus, ne quid occultis delationibus possit in hominum licere fortunas. Dat. pridie Id. Iun. Viminaci, Vrso & Polemio Coss.]

a l. 15. de Decurion. C. Theod.

DE FAMOSIS LIBELLIS ET DELATORIBUS.

B

b l. 5. de libel. famos. Cod. eod.

c l. 4. de petition. Cod. Theodos.

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTINI CONSTANTII IMPP. CONSTANTIS
339.	3.	3.

C

Trecentesimus vndequadragesimus Christi annus, Consulibus duobus Augustis Constantio secundum & Constante, tam in Græcis quàm in Latinis indicibus reperitur inscriptus. Quo tempore Ariani, indigne ferentes Athanasium in Ecclesiam restitutum, vt eum iterum deturbarent, præter veteres in ipsum coagmentatas calumnias, nouas illis superaddentes, legationem aduersus eum mittunt ad Romanum Pontificem, & ad Occidentis Imperatores Constantinum atque Constantem. Testatur id ipse Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes, in qua inter alia hæc leguntur: Eusebiani igitur videntes hæresin suam succumbere, & Romam & ad Imperatores Constantinum & Constantem contra Athanasium scribunt.] de hisce illorum litteris ad Iulium Papam calumniarum plenis meminerunt Episcopi Aegypti ex Concilio Alexandrino in sua ipsorum Synodali epistola, de qua agemus D inferius. Legati autem qui Romam ab Eusebianis ad Iulium Pontificem missi sunt, fuerunt Macarius presbyter, Martyrius & Hesychius diaconi, prout eiusdem Iulii Papæ litteræ significant. Horum petitio potissima illa fuit, vt Tyri facta Athanasii damnatio rata haberetur; detuleran tq. secum Legati Acta Tyria ab ipsis Eusebianis tunc ex animi volũtate composita. Quid autem Romæ actum sit, dicemus inferius: quid vero illi apud Imperatorem, Athanasius vnico verbo absoluit, cum addit [d]: Sed quia ab Athanasio missi Legati mendacia eorum refutabant, ab Imperatoribus cum pudore reiecti sunt.] ita ipse.

ARIANI RVRSVM INSVRGVNT IN ATHANASIVM.

d Athanas. epist. ad Solitar.

At quænam hæc fuit legatio, quam ad Legatos Arianorum confutandos missam a se dicit? Non aliam quidem putamus, quàm illam missam a Synodo Alexandriæ tunc temporis eadem de causa ex Episcopis Aegypti Alexandrinæ Ecclesiæ subiectis congregata; in qua aduersus omnes Eusebianorum accusationes tum veteres Tyri productas, tum etiam ab eisdem E recens excogitatas, scripta est Synodalis epistola ad Iulium Romanum Pontificem, & ad omnes Episcopos Catholicæ cõmunionis toto Christiano Orbe diffusos: per ipsam enim egregie confutantur omnes ab eis in Athanasium diuersis ex causis comparatæ calumniæ. est prolixa quidem epistola, ex qua nos ea tantum prosequemur, quæ spectant ad tria illa superaddita ad veteres criminationes capitula: recitatur vero integra ab Athanasio, ipso ferme suæ secundæ Apologiæ exordio [e].

LEGATIO AB ATHANASIO MISSA IN OCCIDENTEM.

e Apud Athanas. Apolog. 2.

Ceterum meminisse debemus Athanasium post reditum Alexandriam tribus ab Eusebianis accusationibus esse vexatum: nimirum, ipsum in suo reditu a populo magno acceptum mærore, eodemque tempore cædes plurimorum patratas esse: Quòd insuper, quia a Synodo damnatus esset, absque Synodo sedem recipere temere atque contra canones præsumpsisset: Rursum vero, quòd frumentum solitum exhiberi ex Constantini Imperatoris liberalitate Aegypti ac Libyæ viduis, surripuisset. Porro Synodalis epistola sic se habet:

TRES ADDITAE ACCVSATIONES IN ATHANASIVM.

Sancta Synodus Alexandriæ congregata ex Aegypto, Thebaide, Libya, Pentapoli, omnibus

EPISTOLA SYNODI ALEXANDRINAE. a Athanas. Apolog. 2.

nibus vbique Ecclesiæ Catholicæ Episcopis, dilectis & desideratissimis fratribus in Christo, A salutem.] licet autem in hac inscriptione nulla specialis mentio habeatur Iulij Romani Pontificis; scriptam tamen esse ad Iulium, testatur S. Athanasius in fine ipsius, quam recitat, epistolæ, vbi ait: Hæc quidem Aegyptij ad omnes, & ad Episcopum Romanum Iulium scripsere.] Epistola vero sic inchoatur:

Poteramus quidem, dilectissimi fratres, etiam statim ab initio conflatæ in Athanasium criminationis, deinde post eius Alexandriam ingressum respondere super fictis criminationibus Eusebianorum, eosq. de iniurijs in comministrum nostrum illatis accusare, simulque ostendere, quàm nihil nisi meras calumnias obiecissent: sed quia tempora illa nihil tale permittebant, vt & ipsi nostis: et quia arbitraremur, post restitutionem Episcopi Athanasij, eos vultum summittere, & pudore in tam apertis iniurijs suffundi: putauimus rem silentio prætermittendam esse, maxime post tantas eius viri calamitates, profectionesque, B & vitam, relicta domo, peregre actam, post tanta pericula, quibus minimo minus perierat, rem vrgentibus calumniosis hominibus, nisi humanitas Imperatoris obstitisset.] hæc ipsi dicentes, alludunt ad accusationem illam priorem in Athanasium ad Constantinum delatam criminis maiestatis, cum petierunt contra eumdem lege agi. sed subdunt:

ARIANORVM IN ATHANASIVM CONATVS. b Prouerb. 15. c Sap. 1.

Tot malis cum nemo non hostium etiam crudelissimorum exatiari potuisset: ipsi tamen effrontes, insatiabilesque permanent, sæuiuntq. denuo & in Ecclesiam & in Athanasium, ægre ferentes illius liberationem: ac proinde atrociora molientes, cupide ad nouas criminationes prosiliunt, nec timent illud quod in sacris litteris scriptum est[b]: Falsus testis impunitus non erit. et: Os[c] quod mentitur, occidit animam. Ideo fit, vt silentium diutius retinere nequeamus. Admiramurq. eorum malitiam, & insatiabilem in struendis insidijs peruicaciam. Ecce enim, nulla sumpta quiete, rursum Imperatoris aures contra nos C irritant, neque vsquam cessant litteras parricidales scribere, quo Athanasium ipsorum hæresi aduersarium e medio tollant. Siquidem iam denuo accusatrices litteras contra Athanasium Imperatoribus porrexere, iteratis calumniis homicidia ei obiectantes, quæ numquam facta sunt: ac denuo illum coniurationibus suis opprimere student, imputatis cædibus, quæ numquam factæ sunt. Et fortasse tunc eum calumniis suis interfecissent, nisi humanum Principem nacti fuissemus: eumdemque denuo (vt, quod minimum malorum est, referamus) in exilium protrudere satagunt: et ob id calamitates exulum quasi ab eo factas se deplorare simulant, cum reuera plorent, nihil a nobis tale designatum esse.] et paulo post:

Tot enim cædes, hominumque mactationes, quas ne profanus quidem homo & curiosus, & consectator criminum in calumniis diceret; ea ipsi effundere minime veriti sunt, non D solum apud Præsidem aut alium quemuis magnum virum, sed & apud tres Augustos: neque in eam rem longitudines itinerum illis graues fuere, dummodo omnia maiora tribunalia calumniis implerent: calumnia enim est quam tentant, eaq. grauissima & maxime omnium capitalis, idq. in summis omnium rerum humanarum tribunalibus. Quis enim alius istius quæstionis finis, nisi vt mors Ecclesiastico tumultu inferatur?] et post multa, cum diluunt accusationes in Athanasium congestas, hæc subdunt[d] de iis quæ illi obiiciebant, homicidia & cædes hominum perpetrata esse in reditu Athanasii Alexandriam:

d Ead. Apolog. 2.

DILVVNTVR CRIMINATIONES ARIANORVM.

Cædes, inquiunt, omnino nulla neque ab Athanasio neque per Athanasium commissa est: quapropter cum ad hanc inexpectatam defensionem aduersariorum iniquitate propellamur, nonnihil indulgendum est necessitati excusationis. Cædes igitur & vincula aliena sunt a nostra Ecclesia: carnifici neminem vmquam Athanasius dedidit; neque carcerem, quantum E in ipso fuit, vinctis tradendis fatigauit. Sacraq. nostra, vt in præsentia, perspicua scilicet, ita etiam semper pura, innocentiaque fuere, nonnisi Christi sanguine, eiusque cultu sanctificata: neque presbyter, neque diaconus ab Athanasio interfectus est, neque cædem vlli aut exilium irrogauit. Vtinam illi, qui veram persecutionem induxerunt, nihil tale contra eum perpetrassent: nullus enim opera eius patria excidit: ipse autem ab istis in exilium actus est: quem nunc iterum, quia ab ea relegatione liber dimittitur, grauioribus criminibus repetentes, linguam suam ad omnia falsa & crudelia exacuunt. Quin immo Iudicum Acta, & damnatos a Præfecto, vt ipsi in suis scriptis fatentur, ad Athanasij culpam transferunt: adeo nihil illos pudet, sæuitiæ Athanasij imputant: cum Athanasius per id tempus nondum Alexandriam ingressus fuisset, vt per Syriam in itinere ab exilio reuerteretur. Quòd si longinqua absentia excusationem affert, ne quis reus habeatur: quin si Præses aut Præfectus Aegypti aliquid facit; quid Athanasio remotius a crimine? qui si vel in ipsa Alexandria

A xandria fuisset; quid tamen illi, quæso, cum negotijs Præfecti? Atqui in illis locis non erat; neque ad ea quæ acta sunt a Præfecto, res Ecclesiasticæ occasionem dederunt: sed vnde id natum sit, ex monumentis Actorum intelligetis, quæ nos cognitis illorum scriptis, & re perquàm diligenter explorata, ad vos misimus.] hæc & alia multa pro defensione Athanasij de cædibus obiectis Patres.

Postea vero retexunt criminationes in eum in Tyrio Conciliabulo proditas; Actaq. Tyria inania, dolosa, factiosa, atque tyrannica plane fuisse, pluribus docent; ac proinde inanem reddunt obiectionem illam aduersariorum dicentium, damnatum Athanasium a Synodo, nonnisi per Synodum restituendum fuisse; dum perspicue demonstrant, nomen non meruisse Synodi, Eusebianorum Conuenticulum, in quo præfuisset Comes, adstaret spiculator, appareret Commentariensis, & vniuersum Officium ad delinquentium quæstiones & damnato- *TYRIVM CONVENTICVLVM INDIGNVM NOMINE SYNODI.*
B rum pœnas exhiberi solitum, vbi & cuncta per vim publicam atque metum agerentur, prout suo loco superius, eiusdem epistolæ verba recitando, dictum est. Demum ad tertiam recentem obiectionem deueniunt, cum sic aiunt [a]:

Verum quid obtrectationum passus sit Athanasius sacrorum nobiscum comminister, necessarium relatu est; vt vel hinc deprehendatis, nihil illos aliud nisi cædem viri quærere. Frumentum dabatur a patre Imperatorum in alimentum viduarum partim Libycarum, partim Aegyptiarum, quod etiam nunc accipiunt, Athanasio nihil inde nisi operam & laborem referente. Interim dum & illæ perciperent, nec vlla querela esset de non accepto alimento, idq. ipsæ faterentur; accusatur per calumniam Athanasius, quòd vniuersum frumentum diuenditum in suos vsus sepósuisset: certe hoc Imperator istorum calumnijs inductus, in suis litteris conqueritur.] ac demum ad eamdem calumniam conuincendam hæc addunt: Misimus autem
C ad vos testimonia comministrorum nostrorum, qui in Libya, Pentapoli, & in Aegypto degunt; vt etiam inde cognoscatis illorum in Athanasium sycopbantias: quod ideo faciunt, vt ceteris per metum, qui piæ opinionis sunt, quiescentibus, impia Arianorum hæresis introducatur. Nos autem vestræ prudentiæ gratias agimus, dilectissimi, quòd sæpius anathemate Arianos notastis, neque illis locum in Ecclesia dedistis.] Fuisse autem has ipsas accusationes recens excogitatas, ac postea etiam examinatas in Concilio Antiocheno ab eisdem Eusebianis congregato, Socrates [b], Sozomenus [c], & alij [d] quoque testantur. At post hæc ijdem Patres addunt [e]:

a Ead. Apolog. 2.

TERTIA DILVITVR CRIMINATIO.

In proximo autem iam est, vt ex terum documentis appareat, quales Eusebiani sint. Ecce enim post prima eorum de Arianis scripta, quorum antigrapha ad vos misimus, aperte iam Arianos homines, atque eo nomine ab vniuersa Ecclesia anathemate condẽnatos contra Ec-
D clesias irritant, Episcopumq. illis constituunt, diuulsis a seipsis per metum Ecclesijs, quo illis vbique suppetant cooperatores suæ impietatis: ac proinde diaconos suos ad Arianos legant, propalam cum Arianis communione sumpta: litterisq. vltro citroq. missitatis, Ecclesiam in schisma conijciunt, eaq. passim scribunt, quæ & hæresin commendant, & Ecclesiam conuiciis lacerant, vt ex litteris eorum ad Romanorum Episcopum, & fortasse ad vosipsos scriptis deprehendere potestis. Quàm igitur ista inulta esse non debeant, etiam vos, dilectissimi, animaduertitis; grauia enim sunt & aliena a Christi doctrina.

b Socrat. lib. 2. c. 8. in fin.
c Sozom. lib. 3. c. 5.
d Theodoret lib. 2 c. 3.
e Apud Athanas. Apolog. 2.

ACCVSATORES DETEGVNTVR ARIANI.

Hac certa de causa in publico Conuentu de consilio omnium has litteras ad vos dedimus, quibus oramus vestram in Christo prudentiam, vt recipiatis hanc de Athanasio contestationem: et commercium communionemq. eius admittite, & zelum indignationemque contra Eusebianos, qui istiusmodi tentant, induite, ne diutius eiusmodi prauitas & malitia contra
E Ecclesiam inualescat: vos certe vindices huius iniustitiæ imploramus, citantes illud Apostolicum verbum [f]: Auferte mala ex vobis. Mala enim reuera sunt & indigna communione, quæ ab illis designantur. Ne igitur illis aurem præbueritis, si denno ad vos contra Athanasium Episcopum scribant: quidquid enim ab illis proficiscitur, falsum est, etiamsi nostra Aegyptiorum Episcoporum nomina epistolis suis adscribant. certum enim est, nos non eos esse, quorum nomina in scriptis subiiciunt, sed Meletianos homines perpetuo schismaticos, qui etiam nunc Ecclesias turbant, & seditiones commouent, constitutionesq. absurdas & propemodum Ethnicas faciunt, eaq. designant, quæ quoniam abominamur scribere, ex nostris Legatis, qui vobis hanc epistolam afferunt, cognoscere poteritis.] hactenus epistola Synodalis Episcoporum Aegypti, quam (vt dictum est) cum ad omnes dederunt Episcopos, tum potissimum ad Iulium Romanum Pontificem per Legatos misere. Itaque eodem simul tempore Legatos Arianorum, atque Legatos Aegyptiorum Catholicæ fidei Episcoporum ex Concilio

PERORATIO CVM EXHORTATIONE.

f 1. Corinth. 5.

Alexandrino contigit Romæ præſentes eſſe; et cauſam ob quam miſſi erant, agere coram eodem Iulio Romano Pontifice. A

Quid autem inter eos actum ſit, idem ipſe Iulius ſuis litteris, quas poſtea dedit ad Arianos, his verbis ſignificat [a]: Legati veſtri Macarius presbyter, & Heſiochus * diaconus, nullo modo, cum huc veniſſent, pares presbyteris ab Athanaſio miſſis fuere; ac ſemper ab illis conuicti, refutatique, Concilium indici poſtularunt; litterasq. & ad Euſebianos, & Athanaſium Alexandriam, quibus conuocarentur, mitti; vt coram omnibus iuſto iudicio de cauſa cognoſci poſſet: tum enim ſe de Athanaſio probaturos eſſe, quod iam nequirent: publice enim coram nobis Martyrius & Heſychius refellebantur, Athanaſij presbyteris bona cum fiducia alacriter reſiſtentibus. Martyrius vero cum ſuis (ſi vera dicenda ſunt) vbique profligabatur, ac proinde Concilium generale poſtulauit.] et inferius de ijs quæ itidem per Legatos Athanaſij Romam allata ſunt Acta Synodalia de cauſa eiuſdem Athanaſij (vt vidimus in ſuperius recitata epiſtola) mentio habetur, cum agitur de damnatione Athanaſii facta Tyri ab illis qui cum Arianis communicabant; atque ſic ſubditur: B

a Apud Athanaſ. Apolog. 2.

* Heſychius

QVID ACTVM ROMAE PER VTRIVSQVE PARTIS LEGATOS.

Hæc ita eſſe, ex iis quæ Alexandriæ acta ſunt, deprehendimus. Nam Carponas quidam ab Alexãdro ob Arianam hæreſin cum quibuſdam aliis eiuſdem criminis reis olim citatus huc ad nos venit, miſſus a Gregorio. Idipſum quoque ex Macario presbytero, & Martyrio, & Heſychio diaconis didicimus (erant hi Legati Euſebiani) qui antequã iudicio ſe ſiſterent, Athanaſii presbyteri auctores nobis fuere, vt ſcriberemus Alexandriam cuidam Piſto: quo tempore etiam tum Athanaſius Epiſcopus Alexandriæ verſabatur. Hunc autem Piſtum Athanaſii presbyteri ſuperuenientes docuerunt Arianum eſſe, & eo nomine & ab Alexandro & a Synodo Nicæna reum factum, gradusq. ordinis ſui a quodam Secundo (erat hic Epiſcopus Pentapolitanus) quem Magna Synodus vt Arianum reiecerat, accepiſſe. Videtis igitur vel ex hac cauſa, qui potius in culpa habendi ſunt; nos ne qui perſuaderi non potuimus, vt Ariano Piſto litteras ſcriberemus; an illi, qui mihi conſilium dedere, vt contempto Magno Concilio, ad impios hæreticos veluti ad pios homines litteras darem.] C

Intelligis plane lector, ſolitas exerceri ab hæreticis technas atque verſutias (quod quamplurimis exemplis eſt frequenter ſuperius demonſtratum) conatosque eſſe Euſebianos Legatos ſuffurari communionem Romanæ Eccleſiæ, quo gloriari poſſent, ſe haberi Catholicos; ob idq. niſos eſſe perſuadere Iulio Papæ litteras Piſto illi, quaſi Catholico, pacificas dare; quem tamen ex Actis quoque Magni Nicæni Concilii Arianum eſſe conſtaret.

ARIANI CONATI SVFFVRARI COMMVNIONEM ROMANI PONT.

Sed quid præterea, cum Piſtus Romam vocatus aduenerit, factum ſit, idem Iulius Papa in eadem epiſtola ſubdit his verbis: Certe Macarius presbyter cum Legatus ab Euſebio veneraт, vbi audiuit Athanaſii presbyteros Piſto obſiſtere, noſque eius præſentiam non admittere; vna cum Martyrio & Heſychio, quamuis graui valetudine, de nocte profectus eſt: vt non incongrue diuinaremus, eum impatientia refutati Piſti, fugam arripuiſſe.] hæc Iulius, hicq. finis legationis Arianorum. Porro eiuſmodi iudicium & cauſæ examinatio facta ab vtriuſque partis Legatis, quanto temporis ſpatio fuerit conſummatum, licet certum quid definiri non poſſit, tamen nequaquam huius anni ſpatio expleri valuiſſe videtur; ſiquidem poſt alias moras expectandus fuit aduentus Piſti Alexandria Romam: dum enim inter vtriuſque partis Legatos cauſa agitaretur (vt dictum eſt) mittitur qui Piſtum Alexandria Romam citet: ſic ille vocatus, contulit ſe Romam ad iudicium, vbi a Legatis Athanaſii confutatus, atque hæreſis conuictus eſt Arianæ. D

PISTVS REIICITVR A ROM. PONT.

Sic igitur Synodus a Iulio Papa ob eamdem cauſam nequaquam præſenti anno indicta eſt, ſed ſequenti: quod ex aliis quoque rationibus ſuo loco dicendis manifeſtum omnino reddetur. Iulius ergo quantumlibet ex Actis Tyriæ Synodi Romam allatis ab ipſis Euſebianorum Legatis, aliiſque (vt vidimus) ab aduerſæ partis Legatis miſſis a Concilio Alexandrino editis cauſam pleniſſime cognouiſſet; atque inſuper Euſebianos labefactatos eſſe Arianorum cõmunione, cum ex teſtificatione Carponæ, qui & ipſe ex Aegypto citatus Romam venit, tum etiam ex Piſto ab Athanaſii Legatis conuicto ſatis perſpectum habuiſſet: tamen quòd Legati Euſebianorum generalem Synodum petiiſſent, idipſum indulſit, ne quando de iniquo & nimis propere exhibito iudicio Romani Pontificis conqueri poſſent. E

QVID INDVLGET IVLIVS ARIANIS.

At licet Legati Euſebianorum plane conuicti atque confutati, rubore ſuffuſi, clandeſtine noctu ab Vrbe receſſerint, veriti nimirum ex Piſti examine ſententiam Iulii: tamen allata Romam ab illis Acta Tyria, ac Mareotica a miſſis tunc Tyro Legatis olim confecta, ibidem inter alia publica iudicii monumenta remanſere: id quidem Deo permittente, ne ab illis tam turpia atque

ACTA TYRIA ROMAE RELICTA.

A pia atque deformia, sibiq. ipsis (vt Athanasius conuincit) sæpe contraria, omni dolo atque fallacia Acta contexta, obliuione aliquando (quod ipsi optassent) deleri contigisset. Ex illis enim Eusebianos calumniæ conuictos esse in Romano iudicio, Iulius tunc quoque testatur, cum ait [a]: Sed ex monumentis Actorum per Martyrium & Hesychium allatis cognouimus: ea enim perlegentes inuenimus accusatorem Ischyram ibi præsto fuisse, &c.] Quorum quidem pudendorum Actorum exemplar idem Iulius Alexandriam misit ad Athanasium: testatur id ipse Athanasius, cum de illorum enormi inter se discrepantia turpiq. inconstantia verba facit, atque ait [b]: Illi ergo Actorum monumenta, quæ habebant, suppresserunt, & Notarijs ini unxere, vt ea amolirentur, neque vlla exemplaria vulgari sinerent: sed frustra hæc omnia: nam qui ea scripsit, Rufus est, qui nunc in Augustalliana spiculatorem agit, & testis eius recitari potest. Atque adeo ipsi Eusebiani ea per suos Romam miserunt: eademque illa ab Iulio B Episcopo ad me transmissa sunt. Insaniunt igitur sua arcana apud nos haberi & a nobis recitari.] hæc ipse. Petijsse vero Legatos Alexandrinos a Iulio eorum exemplar mittendum ad Athanasium (vt in iudicio accidit) quo ille pararet se ad dicẽdam causam, & erroris ea redarguenda in futura Synodo, par quidem est existimare. At quo minus Ariani ratione valerent, eo magis vi sibi agendum esse proponunt. quid autem post hæc moliti sint, dicemus annis sequentibus.

a Epist. Iul. apud Athanas. Apolog. 2.

b Athanas. Apolog. 2.

Hic ipse annus est etiam, quo S. Antonius ille Magnus, monachorum pater, diuino eleuatus spiritu, horribilem visionem illam de immensa Ecclesiæ clade ab Arianis inferenda præuidit atque prædixit, biennio scilicet antequàm fieret: recitat eam S. Athanasius in rebus gestis Antonij his verbis [c]: Lamentabilis sequitur visio & omni lacrymarum fonte plangendà. Cum autem cum fratribus circa se considentibus operaretur: intente fixit oculos in cælũ, gemens at- C que suspirans: et post aliquantum spatium reuelationis incœptæ nimio dolore contremuit: et statim fixis genibus ante Dei vultum prouolutus orauit, vt clementia sua futurum scelus auerteret. succedunt orationi lacrymæ: metus ingens inuadit præsentes: obsecrant, vt tantæ calamitatis exponeret visionem. Singultus occupant vocem, lingua fletibus præpeditur, & in medio conatu sermo gemitu interrumpitur. Vix tandem vociferatione fluctuosa ait: Melius erat, o filioli, impendens piaculum cita morte lucrari. Sic incipiens, rursus lacrymis vincitur: et inter ægra suspiria tandem pectori accommodans vocem: Magnum, inquit, quoddam & vniuersis sæculis inauditum imminet nefas. Magno fides Catholica turbine subuertetur; et homines iumentis similes Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. hæc est causa gemituum meorum, quos audistis. Et facta est vox Domini, dicens: Abominabitur alta- D re meum.

c Athanas. in Vit. Antonij.

VISIO FACTA ANTONIO MAGNO DE ARIANIS.

Nec mora, visionem sequitur effectus: nam post duos annos sæua Arianorum irrupit insania. Tunc ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc diuinorum temeratio vasorum; tunc pollutis Ethnicorum manibus sacra polluta sunt ministeria; tunc paganorum opificum præsidia aduersus Christum comparata cum assumptione palmarum (quod idololatriæ apud Alexandriam insigne est) ad ecclesiam pergere compellebantur Christiani, vt Arianorum populi crederentur. Pro scelus, horret animus replicare quæ gesta sunt. Virginum, matronarumq. ereptus pudor; sanguis ouium Christi in Christi templo effusus veneranda respersit altaria: Baptisterium pro voluntate Gentilium pollutum est. Nihil defuit: visionis veritatem monstrauit effectus, quòd calcitrantium mulorum indisciplinatio, Arianorum esset impietas. Sed istam tristitiam consequentis reuelationis prosperitate consolatus est, & ait: Nolite, filioli, E mærori vos penitus dare: vt enim oratus est Dominus, sic rursum miserebitur, & suum cito Ecclesia recuperabit ornatum; eosq. qui in persecutionibus fidem Domini seruauerint, solito videbitis fulgore relucentes: reuertentur ad foueas suas serpentes, & religio longius propagabitur: tantum videte, ne fidei vestræ sinceritas labe Ariana sordescat: non Apostolorum, sed dæmonum, & patris eorum diaboli est ista doctrina: ob id per insipientiam iumentorum similis pecudum eorum expressus est animus. hucusque Antonius.] Atqui tragica hæc atque lugubria suo loco fusius explicabuntur, cum scilicet agemus de Gregorij facta per Arianos inuasione post annos duos in Alexandrinam Ecclesiam.

VISIONIS EFFECTUS.

Meminit quoque huius magnæ visionis Antonio demõstratæ S. Ioãnes Chrysostomus, cum primum huiuscemodi laudum præconio virum exornat [d]: Consideret virum per cunctorum vsque hodie ora volitantem, quem Apostolis proximum Aegyptus protulit: dico beatum & Magnum illum, de quo sæpe audistis, Antonium: et respiciat quòd hic quoque illius fuerit regionis indigena, cuius etiam Pharao, sed nihil sit inde vitiatus. Nam & visione Dei dignus est habi-

d Ioan. Chrysost. hom. 8. in Mat.

CHRYSOSTOMVS DE ANTONIO MAGNO.

est habitus, & talem vitam prorsus ostendit, qualem leges Christi requirunt. Hoc autem facile A cognouerit quisquis eum legerit librum, qui vitæ eius texit historiam, in quo etiam prophetiam lucentem videbit. De his enim quos Ariana pestis inuasit, manifestissime prophetauit; quantaq. Ecclesijs labes ab illis immineret, docuit, Deo vtique reuelante hæc, & cuncta ante oculos eius figura pingente. Quod certe vel præcipuum Catholicæ fidei documentum est, nullum videlicet hæreticorum talem posse monstrari. Sed ne a me hæc audire videamini, ipsum potius librum legentes, diligentius cuncta discetis, vt maxima inde philosophiæ incitamenta capiatis.] hactenus ipse. Sed rursum quod ad eam visionem Magno S. Antonio demonstratam spectat; illud etiam admonendum, errare eos qui ipsam illi ostensam putarunt antequàm Arij hæresis exoriretur: non enim emergẽtis hæresis, sed futuræ cladis per Arianos infligendæ ea fuit illi visio præmonstrata: nam longe post exortam Arij hæresin id fieri contigit, cum iam antea de cauendis atque virandis Arianis sæpe suos admonuisset, atque ante hæc B quoque scripsisset olim ad Constantium ac filios, & secessisset in montis interiorem solitudinem: quæ quidem omnia longe post ortam hæresin Arianam acciderunt.

a l. 1. C. de hæret.

b l. 1. de hæret. Cod. Theodos.

c l. 4. Quorum appell. C. Theod.

LEX IMPP. ADVERSVS ADVLTEROS.

Hoc eodem anno ijsdemq Consulibus dara lex [a] illa reperitur aduersus hæreticos, vt a priuilegijs Catholicæ legis cultoribus concessis omnino excluderentur; at in Codice Theodosiano [b] tempore Constantini Magni ea dara habetur septimn Consulatu ipsius, vbi ipsam retulimus. Iisdem Consulibus aduersus adulteros ab Imperatoribus lex sancita est, ad Catullinum sic rescribentibus [c]: Oportuerat te, publici instituti respectu, confessione detectos legum seueritate punire; nec frustra vitam differentium moratorias prouocationes admittere: sed delatum adulterij crimen, & quæstionibus adhibitis approbatum, pari sceleris immanitate damnare. Quod deinceps in huiusmodi criminibus conuenit obseruari, vt manifestus probationibus adulterio probato, frustratoria prouocatio minime admittatur: cum pari similiq. ratione sacrilegos nupriarum tamquam manifestos parricidas insuere culleo viuos, vel exurere, C iudicantem oporteat. Dat. IV. Kalen. Septemb. Constantio A. II. & Constante Cæs. Coss.] Cum igitur Imperatores nuptiarum corruptores sacrilegos nominent, & tam diro supplicio eos plecti voluerint: plane declaratur, alia ratione habitum Christianorum matrimonium a Gentilium nuptijs, quod vt Ecclesiæ peculiare sacramentum, ijdem sacre religioseq. custoditum, tam immanibus pœnis appositis voluerunt.

LEX ADVERSVS EMPTORES MAGISTRATVVM.

d l. 7. de Iudæis. Cod. Theodos.

Oblata rursum querela de emptitijs magistratibus Constantinus iunior agens Treueris sic ad Celsinum rescripsit: Rarum Carthaginis splendidissimæ Senatum, & exiguos admodum Curiales residere conquestus es, dum vniuersi indebitæ dignitatis infulas fœda familiaris rei vexatione mercantur. Igitur istiusmodi viri, demptis honoribus imaginarijs, huiuscemodi illi erunt, quos fuerunt consequuti, ciuicis muneribus subiugentur. Quod quidem per omnem Africam solertissime seruari oportet. Dat. VI. Id. Ian. Treuer. Constantio II. & Constante Coss.] ex quo quidem rescripto liquet in Imperij diuisione prouinciam Africæ cessisse Constantino, non autem Constantio, vel Constanti, vt alij dicunt: sed Constantino vita functo, ca- D dem sub ditionem Constantis redacta est, vt suo loco patebit. Hoc pariter anno ad Euagrium Constantius rescripsit, ne sub capitali pœna Iudæi Christianas feminas ducerent in vxores [d]. At de rebus hoc anno gestis, satis.

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTINI CONSTANTII IMPPP. CONSTANTIS
340.	4.	4.

ROMANA SYNODVS IN CAVSA ATHANASII.

e Athanas. ad Solitar.

f Athanas. Apolog. 2.

Quadragesimus Christi annus supra centesimum Acindini & Proculi Consulatu adscri- E bitur Fastis: quo a Iulio Romano Pontifice indicitur Synodus in causa Athanasij, quam (vt vidimus anno superiore) Legati Ariani visi essent exposcere. licet autem reuera ea potius fuerit iusta quædam apparens tergiuersatio, vt sic vitarent potius aduersus se pro Athanasio pronunciandam a Romano Pontifice sententiam, quàm Synodi ex animo postulatio facta: nihilominus ne quid in eos tyrannicum a Iulio Papa ijdem quererentur perpetratum, indulsit ille benigno animo petitioni ipsorum. De hac quidem indicta Synodo hæc Athanasius habet [e]: Episcopus autem Romanus Iulius Synodum iussit fieri vbicumque vellemus, vt tuto & crimina obijcerent, & inuicem sibi obiecta refutarent: id enim eorum Legati, cum se vinci animaduerterent, postularunt.] de eadem quoque Legatorum postulatione sic idem alibi [f]: Quin & Eusebiani ad Iulium litteras misere, & vt nos terrerent, Synodum iusserunt conuocari; et ipsi Iulio, si vellet, arbitrium causæ detulerunt.]

A Ceterum vocandi Eusebianos ad Synodum, ea quoque causa præcessit, quòd cum Marcellus Episcopus Ancyranus & alij complures ab iisdem Eusebianis iniuria affecti venissent Romam, aduersus eosdem Iulio Romano Pontifici accusationum libellos dederant; quibus vt illi satisfacerent, Romam ad Synodum a Iulio vocantur. testatur id Iulius ipse in litteris postea ad eos scriptis, quibus hæc ait [a]: Et hæc potissima mihi scribendi causa fuit, vt huc veniretis, quo vobis præsentibus omnia corrigi & sanari possent: ac proptetea alacrius a vobis & sine recusatione occurrendum fuit, ne qui hactenus infamia istorum scelerum laborant, contumacia non comparendi in iudicio, libellos contra se datos, videantur refellere non potuisse.] hæc Iulius: quibus vides, lector, pristinum vsum, nimirum passos iniuriā ab alijs Episcopis, ex Oriente quoque migrare ad Romanam Ecclesiam, eiusque Pontifici dare libellos aduersus eos a quibus vexati essent, consueuisse.

a Apud Athanas. Apolog. 2.

B Cum hæc igitur præcessissent, citantur a Iulio ad Synodum Eusebiani, præscribiturq. ab eo certa dies, qua deberent iudicio sisti: quod litteræ postea ab eodem ad illos scriptæ aperte significant, quibus pariter declaratur, tunc ab ipso Romano Pontifice missos esse Legatos Elpidium & Philoxenum. De his enim, præter illa quæ habentur ex dictis Iulij litteris, ipse Athanasius meminit, cum ait [b]: Iulius vero presbyteros suos Elpidium & Philoxenum cum litteris ad Eusebianos misit, certum diem definiens, vt aut præsentes se sisterent, aut cognoscerent se omnibus modis suspectos haberi.] harum litterarum ipse mentionem habet Iulius in epistola ad eos postea data, cum ait [c]: Tametsi solus sim qui scripsi, non meam tamen solius sententiā, sed omnium Italorum & omnium in his regionibus Episcoporū scripsi.] quibus apparet, litteras priores Iulii ad eos ad Synodū vocandos ex Synodo esse datas: frequentia enim tunc Concilia cogebantur. Quasnā autem illi sic ad Synodū citati inanes causas, falsosq. prætextus obtexuerint, ne Romā ad Synodale iudiciū subeundū venirent, dicemus anno sequenti.

LEGATIO IVLII PAPAE AD EVSEBIANOS.

b Athanas. epist. ad Solitar.

c Apud Athanas. Apolog. 2.

C Non sic quidem Athanasius, qui & ipse Romam citatus tamquā reus causam dicturus illuc continuo conuolauit, & magna quidem animi alacritate; quòd sciret, res Ecclesiasticas ibi ecclesiastice, non autem tyrannice (quod Eusebianis in more erat) sed secundum canones pertractari. In Vrbem igitur Athanasius festinus se contulit, vbi & aduersarios, qui eum accusarent, anno integro cum dimidio expectauit: testantur id quidem Iulii Papæ litteræ postea anno sequenti ad Eusebianos scriptæ, in quibus hæc de his leguntur [d]: Præter hæc omnia annum totum & integros sex menses Athanasius apud nos hæsit, vestram præsentiam expectans, aut quotquot comparere audeterent, suaq. præsentia pudefecit omnes: non enim iudicio stitisset, nisi sui fiduciam habuisset: neque sponte, sed litteris nostris ad iudicium vocatus comparuisset, quemadmodum vos per litteras citauimus.] hæc ipse: qui & de Episcopis Italiæ ad

ATHANASIVS ROMAM VENIT.

d Apud Athanas. Apolog. 2.

D Concilium conuocatis superius meminit in eadem epistola, atque addit: Certe ad cōstitutum tempus conuenere Episcopi, & eius sententiæ fuere, quam vobis iterum significo.] ita Iulius de indicta Romæ hoc anno Synodo. Ceterum ex longa mora anni vnius atque sex mensium Athanasii in expectando ibidem aduersarios, tempus eiusdem Synodi magnā quoque partem anni sequentis occupasse constat: quamobrem & nos, quid in ea decretū sit, suo loco dicemus.

Quod autem pertinet ad Athanasii Romam aduentum: reperimus duxisse secum inter alios Isidorum illum, de quo plura Palladius [e], qui eum mirifice commendat: sed & Ammonium admirandæ sanctitatis virum (alius hic ab illo quem tempore Constantini in Domino quieuisse diximus, nam hic longe post Antonii obitum defunctus est) comitem habuit, de quo sic Socrates [f]: Alius quidam monachus erat, vir plane admirabilis, qui Ammonius vocabatur: iste adeo parum curiosus fuit, vt cum Romæ vna cum Athanasio forte versaretur, nihil ex ma-

E gnificis Vrbis operibus, præter templum Petro & Paulo dicatum, videre omnino desideraret.] peruenit iste vsque ad Theophili Alexandrini Episcopi tempora, a quo creandus Episcopus cum Euagrio, auriculam sibi præcidit, ne (quod sibi videbatur) eligeretur indignus.

e Pallad. in Lausiac. c. 1.

ISIDORVS CVM ATHANASIO ROMAM VENIT ET AMMONIVS.

f Socrat. lib. 4 c. 18.

Porro cū Athanasius Romā vna cum suis aduenisset, a Cæsarianis honorificentissime susceptus est: apud hos enim mansit, qui eum beneuolentia & magnis prosequuti sunt officiis. Laudat ipse in Apologia ad Constantium, suorum hospitum Romæ erga se exhibita mirifica charitatis obsequia: vbi & agnouit Eutropiam ipsius Imperatoris materteram, Constantini Magni sororem, matrem vero Nepotiani, a quo se susceptum hospitio, licet eum non nominet, videtur innuere. Cur autem tantus Episcopus tantæ Ecclesiæ apud Iulium Romanum Pontificem non diuerterit; ea causa nota omnibus intercessit; nimirum quòd non deceret reum apud Iudicem hospitari. At de Athanasii hospitibus inferius iterum.

HOSPITES ATHANASII.

Quàm vero proficuus fuerit Athanasii Romam accessus, vel ex eo potest intelligi, quòd in Vrbem inuexerit ipse primus Aegyptiorum monachorū institutionem, vitamq. admirādam Antonii Magni, licet adhuc viuentis a se conscriptam detulerit, quod vitæ genus ad omnes Euange-

ATHANASIVS INVEXIT IN VRBEM MONACHISMVM.

Euangelicæ perfectionis numeros attemperatum etiam nobilissimæ Romanæ feminæ consectari cœperunt: tradit enim hæc de his S. Hieronymus [a]: Nulla eo tempore nobilium feminarum nouerat Romæ propositum monachorum, nec audebat propter rei nouitatem, ignominiosum (vt tunc putabatur) & vile in populis nomen assumere. Hæc (Marcella scilicet) ab Alexandrinis prius sacerdotibus, Papaq. Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum, Romam confugerant, vitam beati Antonij adhuc tunc viuentis, monasteriorumq. in Thebaide Pachomij & virginum ac viduarum didicit disciplinam: nec erubuit profiteri quod Christo placere cognouerat.] hæc Hieronymus, quæ & superius alia occasione sunt recensita. A

a Hieronym. ad Princip. epist. 16.

EXCELLENS STVDIVM MONASTICAE DISCIPLINAE.

At quibusnam persuasa eiusmodi vitæ institutum Deo gratũ esse Marcella sensit, nisi ex innumeris pene miraculis, Apostolicis plane signis atque virtutibus, quas cum Antonium, tum alios, diuino illis calculo suffragante, assidue operari cognouit? Erat quidẽ in Oriente summum illud viuendi genus instar Heliæ ac Ioannis Baptistę, cunctis hominibus etiã Ethnicis, & Imperatoribus ipsis venerandũ, sed & impijs quoque hæreticis reuerendum, atque adeo cælestibus ciuibus admirandũ, vtpote qui se in terris conciues habere lætantes, cum eisdem tanquã gentilibus suis amice assiduo versaretur. Factumq. feliciter est, vt Athanasio propalãte, inferretur, ac pariter coleretur in Vrbe sublime illud viuendi genus, cuius in mõtibus atque desertis locis tantũ cernebantur impressa vestigia: nec detrectauit vniuersus Christianus Orbis in Occidẽte sectari, quod sciret in Ecclesia Romana susceptũ; quæ hæc omnia accepta fert Athanasio: cum alioqui non defuerint (quod dictum est superius) persecutionis retro temporibus cum in Vrbe, tum aliis quoque in locis monachi: illos dixerim, qui in similitudinẽ Pauli atque Antonij a persecutionibus fugientium, eadem ex causa, in cryptis, antris, iugis montium, valliumq. cõuexis recessibus delitescentes, instar Heliæ a facie Achab & Iezabel fugientis, Deum propensius colerent: adeo vt licet Monachi nomen visum sit Vrbi nouum, res tamen ipsa vetus, sed in tanta Ecclesiæ pace legibus quibusdam exculta fecundiori germine propagata. B C

NOMEN NOVVM, RES IPSA VETVS.

Donatistæ hæretici, ijdem & Circumcelliones dicti, qui his ipsis temporibus aduersus Catholicos grassabantur in Africa, primi ausi sunt, non de re ipsa, sed de nomine a pijs quærere, & dicere (inquit S. Augustinus [b]) consueuerunt: Quid sibi vult nomen Monachorum?] et inferius: Nobis dicunt: Ostendite vbi scriptum sit nomen Monachorum.] Respondit post alia ad hæc ipse: Quare ergo & nos non appellemus monachos, cum dicat Psalmus [c]: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum? μόνος enim vnus dicitur, & nõ vnus quomodocumque, nam & in turba vnus est, sed vna cum multis vnus dici potest, μόνος non potest, id est, solus: μόνος enim vnus solus est. Qui ergo sic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant, vt sit illis vere quod scriptum est [d]; Vna anima & cor vnum; multa corpora, sed non multæ animæ; multa corpora, sed non multa corda; recte dicitur μόνος, id est, vnus solus.] et paulo post: Merito insultant nomini vnitatis, qui se ab vnitate præciderunt. Merito illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus; sed sequentes Donatum, Christum diuiserunt.] hæc Augustinus. D

b Augustin. in Psalm. 132.

c Psal. 132.

d Act. 4.

HOSTES MONACHISMI IMPII APOSTATAE.

Probe iam vides, lector, a quorum partibus stent qui nostro hoc infelicissimo sæculo Monachorum nomen adeo execrantur; et quorumnam profiteantur se esse discipulos, cum eorum sectentur impietatem, duplo quàm illi plane impij; cum illi (vt ait Augustinus) nomini insultarent Monachorum, quòd ab vnitate Catholica defecissent; isti vero duplici apostasia, nempe quòd ab Ecclesiæ fide & monastica obseruãtia turpissime defecerunt: tales plane fuerunt qui prima iecerunt fundamenta omnium hæresum, quæ hoc sæculo prodierunt: at nõ hac tantum ex parte duplo, vt diximus, peiores quàm Donatistæ, sed triplo; quippe qui non, sicut illi, de nomine solum mouerint Catholicis quæstionẽ, sed rem ipsam fuerint acerbissimo odio insectati: verum & cum id agãt non verbis tantum, sed rebus, moreq. prædonũ, in monasteria tum virorum, tum sacrarum virginum, vbicumque per vim licuerit, grassati fuerint, & debacchari non cessent, etiam quadruplo deteriores illis habendi sint. Ceterum quod ad alias res spectat, nihil est quod Sacrãmentarij Donatistis conferri possint; cum hi, paucis quibusdam exceptis, in reliquis omnibus cum Ecclesia Catholica consentirent. At de Monachorum origine, quod ad rem ipsam pertinet, satis diximus Tomo primo. E

SYMBOLVM ATHANASII.

Iam ad Athanasium redeamus: Hic enim Romæ cum esset, illud quoque insigne fidei suæ reliquit Occidentalibus monumentum, nẽpe Symbolum, quod hactenus Athanasij nomine in Ecclesia Catholica publice recitatur. Qui enim Romam citatus (vt demonstratum est) se contulit iudicandum; quantumlibet ipsius fides Catholica omnibus innotuisset, vt nulla penitus potuerit suboriri suspicio, quippe qui eius defensionis causa ab Eusebianis post tot ærumnas etiam exilium passus esset: tamen quòd Romanæ sedis communicationem haud habere

licuisset

A licuisset,& aliorũ Episcoporum qui ad Synodũ conuenissent,nec plane audiẽdus esset qui reus aduenerat, nisi edita publice Catholicæ fidei professione, eademq. ex more, Latino sermone coram Pontifice & ei assidentibus recitata: ea cognita atque suscepta, in Romanæ fuit Ecclesiæ amplissimo Archiuo vna cum Actis Synodi collocata: et aliquando tandem post multa annorum curricula inuenta & in lucem edita, ob tãti viri insignem memoriam de fide Catholica optime meriti,tradi meruit Ecclesiæ recitanda. Adeo enim post tot tantaq. eius pro recta fide certamina, Athanasij nomen posteris doctrinæ & sanctitatis fulgoribus clarũ effulsit, vt quæq. ipsius scripta non modo auide legerẽtur, sed singulari quadã reuerentia colerentur, de quibus extat Cosmæ sanctissimi monachi præclarum illud elogium [a]: Cum, inquit, inueneris aliquid ex opusculis S. Athanasij, nec habueris chartas ad scribendũ,in vestimentis tuis scribe illud.] [a] Sophron. in Prat. spirit. c. 40.

Quòd igitur longo tempore inter Ecclesiastica vetera monumenta delituerit: inde accidit, B vt minime citatum ab antiquioribus nostratibus vel Græcis reperiatur Symbolum illud; cum tamen ad confutandas complures hæreses postinde subortas, magna ex eo suppeterent argumenta. Aliquod tamen eius exemplar delatum esse ad transmarinam Africanam Ecclesiam ab aliquo Episcopo Africano, qui (vt frequenter accidere consueuit) tunc Romæ repertus,eidẽ interfuerit Romanæ Synodo, mihi facile persuadeo: cum illud ipsum S. Augustino videatur innotuisse, cuius scripta verbis quibusdam atque sententijs eiusdem Symboli apparent interdum conspersa. Cum autem e Romanæ Ecclesiæ antiquitatis monumentis veluti euderata eiusmodi professio fidei Athanasij emersit in lucem,tum a Latinis omnibus,tum a Græcis æque suscepta est, & summa veneratione habita, non ab Ecclesia Cõstantinopolitana tantum, sed Seruiana, Bulgarica, Russica, Moscouitica, & aliis; quod & ipsi fidei hostes, recentiores Ariani,Trinitatis aduersarii non eunt inficias: licet ab iisdem Græcis & superius recensitis Ec- C clesiis pars illa dempta ab eodem Athanasii Symbolo sit, qua Spiritumsanctum a Patre Filioq. procedere expressum habetur, eo falso prætextu, quòd superaddita nuper fuerit a Latinis: cum liquido appareat, ante annos nongentos sexaginta, ita vt se nunc habet, legi solere: Nam ex eodem Athanasii Symbolo ea verba primi capituli Toletani quarti Concilii deducta noscuntur,quibus dicitur: Patrem a nullo factum vel genitum: Filium a Patre non factum,sed genitum asserimus: Spiritum vero sanctum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre & Filio profitemur, &c.]

Quæ quidem de processione Spiritussancti a Patre atque Filio ita se habere in eodẽ Athanasii Symbolo, Apostolicæ sedis Legati Græcis palam significauere, idq. temporibus Gregorii IX. Romani Pontificis. Nam eius Aprocysarii Constantinopolim missi,in decreto seu definitione Catholicæ fidei, idem Athanasii Symbolum cum iisdem de processione Spiritussan- D cti a Patre atque Filio citarunt. Reperitur illa ipsa fidei definitio in Bibliotheca Vaticana, necnon Romæ itidem in Sfortiana, quam Græce scriptam Vossius noster vtriusque linguæ apprime gnarus Latinitate donauit atque prælo excusam edidit: leguntur enim hæc ibi: Propterea quicumque non crediderit Spiritumsanctum a Filio procedere, in via perditionis est. Vnde S. Athanasius dum in partibus Occidentalibus exulabat, in expositione fidei, quam Latinis verbis reddidit, sic ait: Pater a nullo est factus, &c.] quòd autem ipse exul illud scripsisse tradatur; sic accipiendum, quòd omnis Athanasii a sua Alexandrina Ecclesia absentia,occasione suorum hostium facta, tum ab eo, tum ab aliis exilium appellari consueuit; cum reuera non exulem, sed reum ipsum tunc contigerit Romæ esse. Quinetiam in decreto Eugenii Papæ ad Armenos in Concilio Florentino, vbi eiusdem Symboli Athanasii memoria fit, qui illud compendiosam fidei regulam nominat ab Athanasio editam, eius quoque E processionis Spiritussancti mentio habetur. Quòd vero ab aliquibus feratur Treueris hoc ipsum Symbolum ab Athanasio in puteo latitante, diuino quodam præuio miraculo,esse conscriptum: corruit prorsus fabella hæc nulla ex parte veritate subnixa. Treueros enim non profugus, sed exul peruenit; tantumq. abest vt illic latuerit in puteo, siue cisterna, vt a Constantino iuniore (quod litteræ eius superius recitatæ testantur) honestissime habitus fuerit, & a Maximino eius loci Episcopo (quod suo loco diximus) amantissime susceptus. Rursum vero S. Hilarii [b] testificatione exploratum illud habetur, Ecclesiam Gallicanam sua integritate vigentem, præter Symbolum Apostolorum, quod in baptismo acceptum memoriter retineret,nullam aliam fidei formulam scriptam sciisse. Accepimus nuper ab erudito viro ac pio D. Nicolao Serario,Herbipoli disputationes de Symbolo Athanasii nuper editas a D. Petro Clenchero, luculentas quidem atque disertas,hisq. nostris consentientes, quibus intexuit recentioris Hermenegildi,illustrissimi inquam Principis Iacobi Marchionis Badeni,ad Catholicam fidem conuersionem,& fidei causa, ex propinato veneno, dolose procuratum interitum, [b] Hilar. lib. de Synod.

ATHANASII SYMBOLVM SYNCERVM HABERI.

plane digniffimum, qui fuo loco hifce Ecclefiafticis monumentis digno præconio collocetur: fimulque eius nobiliffima coniux Marchioniffa; quam antea aduerfantem Catholicæ fidei, poft obitum (quod martyrum eft) Chrifto peperit, fideiq. Catholicæ, atque digniffimæ confeffionis pofthumam reliquit heredem. Faxit Deus, vt & optata conuerfio Reccharedi fit locupletatura noftros Annales. Verum qui occafione Symboli Athanafij ad hæc digreffi fumus, iam ad reliquas, quæ funt huius anni, res geftas, orationem reuocemus. A

ALEXANDRI EPISC. CONSTANTINOP. OBITVS. Hoc eodem anno, ijfdemq. Confulibus S. Alexãder Epifcopus Conftantinopolitanus, magnus pietatis athleta atque Catholicæ fidei defenfor, ex hac vita migrauit. Colligitur id in primis ex Socrate [a], qui eum diem obijffe demonftrat, ijfdẽ Acindino & Proclo Confulibus: idq. etiã alia ratione tum ipfe, tũ Sozomenus non obfcure fignificãt, cum aiũt, eum vigefimotertio fuæ fedis anno effe defunctũ. Porro Sozomenus de eius fucceffore Paulo ab eo probato hæc habet [b]: Cum Alexander annos iam nonagintaocto natus effet, quorũ vigintitres in Epifcopatu præclare ac fortiter gerendo contriuiffet; cumq. effet de vita difceffurus, fcifcitãtibus fuis clericis, cui Ecclefiæ adminiftratio deferenda effet: Si virũ, inquit, pietate fpectatũ, aptũq. fimul ad docendũ quæritis, Paulum eligite: fin hominem ad res ciuiles gerẽdas & confuetudinem cum Principibus habendã idoneum defideratis, Macedonius priores obtinet. Quin etiam fautores Macedonij, vtrique quidem teftimoniũ ab Alexandro tributum confitentur; fed illud teftimoniũ de rebus ciuilibus procurandis & de eloquentiæ præftãtia Paulo, teftimoniũ autem piæ vitæ Macedonio datum prædicãt: nam Paulum vitã delicatam & diffolutam fectatum calumniabantur. ex quorũ confeffione cõftat Paulum difertũ virum fuiffe, & ad docendas Ecclefias præftabilem: quem rerum euentus teftificantur neque vitã effufam egiffe & intemperantẽ, neque ad confuetudinem Principum aptũ fuiffe: nam infidias aduerfariorum (quales verifimile eft viros in huiufmodi rebus folertes machinari) ab fe minime depulit: immo vero etiã cum multitudini percarus effet; malitia eorum qui id temporis doctrinã fidei in Nicæno Concilio cõfirmatam reijciebant, non parum accepit incommodi, &c.] fed de his fuo loco pluribus. At paffus eft quoque illam calumniam de fua electione Paulus ab Eufebianis, qui dicebant (vt idem auctor teftatur) eam fedem ipfum per ambitum quæfiuiffe contra fententiam Eufebii Epifcopi Nicomediæ, & Theodori Heracleæ vrbis Thraciæ Epifcopi, penes quos & alios ipfis finitimos ftetiffe electionem Epifcopi Conftantinopolitani affirmabant. Agit multis quoque Socrates de Pauli electione, deque populo in duas partes diuifo, fauentibus alijs Paulo, alijs vero Macedonio: atque eidẽ Paulo ftuduiffe eos tradit, qui erant Catholicæ fidei profeffores, Macedonio autem qui Arianifmo fauebant; præualuiffe tamen Orthodoxos, Paulumq. elegiffe in ecclefia illa quæ Pacis eft appellata. B C

a Socrat. lib. 2. c. 3. in fin. & 4.

b Sozom. lib. 3. c. 3.

PAVLI EPISC. CONSTANTINOP. CREATIO.

ARGVITVR CALVMNIA DE IVDICIO ALEXANDRI. Sed cum Alexandri Epifcopi integritatem animi confidero, adduci non poffum, vt credam ab eo Macedonium quoque vna cum Paulo ad electionem faciendã Epifcopi Conftãtinopolis tum nominatum fuiffe: quippe qui ftudiofiffime Eufebianorũ partes fectatus effet, ab eifq. aduerfus Athanafiũ in Cõuentu Tyrio cum alijs Legatus delectus: certe quidẽ qualifnam foret, Alexandrũ exiftimo minime latere potuiffe; hæc fane dẽ eo in Conuentu Tyrio ita fe habuiffe, Athanafius ex Actis eiufdem in Apologia fecunda fæpe demonftrat. quamobrem in eam facile fententiam adducor, vt exiftimem tum Socratem, tum Sozomenũ mutuatos iftæc effe a Sabino illo Macedoniano hiftoriarum fcriptore; qui in laudẽ auctoris fui ea de Macedonii nominatione ab Alexandro facta, putatur fuiffe cõmentus: ipfum enim pro fuis contexuiffe Apologias potius quàm hiftorias, & quæ viderentur reprehenfione digna in Catholicos reiicere folitũ effe, Socrates [c] tradit. Porro Macedoniũ fenẽ fuiffe, idem affirmat; de quo & illud ex Synodo Alexãdrina [d], cum agitur de eius & collegarum legatione ex Cõciliabulo Tyrio: Clam emittunt Theognium, Marim, Theodorũ, Macedonium, annis ingenijfq. putidos & venales.] Sed & eumdẽ Macedonium aduerfatum fuiffe Paulo, eumq. falfis accufationibus exagitaffe, Athanafius docet, cum ait [e]: Epifcopum autem Conftantinopolitanũ, Paulum fcilicet, nemini arbitror ignotum effe; quanto enim clarior ciuitas, tanto minus factum celari poteft. Etiam huic quoque crimen obiectum eft; idq. falfum fuiffe, vel inde colligas, quòd qui illum reum fecit Macedonius, nobis in ea accufatione præfentibus, cum reo fuo, cuius presbyter erat, communionem fumpfit.] rogaffe enim veniam, & a cœptis tunc defijffe, vt cum eo communicare poffet, non obfcure demonftrat. Ceterum haud licuit Paulo diu in fede agere: quippe cum eius fides Catholica fpectata effet, Arianos omnes & ipfum in primis Conftantium Imperatorem in eius inuidiam & odium concitauit, adegitque vt eum e fede pellerent. D E

c Socrat. lib. 2. c. 11. & 13.

d Apud Athanaf. Apolog. 2.

e Athanaf. epift. ad Solitar.

Quæ

A Quæ vero electionem Pauli subsequuta fuerint, Socrates declarat his verbis [a]: Non multo post Imperatori Constantinopolim aduenienti, electio Pauli Episcopi non mediocrem bilem mouit; atque Concilio Episcoporum improbæ Arij opinioni deditorum in vnum conuocato, Paulum Episcopatu abdicandum curat: Eusebiumq. Nicomediæ eo traductum, Constantinopolis Episcopum renunciat. quibus rebus confectis, Imperator Antiochiam iter capit. Eusebius autem acquiescere non potuit, sed omnem lapidem, vt in prouerbio est, mouit, vti quod animo instituisset, ad exitum perduceret:] nempe vt cogeretur in dedicatione templi Antiochiæ Concilium aduersus Athanasium & alios: quod cum sequenti anno factum esse constet; dicendum est, hæc de abdicatione Pauli non multo post suam electionem hoc ipso anno fuisse peracta. meminerunt quoque de eiusmodi Pauli exturbatione Sozomenus [b] & alij.

a Socrat. lib. 2. c. 5.

PAVLVS ABDICATVS, ET EVSEBIVS SVBROGATVS.

b Sozom. lib. 3. c. 4.

Hæc autem gesta esse aduersus Paulum a Constantio Imperatore, procurante ipso Eusebio Episcopo Nicomediæ, assueto sedem mutare, atque maiori semper inhiare, epistola Synodalis Concilij Alexandrini [c] his verbis indicat, cum de eodem Eusebio agit: Creationem B vituperat homo, qui ipse prorsus Episcopus creatus non est, aut si vmquam ius Episcopi habuit, idipsum rescidit, vt qui principio Beryti pro Episcopo egerit, relictoq. Beryto, Nicomediam se transtulerit; illam quidem cathedram præter leges destituens, istam vero nulla lege inuadens, proprij gregis sine vlla charitate desertor, & alieni nulla rationabili causa occupator, prioris Episcopatus charitatem alieni cupiditate aspernatus est: nec tamen illum ipsum Episcopatū, quem tāta auiditate occupauerat, reseruauit: Ecce enim iam denuo inde desiliēs, alienum Episcopatum arripuit: semper aliorum ciuitates, oculis per inuidiam cōiectis, oblimat atque arrodit, persuasus in magnitudine vrbium religionem esse sitam; & fortem Dei, secundum quam constitutus ordinatusq. est, pro nihilo ducit; ignorans scilicet, Dominum [d], vbi duo C vel tres in eius nomine congregati fuerint, in medio esse: nec secum recogitans illud dictum Apostoli [e], quo profitetur se in alienis laboribus non gloriaturum: neque præ oculis habens illius præceptum [f]: Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. quod si hoc de vxore dictum est, quanto magis de Ecclesia atque adeo de Episcopatu, cui cum quis alligatus est, alium quærere non debet, ne adulter in sacris litteris deprehendatur?] hæc Patres illi ex Concilio Alexandrino: eadem ferme Athanasius [g], ipsumq. Paulum ab Eusebianis relegatū fuisse in Pontum affirmat. Quòd autē Theodoretus [h] tradat, Paulum exilio amandatū post Concilium Sardicense Cucusum: sciendū est, ex Athanasij sententia, quartam illā fuisse Pauli relegationem; sic namque ait [i]: Primum quidem per illum in Pontum relegatus est; postea a Constantio ferro vinctus in Singra Mesopotamiæ deportatus est; rursum inde in Emesam, atque ex Emesa in Cucusum Cappadociæ circa deserta Tauri abreptus est, &c.] sed de his singulis suo loco inD ferius. Ceterum quòd constet Paulum e sede pulsum Romam confugisse ad Iulium Romanum Pontificem: id quidem nequaquā hoc tempore contigit, sed postea cum secundo e sede deturbatus est; quod & Socrates [k] tradit, idq. etiā ex Iulij Papæ epistola, quam recitat Athanasius [l], perspicue colligi posse videtur: nam dum de alijs Episcopis ab Arianis vexatis qui Romā hoc tempore aduenerant, agit, cum nominet Athanasium & Marcellum Ancyranum; de Paulo nec verbum quidem, cuius meminisse in primis oportuisset, quippe quod facinus immane videri poterat, eum qui sedere vix cœpit, adeo tyrannice a sede expulsum esse.

c Apud Athanas. Apolog. 2.

EVSEBIVS MVTAT SAEPE SEDEI.

d Matth. 18.

e 2. Corinth. 10.

f 1. Corinth. 7.

g Athanas. epist. ad Solitar.

h Theodoret. lib. 2. c. 5.

PAVLVS RELEGATVS IN PONTVM.

i Athanas. epist. ad Solitar.

k Socrat. lib. 2. c. 11.

l Athanas. Apolog. 2.

Sed iam manifestius redditur Eusebianorum consilium illud extitisse, vt præcipuos Catholicæ fidei coryphæos & Nicænæ fidei acerrimos defensores ex eorum sedibus eijcientes, inq. ipsas qui suæ ipsorū essent sententiæ intrudentes, liberū esset iam, quod diu ipsis in optatis erat, hæresim Arij, quam fouerent, publice prædicare, & in Ecclesias propagare: susceptū vero fuit E ab eis primum eiuscemodi certamen in Athanasium, quem acriorem sibi aduersarium fuissent experti: aggressi sunt etiam post hæc Paulum Constantinopolitanum Episcopū: sed quòd sciebāt, qui præerat Antiochenæ Ecclesiæ Eustathium eximii nominis virum, in Magnoq. Nicæno Concilio spectatissimum, eiusdem indefessum ac perualidum propugnatorē esse: vt hunc quoque e sede deponāt, & in exilium eiiciant, collaborant; erat horū antesignanus Eusebius Constantinopolitanæ sedis inuasor perfricta fronte, tamquam alter Nabuzardan [m], nonnisi ad Dei Ecclesiæ incēdium comparatus, immaneq. scelus meditatur, quod & perficere non detrectat. Quo modo autem ab eo res cōposita & ad finē vsque perducta sit, Theodoretus [n] enarrat. Sed antequàm rem ipsam aggrediamur, de tempore quo id accidit, accuratius disserendum est: siquidem in his fœde nimis erratum a compluribus, perspicue demonstrari potest.

EVSEBIANORVM CONSILIVM.

m 4. Reg. 25.

n Theodoret lib. 1. c. 21. 22.

Sunt nōnulli, qui Eustathii Episcopi Antiocheni eiectionem referant ad tempora Constātini; id ipse, quē diximus, Theodoretus, Socrates [o], Sozomenus [p], atque alii eos sequuti. Qui primū ex iis quæ Theodoretus scribit, manifesti redarguūtur erroris: si enim (quod ipse testatur)

o Socrat. lib. 1. c. 18.

p Sozom. lib. 2. c. 18.

EVSTATHIVS EPISC. ANTIOCHEN. QVANDO EIECTVS. non antea Eustathius e sede fuit expulsus, quàm Eusebius Episcopus Nicomediæ in Episcopatum Constantinopolitanum, eiecto Paulo, translatus est: quo modo ad tempora Constantini reijcienda est Eustathij depositio, cum ex ipsis Socrate & Sozomeno (quod dictum est nuper) constet non ante hunc annum Paulum loco Alexandri sedere cœpisse? Rursum vero cum Sozomenus [a] affirmet, ea de causa Eustathium esse e sede deiectum, quòd fidem Nicæni Concilij approbaret; satis apparet hæc sub Constantino Magno minime contingere potuisse; siquidem ille, dum vixit (quod superius demonstratum est) nec mutire saltem aduersus Nicænum Concilium licuit, quando & ipsi Eusebiani se quoque eius esse professores præseferebant. His accedit Athanasij testificatio, qui disertis dilucidisq. verbis sub Constantio Eustathium damnatum affirmat, cum ait [b]: Fuit quidem Eustathius Antiochiæ Episcopus, vir confessione clarus, religione pius, quem magno studio pro veritate stantem, & Arianam hæresim odio prosequentem, auersantemq. homines Arianæ opinionis, ita apud Constantium ficta calumnia accusarunt, quasi in matrem Principis contumeliosus fuisset: nec mora, in exilium eijcitur, & cum eo ingens turba presbyterorum & diaconorum: ac iam deinde eos, quos ob impietatem ne in clerum quidē recipi oportuit, post exiliū Episcopi non solum in Ecclesiam introduxerunt, sed & plerosque ex illis Episcopos crearunt.] in hūc modū Athanasius. S. Hieronymus itidem de exilio Eustathij sub Constantio testis accedit, cum ait [c]: Eustathius genere Pamphilius, Sidites, primum Berœæ Syriæ, deinde Antiochiæ rexit Ecclesiam, & aduersus Arianorum dogma componens multa, sub Constantio Principe pulsus est in exilium Traianopolim Thraciarum, vbi vsque hodie conditus est.] hæc ipse in editione Mariani Victorij, quam consentientem antiquissimis exemplaribus inconsulte nimis aliqui conuellere nisi sunt, vt pro Cōstantio redderent Constantinum. his igitur adeo manifestis rationibus & auctoritatibus plane refellitur illorum error, qui sub Constantino eum e sede pulsum affirmant.

a Sozom. eod. cap. 18.

b Athanas. epist. ad Solitar.

c Hieron. de scrip. Ecclesiast. in Eustath.

EVSEBIVS QVID IN EVSTATH. Porro Eusebij & Eusebianorum conatus ad exturbandum Eustathium a Theodoreto [d] sic describitur: Eusebius postquàm (vt modo dixi) ad Episcopatus Constantinopolitani honorem per vim plane tyrannicam ascendit, maiori comparata potentia, tum quòd Imperatori in proximo habitans, eum frequenter adiret, tum quòd ex crebra eius consuetudine auctoritatem nactus esset, insidias iam veritatis propugnatoribus struere cœpit. Ac primum se magno flagrare desiderio videndi Hierosolymam simulauit; et cum Imperatorem hoc pacto fefellisset (prætexuerat enim se templum ab Imperatore ibi extructum, quod omnium sermone celebratum fuit, velle visere) cum maximo honore Constantinopoli decessit: quippe Imperator ei rhedas, & alias res quibus eum ornaret, suppeditauit. Eum comitatus est Theognis Episcopus Nicææ, suorum perditorum consiliorum, vt dictum est superius, particeps & socius.] hæc cum scribat Theodoretus de simulato Eusebii prætextu inuisendi tēplum Hierosolymis fabricatum; existimo plane errasse, & de Dominico Aureo Antiocheno potius dicere voluisse: siquidem Hierosolymitanum templum, vt dictum est superius, ipsis Constantini Magni Tricennalibus dedicatum fuit, quibus Encœniis idem Eusebius tunc interfuit: sed nec ante potuit eiusmodi incessisse desiderium illud adeundi; tum quòd nondum fuerat absolutum; tum etiam quòd eo breui dedicationis causa vna cum aliis migraturus foret. Nec si ad hæc tempora referas, potuit ab eo illa de inuisendis Hierosolymis causa prætexi, quas iam viderat, diuq. cogendo illic Episcoporum Conuentum permanserat. quamobrem æquius est existimare, profectionem Antiochiam templi causa visendi, & parandi quod ad eius dedicationem factam anno sequenti, cui interfuit, opus esset, ab eo, vt necessariam, persuasam Imperatori: nisi dixerimus ipsum non illo prætextu visendi templi peregrinationem Hierosolymam obtexisse, quod iam viderat, sed potius pietatis ergo, cum frequentes essent vndique hoc sæculo ad sancta loca colenda profectiones.

d Theodoret. lib. 1. c. 21.

Quid autem actum sit, cum Antiochiam peruenisset, idem auctor subdit his verbis: Cum aduentarent Antiochiam, amicitia erga Eustathium vultu & fronte simulata, honorificentissime excepti sunt: nam magnus ille Eustathius, defensor veritatis, fraternam plane illis præstitit beneuolentiam: illi autem vbi conuenere ad sancta Hierosolymorum loca, & Eusebium Episcopum Cæsareæ, Patrophilum Scythopolitanum, Aetium Lyddæ Episcopum, & Laodiceæ Theodotum suæ opinionis fautores, aliosq. quos labes Ariana infecerat, viderūt: facinus quod per insidias molirentur, illis aperuerunt, quibus comitati rediere Antiochiam. Quòd autem ceteri Episcopi, quos modo nominaui, eo vna aduētarunt; honoris maioris causa factum esse prætendebatur illud quidem; sed reipsa fraus ad veram pietatem oppugnandam parabatur. Nam cum meretricē, cuius formæ pulchritudo venalis erat, mercede conduxissent, & linguæ suæ operam vt ipsis locaret, ei persuasissent: primum ad Concilium vna veniunt; deinde

CALVMNIA IN EVSTATHIVM FABRICATA.

A deinde aliis omnibus inde exire iussis, misellam illam introducunt milierculam. Illa puero, qui etiamnum eius sugebat vbera, ostenso, dixit, se ex Eustathij concubitu eum concepisse, & peperisse; et ore impudenti vociferata est, illum pueri patrem esse. Itaque Eustathius cum criminationem istam perspicuo falsam esse, pro certo cognosceret: iubet mulierculam, si quem huius facinoris conscium haberet, in medium adducere. Quæ cum responderet, se nullum obiecti criminis habere testem: æquissimi illi Iudices postulant ab ea iusiurandum. Et quamquam lex palam clamet: In ore duorum vel trium testium stat omne verbum: et Apostolus [b] manifesto præcipiat, nullum crimen presbytero illatum sine duobus aut tribus testibus admittendum: isti tamen spretis diuinis legibus, accusationem contra tam illustrem Episcopum, nullo omnino teste adducto, admittere non dubitarunt. Simulatque igitur muliercula, ea quæ dixerat antea, iureiurando confirmauerat, impudenterque clamarat, puerum reuera Eustathij esse: illico Iudices illi, veritatis scilicet fautores, sententiam contra eum,

a Matth. 18. b 2. Corin. 13. 1. Timoth. 6.

SENTENTIA IN EVSTATHIVM.

B tamquam adulterum pronunciauere. Cum autem alij Episcopi (aderant enim non pauci doctrinæ Apostolicæ ptopugnatores, quibus fraudulenti Eusebij conatus non erant omnino incogniti) aperte contradicerent, obstarentque quo minus magnus Eustathius iniquam illam sententiam exciperet; facinoris auctores maxima cum celeritate ad Imperatorem contendunt (aderat quidē prope, ipsum namque direxisse iter Antiochiam versus hoc eodem anno paulo ante dictum est) cui cum persuasissent crimen Eustathio intentatum verum esse, & æquam abdicationis sententiam: perfecerunt, vt Eustathius pietatis & castitatis athleta, velut adulter simul & tyrannus in exilium pelleretur. Ille igitur per Thraciam profectus, vrbem quamdam Illyrij petiuit.] hactenus de Eustathij depositione Theodoretus.

Sed quod spectat ad exilij locum; Traianopolim eum amandatum esse, ex Hieronymo nu-

C per diximus; qui quidem in Ruffinum agens [c]: Istæ, inquit, machinæ hæreticorum, id est, magistrorum tuorum sunt, vt conuicti de perfidia, ad maledicta se conferant. Sic Eustathius Antiochenus Episcopus, filios dum nescit, inuenit: Sic Athanasius Alexandrinæ vrbis Pontifex tertiam Arsenij amputauit manum: duas enim, qui mortuus prius fingebatur, viuens postea habere monstratus est.] At quid post hæc Theodoretus [d] de muliercula illa? sic subdit: Sed vt ad miseram illam meretricem redeam: ea in morbum grauissimum, maximeque diuturnum delapsa, insidias atque adeo tragœdiam Eusebianæ factionis aperuit: et non duos vel tres sacerdotes, sed quamplurimos de fraudulentis Eusebij conatibus certiores fecit; seque mercede conductam, illud fictum crimen Eustathio intendisse; et tamen iusiurandum, quo se obstrinxerat, non prorsus falsum esse: nam Eustathium quemdam fabrum ærarium pueri patrem fuisse. Atque hæc quidem ab optima illa scilicet factione Eusebiana, Antiochiæ pa-

c Hieron. Apolog. 2. aduers. Ruffin.

DEI VINDICTA IN MVLIERCVLAM.

d Theodoret. lib. 1. c. 22.

D trata sunt.]

At non vnam hanc criminationem contra Eustathium intentatam fuisse apparet: siquidem, vt ex Athanasio dictum est, illam quoque ad commouendum aduersus ipsum Constantium Imperatorem commenti sunt; cum in matrem Principis, nempe Faustam, haud integræ famæ feminam verba contumeliosa protulisse. Addunt his quoque Socrates [e] atque Sozomenus [f], Eustathium ab Eusebio Cæsariēsi Sabellianæ hæresis accusatum esse. Sed peculiare hoc Arianis fuit, vt qui Filij Dei consubstantialitatem cum Patre assererent, quasi eos simul confunderent, cum vnam vtriusque substantiam prædicarent, ipsos esse Sabellianos inclamarent: crimen enim Sabellianismi obiectum Eustathio & alia plura Socrates ibi testatur, cum inquit [g]: Verum quidam prædicant alias causas parum honestas eius abdicationis extitisse: non tamen eas palam percensent: est enim hoc Episcopis in more positum, vt eos qui abdi-

ALIAE CALVMNIAE IN EVSTATHIVM.

e Socrat. lib. 1. c. 18.

f Sozom. lib. 2. c. 17. in fin.

g Socrat. lib. 1. c. 18.

E cantur accusent, impios pronuncient, causas tamen impietatis minime adiungant. Quòd autem Episcopi Eustathium, vt impiæ Sabellij doctrinæ deditum, dignitatis gradu dimouerant, Cyro Berœensi Episcopo eum in crimen illud vocante, Georgius Laodiceæ quæ est in Syria Episcopus, vnus ex eorum numero qui Consubstantiale detestantur, se in laudatione Eusebij Emiseni dixisse scribit. Sed de isto Eusebio Emiseno alias erit mihi locus commemorandi. scribit Georgius, Eustathium, vtpote Sabellij sectæ addictum, a Cyro accusatum; et rursus Cyrum eiusdem erroris conuictum, de gradu deiectum, narrat. At qui fieri potest, vt Cyrus eum Sabelliani erroris labe ipse aspersus esset, Eustathium, vtpote eadem infectum, in iudicium adduceret? Proinde Eustathius, vt videtur, aliis de causis ab Episcopatu abdicatus est.] hæc Socrates. Quantum vero credendum sit Georgio Ariano homini de Eustathio istæc asserenti, quis non intelligat? Qui enim laudauit Panegyrica oratione Eusebium Emissenum Arianismo addictissimum, haud potuit ei aduersantem Eustathium hæreseos non infamasse.

Porro

CYRVS EPISC. BEROENSIS CATHOLICVS.

a Athanas. epist. ad Solitar.

Porro quod ad Cyrum pertinet: bonus ille Georgius, scoria Arianorum, ipsum æque ac A Eustathium fide Catholica eminentem, calumniose criminatur Sabellianum fuisse, quem S. Athanasius inter illustres fidei densensores adnumerat, quos Ariana sæuitia in exilium expulit, cum post recensitam historiam de Eustathio Antiochiæ Episcopo in exilium misso, hæc de alijs eadem passis subdit [a]: Quid? an hic saltem gressum suum represserunt? minime gentium. Eutropius enim Hadrianopolis Episcopus, vir bonus & in omnibus perfectus, quia subinde Eusebium coarguerat, & illac transeuntibus auctor erat, ne impiis Eusebij verbis fidem adhiberent; easdem cum Eustathio calamitates patitur, & a ciuitate sua & Ecclesia propellitur, eo quòd Augusta illi grauiter succenseat. Euphrasium autem Calanis, Cymathius Palthi, alter item Cymathius Larandi, Asclepas Gazæ, Cyrus Berœæ quæ est in Syria, Diodorus in Asia, Dommen in Siemio, Ellanicus in Tripoli, Episcopi visi sunt tantummodo hæresin odisse: et id tanti fuit, vt hos sub specie alicuius causæ, illos prorsus sine vlla causa- B tione, diplomate Imperatoris exturbatos e ciuitate, alio transtulerint, suffectis in locum eorum, quos impios nouerant.] hęc Athanasius, qui & alibi [b] recenset eosdem atque alios eadem fidei causa passos: sed loco Cyri, Acyrus mendose legitur Episcopus Berœæ, sicut & alia quoque nomina nonnihil deprauata esse noscuntur. Exoriuntur hic illa sane tempora, quorum S. Hieronymus in Chronico, anno tamen secũdo Constantij, meminit his verbis: Ex hoc loco Ariana impietas Constantij Regis fulta præsidio, exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis primo Athanasium, deinde omnes non suæ partis Episcopos persequuta est.]

b Athanas. in Apolog. de fuga sua circ. princip.

EVSTATHII OBITVS ET SCRIPTA.

c Roman. Martyrolog. die 16. Iulij.

d Hieronym. de script. Eccles. in Eustath.

e Sozom. lib. 2. c. 20.

Ceterum Eustathius Episcopus Antiochenus in exilio perseuerans, magna cum gloria Catholicæ confessionis ibi decessit, cuius natalis dies reuoluto quolibet anni circulo in vniuersa Ecclesia celebratur [c]. Reliquit post se egregia scriptorum monumenta, sed horum tantum meminit Hieronymus [d]: Extant, inquit, eius volumina De Anima, De Engastrimyto (hoc est C de ventriloquo, qui ex dæmone responsa dabat) Aduersus Origenem, & infinitæ epistolæ, quas enumerare, longum est.] Verum & de eiusdem viri egregiis monumentis Sozomenus [e] cum mentionem habet, in primis hæc ait: Eustathius autem, vti accepi, falsam sibi obiectam criminationem animo quieto & tranquillo ideo tulit, quòd illud sibi commodius fore putauit: vir quidem cum in aliis rebus præstabilis & spectatus, tum in eloquentia iure admirandus, quemadmodum ex libris eius, qui extant, cognosci potest, in quibus & vetus loquendi ratio, sapientes sententiæ, verborum elegantia, & lepos in rebus explicandis non sine magna omnium commendatione elucet.] ita ipse. Aduersus Arianos quoque conscriptus est liber ab eodem Eustathio super illa verba Prouerbiorum [f]: Dominus possedit me ab initio viarum suarum, &c.] citatur eiusmodi commentarius frequenter a Theodoreto [g], sicut & interpretatio in Psalmos, & alius commentarius, cuius est titulus, τῆς στηλογραφίας, liber etiam de Gra- D duum descriptione; quos inquam omnes nouit & citat idem Theodoretus in suis Dialogis: Latinitas autem, quod sciam, tanti viri lucubrationum prorsus expers atque ieiuna fuit. At de Eustathio hactenus.

f Prouerb. 8.

g Theodoret. hist. lib. 1. c. 8. & in Immutab. dialog. 1. 2. & 3.

h Theodoret. lib. 1. c. 22.

i Socrat. lib. 1. c. 18 in fin.

k Sozom. lib. 2. c. 18.

Quæ vero facta sint Antiochiæ post eius abdicationem, modo dicendum. In his enim enarrandis plane accidit, vt qui semel errore temporis lapsi sunt, in alia mox mendacia dilabantur: ijdem autem, quos recensuimus, Theodoretus [h]; Socrates [i], & Sozomenus [k], quiq. ipsos inconsulto sequuti sunt, cum in eam abierint sententiam, Eustathium fuisse e sede amotum Constantini temporibus; illud perperam addiderunt, vt dicerent, Antiochiæ tunc digladiantibus inter se mutuo qui erant partis Eustathij, & ijs qui Arianæ hæresi fauebant, de eligendo Episcopo successore, partem illam aduersam Catholicis delegisse Eusebium Episcopum Cæsareæ Palæstinæ, cui etiam Imperator Constantinus Magnus fuerit suffragatus, qui & ad Eu- E sebium scripserit, vt votis suorum annueret, sedemque Antiochenam capesseret; sed renuisse illum facere, ob eamque causam tunc sedem illam fuisse collatam Euphronio ab Arianæ hæresis professoribus. At quis non intelligat, hæc ab ijsdem recensitis auctoribus male accepta esse ex eiusdem Eusebij [l] scriptis in Vita Constantini? Sed illas Antiochenas turbas contigisse ante Eustathij electionem, post Pauli, siue Paulini obitum, superius dictum est. Quibus prætera addas, ex Constantini litteris ad Episcopos scriptis, satis perspicuum reddi, alium illum fuisse Conuentum Episcoporum, ab hoc, cui præfuit Eusebius Nicomediensis, iam factus Episcopus Constantinopolis, & alii superius nominati, qui in damnationem Eustathii dixere sententias: illi autem interfuerunt Theodotus, & Theodorus, Narcissus, Aetius, Alphæus, ad quos præsertim inscriptæ habentur Constantini litteræ; non autem Eusebius Palæstinæ, nisi postquàm ad electionem futuri Episcopi conuocatus est Imperatoris litteris, vt ex iisdem constat.

l Euseb. Vit. Constant. lib. 3. c. 57. 58. 59. 60.

A Rurſus vero Nicephorus in Chronico huic ſententiæ adſtipulatur; qui texendo ſeriem Antiochenorum Epiſcoporum, qui ſederunt a temporibus Conſtantini Magni Imperatoris, qui imperare cœpit, vt dictum eſt, anno Domini trecenteſimoſexto; ab eo tempore hos numerat Epiſcopos Antiochenos, nempe Vitalem, quem ſediſſe ait annos ſex, Philogonium annos quinque, Paulum annos quinque, Euſtathium vero decem & octo: ſicque cum omne horum ſedis tempus conficiat numerum annorum trigintaquatuor, Domini vero quadraginta ſupra trecentos; hic ipſe demonſtratur annus, quo Euſtathium a ſede depoſitum eſſe vidimus: male tamen ibi auctor, dum Encænia Antiochena ſub Flacillo aſſerit celebrata, quem præceſſiſſe dicit Eulalium & Euphronium.

Quiſnam autem poſt Euſtathium ſederit, haud facile eſt inuenire, cum de ſucceſſione Antiochenorum Epiſcoporum diuerſæ ſcribantur ſententiæ. Apud Hieronymi Chronicon SVCCESSIO ANTIOCHENORVM EPISCOP. ARIANORVM.
B hi poſt Euſtathium ſuffecti Epiſcopi leguntur, iidemque omnes Ariani, videlicet, Eulalius Euſebius, Euphronius, Flacillus, Stephanus Leontius & reliqui: Theodoretus [a] item habet Eulalium, & Euphronium, & poſt hos Placentium, quem alij Placillum vel Flaccillum nominant, ſiue Placidum. At Socrates [b]: Octo, inquit, annos continuos ſedes Antiochena dicitur Epiſcopo caruiſſe; ſero tandem eorum ſtudio & labore qui fidem in Concilio Nicæno ſtabilitam euertere nitebantur, Euphronius Epiſcopus deſignatus eſt.] hæc ipſe. Sed iſta de Euphronij ſuffectione inde manauit opinio, quòd Conſtantinus alterum de duobus illis eligendum optare ſe ſcripſerit, vel Euphronium Cappadocem, aut Georgium Arethuſium: verum neutrum horum tunc fuiſſe ſubrogatum, ſed eo tempore ab Orthodoxis electum Euſtathium, ſuperius diximus. Quidquid ſit de Antiochenis Epiſcopis; quem tuto ſectemur, vnus eſt Athanaſius, qui in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, quam (vt in fine habet) con-
C ſtat eſſe ſcriptam poſt Conſulatum Arbetionis & Lolliani (eſt is annus Domini trecenteſimus quinquageſimusſextus) expreſſe teſtatur, tunc temporis ſediſſe Antiochiæ Leontium, qui Stephano ſucceſſerat: namque [c] poſt enarratam Euſtathij damnationem ſic ait: Poſt exilium Epiſcopi non ſolum in Eccleſiam introduxerunt Arianos clericos, ſed & pletoſque ex eis Epiſcopos creauerunt, vt eos in ſua impietate ſocios coniuratoſque haberent, ex quorum numero eſt Leontius ille caſtratus, qui nunc Epiſcopatum tenet, & ante eum eodem in loco Stephanus tenuit.] hæc Athanaſius, qui id ipſum affirmat in oratione prima contra Arianos.

Nos igitur, quòd incertus ſit annus ſedis cuiuſque ipſorum, prætermittimus eorum chronologiam dubij recenſere vſque ad dictum annum, quo Leontium ſediſſe conſtat; cum præſertim, ſi octo annis eam ſedem vacaſſe dixerimus, haud veriſimile videatur, tam breui tempo-
D ris ſpatio, tot ſediſſe Epiſcopos. ſed ex iis quæ ex Athanaſio recitauimus, mendax pariter conuincitur Nicephori chronographia de Epiſcopis Antiochenis: nam ſecundum ipſum Leontius dicendus eſſet ſedere cœpiſſe anno Domini trecenteſimo ſexageſimoſexto; quod pro monſtro habendum eſt; cum non tantum ex Athanaſij aſſertione liqueat Leontium iam ſediſſe dicto anno Domini trecēteſimo quinquageſimoſexto; ſed etiam quòd anno trecenteſimo quinquageſimonono, quo celebrata eſt Synodus Seleucienſis, Eudoxius ſucceſſor Leontij tunc ſedem obtinebat, qui eidem interfuit Synodo Epiſcopus Antiochenus. Porro Leontius ipſe ſedere cœpit mox poſt Concilium Sardicenſe, id decernente Conſtantio, anno Domini trecenteſimo quadrageſimoòctauo. Stephanus autem Epiſcopus Antiochenus, qui Leontium præceſſit & depoſitus eſt in Concilio Sardicenſi, quando auſpicatus ſit ſedem, ignoramus; niſi quòd S. Athanaſius [d] ait, tunc electum eſſe ab Arianis Ste-
E phanum Præſulem Antiochiæ, quando Theodorus ab iiſdem factus eſt Heracleæ Antiſtes. De reliquis vero Epiſcopis Antiochenis poſt Euſtathium ab Arianis intruſis, nulla, quod ſciam, apud Athanaſium extat memoria.

LEONTIVS ARIAN. QVANDO SEDERE COEPIT ANTIOCH.

Ceterū cum Antiochenam ſedē occupaſſent Ariani Epiſcopi: quamplurimi (inquit Theodoretus [e]) tum ex clero, tum ex populo, quibus propoſitū erat Deum ſancte & ſincere colere, relictis publicis Eccleſiæ cōuentibus, ſeparatim per ſe conuentus agere cœperunt: quos quidem Euſtathianos omnes propterea nuncupauere, quòd poſt obitum Euſtathij in vnū coiuiſſent.] Porro vt profeſſores Nicænæ fidei ſeorſum conuentum agerent, quòd iam manifeſte in publicis eccleſiis Arij dogma prædicaretur, ſatis aperte declaratur, hęc accidiſſe tēporibus, vt diximus, Conſtantii, non autem Conſtantini, quando (vt ſæpe demonſtratum eſt) qui erant Ario fauentes, immo & ipſemet Arius, ſimulabant ſe eſſe Nicænæ fidei profeſſores.

EVSTATHIANI ORTHODOXI.

Hoc quoque anno quarto Conſtantii Imperatoris, quo aperte iā perſecutio ab Arianis aduerſus Catholicos excitata eſt, & duo magni illi Epiſcopi Paulus Conſtantinopolitanus & Euſtathius

[a] Theodoret. lib. 1. c. 22.
[b] Socrat. lib. 2. c. 18. in fin.
[c] Athanaſ. epiſt. ad Solitar.
[d] Athanaſ. orat. 1. cont. Arian.
[e] Theodoret. lib. 1. c. 22.

TERRAEMOTVS VNA CVM PERSECVTIONE EXORTVS.

a Orof. lib. 7. c. 29.

b Ephrem. in 2. lib. Vit. SS. Patrum praeam. apud Lipoman. to. 2.

Euſtathius Antiochenus ex ſuis ſedibus ab ijſdem exturbati ſunt: admirandus plane terræmotus Orientem concuſſit, certum de offenſo numine prodigium. meminit illius ſanctus Hieronymus, cum in Chronico hoc anno quarto Imperatorum ſic ait: Multæ Orientis vrbes terræmotu horribili conciderũt.] de quo Oroſius, cum de cœpta a Conſtantio in Orthodoxos perſecutione agit, hæc tradit [a]: De noua nominis electione contenditur, vt Arianorum potius Eccleſiæ quàm Catholicorum ſint: ſequitur terræmotus horribilis, qui plurimas Orientis vrbes ſolo ſtrauit.] S. Ephrem [b] eiuſdem quoque meminiſſe videtur, cum & hæc ipſa infeliciſſima deſcribit tempora, dum ait: Terra tremiſcens a facie Domini, ſub pedibus noſtris commouetur, vt nobis metum incutiat: et nec ſic ob noſtram duritiam formidamus. Vrbes integræ abſorptæ ſunt, & loca ab ira Domini deſolata ſunt: et nec ſic trepidamus. Sol ſemel & iterum meridianis horis ſuper vos obſcuratus eſt: et nec ſic corde pauemus. Bella Perſarum ac diuerſarum gentium barbararum commota ſunt, & regiones noſtras deſolauerunt, B vt nos metuentes Deum pœnitentiam ageremus, cum indigeamus vtique pœnitentia non dierum aut menſium, ſed temporum plurimorum: et nec ſic conuerti volumus.]

c Ephrem. orat. de terramot. edition. Voſſ. tom. 1.

Idemque alibi [c], dum aduerſus eos agit, qui terræmotus naturalibus cauſis tribuunt, & non comminanti Domino, cum admirabiles eorum recenſet effectus, hæc inter alia de montibus Armeniæ tunc terræmotu concuſſis: At dicite, inquit, nobis rurſum modum, quo modo per terræmotum montes Armeniæ ab inuicem diſſiti, in mutuum quaſi conflictum impellantur, ita vt ignis videatur excitari, plurimumque fumare, ex ſic ſatis etiam longa loci intercapedine; rurſumque locorum interuallis diſiuncti montes, ſinguli ſuo ordine ac loco conſiſtant?] hæc & alia de his multa Ephrem. Porro cum totus Oriens iſta paſſus eſſe dicatur; ipſa tamen Antiochena ciuitas, in qua Arianorum ſæpe conuentus celebrati ſunt, & in ſanctos Epiſcopos decretæ ſententiæ, per annum integrum (vt ait Socrates [d]) terræmotu concuſſa eſt; C idem quoque affirmat Sozomenus [e], cum inquit: Pars Imperij ad orientem Solem ſpectans maximis terræmotibus concutitur, & maxime omnium Antiochia, hoc Concilio ibidem confecto.] cœptum quidem eſſe hoc anno quarto Imperatoris Conſtantij & quinto perſeueraſſe, tradit quoque Cedrenus [f].

d Socrat. lib. 2. c. 7. in fin.

e Sozom. lib. 3. c. 5.

f Cedren. in Cõpend. an. 4. & 5. Conſtant.

g Greg Naziãz. in carm. de rebus ſuis.

Huius etiam terræmotus viſus eſt meminiſſe Gregorius Nazianzenus, cum res pueritiæ ſuæ verſibus cecinit, ſic dicens [g]:

Nam cum lata graui quateretur Græcia motu,
Vlla nec auxilij iam ſpes aliunde pateret:
At tremor horribilis gelidos inuaſerat artus:
Nondum etenim ſacro baptiſmate pectus habebam
Imbutum, quando trahitur luſtralibus vndis D
Gratia, & eximius ſplendor, quem Spiritus affert.]

Erat hoc tempore Gregorius ipſe natus annos ſedecim, ſecundum initam a nobis rationem annorum vitæ eius, de qua inferius ſuo loco dicetur.

EVSEBII PAMPHILI OBITVS.

h Socrat. lib. 3. c. 5.

i Sozom. lib. 3. c. 2. in fine.

Eodem quoque anno Euſebius Epiſcopus Cæſareæ Palæſtinæ exaturatus proſcriptione Euſtathij Epiſcopi Antiocheni, quem habebat ob fidem Catholicam aduerſarium, & ipſe ex hac luce ſubtractus interiit: quod quidem hoc ipſo anno accidiſſe, illud affirmare compellit, quod Socrates ait: haud diu poſt eius obitum, Imp. Conſtantinum iuniorem eſſe necatum huius anni Conſulibus Acyndino & Proclo. ſunt hæc verba ipſius [h]: Eodem tẽpore Euſebius cognomento Pamphilus Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus mortem obiit, & Acacius eius diſcipulus in illius ſucceſſit Epiſcopatum; qui quidem cum alios complures libros, tum librum de E Vita præceptoris ſui Euſebij ſcripſit. Non longo poſt tempore Conſtantinus iunior, qui nomen a patre traxerat, frater Imperatoris Conſtantij in fines Imperij Conſtantis fratris ſui natu minoris irruptionem faciens, cum eius militibus manum confligit, ab ijſdemque interficitur, Acyndino & Proclo Coſſ.] hæc ipſe: eadem quoque habet Sozomenus [i], contigiſſe videlicet eodem ferme tempore Euſebij & Conſtantini obitum.

k Socrat. lib. 2. c. 17.

EVSEB. PAMP. ARIANVS PERSEVERAVIT.

At de ipſo Euſebio hic primum agamus. Certe quidẽ Socrates [k] dealbat Aethiopem, dum nititur ipſum Euſebium ab Ariana hæreſi excuſare, ac plane immunem reddere: ipſe enim Euſebius licet tandem vt Imperatori morem gereret, Nicæno Concilio ſubſcripſiſſet; iiſdem plane ſordibus ſciens volenſque turpius inquinatus eſt, vt ſus lota in volutabro luti, & canis ad vomitum ſuum reuerſus; adeo vt qualis ipſe fuerit vſque ad diem obitus, non ſit aliunde quærendum, quàm ex rebus poſt Nicænum Concilium ab eo geſtis, ſingulis ferme annis ſuperius recitatis: vt plane non ſit opus verbis agere, cum ipſa facta proclament. Vt autem ex-

cuſet

A cuset illum ab Ariana hæresi, citat libros ab eo scriptos contra Marcellum Ancyranum Episcopum, recitatque ex illis fragmenta quædam, quibus demonstratur eam de Filio Dei Eusebij fuisse sententiam, vt negarit ipsum esse creaturam tamquam vnam ex reliquis creaturis, ex nihilo a Deo creatis, sed ante omnes creaturas a Deo quidem non creatum ex nihilo, vt res alias a Deo creatas, sed reuera a Patre genitum, Patri similem, propter quod Deus sit, & per quem omnia facta sint.

Verum dum ex his nititur Eusebium purgare, aperte significat se Arij & Arianorum hæresis labirinthum minime penetrasse, atque accurate peruestigasse. At sicut iuxta sacrum illud prouerbium [a]: Qui nauigant mare, enarrāt pericula:] ita qui cominus aduersus Arianos concertarunt, cuncta illorum latibula, secretos recessus, atque abdita penetralia vigilantissimo studio perscrutati sunt; vt inter alios Athanasius omnium facile princeps, qui in commentario illo de Nicænæ Synodi decretis contra Arianam hæresin statutis, plane declarat, non satis fuisse Magnæ Synodo dicere, Filium nequaquam esse creaturam, & non ex nihilo, sed a Patre genitum, Verbum, & Sapientiam eius, quòd Ariani istud ipsum in suam sententiam detorquerent; ac proinde addere opus fuisse, Filium ex substantia Patris esse, & illi in omnibus consubstantialem, per quod significaretur non tantum Filium eiusdem esse cum Patre substantiæ, sed & illi coextitisse semper, vt ex hoc & illud Arianorum excluderet, quo dicerent, fuisse tempus quando non erat: Nam licet ante tempora & creaturas omnes eum extitisse traderent, per quem creata tempora essent & creaturæ, tamen Patri fuisse coæternum negabant; repugnare inter se putantes ista, esse Filium a Patre genitum, & illi in principio coæxistere, calumniantes ob id Catholicos duo Ingenita dicere. hæc & alia plura, quibus illi eludere conati sunt Catholicam veritatem de eadem Filij cum Patre diuinitate atque substantia, tum ipse Athanasius, tum alij omnes qui aduersus eos commentarios scripsere, multis prosequuti sunt, quæ & nos superius, cum de Nicæna Synodo egimus, attigisse meminimus; vt non sit opus eadem hic iterum cum lectoris tædio disputare.

(Margin: a Eccl. 43. — LATIBVLA ARIANORVM OBSCVRA. — B — C)

Ceterum Eusebij Pamphili inconstantiam, & post Nicænum Concilium, cuius fidei regulæ subscripserat, ad errores pristinos reditū sugillat sæpius Athanasius, cuius sententias ea de re superius suo loco texuimus: eumque demōstrat in Nicæno Conuentu tamquam ludionē in scena lusisse habitu Catholico superinducto; quem, egressus inde, exuens, personam, quænam esset, in omnibus (vt ait Epiphanius [b]) prætulit; adeo vt idem Eusebius Eusebio Nicomediensi coniunctus, biga impietatis effecti ambo, pari cursu & impetu, impulsore nequam spiritu, agitati in suum ipsorum & aliorum exitium, in præceps delati sint: vt non immerito (quod D superius dictum est) appellari ipse Eusebius Cæsariensis meruerit a S. Hieronymo [c] & aliis, Arianæ factionis signifer, propugnator apertissimus, & inter Arianos facile princeps: cuius & memoriam adeo execrata est Nicæna Synodus secunda, vt plane eum iam defendere velle, nihil aliud existimandum sit, quàm Ecclesiam Catholicam impugnare: vnde & pudere Sixtum [d] oporteat, dum aduersus omnium antiquorum Patrum sententias ipsum Eusebium Catholicum asseuerare non dubitat; ac frigide nimis eum excusans, Eusebij Nicomediensis esse tradit, quod erroris adscribitur Eusebio Pamphili; perinde ac si eorumdem Patrum sententiæ de eodem ambiguæ sint, ac de Eusebio Nicomediensi possint interpretari; et absque additamento cognominis, Pamphili, & expressione sedis cuius esset Episcopus, Cæsareæ Palæstinæ, quemnam significasse voluerint, non coloribus tantum viuis expresserint, sed digito demonstrauerint. Vtinam vel exiguus saltem eius excusan-E di reliquus locus esset: quàm libentissime historicus ipse pro historico laborarem; cui (quod magna fiducia ingenue profitemur) vel ea ex parte plurimum Ecclesia Catholica deberet, quòd rerum Ecclesiasticarum quàm multa antiqua monumenta magno labore collecta, scribendo historiam vsque ad sua tempora, fideliter posteris tradiderit, ter quaterque felix, tot peregregiis lucubrationibus editis, nisi eum impietas Ariana tot tantisque sordibus turpiter aspersisset, & ante persecutionis tempore lapsus a fide eumdem tantopere labefactasset. Quòd vero [e], simplicitate quadam & rerum inscitia in suo a se scripto Sanctorum Catalogo Petrus inter sanctos eumdem Eusebium retulit, & errore atque incuria quadam in aliquod Martyrologium [f] irrepsit; in nostris ad Romanum Martyrologium Notis pluribus diximus.

(Margin: EVSEBIVS PAMPHILI HAERETICVS. — b Epiphan. hæres. 73. — c Hieron. epist. 65. & aduers. Ruffin. & ad Ctesiphontem. — SIXTVS SENENSIS IVRE REPREHENDITVR. — d Sixtus Senen. Biblioth. in Euseb. Pamphil. — e Petr. Catal. Sanct. lib. 5. c. 134. — f Vsuard. & Menolog. die 21. Iunij.)

Quod autem ad commentarios ab ipso editos spectat, hæc S. Hieronymus [g]: Eusebius, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, in Scripturis diuinis studiosissimus, & Bibliothecæ diuinæ cum Pāphilo martyre diligentissimus peruestigator, edidit infinita volumina, de quibus hæc sunt:

(Margin: g Hieronym. de script. Eccles. in Euseb. — EVSEBII SCRIPTA.)

εὐαγγελικῆς

ἐυαγγελικῆς ἀποδείξεως libri viginti, ἐυαγγελικῆς προπαρασκευῆς libri quindecim, θεοφανείας libri quinque, Ecclesiasticæ historiæ libri decem, Chronicorum canonũ omnimoda historia, & eorum ἐπιτομή, & de Euangeliorum diaphonia, in Isaiam libri decem, & contra Porphyrium qui eo tempore scribebat in Sicilia, vt quidam putant, libri triginta, de quibus ad me viginti tantum peruenerunt: τοπικῶν liber vnus, ἀπολογίας pro Origene libri sex, de Vita Pamphili libri tres, de Martyribus alia opuscula, & in centum quinquaginta Psalmos eruditissimi commentarij, & multa alia.] hæc ipse. Quinam autem, qualesve fuerint eius commentarij de Martyribus, in tractatione de Romano Martyrologio diximus. Ceterum postrema omnium eius lucubratio fuisse videntur libri quatuor quos scripsit de Vita Constãtini Magni, haud dubium in gratiam Constantij eius filij Imperatoris, quo vtebatur familiarissime ex affinitate prauorum dogmatum, quorum causa nequaquã se (quòd ad ea spectare noscuntur) in omnibus fidelem exhibuit. At de Eusebio hactenus: qualem vero sibi non imparem reliquerit successorem, accipe ex Athanasij [a] testificatione, qui paucis his, qualisnam Acacius esset, nobis explicat: Acacius cum suis immani vecordia audaciaque plane abnegauerũt Nicæni Cõcilij scripta, ipsam Synodum diffamantes.] hæc ipse & alia plura, sed de eo sæpe inferius erit sermo. Persoluit magistro Acacius digna præmia, cum de rebus gestis eiusdem Eusebii (vt testatur Socrates) librum conscripsit.

[a] Athanas. de Synod.

ACACIVS EPISCOP. CAESARIENSIS.

CONSTANTINVS IVNIOR OCCIDITVR.

Sed ad Constantinum iuniorem redeamus, quem hoc anno occisum diximus. Eius necis culpam omnes pene adscribunt ipsi, quòd inuadere ausus sit fraternæ ditionis Imperium: locus enim in quo occisus est, nempe (vt Victor [b] tradit) apud Aquileiam, ad Alsam fluuium, plane demonstrat ipsum suos excessisse limites, iugis Alpium circumscriptos. At Zosimus in Constantem omnem culpam de nece Constantini reiicit, cum ait [c]: Ceterum cõtrouersia mota inter Constantinum & Constantem de pertinente ad Carthaginem Africa, deque Italia: Constans incautum fratrem opprimere volens, inimicitias toto triennio dissimulat; expectatoque tempore, quo per prouinciam sibi fidam & beneuolam ingressus erat; ablegat milites, specie quidem tenus opem Constantio laturos in gerendo bello Persico, sed reapse Constantinum nihil tale scientem oppressuros. hi perficientes quæ imperata fuerant, Constantinum occidunt.] hæc Zosimus de interfecto Constantino: verum maior pars antiquorum historicorum in Constantinum inuadentem alienum Imperium culpam confert. nam Eutropius, S. Hieronymus, Orosius, & alii post eos, bellum illatum a Constantino in Cõnstantem affirmant, & sic a militibus Constantis eum tradunt esse necatum. Sublato autem de medio Constantino, summa totius Occidentalis Imperii in Constante Augusto remansit.

[b] Victor in Annibaliano.

[c] Zosim. lib. 2.

BELLVM PERSICVM.

Inualescebat hoc tempore (vt ex Zosimo patet) bellum Persicum, quod etiã ex Arianorum litteris ad Iulium Papam scriptis [d] apparet, quibus se excusarunt, vocatos ad Synodum, venire detrectasse ob ingruens bellum Persicum impeditos; cuius causa, vt vidimus, hoc eodem anno Constantius Antiochiam Syriæ rediit: vbi celebraturus Imperii sui Quinquennalia constitit anno sequenti, quo facta est magnæ Basilicæ dedicatio. Quod vero ad bellum Persicum spectat, hæc summatim Orosius [e]: Constantius aduersus Persas & Saporem, qui Mesopotamiam deuastauerant, nouem præliis parum prospere decertauit.]

[d] Ex epistol. Iulij apud Athanas. Apolog. 2.

[e] Oros. lib. 7. c. 29.

CONTRITA MONVMENTA GENTILICIA.

Hoc eodem anno, iisdem Consulibus lata habetur Mediolani lex [f] aduersus eos qui sepulchra demolirentur, indeque saxa, secta marmora, vel columnas auferrent, & ad alium vsum eadem sibi vendicarent: est autem huiusmodi: Si quis in demoliendis sepulchris fuerit apprehensus: si id sine domini conscientia faciat, metallo adiudicetur: si vero domini auctoritate vel iussione vrgetur, relegatione plectatur. Et si forte detractum aliquid de sepulchris ad domum eius villamque peruectum, post hanc legem reperietur: villa, siue domus, aut ædificium quodcumque erit, Fisci viribus vindicetur. Dat. VII. Kal. Iul. Med. Acyndino & Proculo * Coss.] Porro huius sanciendæ legis illa causa fuisse videtur; quòd cum iam maxima ex parte qui Romano subiacerent Imperio Christianam religionem profiterentur, & proinde immenso odio prosequerentur, execrarenturque omnia in quibus idololatriæ vestigia quælibet apparerent; iidem quæ haberent in fundis maiorum sepulchra diis Manibus consecrata, tamquam nefas abominantes, eadem demolirentur, & ex eis quæcumque ad ornatum spectarent, in alium vsum conuerterent, reliquos vero confractos lapides ad calcem conficiendam adhiberent, prout [g] aliud ibi sequens rescriptum datum declarat. Qua quidem in re etsi laudandus sit pietatis zelus aduersus idololatriæ signa in animis Christianorum incensus: id tamen factum constat in magnũ antiquitatis dispendium: confractis enim tot sepulchrorum Gentilium inscriptionibus, vix ex eis, quæ innumera plane vbique visebantur, pauca quædã superfuerunt, quæ postea e ruderibus emerserunt, grauissima legum pœna integra conseruata.

[f] l. 1 de sepul. violat. C. Theod.

* Proclo

[g] l. 2. C. Theod.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII CONSTANTIS	IMPP.
341.	5.		5.

ANCAENIA ANTIOCHENI TEMPLI.

QVadragesimo primo anno supra trecentesimum, Marcellino & Probino Consulibus, Indictione decimaquarta, ipsis Constantij Imp. Quinquennalibus, Antiochiæ Encænia celebrata sunt in dedicatione nobilissimi templi a Constantino Magno iam cœpti, atque sub Constantio postmodum absoluti, quod præ sui excellentia, Dominicum Aureum nuncupatum est, de quo superius mentionẽ fecimus; cui interfuit ipse Cõstantius Imperator. Huius celebritatis prætensa occasione collecti sunt Episcopi nonaginta, quorum trigintasex tantum erant Arianæ communicationis & factionis, ab iisdemque Synodus est celebrata, a quibus B inter alia execranda in locũ absentis Athanasij Romæ apud Iulium Papam causam suam agẽtis, institutus est Episcopus Alexandrinus Gregorius, atque Alexandriam missus, qui præsidio militum Ecclesiam illam Episcopo destitutam inuaderet. Hæc autem quo modo se habuerint, singula sunt accurate peruestiganda.

a Athanas. de Synod.
SYNODVS ANTIOCHANA.

Quod primum ad tempus pertinet, est de eo locuples testis Athanasius [a], dum hæc ait: Fuere autem numero qui Antiochiam tempore Encæniorum conuenerant, nonaginta, Consulibus Marcellino & Probino, Indictione decimaquarta, præsente ibidem impiissimo Constantio Imperatore.] ita ipse. Quod vero ad causam spectat huius cogẽdi Conuentus: occasionem ob Encænia celebranda arripuerunt libentissime Ariani, immo sane callidissime excogitarunt, vt sic effugerent Romanam Synodum, ad quam a Iulio Romano Pontifice vocati erant. Siquidem iam anno superiori (vt dictum est) cum Arianorum Legati, qui Athana-C sium accusauerant apud eumdem Iulium Papam, ab eodem Pontifice, cum se causa cadere viderent, vt tunc inferendum iudicium subterfugerent, Synodum eadem in causa ab ipso Iulio indicendam periissent: annuente illo, & Italiæ Episcopis propterea coactis, citati sunt ab eodem Romam iidem Ariani ad prosequendas accusationes ab eis in Athanasium illatas: cum interim Athanasius ipse citatus Romam venisset, stitissetque se iudicio coram Iulio in Synodo examinãdum, expectatis frustra aduersariis per annũ & sex mensibus: sed detrectantes interea Ariani, malæ causæ diffisi, in Vrbem ad Concilium se conferre, inanesque excusationes obtexẽtes, hoc eodem anno, occasione Encæniorũ Antiochiam cõuenientes, dictum conuenticulum habuere: In his enim eos visos esse consiliario & adiutore Constantio, ad eumq. vocatos Romam ad Synodum, pauidos confugisse, Athanasius [b] testatur his verbis:

b Athanas. ad Solitar.
ARIANI SVATERFVGIVNT ROM. PONT. IVDICIVM.

Episcopus autem Romanus Iulius Synodum iussit fieri vbicumque vellemus, vt tuto & cri-D mina obiicerent, & inuicem sibi obiecta refutarent: id enim eorum Legati, cum se vinci animaduerterent, postularunt. Rebus igitur inceptis, cum male sibi vbique conscij de causa sua in Ecclesiastico consessu desperarent, Constantium cum lamentis, vt hæresis propugnatorem adeunt: Vides, inquiunt, omnes a nostra hæresi deficere, pauci residui sumus: incipe persequi; quoniam etiam ab istis paucis destituimur, & deserti relinquimur: quos enim vi ad communionem nostram per exilia Episcoporũ adegimus, ij ab Episcopis in sedes suas reuertentibus, vt contra nos sentiant, persuadẽtur.] et inferius de ijsdem: Ceterum Eusebiani, vbi semel audissent, Ecclesiasticum consessum fore, vbi nec Comes affuturus esset, neque satellites pro foribus excubarent, nec ex Cæsaris præscriptis omnia fierent, quibus rationibus & non aliis Episcopos vicerant, immo qui sine hoc præsidio ne loqui auderent quidem: ita inhorruerunt, ac metu contracti sunt, vt presbyteros detinerent (Legatos nimirum Iulij) vltra E diem condictam, causationem interim turpem fingentes, se ob bella Persarum venire non posse: sed nihil in ea re veri: metus enim conscientiæ eos impediebat. Quid enim negotij Episcopis cum bello? aut quid obstaculi illis a Persis oriebatur, quo minus Romam quamuis longinquam & transmarinam vrbem proficiscerentur?] hæc tum illi quidem causæ diffidentes, ac plane quæ sibi obuentura essent mala timentes, si iudicium ipsorum Romæ in Cõcilio ibidem congregato, præsentibus ipsis, ventilaretur: quamobrem illud in primis inter se istæc omnia conferentes decernunt, vt Iulij Papæ & Romani Concilij iudiciũ penitus subterfugerẽt, & per Præfectos res vi adhibita peragatur; sed vt quodcumque velamen suæ ipsorũ superinducerẽt turpitudini, de cogendo Episcoporum Conuentu Antiochiæ, dictã superius ineunt rationem.

NVMERVS EPISCOPORVM QVI AD ENCAENIA VENERE.
c Hilar. de Synod.
d Sozom. lib. 3. c. 5.

His igitur inter eos fraudulento artificio concinnatis, Constantij mox litteris conuocantur Episcopi; adfuerunt ex diuersis locis Antiochiæ Antistites, vt habet Athanasius, nonaginta, sed S. Hilarius [c] nonagintaseptem numerat, nonaginta vero nouem Sozomenus [d]. Quòd autem ex eis maiorem partem Orthodoxorũ fuisse diximus, Arianos tantũ trigintasex: nihil

est quòd quis admiretur, si Catholicos Episcopos cum Arianis audiat conuenisse atque communicasse simul in sacris Encæniorum solemnitatibus, vnaque in eodem Concilio consedisse: quandoquidem Eusebiani haud palam se Arianos esse profitebâtur; immo, vt inferius demonstrabimus, in eodem Conuentu ijdem Arianum nomen publicis scriptis auersati sunt; sed & vidimus, non solum Constantini tempore, cum iidē accusarunt Athanasium, verum etiā paulo ante sub Constantio, cum Eustathium deposuerunt, se extrinsecus fidei & morum vindices præsetulisse, illum dānantes ob adulteriū, & quòd Sabellianus esset inuentus. Sic igitur non eo vsque peruenerat Eusebianorum nequitia, vt iidem Ariani esse conuinci possent, seque a Catholicis subducerent, licet horum hostes, & Arianæ essent hæresi addictissimi. A

Sic etiam cum quis audit tam nefanda in eo Conuentu fuisse statuta, minime existimet ea tot Catholicorum Episcoporum suffragiis decreta, eorumdemque subscriptione firmata: siquidē obnitentibus ac contradicentibus illis, ea omnia liquer ab Eusebianis, Imperatore fauente, eorumq. votis pariter annuente, fuisse peracta. Est de his explorata certaque fides Iulij Romani Pontificis, dum in litteris postea ad eos scriptis plane testatur, ex tanto Episcoporum numero nonnisi trigintasex impia illa decreta sanxisse; ait [a] enim: Qui igitur sunt qui contra canones agunt? nos ne, qui cum tantis rerum documentis virum recipimus; an qui solum ad trigintasex suffragia eorum qui Antiochiæ fuere, externum hominem Episcopum salutarunt, eumq. militari manu Alexandriam deduxerunt? quod ne tunc quidem factum est, cum Athanasius in Galliam relegabatur; quod tum haud dubium factum fuisset, si vere pro dānato habitus esset.] hæc Iulius. Dicendum est ergo (quod accidisse quoque vidimus in Tyrio Conuentu) Eusebianos vel clanculum seorsum ab alijs decreuisse tam indecora atque scelesta, vel fauore Imperatoris, nulla habita ratione refragantium maioris numeri Episcoporum, quod pauci illi statuerent, ratum ac sartum tectum haberi voluisse. B

ARIANI SEORSVM INIQVA DECRETA STATVVNT.

a Apud Athanas. Apolog. 2.

Ceterum qui Arianorum dolos præsenserant, licet vocati, tamen interesse noluerunt. Sed & inter alios (inquit Socrates [b]) qui haud longe distabat Maximus Episcopus Hierosolymorum, qui Macario successerat, neutiquam accessit; ratus, si accessisset, se compulsum iri Athanasij abdicationi subscribere. Quin etiam Iulius Romanus Episcopus neutiquam aderat, neque quēquam qui eum locum suppleret, eo misit; cum canon Ecclesiasticus iubeat, non oportere absque sententia Romani Pontificis decreta Ecclesiis sancire. Cogitur itaque Concilium Antiochiæ, præsente Imperatore Constantio, Marcello & Probino Consulibus, quintus iam agebatur annus a morte Constantini istorum Cæsarum Augustorum patris.] hæc Socrates: sed & Iulius [c] per litteras conquestus est, nefas fuisse dicens, ab Eusebianis, pendente Romanæ indictione Synodi, aliud ab illis interim Antiochiam conuocari Concilium. C

b Socrat. lib. 2. c. 5.

EPISCOPI CATHOLICI ABHORRVERE A RIANORVM CONVENTVM.

c Apud Athanas. Apolog. 2.

Quæ porro in eadem Synodo acta sint, Sozomenus [d] describit his verbis: Vbi vero omnes Episcopi in vnum conuenere, & Constantius etiā adfuit: complures eorūm indignari, & grauiter Athanasium accusare cœperunt, quòd scilicet legem de sacerdotio sancitam, quam ipsi rulerant, contempserat, quodq. prius Ecclesiæ Alexandrinæ administrationem occupauerat, quàm potestas esset ei a Concilio permissa. Adiecerant præterea, eum ciuibus causam mortis extitisse, propterea quòd cum in illam ciuitatem intraret, seditione excitata, multi occisi, non pauci in iudiciū adducti essent.] hæc de illatis in eum accusationibus Sozomenus. Ceterū ex Iulij litteris ad eos scriptis cōstat alias quoque accusationes superius recēsitas his esse additas, immo & quæ in Tyria Synodo aduersus eumdem fuerant allatæ, & ab eisdem dolosis artibus actitatæ, ingestæ fuerunt: idque eo consilio, vt Athanasium iuste depositum esse e sua sede omnibus demonstrarent. quibus omnibus visis, cognitis, & Eusebianorum calculo confirmatis, annuenteque pariter Constantio Imperatore, damnatione Athanasij conclamata, quem in locum eius substituant Episcopum Alexandrinum, exquirunt. Præfertur ceteris, quos contigit tunc adesse, ex sententia Eusebij Episcopi Constantinopolitani, Eusebius Emisenus, homo nondum sacris initiatus: quo modo autem acciderit eum tunc præsentem esse Antiochiæ, Sozomenus narrat, cum subdit: D E

d Sozom. lib. 3. c. 5.

DES ORITAE IN SYNODO ANTIOCHENA.

Vna adfuit quoque Eusebius cognomento Emisenus, genere oriundus ex Ecclesia, nobili ciuitate Osroenorum, ab ineunte ætate (vt mos patrius fert) sacris in litteris educatus, deinde litteris humanioris litteraturæ institutus, idq. à magistris qui illo tempore ibi ætatem degebant. Postea autem ab Eusebio cognomento Pamphili, & Patrophilo Scythopolis Antistite interpretibus & magistris suis sanctos Scripturæ libros exquisitius perdidicit. Qui profectus Antiochiam, simul vt Eustathius forte propter criminationem a Syro sibi illatam abdicatus erat, consuetudine Euphonij Eustathij successoris multum vsus est. Inde etiam quoniam sacris litteris initiari renuebat, Alexandriam concessit, scholasque philosophorum

EVSEBIVS EPISCOP. EMISENVS CREATVS.

A losophorum ibi frequentauit, quorum disciplinis accurate institutus rediit Antiochiam, & cum Placito*, qui Euphronio succedebat, commoratus est. Postea vero quàm in ea vrbe forte Concilium erat conuocatum, ab Eusebio Episcopo Constantinopolitano ad sedem Ecclesiæ Alexandrinæ capessendam designatus est: nam putabat illum tum propter piæ vitæ institutionem, tum propter singularem in dicendo facultatem, animos Aegyptiorum a beneuolentia qua Athanasium complectebantur, facile auocaturum. At vbi Episcopatum capessere recusauit, ratione secum inita, quàm paratum in odium apud Alexandrinos incurreret, qui videre non poterant alterum in locum Athanasij subrogatum; Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopatus Gregorio, Emisenæ autem ei tributus est.]

* placillo

At quoniam digreditur Sozomenus ex rebus gestis in Antiochena Synodo ad ea quæ post hæc dicto Eusebio Emiseno contigisse tradit: nos quoque assectantes eius vestigia, sic eadem B recitabimus, vt tamen eumdem, in quibus turpiter errat, corrigamus. Cum igitur Eusebius Emesam ad suam Ecclesiam se contulisset; ibi (inquit[a] Sozomenus) tumultu oborto, cum esset ideo accusatus, quòd eam partem astronomiæ, quæ rerum euentus prædicit, profiteretur; inde fugit, venitque Laodiceam ad Georgium illius Ecclesiæ Episcopum, necessarium & familiarem suum: qui cum eo profectus Antiochiam ad Placitum & Narcissum Episcopos, perfecit, vt Emesam reuerteretur. Plurimi illum fecit Constantius Imperator, secumque cum bellum contra Persas gesturus esset, duxit. Fertur item, Deum multa per eum edidisse miracula, vti Georgius Laodicensis testatur, qui cum ista, tum alia præterea de eo commemorat. Verum iste, licet insignis esset, non tamen eorum effugit inuidiam, quorum animos alienæ virtutes vehementer excruciare solent: nam in crimen adductus est, quòd Sabellij tueretur opinionem, cum tamen iam tum decretis Concilij Antiocheni suffragaretur.] C hactenus de Eusebio Sozomenus: sed mendaciter quidem multa, vtpote accepta ab Ariano homine Georgio Laodiceno.

EVSEBII EMISENI RES GESTAE.

a Sozom. vbi supra c. 1.

Vt enim omittamus illa de successione Episcoporum Antiochenorum superius disputata: quòd idem Eusebio Emiseno piam tribuit vitam, atque miracula, hæcque omnia testificatione Georgij Laodiceni de eo plura scribentis: nimis facile rem tantam tali teste dignam putauit, quæ suis scriptis commendaretur posterorum memoriæ; et Ariano homini existimauit esse credendum, Ariano itidem miracula tribuenti. In re tam graui, tam leuiter? Nonne hic ille Georgius olim presbyter Alexandrinus, qui ab Alexãdro Episcopo Alexandrino tum ob Arianam hæresin, tum etiam ob alia nefanda crimina e gradu deiectus est, & postea Eusebianorum arte, in Ecclesia Laodicena, defuncto Theodoto, factus fuit Episcopus? Sed & illud, quod ait, eumdem Eusebium inuidiæ causa de Sabellianismo insimulatum; vnde, quæso, D id verum esse constare potest, cum certum sit eumdem Eusebium fuisse Arianorum alumnum, ac perneccessarium, Arianamque hæresin Sabellianæ ex diametro repugnantem magno studio consectatum? id quidem eius vitæ consuetudo in primis indicat, qua semper Arianis coniunctus fuit; quod maiores non latuit, qui absque vlla controuersia in Arianorum classem hominem reiecerunt; vnde S. Hieronymus[b] de eo: Eusebius Emisenus, Arianæ signifer factionis, multa & varia conscribit.] at quænam hæc, alibi[c] numerat, cum ait:

EVSEBIVS EMISENVS ARIANVS.

b Hieronym. in Chronic. an. 10. Constan. 4.
c Idem de script. Eccles. in Euseb. Emisen.

Innumerabiles, & qui ad plausum populi pertinent, confecit libros: magisque historiam sequutus, ab his qui declamare volunt, studiosissime legitur: e quibus vel præcipui sunt aduersus Iudæos & Gentes, & Nouatianos, & ad Galatas ὑποθέσεων libri decem, & in Euangelia homiliæ breues, sed plurimæ. Floruit temporibus Constantij Imperatoris, sub quo & E mortuus, & Antiochiæ sepultus est.] et apud Theodoretum[d]: Eranistes dicenti hæc Orthodoxo: Eusebium fortasse audisti; qui Emesæ vrbis ad Libanum fuit Pontifex? Respondit: Incidi in aliquot eius scripta, & inueni eum valde consentire cum Arij dogmatibus. Ad hæc Orthodoxus: Is erat illius sectæ, &c.] At satis hæc ad Ariani hominis sepulturæ gloriæ titulum, quẽ tamen alicubi, maxima auctoris inscitia, qui eius nomine quasdam edidit homilias, inuenimus nominatum esse beatum, & ab aliis[e] recensitum perperam inter sanctos: decepti hi omnes fuerunt Sozomeni auctoritate, quem scite oportuit confutasse, ne amplius eius assertio existat laqueus imperitis. Auctor quoque Socrates[f] est, eumdem qui supra Georgium Laodiceæ Episcopum Arianum scripsisse librum de vita eiusdem Eusebij, in quo tot tantaque de collega impietatis mendacia consarciuit: sed de his alias in Notis ad Romanum Martyrologium dixisse meminimus.

d Apud Theodoret. in impatib.
e Petr. de Natal. in Catal. sanct. lib. 7. c. 6. Martyrolog. die 23. August.
f Socrat. lib. 2. c. 6.

Redeamus iam ad res gestas in Antiochena Synodo, in qua vbi recusasset Eusebius Emisenus

a Socrat. lib. 2. c. 7.
b Sozom. lib. 3. c. 5.
c Ruffin. lib. 1. c. 19.
d Socrat. & Sozom. vbi ſupra.

Emiſenus in locum Athanaſij in Alexandrina Eccleſia ſubrogari; delectus eſt ab Euſebia- A
nis (vt Socrates [a] atque Sozomenus [b] teſtantur) Gregorius eiſdem Arianis dogmatis impieta-
te coniunctus. ſic enim eum, nempe Gregorium, non Georgium nominant Ruffinus [c], Socra-
tes [d], Sozomenus, & ante hos omnes Athanaſius in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes. Sed
antequàm progrediamur vlterius; admonendus hic, lector, es ob nominis quamdam ſimilitu-
dinem, & alia plura ſimul conuenientia, magnas inter ſcriptores veteres reperiri obortas
ambages, dum interdum apud eos Georgius pro Gregorio vſurpatur, vel Gregorius verſa
vice pro Georgio ponitur: quod quidem non tam hiſtoricorum imperitiæ, quàm librariorum
vitio tribuendum potius eſt; cum tamen adeo vultu ſimiles potuerint quemque fallere vel
ſapientem: quamobrem magna opus eſt diligentia, vt confuſa inter ſe nomina & res geſtæ li-
quido ab inuicem diſcriminentur: aliàs enim in perplexas & inſolubiles quæſtionum amba-
ges atque inextricabiles labyrinthos inuitus licet quiſque ferri cogetur. B

e Athanaſ. ad Orthodox.
f Gregor. Nazianz. orat. in laud. Athanaſ.
GREGORII CVM GEORGIO FACTA CONFVSIO.

Conueniunt in primis, vt diximus, ea nominis ſimilitudine: concordāt etiam patria, cum
tam Gregorium, quam Georgium fuiſſe Cappadoces, veteres ſcriptores tradant: de Gregorio
enim mendoſe Georgio ſcripto teſtatur Athanaſius [e], de Georgio Gregorius Nazianzenus [f].
Conſentiunt miniſterio pariter, dum vterque creatus eſt, alter poſt alterum ſuffectus in lo-
cum Athanaſij, Epiſcopus Alexandrinus: ſunt quoque rerum geſtarum ſimilitudine minime
diſpares, cum ſuo ipſorū vterque ingreſſu graſſatus fuerit in Catholicos Eccleſiæ Alexandri-
næ, & in eos armauerit infideles: verum & dogmate ijdem, ambo nimirum deteſtabiles Ariani.
Sed & quod maius videri debet, quiſque eorum violenta morte diem clauſit extremum, occi-
ſus vterque, diuerſo quamuis tempore, a populo Alexandrino.

g Athanaſ. ad ſolitar. vitam agentes.
QVIBVS DISTINCTVS SIT GEORGIVS A GREGORIO.

Ceterum licet iiſdem prope lineamentis ijdem ferme vultus vtriuſque reddantur: tamen
complures ſunt differentiæ, quibus abinuicem diſtinguantur. Siquidem prior hic inſtitutus C
Antiochiæ Epiſcopus Alexandrinus in locum Athanaſij, Gregorius, & non Georgius reuera
nuncupatus habetur a Gregorio Nazianzeno, Athanaſio, Socrate, atque Sozomeno. At id
quàm diſertis verbis Athanaſius [g]? Primum quidem, inquit, Gregorium, nunc deinde Geor-
gium depeculatorem in Epiſcopatum mittunt, &c.] ex quo quidem loco corrigendus eſt
eiuſdem Athanaſij textus, in quem, ſiue ſcriptorum, ſiue typographorū vitio, Georgij nomen
pro Gregorio frequenter irrepſit. ſed & tempora ipſa euidentius eoſdem conſtituunt diuer-
ſos, dum Gregorius ex Concilio Antiocheno ſedere cœpit hoc anno, Georgius vero cum
iterum poſt Sardicenſe Concilium Athanaſio reſtituto atque deiecto in locum ipſius fuit ab
Arianis Epiſcopis ſubrogatus.

h Ammian. lib. 22.
i Plinius lib. 5. c. 27.

Ceterum ex teſtificatione Ammiani [h], neceſſe eſt eoſdem abinuicem diſcriminari patria. ſi-
quidem Georgius nequaquam Cappadox vere fuit, ſed Cilix, Epiphania ciuitate oriundus, D
cuius meminit Plinius [i]. In ſubſcriptione quoque Nicæni Concilij, inter Ciliciæ Epiſcopos
recēſetur Amphion eiuſdē ciuitatis Epiphaniæ Præſul. Ammianus enim de Georgio ait: Na-
tus in Fullio, nempe parente Fullone apud Epiphaniam Ciliciæ oppidum.] Quod vero ſpe-
ctat ad ſimiles ab vtroque res geſtas: ex ijs magna ambiguitas interdum exoriri contingat,
cum præſertim eadem in eoſdem Alexandrinos videantur admiſſa: tamen ab vtriſque illatæ
clades, certis notis abinuicem diſtinguuntur: nam ad facinus perpetrandum in Eccleſiam
Alexandrinam, diuerſis ad illam inuaſionem tyrannicam reperiuntur vſi eſſe miniſtris: ſiqui-
dem Gregorius id fecit per Philagrium & Arſacium magiſtratus, Georgius vero per Hera-
clium Comitem, Syrianum, & Fauſtinum. præterea Gregorius depoſitus eſt, vt ſuo loco dice-
mus, in Concilio Sardicenſi, ac poſt decem menſes occiſus; Georgius vero peruenit ad
tempora Iuliani Apoſtatæ, quando & ab Alexandrinis necatus atque diſcerptus eſt. rurſum E
Gregorius ex clero electus ad Epiſcopatum, Georgius ex Curia Imperatoris: quæ omnia
diuerſis in locis reperiūtur expreſſa apud Athanaſium in epiſtola ad ſolitarios. His igitur hunc
in modum perſpicue elucidatis, ea vtemur optimo iure licentia, vt cum apud auctores
qui paſſim citantur, mendoſe Georgius pro Gregorio ſcriptus habetur, in eis ſic de-
ſcribendis, ad perplexitatem & rerum confuſionem vitandam, Gregorium emendate
reddamus.

GREGORIVS A QVIBVS ELIGITVR.
k Athanaſ. ad Solitar.
l Apud Athanaſ. Apolog. 2.

Quod autem ad Gregorij electionem pertinet: etſi nonaginta ſaltem numero Epiſcopi in
ea Synodo conuenerint Antiochiæ; haud tamen ab omnibus eius electio facta eſt, ſed
paucorum dumtaxat ſuffragiis, de quibus hæc Athanaſius [k]: Vt igitur Arianus eſt Gregorius,
ita & ab Arianis miſſus eſt, eumque nemo in Epiſcopum poſtulauit, niſi ſoli Ariani, ac pro-
inde vti mercenarius & externus, &c.] in eamdem quoque ſententiam Iulius [l] (vt diximus)

A trigintasex tantum numero fuisse Episcopos tradit, qui externum, inquit, hominem Episcopum salutarunt. Quisnam vero qualisve hic antea fuisset, Athanasius docet his verbis[a]: Ego autem, quia iam pridem, cum eum Ariani vt fidum sibi in Episcopum promouebant, scripto edideram, nemini vestrum, Catholicis Episcopis ignotum esse Gregorium, eumq. merito a vobis pro impietate sua excommunicatum esse, & anathema edicto Ecclesiæ proclamatum: nec aliam esse causam cur eum Ariani pro Episcopo mittant, nisi ne denuo ex meis scriptis similia conuicia paterentur, barbara & exotica in me vi cootti.] idemque alibi de eodem cum agit, hæc habet[b]: Gregorij porro Cappadocis ab Alexandrina ciuitate eiecti nulla mentio ratioque habenda est, vt hominis neque ex superiore vita commendati, neque vllo modo Christiani, sed pro temporis conditione nomen Christiani simulantis, & quæstum religionem arbitrantis; ac proinde nemo de illo conqueri debet, si in B fide labatur homo qui neque scit de quibus loquitur, neque de quibus affirmet.] hoc quidem de Gregorio isto, de quo agimus, esse intelligendum, quòd ait eiectum de Ecclesia Alexandrina, declarat.

a Athanas. ad Orthodox.

b Athanas. lib. de Synod.

Porro de eiusmodi Gregorij perperam facta in Episcopum Alexandrinum euectione, iure postea ad eos scribens conquestus est Iulius Papa[c], cum inquit: Prorsus ignoro quanam ratione facta sunt, quæ facta sunt. Primum enim (si verum dicendum est) non decebat, cum nos ad celebrandam Synodum litteras mitteremus, aliquos præoccupare iudicium Synodi: deinde non decuit, nouos istos modos contra Ecclesiam induci: vbi enim est istiusmodi Ecclesiasticus canon, aut istiusmodi traditio Apostolica? vt in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriæ Athanasio existente, immittere Gregorium peregrinum & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, C neque postulatum a presbyteris, eumque Antiochiæ creare Episcopum, atque inde deducere Alexandriam, non cum presbyteris aut diaconis ciuitatis, non cum Aegypti Episcopis, sed cum militibus? Hæc enim dixere & conquesti sunt, qui huc venerunt. Si enim post Synodum in culpa fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oportuit creationem noui Episcopi ita illegaliter & præter canonem Ecclesiasticum fieri: sed in ipsa Ecclesia & ex ipso sacerdotali ordine, atque ex ipso eleto eius prouinciæ Episcopos constitui, & nequaquam ex illis qui nunc Apostolorum canones violant.] hæc Iulius, ex quibus antiquus mos eligendi Episcopos ex gremio matricis Ecclesiæ refertur. Quando autem contigerit aduentus Gregorij intrusi Episcopi Alexandriam, & qualis ille fuerit, suo loco dicemus.

IVLII PAPAE QVERELA.

c Apud Athanas. Apolog. 2.

Post electionem autem Gregorij quid in Synodo actum sit, Socrates[d] narrat, & vt apparet, accepit a S. Athanasio in commentario de Synodis scripto: ait ergo: Qua re conD fecta, nempe Gregorij electione, fidem commutare laborant. Qui tametsi nihil eorum quæ in Concilio Nicæno acta sunt, reprehendere volebant: reuera tamen fidem Consubstantialis per crebra Concilia labefactare & euertere, & alias aliter de fide decidere aggressi sunt.] ita ipse. Verum Eusebiani non per huiuscemodi tantum cuniculos clandestine Nicænam fidei professionem labefactare tentarunt; sed & illud fuit eis in consilio, scilicet, ne res ab eis tyrannice gestæ, vt ab Arianis factæ, ab Orthodoxis irritarentur, & ab vniuerso Christiano populo inuidiam eo nomine & odium sustinerent: in eadem Synodo, callide & vafre se Arium detestari, ac procul ab eius sententia abhorrere, scripta fidei confessione, publice professi sunt. subdit igitur Socrates: Ceterum qua ratione ista acta sint, sequenti sermone ostendemus. Porro epistola ab illis de fide Catholica prodita hæc est:

d Socrat. lib. 2. c. 7.

ARIANI OCCVLTE INVADERE STVDENT VERAM FIDEM.

E Nos neque sumus Arij sectatores (qui namque fieri potest, vt cum simus Episcopi, Ario presbytero auscultemus?) neque aliam fidem, quàm quæ ab initio diuulgata sit, recipimus: sed cum in fidem eius studiose inquirere, eámque accurate expendere niteremur: Arium potius ad nos reuertentem admisimus, quàm eius opinioni sumus ipsi obsequuti: idque ex iis quæ dicentur, facile cognoscetis. Nam nos ab initio didicimus, in vnum Deum totius vniuersitatis, omnium rerum quæ tum mente, tum sensu percipiuntur, opificem & curatorem* credere: et in vnum Filium Dei vnigenitum, qui fuit ante omnia sæcula, & vna cum Patre, qui eum genuerat, extitit: per quem omnia visibilia & inuisibilia facta sunt: qui in nouissimis diebus secundum Patris beneplacitum descendit, & carnem de sancta Virgine assumpsit: qui omnem Patris sui voluntatem expleuit: qui passus est, resurrexit, & ad cælos ascendit, & ad dexteram Patris sedet: et venturus est iudicare viuos & mortuos, & Rex ac Deus in sæcula permansurus. Credimus etiam in Spiritumsanctum: et si quid amplius adiungendum est. Credimus carnis resurrectionem, & vitam æternam.

EVSEBIANORVM PRIMA FIDEI FORMVLA.

* creatorem

Ista cùm in prima epistola scripsissent (subdit Socrates) Ecclesiæ ministris cuiusque ciuitatis miserunt. At vbi paulo amplius Antiochiæ fuerant commorati (per idem festum Encæ- A

a Athanas. lib. de Synod.

niorum, vt ait Athanasius [a]) hanc fidei formulam quodammodo condemnates, aliam de integro conscribẽdam curarunt.] quòd enim ieiune nimis visi essent de Filij Dei diuinitate egisse, ac proinde facile in suspicionem venire potuisse Arianæ impietatis; aliam paulo post conscribendam professionem curarunt, qua illud potissimum affectarunt, nimirum ne viderentur nouam edere fidem, affectatores se esse Apostolicæ traditionis, nec a substantiæ nomine abhorrere. fuit ergo his ferme concepta verbis [b]:

b Apud Socrat. lib. 2. c. 7.

SECVNDA FIDEI FORMVLA IN SYNODO ANTIOCH. SCRIPTA.

Credimus secundum Euangelicam & Apostolicam traditionem in vnum Deum Patrem omnipotentem, rerum vniuersarum opificem & fabricatorem. Et in vnum Dominum Iesum Christum filium eius vnigenitum Deum, per quem omnia facta sunt, genitum ante omnia sæcula ex Patre, Deum de Deo, totum ex toto, solum ex solo, perfectum ex perfecto, Regem B
ex Rege, Dominum ex Domino, Verbum viuum, Sapientiam, Vitam, Lucem veram, veritatis Viam, Resurrectionem, Pastorem, Ostium: eumque nec conuerti, nec mutari posse, expressam diuinitatis, essentiæ, virtutis, consilij, gloriæ Patris imaginem: Primogenitum omnis creaturæ: qui fuit in initio apud Deum, Deus Verbum (sicut in Euangelio dictũ est [c]: Et Deus erat Verbum) per quem omnia facta sunt, & in quo omnia consistunt. Qui in nouissimis diebus descendit de cælis, &c.]

c Ioan. 1.

CALLIDA FRAVS ARIANORVM.

At quis tam occulatus, qui inter tot de Christo præconia, & diuinitatis eius signa atque certas expressas notas, existimet aliquid reperiri in eiusmodi fidei confessione, quod Catholico dogmati aduersetur? Ceterum ex his quæ docet S. Athanasius de Nicænis decretis, perfacile in hoc erit reperire ipsorum mille fucatam artibus imposturam. quam vel eo vno argumento deteges: Si enim Catholicæ se fidei professores exhibẽt, quid opus est nouam cu- C
dere fidei formulam, perstante Nicæna? a qua deuiasse, istud ipsum est, hæreticum esse: sed odio prosequuti sunt in illa vocem Consubstantialis, quam male demonstrarunt videri voluisse in hanc suam ipsorum confessionem transferre; verum dum dicunt, Filium imaginem esse substantiæ siue essentiæ Dei, eo sensu quo accipiebant ista illi, hæresin confouebant; adeo longe aberant, vt Filium consubstantialem Patri eiusmodi fidei Symbolo profiterentur, prout pluribus manifeste declarat [d], qui eos probe nouerat intus & in cute Athanasius. Huic igitur editæ ab eis fidei professioni, appositis quoque in fine anathematismis, subscripserunt Eusebiani omnes, & inter alios, vt ait Socrates, Gregorius recens institutus Episcopus Alexandrinus.

d Athanas. de Synod. contr. hæres. Arian.

e Hilar. de Synod.

Porro S. Hilarius [e] huius scribendæ fidei confessionis causam præcessisse ait; quòd vnus ex Episcopis illis in suspicionem adductus fuisset, praua sentire: id puto obiectum Gregorio D
ea occasione, quòd esset tunc electus Episcopus Alexandrinus; cum alioqui Eusebiani omnes eadem suspicione laborarent: qui quidem Hilarius (vt ex scriptis eius colligitur) non tam Eusebianis, quàm vniuersæ Synodo nonagintaseptem Episcoporum eam tribuit: sed præstat, vt Athanasio auscultemus, qui ab Eusebianis eiusmodi professionem fidei editam tradit, cum iam prioris editæ eos pœnituisset. Ceterum Hilarij editio paulum diuersa est ab ea quæ apud Socratem & Athanasium reperitur. Sed quòd in hac fidei professione Eusebiani licet non fuerint confessi Filium eiusdem esse cum Patre substantiæ, sed substantiæ Patris imaginem; hoc ipsum tamen ijdem postea deleuerunt. Quamobrem in eosdem his verbis inuectus est Athanasius [f]: Cum in Encæniis promulgassent Filium esse substantiæ Patris sine omni dissimilitudine imaginem; iureiurandoque affirmassent, se ita sentire, & anathemate execrarentur qui aliter sentirent; ac præterea cum Isau- E
riæ ita scripsissent: Non refugimus fidem in Encæniis Antiochiæ editam, vbi nomen Substantiæ adscriptum inuenias: veluti horum omnium obliti, paulo post in ipsa Isauria scripserunt se ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον, hoc est Consubstantialem & similem substantia reijcere, vt vocabula aliena a sacris litteris, & nomen Substantiæ tollere, vt quod non in Scripturis reperiatur. Quis igitur posthac eos Christianos reputauerit? aut quænam denique fides apud eos, apud quos nulla nec verba nec scripta robur habent, sed omnia pro tempore mutantur & transformantur? Si tu Acaci, & Eudoxi, non refugitis in Encæniis promulgatam fidem, & in ea scriptum est, Filium substantiæ Patris esse indifferentem imaginem; cur igitur Isauriæ scribitis: Reiicimus vocem Consubstantialem? Si enim Filius secundum substantiam non est similis Patri; quo modo sine omni dissimilitudine imago Patris fuerit? &c.] hæc ipse redarguens eos sibi ipsis reperiri contrarios. Porro eiusmodi ab illis editam fidei regulam, Luciani martyris titulo promulgatam fuisse, Sozomenus [g] tradit.

f Athanas. de Synod.

g Sozom. lib. 3 c. 5.

A Sed nec tunc quidem eiusmodi secundæ ab eis editæ fidei formulæ steterũt: Theophronius enim Tyanensis Episcopus (inquit Athanasius [a]) aliam istiusmodi fidem a se compositam in præsentia omnium promulgauit; cui omnes, hominis religione approbata, subscripserunt.] quæ hæc est: [a] Athanas. de Synod.

Nouit Dominus, quem testem aduersus animam meam inuoco, quòd credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, vniuersitatis conditorem, & auctorem, ex quo omnia. Et in Filium eius vnigenitum, Deum, Verbum, Potentiam, & Sapientiam, Dominum nostrum Iesum Christum, per quem omnia: eumq. genitum esse ex Patre ante sæcula, Deum perfectum ex Deo perfecto, & apud Patrem existere in sua persona, & vltimis diebus descendisse, genitumq. ex Virgine esse secundum Scripturas: Et postquam homo factus esset, passum esse, & resurrexisse a mortuis, & in cælos ascendisse, & sedere ad dexteram Patris sui: eumdemq. iterum B venturum esse cum gloria & potentia ad iudicãdum viuos & mortuos: eumdemq. permanere in sæcula. Et in Spiritumsanctum consolatorem, Spiritum veritatis: quem etiam per Prophetam promisit Deus se effusurum super seruos suos, & quem Dominus discipulis suis pollicitus est, & secundum pollicitationem misit, vt Acta [b] Apostolorum testantur. Si quis igitur præter hanc fidem docet, aut diuersa in animo retinet; anathema esto: Aut quæ Marcelli Ancyrensis, Sabellij, aut Pauli Samosateni sunt, sapiat; et ille quoque anathema esto, & quicumque cum eo communicant.] TERTIA FIDEI FORMVLA ANTIOCHIAE EDITA. [b] Act. 1.

At satis ne hæc illis visa sunt, triplices iam vnius fidei easdemq. inter se diuersas formulas edidisse? minime gẽtium. Ea quippe est hæreticorum natura, idq. ipsis peculiarius insitum, vt semper instabiles atque volubiles, sua ipsorum arguantur inconstantia, atque mobilitate damnentur: Non est enim solium filiæ [c] Chaldæorum: adeo vt nullo valeant loco consistere, & C statutæ ab se semel, firmiter inhærere sententiæ; sed iuxta illud diuinæ Scripturæ [d], Læues sint super faciem aquæ: atque instar [e] Cain, a veritate sponte exulantes, vagi ac profugi semper incerti a sua ipsorum ferantur insania. Cum enim nonnisi vna veritas sit; ab ea qui semel exciderint, semper dubios, nutantes, & anxios incerta sede vagari continget, & secundum illud sanctissimi Iob [f]: Ambulant super vacuum, & peribunt.] Qui igitur tres inter se varias in eadem Synodo ediderunt, aliam post aliam, fidei confessiones, quas singulas probarunt, & subscripserunt; addiderunt his omnibus quartam paulo post, anno illo necdum elapso. testatur id quidem S. Athanasius, qui triplicibus illis formulis recitatis, ista subdit: HAERETICI INCONSTANTES. [c] Isai. 47. [d] Iob 24. [e] Genes. 4. [f] Iob 5.

Hæc cum Antiochiæ per tempora Encæniorum egissent: ne tum quidem arbitrati satis perfecte fidem suam conscriptam esse, vtpote homines turbido fluctuantiq. animo, aliud scripturæ genus de fide post aliquot menses conficiunt, amandantq. in Gallias Narcissum, Ma- D rim, Theodorũ, & Marcũ; qui quasi a Synodo emissi, ista beatæ memoriæ Constanti Augusto, ceterisq. qui ibi aderant, tradiderunt.] sic refert Athanasius Fuerunt autẽ Legati eiusmodi ab Antiocheno Concilio missi in Occidẽtem ad Constantẽ Imperatorem, qui primi inter eos videbantur Episcopi impietate præstantes; eo nimirum fulti consilio, vt quemadmodum Constantium Orientis Imperatorem hæresis cassibus inclusissent, sic & eum qui Occidenti præesset Augustus, ijsdem artibus captiuarent, fieretq. vt cum eis vniuersus Christianus orbis duceretur ab Ariana impietate captiuus; sicq. iuxta diuinum oraculum, immolarent sagenæ suæ [g], & sacrificarent reti suo. Tanta ergo re concepta, ad tam immane facinus peragendum deliguntur ab eis in primis veternosus hæreticus, antiquus Arianus, atque Ario plane connatus, Narcissus Neroniadis in Cilicia Episcopus, quem Athanasius [h] ad omnem impietatem audacissimum nominat, Maris Episcopus Chalcedonensis, qui Narcissum superabat in propaganda E Ariana hæresi diligentia, Theodorus Heracleæ (quæ & Perinthus dicitur) Episcopus, pollens male parta ad decipiẽdum Fideles scientia, & Marcus Episcopus Arethusius ad dolosa impertienda consilia alter Achitophel [i] nominandus. His igitur tanti ponderis legatio a sceleratorum factione decernitur; daturq. illis, haud dubium litteris adiuncta Constantij, quam ad Constantem Augustum perferant, statuta ab illis Antiochiæ nouissime formula fidei: ipsam autem his verbis conceptam S. Athanasius [k] recitat: QVARTAM FIDEI FORMVLAM SCRIBVNT AVSEBIANI. [g] Hab. 1. EVSEBIANORVM LEGATIO IN OCCIDENTEM. [h] Athanas. orat. 1. contra Arian. [i] 2. Reg. 15. & 16. [k] Athanas. de Synod. Arimin.

Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem, conditorem & factorem rerum, ex quo omnis Paternitas & in cælis & in terris nominatur. Et in vnigenitum eius Filium Dominum nostrum Iesum Christum, ante omnia sæcula ex Patre genitum, Deum ex Deo, lumen de lumine, per quem omnia facta sunt in cælis & in terris, siue ea visibilia sint, siue inuisibilia: eumdemq. Verbum esse, Sapientiam, Virtutem, Vitam, & veram Lucem: qui propter nos postremis temporibus homo factus est, & genitus ex sancta Virgine: eumdemq. credimus crucifixum, mortuum, sepultũque, tertio die ex mortuis resurrexisse, assumptumq in cælum, residere QVARTA FORMVLA NOVAE FIDEI SYNOD. ANTIOCH.

ad dexteram

ad dexteram Patris, & venturum esse in consummatione, vt iudicet viuos & mortuos, reddatq. singulis secundum opera sua. Cuius regnum indestructibile permanet per infinitas ætates: Sedet enim ad dexteram Patris non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Credimusq. in Spiritumsanctum, hoc est Paraclitum; quem pollicitus Apostolis, post reditum suum in cælos, misit, vt eos erudiret, omniaq. illis in memoriam subijceret: per quem animæ sanctificantur quæ in illum sinceriter credunt. Eos porro, qui dicunt, Filium ex non ente, aut alia subsistentia, & non ex Deo esse: aut erat quando non erat Filius: alienos a se censet Catholica Ecclesia.] hactenus quarta descripta ex Antiocheno Concilio fidei confessio. A

CATHOLICI EPISCOPI EVSEBIANIS ADVERSATI SVNT.

Porro hæc omnia scripta & edita fuerunt ab Eusebianis tantum, ab illis inquam triginta-sex Episcopis, qui in Athanasij damnationem & Gregorij suffectionem turpiter consenserant: obnitentibus haud dubium reliquis Nicænæ fidei professoribus, inter quos eminebat magnus ille Iacobus Episcopus Nisibita, qui inter paucos illos qui reperiuntur scripti ante canones B Concilij Antiocheni connumeratur. Passurus ne æquo animo erat magnus Iacobus Nicænam professionem infringi, verbumq. Consubstantialis penitus aboleri? qui (vt suo loco superius dictum est ex Gennadio [a]) post multos labores atque certamina pro Concilij Nicæni defensione suscepta, & fideliter exantlata, de hoc ipso, Quòd Christus Filius Dei sit, & consubstantialis Patri, præclarum commentarium siue antea scripserat, siue post hæc ad horum redarguendam temeritatem confecit; quod magis credimus, cum antehac nulla suæ perfidiæ scriptis Eusebiani edidissent publica monumenta. Cur autem nouissima hæc ab eisdem quarta fidei regula ibidem Antiochiæ non statim, sed conscripta post aliquot menses a prioribus fuerit: nulla quidem, quam opinari possimus, causa nobis occurrit, nisi ingruens Antiochiæ terræmotus, quæ anno superiori quo eiusmodi Synodus indicta est, & præsenti quo est celebrata (vt superius demonstrauimus) vehementer est afflictata: adeo vt defuerit facultas C inita semel comitia frequētius celebrandi. hisce sane auspicijs decuit recentes Eusebianorum fidei regulas sanciri ac promulgari, quarum causa vniuersus Catholicus contremuit atque concussus est Orbis.

a Gennadius de viris illustr. c. 1.

QVATVOR SIMVL FIDEI REGVLAE APVD EVSEBIANOS.

Ceterum quod ad easdem quatuor inter se diuersas scriptas ab eis Antiochiæ fides pertinet: illud quoque admiratione dignum, quòd non sic quidem posterior cum scripta est, prior ab illis iussa est aboleri, vt (quod par erat, cum nonnisi vna posset esse vera fides) secunda primam, tertia secundam, ac denique quarta tertiam sua ipsorum assertione delerent, sed sinerent easdem omnes integras permanere; ea nimirum calliditate atque vafricie, vt pro temporis atque loci ratione, quæ sibi opportunior videretur, ex illis quatuor vnam ederent: quod fecisse Legatos ipsorum ad Constantem missos, Sozomenus [b] affirmat. At de his suo loco dicendum. Vides igitur quot indigeat velamentis ad suam ipsius turpitudinem contegendam D mendacium; cum sincera veritas suomet pro indumento candore nitens, honestissima, qua pulchrior redditur, gaudeat nuditate.

b Sozom. lib. 3. c. 14.

CANONES SYNODI ANTIOCHENAE.

Reperiuntur eiusdem Concilij canones vigintiquinque: verum quòd ab Eusebianis instituti essent; ab antiquioribus, cum citarentur in iudicio, reiecti fuerunt: vt accidit in causa S. Ioannis Chrysostomi; qui semel ab aduersarijs in Concilio depositus, cum restitutus esset postea pariter ab Episcoporum Synodo; illam restitutionem ea ex causa ab aduersarijs obiectum est nullius fuisse momenti, quòd scilicet contra canonē Ecclesiasticum Concilij Antiocheni ad sedem reuersus esset; cum per eam sanciatur, vt depositus in Concilio, nonnisi per Concilium maioris numeri Episcoporum possit a sententia, qua fuerat condemnatus, absolui. rem gestam sic narrat Socrates [c]: Episcopi qui tunc aderant, non de alio crimine queri, sed hoc solum in iudicium adduci oportere dixerunt; nimirum quòd post abdicationem, absque Concilij sententia, ipse sese in sede Episcopali collocauerat. Vbi Ioannes respondit, quinquaginta Episcopos qui cum ipso communicauerant, ei in illa re suffragatos fuisse. Leontius contra: At plures, inquit, tibi in Concilio refragati sunt. Rursus cum Ioannes diceret, hunc canonem non ad illorum Ecclesiam, sed ad Ecclesiam Arianorum pertinere (nam qui Antiochiæ ad fidem Consubstantialis tollendam conuenerant, præ odio aduersus Athanasium concepto, hunc canonem ediderant) reiecto illius responso, contra eum sententiam pronunciarunt, illud neutiquam animis cōplexi, quòd qui hoc canone vsi fuissent, etiam Athanasium abdicarant.] hæc Socrates, eadem Sozomenus [d], & alij qui scriptis prosequuti sunt res Ioannis Chrysostomi. E

c Socrat. lib. 6. c. 16.

d Sozom. lib. 8. c. 20.

e Cōcil. Antioch. c. 12. tom. 1.

CANON DE RESTITVTIONE DAMNATI EPISCOPI.

Porro canon ille huius Synodi Antiochenæ, cuius causa oborta est controuersia, quiq. ab eodē Ioanne Chrysostomo, vt ab Arianis conflatus, reiectus fuit, est huiusmodi [e]: Si quis a proprio Episcopo depositus vel presbyter, aut diaconus, aut etiam si a Synodo quilibet Episcopus fuerit exauctoratus; molestiam Imperialibus auribus inferre non præsumat, sed ad maiorem

Episco-

A Episcoporum Synodum sese conuertat; et quæ se putat habere iusta, in eorum Concilio allleget, atque ab his de se expectet, quæ fuerit deprompta sententia. Quòd si deficiens pusillanimitate, hoc noluerit facere, sed Imperatori fuerit importunus: huiusmodi nullam veniam habeat, neque locum illius restitutionis suæ, nec spem recipiendi gradus habeat in futurum.] hæc canon, & quidem aduersus Athanasium, vt apparet, editus, quippe quem dicerent Eusebiani, litteris tantum Imperatoris subnixum, qui depositus fuerat in Conciliabulo Tyrio, in suam Ecclesiam Alexandrinam reuersum esse. Cum igitur idem ipse canon aduersus Ioannem Chrysostomum ab eius aduersarijs adduceretur; qui ipsum defendebant, libera voce dicebant, canonem ab Arianis sancitum, & per Sardicense Concilium penitus esse sublatum, atque irritum omnino redditum: id sane quidem: nam Sardicensis Synodi canone tertio, siue quarto, atque septimo illud decretum est, vt liberum sit deposito a B quouis Concilio Episcopo appellare iudicium Romani Pontificis, qui per se, vel per Legatos, aliorum Episcoporum iudicium examinet atque diiudicet.

Sed & de his agens Innocentius Romanus Pontifex, ad clericos Constantinopolitanos scribens in eadem causa Chrysostomi, hæc de huiusmodi canone Antiochenæ Synodi: Si qui vero & alij canones scilicet a quibusdam proferuntur, qui a canonibus Nicænis discrepant, & ab hæreticis compositi deprehenduntur: hi ab Episcopis Catholicis reijciuntur. Hæreticorum enim commenta Catholicis canonibus astruere non licet: semper enim vel per contraria, vel per illicita labefactare student voluntatem Concilij Nicæni. Non solum igitur his non obtemperandum esse dicimus, sed ipsa potius cum hæreticis atque schismaticis dogmatibus esse condemnanda: quo modo & antea in Sardicensi Concilio ab Episcopis prædecessoribus nostris factum est.] hæc Innocentius, cum in locum Ioannis Chrysostomi alius ab aduersarijs C fuisset substitutus Episcopus.

Ceterum quod spectat ad eiusdem Antiocheni Concilij canones: Eusebiani, apud quos nihil antiquius fuit, quàm vt in cuius suspicionem venerant, vitarent nomen hæreticum; hanc ob causam, sicut in prima ipsorum ibi facta fidei confessione contestati in primis sunt, se Arium minime sectatos esse; ita in canonum editione, quo ab eis statuta reciperentur ab omnibus, ipso ingressu canonem illum posuerunt, quo Nicæni Concilij canonis de Paschatis tempore instituti se vindices exhiberent, ac proinde maculam illam qua aspersi erant, quòd ferrentur ipsi Nicænæ Synodo aduersari, hoc dolo prorsus eluerent. Ad quorum confirmandam fidem illud quoque accessit, quòd inter Episcopos qui scripserũt epistolam Synodalem, insignis ille Iacobus Episcopus Nisibita haberetur inscriptus; et econtra nomina eorum qui Arianæ sectæ erant antesignani, vt Eusebii Nicomediensis, iam Episcopi Constantinopolitani, Acacij D Episcopi Cæsariensis, Maris Chalcedonensis, Patrophili Scythopolitani, Theognis Nicæni, & aliorum famosissimorum Arianorum scripta minime legerentur in epistola Synodali, quam iisdem canonibus præfixere: eam vero verborum lenocinio fucatam sic breuiter conscripserunt [a]: EVSEBIANORVM DOLOSVM STVDIVM.

Sancta & pacatissima Synodus in vnum congregata, his qui per singulas prouincias sunt, vnanimibus Sanctis & Consacerdotibus in Domino salutem. a Præfat. Concil. Antioch. tom. 1. Concil. CONCILII ANTIOCH. SYNODICA.

Gratia & veritas Iesu Christi Domini & Saluatoris nostri sanctam Antiochenam Ecclesiam visitans, & in vnum cõnectens per concordiam pacatissimi Spiritus, multa quidem & alia perfecit; in omnibus autem & pacata, suggerente sancto & pacifico Spiritu, etiam hoc perfecit, vt quæ visa sunt recte constitui, cum plurima consideratione & iudicio vna cum omnibus nobis Antiochiam ex diuersis prouinciis in vnum collectis Episcopis, in vestram notitiam deE ferantur. Credimus autem gratiæ Domini & Spirituisancto pacis, quod & ipsi conspirabitis nobis, tamquam in vnam fuissetis virtutem nobiscum, & orationibus adnitentes, magis autem muniti & in Spiritusancto præsentes, iisdem ipsis quæ definita sunt consentientes, & ea quæ visa sunt recta roborantes cum consensu sancti Spiritus consignabitis.] hæc illi, auspicantes & canonum editionem (vt dictum est) a stabilimento Nicæni canonis de Paschatis die editi. At quos non decepisset eorum impostura tot tantisq. fucata pigmentis? quibus cum decipi possent qui tunc erant in diuersis prouinciis Episcopi; quid mirum, si complures qui posterioribus temporibus vixerunt, eadem vt canonica receperunt?

Vnde accidit, vt canonum collectores, in antiquorum ab ipsis facta canonum collectione, eosdem quoque tamquam editos ab Orthodoxis vna collegerint, & Ecclesiæ legendos ediderint. Quisnam autem is primus fuerit, ignoratur: illud tamen compertum est, ex quadam antiquiori nobis incõperta collectione in Concilio Chalcedonensi duos canones Antiochenæ Synodi in Actione quarta atque vndecima ad verbum esse citatos, sed absque titulo Antiocheni CANONES ANTIOCHENAE SYNODI QVO MODO RECEPTI.

cheni Concilij: quorum quidem in eo codice, qui in Synodo probatus est atque lectus A Actione vndecima, prior nonagesimoquinto, posterior vero nonagesimosexto erat numero consignatus; cum tamen ijdem in Concilio Antiocheno decimussextus & decimusseptimus ordine describantur: vt plane appareat non ex ipso Antiocheni Concilij codice editos esse, sed ex quadam ante iam facta collectione communi maiorum auctoritate probata.

Quæ enim secundum Ecclesiasticam antiquitus traditam disciplinam ab eis in ea Synodo viderentur esse disposita, plane abijcienda non erant, sed ab ipsis tamquam ab iniustis possessoribus vindicanda; quæ licet optima ac digna essent, ab eisdem tamen Eusebianis in malum vsum, nempe ad persecutionem Catholicorum conuerterentur. Sit in exemplum canon eiusdem Synodi quintus, citatus ac redditus per singula verba in Actione quarta Concilij Chalcedonensis, cum dicitur[a]: Aetius Archidiaconus Constantinopolis sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ dixit: Regula est hæc cum alijs posita a sanctis Patribus, quam custodientes sanctissimi B Patres Episcopi docent & clericos, & monachos, & omnes Christum colentes. Si autem inueniant aut insultantes, aut acquiescere non volentes, hac vtuntur regula. Et ex codice relegit hæc de clericis & monachis, qui semetipsos a communione suspendunt: Si quis presbyter, aut diaconus suum contemnens Episcopum, a communione semetipsum suspendit Ecclesiæ, & secretius collectam fecerit, & altare constituerit, & noluerit euocanti Episcopo consentire, & noluerit eidem acquiescere, neque obedire & primo & secundo vocanti: hunc omnino damnari, nec vmquam hunc curationem mereri, nec recipere eum posse honorem ordinamus: Si autem permanserit turbas faciens & seditiones Ecclesiæ; per extraneam potestatem, tamquam seditiosum debere corripi.] & canone recitato, subditur: Omnes reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Hæc iusta regula: Hæc regula Patrum.] ita ibi.

a Tom. 1. Concil.

QVOMODO EVSEBIANI ABVTERENTVR ECCLESIASTICIS REGVLIS.

Ceterum tam vtilis atque proficuus ad schismaticos atque seditiosos coercendos præsens C canon Ecclesiasticus, ab Eusebianis tamen ad vexandos Catholicos, haud dubium, statutus fuit. Siquidem (quod dictum est anno superiore) cum in locum Eustathij Episcopi Antiocheni Eusebianus Antistes Ario fauens fuisset Euphronius subrogatus; Catholici eius communicationem vt rem execrabilem detestantes, seorsum ab eo conuentus agebant, nec adigi potuerunt, vt cum Eusebianis, Arianisq. iisdem Episcopis communicarent, qui & ab illis ignominiæ ergo Eustathiani nominati sunt: quod & accidit Alexandriæ, cum illuc (quod dicemus anno sequenti) amandatus est Gregorius, in locum Athanasii subrogatus; cum nec vi militum atque tormentis, vt illi communicarent Catholici, eum auersati, compelli potuerunt. At nec hoc recens, & ab Eusebianis primum dici potest esse statutum, quo schismatici vetarentur seorsum conuentus agere; cum omnes ad altare vnum, vnumq. panem vniuersos Fideles participare debere, ipso exordio nascentis Ecclesiæ, semper eadem viguerit disciplina: adeo vt D eum canonem reijcere, videretur contra Apostolica instituta pugnare.

CORRIGITVR GRATIANVS.

b 11. dist. 16.

Ceterum quod ad eosdem Antiochenæ Synodi canones spectat: illud in Gratiano displicet, quod hanc Synodum inter Concilia a Catholicis habita recenset, quiq. dum agit de eodem Concilio Antiocheno, lapsus errore videtur, cum hæc ait[b]: Quinta est Antiochena, in qua Patres vigintinouem statuerunt canones vigintiquinque, quorũ maxime auctor Eusebius Palæstinensis Episcopus extitit.] At ex auctore qui ait Synodo præfuisse Eusebium, satis quisque intelligere potuisset, nõ a Catholicis, sed ab Eusebianis iisdemq. Arianis Concilium illud fuisse collectum. Ceterum constat Eusebium Episcopum Metropolitanum Cæsareæ Palæstinæ iam superiori anno esse defunctum, huicq. Synodo presto fuisse, qui in eius locum successit, Acacium: testatur id quidem disertis verbis Sozomenus, dum ait[c]: Huic Concilio interfuerũt, non Eusebius solum, qui post Paulum eiectum, Nicomedia translatus, sedem Constantinopolitanam occupauit, verum etiam Acacius Eusebii cognomento Pamphili successor, & Patrophilus Episcopus Scythopolis, &c.] numerat post hos Theodorum Heracleæ, Eudoxium Germaniciæ, Gregorium, qui fuit electus Episcopus Alexandriæ, Dianæum Cæsareæ Cappadociæ, & Georgium Laodiceæ quæ est in Syria: sed aliorum Eusebianorum vsque ad numerum trigintasex, quos auctoritate Iulii Papæ diximus, & ceterorum vsque ad numerum nonaginta, prout ex Athanasio est demonstratum, nomina, paucorum exceptis, habentur incerta. Si vero inter Episcopos illos nominatus est in aliquibus codicibus Eusebius Palæstinæ; idem ipse est, quod excusus codex emendate habet, Eusebius Gadarensis, quæ in Palæstina ciuitas est. De litteris autem ex hac eadem Synodo scriptis ad Iulium Romanum Pontificem, agemus sequenti anno, ex eiusdem Iulij ad ipsos redditis litteris eo anno conscriptis. E

c Sozom. lib. 3. c. 5.

Hic rursus occasione primi canonis huius Concilii, quo exagitantur illi qui aduersus decretum Nicænæ Synodi celebrarent Pascha more Iudæorum Luna decimaquarta: agendum est

A dum est de Audianis, sic dictis ab Audæo hæresiarcha; quorum causa idem videtur canon esse statutus: hoc namque tempore idem Audæus eamdem improbatam opinionem, & a tempore Nicæni Concilij cõsopitam conatus est iterum excitare, atque apud suos magnopere propagare. Mentio est eiusdem Audæi apud S. Hieronymum in Chronico, anno superiore, nempe quarto dictorum Imperatorum. Vixisse autem ipsum temporibus Arij, S.[a] Epiphanius auctor est, qui de eodem hæc posteris tradidit: Fuit, inquit, Audæus in Mesopotamia oriundus, clarus in patria sua propter sinceritatem vitæ, & zeli erga Deum, & fidei; qui sæpe conspicatus ea quæ in Ecclesijs fiunt, in faciem Episcoporum & presbyterorum, se talibus opponebat, ac ipsos redarguebat, dicens: Non oportet hæc sic fieri, vel ea sic peragi: velut vir veritatis studiosus, quales esse solent ora virorum, qui pietatis sunt studiosi, & vitam maxime exactam viuunt: quapropter talia videns (velut dixi) in Ecclesijs loqui cogebatur ac confu-
B tare, & non tacebat. Si enim aliquem videbat pecuniæ studiosum ex clero, aut Episcopum, aut presbyterum, aut alium quemdam ex regula, omnino loquebatur: et si videbat aliquem in voluptatibus & delicijs viuentem, aut aliquem adulterantem Ecclesiasticam prædicationem & Ecclesiæ statuta; non ferebat vir hic, sed verbis (velut dixi) reprehendebat.

AVDAEVS HAERESIARCHA.

a Epiphan. hæres. 70.

AVDAEVS AGIT CENSOREM ECCLESIAE.

Erat hoc graue admodum his qui vitam approbatam non habebant, atque hac de causa contumelijs afficiebatur, contradictionem sustinebat, odio habebatur: agitariq. atque protrudi, atque ignominia affici tolerabat, ad multum tempus in ecclesijs simul degens: donec quidam potenter in ipsum irruentes, virum propter talem causam expellunt. Ipse vero non sustinebat se eiici; sed magis obnitebatur, vt veritatem diceret, & a vinculo vnius sanctæ Catholicæ Ecclesiæ vnionis non discederet. Cum autem verberaretur sæpe tum ipse, tum sodales eius, & grauia pateretur; valde ingemiscens, consiliarium sibiipsi sumit iniuriarum
C necessitatem: nam seipsum ab Ecclesia separat, multiq. simul cum eo discedunt: et sic diuisionem fecit, cum nihil haberet in fide diuersum, sed rectissime crederet & ipse & sodales eius, vel etiã si id dicere maxime oportet, in paruo quodã ipsum contentiose ferri, itemq. eius asseclas. Nam cum hoc quod confitebatur de Patre & Filio & Spiritusancto mirabiliter, velut Catholica Ecclesia habet, etiam iuxta fidem rectam alia omnia in vita ad admirationem vsque seruabat: propriis enim manibus laborans ipse, & Episcopi ac presbyteri qui cum ipso erant, omnes nutriebantur.

Postea vero, vbi expulsus est ab Ecclesia, ab alio Episcopo eadem inquirente & ab Ecclesia digresso eligitur hic Episcopus.] et post multa de rebus ab eo gestis[b]: Sustinuit tamen exilium ipse senex Audæus, ad Scythiæ partes a Rege (nempe Constantio) relegatus, eo quod rebelles faceret populos: ab Episcopis enim ad Regem delatus est. Illic vero annorum tem-
D pore haud scio dicere quanto commoratus, vlterius progressus est ad intima Gothiæ; multosq. Gothorum ad fidem instruxit. Ab ipso sane multa monasteria in eadem Gothia facta sunt, & rectæ vitæ conuersatio est instituta, virginitasq. ac exercitatio pietatis non vulgaris. Est enim reuera hic ordo in valde admiranda conuersatione, & omnia in ipsorum monasterijs recte se habent, exceptis his contentionibus.] hactenus Epiphanius, eademq. alij, qui eam sunt prosequuti historiam.

b Epiphan. ibid. hæres. 70.

PROGRESSVS AVDAEI.

At quænam essent eorũ dogmata, quorum gratia seclusi essent ab Ecclesia Catholica, idem Epiphanius docet; nempe (quod stultum plane ac ridiculum est) ait hos Deum credidisse humanam ferre imaginem, secundum quam creauerit hominem ad imaginem & similitudinem suam. Addidit his Audæus, vt qui semel excidit ab Ecclesiæ Catholicæ communione, nõ amplius more Orthodoxorũ Pascha, sed ex cõsuetudine Iudæorũ, quartadecima Luna celebran-
E dum diceret, contra decretũ sacrosancti Nicæni Concilij, cuius vindices (vt demonstratũ est) se præbuerunt Eusebiani in celebrata hoc anno Synodo Antiochena aduersus eiusmodi hæreticos nuper exortos, licet minime nominentur. Verum & ille communis cum ceteris subinductus est ab eis error, vt non amplius communi omnium Fidelium nomine dicerentur Christiani, sed Audiani. At nec istud nomen diu perseuerauit in ipsis, qui a præcipuo ipsorum errore appellati sunt Antropomorphitæ.

ERRORES AVDAEI.

Quod autem spectat ad horum propagationem post mortẽ auctoris, hæc in fine habet Epiphanius[c]: Multi porro & post illius obitum fuerunt cum ipsis & post ipsum ordinis ipsius Episcopi, Vranius quidam in Mesopotamia. Sed & a Gothia habuit aliquos, ipsosq. cõstituit Episcopos; fuit & Siluanus, & alij quidam, quorum aliqui e vita decesserunt, præsertim Vranius, qui in medio eorũ gloriosus erat. Verum post horum ipsorum Episcoporũ, Vranij, & Siluani, qui ex Gothia originem trahebant, obitum, plerique dissipati sunt, & valde imminuta est ipsorum congregatio & in partibus Chalcidis ad Antiochiam sitæ, & in partibus Euphratis.

c Epiphan. vbi supra.

SVCCESSORES AVDAEI.

Nam

Nam a Gothia plerique fugati sunt non solum ex illis, sed etiam nostri illic Christiani, A
persecutione magna instante sub Rege Gentili, qui valde malus fuit, & Romanis infestus, eo quòd Romani Reges Christiani essent: adeo vt vniuersa gens Christianorum ab illis partibus fugata sit: neque remansit radix sapientiæ, neque planta fidei. At tametsi videantur omnes Fideles esse inde fugati, omnino sunt illic homines Christianæ religionis: non enim possibile est fidei fontem deficere. Multi igitur ipsorum Audianorum vbi discesserunt a Gothia, in nostris partibus, huc delati, cohabitant, ab annis quatuor. Sed & a Tauro monte rursus discesserunt eorumdem monasteria, atque a Palæstina & Arabia, erant enim iam dilatati, verum de cetero pauci & pauca monasteria, fortassis autem in duobus vicis in dictis partibus iuxta exteriorem Chalcidis partem, & vltra Damascum ad Mesopotamiæ partes: vsque hodie vero est horum ordo in paucis, vt dixi, superstes.] hactenus de his Epiphanius.

a Theodoret. hæretic. fabul. lib. 4.

Porro Audæo alia quoque tribuit Theodoretus, cum ait [a]: Dicunt hunc Audæum & tene- B
bras & aquam & ignem dicere ingenita: qui autem sunt huius appellationis participes, hæc celant.] Quos vero laudat Epiphanius Audianos probatis vixisse moribus eosdem tēporibus Theodoreti, vitæ integritate admodū deprauatos esse, ipse affirmare videtur, cū subdit: Prætexunt autem se fugere Ecclesiæ communionem propter fœneratores & eos qui cum mulieribus cohabitant, quamuis multa etiam ab eis grauiora perpetrarentur.] et inferius hæc de eorum disciplina in dimittendis peccatis: Hi autem se iactant peccata remittere, hoc scilicet modo: Postquàm enim sacros libros vna cum adulterinis, O, bipertito diuiserint (eos enim admirandum in modum arcanos & mysticos existimant) & hinc & illinc per versus posuerint: iubent vnumquemque per eos transire, & quæ a se peccata sunt, confiteri. Deinde confessis donant remissionem, non tempus ad pœnitentiam (nempe satisfactionem) vt iubent leges Ecclesiæ, præscribentes, sed sua potestate condonantes: scientes autem qui transeunt, id C
quod agitur, ludum esse; vera quidem peccata celant, quædam autem parua & ridicula dicunt, quæ etiam dicere vereretur aliquis, nisi eadem qua ipsi amentia laboraret.] hæc Theodoretus.

b Cōcil. Antioch. c. 2. tom. 1. Cōcil.

Ceterum in Ecclesia Catholica non per simplicem peccatorum confessionem peccata dimitti, nisi digna sequatur satisfactio, Eusebiani etiam ex præscripto Ecclesiasticæ disciplinæ in eodem ipso celebrato hoc anno Concilio Antiocheno professi sunt, cum ita dixerunt [b]: Omnes qui ingrediuntur Ecclesiam Dei & Scripturas sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperātia se a perceptione sanctæ communionis auertunt: hi de Ecclesia remoueantur, quamdiu per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant, & precibus indulgentiam consequantur.] vel, vt alia habet editio: Donec confitentes fructum pœnitentiæ demonstrent.] hæc plane aduersus Audianos, qui postea ob priorem illum D
errorem (vt dictum est) Antropomorphitæ nominati sunt. At de Antropomorphitis rursus dicendum inferius, cum hi iam in Aegypti eremum diffusi magnas aduersus Theophilum Episcopum Alexandrinum ciuere turbas [c], quos & eius successor Cyrillus scriptis exagitauit.

c Sozom. lib. 8. c. 11. & 12.

His igitur de Antiocheno Concilio, atque alijs, quæ eius occasione sese obtulerunt dicenda, pertinētia ad historiam Ecclesiasticam, enarratis: iam ad reliquas res hoc anno gestas orationem conuertamus. Legati itaque a Iulio missi Elpidius & Philoxenus in Orientem ad conuocandos Eusebianos ad indictam Romæ Synodum, diutius, vt vidimus, dolo malo Eusebianorum detenti sunt: immo & nonnisi post res impie gestas in Concilio Antiocheno de institutione Gregorij in locum Athanasij, eos redire permissos esse, eiusdem Iulij Papæ litteræ postea ad eos scriptæ significare videntur, quibus ait [d]: Nec scio, cur vobis ita rem agere placuit, vt nos in hanc opinionem redigatis, vt arbitremur nos sub specie reuerentiæ pro ludibrio esse ha- E
bitos, dictaq. vestra irridentium fuisse, cum & presbyteros nostros ad vos missos, quos cum gaudio remissos oportuit, cum luctu remiseritis, ob ea quæ illic geri conspiciebant.] in hunc modum de Legatis a se missis & sero redire permissis Iulius.

d Apud Athanas. Apolog. 2.

SYNODVS ROMANA IN CAVSA ATHANASII.

Sic igitur haud expectato reditu Legatorum, cum statutus terminus indictæ Synodo longius præterlapsus esset (nam Athanasius, vt dictum est, annum & dimidium expectarat) idem Iulius Papa in Synodo eiusdem Athanasij causam cognouit, ibique præcognitis quæ aduersus eum ex Actis Tyrijs & Mareoticis Eusebiani congesserant, patefactisque aduersariorum calumniis, & cunctis diligentissime examinatis, ex Ecclesiasticarum legum præscripto, eum iudicauit innocentem, recepitq. ad communionem atque conuiuium. Id quidem in primis Iulius in dictis litteris ad Eusebianos postea scriptis testatur his verbis [e]: Cum igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam iusta pro se afferret: quid, quæso, nos oportuit facere? an non quod Ecclesiastici canonis est? hominemque proinde non condemnaremus,

e Apud Athanas. Apolog. 2.

dcmnatemus,

A demnaremus, sed potius reciperemus, eumque pro Episcopo, quemadmodum est, haberemus.] et paulo post: Qui igitur sunt, qui contra canones agunt? nos ne, qui cum tantis rerum documentis virum recipimus: an qui solum ad trigintasex suffragia eorum qui Antiochiæ fuere, externum hominem Episcopum salutarunt?] hæc de absolutione Athanasij Iulius Papa. Porro de his etiam Athanasius sic habet [a]: Romæ vero congregati Episcopi prope quinquaginta, Eusebianos, vt suspectos & timentes se sistere, non receperunt, & quæ ab ipsis scripta essent, pro vanis habuerunt: nos autem receperunt, nostramq. communionem amplexi sunt.] ita ipse. [a Athanas. epist. ad Solitar.]

At hæc non sic quidem recenset post cladem Alexandrinam, quasi post illam contigerint; sed quòd suscepta ea de re semel oratione, ad finem vsque voluit perduxisse, & postea quæ essent antea gesta ac prætermissa, narrasse: quod reuera cum in his, tum aliis in locis qui non B attētius obseruauerit, in cōplures errores delabatur necesse est: quod vel ex hoc perspicue demonstratur. nam cum in ea Synodo quinquaginta Episcoporum Romæ habita se a Iulio Papa esse receptum Athanasius affirmet (quod & idem tradit disertis plane verbis ipso exordio secundæ Apologiæ, & inferius paulo ante quàm recitet eiusdem Iulij Papæ litteras postea scriptas) rursusque appareat ex eiusdem Iulij litteris, Eusebianos ad Iulium scripsisse, expostulantes aduersus eum inter alia, quòd Athanasium ad communionem admisisset: plane liquet ante esse receptum Athanasium, quàm Synodus illa alia Romæ haberetur post Alexandrinam cladem, & acceptas ab Eusebianis litteras allatas per Elpidium & Philoxenum missos ad eos a Iulio Papa Legatos; ac proinde Synodum illam, ex qua rescripsit Iulius ad Eusebianos, longe diuersam ab ea quinquaginta Episcoporum esse, in qua Athanasius absolutus ad communionem ab eodem Pontifice receptus est. agemus autem de illa C suo loco inferius. [AMBIGVITAS TOLLITVR DE DVABVS SYNODIS.]

Rursum vero de hac ipsa Synodo & sui absolutione hæc Athanasius [b], antequàm recenseat epistolam Iulij: Presbyter enim Vitus plures Episcopos quàm quinquaginta ad Concilium adduxit: vbi & nostra defensio recepta fuit: nosq. digni habiti sumus communione & agape: magnaq. indignatio exorta est contra Eusebianos, quibus Iulium, cum ab eis litteras accepisset, rescribere iusserunt.] sed id sequenti anno. Secundum namque hoc iudicium fuit, quo ipse Athanasius pro illatis ab Eusebianis calumnijs est publice absolutus; quod ipso exordio secundæ a se scriptæ Apologiæ testatur his verbis: Quod ad nos attinet, iudicio nullo opus est. Iudicatum est enim non semel secundum nos, sed sæpius ac sæpius: primum quidem in nostra prouincia, cum ad id coissent propemodum centum Episcopi: secundo Romæ, nobis, ceterisque aduersarijs Eusebij ad eius criminosas litteras iudicio comparentibus: fuerunt D autem in eo consessu plus quàm quinquaginta Episcopi. Tertio, &c.] ea enim, quæ subdit de tertia absolutione pronunciata in Concilio Sardicensi, dicemus suo loco. [b Athanas. Apolog. 2.] [ATHANASIVS ABSOLVTVS ACCEPTVS IN COMMVN. ET AGAPEN.]

Athanasius autem simulatque Romæ in Synodo per Iulium Romanum Pontificem sententiam absolutionis accepit, Alexandriam nauigio reuersus est. affirmat id Socrates [c], dum ait eumdem Alexandriam esse regressum, antequàm clades illa per Gregorium illata accideret; veritumq. ne sua absentia Eusebianis aliquid moliendi aduersus Alexandrinam Ecclesiam daretur occasio: odoratus enim erat ex contumacia illorum detrectantium ad Romanam Synodum conuenire, eosdem aduersus ipsum in Concilio quod cogere Antiochiæ illos audierat, molitūros. Nec eum fefellit opinio: siquidem accepit, Gregorium ab Eusebianis, ijsdemq. Arianis creatum esse Episcopum Alexandrinum: cum ipse statim Circulares litteras ad Catholicos omnes Episcopos de eiusmodi facinore dedit; quibus qualis esset Gregorius, E eos admonuit. Testatur id ipse, cum ait [d]: Ego autem quia iam pridem, cum eum Ariani, vt fidum sibi in Episcopum promouebant, scripto edideram, nemini vestrum Catholicis Episcopis ignotum esse Gregorium, eumq. merito a vobis pro impietate sua excommunicatum esse, & anathema edicto Ecclesiæ proclamatum; nec aliam esse causam, cur eum Ariani pro Episcopo mittāt, nisi ne denuo ex meis scriptis similia conuicia paterentur; barbara & exotica vi in me coorti, Ecclesias in suam potestatem redegere, vt ita Arianismi suspicionem vitarent.] hæc ipse, quem quidem reuersum esse Roma Alexandriam hoc anno vel sequentis exordio, ex eo quoque perspicue potest intelligi, quòd constat tempore grassationis Arianorum in Alexandrinam Ecclesiam anno sequenti cum illic fuisse repertum, quod ipsemet testatur in epistola ad Orthodoxos, de qua inferius. [ATHANASIVS REVERTITVR ALEXANDRIAM] [c Socrat. lib. 2. c. 11.] [d Athanas. epist. ad Orthodox.]

Quid præterea in hac eadem Synodo Romana gestum sit; Iulius Papa, suis ad Eusebianos datis litteris, nobis referat; nempe cognitam quoque esse tunc Romæ Marcelli causam, qui, vt vidimus, damnatus Constantinopoli ab Eusebianis, ipsum Romanum Pontificem [MARCELLI CAVSA COGNITA IN SYNODO.]

a Apud Athanas. Apolog. 2.

b Epiphan. hæres. 72.

Pontificem appellans, Romam confugerat: de quo hæc ipse [a]: De Marcello autem, postquam A de illo quoque vt impio in Christum perscripsistis, vobis studui significare: eum, cum huc venisset, affirmasse falsa esse quæ de se in litteris vestris scripta essent. Sed tamen cum a nobis postularetur, vt de fide diceret; tanta cum fiducia per se respondit, vt nemo non perciperet, eum nihil a veritate proferre alienum, sed eadem pietate, qua Ecclesia, de Domino ac Saluatore nostro sentire: neque iam tantummodo, sed etiam olim huius sententiæ se fuisse, confirmabat, &c.] plura subdit de eodem, quòd iuste, atque canonice, æque ac Athanasius, ab ipso fuerit ad communionem admissus. Porro de Marcelli causa & rebus ab eo gestis Romæ cum Iulio, plura habet Epiphanius [b], qui libellum quem dicit ab eo oblatum Iulio recitat: sed an ille ipse sit, dubito; in eo enim licet multa reperiantur ad Arianorum opinionem confutandam: tamen, quod potissimum exigebatur a professore Catholico, nomen Consubstantialis non ponitur. quam ob causam libentius in eam sententiam venimus, vt nequaquam illa ipsa B sit fidei professio, quam Iulius per omnia consentientem esse tradit Ecclesiæ Catholicæ. Sed ad cognoscendam plenius Marcelli causam Romæ cognitam, eiusdem Epiphanij hic verba reddamus.

MARCELLI FIDEI LIBELLVS.

Apponam (inquit) & editionem sermonis, quem fecit ad Iulium beatum Romanum Episcopum idem Marcellus, nimirum suiipsius defensionem faciens.] ac paulo post edita Romæ Acta sic describit ex libello ipsius, quem recitat hisce verbis: Beatissimo comministro Iulio Marcellus in Domino gaudium. Quandoquidem aliqui ex condemnatis prius ob hoc quòd non recte credunt, quos ego in Nicæna Synodo redargui, contra me scribere ad tuam pietatem sunt ausi, tamquam ego non recte, neque Ecclesiastice sentiam, suam culpam in me transferre studentes: hac de causa necessarium duxi, me conferre Romam, & commonefacere te, vt eos qui contra me scripserunt, accersas; quo præsentes ipsi in vtrisque a me redarguerentur, C & quòd quæ contra me scripserunt, falsa sunt, & quòd adhuc nunc permanent in suo ipsorum errore priore, & horrenda tum contra Dei Ecclesiam, tum contra nos Præsides ipsorum ausi fuerunt. Quandoquidem igitur apparere noluerunt, cum miseris tu presbyteros ad ipsos; et hoc cum ego annum & tres integros Romæ vixerim: necessarium putaui hinc discessurus, meam fidem mea manu a me conscriptam cum omni veritate, tibi tradere, &c.] recitat enim fidei ab eo scriptæ libellum, habentem hanc appendicem: Et cum hanc ex diuinis Scripturis fidem acceperim, & a maioribus secundum Deum edoctus sim; eam & in Ecclesia Dei prædico, & ad te nunc scripsi, exemplari huius scripti apud me reseruato. Et rogo te, vt exemplar in epistola, quam ad Episcopos missurus es, inscribas: vt ne aliqui ex his qui non exacte nouerunt nos & illos, scriptis illorum animum aduertentes decipiantur.] hæc Epiphanius ex libello Marcelli: atque de eo modo hactenus: inferius autem D alias sæpe, deque illius fide plenius agetur.

COGNITA ROMAE CAVSA OMNIVM AB ARIANIS EXPVLSORVM.

c Apud Athanas. Apolog. 2.

At vero in eodem Romano Concilio non Athanasii tantum atque Marcelli, sed & aliorum complurium qui grauia passi erant ab Arianis in Oriente, & Romam ad Iulium Papam confugerant, auditæ querelæ sunt: quod idem Romanus Pontifex in litteris ad Eusebianos postea datis tradit his verbis [c]: Non enim solum Athanasius & Marcellus Episcopi cum querimonijs de illatis iniurijs, sed & plurimi alij Episcopi ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, Palæstina huc conuenere: presbyteri item non pauci partim ex Alexandria, partim aliunde huc ad Concilium occurrerunt, & coram omnibus Episcopis ibi congregatis, inter reliqua dicta sua conquesti sunt, vim & iniurias Ecclesijs illatas esse, suasq. Ecclesias eadem, quæ Alexandrina, passas esse, & in alijs Ecclesiis similia designata.] quæ autem ibi sequuntur de Aegypti presbyteris iterum ad Synodum Romam venientibus, suo loco dicturi sumus. Qui vero fuerint E Episcopi dictarum prouinciarum ex suis Ecclesiis pulsi, Athanasius recenset in Apologia de fuga sua, nosq. de iisdem superius egimus. Porro ex illis alios ante, alios vero post hæc tempora exilium passos esse, quæ idem scripsit ad solitariam vitam agentes declarant. De his autem qui post Concilium Antiochenum ab Eusebianis eiecti sunt, & per Iulium deinde restituti, suo loco dicemus, ordine temporum rite disposito.

DEFENSORES ATHANASII ACCVSANT EVSEBIANOS.

d Athanas. ad Orthodox. prope finem.

Quod etiam ad hanc Synodum spectat, illud necessario admonendum est: eos qui Romam pro Athanasio Alexandria venerant, censuisse non esse satis, Athanasium fuisse a Iulio Romano Pontifice absolutum, sed petiisse ab eodem iudicium contra Eusebianos. Non defuisset quidem in hoc Iulii studium, nisi nouis obortis tumultibus, res ab Eusebianis callide interrupta fuisset: id quidem est, quod idem Athanasius ait [d]: Certe fratres nostri Romæ, anno superiori infensi prioribus eorum hominum factis, cum nondum scelera ista accesserant, pro vltione sumenda Concilium indici celebrariq. voluerunt: et rem perfecissent, nisi Eusebiani

Ecclesiam

A Ecclesiam turbassent, nosque intercipere conati essent, vt libere sine reprehensore in sceleribus suis pergerent.] hæc Athanasius: vt ex his appareat ea scripta esse anno sequenti, cum Ecclesia illa grassationem iam passa est a Gregorio Episcopo Ariano per Philagrium Præfectum intruso.

Quid autem, compertis his quæ Romæ in Concilio acta essent, Eusebiani Antiochiæ diutius commorantes, dimissis tandem Legatis Iulij Romani Pontificis, ad ipsum scripserint, nunc dicendum erit. Eos quidem non antea scripsisse, Legatosque dimisisse, nisi præcognitis quæ Romæ peracta essent, de absolutis Athanasio atque Marcello, iisdemque ad communionem susceptis, eorumdem ad Iulium datæ litteræ significant; quæ licet non extent; ex redditis tamen ad ipsos litteris eiusdem Iulii, quales fuerint, satis perspicue intelligi potest: ait enim ipso eius exordio scriptæ ad illos B epistolæ [a]: QVID EVSEBIANI AD IVLIVM SCRIPSERE.

Legi epistolam vestram, quam mihi presbyteri mei Elpidius & Philoxenus attulerunt: miratusq. sum, cum a nobis ex vera dilectione & bona conscientia scriptum esset; contentiose a vobis, & non vt decuit, rescriptum esse. Fastus enim & arrogantia scribentium in epistola apparebat. Atqui aliena sunt ista a fide in Christum: decuit enim eum qui cum dilectione ad vos scriberet, eamdem vicissim dilectionem, non autem contentionem referre.] et paulo post: Ego certe, inquit, cum litteras vestras euoluerem, post varias vltro citroque cogitationes, eas supprimendas putaui, ea spe, quòd crederem saltem aliquos ex vestris aduenturos, nec opus fore istiusmodi epistolis; ne si illæ in publicum promerentur, multos hic dolore afficerent. Ceterum vbi nullus vestrum superuenerat, necessum fuit vt eas proferrem. Credite mihi: omnes admiratione pleni, vix induci poterant, vt crederent istius- C modi litteras a vobis profectas esse, in quibus rixandi potius quàm charitatis affectus eminebat. Quòd si ambitione ostentandæ eloquentiæ ita exceptæ sunt a dictatore: id certe studium ad alios spectat. In rebus enim Ecclesiasticis non specimen eloquentiæ, sed Apostolici canones requiruntur; operaque dari solet, ne quis ex paruis in Ecclesia scandalizetur.] ARROGANTIA EVSEBIANORVM.

Quod vero pertinet ad illorum querimonias ijsdem datis ab eis litteris expressas: prima ordine illa a Iulio recensetur, quòd indigno animo tulissent, se Romam esse citatos: sed & conquesti sunt, angustum fuisse tempus ad veniendum præfixum. Illud etiam prætexuerunt, non opus fuisse in alia Synodo retractari, quæ in alia iam stabilita essent; indignantes Acta Tyrii Conuenticuli a Iulio iterum examinari, adducentes in exemplum iudicium prolatum de Nouato, & Paulo Samosateno: nec debuisse (quod addunt ex iisdem litteris D Socrates [b] & Sozomenus [c]) quæ ab ipsis iudicata essent, per Iulium labefactari; eo perperam ad hæc probanda vsi exemplo, quòd videlicet, cum olim a Romano Pontifice Nouatus Romæ damnatus esset, Orientales eius communionem minime recepissent. At hæc in exemplum adducta, quàm mendacia, quàmq. disparia sint, quæ superius diximus de Nouatiano & Nouato declarant. QVERELAE EVSEBIANORVM.

Sed rursum quæ ex ijsdem ipsorum litteris recitant Iulius Papa atque Sozomenus [d], plane demõstrant, eosdem Eusebianos hæc scribẽtes, sale mordacitatis suas litteras aspersisse; nempe vt iudicium refugerent Ecclesiæ Romanæ (quod est peculiare hæreticorum omnium) illud inculcasse; Nequaquam ex magnitudine ciuitatum esse æstimandas dignitates Episcoporum: et ipse Iulius salse quidem tam futilem sed procacem assertionem, ex suis ipsorum factis petito exemplo, & inducta testificatione refellit; vtpote qui maiorum ciuitatum semper sedibus in- E hiantes, nullo valerent loco consistere: nam ait [e]: Si igitur vere parem, eumdemq. honorem in omnibus Episcopatibus censetis esse, neque ex magnitudine ciuitatum (vt vos scribitis) honorem eius rei crescere arbitramini: oportuit eum, cui concredita est parua ciuitas, in ea quæ credita ipsi est, permanere; et nequaquam reiecta concredita, ad eam, quæ ei concredita non est, transuolare; ne eam quæ a Deo data est, aspernari; illam vero quæ hominum ambitu concessa est, magni facere videatur.] hæc dicens plane sugillat eorum principem Eusebium, qui e Berythi sede in Nicomediensem transierat, & ex illa rursus se in Constantinopolitanam contulerat.

Expostularunt etiam iisdem litteris Eusebiani in Iulium, quòd scribens ad eos, non tamen ad omnes nominatim litteras rescripsisset, quarum illa erat inscriptio: Eusebio cum suis.] sed & hæc perbelle in eosdem conuertit Iulius: frustra nimirum eos ista indigne ferre, qui non existiment eas ad se litteras scriptas esse. Insuper iisdem ab ipsis datis litteris conquesti

[a] Apud Athanas. Apolog. 2.
[b] Socrat. lib. 2. c. 11.
[c] Sozom. lib. 3. c. 7.
[d] Sozom. vbi supra.
[e] Apud Athanas. Apolog. 2.

sunt susceptos ab illo esse in communionem Catholicam Athanasium, atque Marcellum A antea ab ipsis damnatos Episcopos. hæc & alia fortasse id genus cum scripserint ad Iulium Papam Eusebiani, de rebus a se in Synodo gestis nec verbum quidem fecerunt, nec quid in Ecclesiam Alexandrinam Gregorio ab ipsis iniuste decretam egissent, vt par erat, significarunt. istæc eadem de litteris Eusebianorum ad Iulium Papam scriptis habent Socrates [a] & Sozomenus [b]; sed dum ab alio Concilio Antiocheno quàm ab eo in Encæniis celebrato ipsas datas ponere videntur, plane hallucinantur: nam cum constet per eosdem Legatos Elpidium & Philoxenum ad ipsos tunc missos eas redditas esse, non ab alia Antiochena Synodo, quàm ab illa, vel alio tempore, opus est dicere datas fuisse. Addit quoque ex eiusmodi Eusebianorum litteris Sozomenus, eos iisdem contestatos esse, numquam cum Iulio pacem atque concordiam inituros, nisi quæ ab eis fuissent constituta probasset.

a Socrat. lib. 2. c. 7.
b Sozom. lib. 3. c. 7.

LITTERAE ARIANORVM AD IVLIVM CVIVS FIDEI SINT.

Extat epistola quædam Arianorum nomine ad Iulium Papam data [c]; sed vt recte intuenti B apparet, videtur esse ex ijs quæ Socrates atque Sozomenus tradunt, consarcinata: nam quæ qualesve essent eædem Eusebianorum ad Iulium scriptæ, eiusdem Iulij litteræ ad eos redditæ & ab Athanasio recitatæ aperte significant: multa enim in illis desiderantur, quæ ex Iulij litteris produntur ab eisdem scripta esse, compluraq. inesse noscũtur aliter quàm a Iulio relata sint, diuersasq. cum ex nominibus, tũ ex rebus, quæ omnia prudẽs indagator inueniet: vt merito eæ ipsæ quæ ibidem habentur recitatæ, tunc a Iulio Papa ad Arianos redditæ, eadem quoque suspicione laborent; nam quæ veræ & legitimæ sint litteræ Iulij ad illos rescriptæ, Athanasius qui eas verbatim descripsit recitatq. in secunda sua Apologia, absque controuersia vlla declarat. Porro has litteras hoc anno ex Antiochena Synodo datas, anno sequenti potius Romam perlatas esse, & eo ipso tempore, quo Iulius acceptis ijs quæ gesta erãt in Ecclesiam Alexandrinam, litteris Athanasium accersiuit, testatur Socrates [d]. Liquet enim ex his quæ dicta C sunt superius, eas ab illis esse datas ex Antiocheno Concilio, eodemque confecto; et Iulium ad eos rescripsisse anno sequenti, post denunciatam Romæ cladem Alexandrinam, vt quæ suo loco dicemus ex eisdem Iulij litteris, demonstrabunt.

c Tom. 1. Concil. in Iulio.
d Socrat. lib. 2. c. 13.

RESCRIPTVM CONTRA IDOLOLATRAS.

Huius quoque anni Consulibus consignatum habetur Constantij Imperatoris rescriptum ad Magdalianum vicem agentem Præfecti Prætorij aduersus Idololatras his verbis [e]:

e l. 2. de Paganis Cod. Theod.

Cesset superstitio, sacrificiorum aboleatur insania. Nam quicumque contra legem diui Principis parentis nostri, & hanc nostræ mansuetudinis iussionem ausus fuerit sacrificia celebrare, competens in eum vindicta & præsens sententia exeratur. Acc. Marcellino & Probino Coss.] Erant hæc & ad sectam Eusebianorum illecebræ: dum eorum patronus ex huiusmodi aduersus Idololatras promulgatis edictis maxime pius ab omnibus videri voluit. D

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII CONSTANTIS IMPP.
342.	6.	6.

GREGORIVS ARIANVS INVADIT ECCLESIAM ALEX.

QVI modo sequitur annus Christi trecentesimus quadragesimussecundus, inscribitur Consulatu duorum Augustorum Constantij tertio & Constantis secundo, Orientali Ecclesiæ, ac potissimum Alexandrinæ ob Eusebianorum grassationes funestissimus: quo Gregorius Cappadox, electus anno superiore in Antiocheno Concilio in locum Athanasii Episcopus Alexandrinus, per Præfectum Philagriũ militari manu, iussu Constantii, Alexandriam E introducitur, cum iam Paschale festum proxime instaret.

Hæc quidem hoc ipso anno, non autem elapso accidisse (vt certam temporis rationem reddamus) illud magnopere persuadet, vt asseramus: Quòd cum Antiochenam Synodum in Encæniis celebratam ad plures cõstet menses fuisse propagatã; rursumq. liqueat ex iis quæ paulo post dicturi sumus, Gregorii aduentum Alexãdriam accidisse prope Paschale tẽpus: necesse est affirmare (habita quoque longinquitatis itineris ratione) hoc ipso anno, dicto tempore, quo nauigationi solent, exacta hieme, auræ secundę aspirare, Gregorium e Palæstina soluentẽ Alexandriam peruenisse. Hæc autem quo modo se habuerint, cum a Socrate [f], Sozomeno [g], Theodoreto [h], & aliis plerisque confuso ordine & ieiune admodum referantur: nos Athanasiũ ipsum de his, cum hæc pateretur, scribẽtem Encyclicam epistolam ad Orthodoxos, sequemur; aliaq. ex eodem diuersis in locis sparsa pariter colligemus, in iisdem qui sæpe irrepsir errorem corrigentes,

f Socrat. lib. 2. c. 8.
g Sozom. lib. 3. c. 5.
h Theodoret. lib. 2. c. 4.

A corrigentes, dum pro Gregorio Georgius frequentius scriptus, vt dictum est, legitur, discriminantes eos ab inuicem secundum notas peculiares cuiusque distinctas, Gregorium Georgij loco reddidimus. Athanasius igitur ex immensa clade vix fuga lapsus, de rebus gestis in ipso Gregorij introitu, immo inuasione Ecclesiæ Alexandrinæ, publicam patentemq. atque communem Orthodoxis omnibus scripsit epistolam, quæ hactenus integra conseruatur: reddemus hic eam, quòd nonnisi huius sit argumenti, & elegantissima ex ea accipiatur epistolaris historia. se vero habet in hunc modum [a]:

Mala quæ passi sumus, & intoleranda sunt, & condigne enarrari nequeunt: sed tamen vt compendiosius vim acerbitatemq. earum calamitatum significem, historia mihi ex sacris litteris recitanda videtur [b]. Vir Leuita iniuriam in vxore passus, vimq. eius indignitatis secum reputans (mulier enim Hebræa erat, & ex stirpe Iudæ) tantisq. contumelijs attonitus, quem-B admodum diuina Iudicum scriptura denunciat, vxoris corpus in partes diuisum ad omnes Israeliticas Tribus misit, vt iniuria non ad se solum, sed ad omnes æque pertinere crederetur: vtque vel vicem eius dolentes, vindices se præberent; vel negligentes, eius sceleris pudore suffunderentur. Nuncij autem rem, vt gesta erat, enarrarunt: illi autem qui visu audituque id cognouissent, in hæc verba proruperunt: Numquam tale quid, ex quo filii Israel ex Aegypto ascenderunt, accidisse. Concitatæ igitur sunt vniuersæ Tribus Israel: omnesq. quasi id peculiariter passi essent, in vnum coiere. In summa debellati sunt qui hoc scelus perpetrauerant: non enim ad generis coniunctionem qui in bellum coiere, sed ad facinus respexere. Scitis istam historiam fratres, & quæcumque ibi perquàm diligenter a Scriptura super hoc negotio recensentur: vlterius autem eam excurrere, non est animus; præsertim cum ad eos scripturus sim, qui rem cognitam habent; et ipse ardeam, quàm primum ad ea indicanda, quæ C magnitudine & numero superent Leuitica ista mala.

Ideo enim huius historiæ mentionem fecimus, vt rebus eius temporis cum præsentibus in comparationem missis, in quibus tanta & tam immanis crudelitas est, maiorem quàm illi indignationem aduersus homines nefarios conciperetis. Siquidem acerbitates persecutionum nobis illatæ ita præponderant, vt exigua videatur Leuitæ calamitas, præ illis quæ nunc aduersus Ecclesiam designata sunt. Vel potius numquam quidquam tale auditum est in Orbe terrarum, neque quisquam vmquam istiusmodi mala expertus est. Tunc enim vna mulier iniuriam passa est, & nonnisi vnus Leuita erat, ad quem vis illa referebatur: nunc autem vniuersa Ecclesia iniuria affecta est, & sacrarium contumeliose habitum: et quod maius est, pietas ab impietate persecutionem perpetitur. Tunc singulæ Tribus, singulis partibus mulieris visis, attonitæ, consternatæq. ferebantur: nunc autem totius Ecclesiæ membra diuulsa sunt. Rem D ita esse, etiam ex illis cognoscetis, qui alij atque alij in diuersas partes, vt iniurias suas exponant, missi sunt. Obsecro igitur vos, vt ita animos vestros commoueat rerum indignitas, quasi non nos tantummodo, sed ipsi quoque iniuriam accepissetis; quo quisque vti læsus opem in commune conferat, ne paulatim Ecclesiastici canones, & Ecclesiæ fides corrumpatur: quæ ambo in periculum veniunt, nisi Deus vestra opera quàm celerrime delicta castiget, & Ecclesiam vindictæ compotem reddat. Non recens aut noua res est, Ecclesiasticorum canonum institutio, sed a primis vsque Patribus per manus tradita est, & fundata in Ecclesijs. Neque nunc tandem fides suum sumpsit initium, sed ab ipso Domino opera discipulorum in nostram vsque ætatem propagata est. Ne igitur ea quæ hactenus vsque ad nostra sæcula in Ecclesijs obseruata sunt, his temporibus pereant; et quæ nobis concredita sunt, a nobis requirantur: agite fratres, ita animo excitemini, eumque zelum arripite, qui bonis dispensatoribus E mysteriorum Dei congruit; et non aliter sitis affecti, quàm si in oculis vestris istiusmodi populatio commissa esset. Copiosius omnia ex tabellariis cognoscetis. Ego tamen mihi imperare non potui, quin paucis ea quoque delinearem: quo plane vobis constaret, nullo vmquam tempore talia in Ecclesiam perpetrata esse, ex quo Saluator noster in cælum subuectus discipulis præcepit: Ite & docete omnes gentes, baptizantes [c] eos in nomine Patris & Filii & Spiritussancti.

Quæ igitur aduersus nos & Ecclesiam commissa sunt, ad istum modum se habent. Solemniter nobis in pace conuenientibus, populisq. istiusmodi conuentu lætis, & comministris sacrorum secundum Deum vita conuersationeq. per Aegyptum, Thebaida, Africam in melius proficientibus, mutuaq. inter se & erga nos pace & charitate affectis: ecce ibi statim Præfectus Aegypti litteras publice proponit in speciem edicti, quibus declarabat, Gregorium natione Cappadocem pro successore mihi datum, satellitio, stipatoribusq. Comitis in cathedram introducendum. Fama istius negotii tunc, vt in re noua, & nunc quoque post rem

Marginalia: a *Athanas. ad Orthodox.* — b *Iudic. 19.* — EPISTOLA ATHANASII DE CLADE ALEX. ECCLES. — IMMANISSIMA CLADES ALEX. ECCLES. — c *Matth. 28. Marc. 16.* — EDICTVM DE GREGORIO INDVCENDO ALEXAND.

peractam, perturbauit omnes. Maior igitur ea de causa in templa populi defluxus, & præcipue ob id, quòd nullas querelas nec a plebe, nec a presbyteris, nec ab Episcopis contra me habitas satis scirent, neminemq. nisi Arianos cum Gregorio esse: ipsumq. adeo Arianum & esse, & ab Ariano Eusebio missum esse cognoscerent. Scitis autem, fratres, Eusebium cum suis, præsides semper & socios ipsius hæreseos Arianorum fuisse, & per eos nobis perpetuo insidias factas, operamq. dedisse, vt in Gallias exulatum abirem. A

Populus igitur indignari, queritari sæpe multumque; tum ad Iudices, tum ad vniuersam ciuitatem protestari, nullam aduersus nos querelam ab Ecclesiasticis motam esse; Arianorum hæreticorum opera, hanc insolentiam, legumq. præuaricationem in Ecclesiam immitti. Sed vt demus querelam aliquam aduersus me susceptam, meumque nomen inter reos receptum esse: non tamen oportuit in mei locum Arianum, aut qui Ariana saperet, subrogari: sed secundum Ecclesiasticos canones, prout Apostolus præcepit, congregatis populis vna cum Spiritu sancto, qui Episcopum constituant, publice & in præsentia clericorum Episcopum postulantium, inquisitionem fieri, atque ita omnia canonice peragi: non autem ad potentiam, postulationemq. Arianorum, qui ab Ecclesia alieni sunt, quiq. Episcopale nomen non vereantur emere, successorem mihi dari, nundinatoremq. Episcopalis tituli, præter consensum eorum, qui Episcopum postulare debebant, & præter voluntatem conscientiamq. omnium, qui Actis adhibiti non fuere; per vim, opesq. Iudicum extraneorum in hanc dignitatem immittere. Id enim & Ecclesiasticos canones soluit, & Ethnicos ad blasphemiam suspicionemq. cogit, vt putent, non legibus, rituq. diuino, sed nundinatione & potentia Episcopos constitui: præclara igitur ista Arianica Gregorij constitutio tale sui exordium habuit. B

Illius porro introitus Alexandriam quàm multa nefaria perpetrarit, quantorumque malorum auctor extiterit, licebit vobis & ex litteris nostris, & ab istinc proficiscentibus rescisceres. Populis ergo grauiter ferentibus istarum rerum insolentiam, ideoque in Ecclesijs cœtus facientibus, ne Arianorum perfidia Ecclesiæ fidei admisceretur: Philagrius iam olim (nempe, vt dictum est, tempore Tyrij Conciliabuli) in Ecclesiam & virgines contumeliosus, per id tempus Aegypti Præfectus, olim transfuga nostræ religionis, Gregorij conterraneus; homo nequaquam spectatis moribus, fretus magistratus sui auctoritate, præsidioque, ad quoduis agendum promptus, vt qui apostata & in Ecclesiam infestus & præceps, Ethnicas Tribus, Iudæosque item, atque alios proteruos homines adhortationibus, magnisque promissis, quæ secundum pacta pro opera præstita bene persoluit, aduersus Ecclesiam instigatos cuneatim cum gladiis & fustibus contra populos in Ecclesias immittit. Iam quid inde euenerit, non simplicem post hac sermonem requirit, cum ea res nec satis digne explicari queat, aut sine lacrymis & planctu vel ex minima parte recenseri. Vbi enim apud priscos talis tragœdia? aut quid simile in bello & persecutione factum est vmquam? C D

PHILAGRIVS PRAEFECTVS APOSTATA.

ECCLESIAE ALEX. IMMENSA CLADES.

Siquidem & ecclesijs & baptisteriis flammæ iniectæ: magnus igitur luctus, eiulatus, & planctus per ciuitatem. Ciues, ea quæ agebantur, indigne ferre, occlamare Præsidi, vim protestari, eo quòd virgines sanctæ & incontaminatæ, nudatis corporibus, nefaria paterentur; iisdemq. si contumacius obsisterent, periculum capitis ingereretur: monachi pedibus obtriti expirarent: alii Fisco addicerentur: alii gladiis fustibusque mactarentur: aliiq. vulneribus plagisque male mulctati discederent. In sacrosanctam autem mensam, pro, quanta impietas & facinora commissa! Vides enim eos aues & nuces pineas immolare, idola sua laudibus efferre, in Dominum nostrum Saluatorem Iesum Christum & Filium Viuentis conuicia verborumque contumelias iacere: sacros scripturarum libros, quos in ecclesiis inueniebant, comburere: in sacrum baptisterium (pro superi!) Christicidas Iudæos & atheos Ethnicos nulla cum reuerentia ingressos, eam verborum factorumque turpitudinem, nudatis corporibus designare, vt pudendum, abominandumque sit relatu. Nec defuere impii homines, æmuli acerbissimarum persecutionum, qui virgines continentesque iniectis manibus, traherent, raptarent, & ad blasphemiam, Dominique abnegationem compellerent; eosque qui id facere recusarent, conciderent, pedibusque obtererent. E

In hoc genere introitus sui splendidus ille & perquàm egregius Gregorius lætus de istis malis, simulq. mercedem & præmia pro hac tanta scelerata victoria Ethnicis Iudæis, ceterisq. quorum opera ad talia vsus erat, dispensans, in prædam rapinasque Ecclesiam dabat; semel autem vt istiusmodi generis sceleris est licentia data, multa deteriora quàm in bello, crudeliora quàm in latrocinio committebantur; cum & isti obuia diriperent, illi in cellis reposita diuiderent, magnamque copiam vini aut ebiberent, aut effunderēt, aut asportarēt, oleumque

reconditum

A reconditum prædarentur; fores, cancellosque tamquam reiectamenta gestarent, & candelabra ibi ad parietem deponerent, cereosque Ecclesiæ idolis adolerent. In summa magna vbique in Ecclesia depopulatio, & plurima mortis imago. Non tamen ad ista impij Ariani vllo pudore commouebantur; quin tetriora adhuc atrocioraque cumulauere. Vidisses enim presbyteros & laicos in ius trahi, virgines e cœtu suo diuulsas ad tribunal Præsidis raptari, & in carcerem conijci, alios Fisco addici, alios flagellis cædi, panes sacrificiorum ministris & virginibus interdici. Hæc autem sub Pascha, in sacra Quadragesima acta sunt, per quod tempus ieiuniis dediti erant.

Interim egregius ille Gregorius, arrogatis sibi moribus Caiphæ, cum Præside Pilato contra pios Christi cultores debacchabatur. Certe ipso die Parasceues ingressus in quamdam ecclesiam cum duce & Præside Ethnicorum populorum, intellecto hominum odio, quo illius B violentum introitum auersabantur, auctorem, consuasoremque se præbuit crudelissimo Præsidi, vt eadem hora trigintaquatuor virgines, & matronæ item, virique ingenui publice flagellis cæderentur, & in curricula coniicerentur: inter quos virginem quamdam studiosam litterarum & adhuc Psalterium manibus retinentem publice flagellari iussit: ereptus virgini a carnificibus liber, ipsa autem post flagra in carcerem reclusa est.

His autem ad hunc modum patratis, ne in reliquum quidem tempus otium egere; quippe qui in alia illa ecclesia, in qua ego potissimum per hos dies commorabar, eadem prorsus molientes, furore ipsorum etiam in templum immisso, nihil non egere, vt ibi me interceptum de medio tollerent: nec aliter euenisset, nisi gratiam propitiam Christi auxiliaremque mihi expertus fuissem. Vnde ita delapso licuit mihi paucula ista ex innumeris mala recensere: ego enim videns eos ad extremam rabiem deuenisse; mecumque rationem iniens, quo ne vel Ec- C clesia noxam acciperet, aut virgines indigna paterentur, cædesque denuo committerentur, eademque iterum iniuria contumeliaque in populum incumberet, furtim me populis subduxi, memor verbi Saluatoris nostri [a]: Si vos persecuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam. Noueram enim ex iis quæ aduersus primam illam Ecclesiam perpetrauerant, nihil sceleris eos in istam Ecclesiam omissuros: vbi ne ipsam quidem Dominicam diem sanctissimi festi vlla in reuerentia habuere, quo minus eo ipso tempore, quo Dominus omnes ex mortis vinculis compedibusque eripuit, homines eius Ecclesiæ in vincula conijcerent. Gregorius autem cum suis gregalibus, veluti bello in Christum suscepto, fretus, confisusque Præsidis potentia, diem illam liberalem vindicemque seruis Christi in luctum & mærorem vertit: Ethnici contra oculis animisque malignis diem illum sanctissimum intuentes lætitia gestiebant. Gregorius vero (credo ex mandatis Eusebij) vinculis compedibusque per id tempus Christianos ad lu- D ctum complorationemque compellebat.

ATHANASIVS CLAM ELAPSVS.

[a] Matth. 10.

Hoc genere violentiæ Præses Ecclesias diripuit, direptasque Gregorio & furiosis Arianis tradidit: reiectitij igitur homines & summoti ab Eusebio, in Ecclesiarum direptionibus sibi gratulantur: populis autem Dei & clericis Catholicæ Ecclesiæ ea necessitas inflicta est, vt cum impiis hæreticis Arianis communicent, aut ab introitu ecclesiæ abstineant. Quin & naucleris, aliisque marinas nauigationes obeuntibus non exigua vis adhibita est a Gregorio, dum alios opera Præsidis in tormentis habet, alios vero in carcerem conijcit & compedibus astringit ea de causa, vt & ipsius sceleribus metuerent contradicere, & litteras ab eo deferendas acciperent. Verum ne ita quidem contentus; quo se nostro sanguine satiaret, induxit crudelissimum Præsidem facinorum socium, vt decretum sub populi nomine aduersum me odiosissimis verbis descriptum ad pientissimum Imperatorem Constantium mitteret, vn- E de non solum exilium, verum etiam mille mortes expectandas putes. Is autem qui decretum scripsit, transfuga est nostræ religionis, quippe qui relictis Christianis, idola Gentium turpiter adoraret; qui autem litteris istis subscripserunt, Ethnici sunt.

A PRAESIDE ALEXAND. CAVSA ATHANASII SAEVITVM IN ALIOS.

Et ne multus sim in scribendo: persecutio adest, eaque persecutio, qualis numquam antea aduersus Ecclesiam oborta est. Nam in superioribus persecutionibus, cum quis ad fugam adigeretur; vbi suas partes cum aliis coniungeret, & cum occultaretur, non deerat baptismi copia: hæc autem multa & præsens crudelitas Babyloniorum impietatem æmulatur: vt enim illi Danielem, ita præclarus iste Gregorius eos qui domi orationes faciunt, ad Præsidem defert, & ministros sacrorum infensissime obseruat: adeo vt ex ista violentia multi destituti, inopia baptismatis, periclitentur; multique sine visitatoribus ægrotent & lamententur; acerbiorem sibi hanc calamitatem quàm morbum arbitrantes: populique sacrorum ministris abactis, non ignari impietatis Arianorum, præoptant potius ita ægrotare, & periclitari, quàm vt Arianorum manus capitibus suis imponi sustineant. Vt igitur Arianus est Gregorius, ita & ab Arianis

PERSECVTIO OMNIVM ACERBISSIMA.

Arianis missus est, cumque nemo in Episcopum postulauit, viri soli Ariani; ac proinde vti mercenarius & externus, grauia & perquàm acerba in populos Catholicæ Ecclesiæ, quasi alienos & non sui gregis per fidem, facit. A

GREGORIVS ARIANVS COGNITVS. Ego autem quia iam pridem, cum eum Ariani vt fidum sibi in Episcopum promouebant, scripto edideram, nemini vestrum, Catholicis Episcopis ignotum esse Gregorium, eumque merito a vobis pro impietate sua excommunicatum esse, & anathema edicto Ecclesiæ proclamatum, nec aliam esse causam cur eum Ariani pro Episcopo mittant, nisi ne denuo ex meis scriptis similia conuicia paterentur; barbara & exotica vi in me coorti, Ecclesias in suam potestatem redegere, vt ita Arianismi suspicionem vitarent. Verum & hic quoque magnopere frustrati sunt: nemo enim Ecclesiasticorum hominum Gregorio se adiunxit, exceptis hæreticis, ceterisque ob crimina sua ab Ecclesia reiectis, illisque item qui metu Præsidis communionem simulant. Hanc tragœdiam ille iam olim quidem cum suis meditatus est, sed nunc B eius dramatis agendi facultatem per calumnias nactus est, quibus nos ad Imperatorem accusauit. Sed enim ne ita quidem conquiescere potuit, vt qui etiam nunc mercedem quærat, & notis amicissimisque adeo se terribilem infestumque præbet, vt nemo non metu mortis in exilium fugiat.

Verum non ideo de sceleribus eorum formidinem, sed potius indignationem & vindictæ cupidinem concipere debetis, cum hoc nouo genere scelerum aduersus nos vsi sint. Si enim patiente vno membro, compatiuntur & reliqua membra, & secundum beatum Paulum, a Rom. 12. flendum est cum flentibus [a]: certe tanta Ecclesia læsa, quisque quasi ipse læsus esset, ad vindictam se accingere debet. Communis enim omnium Saluator est, qui ab illis blasphematur; et omnes quotquot sunt canones, ab iisdem violantur. Si vobis in Ecclesia sine vllius querela sedentibus subito per edictum Principis successor mittatur, & talia contra vos designarentur: an id, quæso, sine indignatione toleraturi essetis? an non potius vindicandum censeretis? C Est igitur æquum, vestram indignationem commoueri; ne si ita res silentio transmittatur, paulatim in singulas Ecclesias idem malum propagetur, nostraque disciplina in mercatus nundinationesque abeat.

EVSEBIVS MALORVM OMNIVM AVCTOR. Quod igitur ad Arianos pertinet, rem vobis compertam dico: sæpe enim eorum impietatem publice priuatimque damnastis; neque ignari estis, qualis sit Eusebius cum suis, & quantopere cum Arianis eamdem hæresin foueat: quæ res in causa fuit, cur nobis olim insidiatus sit. Porro quæ per eum eiusque socios designata sunt, quantoq. ea sint atrociora vel bellicis calamitatibus, ideo meis scriptis ostendi, vt statim a rebus narratis sumpto zelo, recta tenderetis ad tollendos talium scelerum in Ecclesiam auctores. Certe fratres nostri Romæ anno superiore infensi prioribus eorumdem hominum factis, cum nondum scelera ista accesserant, pro D vltione sumenda, Concilium indici celebrarique voluerunt: et rem perfecissent, nisi Eusebiani Ecclesiam turbassent, nosque intercipere conati essent, vt libere sine reprehensore in sceleribus suis pergerent. Quòd si Episcopi illi Romæ tunc temporis in hæreticos iras sumpsere: quanto iustior, grauiorque vestra & ira & indignatio fuerit, cum prioribus maleficiis tantum scelerum addiderint? Obsecro vos igitur, ne tanta facinora leuia aut negligenda putetis, neve inclytam Alexandrinorum Ecclesiam, hæreticorum pedibus obteri, conculcarique sinatis. Certe indignitas ista rerum in causa est, vt populi, sacerdotesque seorsum sine synaxibus viuant, taciti quidem ob vim Præsidis, animo tamen impietatem Arianorum execrantes.

ATHANASII AD CATHOLICOS COMMONITIO. Si igitur aut ipse Gregorius, vel alius quispiam ad vos scribat; ne recipiatis, fratres, illorum litteras; sed oblatas disrumpite; eorumque tabellarios vt impios & scelerum ministros eijcite. Quòd si formulam pacificatoriam scribat: ne illam quoque recipiatis: metu enim Præsidis, violentiaque Gregorij ad has litteras perferendas compulsi sunt. Ego autem quia verisimile est, Gregorij gregales de Gregorio scripturos esse; meis litteris vos præmonere studui, vt reiecto personarum delectu, sicuti Dei æmulatoribus congruit, subornatos submissosque ab hoc hominum genere expellatis; qui hoc ipso tempore in Arianorum gratiam, Iudæos, Ethnicosque homines ad persecutiones, virginum stupra, cædes, Ecclesiarum depopulationes, incendia, blasphemias instigarunt. Neque enim impius & furiosus Gregorius, quòd Arianus non sit, inficiari poterit; cum is qui litteris subscribit, pro documento in contrarium sit: Ammon enim iste eius subscriptor iam olim a beato Alexandro ante me Episcopo ob multa mala impietatemque ab Ecclesia eiectus est. Ob hæc omnia, quæso, rescribite, & impios condemnate: vt sacerdotes qui hic sunt, populique Orthodoxam vestram religionem, zelumque vestrum aduersus malos conspicientes, de vestra gaudeant concordi fide: E

istique

A istique scelerum in Ecclesiam auctores, vestris litteris, vel sero, errorem suum respuant, & pœnitudine capiantur. Salutate eam, quæ apud vos est, fraternitatem: qui mecum sunt fratres vos salutant. Dominus autem vos sanos, nostrique memores conseruet, Domini vere desideratissimi.] hactenus Athanasij ad Orthodoxos epistola, quam priusquàm Alexandria recederet, e latebris scripsisse certum est ex iis quæ eadem continentur.

Hic rursus lectorem monendũ putamus, ne quod habet deprauatus textus epistolæ Athanasij ad Orthodoxos de Georgio, putet nos hallucinatos, quòd referre velimus ad Gregorium, qui primus ex Arianis institutus est Antiochiæ Alexandrinæ sedis Episcopus; atque magis existimet ea omnia referenda ad tempora Georgij, secundi instituti Ariani Episcopi Alexandrini; opineturque eo tempore illa de grassatione Philagrij accidisse, & eo quoque tempore eamdem ab Athanasio ad Orthodoxos esse scriptam epistolam. Nam B cum habeat in eadem epistola, hæc facta esse sub Præfecto Philagrio: plane non nisi ad tempora, quibus Gregorius sedit, referri possunt. Siquidem ex litteris eiusdem Athanasij scriptis ad solitariam vitam agentes pluribus locis earum constat, inuasionem illam factam sub Georgio, nequaquam sub Philagrio, sed sub Syriano duce, Cataphronio Præfecto, Heracliano Comite, Diogene, Hilario, Faustino, Sebastiano publicis magistratibus, nec de Philagrio vlla penitus ibi memoria. Rursum vero cum ex hac eadem epistola recitata habeatur mentio de Eusebio adhuc viuente, nempe Nicomediensi dicto, qui Gregorium Alexandriam mittendum curauit; haud possunt hæc aptari ad Georgium, qui Alexandrinam inuasit Ecclesiam, Arbetione & Lolliano Consulibus, anno Domini trecentesimo quinquagesimosexto: nam Eusebius, de quo hic est mentio, hoc eodem anno (vt dicetur) ex hac vita sublatus est. Quæcumque igitur post Gregorij ingressum reperiuntur acta sub Philagrio Præfecto, non C nisi ad hæc Gregorij tempora sunt referenda, quem constat sedisse vsque ad Concilium Sardicense, a quo depositus est, & post decem menses (vt S. Athanasius [a] testatur) defunctus.

[a] *Athanas. ad solitar. vitam agen.*

Quòd autem hæc epistola scripta fuerit statim post primam grassationem Philagrij atque Gregorij, profitetur etiam ipse Athanasius iisdem litteris, quas festine tunc scripsit, vt Catholicæ Ecclesiæ Episcopos præmuniret, & anteuerteret scribendas a nouo Episcopo Gregorio ad eos litteras: quibus cum ex multis pauca summatim collegerit, ac proinde complura prætermiserit; dignũ existimamus, vt quæ ab ipso Athanasio de eadẽ illata clade postea maiorũ otio scripta sunt, his insuamus, ex ea præsertim quæ ad solitariam vitã agentes scripta epistola est, quæ quidẽ præsefert breuiarium rerum ab Arianis gestarum aduersus Ecclesiam Catholicam, ac potissimum Alexandrinam. De qua quidem illud admonendus est lector; cum D auctor multiplicium rerum obrueretur narratione, non semper eumdem filum texere orationis, sed inter scribendum ad alia sæpe diuertere, adeo vt alio tempore gesta interdum cum aliis intermisceat; quod nisi quis accurate consideret, facile (quod ad temporum ordinem spectat) in varios labatur errores. Verum & in ea illud quoque attendendum; quòd licet eiusdem scriptionis absque controuersia idem Athanasius auctor sit habitus; tamen tamquam ab alio quopiam scripta epistola, ipse sæpe suiipsius Athanasij nomen inter loquendum interserit. Sed iam hic reddamus, quæ eodem argumento in eadem posita leguntur.

Mittit (inquit [b]) litteras Constantius, & in omnes persecutionem mouit, emissariis ad eam rem vsis Philagrio & quodam Arsacio eunucho: missus quoque est Gregorius militari manu: eadem statim designata sunt, quæ prius. Coacta enim multitudine ex bubulcis, opilionibus, & forensi vulgo, vna cum proteruis iuuenibus, cum gladiis & fustibus templum Quirini inua- E dunt; alios mactant, alios pedibus obterunt; plerosque concisos, partim in carcerem, partim in exilium coniiciunt; multasque feminas miseris modis raptatas publice ad tribunalia crinibus trahunt, tractasque contumeliis indignissime afficiunt: aliorum bona Fisco addicunt, aliorum alimenta interuertunt, nulla alia de causa, quàm vt eos ad partes Arianorum, & Gregorium recipiendum, quem Imperator miserat, compellerent.] et paulo inferius:

[b] *Athanas. ad solitar.*

INVASIO ECCLES. AE ALEXANDRINAE.

Orientis igitur loca, suasque prouincias obeuntes quærebant, si quis ipsis aduersaretur, vt eum per calumniam in exilium profligarent. Certe presbyteros suos dimiserunt cum hac absurdissima excusatione, hoc genere colloquij inter ipsos habito: Quandoquidem Ecclesiastico iudicio vincere non possumus, solita nostra vi agamus. Dant igitur litteras ad Philagrium, auctoresque sunt, vt ille quàmprimum cum Gregorio in Aegyptum abeat. Ac statim iam inde Episcopi flagellabantur, & acerbis vinculis constringebantur. Serapammonem confessorem in exilium mittunt; Potamonem quoque & ipsum confessorem, qui oculum in persecutione perdiderat, ita conciderunt plagis in ceruicem, non ante desinentes, quàm vbi

EXILIVM CONFESSORVM.

illum

illum pro mortuo abijcerent: adeo vt vix post aliquas horas curationibus fomentisque spi- A
ritum recollegerit, Deo quidem illi concedente vitam, sed admodum breuem: paulo enim
post ex labore & plagis ex hac vita decessit, adeptus in Christo gloriam iterati martyrij.] est
de hoc celebris memoria in tabulis Ecclesiasticis, quibus natalis eius dies, anniuersaria com-
memoratione clarus, descriptus habetur [a]. sed subdit Athanasius:

a Martyrolog. Rom. die 18. Maij.

GREGORIVS COGIT COMMVNICARE SIBI CATHOLICOS.

Deinde miser Gregorius post tanta scelera inuitabat omnes, vt secum communicarent.
Atqui si communionem ab illis postulabas, indigni erant qui verberarentur: quòd si vt
malos eos verberandos censuisti; cur illos vt sanctos inuitas? Verum nihil illi curæ erat,
quàm vt eorum iussa, a quibus missus erat, adimpleret, & hæresin stabiliret: eas ob cau-
sas stultus ille homicida, carnifex, & contumeliosus, fraudulentus, & in summa Christi
hostis factus est. Episcopi autem materteram ita persecutus est, vt ne extinctam qui-
dem humari sineret; et quod voluit, consequutus esset, & insepulta abiecta fuisset, B
nisi qui eam sustulissent, suum se cadauer efferre, dixissent: tam impiis iste moribus
fuit. Nam cum & alij mendici errones eleemosynam acciperent; iussit ea quæ elee-
mosynis destinata essent, diripi; et vasa, quibus oleum & vinum deferebatur, confringi,
vt non solum in accipiendo se impium præberet, sed re ipsa Dominum contumeliose
tractaret, auditurus iam iam ex Domino: Quatenus spreuisti istos, & me spreuisti. Multa
etiam alia fecit, quæ dicendi facultatem transcendunt, & quibus auditor fidem nega-
ret. Ceterum ista ideo narrauit, quia neque secundum Ecclesiastica instituta creatus
erat, neque pro Apostolica traditione Episcopi nomen obtinebat, sed ex Palatio cum
militari manu & magnifica pompa missus fuit, non aliter quàm si sæcularis magistratus ei
demandatus esset. Ideoque maiori studio magistratuum amicitiam, quàm Episcoporum aut
monachorum sectabatur. C

GREGORIVS ARIAN. CONTVMELIOSVS IN S. ANTONIVM.

b Prouerb. 2.

Si quando igitur pater Antonius ad illum e montanis scriberet, quemadmodum pie-
tas peccatori in abominatione est, eodem quoque modo sancti viri scripta abominaba-
tur. Quòd si Imperator, aut Dux exercitus, aut alius quispiam Iudex ad eum litteras
dedisset, ita lætus alacerque erat, quemadmodum ij de quibus in Prouerbiis non sine
querimoniis dicitur [b]: O qui relinquitis vias rectas, qui malis oblectamini, & gauderis
conuersatione malorum. Certe qui huiusmodi litteras afferebant, pecuniis honorabat: An-
tonij aliquando epistolam Duci Blacio conspuendam, abiiciendamque tradidit: sed hoc
diuina vindicta inultum non prætermisit: siquidem non diu postea Blacij femur proficiscen-
tis ad primam mansionem, equus cui insidebat, ceruicibus retortis, ita momordit, atque
e dorso excussum humi afflixit, vt intra triduum proximum periret.] hactenus Athanasius.
Sed hæc de Blacio paulo fusius atque nonnihil diuerse ab eodem S. Athanasio recitantur D
in Vita S. Antonij: quod fortasse accidit vitio librariorum. Verum & illa hic recenseamus;
sic enim se habent:

** Balacius*

BLACIVS BLASPHEMVS QVID IVSTE PASSVS SIT.

Præterea cum Blacius *, qui sub Nestorio Præfecto Alexandriæ Dux & Aegypti fuit, ho-
mo Arianæ iniquitatis studiosissimus fautor, ita Christi Ecclesiam persequeretur, vt animo
vesano virgines monachosque nudatos verberaret in publico: ad eum Antonius litteras mi-
sit, quarum ista sententia est: Video iram Dei venientem super te. Define persequi Christia-
nos: ne te ira occupet, quæ proximum iam tibi minatur interitum. Legit infelix epistolam, &
irrisit, atque in eam expuens, proiecit in terram: portitores quoque multis afficiens iniuriis,
Antonio talia renunciari præcepit: Quoniam cura tibi tantopere monachorum est; & iam ad
te mei vigoris transibit disciplina. Sed confestim minitatorem oppressit supplicium: et post
quinque dies os effrenatum vltio diuina compescuit. Egreditur enim ad primam mansionem E
Alexandriæ, quæ appellatur Chæreum, cum supradicto Aegypti Præfecto Nestorio: vehun-
tur equis, quos inter omnes Blacius, cuius erant, mansuetissimos nutrierat. Cum ergo pa-
riter sibimet equi alluderent: mitior, quo Nestorius vehebatur, morsu repentino Blacium de-
cussit in terram, ac sic in eum inhians, femora eius lacerauit, atque corrosit, vt statim relatus
in ciuitatem, post tertium diem moreretur, vniuersique agnoscerent minarum ab Antonio
prædictarum effectum quantocius consequutum, digno persecutoris fine completo.] Hæc
de his ibi.

IVLIVS PAPA AVDIT DE CLADE ECCL. ALEXAND.

c Apud Athanas. Apolog. 2.

Qui vero Alexandria tunc temporis fugientes, Romam tamquam ad tutum asylum se
contulerunt, necnon Aegypti Episcopi suis litteris de his omnibus quæ per Grego-
rium Antistitem gesta essent, certiorem reddiderunt Iulium Romanum Pontificem, vt
ipse in litteris rescriptis hoc anno ad Eusebianos testatur, cum ait [c]: Quæ in Grego-
rij introitu acta fuerunt, ostendunt qualis fuerit ordo in eius ordinatione: temporibus
enim

A enim ita pacatis, prout renunciant qui inde veniunt, & quemadmodum Episcopi scribunt, ipsa Ecclesia incendium passa est, virgines nudatæ, monachi conculcati, presbyteri & multi ex populo indigne habiti & violati, Episcopi in carcerem detrusi, multi item spoliati & sacra mysteria, de quibus incusabant Macarium presbyterum, ab Ethnicis direpta, & in terram abiecta sunt, vt vi cogerent nonnullos ad cōstitutionem Gregorij approbandam.] et inferius: Ex Aegypto autem & Alexandria, cum denuo superuenissent presbyteri, litteras secum attulere, quibus plurimorum Episcoporum & presbyterorum querimonia continebatur; se, cum huc ad Concilium pergerent, detentos fuisse, ac etiam num detineri: et quemadmodum post Athanasij exilium (sic enim appellat fugam ipsius) contigit, Episcopos, homines confessores flagris conscindi, alios in carcere haberi, Præsulesque longissimi in suo Episcopatu temporis publicis ministeriis mancipari, & fere omnes clericos & populum Ecclesiæ B Catholicæ insidiis appeti & persecutionem pati, quosdam item Episcopos & fratres finibus suis eiectos esse nulla alia ex causa, nisi vt inuiti cogerentur communicare cum Gregorio & Arianis: et Ancyræ quæ in Galatia est, non pauca aut parua designata esse, sed prorsus eadem cum factis Alexandrinis.] hæc Iulius. At de clade Alexandrina hactenus.

Vides plane, lector, qualia esse soleant hæreticorum opera, qui semel exuti Catholicam fidem, omnem cum ea humanitatem, & quod proprium est hominis, rationem pariter abiecisse videantur, superinduentes cum impietate sæuitiam, præseferentes imaginem eius cuius afflantur spiritu, & ex quo geniti esse noscuntur; dicente de eorum consortibus Domino [a]: Vos ex patre diabolo estis, & opera eius facitis; qui fuit homicida ab initio, semper aduersus Ecclesiam bellum gerens. Qui igitur sic in ouile ouium ingrediuntur, vt furentur, perdant, & mactent; plane non esse pastores, sed Domini [b] sententia, latrones atque fures C penitus conuincuntur.] Essent sane hic, horum occasione, his similia longeque deteriora, quæ ab hæreticis nostri temporis non in vna ciuitate, sed pluribus ac fere innumeris, in diuersis prouinciis immanissime perpetrata sunt, recensenda, lacrymisque Athanasij nostræ iungendæ: sed quòd non sint huiusmodi, quæ paucis vel summatim saltem enarrando exprimi queant; satis modo, lector, te ex Athanasij scriptis hic recitatis, nostri temporis Ecclesiæ cladium contemplatum esse quamdam imaginem, & deducta potius lineamenta quædam monstrorū illorum quæ hoc nostro deploratissimo sæculo loca infera euomuerūt: At hoc tibi satis, vt (quod ab illius temporis Orthodoxis præstari Athanasius optat) odio hæreses persequaris, earumque sectatores abomineris; et in castris militans Catholicæ veritatis, huic omnes aduersantes pro virili semper oppugnes. Sed iam ad Iulium Romanum Pontificem redeamus.

Qualis hæretici esse solebant.

a Ioan. 8.

b Ioan. 10.

D Cum iam Elpidius & Philoxenus presbyteri Legati Romam Antiochia rediissent, acceptis ab eis litteris Eusebianorum Iulius Papa, illas (vt ipse testatur) quòd indignissimæ essent quæ efferrentur in publicum, supprimere cogitauit; sed cum nullus ab eis Romam mitteretur, qui saltem perpetrata facinora excusaret: eas tandem publice recitauit, & quidem puto in ea Synodo, ex qua ad eosdem ipse rescripsit. Etenim Concilium Romæ celebratum hoc anno esse, Patresque qui conuenerant, per Iulium eas rescripsisse, quæ eiusdem Iulij tantum nomine feruntur litteræ, Athanasius ipse tradit, cum post easdem in sua Apologia descriptas litteras mox addit [c]: Hæc cum Romæ Synodus per Iulium Romanum Episcopum scripsisset, improba iterum audacia Eusebiani in Ecclesiis perturbandis, insidiisque tendendis vsi sunt.] honoris ergo id antiquitus obseruari solitum fuit, vt quæ in Synodo decreta essent, solius Romani Pōtificis litteris vulgarētur: quod & postea æmulata est Ecclesia Africana, cum in Car- E thaginensi Concilio decretum istud ipsum est, vt dum ex Synodo litteræ scribendæ essent, ab Episcopo Carthaginensi prouinciæ illius Primate darentur.

Concilium Romæ celebratum.

c Athanas. Apolog. 2.

Respondens igitur Iulius, cum in primis quæ ab illis scripta essent, quæ & suo loco recitauimus, confutasset, & quæ a se in superiore Synodo, qua absoluti sunt Athanasius atque Marcellus, iure legitimeque esse facta monstrasset, prolatasque ab ipsis in eosdem calumnias redarguisset: hæc tandem ad eos, monens vt a cœptis desisterent, atque mala perpetrata corrigerent, ad finem apposuit [d]: Postquàm autem, vt dixi, canonice & non iniuste cum iis fouemus communionem: obsecro vos per Iesum Christum, ne sinatis discindi membra Christi: neque præ occupationibus fidem posthabete, sed Domini pacem anteponatis: non enim ius aut fas est, ob paucorum degeneres animos, eos abiici, qui condemnati non sunt, aut Spiritum Domini contristari. Quòd si creditis posse quædam illis obiecta ostendi, & coram in facie argui: veniant qui volunt: nam & se paratos esse, & probaturos dicunt, quæ denunciauerunt. Certiores igitur nos, dilectissimi, de ea re facite, quo & illis scribamus, & ceteris

Litteræ Iulii Papæ ad Eusebianos.

d Apud Athanas. Apolog. 2.

ceteris item Episcopis qui huc debent conuenire; vt coram omnibus, qui culpæ obnoxij sunt, condemnentur, & ne vlterius in Ecclesia perturbatio fiat: sufficiunt enim quæ facta sunt; sufficit quoque, in præsentia Episcoporum, Episcopos in exilium actos esse: de qua re non est prolixior sermo habendus, ne grauari videantur qui tum affuere.] hæc dicens Iulius, sugillat eos qui Concilio interfuerunt Antiocheno, ex quo tam iniqua sententia prodiit, vt in locum viuentis Athanasij successor decerneretur; ac subdit: Nam si verum dicendum est, minime decuit eo vsque procedere, aut eo vsque euadere istas animorum degeneres pusillanimitates. Esto vt sint Athanasius & Marcellus (vt scribitis) translati e sedibus suis: sed quid de aliis dicas, qui ex vniuersis locis cum Episcopi tum presbyteri (quemadmodum dixi) huc venere? nam & isti se denuo abreptos, & istiusmodi passos esse, dixerunt. A

ROMANAE SEDIS IVDICIVM EXPECTANDVM.

O dilecti, non iam vlterius Ecclesiæ iudicia secundum Euangelium, sed vel ad exilium, vel ad mortem instituuntur. Nam si (vt dicitis) omnino in culpa fuerunt: oportuit secundum canonem & non isto modo iudicium fieri: oprtuit scribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus, quod iustum esset, decerneretur: Episcopi enim erant & non vulgaris Ecclesiæ, qui ista patiebantur; sed quam ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur & in primis de Alexandrina ciuitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis, hanc consuetudinem esse, vt primum nobis scribatur, vt hinc quod iustum esset, definiri posset.] Cum ista ad Eusebianos scribat Iulius Papa: en quàm perspicue declaratur, tum ex canone Ecclesiæ, tum etiam ex consuetudine, sic legitima Episcoporum iudicia exerceri solita, vt de his in primis scriberetur ad Romanum Pontificem, a quo quid definiendum esset, acciperetur: ac proinde subdit: Quapropter si istic huiusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat: id huc ad nostram Ecclesiam referre oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minime fecerunt; postquàm iam egerint quod libuit; suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt. Non ita se habent Pauli ordinationes; non ita Patres docuerunt, sed fastus iste & nouum studium est. B C

IVLII AD EVSEBIANOS HORTATIO.

Obsecro vos, cum alacritate audite: pro publico bono ista scribo: quæ enim accepimus a beato Petro Apostolo, ea vobis significo, non scripturus alloqui, quæ nota apud vos esse arbitror, nisi facta ipsa nos conturbassent. Episcopi abripiuntur, & a suis sedibus propelluntur: alij vero aliunde in eorum loca reponuntur. Alij vero insidiis appetuntur, vt subditi & de abreptis doleant, & ab immissis vim patiantur; vt quos optant, frustra requirant; quos nolunt, inuiti recipiant. Obsecro ne ista vlterius fiant: vel potius contra illos scribite qui talia moliuntur, ne deinceps has iniurias Ecclesiæ patiantur, aut Episcopus, aut presbyter huiusmodi contumelias sentiat, aut præter animi sententiam ea quæ nolint (vt nobis indicarunt) cogantur facere: ne apud Ethnicos ridiculi efficiamur, aut quod præ omnibus grauissimum est, Deum exacerbemus. Vnusquisque enim nostrum, eorum quæ hic turbauit, rationem reddet in die Iudicij. Optoque vt omnes secundum Deum sentiant; quo Ecclesiæ suis Episcopis receptis, perpetuo gaudeant in Christo Iesu Domino nostro, per quem gloria Patri in sæcula sæculorum. Amen. Valere vos in Christo, opto, desideratissimi fratres.] Misit has litteras Iulius (inquit Athanasius [a]) per Gabianum * Comitem. D

a Athanas. Apolog. 2. ante epistolam Iulij.
* Gabinianum
b Socrat. lib. 2. c. 13.

SABINI HIST. ERROR ARGVITVR.

Agens de iisdem Iulij Papæ litteris ad Eusebianos missis Socrates, eas summatim perstringit, atque dolum malum Sabini Macedoniani historici aperit, cum ait [b]: Sabinus erroris Macedoniani propugnator, de quo iam antea mentionem feci, quamquam in libro eius, qui rerum in Concilio gestarum Collectio inscribitur, epistolam Episcoporum Antiochiæ conuocatorum ad Iulium scriptam minime prætermiserit, epistolas tamen ipsius Iulij in eodem minime intexuit: verum istud facere, illi in more positum erat: nam quæcumque epistolæ in Conciliis conscriptæ verbum Consubstantiale vel silentio transiere, vel penitus irritum fecere, eas studiose & diligenter citauit; contrarias autem de industria missas fecit.] hæc Socrates; qui dum ait, non hanc tantum, sed plures Iulij epistolas ab eodem silentio prætermissas, ad priorem illam quoque alludit Iulij epistolam, qua, vt dictum est, missis Legatis Elpidio & Philoxeno, eosdem ad Synodum Romæ habendam vocauit. E

IVLIVS PAPA CVR CVM EVSEBIANIS MITIVS AGAT.

Quod vero ad posteriorẽ hanc epistolã spectat: mitius quidẽ visus est cum Eusebianis Iulius agere, quàm par erat in tanto immaniũ criminum admissorum aceruo; tum vt eos ad Concilium (quod suadet) Romam pertraheret; tum etiam quòd sciret eosdem tot tantaque præsumere, fultos Imperatoris potentia: quamobrem & ipse (cum ab eis Ecclesiastica iudicia omnino subterfugi atque contemni videret) apud Occidentalis orbis Imperatorem Constantem egit, atque per eum tandem effecit, vt scribente illo ad fratrem suum Augustum, refragantibus licet Arianis omnibus, generale tamen Concilium decerneretur, ac pariter indiceretur:

A retur: at hæc vix poſt annos quatuor, quod ſuo loco dicemus. Nondum enim (vt ex eorum profeſſione, immo conteſtatione facta in Synodo Antiochena ſuperius vidimus) Euſebiani Ariani eſſe conuinci poterant, vt a Iulio damnarentur: ſed & quòd quæ ab eis geſta eſſent in ſubrogatione Gregorij in ſedem Alexandrinam, non priuatim ab ipſis, ſed Synodali iudicio, cui præſens fuerat Conſtantius Imperator, acta eſſe præſeferebant, alio erant iudicio retractanda; quam ob cauſam eos ad Synodum Romam Iulius litteris ſuis inuitat.

At nihil eſt quòd mireris tam frequentes haberi Romæ Epiſcoporum Conuentus, nempe anno ſuperiore, quo Athanaſius abſolutus eſt; præſenti, ex quo Iulius ea reſcripſit in Orientem, & qui ſequenti indictus eſſe videtur: ſemel enim ſaltem & bis interdum eiuſmodi comprouincialium Antiſtitum Conuentus cogi a Metropolitanis Epiſcopis ſolitos, ſatis ſuperius demonſtratum eſt: quod ab Euſebianis in dicto Concilio Antiocheno, edito canone, vt B bis in anno coirent Epiſcopi, fuit lege præſcriptum; cum alioqui complutes ea de re ex aliis Synodis canones extent, ſecundum antiquam Eccleſiaſticam diſciplinam, etiam tempore Gentilium Imperatorum (vt vidimus, auctore Cypriano) inuiolate in Eccleſia cuſtoditam.

FREQVENTES ROMAE SYNODI.

Qui igitur hoc anno in ſedem Alexādrinam intruſus eſt Gregorius Cappadox, eam tyrannice occupauit vſque ad Concilium Sardicenſe, a quo ipſe depoſitus, & Athanaſius fuit cum honore Alexandriam reſtitutus. Hinc videas hallucinatos eſſe Socratem atque Sozomenum & alios pleroſque, qui dixerunt Gregorium a ſuis abdicatum, quòd ſegniter ſe haberet in defendenda Ariana hæreſi, atque aliis ex cauſis, quas his verbis Socrates refert[a]: Interea temporis (nempe Conſtantio tertium & Conſtante ſecundum Coſſ. quos paulo ante recenſet) Ariani Gregorium, vtpote a populo magnopere inuiſum, Alexandria transferunt: idque C non ea de cauſa ſolum, ſed etiam tum propter templi incendium, tum propterea quòd non ſatis videbatur ipſorum opinioni patrocinari: Georgium igitur accerſunt, &c.] eadem plane Sozomenus[b]. Præſtat autem magis auſcultare Athanaſio, ex cuius ſcriptis tum ſuperius citatis, tum etiam inferius recitandis, illud redditur exploratum, a tempore Synodi Antiochenæ vſque ad Iulianum Apoſtatam duos extraneos a Catholica fide temporibus Athanaſij ſediſſe Epiſcopos: prior eſt Gregorius de quo agimus, qui perſeuerauit, vt diximus, vſque ad Sardicenſe Concilium, in quo depoſitus eſt, & vt teſtatur Athanaſius[c], poſt decem menſes obiit: poſterior vero Arianus Epiſcopus Georgius item Cappadox, vel potius ex Ammiani ſententia Cilix Athanaſio ſubrogatus longe poſt Sardicenſem Synodum, Arbetione & Lolliano Conſulibus, ſuperuixit vſque ad Iuliani Apoſtatæ tempora, quando & ab Alexandrinis occiſus eſt. In eum quoque errorem Socrates lapſus eſſe apparet, dum eiuſmodi D inuaſionem Alexandrinæ Eccleſiæ factam dicit per Syrianum ducem Gregorio fauentem: confundens nimirum hanc graſſationem cum illa quæ poſt annos quatuordecim accidit, quo tempore iterum Athanaſius ab Eccleſia Alexandrina depulſus eſt.

GREGORIVS QVANDIV SEDERIT.

a Socrat. lib. 2. c. 10.

b Sozom. lib. 3. c. 6. in fin.

c Athanaſ. epiſt. ad Orthodox.

Vides igitur, quàm diſpar ſit quod Socrates & Sozomenus tradunt, Gregorium ſcilicet ab Arianis ipſis fuiſſe depoſitum, quòd in Ariana hæreſi ſtabilienda tardior fuerit & negligens; quem tamen conſtat ex his quæ diximus, fuiſſe omnium ea in re ſtudioſiſſimum, in eoque potiſſimum inuigilaſſe, vt minis, carcere, bonorum mulctatione, flagris, exiliis, ac denique cædibus Catholicos quoſque ad ſuam, nempe Arianam communicationem vrgeret; ad hæcque vſum eſſe non ordinariæ tantum apparituræ militibus, ſed adhibuiſſe inconſtans vulgus, homineſque pariter Iudæos atque Gentiles. Manifeſti quoque erroris iidem redarguūtur de Gregorij facta depoſitione ab Arianis, quem ex Synodali epiſtola Concilij Sardicenſis conE ſtat tunc in ea Synodo a Catholicis eſſe exauctoratum.

GREGORIVS SAEVISSIMVS PERSECVTOR.

Quibus & illum etiam errorem inſuunt, quo tradunt ſtatim ab eiſdem fuiſſe ſuffectū Georgium Cappadocem: nam tunc Alexandrinæ ſedi reſtitutus eſt Athanaſius; quo poſt multos annos depoſito, Georgium ipſum (vt nuper dictū eſt) ſub dictis Conſulibus poſt annos quatuordecim, liquet in locum Athanaſij rurſum expulſi ſubrogatum fuiſſe. Rectius his longe quidem & accuratius Theodoretus[d] hæc de Gregorio habet: Vbi, Euſebiani ſcilicet, oues gregis Alexandrini deſtitutas paſtore vident; quemdam nomine Gregorium, lupum videlicet in locum paſtoris ſubſtituunt: qui ad ſex annos multo maiore crudelitate quàm agreſtes belluæ in gregem vſus, tandem a ſuis ipſius ouibus miſere extinctus fuit, debitaſq. ſuæ improbitatis pœnas perſoluit.] Recte ſane hæc Theodoretus, cuius quoque probatur ſententia de tempore ſedis Gregorij: nā numerādo ab anno ſuperiore, quo in Cōcilio Antiocheno Gregorius creatus eſt Alexādrinus Epiſcopus, vſque ad Synodū Sardicēſem, in qua dānatus eſt, nēpe anno Domini trecenteſimo quadrageſimoſexto, eūdem Gregoriū ſex annos inchoatos ſaltē ſediſſe oportuit.

THEODORETI VERIOR SENTENTIA.

d Theodoret. lib. 2. c. 4.

GREGORII LEGATIO AD IVLIVM.
a Apud Athanas. Apolog. 2.

Quod rursus ad Gregorium spectat; misit ad Iulium Papam Legatum Carponam quẽdam A
Arianum hominem, iam olim ab Alexandro Episcopo Alexandrino eo nomine notatum; sed ei, sicut alijs ea labe conspersis, idem Pontifex suum denegauit aspectum: horum mentio est in eiusdem Iulij Papæ epistola ad Eusebianos[a]: contra vero, profugis Alexandrinis, aliisque diuersarum Ecclesiarum extorribus Episcopis atque presbyteris Ecclesiasticam communicationem impertiuit, atque Christiana charitate confouit.

ATHANASIVS ROMAM FVGIT.
b Sozom. lib. 3. c. 7.
c Socrat. lib. 2. c. 13.

Athanasius quoque ipse fuga lapsus, ne hostium pateret incursui, eius necem auide sitientium, accessit ad tutum tranquillumque portum, Romanam inquam Ecclesiam, vbi haud diu ante in Synodo absolutus, Catholica communione Iulij sententia dignus fuerat iudicatus. De aduentu autem eius in Italiam testatur Sozomenus, qui ait[b]: Athanasius vero fugiens, Romam aduentauit.] Socrates tamen tradit[c], eum a Iulio Romam esse vocatum; nam ait: Tum Iulius Episcopus Romanus, cum de iniuriis Athanasio ab Arianis illatis certior factus esset, & litteras Eusebij, qui iam mortem obierat, recepisset: Athanasium vbi de loco in quo occultabatur, audierat, ad se accersit. eodem temporis momento litteræ, quas Episcopi Antiochiæ paulo ante congregati miserant, afferuntur.] sed de litteris hisce superius. Rursum vero de aduentu Athanasij Romam, cum a clade Alexandrina se proripuit, hæc habet Cælestinus Papa in epistola ad Clerum Constantinopolitanum: Athanasius illinc fugatus, in nostris partibus roboratus est: denique hic ei redintegratus est status, & in hac sede requiem communionis inuenit, a qua semper Catholicis subuenitur.] B

d Athanas. Apolog. ad Constant.

De suo quoque, eo persecutionis tempore, Romam accessu meminit Athanasius ipse in Apologia ad Constantium Imperatorem, cum apud eum illa suspicione laboraret, quasi fratrem ipsius Constantem aduersus ipsum solicitasset: scribens igitur ea de causa suam C ipse defensionem hæc dicit[d]: Profectus sum Alexandria non ad castra fratris tui, aut alium quempiam, sed Romam dumtaxat, me, meaque Ecclesiæ commendaturus. Ea enim mihi vnica cura fuit: quo tempore multus eram in Synaxibus celebrandis: neque vmquam fratri tuo scripsi, nisi vbi Eusebiani calumniosas de me litteras ad eum misissent: necessumque erat, vt me etiam tum, cum Alexandriæ adhuc eram, excusarem.] sic ibi Athanasius.

LITTERAE EVSEBIANORVM AD CONSTANTEM IMP.
e Athanas. de Synod.

At quænam fuerint eiusmodi litteræ ab Eusebianis ad Constantem Imperatorem datæ: hic meminisse debemus, quæ dicta sunt superius, cum egimus de Concilio Antiocheno, ipso Athanasio[e] auctore: nimirum misisse Eusebianos ex eodem suo ipsorum Conuenticulo Legatos ad Constantem Imperatorem in Occidentem, quatuor præcipuos Arianæ factionis Episcopos, videlicet Marin Chalcedonis, Narcissum Neroniadis, Theodorum Heracleæ, & Marcum Arethusæ: at licet quid per hos scripserit ea Synodus ad Constantem non liqueat; constat tamen ipsius Athanasij testimonio, in primis ad eum misisse fidei formulam ab illis recens tunc in Synodo scriptam, nec non (quod nunc eodem auctore dictum est) calumnias in ipsum Athanasium: quas cum idem compertas habuisset, ad eumdem rescribens, excusationem pro se contexuit, quæ tamen desideratur. D

CONSTANS IMP. QVALIS ERGA ATHANASIVM.
f Athanas. Apolog. ad Constantium.

Constans ergo Augustus, cum in omnibus exploratum haberet eiusdem sanctissimi viri summa cum pietate vitæ candorem & innocentiam; eum tum amore, tum etiam reuerentia prosequutus est; a quo illud item, quod magnæ erga ipsum fuit fiduciæ argumentum, petiit, vt vniuersam diuinam Scripturam redigeret in compendium, breuiariumque ex ea conficeret, quod ad se mitteret: occupato enim Imperij curis, haud tantum sibi otij suppetere videbatur, vt omnes diuinæ Scripturæ libros, quorũ auidus erat, perlegere posset. Præstitit id ipsum E egregie Athanasius, scripsitque totius sanctæ Scripturæ Synopsin: cuius ipse visus est meminisse, dum in eadem ad Constantium Apologia, post illa quæ superius sunt recitata, hæc subdit[f]: Iterumque ad eum scripsi, cum mihi mandasset vt tabulas sacrarum litterarum conficerem: quas confectas ad eum misi.] Extant quidem ipsæ tabulæ, sed exciderunt eius litteræ, quas dicit se tunc ea occasione ad Constantem scripsisse.

ATHANASIVS VLTRA TRIENNIVM ROMAE MORATVR.

Qui igitur S. Athanasius, hoc anno, fugiens Alexandria Romam se contulit, ibidem mansit vltra triennium, vsque dum ab eodem Imperatore Mediolanum vocatus est; testatur id ipse in eadem nuper citata ad Constantium Apologia, cum addit: Post triennium, quarto denique anno litteris iussit, vt ad se venirem: agebat autem per id tempus Mediolani.] Sed quo modo actum sit iis temporibus de cogendo Concilio Sardicensi, suo loco dicturi sumus. Felix plane tunc Romana Ecclesia, quæ ad triennij & amplius annorũ spatiũ, tam illustri Catholicæ fidei cõfessore & defensore, iam a tẽpore Nicæni Concilij vniuerso Orbi spectatissimo frui meruit;

quo

A quo temporis interuallo, vt ait, in Synaxibus celebrandis multus fuit. Quis dubitat eum toto
illo quadriennio cunctas sacras Sanctorum Memorias, atque potissimum sanctissima ipsa Apo-
stolorum limina frequentasse? propensiorique studio excubasse ad Petri Confessionem, tam-
quam ad primarij fontis crepidinem, ex quo per Marcum discipulum suum Euangelij copioso
fluento longe præstantius, quàm Nilus, vniuersam irrigauit Aegyptum? sed & numerosa illa
ditissima atque amplissima martyrum promptuaria, ipsa inquam subtus terram abdita cœme-
teria, amplissimos illos sacros recessus, Vrbis iam Christianæ ornamenta præclara, ipsosque
abditos quidem, sed piis patentes inexhaustos Ecclesiæ Romanæ thesauros studiose perue-
stigasse, & religiose veneratum esse virum maxime pium & erga martyres propensiorem, exi-
stimare par est. Quo pacto autem non ipse modo Athanasius, sed & Paulus Episcopus Con-
stantinopolitanus hoc item anno profugus Romam se receperit, atque alij complures Orien-
B tis Antistites, dicemus paulo inferius.

Hoc eodem anno, ac plane eius exordio, cũ scriptæ ab Eusebio Nicomediẽsi iam Episcopo EVSEBII NI-
Constantinopolitano ex Antiochena Synodo ad Iulium Romanum Pontificem per Legatos COMEDIENSIS OBITVS.
Elpidium & Philoxenum contumaces litteræ nondum Romam perlatæ essent: ipse Eusebius,
qui Romanæ Ecclesiæ iudicium subterfugerat, ad diuini examinis seueritatem (vt auctor est
Socrates [a]) mortuus, inuitus licet, venire compellitur. Visus est itaque non sine admiratione a Socrat. lib. 2. c. 13.
summæ Dei erga homines delinquentes patientiæ diu toleratus scelestissimus omnium homi-
num, bis apostata, in omnes contumeliosus, blasphemus, vbique tyrannus, & instar Achab, de
quo diuina Scriptura tradit [b]: Non fuit alter talis sicut Achab, qui venumdatus est, vt faceret b 3. Reg. 21.
malum in conspectu Domini.] At tandem ex hac vita sublatus est: cuius labor in eo potissi-
mum fuit, vt nuper Christo credẽtes Imperatores a Catholica fide diuelleret: quod licet fru-
C stra tentasset in Constantino, in Constantio tamen factus est voti compos; cuius opera, extin-
cta in Nicæno Concilio, hæresis Ariana reuixit; ex qua vniuersus prope Christianorum Or-
bis incendio conflagrauit; et cuius fuerat cum Ario auctor atque defensor, post sublatũ eum-
dem Arium eximius extitit propagator: Hic inquam tamdiu patienter a Deo toleratus, tunc
cum blasphemiæ & pertinaciæ cornua in ipsam Ecclesiam Romanã erexit, ex hac vita infelix
recedere & ad horrendum iustitiæ diuinæ tribunal se sistere coactus est. Testatur hoc idem So-
crates [c], eum scilicet paulo post dimissum Concilium Antiochenum e vita migrasse. Quòd igi- c Socrat. lib. 2. c. 9.
tur S. Athanasius [d] dicit, Eusebium ante Synodum Sardicensem defunctum esse, ad hæc tem- d Athanas. Apolog. 2.
pora referendum putamus; cum & ex Consulibus inferius a Socrate nominatis, hoc ipso anno
eum ex humanis decessisse, certum sit argumentum. Quid autem post mortem Eusebij tunc
Episcopi Constantinopolitani acciderit, narrat idem his verbis [e]: e Socrat. lib. 2. c. 9. 10.

D Quapropter, defuncto Eusebio, populus Constantinopolitanus Paulum in Ecclesiam denuo
introducunt. Eodem temporis momento Ariani in ecclesia sancto Paulo dicata Macedonium PAVLVS ITERVM SEDET CONSTANTINOPOLI.
deligunt Episcopum. Istud quidem ab illis factum est, qui iampridem Eusebio vniuersum Ec-
clesiæ statum perturbanti opem tulerant. Qui autem id temporis auctoritate multum valebãt,
fuere isti, Theognis Nicææ Episcopus, Maris Chalcedonis, Theodorus Heracleæ quæ est in
Thracia, Vrsacius Singidonis superioris Mysiæ, Valens Mursorum superioris Pannoniæ. Ve-
rum Vrsacius & Valens postea resipiscere, libelloque pœnitentiæ Iulio Episcopo donato, fidei
Consubstãtialis assentiri, cumque Ecclesia Catholica communicare cœpere. Per idem tempus
qui sectam Arianam ardenter tuebantur, bella valde grauia contra Ecclesias commouent, ex
quibus vnum Constantinopoli per Macedonij fautores excitatur: atque ex isto intestino bello
Christianorum crebræ in ea ciuitate seditiones conflantur, multique earum violentia protriti
E intereunt. Fama istarum rerum ad aures Imperatoris Constantij, qui tum Antiochiæ commo-
rabatur, permanauit.

Mandatum igitur dat Hermogeni Duci, qui erat ad partes Thraciæ missus, vt ab instituto PAVLVS PELLI IVBETVR.
itinere paululum digressus, Paulum Ecclesia expelleret. Ille Constantinopolim profectus, vni-
uersam vrbem, dum Episcopum vi conatur eijcere, vehementer conturbat. statim namque po-
puli tumultus insequutus est, paratique erant Episcopum defendere. Vt vero instabat Hermo-
genes, copiisq. militaribus Paulũ exigere acriter nitebatur: multitudo bile percita, temere &
inconsulto (vt in huiusmodi seditionibus fieri solet) impetũ in illum facit: ædes, in quibus erat,
incendit, illum ipsum inde extractum interimit. ista acta sunt duobus Augustis Consulibus, ad
tertium scilicet Consulatum Constantij, ad secundum Constantis. Quo quidem tẽpore Con- CONSTANTIVS IMP. QVID IN
stans gentem deuicit Francorum, eosque fœderatos & socios Romanis fecit.

Constantius autẽ Imperator de cæde Hermogenis certior factus, equo ascenso Antiochia CONSTANTINOP. CATHO-
decedens, Constantinopolim recta iter capit: Paulum eiicit e ciuitate: ipsam ciuitatem, ablato LICOS.

frumento congiario, supra quadragies centena millia medimnorum, quod illi ab eius patre A
in dies singulos donatum erat, mulctauit. Nam ante illud tempus circiter octuagies centena millia medimnorũ frumenti, quod Alexãdria eo aduehi solet, illi vrbi erant suppeditata. Macedonium vero Imperator Episcopum eius ciuitatis renunciare distulit. Etenim in illum, non solum quòd de eius sententia & consilio neutiquam delectus fuisset, verum etiã quòd propter graues tumultus inter ipsum & Paulum excitatos, cum alij multi, tum dux eius Hermogenes trucidatus fuisset, iracundia admodum exarsit. Itaque potestate Macedonio, conuentus in ea solum ecclesia celebrandi, in qua electus erat Episcopus, permissa, Antiochiam reuertit.] hucusque Socrates de rebus Constantinopoli gestis post Eusebij obitum inter Paulum & Macedonium: eadem quoque Sozomenus [a] habet. Paulum vero e sede pulsum Romam aduenisse ad Iulium Papam, aliosq. eodem naufragio iactatos, Socrates subdit, cum ait [b]: B

a Sozom. lib. 3. c. 5.
b Socrat. lib. 2. c. 11.

PAVLI ET ALIORVM ROMAM CONFVGIVM.

Eodem tempore Paulus Episcopus Constantinopolis, Asclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, & Lucius Hadrianopolis, alij ob aliã causam accusati, & Ecclesiis suis eiecti, Romæ omnium ciuitatum facile principis versantes, Iulium Episcopum Romanum de suo ipsorum statu certiorem faciunt. Ille vero, quoniam Ecclesia Romana priuilegium præter ceteras obtinebat, litteris suis ad Episcopos Orientales liberius perscriptis, illorum partes tueri studet: in Orientem litteras mittit, quo & suus cuique locus restitueretur, & eos qui illos temere abdicarant, grauiter reprehenderet. Illi decedunt Roma, litterisque Iulij Episcopi confisi, ad suas ipsorum Ecclesias redeunt: litteras, ad quos scriptæ erant, mittunt. Hi vbi eas acceperunt, Iulij reprehensionem cõtumeliæ loco ducunt; Concilium Antiochiæ conuocant, &c.] quæ autem enarrare pergit de litteris scriptis ad Iulium a Concilio Antiocheno, in iis plane hallucinatur; cum constet, eas datas ad ipsum ex Synodo illa Antiochena in Encænijs celebrata. C
Porro Pauli restitutionem irritam fuisse redditam, ex eo liquet, quòd non nisi post Concilium Sardicense suam sedem ipsi recipere licuit. Quæ autẽ tam Socrates [c] quàm Sozomenus [d] post hæc subnectunt de Pauli Episcopi Constantinopolitani persecutione per Philippum Præfidem excitata: ea contigisse non hoc tempore, vel huic proximo, sed post Conuentum Sardicense, suo loco manifestum erit.

c Socrat. lib. 2. c. 12.
d Sozom. lib. 3. c. 8.

PAVLVS EPISC. HOC ANNO ROMAM VENIT.

Rursum vero, quod idem Socrates ait, postquàm Paulus a Philippo duce dire exagitatus est, venisse in Italiam ad Constantem Imperatorem; cum non nisi semel eum contigerit migrasse in Italiam, ad hoc ipsum tempus id referendum est; quod ex his quæ subdit, magis exploratum redditur. Siquidem tradit, tum accidisse eius in Italiam aduentum, cum legatio quatuor illorum Arianorum Episcoporum ex Concilio Antiocheno in Encæniis celebrato ad Constantem Imperatorem missa est. Ait igitur Socrates [e]: Non longo tempore post D
Paulus Thessalonica decedere, & Corinthum se pergere simulans, recta in Italiam proficiscitur. Ibi ille & Athanasius vna suam ipsorum conditionem Imperatori patefaciunt. Imperator, cuius ditioni partes versus Occidentem subiectæ erant, illorum iniurias suam ipsius calamitatem statuens, litteras ad fratrem dat, perque illas ei significat, vt tres Episcopi rationem de Pauli & Athanasij abdicatione redderent ad ipsum mittantur. Missi sunt Narcissus Cilix, Neroniadis hic erat Episcopus, Theodorus Thrax, Heracleæ Antistes, Maris Chalcedonis, & Marcus Syrus Arethusæ Episcopus. Qui vt accesserunt, cum Athanasio noluerunt in colloquium venire: quin etiam fidei decisionem Antiochiæ editam occultantes, aliam quam Episcopi contexuerant, Imperatori exposuerunt his fere verbis: Credimus in vnum Deum, &c.] hæc Socrates; qui & cum subdat [f] ex alio Concilio post triennium celebrato missum esse Eudoxium cum collegis in Occidentem Legatum; plane necesse est referre dictorum quatuor Episcoporum legationem ad prius Antiochenum Conuentum in Encæniis celebratum: nam Concilium illud Antiochiæ, ex quo Eudoxio ac sociis demandata fuit legatio in Occidentem, post annos tres a dicta priore Antiochena Synodo habitum est: quod S. Athanasius disertis verbis affirmat; quamobrem de ea suo loco agendum erit. Sed hæc iam satis ad corrigendos aliorum errores, in quibus detinemur inuiti, moleste ferentes in his frequentius diutiusque remorari, qui cuperemus ad solidam veramque rerum gestarum narrationem absque aliquo offendiculo longiores facere progressus. E

e Socrat. lib. 2. c. 14.
f Socrat. lib. 2. c. 15.

g Socrat. lib. 2. c. 14. in fin.

PHOTINVS HAERESIARCHA.

His a Socrate [g] recensitis, mox subditur: Porro autem dum adhuc, tum qui Orientem versus, tum qui ad Occidentem incolebant, absque discrimine ipsi inter se communicant; Sirmij, quæ est ciuitas Illyrij, noua hæresis exoritur: nam Photinus, qui Ecclesiis ibi præfuit, ex parua Galatia ortus, Marcelli, qui Episcopatu abdicatus erat, discipulus, Filium Dei solum hominem affirmauit

A affirmauit, præceptoris inſiſtens veſtigiis.] hæc Socrates. Sane quidē his tēporibus iam palam factam eſſe Photini hæreſin; profeſſio fidei ſcripta iterum ab Euſebianis in poſteriore Concilio Antiocheno poſt annum ſequentem habito, fidem facit[a]: nam in ea ſicut Marcelliani, ita & Photiniani taxantur hæretici: licet apud Athanaſium, cum recitatur eadem ipſorum fidei aſſertio, loco Photini, Scotini, legatur, veluti alias ſæpe apud aliquos etiam. Ceterum ſicut Marcelli cauſa adhuc ſub dubia alea verſabatur, dum Euſebiani illum damnaſſent, Catholici vero edita ab eo Orthodoxæ fidei profeſſione recepiſſent: ita pariter de eius diſcipulo Photino accidiſſe putamus, vt licet ipſum Euſebiani damnarent, non tamen adhuc qualis eſſet, Catholicæ Eccleſiæ innotuerit: ſiquidem (vt auctor eſt Epiphanius[b]) a Concilio Sardicenſi iuſſus eſt reddere ſuæ fidei rationem, a quo & damnatus eſt. corrigendus tamen in eo ipſe Epiphanius, quod ait eum a Sirmio originem ducere, quem conſtat fuiſſe patria Ancyra,
B Sirmienſem tamen Epiſcopum. Porro auctore S. Hieronymo, Ancyra fuit eiuſmodi monſtrorum ferax. Sed de Photino inferius pluribus[c].

Hoc eodem anno, in fine ipſius, iiſdem Conſulibus, a Conſtantio Imperatore edita ſanctio reperitur aduerſus nefandum ſcelus, his verbis[d]: Cum vir nubit, in fœmina viros paritura quid cupiatur, vbi ſexus perdidit locum? vbi ſcelus eſt id quod non proficit ſcire? vbi Venus mutatur in alteram formam? vbi amor quæritur, nec videtur? Iubemus inſurgere leges, armari iura, gladio vltore, vt exquiſitis pœnis ſubdantur infames qui ſunt vel futuri ſunt rei. PP. Romæ XIII. Kalend. Ianuarij, Conſtantio III. & Conſtante II. AA. Coſſ.] mendoſa legitur eadem[e] in Codice Theodoſiano, cum præſertim ibi ponatur Conſulatus nonus Conſtantij cum Conſtante, qui numquam extitit.

a Apud Socrat. lib. 2. c. 15.
b Epiph. hæreſ. 71.
c Hieron. in præfat. comment. in epiſt. ad Galat.
d l. 31. C. ad leg. Iul. de adulter.
SCELVS NEFANDVM LEGE PVNITVR.
e l. 3. C. Theod. eod. tit.

C

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII CONSTANTIS IMPP.
343.	7.	7.

ANnus Chriſti trecenteſimus quadrageſimustertius, Placido & Romulo Conſulibus adnotatur, memorabilis ob felicem S. Pauli Primi Eremitæ ad Deum tranſitum, cuius vitæ res geſtæ a S. Hieronymo egregiis ſcriptorum monumentis poſteris commendatæ, factæ ſunt cuique Fideli notiſſimæ. Quod vero ad rationem tēporis ſpectat: hoc ipſo exordio ſeptimi anni Conſtantij Imperatoris, ipſum ab Antonio Magno inuentum, & defunctum quoque humatum, quæ dicta ſunt ſuperius Tomo ſecundo, cum egimus de eius fuga perſecutionis
D tempore in eremum, exploratiſſimam fidem faciunt. Cuius quidem vitæ hiſtoriæ diuina prouidentia bene conſultum voluit, vt a S. Hieronymo ſcriberetur, viro ab omni fabularū commento longiſſime abhorrente, & qui non niſi ſibi exploratiſsima ſtylo ſuo perpetuæ memoriæ potuerit conſecraſſe; cum præſertim ſui ſæculi res geſtas conſcribens, a quouis prudēte mendacij redargui valuiſſet, atque a quolibet e vulgo homine pariter derideri: et qui ſciret ſe aduerſarios emunctæ naris habere, quamlibet leuiſsimam licet occaſionem captantes ipſius ſcripta carpendi. At (quod dolendū eſt) quæ tot ſuccedentia ſibi ſæcula aſſidua lectione probarunt, & venerata ſunt ſcripta, effugere minime potuerunt noſtri temporis Agiomachos Ariſtarchos, ex hippocentauro atque fauno, quorum in eius vitæ Actis mentio habetur, ducentes argumentum, totum id quod ſcribitur, ludicrum eſſe commentum.

Sed quænam, qualiave ſint iſta, vt cuncta euidentius eluceſcant, accuratius expendamus.
E ſunt hæc verba Hieronymi[f]: Cum iam cētum tredecim annos beatus Paulus vitam cæleſtem ageret in terris, & nonagenarius in alia ſolitudine Antonius moraretur, vt ipſe aſſerere ſolebat, hæc in mētem eius cogitatio incidit: nullum vltra ſe perfectum monachum in eremo conſediſſe. At illi per noctem quieſcenti reuelatum eſt, eſſe alium vlterius multo ſe meliorem, ad quem viſendum deberet proficiſci. Illico, erūpente luce, venerabilis ſenex infirmos artus baculo regēte ſuſtētans, cœpit ire velle quò neſciebat: et iam media dies, coquēte deſuper Sole, efferuebat; nec tamen a cœpto itinere abducebatur, dicēs: Credo in Deum meū, quòd ſeruum ſuum, quem mihi promiſit, oſtendet. Nec plura his: conſpicit hominē equo mixtum, cui opinio poetarū, hippocentaurō, vocabulū indidit: quo viſo, ſalutaris impreſsione ſigni armat frōtem: et, Heus tu, inquit, quanam in parte hic ſeruus Dei habitat? At ille barbarū neſcio quid infrēdens, & frangēs potius verba quàm perloquens, inter horrentia ora ſenis blandū quæſiuit alloquium: et dexteræ protenſione manus, cupitum indicat iter: et ſic patentes cāpos volucri trāſmittēs fuga, ex oculis mirantis euanuit. Verum hæc vtrū diabolus ad terrendū eum ſimulaue-

PAVLVS PRIMVS EREMITA MIGRAT IN CAELVM.
VITA PAVLI CARPITVR A NOVATORIBVS.
f Hieron. in Vit. Paul.
VISVS HIPPOCENTAVRVS.

rit;an vt solet eremus monstruosorum animalium ferax, istā quoque gignat bestiam, incertum habemus.] hactenus de visione hippocentauri Hieronymus: cuius frustra, mea sententia, & iniuria quidem exigitur fides, qui de his dubitans, quidnam fuerit, num spectrum, an monstrum, liberasse voluit fidem suam. A

Ceterum nec insulsa, vel inanis fuit ipsius dubitatio, an Aegyptus monstrorum ferax, eiusmodi quoque ex duabus speciebus mixtum animal genuisse potuerit. Quamuis enim, quod de Ixione atque centauris poetæ cecinerūt, figmentum esse, non est qui dubitet[a], & secundum Celsum[b] de exhibendo hippocentauro, vana sponsio habeatur, cum inquit: Si ita stipulatus fuero; Te siste, & nisi stiteris, hippocentaurum dari:] nec sit qui exigat a natura centauros tamquam speciem animalis: tamen eiusmodi eamdem interdum peperisse monstra, quis neget? Nam sic Plinius[c]: Claudius Cæsar scribit, hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interiisse: et nos Principatu eius allatum illi ex Aegypto in melle vidimus.] in melle inquam, quòd eius virtutis sit, vt computrescere corpora non sinat. sic & in melle marinum hominem ab vltima Mauritania ad Hispanias allatum, testatur Alexander ab Alexandro solidæ fidei auctor: quem qui legerit de Tritonibus diuersis in locis suo sæculo visis & captis, iisdemque vultu hominem præseferentibus & corpore prorsus humano absoluta similitudine pube tenus, postremis in piscem desinentibus; haud dubitabit in terris posse reperiri, quæ maria quoque producunt; cum hominis habitatio sit potius terra quàm mare, ex cuius admixtione cum iumento possint eiusmodi concipi monstra ac generari. B

a Augustin. de Ciuit. lib. 18. c. 13.
b l. 97 ff. de verb. oblig.
DE HIPPOCENTAVRO, QVOD INVENIRI POSSIT.
c Plin. lib. 7. c. 3.
d Alexand. ab Alex. lib. 3. c. 8.

At subdit post hæc S. Hieronymus: Stupens autem Antonius, & de eo quod viderat secum voluens, vlterius progreditur: nec mora inter saxosam conuallem haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat: infractusque & hoc Antonius spectaculo, scutum fidei, & loricam spei, vt bonus præliator arripuit: nihilominus memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum, quasi pacis obsides afferebat. Quo cognito, gradum pressit Antonius: et quisnam esset, interrogans; hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, & vnus ex accolis eremi, quos vario delusa errore Gentilitas, Faunos, Satyrosque, & Incubos vocans colit. legatione fungor gregis mei: precamur vt pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute Mundi venisse cognouimus, & in vniuersam terram exiit sonus eius. Talia eo loquente, longæuus viator vbertim faciem lacrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat. Gaudebat quippe de Christi gloria & de interitu Satanæ: simulque admirans, quòd eius posset intelligere sermonem, & baculo humum percutiens, aiebat: Væ tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris: væ tibi ciuitas meretrix, in quam totius Orbis dæmonia confluxere: quid nunc dictura es? bestiæ Christum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris. Nondum verba compleuerat, & quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moueat; sub Rege Constantino, vniuerso mundo teste, defenditur: nam Alexandriam istiusmodi homo viuus perductus, magnum populo spectaculum præbuit: et postea cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum est.] hæc de his Hieronymus. C D

DE FAVNO INVENTO NARRATIO.

Est frequens de Faunis apud antiquos historicos (vt poetarum fabulas missas faciamus) certaque mentio; inter quos Plinius[e] cum dicat, præter effigiem nihil in eis esse moris humani: cuncta hæc quæ accidisse Antonio a Hieronymo enarrantur, miraculo euenisse, dicendum est: vt de multis aliis animalibus rationis licet expertibus sæpe legitur, ea veluti humano intellectu prædita, ac Dei nutu reddita pene rationabilia, qualia solēt homines, exhibuisse sanctis viris ministeria: vt (ne a Paulo recedamus) de coruo contigit, qui cum diebus singulis per tot annorum curricula dimidium panis eidem Paulo afferre soleret, aduentu tamen Antonij (quod in admiratione fuit) integrum attulit, quo reficeretur vterque. E

e Plin. lib. 5. c. 8. in fine.

Quòd autem in Vita Antonij ab Athanasio conscripta de congressu Pauli cum eo nulla penitus mentio habeatur; inde accidit; quòd (vt eodem Hieronymo auctore dictū est) Athanasius res gestas Antonij, ipso adhuc viuente, scriptis commendauit, easque Romam detulit ante biennium, cum a Iulio Papa vocatus est, quo tempore hæc de Paulo nondum acciderant: postea vero multis prætermissis, appositus est eius obitus, sed an ab eodem Athanasio, haud asserere auderem. At inter res memorabiles a S. Hieronymo de Paulo conscriptas, illud contemplor attentius, quod ait expetiisse ab Antonio pallium illi largitum ab Athanasio, ad suum ipsius defuncti corpusculum inuoluendum: id enim ab eo non idcirco tantum factum puto (quod tradit S. Hieronymus) vt ab eo recedēdo, mæror suæ mortis leuaretur: sed

CVR PAVLVS EXPETIIT PALLIVM ATHANASII.

A quòd qui prophetico spiritu Athanasium nouerat, & (quod leuissimum videbatur) pallium donatum Antonio intellexerat; de ipso etiam summos illos tot annis exantlatos pro Catholica fide labores, exilia, fugam, ærumnas, innumerasque alias molestias minime ignorarit: quamobrem sic Athanasii pallium potius quàm aliud alterius hominis tegumentum exposcere ab Antonio visus est, vt eo saltem communicationis symbolo propēsionis animi erga Athanasium significaret, se plurimi facere hominem, quem tot pro fide suscepta certamina illustrassent; ac proinde omnibus innotesceret, a tanto viro probari fidem, quam Athanasius tam acriter strenueq. propugnaret: quod quidem haud videbatur mediocris esse momenti ad erigendos titubantium animos, & roborandos illos, qui solidi in fide perstarent. Siquidem tanti facere solebat populus illustrium monachorum de fide Catholica testimonium, vt Ariani hoc sentientes, mentiri non sint veriti, Magnum Antonium eadem de fide secum vna sentire; adeo B vt eam ob causam ipsi opus fuerit, relicta intima eremi solitudine, Alexandriam vsque descendere, & de Catholica fide, quam coleret, publice, ne populus laberetur, specimen edere: affirmat id sane Athanasius in Vita ipsius, cum hæc præmittit[a]:

[a] Athanas. in Vit. Anton.

Sic etiam Antonius Arianos detestabatur, vt omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum. Nam cum venissent quidam Ariani, reperit post eorum examinationem infidelissimam sectam, & fugauit eos de monte, dicens, multo serpentibus deteriores horum esse sermones. Mentientibus autem Arianis aliquando, Antonium ita, vt se, credere; admiratus eorum audaciam, & iusti doloris ira commotus, rogatusq. ab Episcopis atque vniuersis fratribus, Alexandriam descendit: ibiq. Arianos publico sermone condemnauit, vltimam hanc esse hæresin & præcursorem Antichristi affirmans: Prædicauitq. populo Filium Dei non esse facturam, non ex vllis extantibus, sed proprium, & vnius cum Patre substantiæ, ne creatura C potius, aut adoptio, aut appellatio videretur: impium esse dicens, vel mente concipere, Erat, quando non erat; cum Verbum Dei Deus qui est, semper sit Patri coæternus, quia ex eo natus est Patre qui semper est. Vnde aiebat: Cum Arianis nulla vobis sit coniunctio. Quæ enim societas luci ad tenebras? Vos fideliter credentes, Christiani estis: illi Verbum, idest Filium qui ex Deo Patre est, creaturam docentes, nullo interuallo a Gentilibus separantur, qui seruiunt creaturæ potius, quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. Ipsa, mihi credite, irascuntur elementa, & omnis contra Arianum furorem (secundum Apostoli dictum) ingemiscit creatura, quòd sibi Dominum suum, per quem omnia & in quo omnia facta sunt, videat coæquari, vel aggregari. Hæc tanti viri prædicatio exprimi non potest, quantum ad fidem populos roborauerit: lætabantur quippe, hostilem & Christo inimicam hæresin anathematizari ab Ecclesiæ Columna.]

ANTONIVS CALVMNIAM PASSVS AB ARIANIS VENIT AD ALEXANDRIAM.

D Quo modo autem Catholicam fidem, quam Alexandriæ prædicauit, ibidem, signis quoque sequentibus confirmarit, idem S. Athanasius docet, cum subdit: Nulla tunc ætas, nullus sexus domi remansit: taceo de Christianis: Pagani quoque, & ipsi idolorum sacerdotes ad Dominicum imperium conuolabant, dicentes: Precamur vt videamus hominem Dei: quia hoc apud vniuersos conspicuum erat nomen Antonij. Ambiebant quoque saltem fimbriam vestimenti eius attingere, multum sibi & tactum prodesse credentes. Quot tunc diabolica obsidione & varijs infirmitatibus liberati? quot simulacris erepta sunt spolia? quot etiam ab errore Gentilium retracti nostro iuncti sunt gregi? Tot certe, vt paucorum dierum spatio ex idolorum superstitione conuersio omnem per annum credentium vinceret turbam. Præterea cum irruentem multitudinem comites repellerent, existimantes illi tædio fore conuentum populum, in tranquillo animo dicebat: Numquid hic cœtus maior est dæmonum turbis? Numquid E obsequentium multitudo colluctatorum in monte nostrorum cateruis est numerosior? Accidit etiam, vt cum eum redeuntem circa portam prosequeremur, à tergo quædam mulier clamaret, dicens: Expecta homo Dei, filia mea atrocissimo vexatur dæmonio: expecta obsecro, expecta, ne & ego corruens inteream. Hoc audito, mirabilis senex à nobis admonitus, volens tandem, & ipse paulùlum substitit. cumque appropinquante muliere, puella iaceret explosa: orauit tacitus Dominum Iesum; et ad comminationem eius statim spiritus impurus egressus est; puella incolumis, populus in laudibus Dei, mater in gaudio fuit; ipse autem lætabatur, quia ad desideratam solitudinem repedabat.] hactenus Athanasius de Antonij Alexandriæ cum verbis, tum signis Catholica fide testata, occasione Pauli per communicationem (quod aliter non liceret) pallij cum Athanasio, fidem Catholicam roborantis. Quando autem hæc de Antonij aduentu Alexandriam contigerint, minimè liquet: quam ob causam hic ea intexere, visum est opportunum.

ANTONIVS MIRACVLIS FIRMAT FIDEM.

Quibus & ea subiicimus, quæ habet idem S. Hieronymus de eadem S. Antonij profectione Ale-

a Hieron. epist. 33. tom. 1.
ANTONIVS QVID AD DYDIMVM.

ne Alexandriam ad confutandos Arianos, sic inter alia ad Castrutium scribens[a]: Beatus Antonius cum a S. Athanasio Alexandriæ Episcopo propter confutationem hæreticorum in vrbem Alexandrinam esset accitus, & isset ad eum Dydimus vir eruditissimus, captus oculis: inter ceteras sermocinationes, quas de Scripturis sanctis habebant, cum eius admiraretur ingenium, & acumen animi collaudaret, sciscitans ait: Num tristis es, quòd oculis carnis careas? Cum ille pudore reticeret: secundo, tertioq. interrogans, tandem elicuit, vt mærorem animi simpliciter fateretur. Cui Antonius: Miror, ait, prudentem virum eius rei dolere damno, quam formicæ, & muscæ, & culices habent; et non lætari illius possessione, quam Sancti soli & Apostoli meruerunt.] hæc apud Hieronymum. vocatum quoque esse ab eodem S. Athanasio aliquando Alexandriam Abbatem Poemem spectatæ sanctitatis virum, habetur in Vitis Patrum[b]. A

b Vit. SS. Patrum part 2.

PERSECVTIO CHRISTIANORVM IN PERSIDE.

c Theodoret. lib. 1. c. 24. in fine. Cedren. in Compend. an. 21. Constantini Imp.

Hoc itidem septimo anno Constantij & Constantis Imperatorum, ponitur in Chronico a S. Hieronymo excitata in Christianos Persas a Sapore Rege Persarũ dira persecutio: cui potius assentimur, quàm ijs qui[c] referunt illã ad tempora Constantini, occasione litterarũ ab eo ad ipsum Saporem Regem scriptarum permoti, quas alia ex causa fuisse conscriptas, superius suo loco monstrauimus: quamobrem S. Hieronymi magis sententiam approbamus, eamdem ad Constantij & Constantis Augustorum tempora referentis, & quidem opportunius, quòd inter Saporem & Constantium tũc acre vigeret bellum: regnante autẽ Constantino, reueritus ille tanti culminis maiestatem, legatione præuenit ipsum Imperatorem extremo prope vitæ exitu aduersus eum expeditionem parantem. nemo igitur scriptorum illorum temporum, eorum inquam qui sub Constantino vixere, persecutionem aliquam a Sapore aduersus Christianos fuisse commotam, vel leuiter meminit: quam certe haud par est credere fuisse ab Eusebio prætermissam, si contigisset. Rei vero gestæ series a Sozomeno[d] scite describitur, hac scilicet oratione: B C

d Sozom. lib. 2. c. 8.

SAPOR REX SAEVIT IN CHRISTIANOS.

Cum autem tempore progrediente, numerus Christianorum in Perside vehementer cresceret; adeo vt conuentus agere, & sacerdotes ac diaconos habere cœperint: hæc res non mediocriter offendebat animos Magorum, qui velut Tribus aliqua sacerdotalis stirpis, successione quadam religionem Persarum inde fere ab initio administrauerant. Iudæos quoque permagna affecit molestia, qui præ inuidia naturaliter quodammodo ipsis insita, religioni Christianæ semper infensi esse solent: et ob eam causam Simeonem id temporis Seleuciæ & Ctesiphontis vrbis in Perside primariæ Archiepiscopum cœperunt apud Saporem tum Regem Persarum accusare, quòd Imperatori amicus esset, quòdque ei res Persarum proderet. Quorum calumnijs persuasus Sapores, primo omnium tributis immoderatis eo affligit Christianos, quòd ipsorum quamplurium voluntatiam egestatem excolere norat: deinde viris difficilibus & inhumanis illorum tributorum exigendorum potestatem dat, quo & inopia pecuniæ & exactorum feritate coacti, suam religionem aspernari inciperent. De qua vna re summopere ab eo laboratum est. D

SIMEONIS CERTAMEN.

Post hæc sacerdotes & ministros Dei gladio trucidare, ecclesias dirui, earum thesauros & monimenta in publicum proferri; et Simeonem, vt regni Persarum & religionis proditorem, adduci iubet. Itaque Magi, ope Iudæorum, qui in ea re eos alacri animo iuuabant, ecclesias demoliuntur: Simeonem comprehensum, & catenis ferreis vinctum ad Regem perducunt: qui se ibi & spectatum & strenuum virum præstitit. Nam cum Sapores eum, vt daretur in quæstionem, introduci iussisset: neque veritus est quidquam, neque Regem adorauit. Qua re grauiter commotus Rex, sciscitatur, quid sit causæ cur iam neutiquam ipsum adoret, cum ante id fecisset? Cui Simeon: Non ante, inquit, ductus eram ad Deum verum prodendum, & ptopterea non recusabam debitos honores Regi præstare: at iam id ipsum facere non fas est: nam iam pro pietate & nostra religione certaturus venio. Quæ cum dixisset: iubet Rex, vt Solem adoret: quod quidem si facere velit, pollicetur se ei multa daturum munera, & in magno honore habiturum: sin autem detrectet, & illum & vniuersum Christianorum genus e medio sublaturum minatur. E

VSTHAZANES RESIPISCIT.

Vbi vero Simeonem neque minis terrere, neque promissis flectere posset, sed virili & constanti animo affirmantem se numquam vel Solem adoraturum, vel suam ipsius religionem proditurum, audiret: iubet in vinculis aliquandiu teneri, ratus (vt videtur) eum velle resipiscere. Quem in carcerem deductum conspicatus Vsthazanes senex eunuchus, educator Saporis, & in familia regia principem locum tenens, consurgens (sedebat forte pro foribus Palatij) cum honorifice salutat. At Simeon verbis illum contumeliosis increpare, & bile incensus vociferari cœpit: atque auerso vultu ideo præterijt, quòd cum esset Christianus, paulo ante,

A ante, vi coactus, Solem adorauerat. Quare Vsthazanes eunuchus fundere lacrymas, ingemiscere, vestem splendidam, qua erat indutus, exuere, & tamquam homo in luctu constitutus, nigram circumiijcere cœpit: pro portis Regiæ sedet, lamentatur, plorat cum gemitu, sicque ait: Heu me miserum, qualem erga me Deum fore debeo expectare, quem iamdudum denegauerim? Nam ob hanc causam Simeon ne verbum quidem mihi loqui dignatus, sic ore auerso, propere prætergressus est.

Vbi ista resciuit Sapores, illum accersit: rogat causam luctus: Ecqua illi in ædibus obtigisset calamitas? Cui Vsthazanes: In hisce diebus, inquit, o Rex, nihil mihi accidit infortunij. Vtinam enim, pro eo quod mihi contigit, in omnia alia calamitatum genera incidissem: quippe id quidem certe fuisset toleratu multo facilius. Iam vero lugeo, quòd maneam in vita, quòdque cum dudum mori debuissem, adhuc tamen Solem videam, quem, quo tibi gratificer, non reuera ex animo, sed specie solum simulata adorauerim: adeo vt vtraque de causa mortem meritus sim, tum quòd Christi proditorem, tum quòd veteratorem erga te meipsum ostenderim. Quæ cum dixisset, cæli & terræ opificem Deum cum iureiurando testatur, se in posterum de ea sententia numquam destiturum. Sapores autem incredibilem eunuchi mutationem vehementer admiratus, grauiore quidem iracundia in Christianos exarsit; perinde quasi illi præstigijs hanc rem confecissent: sed tamen misericordia erga senem commotus, modo mansuetum, modo ferum se in illum ostendit, atque omnibus viribus laborauit vt de sententia deduceret. CONFESSIO VSTHAZANIS.

B

Vbi vero nihil profecit, constanter asseuerante Vsthazane, se numquam tam stultum fore, vt pro omnium Conditore Deo res ab eo conditas colat: tum ira inflammatus mandat caput ense ceruicibus abscindi. Ad quod supplicium a lictoribus deductus Vsthazanes, orat eos, vt paulisper expectent: rem enim se animo tenere, quam Regi significare velit. Vocato igitur ad se eunucho sibi fidelissimo, iubet ista Sapori nunciare: Quam tandem beneuolentiam ab ineunte adolescentia ad hoc vsque tempus, o Rex, erga tuam familiam præstiterim, & quanto studio cum patri tuo, tum tibi inseruierim, nullis videor egere testibus, apud te præsertim qui hæc satis explorate cognita habeas. Quare pro omnibus officijs, quæ in vos aliquando tam beneuole contulerim, hoc mihi vnum velut remunerationis loco concede, vt ijs qui me ignorant, non videar tamquam infidus erga regnum tuum, aut in aliquo maleficij genere deprehensus, supplicium istud subire. Et vt hoc pateat omnibus: fac præco palam prædicet: Caput Vsthazani amputatum esse, non quòd improbitatis cuiusquam in Palatio ab ipso admissæ conuictus sit, sed quòd sit Christianus, & Deum suum, quo Regis voluntati morem gereret, negare noluerit. Atque ista quidem Regi nunciauit eunuchus. Sapores autem eadem, sicut Vsthazanes postulauerat, præconem prædicare iubet. Nam ratus est, alios prompto & parato animo de Christiana religione desciturος, si certiores fierent, nemini Christiano misericordiam tributam fore: quippe cum Vsthazanes senex, educator Regis, ei familiaris & beneuolus, etiam esset interfectus. At Vsthazanes ad alium finem supplicij sui causam prædicari tam impense desiderauit: siquidem cogitauit, quòd sicut quando timore perterritus Solem adorabat, multis Christianis metum iniecerat; ita etiam non pauciores ad suam animi magnitudinem & constantiam imitandam incitaret, si modo intelligerent eum pro Christiana religione trucidatum esse. hoc modo Vsthazanes vitam, quam hic in maxima gloria duxerat, deseruit. Simeon autem de eius morte in carcere certior factus, Deo gratias pro illo egit. VSTHAZANIS MARTYRIVM.

C

D

E Postridie eius diei, qui erat sextus hebdomadæ, in quo ante celebrem diem festum Resurrectionis, memoria salutaris Christi Passionis quotannis recoli solet: decernit Rex, vt Simeon gladio feriatur. Nam ante denuo e carcere deductus ad Regem, forti & magno animo cũ Sapore de Christiana fide disseruit, & neque illũ, neque Solem adorare voluit. Eodem die centũ alios quoque, qui erãt in carcere, Rex itidem obtruncari iubet: ad extremum Simeonem, cum ceterorum omnium mortem oculis aspexisse, trucidari. horum pars Episcopi, pars presbyteri, pars ex alio clericorum ordine fuerunt. Cum omnes ad locum, in quo erant necis supplicium subituri, deducerentur: princeps Magorum percunctatur ab illis, vtrum velint viuere, & eamdem cum Rege religionem colere, Solemque venerari. At vbi nemo eorum his conditionibus vellet in vita manere; recta ad locum, in quo erant securi feriendi, deducuntur. Ac dum lictores in opus incumbunt, & in cæde martyrum occupantur: Simeon astans illis dum interficiuntur, iubet bono animo esse, verbaque ad eos facit de morte, de resurrectione, de pietate; et testimoniis ex sacris litteris depromptis confirmat, ita mori, esse vere SIMEONIS MARTYRIVM.

viuere,

uiuere; atque præ ignauia Deum prodere, esse vere mori: Eos enim, etiamsi nemo ipsis A
necem afferret, breui morituros; quandoquidem a nemine in hanc lucem edito hic finis vitari potest: post mortem vero, ea quæ sunt æterna, non eodem modo omnibus euentura, sed singulos veluti trutina quadam examinatos, accuratam ante actæ vitæ rationem reddituros, & hos pro recte factis præmia percepturos immortalia, illos pro maleficijs pœnas sempiternas luituros: denique pro Deo velle mori, esse in bonis summum & rem multo beatissimam. Dum ista Simeon dicendo percurreret, & tamquam gymnasij magister præciperet quo modo in certaminibus se gererent, singuli aures attentas ei præbentes, ad necem cupide gradiebantur. Lictor autem postquàm centum illos interemit, postremo in loco Simeonem obtruncauit; atque Abedechalaam & Ananiam vna, ambos senes, presbyteros Ecclesiæ, cuius Simeon esset Episcopus, pariter cum illo & comprehensos, & in vincula coniectos.

PVSICAE, ET ALIORVM MARTYRIVM.

Eodem temporis momento Pusices Præfectus omnium Regis artificum ibi forte stans, cum B
videret Ananiam, cui iam cædes parabatur, contremiscentem: Paulisper, inquit, o senex oculos claudito, & bono animo esto, nam statim lumen Dei videbis. Vix est hæc loquutus, cum comprehensus est, & ad Regem deductus: atque cum esset se Christianum confessus; quoniam libero ore apud Regem pro Christiana religione & pro martyribus verba fecerat; idcirco quasi aliquod nefas dixisset, dabatur lictoribus, vt admodum peregrino & crudeli in primis mortis genere afficeretur. Lictores igitur, collo eius circa tendinem perforato, illac linguam extrahunt. Porro autem eius filia virgo, falso a quibusdam in crimen vocata, comprehenditur, eodemq. temporis articulo occiditur.] hactenus Sozomenus de persecutione Christianorum in Perside: reliqua vero quæ sequenti anno facta dicit, suo loco narrabimus. Horum autem omnium martyrum natales dies inserti publicis Ecclesiasticis monumentis, anniuersarijs repetitis honoribus, in Ecclesia Catholica celebrantur. C

INGENS TERRAEMOTVS.

a Hieronym. in Chron. hoc anno.

Eodem quoque Constantij & Constantis Imperatorum anno septimo, Neocæsarea in Ponto (inquit S. Hieronymus[a]) subuersa est terræmotu, excepta ecclesia, ac Episcopo, ceterisque qui ibidem reperti sunt.] Obtinuisse autem hanc diuinitus prærogatiuam ecclesiam illam, in qua S. Gregorius eius ciuitatis olim Episcopus cognomento Thaumaturgus sepultus erat, vt ceteris ædificijs terræmotu sæpe prostratis, ipsa remanserit semper incolumis, superius dictum est.

b Basil. epist. 66.

ECCLESIA NEOCAESARIENSIS FLORENTISSIMA.

c Basil. epist. 64.

Porro Neocæsariensis Ecclesia a temporibus Magni illius Gregorij vsque ad S. Basilium, qui præfuit Ecclesiæ Cæsariensi in Cappadocia, florentissima perseuerauit; quod eiusdem Basilij præconio commendatur his verbis[b]: A tempore Magni Præsidis Ecclesiæ vestræ Gregorij, vsque ad beatum istum (Musonium scilicet) alium post alium semper, quasi ex quadam pretiosorum lapidum serie depromptos, adijciens & adaptans, admirabilem Ecclesiæ D
vestræ Dominus pulchritudinem largitus est.] Fuisse vero eam ciuitatem cunabula eiusdem Magni Basilij, ipse ad Neocæsarienses scribens ingenue professus est, cum ait[c]: Ego cum propter loci huius consuetudinem, qua illi a puero assueui (hic enim a nutrice mea educatus sum) tum propterea quòd sæpenumero hoc in loco versatus sum, quem cum vrbanos tumultus fugerem, & propter solitudinis silentium illum ad philosophiæ studium commodum esse scirem, complures continuos annos incolui.] quam autem nominat nutricem suam, putamus intelligere sanctam ipsius auiam Macrinam, quæ eum puerulum elementis imbuerat Catholicæ fidei: hoc quidem nomine alibi ipsam appellat, cum inquit[d]: Fidei veræ nostræ quæ poterit esse euidentior probatio, quàm quòd a nutrice beata femina, quæ ex vestro gremio progressa est, (Macrinam dico illustrem illam) educati sumus, a qua & beatissimi Gregorij verba, quæ memoriæ beneficio ad illius vsque ætatem seruata ipsa retinuit, edocti sumus; quibus illa nos adhuc infantes tamquam pietatis dogmatibus finxit ac formauit?] hæc Basilius, qui alias eiusdem sanctæ Macrinæ meminit, de qua & nos superius. Sed iam progrediamur ad res gestas sequentis anni. E

BASILII IN SIDE NVTRIX.

d Basil. epist. 75.

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII CONSTANTIS IMPP.
344.	8.	8.

CONCILIVM ANTIOCHENVM SECVNDVM.

Christi annus trecentesimus quadragesimusquartus reperitur notatus Consulibus Leontio atque Sallustio, quo ab Arianis secundum Concilium Antiochenum celebratum est: in quo illud præcipue iidem conati sunt, vt quòd male audirent apud omnes Catholicorum Ecclesias, præsertim vero apud Occidentales, penes quas nullum adhuc serpserat virus hæresis

A hæresis Arianæ: nouam fidei formam, eamdemque ceteris ante editis prolixiorem, conscribant, qua se ab Ariano contagio procul abhorrere significarent. Sed quo longioribus ambagibus puritatem fidei circumuoluunt, & per distortos viarum anfractus veritatem circumducunt, se magis magisq. reddidere suspectos: siquidem ad abluendam labem ex Ariana opinione contractam, satis erat Catholicæ fidei Nicænum Symbolum profiteri. At antequàm de his agamus, recta ratio temporis huius celebratæ Synodi statuenda est. Hoc itaque anno habitam esse, manifeste ex Athanasio colligitur, cum ait[a]: Rursum quasi istorum pœnitentia laborarent (nempe de editis quatuor fidei regulis) pœnitentes, post triennium iterum in consessum veniunt.] computat trium annorum spatium interlapsum a priore Synodo ibidem Antiochiæ in Encænijs habita anno Domini trecentesimo quadragesimoprimo vsque ad hanc posteriorem hoc ipso anno collectam. His quoque consentientia de eodem Concilio hæc B habet Sozomenus[b]:

[a] *Athanas. de Synod.*

[b] *Sozom. lib. 3. c. 10.*

Triennio vero iam intermisso, Episcopi Orientis aliam fidei formulam, quam Μακρόστιχον, id est, Prolixam, vel multas lineas comprehendentem, nominabant, propterea quòd multo pluribus verbis ac nominibus, quàm priores formulæ, conscripta erat, Episcopis Occidentis miserunt. In qua vt essentiæ Dei nullam fecere mentionem: sic illis qui Filium Dei asserebant vel ex nihilo ortum esse, vel ex alia essentia, quàm Dei Patris constare, vel tempus sæculumve fuisse, quando non erat; anathema indixere. Quam formulam ab Eudoxio Episcopo iam tum Germaniciæ & Martyrio & Macedonio ad se perlatam Episcopi Occidentis non receperunt: nam responderunt, se decretis Nicæni Concilij velle acquiescere: et præter illam nihil amplius curiose exquirendum putarunt.] hæc Sozomenus.

ALIA PROLIXIOR AB ARIANIS EDITA FIDEI REGVLA.

Eadem de tempore quoque Socrates[c], qui ipsam recitat fidei scriptam regulam: sed cur C non recepta sit ab Occidentalibus, illud plane insulse, quod habet in fine: Ista (inquit) Episcopi qui partes versus Occidentem accolebant, tum quòd linguæ Græcæ ignari erant, tum quòd eam propter eamdem causam non intelligebant, neutiquam recepere; sed fidem in Nicæno Cõcilio stabilitam satis esse, nihilq. vlterius curiosius inuestigandum, dixere.] istæc Socrates, & fortasse ex Sabino Macedoniano, qui sic de Synodis libros conscripsit, vt quæ hæresi tam Arianæ quàm Macedonianæ non fauerent (vt paulo superius dictum est) prætermiserit: nam quid tam ineptum, quàm dicere in vniuersa Occidentali Ecclesia, vel in ipsa Vrbe non extare qui Græcas apprime callerent litteras, qui potuissent eamdem fidei cœptam regulam interpretari? quasi vero non recens esset exemplum de alijs eorumdem Orientalium litteris ad Iulium Papam scriptis, & ab eodem, perinde ac si Latinæ fuissent, accurate perlectis, cognitis, & confutatis, vt ex litteris ipsius Iulij Papæ ad eosdem redditis perspicue demon-D stratum est.

[c] *Socrat. lib. 2. c. 15.*

Ceterum cur Romæ, vbi potissimum hac laborabant ijdem Orientales suspicione Arianæ hæresis, non sit recepta eorum confessio: illud fuit, quòd, vt ex ea fidei regula apparet, quam recitat Athanasius, eadem confessio concepta esset verborum inuolucro, lateretq. anguis in herbis: nam quantumlibet ipsi positiones Arij destruere viderentur; numquam tamen eo adigi potuerunt, vt Filium dicerent esse Patri consubstantialem: et licet vsi essent nomine Essentiæ, vel alijs nomenclaturis, ex quibus Arius haberetur exclusus; suspectam tamen fuisse quãlibet ipsorum dictionem, in qua non adhibuissent nomen Consubstantialis, egregie S. Athanasius in oratione illa de Nicæni Concilij decretis contra Arianos pluribus docet. Sapientissime igitur Occidentales eiusmodi formulam recens conscriptam, vt futilem, siue superfluam, vel erroneam reiecere: quandoquidem, si, quod nitebantur ostẽdere, se esse Catholicos, verè, E legitime, & non ficte ac veteratorie consequi expetissent; satis esse videbatur, Nicænam formam suo ipsorum chirographo consignatam mittere ad Occidentales; a quibus (sicut cum alijs vel antea vel postea factum est) Catholicam Romani Pontificis, ceterorumq. Occidentalium Episcoporum communionem fuissent absque aliquo discrimine consequuti; accidissetq. quod ipsimet in sua ipsorum missa fidei professione vehementer se optare dicebant, vt ab omni prorsus Arianæ hæresis suspicione liberarentur: in calce enim eiusdem scriptæ ab se regulæ fidei, huiusmodi appendicem addiderunt: Hæc coacti sumus post fidem compendio editam latius explicare, non ambitionis causa, sed vt nos ab omni suspicione, quæ minime in nos competit, purgaremus apud eos, quibus res nostræ cognitæ sunt: et vt Occidentales pariter intelligerent & calumnias eorum qui diuersas opiniones fouent, & Orientalium in Christo Ecclesiasticos animos: rem ita esse testantibus libere sacris scripturis apud eos saltem qui incorrupti sunt.]

EVSEBIANORVM PROFESSIO ROMAE REIECTA.

Hac illi vsi sunt ad suam ipsorum perfidiam contegendam excusatione & tergiuersatione, vel potius

vel potius dixerim ad fallendos simplices impostura, vt hac arte non tam Arianam impieta- A
tem specie tenus damnarent, quàm vt probatum in Magna Nicæna Synodo nomen Consubstãtialis delerent; cuius causa ab hoc tempore tot pugnæ atque certamina aduersus Ecclesiam Catholicam ab eisdem excitata sunt vsque ad Concilium Ariminense; illud totis viribus conantes, vt quasi validis crebrisque arietum ictibus solidum Catholicæ fidei robur, Consubstantialis vocabulum quatientes atque demolientes, omnem simul cum eo fidem Orthodoxam prosternerent, sicq. Arij impietatem diu dolo suppressam erigerent: quæ quidẽ ipsorum fraus euidentibus postea signis declarata est: vt cum iidem Legati Mediolanum ad Constantem Imperatorem se conferrent, nempe Eudoxius nominatus ab Athanasio, Martyrius & Macedonius positi a Socrate [a] atque Sozomeno [b], necnon Demophilus; iactarentq. se esse Catholicos, coacto tum ibi Concilio, cum Orthodoxi qui illic considebant Episcopi damnare vellent Arij sententias: Legati isti, qui hactenus & verbis & scriptis se idipsum præstituros esse præsefere- B
bant, continuo resilientes, quinam, qualesve essent, apertissime demonstrarunt.

a Socrat. lib. 2. c. 15.
b Sozom. lib. 3. c. 10.

Testatur id quidem Liberius [c] Romanus Pontifex in epistola quam ad Cõstantium scripsit, in qua hæc leguntur: Significant Orientales pacis * & nostræ velle coniungi. Quæ est pax, clementissime Imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor Episcopi, Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cum apud Mediolanum Arij hæreticam sententiam noluissent damnare, de Concilio iratis animis exierunt? Horum si fas est sententijs *: quale sit, aut quid habeat commodare consensum, æquitas & clementia tua poterit æstimare. Non est nouum, quod salubriter, & sub occasione nominis Athanasij attentatur.] sic Liberius; qui cum dicat, ante annos octo, id quod narrat, accidisse; hæc plane ipsa tempora eiusmodi legationis visus est demonstrasse, cum ab hoc anno vsque ad tempus illud quo ea ad Constantium scripsit, octo integri interlabantur anni: sed si extrema tempora ponas, decem C
fient, duobus ex his tantummodo inchoatis. hunc finem habuit tanta Arianorum legatio per quatuor Episcopos magno apparatu missa ex Antiocheno ipsorum Concilio in Occidentem, ab Ecclesia Romana, vt dictum est, omnino reiecta, Mediolani vero prorsus Arianorum esse, detecta: sicq. totus ille verborum technis & miro artificio concinnatus ab eis in Synodo Antiochena scriptus fidei libellus, omnino euanuit, explosus atque derisus est.

c Extat in appendice ad Luciferi Calaritani opera, & tom. 9. Biblioth. sanct.
* paci
EVSEBIANI DETECTI PENITVS ARIANI.
* Inhærere

EVSEBIANORVM IN NICÆNAM FIDEM PVGNAE.

Vix credi potest, quot quantisve dolis atque fallacijs septa, conata sit impietas Ariana aduersus Catholicam veritatem insurgere: hinc primo (quod Liberius Papa in recitata modo ipsius sentẽtia refricat) totus ille prætextus Athanasium fictis criminibus accusandi atque dãnandi ab iisdem est excogitatus; et ad alios quoque magni nominis Orthodoxos, & præcipuarum sedium Episcopos e sede pellendos, idem commentum ex calumnijs compositum est: sed cum, licet his eiectis, necdum tamen se voti compotes factos intelligerent, obnitentibus in eos D
magnis animis Episcopis Occidentalibus; inde illud ijdem ipsi consilium ceperunt, vt crebra de fide Catholica exquirenda Concilia cogerent, quorum mole Nicænum obruerent; indeq. frequenter mutatæ sunt ab eis fidei formulæ, vt vnicam fidei professionem in Nicæna Synodo declaratam, eamdemq. vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ communem eliminarent. Quorum quidem in his moliendis mentis propositum cum satis superq. Athanasius [d] perspectum haberet, hæc de ipsis ait:

d Athanas. orat. 2. contra Arian.

CREBRAE SYNODI AB EVSEBIANIS COLLECTAE.

Quotannis enim in vnum coeunt, veluti qui tabulas pactaq. scribunt; simulantq. se pro fide scripta conficere: mire interim & fœdi & ridiculi; cum scripta eorum non modo ab aliis, sed & ab ipsismet explodantur. Nam si fidere ausi fuissent prioribus suis scriptis, non secundo scripsissent; neque illis denuo repudiaris, ad tertiam scripturam prosiliissent, prorsus studio habentes, vt rursum ea mutent, si vel pusillum temporis intercesserit, vel occasionem nacti fue- E
rint pro ipsorum consuetudine insidiandi. Tunc enim cum insidiis student, magnopere se simulant de fide scribere: vt quemadmodum Pilatus lauit manus, ita & ipsi pios religiososq. in Christum scribendo interficiant; ac dum de fide definienda negotiosos se fingunt (vt iam superius dixi) in crimen infamiamq. diuersæ alienæq. a recta fide opinionis incurrant. Ceterum nec sic quidem latere, aut effugere poterunt: quamdiu enim non aduersariis, sed sibiipsis causas reddunt, tamdiu sese sui accusatores præbent.] et paulo post: Ergo dum perpetuo scribunt, suamet ipsi immutantes; incertam suam fidem, vel potius certam infidelitatem, dementiamq. ostendunt; idq. merito illis accidere videtur, cum semel veritatem vt transfugæ deseruerint, Nicænamq. fidem recte scriptam euertere studeant.] hæc Athanasius, qui eadem in libro de Synodis sæpe reciprocat.

Quæ si accuratius spectes, lector, ex Arianorum vultu est quod intelligas cum alios omnes, tum præsertim hæreticos nostri sæculi, qui a Catholica fide facti semel extorres, relicta veritate,

A ritate, quæ nonnisi, tamquam punctus in centro, vna esse potest, ex secta sectas propagantes circumferuntur omni vento doctrinæ; prioraq. posterioribus conuellentes, & nouis vetera destruentes; cum nec his etiam acquiescunt, & in incertum vagantur, suo ipsorum testimonio conuincuntur, ab vnico veritatis tramite aberrasse: vt plane certo discant experimento, falsa fuisse, quæ prius ab Ecclesia Catholica recedendo, ipsis vera ac solida visa essent; adeo vt in deterius dilabantur magis, cum ex erroribus in errores feruntur, quàm cum primum a veritate errantes, in mendacium sunt prolapsi; et propheticum illud iure ipsis aptetur [a]: Errauerunt in inuio, & non in via.]

[a] Psal. 62.

EVSEBIANORVM FALLACIAE.

Rursum vero quod spectat ad Eusebianos eosdemq. itidem Arianos; licet pluribus editis fidei formulis nomen Catholicum affectarent, & Arij hæresin detestari se profiterentur; longe tamen ab ipsis scriptis facta eorum discrepabant & verba, quibus fidem Catholicam de Con-
B substantialitate Filij cum Patre, & cum eodem coæternitatem infringere nitebantur, quibusdam interrogationibus pulsantes animos imperitorum, ex naturæ operibus petentes exempla de his quæ omnem excedunt naturæ ordinem: vt inter alia cum pios interdum sic cōpellarent parentes: Num antequàm genuissent filios, dicerentur esse parentes; vel existeret filius, antequàm gigneretur? his scilicet & alijs id genus ambagibus mentes simplicium inuoluentes; prout S. Athanasius, dum hæc confutat, aduersus eos pluribus disputans tradit [b].

[b] Athanas. orat. 2. contra Arian. & orat. 4. in fin.

AFFECTANT DICENDI ARTEM EVSEBIANI.

Alijs quoque vsi sunt artibus, quibus & perosam hæresin calice aureo propinarent, nempe eloquentiæ fucis illito sermone, & sophismatibus pollente oratione, quibus simplicium animos deuincirent; de his enim questus est Iulius Papa (vt nuper vidimus) in epistola ad eos reddita. Sed & Lucifer [c] Calaritanus de ijsdem sic expostulat in ipsum Constantium Imperatorem: Nos vero, inquit, quibus ad loquendum natura sufficit, alieni ab omni sententia, &
C hinc alieni litterarum, ad omnem destruendam hæresin valemus: quia res ipsa ac veritas loquitur. Tu ac tui adiutores litterarum, & hinc aliam plenam auxistis artem. Nos sumus tantum sacras litteras scientes, noster sermo communis est: contra vester politus, ornatus, qui etiam dici mereatur disertus: et tamen suadere dulcis per artem quæsitus sermo vester nulli obest Christianorum, nisi ei qui non sit, sed tantum videatur, vt tu; qui cum sis lupus, vnus esse de ouibus ab inscijs iudiceris.]

[c] Lucif. lib. Moriendum pro Filio Dei.

IVSTA QVERELA GREGORII NAZIANZ.

De his quoque temporibus est iusta illa Gregorij Nazianzeni querela, cum perditissimum præsens sæculum deplorans sic ait [d]: Fuit, inquit, quondam tempus, cum res nostræ florerent, ac præclare se haberent; cum nimirum superflua hæc & verborum lepore atque arte fucata tractandæ Theologiæ ratio ad diuinas caulas ne aditum quidem habebat: verum idem erat calculis ludere, inuersionis celeritate aspectum fallentibus, aut omnigenis & lasciuis
D corporis flexibus spectatores ludificari, quod noui quippiam ac curiosi de Deo dicere vel audire: simplex contra ingenuaq. oratio atque doctrina, pietas existimabatur. At postquàm Sexti & Pyrrhones & contradicendi libidine incitata lingua, velut grauis quidam & malignus morbus, in Ecclesias nostras infeliciter irrepserunt; quodque Actorum liber de Atheniensibus [e] narrat: ad nihil aliud vacamus, quàm ad aliquid noui dicendum vel audiendum. O quis Hieremias confusionem nostram, caliginemque deplorabit, qui solus lamentationes calamitatibus exæquare nouit. Hanc rabiem auspicatus est ille quidem, qui a furore nomen habens Arius, qui etiam petulantis & effrenatæ linguæ pœnas dedit in obscœnis & turpibus locis extinctus, atque precibus, non morbi viribus oppressus, ac Iudæ instar, disruptus, ob eamdem Verbi proditionem.] hucusque Gregorius.

[d] Greg Nazian. orat. in laudem Athanas.

[e] Act. 17.

EVSEBIANORVM PRAESVMPTIO.

E Sed nec illud de Eusebianis & Arianis omittamus; ea quoque vsos arte ad stabiliendum suum ipsorum dogma impietatis, vt quos scissent antiquos clarissimos fuisse viros, eosdem suæ ipsorum hæresis falso astruerent assertores; cum tamen constaret eos tanti sceleris fuisse maxime refragatores: nam (vt prætermittamus dicere de magno illo Luciano, de quo fusius superius actum est) Dionysium Episcopum Alexandrinum insigni cum pietatis, tum etiam eruditionis virum, eadem cum ipsis sensisse, turpiter mentiti sunt; quem sanctus Athanasius scite ab eorum calumnijs vindicauit. At ne Origeni quidem pepercerunt, quem hac ex parte Catholicum, in suam ipsorum sententiam, repugnantem licet, adducere conati sunt, dum quæ aliquando ille disputando (vt assolet) in contrariam partem dixisset, illi vt ab Origene dictum, citius arripuere: vt inuitum, reluctantemq. facerent Arianum; quem Athanasius [f], hæc ipsa scribens, ab eorumdem calumnijs reddit immunem. At de Arianorum malis artibus ab ipsis excogitatis ad hæresin validandam, modo satis.

[f] Athanas. de Synod. Nicæn. decret. contra hæres. Arian.

Sed iam ad res Christianorum in Perside redeamus. Secundus hic annus persecutionis adversus eos illatæ a Sozomeno ponitur, cum eiusmodi narrationem aggreditur[a]: Sequenti anno, eo ipso die, quo memoria Passionis Christi recoli solet: cum iam dies celebris Resurrectionis expectaretur, exijt edictum Saporis crudelissimum in vniuersam Persidem, quod iubebat, vt omnes qui se confiterentur Christianos, morti addicerentur. Quo quidem tempore multitudo Christianorum, quæ ne numerari quidem potest, securi percussa est. Siquidem Magi eos ex vrbibus & vicis, in quibus latitabant, summa cum diligentia eruerunt. Nonnulli autem sui inducti voluntate, nemine eos ducente, seipsi ideo indicarunt, ne silentio Christum negare viderentur. Ac dum omnes qui erant Christiani morte mulctarentur, plurimi etiam qui in ipso Palatio ætatem egissent, mactati sunt, in quorum numero erat Azades eunuchus Regi longe carissimus: quem cum Sapores interfectum accepisset, incredibilem animo dolorem hausit, hancque communem cædem sedauit, atque solos religionis nostræ doctores trucidari iussit. A B

a Sozom. lib. 2. c. 10. PERSECVT. IN CHRISTIANOS IN PERSIDE ANNVS II.

TARBVLAE VIRG. CERTAMEN.

Per idem tempus Regina in morbum delapsa: Tarbula soror Simeonis Episcopi sancta virgo, simul eum ancilla idem vitæ genus colente, & sorore eius, quæ post viri mortem abstinuit a nuptijs, & eamdem viuendi rationem tenuit, comprehenditur. Causa autem cur hæ mulieres fuerint comprehensæ, fuit falsa criminatio a Iudæis in eas conficta, quòd videlicet ob mortem Simeonis iratæ, venena Reginæ insidiose parassent. Regina vero (vt solent ægrotantes malis omnibus facile aures accommodare) calumniam veram esse, & maxime quidem quòd erat a Iudæis obiecta, existimauit: nam eiusdem erat cum Iudæis opinionis, ad horum morem vitam instituebat, & veraces illos, sibiq. maxime beneuolos putabat. Magi igitur Tarbulam & reliquas duas arreptas, morte condemnant. Ac cum serra dissectas patibulis suffixissent, effecerunt, vti Regina spatium inter patibula intermissum transiret, perinde quasi morbus eo pacto depelleretur. Fertur hanc Tarbulam forma valde liberali & honesta fuisse; Magum quemdam eam deperijsse; mercedemque, vti cum illa rem haberet, clam misisse: promisisse denique, si vellet ipsius parere libidini, tum ipsam, tum socias saluas fore: At illam hanc turpitudinem ne audire quidem voluisse, sed nuncios verbis contumeliosis excepisse, intemperantiæq. crimen cum probro illis obiectasse: se multo libentius velle mori, quàm virginitatem perdere, respondisse. C

ACEPSIMAE ET SOCIORVM MARTYRIVM.

Porro cum edicto Saporis ratum esset, vti supra demonstratum est, vt soli sacerdotes & doctores Christianæ fidei comprehenderentur: Magi & eorum principes totam Persidem obeuntes, Episcopos & sacerdotes grauibus afficiunt incommodis, cum in aliis locis, rum maxime omnium in Adiabenorum regione, quæ est pars Persidis tota fidei Christianæ dicata. Sub idem tempus Magi Acepsimam quoque Episcopum, & cõplures ex eius clericis vna quidem comprehendunt: sed cum Antistitem velut prædam per insidias cepissent, eo contenti, ceteros direptis illorum bonis dimiserunt. At vero Iacobus quidam presbyter Acepsimam sua sponte sequitur, & potestate a Magis postulata, in eumdem carcerem cum eo concluditur: eiq. vtpote ætate valde prouecto lubens inseruit, subleuat quantum potest eius calamitates, & plagarum vibices sanat: nam paulo postquàm erat comprehensus, Magi loris crudis, quo Solem adorare cogerent, eum acerbe verberarant: sed vbi non cessisset, rursum conijciebant in vincula. Per idem tempus Aeithalas etiam & Iacobus presbyteri, Azadanes & Abdiesus diaconi, ob Christianam religionem, in carcere iacuerunt, crudelissime a Magis cæsi. D

Multo autem iam dilapso tempore, Princeps Magorum eum Rege de illis communicat: atque nactus potestatem eos pro arbitrio suo torquendi, nisi Solem adorarent; mandatum Saporis, illis qui in carcere tenebantur, significauit. Atque simulac respondissent, se numquam prodituros Christum, neque Solem adoraturos, adeo crudelibus tormentis eos cruciauit, vt Acepsimas in fidei confessione fortiter perstans, mortem obierit; cuius reliquias quidam ex Armenia, qui obsides erant apud Persas, tumulo condidere. Alij autem, licet minus acerbe quàm ille verberati, præter omnium opinionem in vita manserunt: qui cum in eadem perseuerarent sententia, in carcerem denuo compinguntur; quorum de numero fuit Aeithalas, cuius brachia inter vapulandum sic vsque ab humeris violenta extensione diuulsa & eneruata fuere, vt manus tamquam mortuæ inde penderent: quo factum est, vt alij cibum illius ori admouerent. E

EPISCOPORVM MARTYRVM NOMINA.

Isto Sapore regnante, infinita multitudo presbyterorum, diaconorum, monachorum, sanctarum virginum, & aliorum qui in Ecclesiarum ministerio versabantur, & erga religionem præclaro animo affecti erant, egregia piæ vitæ testimonia dedit. Episcopi autem, quos accepi mortem in hac persecutione oppetiuisse, sunt, Barbasymes, Paulus, Gaddiabes, Sabinus,

Mareas,

A Mareas, Mocius, Ioannes, Hormisdas, Papas, Iacobus, Romas, Maares, Agas, Bochres, Abdas, Abdiesus, Ioannes, Abramius, Agdelas, Sabores, Isaac, & Dausas, qui a loco quodam, qui Zaudæus dicitur, a Persis captiuus abductus fuerat, & illo tempore pro fide Christiana morte mulctatus, vna cum Maureamde Chorepiscopo, & clericis, qui in eius diœcesi erant, numero plus minus ducentis quinquaginta, qui comprehensi a Persis, & captiui abducti fuerant.

Per idem tempus etiam Milles martyrio occubuit, qui primum apud Persas militauerat, postea autem relicta militia, vitæ genus plane Apostolicum excolere cœpit. Fertur, illum, cum esset Episcopus vrbis cuiusdam in Perside creatus, multos sæpenumero cruciatus perpessum esse, verbera etiam & distractiones membrorum pertulisse: at cum neminem in ea ciuitate posset ad fidem Christianam perducere, ægro & iniquo animo ferentem, ciuitatem B execratum esse, indeq. discessisse: Non longo post tempore, cum primarij viri illius vrbis in Regem peccassent, exercitum cum trecentis elephantis eo profectum vrbem euertisse, & velut agrum colentes, in ea sementem fecisse: Millem vero peram solum, in qua sacratum Euangeliorum librum habebat, secum gestantem, Hierosolymam precatum se contulisse: indeque in Aegyptum ad visendos monachos, qui ibi ætatem degebant, concessisse. Quæ autem, quamq. mirabilia ac quàm diuina facinora ab isto Mille edita fuerint, testes sunt Syri, qui eius res gestas & vitam litteris prodiderunt. MILLES EPISC. MARTYRIVM.

Mihi certe satis visum est, hæc de eo, & de ijs qui in Perside, regnante Sapore, martyrio obierunt, hactenus disseruisse: nam tormenta illis inflicta, aut quinam fuerint, ex quove loco, aut quo genere cruciamentorum martyrio defuncti sint, aut quibus supplicijs affecti, vix a quoquam percenseri possunt: quippe cum tam varij cruciandi modi a Persis tanto cum stu- C dio ad crudelitatem inuenti fuerint. Verum, vt summatim dicam, fertur, viros ac mulieres, quorum nomina recensebantur, martyrium id temporis pertulisse ad numerum sexdecim millium: at eorum multitudinem qui præter hos trucidati sunt, ne numero quidem comprehendi posse; et propterea perdifficile visum esse Persis, Syris, & incolis Edessæ, qui multum de hac re laborabant, illorum nomina percensere.] hactenus de his Sozomenus: litteras autem quas post hæc recitat Constantini, alio longe diuerso tempore datas esse, superius dictum est.

Etsi vero dictorum martyrum nominibus singulis percensitorum Acta periisse videantur: ex eorumdem tamen numero perpaucorum quidem tantummodo res gestæ, quæ ad Græcos peruenerunt, integræ conseruatæ reperiuntur, & a Metaphraste diuersis diebus, quibus martyrium subiisse inuenti sunt, recitatæ, vt in primis Acepsimæ [a] & sociorum eius, in qui- D bus de Iosepho presbytero plura. Extant etiam Acta [b] Sadoth Episcopi successoris Simeonis, cuius superius mentio facta est, & centum ac viginti martyrum tam ex clero quàm monachis, qui cum eodem subiere martyrium. Insuper [c] illustris passio Ionæ & Barachisij sub eodem Sapore Rege passorum ex veteribus monumentis prodita, Latinitate quoque donata legitur. Sed & Bandeni Archimandritæ vna cum socijs martyrij Acta quoque extant [d]. Quinetiam Acindini, Pegasij, & aliorum qui sub eodem Principe simul cum ijsdem decertarunt, res gestæ [e] scriptorum monumentis commendatæ habentur, & fortasse aliorum, quorum nomina memoriæ minime suppetunt, vel hactenus nobis incognita sunt.

ACTA DIVERSORVM MARTYRVM.

a Metaphrast. die 3. Nouemb.
b Metaphrast. die 20. Febr.
c Metaphrast. die 29. Martij.
d Metaphrast. die 8. April.
e Metaphrast. die 2. Nouemb.

Ceterum quòd diutius bellum perseuerarit inter Romanos ac Persas, & in dies acrius fuerit exacerbatum, non tantum temporibus Constantij Imperatoris, sed & Iuliani eius succes- E soris vsque ad Iouinianum; persecutionem ab eodem Sapore Rege in Christianos Persas semel edicto promulgatam, haudquaquam duorum annorum curriculis tantummodo viguisse putandum, sed toto ferme tempore, quo ab eodem Rege aduersus Romanos bellatum est: etenim Christiani, licet Persæ natione essent, tamen quòd cultu religionis a Persis recessisse visi essent, & Romanis inhæsisse, quorum Deum colerent, quodammodo transfugæ habebantur, atque ob id magis magisque ab eodem Rege Persarum dira iugique persecutione vexati sunt: ad quos plane Cyrillus Hierosolymorum Episcopus respectum habuisse visus est, cum ait [f]: Persæ & Gothi & omnes gentes Christum testantur, morientes pro illo.] Sed & sanctus Augustinus de persecutione in Perside excitata, ac sæpe restaurata, hæc tradit [g]: Quid modo in Perside? Nonne ita in Christianos ferbuit persecutio, si tamen iam quieuit, vt fugientes inde nonnulli vsque ad Romana oppida peruenerint?]

f Cyril. Cateches. 10.
g August. de ciuit. Dei lib. 18. c. 52.

Quod rursum ad Persarum Ecclesiam spectat; quòd subiecta fuerit Ecclesiæ Antiochenæ,

a Recitat Turrian. in Append. ad Constit. Clementis.

CANON DE ECCLESIA PERSARVM.

canon [a] extat, qui & proditur fuisse Nicæni Magni Concilij, sic statuens: Non permittit Magna Synodus, vt Episcopi cõgregentur in prouincia Persidis ad disponendum aliquid ad ordinem Ecclesiæ pertinens sine consensu & auctoritate Patriarchæ Antiocheni: quia quamuis Prælatus sit loco Patriarchæ, & non quærat aliud præter quietem & tranquillitatem ipsorum Persarum; tamen non licet immittere se ad constituendum ordinem Ecclesiæ, sed potius in omnibus sint Metropolitani Patriarchæ obedientes. et qui contradixerit, Synodus eum excommunicat.] hæc ex Arabicis canonibus nuper Latine redditis, sed fide certa nutantibus. A

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII CONSTANTIS IMPP.
345.	9.	9.

B

b l. 5. de expeditionibus. C. Theod.

CONSTANTII BELLVM IN PERSAS.

c Eutrop. lib. 10.

QVadragesimusquintus supra trecentesimum Christi annus Consulatu Amantij & Albini adscriptus est Fastis: quibus Coss. datum habetur Cõstantij Imperatoris rescriptum Nisibi ad Nemesianũ Præfectum Vrbi [b]: quod est euidens argumentum, ipsum cum expeditione aduersus Persas Antiochia profectum esse, & ad Persarum fines Nisibi cum exercitu consedisse. Cum autem (vt dictum est) multis annis Constantium aduersus Saporem fines Romani Imperij inuadentem pugnasse, certum sit; vix perpauca quædam extant de rebus gestis posteris tradita, quæ & summatim ab Eutropio recensentur his verbis [c]: Diuersa Constantij fortuna fuit: a Persis enim multa & grauia perpessus, sæpe captis oppidis, obsessis vrbibus, cæsis exercitibus: nullumque ei contra Saporem Regem Persarum prosperum prælium fuit: nisi quòd apud Singaram haud dubiam victoriam ferocia militum amisit, qui pugnam seditiose & stolide contra rationem belli, die iam præcipiti poposcerunt.] hæc Eutropius. C

COMPARATIO CONSTANTINI ET CONSTANTII IN BELLIS GERENDIS.

At quàm dispar fuit conditio in bellis gerendis Constantini parentis, atque Constantij! Ille enim fide Catholica roboratus, secumq. Catholicos Episcopos ducens, præuio vexillo Crucis, numquam de barbaris atque tyrannis non redijt victor ac triumphator: Constantius vero tot præliis cum Sapore initis (nouem enim Orosius numerat) numquam ferme nisi victus & cum ignominia reuersus est, cum secum duceret Episcopos Arianos, & inter alios, de quo superius mentionem fecimus, impietate notũ Eusebium Emisenum. Quòd si postea in Occidente aduersus Magnentium tyrannum certans, priores retulit; id plane accidit in vltionem innocentis sanguinis Constantis Imperatoris effusi, & aliis de causis, de quibus dicendum inferius. D

GALLVS ET IVLIANVS INITIANTVR CLERICATV.

d Greg. Nazian. orat. 1. in Iulian.

Ad hæc quoque tempora referenda putamus, quæ de Iuliano & Gallo tum a Gregorio Nazianzeno, tum etiam ab aliis antiquis scriptoribus sunt memoriæ commendata. Cum enim iam adoleuissent, & Gallus vigesimum annum attingeret, Iulianus vero minor natu, nempe, secundum Sozomeni rationem, sexdecim esset annorum, vel iuxta supputationem Eunapii, tredecim; siue ipsi sponte (ne quid moliendi in Imperium posset de eis exoriri suspicio, qui precariam vitam ducerent Imperatoris arbitrio) siue Constantii iussu, quo omnem illis Imperium affectandi spem amputaret; crine deposito, inter clericos profitentur. Rem gestam a multis conscriptam, ab antiquiore ac digniore auctore petendam putamus, nempe a Gregorio Nazianzeno [d]; qui vitæ ipsorum institutum paulo altius repetens, sic ait: E

* patruele

Cum autem ab omnibus rebus otiarentur, tum quòd Imperium adhuc eos moraretur, atque in cogitatione & meditatione esset; tum quòd ætas & spes nondum eos secundis dignitatibus admoueret: vtebantur illi quidem aliarum quoque artium præceptoribus, nimirum auunculo * Imperatore in omni liberalium disciplinarum genere eos instituente; verum nostrati philosophiæ impensius operam dabant, non huic solum, quæ in verbis & doctrina versatur, sed illi etiam, quæ pietatem in moribus positam habet; atque & cum optimis quibusque viris commercium habebant; et elegantissimis actionibus, ac luculentum virtutis specimen præferentibus, incumbebant. Quin etiam in cleri ordinem seipsos cooptarunt, adeo vt diuinos quoque libros plebi lectitarent, non minus id sibi amplum & honorificum esse existimantes, quàm aliud quiduis; immo omnium ornamentorum maximum præstantissimumque pietatem esse censentes.

Iam sumptuosissimis quoque martyrum monumentis, & donariorum munificentiis, omnibusque

A nibusque alijs rebus, quibus diuinus timor velut nota quadam exprimitur, sapientiæ studium, Christiq. amorem indicabant: alter quidem vere & serio pietatem profitens (tametsi enim natura acriori ac feruentiori esset, verus tamen ac sincerus pietatis cultor erat) hic autē occasionem captans & redimens (Iulianus videlicet) fictaq. pietatis specie, animi prauitatem occultans. Quod quidem ex eo conijcere licebit (neque enim miraculum, quod tum accidit, silentio præterire queam, vtpote illustre & memorandum, atque huiusmodi, vt multis impijs documentum afferre possit.) Martyribus, vt diximus, ambo laborabant, munificentiaq. & liberalitate præclare inter se contendebant, cum multarum manuum opera, tum multis impensis ædem extruentes. Verum quoniam non eadem voluntate, animique proposito in hoc opus incumbebant, idcirco nec in eumdem finem labor vtrique progrediebatur. Etenim alterius, hoc est, Galli fratris natu maioris opus perficiebatur, ac rite procedebat, Deo videlicet munus illud libenter admittente, vt olim Abel sacrificium, cum rite oblatum, tum diuisum: atque B hæc oblatio veluti quædam primogeniti consecratio erat. DIVERSA CONDITIO GALLI ET IVLIANI.

Alterius autem, nempe Iuliani (heu tristem in hac quoque vita impiorum contemptum, futuræ ignominiæ testem, paruis indicijs magna prænunciantem) non secus ac Cain sacrificium, Deus martyrum repudiabat. Itaque ille quidem laborabat: sed terra, quod elaboratum fuerat, excutiebat. Ille enixius contendebat: hæc imbecillis impietate hominis fundamenta capere detrectabat, velut terræmotum ob ipsius scelus euenturum clamans, atque impijssimi hominis de decore martyres exornans. Hoc opus insecutæ ipsius contumaciæ & amentiæ ignominiæq. in martyres, scelerisq. in ædes sanctas vaticinium quoddam extitit, alios quidem fallens, ceterum persecutorem longe ante insectans, atque impietatis pœnas ante significans.] hucusque Gregorius. IVLIANI RESPVITVR DONVM.

C Porro templum quod aggressus erat Iulianus extruere, fuisse nomine Maniæ martyris, quē alij Mamantem appellant, cum Sozomenus[a], tum alij quoque testantur. Ad hoc fortasse spectat, quod idem Iulianus in commentario quem aduersus Christianam religionem conscripsit, in locum illum Genesis de oblatione[b] Abel & Cain offendens, sic ait[c]: Profecto, inquit, non sacrificium, sed distinctionem reprehendit, ad Cain dicens: Nonne si recte obtuleris, recte autem non diuiseris, peccasti? Hoc dixit ad me vnus ex valde sapientissimis Episcopis. At ille decepit primum seipsum, deinde & alios.] hæc inquam puto dixisse sanctissimum illum Episcopum, quod sanctus Gregorius Nazianzenus, eodem vtens exemplo, in eumdem exprobrat, comparās oblationem Iuliani in erectione templi, quam licet bene offerens, sed male diuidens, Deus non probaret, sacrificio per Cain oblato. Institutus enim Iulianus a puero sub Gentili philosopho, ab eodemq. imbutus apprime Ethnicismo: ne D eius rei, quam arbitro tantum præceptore seruabat in animo, in suspicionem aliquam adduci posset, eiusmodi Christianæ religionis summa laude digna opera conficere satagebat, nempe ecclesias erigere, & martyres honore prosequi; vt sic ea arte custodiam eunuchorum eluderet, & gratiam Imperatoris Constantii promereret. a Sozom. lib. 5. c. 2. MAMANTIS MARTYRIS TEMPLVM. b Genes. 4. c Apud Cyril. lib. 10. in Iulian. tom. 3.

Successit priori illi Ethnico præceptori Mardonio, de quo superius, Maximus philosophus, non tantum Ethnicus, & Christianæ religionis perduellis, sed magus, occulte tamen ob Constantii metum incantationes exercens, de quo istæc Eunapius Sardianus[d]: Vnus fuit eorum quos Aedesij doctrina imbuit, Iuliano Imperatori delectus magister solus, ceteris omnibus a Constantio sublatis.] et paulo post de Iuliani indole: At ille hic ingenii vim & magnitudinem ostendit: quidquid enim librorum proferebatur, memoria complectebatur: ita vt præcocem eruditionem ægre ferre magistri viderentur, quasi non habituri quod puero instillarent. E Postquàm nec illi quod docerent, nec Iulianus haberet amplius quod disceret: rogauerunt consobrinum Constantium, vti permitteretur ei oratoriæ arti ac philosophiæ audiendis vacare: quod ille, lubente Deo, concessit; in libris volutari eum atque otiari potius cupiens, quàm de generis successione atque Imperio cogitare. Postquàm itaque hoc illi indultum fuit, suppetentibus vndecumque amplissimis maximisque reditibus, cum regali fastu satellitioq. proficiscebatur, iterque faciebat quocumque ipsi visum foret. Peruenit igitur Pergamum excitus fama summæ Aedesii doctrinæ, &c.] MAXIMVS PHILOSOPHVS MAGISTER IVLIANI. d Eunap. Sard. in Vit. Philosoph.

De Maximo autem philosopho Iulianū docente, hæc his addit Sozomenus[e]: Qua in vrbe (nempe Nicomediæ) Maximus Ephesius philosophus in eius consuetudinem forte incidens, illum & philosophiam docuit, & odium Christianæ religionis in eius animum inseuit: et tamquam vates, illud quod vulgo de eo ferebatur, verum esse affirmauit. Ille autem, quod multis solet accidere, cum metu rerum incommodarum grauiter affligeretur, in spem bonam per fraudem a Maximo inductus, eum carum habere cœpit. Quibus rebus Imperatori nunciatis, e Sozom. lib. 5. c. 2. INSTITVTIO IVLIANI SVB MAXIMO.

ciatis, timore perculsus cutem abrasit, & vitam monasticam simulauit, secreto tamen aduersam religionem amplexatus est. Vbi autem ætate robusta esse cœpit, paratiore animo cum ad has res inductus est, tum easdem exequutus. Artem, si qua res futuras prædicere proficeretur, admirari, & eius cognitionem (quam quidem exercere Christianis nefas est) necessariam ducere cœpit; deque ea periculum facere, in animum induxit; atque ex eo tempore cum his qui eiusmodi rerum periti essent, amicitiam iunxit. Qui cum hoc animo esset, Nicomedia in Asiam concessit, & cum viris eius professionis ibi in congressum veniens, multo acriore studio in eas res accensus incubuit.] hæc Sozomenus. vsque ad tempora superius ex Eunapio recitata, nempe ad accessum Iuliani Pergamum, & congressum cum Aedesio philosopho pariter atque mago, alijsque, quos nominat, eiusdem facultatis viris. A

Ceterum haud inuito Constantio humanioribus idē Iulianus instituebatur disciplinis: immo & in his quoque currenti adolescentulo addebat calcaria, dum a fœcunditate eius ingenij aliquā soleret lucubrationem exigere. Vnde ipse ad Iamblicum philosophum aliquando scribens, hæc habet in fine: Accipies igitur primum (quando ita vis) orationes, quas nuper. Imperatoris iussu in nobilem illam maris coniunctionem elaboraui: paruum certe munusculum, si cum tuo conferatur, omninoque æs pro auro reddimus: sed tamen quo possumus munere nostrum Mercuriū prosequimur.] istæc Iulianus. Porro Iamblici consuetudine, vtpote hominis qui omnes Ethnicos philosophos fama facile antecelleret, æque ipse didicit impietatem, nempe despicere religionis Christianæ cultū, & deos Gentium magnificare; magicasq. incantationes, quibus idem Iamblicus (vt ex Eunapio constat) apprime imbutus erat, sub silentio exercere. Quanti autem Iulianus Iamblicum fecerit, verbis illis potissimum declarauit, quibus ad eum scribens ait: Hanc epistolam vnam Iamblici malim, quàm totum Lydium aurum possidere. Quòd si amatorum tuorum vlla tibi cura est (est autem aliqua, nisi fallor) ne nos quasi pullos negligas, qui cibo tuo magnopere egemus; sed scribe assidue, neque tuis bonis pascere desine.] At de Iamblico & Iuliano alias. B

IVLIANI CVM IAMBLICO CONSVETVDO.

C

IVLIANVS QVO ANIMO LITTERIS SACRIS STVDEBAT.

Reliqua autem de eo post hæc facta, & de accessu ipsius Athenas suo loco dicenda sunt. Qui igitur a natura tam pernici ad litteras addiscendas præditus erat ingenio, Christianæ religionis facultates haud segniter explorauit, dum ad conciliandum sibi animum Imperatoris in eis assidue versabatur: sed non sic quidem, vt ex iisdem pietatem eliceret, verum potius vt ipsas, cum morte Constantij liberum sibi esset, impugnaret, & paratis interea argumentis penitus confutaret: quod & suo tempore magno conatu præstitit, simulac solus post Constantij obitum imperauit: cum, quod diu conceperat, monstrum peperit; & arma bellica in silentio comparata, continuo in Christianam religionem ferali impetu violentus intorsit. sed de his suo loco dicendum. D

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII CONSTANTIS IMPP.
346.	10.	10.

Annus Christi trecentesimus quadragesimussextus in communioribus Fastis, qui vlui sunt Latinis, non Consulibus nouis ex more descriptus habetur, sed (vt interdum accidit, a superioris anni Consulibus annum denominari) post Consulatum Amantij & Albini notatus extat: quod & vetera quoque monumenta declarant, vt quæ exempli causa hic exaranda putamus.

a Extat Romæ in ædibus Porcariorum iuxta ædes Maffeorum ex Plantin. edit. pag. 68. 2.

L.[a] TVRCIO APRONIANO FILIO V. C. FILIO L. TVRCI APRONIANI V. C. PRAEFECTI VRBIS, NEPOTI L. TVRCI SECVNDI C. V. CONSVLIS, QVAESTORI, PRAETORI, QVINDECEMVIRO SACRIS FACIVNDIS, CORRECTORI TVSCIAE ET VMBRIAE, OMNI VIRTVTE PRAESTANTI STATVAM EX AERE ORDO SPOLETINORVM AD MEMORIAM PERPETVI NOMINIS CONLOCAVIT. CVRANTIBVS FLAVIO SPEV. ET CONDONIO TAVRO. POST AMANTI. ET ALBINI CONS.] Vides & ex hac pariter inscriptione, lector, idololatriæ magistratus Romæ in summis viris adhuc temporibus Christianorum Principum viguisse. E

Fasti vero Græci habent hoc anno Consules Constantium quarto & Constantem tertio, quibus etiam complures leges consignatæ esse reperiuntur. Cassiodorus autem hæc sentiens, eiusmodi Augustorum Consulatum ante Consulatum Amantij & Albini collocauit.

Quòd

A Quòd igitur diuersis Consulatibus hoc anno habeantur annotata publica monumenta; inde euenisse putatur, quòd nouis Consulibus annum minime aperire ex more contigerit: cuius rei causam non existimamus eam, quæ asseritur, intercessisse, nempe discordias inter Constantem atque Constantium, quæ nondum conflatæ erant; sed potius quòd detento, vt vidimus, Constantio in expeditione aduersus Persas in finibus Mesopotamiæ, in tanto regionum interiacentium spatio, multis casibus potuit accidisse, vt de quarto Consulatu eiusdem Constantij placitum Romam tardius perferretur, quorum Consulum interregno oportuerit superioris anni Consulatu Acta publica consignare.

Hic ille est annus quartus commorationis Romæ Magni Athanasij, quo se accersitum esse Mediolanum ab Imperatore Constante illic agente, ipse testatur; cum sic ait ad Constantium [a] scribens: Post triennium quarto denique anno litteris iussit vt ad se venirem. Agebat autem per id tempus Constās Mediolani. Sciscitabar quid causæ esset, cur euocarer; quippe ignarus omnium, testis est mihi Deus. Comperiebam autem, quosdam Episcopos, qui eo profecti erant, precibus ab eo postulasse, vt tuæ pietati de Synodo facienda scriberet. Mihi crede, Imperator, res ita acta est, vt dico, & nihil mentior. Cum igitur venissem Mediolanum, expertus sum illius mirificam humanitatem, dum & me suis oculis dignatur; verbisque indicat, se ad te de celebrando Concilio litteras misisse. Idem me rursus, agentem in suburbio, in Gallias euocauit: eo enim pater Osius concesserat, vt inde ad Sardicense Concilium proficisceremur.] hæc Athanasius, ac plane indicat, præcessisse suum ad Imperatorem aduentum Episcopos a Iulio Romano Pontifice missos, interpellaturos Imperatorem, vt ad fratrem Constantium scriberet de Synodo cogenda; nimirum vt Ariani toties Romam vocati, ad Concilium venire detrectantes, adesse compellerentur: actumq. fuit a Legatis a Iulio missis cum Constante de Sardicensi Synodo indicenda.

B ATHANASIVS AD CONSTANTEM PROFICISCITVR.

[a] Athanas. Apolog. ad Constantium.

C Quoniam autem de eo quoque infamatus postea fuit ab Arianis Athanasius, quòd conueniens Constantem Imperatorem, illum aduersus Constantium incitasset: eam tunc ad ipsum scribens Apologiam, quibus arbitris Episcopis semper Constantem alloquutus esset, singulorum qui aderant retexens nomina, docet his verbis [b]: Numquam sine comitibus aut arbitris fratrem tuum vidi, neque ille vmquam mecum solus cum solo verba miscuit; sed semper cum Episcopo eius loci vbi agebat, aliisque qui ibi aderant, ad colloquium intrani; simul cum illis eum vidi; simul cum illis ab eius cōspectu recessi. Huius rei testis est Fortunatianus Aquileiæ Episcopus, & plenam eius rei historiam pater Osius docere posset: Crispinus item Patauij Episcopus, Lucillus Veronæ, & Dionysius Leidæ [*], & Vincentius Campaniæ (quia defuncti sunt Maximinus Treueris, & Protasius Mediolani Præsules, Eugeniusq. qui magister erat) testes citari possunt: hic enim ante ostium stabat, audiebatque & nostras tum postulationes, & quid vicissim ab illo responderetur.] hactenus de his Athanasius: Ex quo etiam obseruatu illud dignum est: hoc anno, cum ipse Athanasius a Constante Mediolanum vocatus esset, sedi Mediolanensi præfuisse Protasium: quo defuncto, anteqùam illam ad Constantium scriberet Apologiam, subrogatum fuisse Dionysium: præcessisse vero Protasium (vt ex Actis Concilij Romani sub Iulio dictum est) Iulium Maternum. Quæ cum ex solidis firmisque auctoritatibus explorata habeantur: videant hæc, qui in texenda serie Episcoporum Mediolanensium aliam ab hac diuersam rationem inierunt.

[b] Athanas. ibi.

CONGRESSVS ATHANASII CVM CONSTANTE.

[*] Laudæ

D

Quod igitur pertinet ad indictionem Concilij Sardicensis; Iulium quidem Romanum Pontificem fuisse primum auctorem, tum ea quæ sunt dicta significant (nam & qui cum aliis aderat coram Constante, Vincentius Episcopus Capuæ in Campania, obire solitus erat legationem ab Apostolica sede) tum etiam Sozomenus insinuare plane videtur, hæc dicens [c] de ipso Iulio: At cum litteris apud Episcopos Orientis, de rebus propter quas scripsisset, nihil proficeret: causam Athanasij & Pauli ad Constantem retulit: qui quidem dedit litteras ad fratrem Constantium, &c.] Ceterum & litteris quoque ipsius Iulij potissimum conuocatos esse ad Synodum Episcopos omnes, & ab eodem certam diem ad conueniendū Sardicam fuisse præscriptam, ex ijs quæ Socrates [d] tradit, necessarium deducitur argumentum: cum enim ait, quosdam Episcopos ad Concilium non venisse propter præsentem corporis infirmitatē, alios vero causatos angustiam temporis a Iulio præstituti; plane declarat apertissimis quidem notis, ipsos ab eodem Romano Pontifice esse vocatos, & ad conueniendum Sardicam certa die tempus definitum. At de indictione Synodi satis.

CONCILIVM SARDICENSE A ROM. PONT. PROCVRATVM ET INDICTVM.

E

[c] Sozom. lib. 3. c. 9.

[d] Socrat. lib. 2. c. 16.

Quod autem ad Athanasium spectat: licet de Constantio (vt ipse libere ingenueque profitetur) minime expostularit: tamen naufragium Orientalis Ecclesiæ illi notum facere nullatenus prætermisit, & Arianos malorum omnium incentores esse, pariter deplorauit: testatur id quidem

QVERELAE ATHANASII DE FIDE PROCVLCATA.

a Theodoret. lib. 2. c. 5.

quidem de eo Theodoretus, cum ait [a]: Athanasius vero ad Constantem accedens (Constantinus enim filius Constantini natu maximus in bello interemptus erat) de factionis Arianæ insidiis conqueri, bellum contra fidem Apostolicam excitatum lamentari: et tum patris, tum Magni Concilij Nicæni, quod ille conuocauerat, eum in memoriam reducere cœpit: quin etiam decreta Patrum, quibus ille vna interfuerat, ab eo lege confirmata fuisse. Talia cum gemitu & lacrymis apud Constantem Imperatorem eloquutus, eum ad patrem æmulandum excitauit. Nam simulatque ista audiuit, litteras scripsit ad fratrem, quibus eum hortabatur, vti hereditatem pietatis paternæ inregram inuiolatamque seruaret: illum enim Imperium pietate stabiliuisse; tyrannos, qui Romanos oppressserant, profligasse, & barbaros vndique in suam potestatem redegisse. Quibus litteris persuasus Constantius, mandatum dedit, vt Episcopi tam Orientis quàm Occidentis, Sardicam, quæ est in Illyria vrbs Daciæ primaria, aduentarēt: nam alijs multis morbis vexabatur Ecclesia, ad quos curandos Concilium necessario requirebatur.] hactenus Theodoretus. Sed de ipsa Synodo anno sequenti. B

b Tom. 1. Concil.

CONCILIVM AGRIPPINENSE CVIVS SIT.

Hoc quoque anno, nempe post Consulatum Amantij & Albini, quarto Idus Maias, celebratum habetur Concilium Agrippinense [b] aduersus Euphratē coloniæ Agrippinæ ciuitatis Episcopum, Christi negantem diuinitatem: ob eamq. causam, ab Episcopis qui illuc conuenerunt, a sede depositus est. Perlegētes autem nos eius Synodi Acta, & quæ ipsam præcessisse, atque subsequuta esse dicuntur; eadem omnia imposturæ suspicione vehementer laborare cognouimus. Qui enim hoc ipso anno adeo ignominiose damnatus est Euphrates, vt nec laica quidem communione dignus fuerit existimatus a Valentino Episcopo Arelatensi, & calculo omnium turpiter e sede deiectus; ille ipse sequenti anno reperitur ex Synodo Sardicensi vna cum Vincentio Episcopo Capuano honorificentissima legatione functus esse ad Cōstantium Imperatorem Antiochiæ commorantem, vt quos ipse eiecerat, a Synodo absolutos pateretur in suas sedes reuerti: id quidem S. Athanasius [c] disertis verbis affirmat, vt nulla de eius testificatione possit vel leuissima suboriri suspicio; quod etiam Theodoretus [d] & alij omnes post eum asserunt. Haud enim facile adduci possumus, vt credamus, hominem qui adeo infami nota esset inustus, quantumlibet palidoniam recantasset, tam breui temporis spatio in pristinam sedem restitutum, & inter eximios sanctitate & doctrina viros, Galliarum Episcopos, qui Sardicensi Synodo interfuerunt, esse delectum, quem præsertim grauior hæresis quàm Arij infamasset. C

c Athanas. ad solitar.
d Theodoret. lib. 2. c. 9. 10.

e Trithem. in Maximino apud Sur. tom. 6. die 28. Nouemb.

TEMPVS CERTVM CONC. AGRIPPINENSIS.

f Athanas. Apolog 2.

Scimus Trithemium [e], hanc Synodū, in qua dānatus ponitur Euphrates, reiicere in annum Domini trecentesimum septuagesimumquintum: sed plane hallucinatur; cum constet, eosdem ferme Episcopos qui interfuerunt Concilio Coloniensi, a quo depositus est Euphrates, præsentes quoque fuisse Synodo Sardicensi, nempe Maximinum, Valentinum, Seuerinum, Optatianum, Victorem, Simplicium, Amandum, Iustinianum, Seruatium, Dyoscholium, Martyrium, Eusebium, Superiorem, Mercurium, Victorinum, & Eulogium: hos inquam, qui cum aliis octo præsto fuerunt Concilio Coloniensi, nominatos etiam reperies ab [f] Athanasio astitisse Synodo Sardicensi: vt hac ex parte nihil sit quòd idem Concilium reiici possit ad triginta post annos; cum etsi non omnes, maiorem saltem partem ex his Episcopis ante tempus illud constet fuisse defunctam, & alios in locum ipsorum esse suffectos: adeo vt in dubium reuocandum non sit, circa tempus Concilij Sardicensis, Coloniensem Synodum habitam esse, & hoc ipso anno, vt ex nota Consulum patet. An autem reuera in ea tunc damnatus sit Euphrates, ex his quæ dicta sunt, nonnihil dubitari contigit. D

g Apud Sur. tom. 1. Concil.

Sed nec recipimus quæ ad Synodum ipsam appendix addita [g] est de legatione ob grassationem Hunnicam imminentem, a Seruatio, hoc eodem anno, mox suscepta post dictum Coloniense Concilium, Romam ad limina Apostolorum: quam longe post hæc tēpora oportuit contigisse: nam & qui ibidem nominatur Exuperius Episcopus Tolosanus, constat vixisse imperātibus Theodosio & filiis. Ceterū de Seruatij legatione opportunius suo loco dicemus. E

h l. 3. de Paganis C. Theod.

CONSTANTII RESCRIPTVM DE TEMPLORVM AEDIBVS.

Huius quoque anni Consulibus a Constantio Imperatore rescriptum est ad Catullinum Præfectum Vrbi de non diruendis templorum ædibus extra Vrbem positis, in hæc verba [h]: Quamquam omnis superstitio penitus eruenda sit: tamen volumus, vt ædes templorum, quæ extra muros sunt positæ, intactæ, incorruptæque consistant. Nam cum ex nonnullis vel ludorum, vel Circensium, vel Agonum origo fuerit exorta, non conuenit ea conuelli, ex quibus Populo Romano præbeatur priscarum solemnitas voluptatum. Dat. Kal. Nouemb. Constantio quartum & Constante tertium AA. Coss.] At ne propterea quòd parcere iussisset templorum ædibus Imperator, ne a Christianis deiicerentur, existimaretur ad templa ingredi & sacrificia immolare licere Gentilibus: mox non nisi vnius mensis spatio intercurrente,

ab eodem

A ab eodem Imperatore hæc scripta est sanctio ad Taurum Præfectum Prætorio [a]: Placuit, omnibus locis atque vrbibus vniuersis claudi protinus templa, & accessu vetitis omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiam cunctos sacrificiis abstinere. Quòd si quis forte aliquid huiusmodi perpetrarit: gladio vltore sternatur. Facultates etiam perempti Fisco decernimus vindicari: et similiter affligi Rectores prouinciarum, si facinora vindicare neglexerint. Dat. Kalend. Decembr. Constantio quartum & Constante AA. Coss.] Sic igitur hoc (vt dictum est) anno, Romæ & alibi clausa sunt idolorum templa, & sacrificia penitus offerri vetita, quod vsque ad successorem Constantij Iulianum Apostatam perseuerauit. At licet Constantij nomine eiusmodi edicta ferantur: Constantis tamen in his præcipuum declaratum esse studium, ex eo potest intelligi, quòd in ipsum Constantem est illa querela & exprobratio Symmachi [b] Consularis ad Valentinianum iu-
B niorem Imperatorem: Merito, inquit, diui Constantis (sic legendum puto, non Constantij, ex his quæ postea sequuntur de Constantio) factum diu non stetit: omnia vobis exempla vitanda sunt, quæ mox remota didicistis.] exprobrat, inquam, hostis Christianæ religionis, Constantis Imperium non diu stetisse, eo quòd vetuisset sacra diis offerri; ob eamque causam cito illum per Magnentium tyrannũ sublatum fuisse. At subdit post hæc de Constantio: Sed diuus Constantius idem fecisse dicitur: cetera potius illius Principis æmulemur, qui nihil tale esset aggressus, si quis ante se alius non deuiasset.] ita ec ipse. Restituisse autem Magnentium tyrannum Romanis tantum sacra nocturna, rescriptum [c] Constantij, quo ea mox vetuit, aperte declarat: sed de illo inferius suo loco agemus.

At ad exprobrationem Symmachi, quòd idcirco Constans cito defierit, cum templa claudi iussisset, & sacrificia vetuisset, dicẽdum: Cur tam felicissimũ ac diuturnũ Imperium Cõstantini,
C qui primus Christum sequens aduersus idolorum cultum complures edidit sanctiones, atque alijs ad hæc agenda viam aperuit? In primum auctorem certe violatæ religionis læsa numina oportuisset vlcisci, vel in Constantis successorem Constantium, qui & ipse debellatis magna felicitate tyrannis, ad vigintiquinque annos Imperium propagauit pari cum fratre animo incensus aduersus idola. Sed & secundum Symmachi rationem, ad plures annorum decades debuisset restitutoris idololatriæ Iuliani Apostatæ Imperium prorogari; cui tamen nec explere biennium, ab his, quos coleret, superis datum fuit. Aliã igitur, quàm violatorum numinum, extitisse oportuit causam illatæ necis Constanti; hac ex parte comparando eum laudatissimo Regi Iosiæ [d], qui iuuenis occisus ex hac vita sublatus est, cum præ cũctis Regibus Israel fuerit diuinæ legis tenacissimus vindex, & cultus deorum acerrimus profligator. Sed de Constantis nece inferius.

[a] l. 4. de Pagan. Cod. Theod.
TEMPLA CLAVDI IVSSA.
[b] Symmachi relatio apud Ambrosium.
[c] l. 5. de Pagan. C. Theod.
QVID IN SYMMACHI EXPROBRATIONEM.
[d] 4. Reg. 23.

D

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII CONSTANTIS IMPP.
347.	II.	II.

TRecentesimo quadragesimoseptimo Christi anno, Ruffino & Eusebio Coss. celebrata est Synodus Oecumenica Sardicensis. Id quidem, quod ad tempus spectat, testatur in primis Socrates disertis verbis, cum ait [e]: Vndecimo anno post mortem patris duorum Augustorum, Ruffino & Eusebio Coss. Concilium Sardicense coactum est.] affirmat hoc ipsum Sozomenus [f], qui sub iisdẽ Consulibus, & anno decimo, numerãdo ab anno sequenti post obitum Constantini, idem Concilium celebratũ tradit. Sed mendacissima plane inscripto illa est,
E quæ ab incerto auctore præfixa reperitur Surianæ editioni Concilij Sardicensis, qua dicitur hæc ipsa Synodus habita anno sexto Constãtij Imperatoris, Leontio & Sallustio Consulibus, æra trecentesima octogesimaprima: nam cum ex nuper citatis auctoribus, tum etiam ex iis quæ singulis annis accurate temporis ordine & ratione digesta sunt, tum denique ex iis quæ ibi contraria ea inscriptione ponuntur, omni ex parte erroris arguitur, & confutatur. Siquidem Consulatu Leontij & Sallustij, non sextus, sed octauus annus Imperatoris Constãtij consignatur, atque æra trecentesima octogesimasecunda. At inscriptio illa recens apposita esse videtur, siquidem Cresconiana Collectio ea caret, & aliæ antiquiores editiones. Quod rursum ad tempus pertinet coactæ Synodi Sardicensis; longe quoque visus est Seuerus errasse, dum ait [g] idem Concilium a Constantino Magno conuocatum, quem & tunc temporis mortuum esse testatur.

Sed & errore hi lapsi sunt, qui Sardicam ciuitatem, in qua Synodus habita est, eamdem esse putarunt cum Sardis, quæ est in minori Asia ciuitas, cuius fit mentio in Apocalypsi [h], sed frequentius

CONCILIVM SARDICENSE.
[e] Socrat. lib. 2. c. 15.
[f] Sozom. lib. 3. c. 11. in fin.
[g] Seuer. lib. 2. hist. sacr.
[h] Ioan. 3.

frequentius apud Strabonem [a], Plinium [b], & alios: diuersa enim admodum est Sardis a Sardica, A quæ confinis Illyrij, Mysiæ, atque Thraciæ reperitur, a Philippoli, montis interstitio, cui nomen Tituris, separata [c], nobilis sane tunc ciuitas, in qua Constantinus Imperator aliquando habitauit, vt eius rescripta complura illic data testantur: quam postea, cum cœpit esse sub Turcis, mutato nomine, dictam esse Triaditze, Theodorus [d] affirmat. Electa ad Synodum ex Imperatorum consilio ea est ciuitas, vtpote quæ confinis prope esset inter Orientale atque Occidentale Imperium, secundum partitionem a Constantino Magno inter filios Cæsares factam, quam superius recensuimus; ceterum in ditione Constantij ciuitas sita erat.

SARDICA DIFFERT A SARDIS.
a Strab. lib. 13.
b Plin. lib. 5. c. 29.
c Socrat. lib. 2. c. 18.
d Theod. Comment. in præfat. ad Canones Concil. Sardic.

De numero autem Episcoporum qui Sardicam ad Concilium conuenerunt, variæ sunt diuersorum antiquorum assertiones: sed illorum penitus explodendæ, qui numerant tantum eos qui hodie post eiusdem Synodi canones leguntur: qua ratione Gratianus [e] sexaginta solum B Sardicensi Concilio interfuisse tradit. Ceterum Theodoretus [f] ducentos & quinquaginta Episcopos ad Synodum conuenisse affirmat. Sozomenus [g] ad hæc: Conuenere, inquit, ex vrbibus versus Solis occasum sitis Episcopi numero circiter trecenti, ex Oriente autem septuagintasex.] hucusque ille: hæc eadem refert etiam Socrates [h] ex testificatione Athanasij atque Sabini, illo testante de trecentis Episcopis Orbis Occidentalis, isto vero de septuagintasex Orientalibus.

e Distinct. 16. c. 31.
f Theodoret. lib. 2. c. 7.
g Sozom. lib. 3. c. 11. in fin.
h Socrat. lib. 2. c. 16.
NVMERVS EPISCOP. CONCIL. SARDICENSIS.

Ceterum sanctus Athanasius, qui eidem interfuit Concilio, præ ceteris audiendus est, qui in epistola ad Solitarios ait, conuenisse ex Oriente & Occidente Antistites numero plus minus tercentum: ipso autem ferme exordio scriptæ a se Apologiæ secundæ affirmat, suam innocentiam exploratam habuisse atque probasse plusquàm trecentos Episcopos: sed inferius recensens nomina singulorum Episcoporum Occidentalium eiusdem C Concilij Sardicensis, numerat ex Italia Antistites septuagintaocto, e Canalio Italiæ Episcopos quatuordecim, ex Gallia trigintaquatuor, ex Africa trigintasex, ex Aegypto nonagintaduos, ex Cypro duodecim, ex Palæstina quindecim, omnes numero ducentos octoginta: cui quidem Episcoporum indiculo hæc præmittit [i]: Eorum autem qui Synodo subscripserunt nomina, ceterorumque aliorum ista sunt, Osius ab Hispania, &c.] quibus recitatis, sic rursus in fine: Qui igitur decretis Synodi subscripserunt, sunt isti (superius nimirum recensiti) plurimique item alij, qui ante hanc Synodum pro nobis scripserant, tum ex Asia, tum ex Phrygia, tum ex Isauria, quorum singulorum nomina cum suis epistolis circumferuntur prope sexaginta, in vniuersum vero trecenti quadragintaquatuor.] Perficiunt autem numerum hunc (vt ex superius recitatis apparet) additis his tamen sexaginta qui ante Synodum suis epistolis Athanasij innocentiam testati fuerant: D quamobrem cum totidem detrahendi sint ex numero illo trecentorum quadragintaquatuor qui subscripserunt; qui reliqui sunt, conficiunt numerum ducentorum & octogintaquatuor Episcoporum.

i Athanas. Apolog. 2.

At quoniam in ea serie Antistitum, Italiæ, Galliæ, Africæ, Aegypti, Cypri, & Palæstinæ tantum numerantur Episcopi; cum tamen aliarum complurium prouinciarum Antistites Sardicæ conuenisse, Athanasius ipse testetur: non omnes ibi recensitos esse Episcopos, & Orientalium præsertim plurimos esse prætermissos, cum nonnisi Palæstini & Cyprij illic numerentur Antistites, opus est affirmare. Nam esto quòd Hispani cum Italis adnumerati sint, vt constat de Osio, & Britanni cum Gallis, Sardi cum Afris coniuncti simul ab Athanasio fuerint: tamen Asianos, Thraces, Græcos, & aliarum diuersarum prouinciarum Orientis Episcopos comprehensos esse numero quindecim illorum Palæstinorum, nemo quidem prudens aliquando dixerit. E quamobrem in Socratis atque Sozomeni sententiam eundum putamus, vt conuenerint Sardicæ trecenti ex Occidente, ex Oriente vero septuagintasex Episcopi, iidemque omnes Catholicæ communionis: nam Arianos Synodum refugisse, atque coiuisse seorsum, suo loco dicemus. descripserunt eiusmodi numerum illi (vt Socrates profitetur) ex Sabini, qui extabat, de Synodis commentario, & Athanasij scriptis, quæ tunc absque mendis integra legebantur, quæ hodie ex diuersitate variorum locorum numeri ab eodem auctore recensiti, deprauata esse, necesse est affirmare.

Prouinciæ autem Catholici Orbis Episcoporum, qui Sardicensi Concilio subscripserũt, ab eodem Athanasio numerantur his verbis [k]: Tertio iterum in Magno Sardicensi Concilio ad edictum religiosissimorum Principum Constantij & Constantis, in quo iudicio ita ciciderunt aduersarij, vt habiti pro calumniatoribus, depositionem, exauctorationemque ordinis sui retulerint, nostram vero innocentiam plures quàm trecenti Episcopi suis calculis cóprobarint, quii ex

k Athanas. Apolog. 2.
EPISCOPI EX DIVERSIS PROVINCIIS.

A qui ex multis prouinciis Aegypti, Libyæ, Pentapoleos, Palæstinæ, Arabiæ, Isauriæ, Cypri, Pamphiliæ, Lyciæ, Galatiæ, Daciæ, Mysiæ, Thraciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epiri, Thessaliæ, Achaiæ, Cretæ, Dalmatiæ, Scisciæ, Pannoniarum, Norici, Italiæ, Piceni, Tusciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Brutiorum, Siciliæ, Africæ vniuersæ, Sardiniæ, Hispaniarum, Galliarum, Britanniarum se eo ad Concilium contulerunt.] hæc quidem Athanasius in Apologia contra Arianos, eademq. ab ijsdē inspicienda atque examinādà; vt omnem procul oportuerit abesse suspicionem mendacij: immo cum hæ ab eo numerentur trigintaquinque prouinciæ, in eiusdem Concilij Sardicēsis epistolæ Synodalis inscriptione reperiuntur apud Socratem [a], qui eam recitat, prouinciæ trigintaseptem, quarum ab Athanasio [b], cum eamdem describit epistolam, nonnullæ sunt prætermissæ: vt merito ipse alibi [c] affirmet, ex pluribus quàm trigintaquinque prouinciis coactam esse Synodum Sardicensem. Ceterum maiorem quoque numerum Episcoporum ad idem Concilium vocatum esse, sed diuersis ex causis impeditos, apud suas sedes remansisse, Socrates [d] auctor est ea sententia, quam alia occasione superius recitauimus, cum ait: Alij, qui defuerunt, corporis infirmitatē causantur, alij de temporis præstituti queruntur angustia, culpam illius rei in Iulium Episcopum Romanum conferunt: cum tamen ex eo tempore, quo tum Concilium indictum fuerat, tum Athanasius Concilium expectans Romæ commoratus erat, annum & sex menses iam præteriissent.]

a Socrat. lib. 2. c. 8.
b Athanas. Apolog. 2.
c Athanas. epist. ad solitar.
d Socrat. lib. 2. c. 16.

CONCILIVM OECVMENICVM.

Quòd igitur ex totius ferme Christiani Orbis prouinciis Episcopi ad Synodum fuerint a Romano Pontifice conuocati, interfuerintque & Apostolicæ sedis Legati ab eodem Iulio Papa missi: merito censendum est Oecumenicum. In quo illud monendum putamus, diuersam reperiri de his antiquorum nomenclaturam, ab illa qua vtimur: Siquidem ad significandum plenissimum Concilium, quod dicimus Oecumenicum, Patres olim Magnum illud nominare consueuerunt; sicque sæpissime hoc nomine reperies nuncupatum Nicænum Concilium: id quidem quæ dicta sunt superius sexcentis ferme locis declarant; qua etiam ratione S. Athanasius, instar Nicænæ, hanc quoque Synodum Sardicensem, Magnam appellat [e]. Idem vero quod Oecumenicum dicimus, maiores Plenarium Cōcilium appellare consueuerunt: ita enim a S. Augustino nominatur, cum ait [f]: Ecce putemus, illos Episcopos, qui Romę iudicarunt, non bonos Iudices fuisse: restabat adhuc plenarium Ecclesiæ vniuersæ Concilium, vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari.]

C

e Athanas. Apolog. 2. in princip.
f Augustin. epist. 162.

CONCILIVM GENERALE.

Cum vero conuocarentur in vnum omnes Episcopi earum prouinciarum quæ sub vno Primate Antistite essent, idem Concilium consueuit olim a maioribus Generale dici. hoc quidem nomine appellasse reperitur Athanasius [g] Concilium quod collectum erat Alexandriæ ex Episcopis Aegypti; in quo inter alia, coram Osio qui aderat & aliis Antistitibus, Colluthi causa tractata est. In Synodo quoque Carthaginensi tertia [h] nominatur illud Vniuersale Concilium anniuersariū, ad quod singulis annis ex omnibus Africæ prouinciis Episcopi conuenire in vnum consueuerant. In Gallia vero, vt quolibet triennio celebraretur Vniuersalis Synodus, statutum est [i]. Sunt & de his alia complura exempla.

D

g Athanas. Apolog. 2.
h Concil. Carthag. 3. c. 7.
i Concil. Matisc. 2. c. 20.

Obtinuit tamen postea vsus, vt Concilium Vniuersale idem diceretur, quod Oecumenicum, ab antiquis Magna Synodus, siue Plenarium Ecclesiæ vniuersæ Concilium appellari solitum: porro vt Oecumenicum nuncuparetur, prouenit a Græca voce, οἰκουμένη, quod est, Orbis terrarum & οἰκουμενικὸς, quod spectat ad Orbem terrarū; ob idque Concilium illud collectum ex totius Christiani Orbis prouinciarum Episcopis, nominari Oecumenicum consueuit; vel ea ex causa, quòd licet non ex omnibus Orbis terrarum prouinciis Antistites sint conuocati; tamen cum in eo quæ ad totam Christianam religionem pertinent decernerentur, recte Oecumenicum (si vim verbi expendas) dici posse videretur, nempe quod spectaret ad orbem terrarum, ipsam vniuersalem Ecclesiam. Quòd igitur ex Oriēte & Occidente ac Septemtrione Sardicam accersiti sunt Episcopi, & præfuit Synodo illi legatio Apostolicæ sedis: his saltem ex causis Sardicense Concilium, Oecumenicum dici debet. Certe quidem nonnisi Oecumenicum esse & appellari oportet, secundum recitatam nuper Augustini sententiam; in quo Iulij Romani Pontificis sententiam Romæ pro Athanasio latam, ipso Iulio id volente, contigit iterum examinari, atque probari.

E

LEGATI APOSTOLICI QVI MISSI SINT.

Missi sunt Legati Sardicam ad Concilium a Iulio Romano Pontifice Archidamus atque Philoxenus presbyteri: testatur id Athanasius [k], cui multo magis credendum putamus, quàm Gratiano [l], qui numerat alios Legatos sedis Apostolicæ in Synodo Sardicensi, nempe Vincentium Capuanum, Ianuarium Beneuentanum, & Calepodium Neapolitanum Episcopos: Athanasio enim, qui interfuit, omniaque vidit, & Synodi pars magna fuit, quis non iudicet potius acquiescendum, quàm scriptoribus ceteris? Quòd si quis ex Episcopis qui interfuerunt

k Athanas. Apolog. 2.
l Distin. 16. c. 11.

Concilio

Concilio, Apostolicæ sedis Legatus putandus est: Osius potius dicendus, cui inter Antistites idem Athanasius primas defert, dum inter illos quos recēset, primo loco ponit Osium Episcopum Cordubensem, & Protogenem Episcopum Sardicensem, spectatos ambos in Nicæno Concilio, & Constantini Magni litteris (vt superius dictum est) commendatos; hos enim principem locum in Synodo tenuisse post Legatos, Sozomenus [a] tradit: agebat autem Osius patronum Synodi, cuius muneris erat definienda proponere, atque singulorum rogare sententias. A

a Sozom. lib. 3. c. 11.

CELEBRIORES EPISCOPI CONCIL. SARDICENSIS.

Porro inter alios celebres sanctitate viros, qui eidem Sardicensi Concilio interfuerunt, numeratur Maximus Hierosolymitanus, & ipse olim tēpore persecutionis confessor. Ex Aegypto præter Athanasium omnibus notum, Paphnutius quoque magnus ille confessor aduenit, qui & in Nicæno Concilio inter primos effulsit. Serapion præterea insignis ille, & cuius superius facta mentio est, simul & alij, nempe Apollonius, Ammonius, Paulus, Agathonius, & B ceteri, qui ex monachis virtutibus omnibus consummatissimis ad Episcopatus functionem (vt suo loco patuit) vocati fuerant. Ex Cypro autem insula eximius ille Spiridion interfuit, qui sua quoque præsentia Nicænorum Patrum Consessum ornarat: adfuit cum eo etiam discipulus ipsius Tryphillius iam creatus Episcopus: et fortasse in hoc Conuentu contigit, quod est superius enarratum, nempe ipsum Tryphillium orantem in Synodo (celebris enim orator erat) a Spiridione reprehensum, quòd nimia diffluens eloquentia dedignatus esset vti simplici voce diuinæ Scripturæ [b]. Ex Italia vero lumina clarissima eamdem Synodum illustrarunt, nobiles sanctitate & illustrium sedium Episcopi, nimirum Protasius Antistes Mediolanensis, Seuerus Rauennas, Lucillus Veronensis, Ianuarius Beneuentanus, diuersus a martyre eiusdem nominis & ciuitatis Episcopo. Ex Galliis vero inter alios celebris nominis ob egregiam sanctitatem Antistites interfuisse ponuntur Maximinus Episcopus Treuerēsis, Seruatius Tungrensis, Simplicius Augustudunensis, & alij ex illis, qui præsto fuerunt Concilio Coloniensi, de quo superiori anno dictum est. C

b Niceph. lib. 3. c. 43.

ARIANI QVI SARDICAM VENERVNT.

c Apud Theodoret. lib. 2. c. 8.

Qui autem ex Arianis ob scelus magis famosi Sardicā venerunt potius, quàm ad Concilium conuenerunt, hi numerantur [c] in eiusdem Concilij epistola Synodali, Theodorus Heracleæ, Narcissus Neroniadis Ciliciæ, Stephanus Antiochiæ, Georgius Laodiceæ, Acacius Cæsareæ Palæstinæ, Menophantes Ephesi, Vrsacius Singidonis Mysiæ, & Valens Mursi in Pannonia. Sed quid scelestissimi isti in ipso itinere, venturi Sardicam, secum statuerint, ibidem narratur his verbis: Dum iter faciunt versus Sardicam, cogunt inter ipsos separatim Concilium; atque paciscuntur, cum minis adiectis, se, cum venirent Sardicam, nequaquam vel ad iudicium accessuros, nec intraturos in sanctum ac celebre Concilium: sed simul vt eo peruenirent, & se accedendo ad eam vrbem suo perfunctos officio ostenderent, quàmprimum inde fugituros.] hæc boni illi inter se in itinere adhuc positi condixere, quod & impleuerunt, vt inferius suo loco dicetur. D

INGRESSVS EPISCOPORVM SARDICAM.

d Athanas. epist. ad solitar.

* tercentum

Qualis vero fuerit Orthodoxorum, qualisve Arianorum ingressus Sardicam, Athanasius ipse sic describit [d]: Conueniunt igitur ab Oriente & Occidente in vrbem Sardicam numero plus minus centum * Episcopi. Occidentales vnum dumtaxat Osium habuére, ducem scilicet: Orientales contra stipati pædagogis & aduocatis, Musaniano Comite & Hesychio Castrensi, aduenere; eorumque fiducia nixi audacter sese præsentes obtulerunt, sperantes eorum viribus iterum omnia confici posse. Horum enim opera se, quibus volebant, ostendebant terribiles; et insidias, quibus libitum erat, innectebant.

* Macarium ita Athanas. Apolog. 2.

QVID ARRIANI CVM SARDICAM VENERVNT.

Ceterum vbi iam in re ipsa experiebantur Ecclesiasticum morem tantummodo obseruari, & ex singulis Ecclesiis ciuitatibusque accusatores ibi præsto esse, & documenta rerumque probationes aduersus se in promptu esse; conspicatique ibidem Arium * & Asterium venerabiles Episcopos vna quidem secum ex Oriēte profectos, sed diuerso itinere ingressos, nobisq; in veniendo comites factos, eosdemque memorantes vafriciem ipsorum, & quantopere res suas suspectas haberent; iudiciumque metuerent, ne a nobis quidem sycophantiæ, ab accusatoribus vero ab ipsis subornatis omnia per dolum fecisse conuincerentur: hæc inquam illi conspicati, etsi alacriter aduenerant, arbitrati nos metu conterritos minime occursuros: tamen cum animaduerterent nostram fiduciam, intra Palatium se recluserunt, quo in loco domicilium habebant; atque ibi inter se ita consusurrarunt: Ad alia venimus, & alia conspicimus; accessimus cum Comitibus, & sine Comitibus res agitur: prorsus futurum est vt condemnemur. Nostis qualia sint decreta, ordinationesque: Athanasio in manu sunt monumenta omnium Mareotæ Actorum, quibus ille quidem purgatur, nos autem confundimur. Quid igitur hæsitamus? quid moramur? Fingamus aliam causationem, & discedamus; ne si E

A manserimus, condemnemur. Melius est de fuga erubescere, quàm conuictos de sycophantia condemnari. Si fugerimus, poterimus aliquo modo hæresim propugnare; quòd si nos fugientes condemnauerint, habemus Cæsarem propugnatorem, qui non permissurus est, vt à populis de Ecclesijs eijciamur. Ad istum modum ipsi inter se disceptabant.

Osius autem, ceterique Episcopi crebro illis Athanasij fiduciam renunciabant, & quàm promptus ad causam dicendam esset, & quantopere iactaret se eos sycophantiæ conuicturum; & inter cetera dicebat: Si timetis iudicium, cur huc venistis? Oportebat aut huc non venire, aut huc profectos iudicium non subterfugere.] hæc ad eos Osius: eadem quoque habet Athanasius [a] in sua Apologia de tribus Comitibus cum illis ad Synodum venientibus, de Concilio sine militari apparitura cogendo, deque eorum Synodalis iudicij diffidentia, & in Palatio mansione, compellationeque Catholicorum Episcoporum ad eos, vt ad Synodum conuenirent. At quid demum illi? idem subdit his verbis [b]: Illi cum hęc audirent, & magis magisque percellerentur, absurdiore quàm Antiochiæ excusatione vsi sunt, & sub eo prætextu, quasi Imperator ipsis triumphalia de Persis per litteras scripsisset, fugam adornarunt, & sine omni pudore hanc cauillationem per Eustathium presbyterum Sardicensis Ecclesiæ renunciarunt.

ARIANI VITANT CONGRESSVM.

a Athanas. Apolog. 2.

b Athanas. ad solitar.

Verum ne ita quidem ipsis fuga ex sententia successit: statim enim Synodus, cuius patronus erat Osius, illis diserte scripsit, vt aut occurrerent responsuri, & de suis in alios, aliorumque in ipsos criminibus; aut certo scirent, se pro reis a Synodo condemnandos, & Athanasium cum suis, vt puros, ab omni crimine liberandos. Illi autem maiori metu conscientiæ angebantur, quàm vt istiusmodi litteris obtemperarent. Nam cum viderent eos quos iniuria affecerant: ne ad respondendum quidem ausi se reflectere, summa intentione fugam rapiebant. C Talis igitur & tam fœda fuga illorum fuit.] hæc Athanasius: reliqua autem quæ subdit de sui absolutione & Eusebianorum damnatione, ponenda erunt inferius suo loco.

CITANTVR A SYNODO ARIANI.

Extant litteræ Osij Episcopi post multum temporis ad Constantium scriptæ, in quibus de officiis a se erga Arianos, vt Synodo se sisterēt, tum adhibitis, his verbis meminit [c]: Fui (inquit) ipse in Sardicensi Concilio, cum tu, tuusque frater beatus Constans nos omnes eo conuocabat; ipseque vltro Athanasij inimicos prouocaui, cum ad Ecclesiam, vbi ego morabar, conuenissent; vt si quid contra eum haberent, ederent; promisique eis securitatem, neve quidquam aliud expectarent, quàm rectum in omnibus iudicium: idque non semel, sed bis feci: quòd si nollent rem ab vniuersa Synodo disceptari, saltem me Iudice vterentur: promisique etiam, nos Athanasium, si in noxa reperiretur, omnibus modis eiecturos esse. Quòd si innocens deprehendatur, & vos ostenderit calumniatores, & æque illum recusaueritis: ego illi persuadebo, vt mecum in Hispanias veniat. Athanasius autem his conditionibus obtemperauit, nihil contra obloquutus: illi vero ad omnia diffidentes, recesserunt.] in hunc modum ad Constantium Augustum Osius de gestis Sardicensibus.

QVID OSIVS CVM ARIANIS.

c Athanas. in epist. ad solitar.

Quid vero in ipsa Synodo post hæc gesta sint de absolutione Athanasij, & condēnatione Eusebianorum, Athanasius in epistola ad solitarios nuper citata, rem summatim complexus, docet his verbis: Synodus autem ex pluribus quàm trigintaquinque prouinciis coacta, cognita Arianorum malitia, permisere Athanasio cum suis vt causam diceret tum de calamitatibus suis, tum de calumniis quas passus esset; auditisque eius rationibus, hominem innocentem, quemadmodum superius dixi, pronunciarunt, eumque magna admiratione prosequuti sunt; adeo vt eius communionem amplecterentur, & litteras passim missitarent tum ad cuiusque diœcesin, tum potissimum in Aegyptum, Alexandriam, & Libyam, quibus E significabant, Athanasium cum suis puros & extra omnem culpam esse; eorumque accusatores, sycophantas, & facinorosos, & quiduis potius quàm Christianos appellari debere: eos igitur cum pace dimiserunt: Stephanum autem, & Menophantem, Acacium, & Georgium qui Laodiceæ pro Episcopo fuit, Vrsacium, & Valentem, & Theodorum, & Narcissum deposuerunt: Gregorij Alexandriam missi Episcopi nomen ita, eum condemnando, recitarunt, vt nec vnquam eum Episcopum, nec dignum qui Christianus appellaretur, censerent: resciderunt enim omnes illius in ordinibus dandis constitutiones, interdicentes, ne quisquam ab eo ordinatus in Ecclesia, vel nomen sui ordinis obtineret, idque in odium inauditorum scelerum Gregorij. Et ita quidem Athanasius cum suis dimissus est in pace. litteras autem, quæ in hac pace scriptæ fuerunt, propter longitudinem omisimus. Synodus vero ad istum modum soluta est.] hæc ibi perpaucis Athanasius complexus est, qui & in oratione prima contra Arianos, alios quoque recenset excommunicatos a Synodo, cum ait: His connumerantur Acacius quoque & Patrophilus & Narcissus ad omnem impietatem

ATHANASIVS ABSOLVTVS.

pietatem audacissimi, qui in Magno Concilio Sardicensi ab Ecclesia reiecti fuere; vnaque cum his Eustathius, qui nunc Sebaste est, & Eudoxius & Basilius patrocinio impietatis ad istas fortunas subuecti.] hæc (vt diximus) summatim Athanasius de iudicio Sardicensi. A

CAVSA ATHANASII VENTILATA.

Iam vero quæcumque in Synodo gesta sunt, hic, quantum ex diuersis scriptis S. Athanasij & aliis colligere licet, ordine prosequamur. Cum Osius priuatim amice (vt vidimus) cum Arianis egisset, vt Synodo præsto essent, eisdemq. & honestam in ea causa transactionem pollicitus esset, nihilque remisisset omnis humanitatis officij, quo eos ad iudicium Synodale excipiendum induceret: illi tamen causæ cognitionem penitus exhorruerunt, recusaruntque omnino Patrum Concilio interesse, quod & fuga testati sunt. Confidentibus igitur in vnum Patribus, quæ acta antea essent in causa Athanasij, Romæ postea edita, & a Iulio Romano Pontifice cognita fuerant & iudicata, in medium allata sunt. Reintegratur iudicium, & tum Athanasius, tum alij ab Arianis antea condemnati, sistuntur iudicio causam dicturi. Produnt inter hæc accusatores libellos criminum, atque ipsos aduersus eosdem Arianos Episcopos Synodo offerunt. Quamobrem secundum rectum iudicij ordinem citari iussi sunt ijdem Episcopi Ariani, tum vt accusatores aduersus Athanasium dicturi, tum vt rei ad obiecta crimina responsuri. Sed illis omnino recusantibus ad Concilium se conferre: placuit eidem sacro Conuentui, quæ contra Athanasium confecta olim ab Eusebianis Acta fuissent, accurate cognoscere: quibus exacte perspectis, & illorum calumniis, dolis, fallaciisque aperte detectis; calculo omnium Patrum, secundum Iulij sententiam antea Romæ latam, Athanasius absolui; simulque omnes ab Eusebianis ab Alexandrina Ecclesia eiectos atque damnatos, postliminio in pristinum statum S. Synodus restituendos esse decreuit: Gregorium vero in sedem Alexandrinam ab eisdem Eusebianis per vim militarem intrusum non tantum deposuit, sed & execrata est; omniaq. ab eo in sede Alexandrina gesta, ordines collatos & alia, irrita prorsus habenda esse constituit. B C

CAVSA MARCELLI ANCYRANI ET ASCLEPAE GAZENSIS.

Absoluto autem iudicio Athanasij, & his quæ spectabant ad Ecclesiam Alexandrinam, causa Marcelli Episcopi Ancyrani & Asclepæ Episcopi Gazæ Synodo exposita est: ambo enim vt hæretici ab Eusebianis damnati fuerant, & sedibus expoliati, qui Catholicæ fidei professione Romæ apud Iulium Papam edita, ab eodem absoluti, recepti in communionem fuerant. causa igitur ex scriptis prodita examinata, cum nihil præterea accusatores, qui aberant, atque citati venire recusarant, obiicerent contra eos, paribus omnium Episcoporum suffragiis sunt absoluti, atque sedibus quibus priuati fuerant, sententia Synodi restituti, damnatis iam atque depositis iis, qui ab Eusebianis in locum ipsorum fuerant subrogati, Basilius Ancyræ, & Quintianus Gazæ. D

QVERELAE ADVERSVS ARIANOS.

His igitur innocentibus iudicatis, datus est accusatoribus locus aduersus Eusebianos eosdemque Arianos, quorum immensa copia extitit, Antistitum in primis qui ab eisdem in exilium acti fuerant & multa dira passi, itemque affinium & amicorum cuiusque ordinis ac status hominum exclamantium suorum cædes, exilia, & carceres, contumeliasque ab Arianis crudelissime perpetratas: ostentatæ sunt ab eisdem catenæ, & dira vincula quibus sanctissimi Episcopi ab iisdem vincti fuerant. Perlatæ quoque & perlectæ sunt litteræ Theognidis Nicæni Episcopi aduersus Athanasium, Marcellum, & Asclepam, ad Imperatorem, ad eum concitandum commentæ: expostulationes de sedium aliorum Episcoporum inuersione, ordinationibusque perperam factis, & aliis innumeris, immanibusque ab eisdem in Catholicam Ecclesiam commissis: hisque additæ & auditæ sunt relationes duorum illorum Episcoporum Arij * & Asterij, qui ab ipsis Arianis Episcopis fugientes, sese Synodo dederant. E

* Macarij

SENTENTIA SYNODI IN ARIANOS.

Auditis itaque & examinatis omnibus his, verisque in omnibus comprobatis, & Arianis Episcopis sæpe vocatis venire renuentibus, ab eadem sacrosancta Synodo lata est aduersus nominatos Antistites damnationis sententia, qua sede depositi & Catholica communione priuati essent. His igitur secundum Ecclesiasticos canones rite gestis; de omnibus quæ hactenus in Concilio de causa inter Arianos & Catholicos gesta essent, scribuntur a sacrosancta Synodo litteræ ad Iulium Romanum Pontificem, & ad Imperatores Constantium atque Constantem, quibus Patres rogarunt eos, vt qui hactenus ab Arianis vincti tenerentur & exules, quàm primum solui ac liberari iuberent, omnesque Catholici iniuriam passi & e sedibus eiecti in statum pristinum vindicarentur; monentes eosdem, ne in posterum iudicijs se Ecclesiasticis immiscerent, sed sinerent cuncta peragi ex Ecclesiasticarum legum præscripto. Mentio habetur litterarum ad Imperatores in eiusdem Magni Concilij epistola Synodali data ad Iulium Ecclesiæ Romanæ Episcopum: accepimus

eam

A eam ex Collectionis Cresconianæ codice Casſinate peruetuſto, ſed mendis obſitam ac maxime deprauatam, detruncatamque, quam vt licuit ſumma induſtria reſtitutam hic edendam curauimus. ſi emēdatior erit, quam Pariſiis mittēdam expectamus, deſcribemus hic eam in ſecunda Tomi huius editione; interim autem hac, vt ſe habet, fruere lector antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſe.

Incipit exemplar epiſtolæ Synodi Sardicenſis factæ ad Iulium Vrbis Romæ Epiſcopum.

Quod ſemper credidimus, etiam ſentimus, vt experientia probat, & confirmat, quæ quiſque auditione audiuit: verum eſt enim quod beatiſſimus magiſter Gentium Paulus Apoſtolus de ſe locutus [a] eſt: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Quamquam vtique, quia in ipſo Dominus Chriſtus habitauit, dubitari non poſſit ſpiritum per animum etiam locutum, & organum corporis perſonaſſe. Sic itaque, dilectiſsime frater, corpore B ſeparatus, mente, concordia, voluntate affuiſti: ſed honeſta fuit & neceſſaria excuſatio de abſentia, ne vt lupi ſchiſmatici, aut canes hæretici rabido furore excitati inſani oblatrarent, aut certe ſerpens diabolus blaſphemiarum venenum effunderet. Hoc enim optimum & valde congruentiſsimum eſſe videbitur, ſi ad caput, id eſt ad Petri Apoſtoli ſedem de ſingulis quibuſcumque prouinciis Domini referant ſacerdotes. Quoniam ergo vniuerſa quæ geſta ſunt, quæ acta, quæ conſtituta, & chartæ continent, & viuæ voces cariſsimorum fratrum & compresbyterorum noſtrorum Archidami & Philoxeni, & cariſsimi filij noſtri Leonis diaconi veriſsime & fideliter exponere poterunt; pene ſuperuacuum videatur, eadem his inferri litteris, quæ patuerunt apud omnes, qui conuenerunt ex partibus Orientis, qui ſe appellant Epiſcopos: quamquam ſint ex his certi auctores, quorum ſacrilegas mentes Ariana hæreſis peſtifero tinxit veneno, diu tergiuerſatos propter diffidentiam, ad iudicium venire noluiſſe, C tuamque & noſtram reprehendiſſe communionem, quæ nullam habebat culpam; quia non ſolum octuaginta Epiſcopis teſtantibus de innocētia Athanaſij pariter credidimus, ſed & * conuenti per presbyteros tuos & per epiſtolam, ad Synodum, qua eorum * . . . . venire noluerunt: ſatis erat iniquum, illis confitentibus, ſacerdotibus teſtimonium perhibentibus Marcello & Athanaſio denegare ſocietatem . . . . fuerunt quanta . . . . & ipſi religioſiſsimi Imperatores permiſerūt, vt deintegro vniuerſa diſcuſſa diſputarentur: et ante omnia de ſanctæ fidei integritate veritatis, quam violauerunt: ſecunda de perſonis, quas dicebant eſſe delectas, de iniquo iudicio, vel ſi potuiſſent probare, iuſta fieret confirmatio: Tertia vero queſtio appellanda * eſt, quòd graues & acerbas iniurias, intolerabiles etiam & nefarias cōtumelias Eccleſiis feciſſent, cum raperent Epiſcopos, presbyteros, diaconos, & omnes clericos in exilium mitterent, ad deſerta loca transducerēt, & fame, D ſiti, nuditate, & omni egeſtate necarent, nonnullos ferreis vinculis . . . . * vicies eis arctiſsimis circulis . . . . denique ex ipſis quidam vincti in eadem iniuſte defecerunt pœna: quorum ambigi non poteſt martyrij glorioſam mortem extitiſſe. Adhuc quoque audent quoſdam retinere: nec cauſa vlla fuit criminis, niſi quòd repugnarent, & clamarent, quodque execrarentur Arianam & Euſebianā hæreſin, & nollent habere cum talibus communionem. Iis autem qui ſecum ſentire maluerunt, prodeſſe; et qui ante fuerant deiecti, non ſolum recepti ſunt, ſed etiam ad clericalē dignitatem promoti, & acceperunt præmium falſitatis. Quid autem de impiis, & de imperitis . . . . Vrſacio & Valente ſtatutū fuit, accipe beatiſsime frater . . . . quia manifeſtum erat eos non ceſſare adulterinæ doctrinæ in Italia ſemina ſpargere, & quòd Valens relicta Eccleſia aliam inuadere voluiſſet, & eo tempore, quo ſeditionem commouit vnus ex fratribus E noſtris qui fugere non potuit, viator * obrutus, & conculcatus in eadem Aquileienſium ciuitate tertia die defecit (cauſam vtique mortis præbuit, qui ſolicitauit) ſed ea quæ beatiſsimis Auguſtis ſignificauimus cum legeritis, facile peruidebitis nihil nos prætermiſiſſe, quantum ratio patiebatur: et ne moleſta eſſet longa narratio, quæ feciſſent inſinuauimus: tua autem excellens prudentia diſponere debet, vt per tua ſcripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, * in Italia ſunt fratres noſtri, quæ acta ſunt, & quæ definita, cognoſcant, & ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, quos extra Epiſcopatum iuſta ſententia declarauit. Perſeuerent autem Marcellus, Athanaſius, & Aſclepius in noſtra communione, quia obeſſe eis non poterat iniquum iudicium: de fuga & tergiuerſatione eorum, qui ad iudicium omnium Epiſcoporum, quo venimus, venire noluerunt, plena relatio fratrum, quos ſincera charitas tua miſit, immunitatem * tuam perdocebunt. Eorum autem nomina, qui pro facinoribus ſuis deiecti ſunt, ſubiicere curauimus, vt ſciret eximia grauitas tua qui eſſent communione priuati, vti ante proloquuti ſumus.

[a] 2. Corinth. 13.
* quòd
* cauſa tractabatur
* apponenda
* vinciens eos
* Victor
* &
* humanitatem

sumus. Omnes Fratres & Coepiscopos nostros litteris tuis admonere digneris, ne episto- A las inde allatas Communicatorias eorum accipiant. Item * nomina hæreticorum, Acacius a Cæsarea, Vrsacius a Syngidone, Menophantes ab Ephesio, Valens a Mursia, Georgius a Laodicæa, Narcissus a Neronopoli, Stephanus ab Antiochia . . . .

* ista

. . . .

reliqua de sunt in exemplari.

Addiderunt his Patres litteras ad Aegypti Ecclesiam de absolutione Episcopi Athanasij & condemnatione Gregorij. Scripserunt & Circularem epistolam ad omnes vbique positas Catholicorum per Orbem Ecclesias, quibus de iis quæ hactenus gesta essent & definita a sacrosancto Concilio, omnes certiores redderentur. Exciderunt vero litteræ datæ ad Imperatores, quarum tantum notum est argumentum ex aliis eiusdem Synodi litteris; quæ autem ad Aegyptios scriptæ fuerunt, extant integræ, licet ob perperam factam scriptionem & transf- B lationem mendis aliquot illapsis sint expurgandæ. Habetur etiam illa vniuersalis Encyclica ad omnes Ecclesias data: recitat ambas Athanasius, & primo loco eam, quæ ad Aegyptios missa est, epistolam: quam, quòd epistolarem complectatur historiam de iis quæ in causa Athanasij in eadem Synodo gesta sunt, hic integram describere dignum putamus sic se habentem:

a Athanas. Apolog. 2.

EPISTOLA SYNODALIS AD AEGYPTIOS.

Sacra a Synodus per gratiam Dei Sardicæ congregata e Roma, Hispaniis, Galliis, Campania, Calabria, Apulia, Africa, Sardinia, Pannoniis, Daciis, Norico, Scifcia, Dardania, & secunda Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiro, Thracia, Rhodope, Palæstina, Arabia, Creta, &c.] desunt nomina complurium aliarum prouinciarum, quæ in posterioribus litteris postea ab eadem Synodo datis reperiuntur inscripta. ad quos autem eædem scriberentur litteræ, sic mox ibi subditur: Aegypto, presbyteris, & diaconis, & vniuersæ Eccle- C siæ Dei per Alexandrinam parœciam dilectis in Christo fratribus salutem.

Etiam antequàm acciperemus litteras vestræ religionis, non ignotum id nobis, sed prorsus compertum fuit, antesignanos infelicium Arianorum multa & grauia, sed magis in exitium suarum animarum, quàm in Ecclesiam molitos esse. Ea enim eorum ars & vafricies fuit, semperque eius pestiferi propositi fuere, vt omnes vbique Orthodoxæ fidei homines, & Catholicæ Ecclesiæ doctrinam a Patribus traditam seruantes exagitarent & persequerentur: quorum nonnullos falsis criminibus circumuenerunt, alios extra fines suos relegarunt, alios in ipsis suppliciis absumpserunt: certe fratris nostri & Coepiscopi Athanasij innocentiam vi & tyrannide circumuenire & opprimere conati sunt; nulla in eius iudicio neque sedulitate, neque fide, neque iustitia adhibita. Iam ergo diffisi suis fabulis & vanis rumoribus, ac coram intuentes, quàm non possent de his rebus iusta docu- D menta afferre, cum essent in vrbe Sardica, non ausi sunt in Concilio sanctorum Episcoporum apparere. Qua ex re æquitas iudicij fratris & Coepiscopi nostri Iulij liquidissime apparuit: qui non temerario consilio, sed cum matura deliberatione sententiam tulit: adeo vt nihil relinquatur dubij de communione fratris nostri Athanasij adducentis octoginta Episcopos veros testes pro se in iudicium, atque eo potiore iure nitentis, quòd per dilectos fratres nostros presbyteros suos, & per litteras, Eusebianos non iure, sed vi grassantes, sapienter eluserit. Quapropter omnes vndique Episcopi communionem viri ob eius innocentiam confirmarunt.

Illud quoque vestra charitas conspiciat, post Athanasij ad sacram Synodum Sardicam congregatam aduentum, Orientales litteris mandatisque citatos fuisse, vt se iudicio sisterent: verum illos sua conscientia prædamnatos inhonestis causationibus tergiuersari E cœpisse, poscentes interim vt innocentem quasi nocentem a nostra communione submoueremus, nihil spectantes quàm indecentia vel potius impossibilia postularent. Atque adeo commentaria Actaque Mareote nonnisi a sceleratis & perditissimis quibusdam nouitiis, quibus ne vulgarem quidem gradum clericatus committas, per absentiam alterius partis confecta esse: neque enim frater noster Athanasius Episcopus, & Macarius presbyter, quem accusabant, præsentes adesse voluerunt; quamquam alioqui illorum inquinatio seu potius insidiatio nullo non probro scaturiebat; cum nunc Ethnici, nunc catechumeni interrogarentur, non vt quæ scirent, dicerent, sed quæ ab illis didicerant, mentirentur: nulla enim vestri ratio habita est, qui estis compresbyteri Athanasij, & curam eius absentiæ susceperatis, cupientes interesse quæstioni, & veritatem ostendere, & falsa redarguere: tantum enim abest vt vos præsentes esse voluerint, vt etiam contumeliose eiecerint. Ex istis rebus quamquam sycophantiam esse clarissime constaret: tamen dum euo-

A dum euoluimus Acta, deprehendimus ipsum sceleratum Ischyram titulo Episcopi in mercedem calumniæ remuneratum suam sycophantiam suis verbis prodere. Ipse enim Ischyras in monumentis Actorum diserte testatus est, se ea ipsa hora, qua Macarius in suam cellam venerat, ægrotum iacuisse, Eusebianis contra scribentibus eum tum stetisse & oblationes fecisse, cum Macarius superueniret.

Quin & illa calumnia, qua postea vsi sunt, manifesta apparuit, cum vociferarentur & misere deplangerent, cædem Athanasium fecisse, & Arsenium Meletianum Episcopum eius opera e medio sublatum: quam rem fictitio gemitu & falsis lacrymis, vt vera videretur, deplorabant; iusseruntque eius qui viueret, quasi qui extinctus esset, cadauer exhiberi. Sed figmenta eorum non latuerunt: notum enim erat omnibus, hominem incolumem esse, & inter viuos recenseri. Verum nec sic quidem cum vidissent figmenta sua renudari, ipso Arsenio se
B viuum & minime interfectum aut mortuum exhibente, quiescere potuerunt; sed nouas sycophantias veteribus cumulantes, omnibus machinis id egere, vt hominem calumniis inuoluerent. Quid igitur dilecti? Non hic quidem frater noster Athanasius animum despondit, sed magna cum fiducia eos etiam in hac causa ad iudicium prouocauit: quod & nobis in voto fuit; ac proinde eos citauimus, vt iudicio se sisterent, & si possent, reum certis documentis perurgerent. Sed o magnam improbitatem! o grauem superbiam! vel potius, si verum dicendum est, o malam & obnoxiam conscientiam! ac rem ita esse nulli non clarissime innotuit.

Quocirca, dilectissimi fratres, commonitos vos cupimus, & diligenter adhortamur, vt præ omnibus fidem Catholicæ Ecclesiæ retineatis. Multa certe & grauia & acerba perpessi estis: multas vicissim contumelias & iniurias sustinuit Catholica Ecclesia: sed qui perseuera-
C uerit vsque ad finem, saluus [a] erit. Quapropter si denuo auserint aliquid facere contra vos, [a] *Marc. 13.*
tribulatio illa vobis pro gaudio esto: nã istiusmodi passiones pars aliqua martyrij haberi debẽt; & istiusmodi vestræ confessiones & tormenta non carebunt sua mercede, cum præmia a Deo recepturi sitis. Qua de re in primis decertate pro sana fide, & pro innocentia Athanasij Episcopi & in sacris nostri comministri: nam neque silentio suppressimus, aut neglexímus ea quæ ad vestram securitatem pertinebant, sed eius rei curam præcipuam habuimus, eaque egimus, quæ dilectionis ratio postulabat. Compatimur enim fratribus nostris patientibus; et eorum passiones, nostras proprias arbitramur, & nostras lacrymas cum vestris cõmiscuimus: neque vos soli dumtaxat passi estis; sed eadem alij complures comministri nostri, cum huc venissent, deplorarunt. Quamobrem preces nostras ad religiosissimos & amantissimos Dei Imperatores retulimus, vt illorum humanitas, eos qui adhuc grauantur & affliguntur, solui
D iubeat; constituatque, ne quis Iudicum, quorum munus est publica curare, de clericis sententiam ferat, aut vlla ratione in posterum sub prætextu Ecclesiarum quidquam contra fratres moliatur; sed vt quisquis citra persecutionem, aut vim, aut auaritiam, prout optat & cupit, vitam instituat, & cum quiete & pace Catholicam & Apostolicam fidem sequatur.

Gregorium igitur illegitime ab hæreticis Episcopum constitutum, & in vestram ciuitatem ab illis deductum, ab vniuersa sancta Synodo ab Episcopatu, tametsi reuera numquam Episcopus fuerit, depositum esse, vestram vnanimitatem scire volumus. Valete igitur, & recipite vestrum Episcopum Athanasium, quem ob id ipsum cum pace dimisimus. Vnde admonemus omnes, qui vel per metum vel per dolum circumuenti, cum Gregorio communicarunt, vt nunc nostra admonitione resipiscentes, deinceps ab illius nefaria com-
E munione abstineant, & sese Catholicæ Ecclesiæ adglutinent. Ceterum quia cognouimus & Aphthonium, & Athanasium Capitonis filium, & Plautum, & Plucionem compresbyteros vestros eamdem fraudem ab Eusebianis perpessos esse, & quosdam eorum in exilium eiectos, quosdam metu mortisque interminationibus profugos esse: scire vos cupimus etiam istos a nobis receptos esse, & vt innocentes crimine liberatos; cum non ignari sitis omnia ab Eusebianis contra Orthodoxos per fraudem & libidinem acta esse. Aequum ergo fuerat, ipsum Athanasium vos de istis rebus vt suis ac propriis certiores facere: sed tamen quia sacra Synodus ea potius vobis ad certius testimonium scribere voluit; ideo nos quoque non supersedendum putauimus, sed statim significare studuimus, vt quemadmodum nos, ita vos quoque hos viros recipiatis, qui & ipsi quoque laudem merentur, quòd ob pietatem in Christum digni habiti sunt, qui ab hæreticis contumeliam paterentur. Quæ autem decreta sunt a sancta Synodo in Theodorum, Narcissum, Stephanũ, Acacium, Menophantem, Vrsacium, Valentem, & Gregorium antesignanos Arianæ

hæreseos, qui & in vos & in Ecclesiam peccauerũt, ex iis quæ subiuncta sunt, cognoscetis; quæ ideo ad vos misimus, vt vestra in Deum pia religio suffragetur sententiis a nobis latis; simul intelligat Ecclesiam Catholicam nequaquam dissimulanter cum iis agere qui ipsam offendunt.] hactenus Synodalis epistola ad Aegyptios data. A

Quæ autem post sequitur, ad vniuersas Ecclesias missa est; sed accidit, vt librariorum vitio inscriptiones immutatæ sint, atque hæc quam retulimus ad Aegyptios missa, loco illius ad vniuersos vbique terrarum Episcopos scriptæ posita habeatur, illa vero vniuersalis & Circularis sub titulo eius quæ data est ad Aegyptios & Africanos errore sit collocata: quod ex ipsarum argumento nemo non intelliget. Subiiciemus his Synodalem epistolam Encyclicam ab Athanasio [a] recitatam, qua pariter quæ in Synodo Sardicẽsi vsque in eam horam qua scribebat, gesta erant, exacte sunt enarrata: habet eãdem Theodoretus [b]; describemus nos hic illam ex Athanasij textu, ex qua prior quoque accepta est; multa prætermittẽtes, quæ de causa eiusdem Athanasij in Synodo iudicata, in litteris ad Aegyptios superius recensuimus. Apud Theodoretum inscriptio ponitur, quæ in Athanasio desideratur, in qua numerantur diligenter prouinciæ omnes, ex quibus Episcopi ad Synodum conuenere: sic enim se habet: B

[a] Athanas. Apolog. 2.
[b] Theodoret. lib. 2. c. 8.

EPISTOLA SYNODALIS ENCYCLICA.

Sanctum Concilium ab Episcopis Romæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Campaniæ, Calabriæ, Africæ, Sardiniæ, Pannoniæ, Mysiæ, Daciæ, Dardaniæ, & Daciæ inferioris, Macedoniæ, Thessaliæ, Achaiæ, Epiri, Thraciæ, Rhodopæ, Asiæ, Cariæ, Bithyniæ, Hellesponti, Phrygiæ, Pisidiæ, Cappadociæ, Ponti, Phrygiæ minoris, Ciliciæ, Pamphiliæ, Lydiæ, insularum Cycladum, Aegypti, Thebaidis, Libyæ, Galatiæ, Palæstinæ, Arabiæ per Dei gratiam Sardicæ celebratum, omnibus vbique Episcopis & ministris Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ dilectis fratribus in Domino S.

Sæpe multumq. in seruos Dei rectæ fidei cultores audaciam suã exercuerunt Ariani, &c.] post aliqua vero, hæc ab exordio Actorum Sardicensium [c] de Arianis: Cum ad Sardorum ciuitatem accessissent, conspectis ibi Athanasio, Marcello, Asclepa, aliisque nonnullis, veriti sunt in iudicium prodire; et cum non semel aut bis, sed iterum atque iterum citati essent, citationibus non obtemperauerunt, tametsi omnes Episcopi simul congregati essent, & in primis grauissima ætate Osius, homo & ob æui longitudinem, & confessionem suam, & ob tantos suos labores omni reuerentia dignus. Expectauimus igitur eos, & cohortati sumus, vt in iudicium prodirent, & ea quæ rumoribus & litteris de comministris nostris absentibus iactauerant, præsentes iustis rationibus comprobarent. Verum illi, quantumcumque citati, prodire noluerunt.] et paulo post: Fugerunt autem, non solum quòd sycophantiam suam agnoscerent, sed quòd præsto viderent qui ipsos de variis criminibus incesserent, qui vincula & ferrum promebant, quæ secum ab exilio extulerant. Cognati autem eorum, qui illic adhuc vincti asseruantur, ibi quoque præsentes eorum oculis apparebant, vnaque cum iis amici eorum quos ipsi trucidauerant: et quod maximum est, aderant Episcopi, quorum aliqui ferrum & catenas sibi ab ipsis inditas circumferebant, aliqui mortes illorum calumniis illatas detestabantur: eo enim furoris processerant, vt etiam Episcopos interficere conarentur: et interfecissent, nisi eorum manibus erepti fuissent. Certe comminister noster beatus Theodolus per calumniam eorum iussus interfici, fuga salutem sibi quæsiuit: alij ictus gladiorum ostentabant: alij famem toleratam conquerebantur: neque harum rerum vulgares homines, sed integræ Ecclesiæ testes erant, quarum nomine Legati, qui huc venerant, de militum gladiis, turbarum fustigationibus, Iudicum minis, adulteriis, & subornatis falsis litteris, certa documenta afferebant: lectæ enim sunt litteræ, quas Theognis in fraudem Athanasij, Marcelli, & Asclepæ adulterauerat, vt Imperatores in hos viros concitaret: et hoc ita esse, hi qui Theognidi per id temporis diaconi fuere, commonstrarunt: vt interim omittamus virginum denudationes, ecclesiarum incendia, carceres eorum qui in sacris ministri erant. Quæ scelera, nulla alia de causa, quàm ob infaustam abominandamque Arianorum hæresin, commiserunt. Omnia enim ista mala coacti sunt experiri qui eorum communionem recusabant. His igitur inspectis, in arctum cogebantur eorum consilia, cum & facta perpuderet confiteri, nec dissimulandi spes esset. C D E

[c] Athanas. Apolog. 2.

Venerant illi quidem in Sardorum ciuitatem, vt aduentu suo existimationem, quasi non peccassent, excitarent. Ceterum cum eos accusatores suos futuros esse conspicerent, quos vel calumniis, vel calamitatibus afflixerant, & inhærerent oculis & sub conspectu essent rerum quæ obiicerentur documenta: noluerunt ad citationem in iudicio comparere, quamuis magna fiducia & libertate a comministris nostris Athanasio, Marcello, & Asclepa incesserentur, querelas suas proponentibus, ac nulla non ratione prouocan-

A prouocantibus; cum denunciarent se esse paratos, non solum calumnias eorum refellere, sed ostendere quoque quæ contra Ecclesiam publice deliquissent. Igitur tanto metu correpti sunt, vt se fugæ mandarint, & fugiendo calumnias suas patefecerint; et quæ peccauerant, cursu illo confessi sint. Et quamquam eorum prauitas non modo ex superioribus, sed ex istis quoque innotesceret: tamen ne de fuga sua nouum aliquod scelus mutuarentur, decretum fuit, vt secundum veritatis rationem illorum fictæ fabulæ examinarentur.] subditur ibi de Actis eorum contra Athanasium confectis, de quibus satis ex eorumdem epistola ad Alexandrinos superius dictum est. quibus recensitis, hæc habentur de Marcello, ac subinde de Asclepa:

Recitata quoque sunt scripta collegæ nostri in sacris Marcelli, & deprehensa est Eusebij dolosa vafricies. Quæ enim Marcellus per modum quæstionis tractauerat, ea tamquam ita esse DE MARCELLO ET ASCLEPA.
B profiteretur, calumniati sunt. Recitata quoque sunt in his quæstionibus quæ intercederent & subsequerentur, & inuenta est bona & recta fides istius viri: non enim ex Maria, vt ipsi assueuerabant, Verbo Dei initium attribuit, neque finem eius regno constituit; sed regnum eius initio & fine carere, scriptis prodidit.] hæc in præsens fuit Synodi sententia, & antea Iulij Romani Pontificis de Marcello, secundum ea quæ in publicum iudicium allata erant; sin autem ille aliter corde sentiret (vt postea ex patefactis conuictus est) nequaquam vertitur infamiæ Synodo secundum Acta edita iudicanti. At mox subditur de Asclepa in eadem epistola: Asclepas autem comminister noster in sacris, prolatis Actorum monumentis Antiochiæ confectis, docuit, cum ibi simul & accusatores & ipse Eusebius Cæsariensis adessent, iudicijs Episcoporum, qui huic causæ præsidebant, se innocentem pronunciatum esse.] hæc ibi. Quòd vero ad eumdem Asclepam Gazæ Episcopum spectat: coiuit aliquando hic cũ
C Arianis ante Nicænum Concilium: vbi vero illud est celebratum, Catholicam fidem vna cum Orthodoxis professus est: quamobrem Eusebiani in eum exacerbati in Conuenticulo Tyrio (vt Theodoretus[a] testatur) prauæ doctrinæ illum accusarunt: sed in Conuentu Antiocheno (quinam hic fuerit, ignoratur, a Catholicis tamen oportuit esse collectum) causa cognita innocens ab Episcopis inuentus est; verum ab eisdem Eusebianis exagitatus, sedeque spoliatus, Romam confugit ad Iulium Romanum Pontificem: qui Actis contra eum diligenter inspectis, atque aduersariorum calumnijs perspicue patefactis, ipsum innoxium, ac dignum communione Catholica declarauit. Sed rursum epistola: a Theodoret. lib. 1.c.14. in fin.

Non igitur sine causa est, dilectissimi, quòd citati sæpius non obtemperarint, sed fugere maluerint; et conscientia ad fugam propulsi, crimen suæ sycophantiæ confirmauerint; et causam dederint, vt quæ accusatores eorum præsentes objicerent & demonstrarent, pro veris
D haberentur: immo præter hæc omnia depositos olim & eiectos ob Arianam hæresin, non solum receperint, sed ad maiores gradus euexerint, ex diaconis presbyteros, ex presbyteris Episcopos facientes, non in alium vsum, quàm vt impietatem disseminarent, latiusque diffunderent, & piam fidem corrumperent. Quo in negotio post Eusebium facile principes sunt Theodorus ab Heraclea, Narcissus a Neroniade Ciliciæ, Stephanus ab Antiochia, Georgius a Laodicea, Acacius a Cæsarea Palæstinæ, Menophantes ab Epheso quæ est Asiæ, Vrsacius a Singidone Mysiæ, Valens a Mursis in Pannonia: nam & isti eos qui secum ab Oriente descendebant Sardicam, non permiserunt in sacrosanctam Synodum introire, aut vllo modo ad Dei Ecclesiam appellere, & in itinere Sardicam versus certis in locis Conciliabula in morem Synodi per se habuerunt, & fœdera cum interminationibus conflauerunt. Quapropter cum Sardicam peruenissent, minime omnium iudicio steterunt, aut in eumdem locum cum sacra
E Synodo conuenire voluerunt; sed mox vbi eo peruenissent, & pro perfunctoria specie purgationis aduentum suum ostentassent, raptim inde aufugerunt.

Rem ita actam esse, per comministros nostros Macarium * Palæstinum, & Asterium Arabem, qui vna cum ipsis in itinere fuerunt, & ab eorum infidelitate recesserunt, rescíscere licuit: qui cum ad sacram Synodum venissent, simul & de vi quam passi essent, conquesti sunt, & quanta prauitate in rebus agendis vsi essent Eusebiani, indicarunt. Id quoque ab eis auditum, esse illic multos rectæ fidei cultores, quos isti prohibuerunt ne huc venirent, pericula minasque si quis ab ipsis recederet, denunciantes: ac propterea curasse, vt omnes in itinere eodem domicilio vterentur, ne vel tantillum quispiam ab illis seorsum agere posset. Sed quia eorum sycophantiæ, vincula, cædes, verbera, falsæ epistolæ, contumeliæ, virginum denudationes, exterminationes, euastationes, incendia ecclesiarum, transultusque a minoribus ciuitatibus ad maiores parœcias, & quod est grauissimum, denuo per eosdem excitata contra rectam fidem infelicissima Arianorum hæresis reticenda non sit: Ideo nos * Arius

dilectos fratres & comministros nostros Athanasium, Marcellum, Asclepam cum ceteris comministris nostris, innocentes & puros pronunciamus, litteris ad singulas parœcias missis, vt populi cuiusque Ecclesiæ cognoscant sui Episcopi sinceritatem, eumq. pro Episcopo & habeant & expectent: istos autem more luporum in horum Ecclesias inuadentes, Gregorium inquam in Alexandriam, Basilium in Ancyram, Quintianum in Gazam, eos neque Episcopos appellent, neque vllam cum eis communionem habeant, aut eorum litteras recipiant, aut vicissim mittant. Theodorum autem, Narcissum, Acacium, Stephanum, Vrsacium, Valentem, Menophantem, & Georgium, metus causa huc ab Oriente non audentem venire, sed tamen a beato Alexandro depositum, tum quia iste & ceteri illi sectatores sunt Arianæ rabiei, tum ob reatum criminum, omnes sacrosancta Synodus communi calculo exauctoratos omnino ab officio Episcopatus submouet. Decreuimusq. eos non modo Episcopos non esse, sed ne dignos quidem Fidelium communione: immo quia separant Filium a Patre, & Verbum a suo Patre abalienant; æquum esse, eos ab Ecclesia Catholica separari, & alienos, indignosq. haberi Christiano nomine. Sint vobis igitur anathema, eo quòd verbum veritatis adulterauerunt: præceptum siquidem Apostolicum est: Si quis euangelizauerit vobis præter id quod accepistis, anathema sit: cum his quidem ne quis communionem habeat, præcipite. Nihil commune luci cum tenebris: hos procul a vobis arcete, cum nulla sit concordia Christo cum Belial: cauete interim, dilecti, ne vel scribatis ad eos, vel eorum scripta recipiatis. Quin & vos quoque studete, fratres & comministri nostri in sacris obeundis, vt spiritu præsentes in nostra Synodo idem suffragium conferatis per vestras subscriptiones, quo ab omnibus vbique sacrorum ministris concordia seruetur. Diuina prouidentia sanctos & lætos vos conseruet, dilecti fratres.] sequuntur post hæc nomina Episcoporum qui subscripserunt, de quibus superius egimus.

APPENDIX COMMENTICIA.

Ceterum quæ est hic descripta ex Athanasio epistola Synodalis Concilij Sardicensis, apud Theodoretum aucta reperitur appendice, nempe tractatione seu regula Catholicæ fidei: quam quidem ab aliquo superadditam esse, ex his quæ dicemus, facile quisque persuaderi potest. Cum enim Valentem & Vrsacium ambæ superius recitatæ Synodales epistolæ declarent fuisse Arianos, & vt eius sectæ homines sententia omnium Episcoporum vna cum alijs nominatis superius Arianis esse damnatos: quo modo verum esse potest quod legitur in eadem appendice[a], eosdem Vrsacium & Valentem eius fuisse sententiæ, vt dicerent & Verbum Dei & Spiritumsanctum crucifixum esse, occisum, mortuum, & a mortuis excitatum? procul namque aberat ab Arianorum sententia eiusmodi de passione Spiritussancti vna cum Verbo positio; quorum hæresis tres in Trinitate personas sic ab inuicem diuidebat, vt non pateretur dici easdem esse substantia vna coniunctas: sed Sabellianis potius, qui Arianis ex aduerso pugnabant, affinis videri poterat ea sententia, qui sic prædicarent vnam in Trinitate reperiri substantiam, vt tamen omnem personarum distinctionem adimerēt: ex qua quidem assertione, sicut Filius, ita Pater, & Spiritussanctus impie dicendi erant in carne passi. At contra de Arianis ibidem in eadem appendice mox subditur: Porro ista coniurata hæreticorum turba contendit varias Patris & Filij & Spiritussancti subsistentias esse, easq. separatas.] Subsistentiam pro substantia poni ibidem declaratur. Tantum igitur est dicere, Vrsacium & Valentem ea sensisse de Spiritussancti passione vna cum Verbo, quantum negare ipsos fuisse Arianos, cum tamen iidem cum socijs Ariani dogmatis antesignani eadem epistola superius nominentur, & semper sint Arianæ hæreseos accusati. Sed & cum iidem in Synodo & apud Iulium Romanum Pontificem recantarunt palinodiam, oblatis ipsi libellis pœnitentiæ, sese Arianam hæresin detestari atque damnare professi sunt: at de hæresi qua dicerent Spiritumsanctum passum vna cum Verbo, nulla prorsus est mentio in eorum libellis, quos inferius suo loco describemus.

a Theodoret. lib. 2. c. 9.

COMMENTVM DE FIDE LATIVS EXPLICATA.

Atqui eadem facilitate qua Theodoretus, Sozomenus videtur errore lapsus, vt appendicem illam vere esse putarit Concilij Sardicensis, cum ita ait[b]: Eodem tempore quoque aliam fidei formulam ediderunt pluribus quidem verbis scriptam, quàm quæ in Concilio Nicæno edita fuisset, sed tamen eamdem complectentem sententiam, & verbis non multum ab illa discrepantem. Ad extremum Osius & Protogenes, qui principem locum inter Episcopos Occidentis, qui Sardicæ conuenerant, obtinebant, veriti ne quibusdam viderentur decreta Concilij Nicæni innouare; scripsere ad Iulium, & testati sunt, se illa quidem rata habere; sed quo facilius intelligerentur, eamdem pluribus verbis explicasse, eo consilio, ne Arianis, qui breuitate formulæ fidei in eo Concilio editæ abutebantur, facultas ex verbis daretur imperitos in absurdam aliquam opinionem rapiendi.] hæc Sozomenus. sed plane nugæ sunt ista, & ab

b Sozom. lib. 3. c. 11.

A & ab eo sic scripta, vel quòd putarit appendicem illam vere esse, sicut epistolam, Concilij Sardicensis, vel fortasse quòd inciderit in professionem Arianorum latam nomine Synodi Sardicensis, de qua paulo post dicturi sumus: ea inquam cum ipse legeret, illa addidit de excusatione Osij atque Protogenis apud Iulium.

Verum in Concilio Sardicensi nullam prorsus editam esse Catholicæ fidei regulam, nec priorem illam Nicænam vel vno verbo aut apice auctam, aut quouis prætextu explanatam, locupletissimus testis est Athanasius [a], cum hæc disertis verbis affirmat, scribens ex Synodo Alexandrina ad Legatos Apostolicæ sedis Eusebium & Luciferum & alios Episcopos Antiochiæ considentes: Tabellas (inquit) nonnulli iactant, quasi ex Sardicensi Synodo de fide conscriptas: ne legi quidem semel, aut proferri sinatis: nihil enim tale Concilium definiuit. Quamuis enim certi homines nonnulla, quasi quæ deessent Nicæno Concilio, adscribere vellent, idque B acriter contenderent; Sancta tamen Synodus, quæ Sardicæ conuenit, indigne id tulit; decretoq. sanciuit, ne quid vlterius de fide scriberetur; et sese contentos esse Nicæna fide declararunt, vt cui nihil deesset, & in qua integra & solida pietas contineretur: neque edendam esse aliam professionem fidei; ne illa quæ Nicææ scripta est, suos numeros non habere videretur; neve illis, quibus libido est, semper noua statuere, occasio huiusmodi suppeditaretur, vt iterū atque iterum de fide definiant. Quapropter si quis hæc, aut aliud quidpiam cauillabitur: compescite illos, & ad studium pacis inducite: nihil enim in istis cognoscere possumus, nisi contendendi libidinem.] hæc Athanasius, qui & post multa sic prope epistolæ finem: His, inquit, etiam Eusebius Latine subscripsit, quorum hæc interpretatio: Ego Eusebius Episcopus secundum exactam vestram vtriusque partis confessionem, &c.] vbi post nonnulla idem Eusebius Vercellensis Episcopus ita subdit: Deinde quia fama apud exteros increbuit de tabella Sardi- C niani Concilij; ne ea vltra Nicænam fidem decreta esse putetur, meo suffragio denuncio, quo nihil luxamenti aut noxæ Nicænæ fidei inde oboriatur; neque eam ea de causa proferendam censeo.] ista Eusebius. Sic igitur vtriusque Orbis Orientalis & Occidentalis Episcoporum assertione, & Synodalibus quoque decretis testatum, firmatum, stabilitumq. est, nihil ad ipsam fidem Nicænam additum quoquo modo a Concilio Sardicensi fuisse. Ex quibus pariter erroris conuincitur Vigilius [b] Episcopus Tridentinus, dum agens contra Eutychen, affirmat septem capitula ad fidem spectantia, post illa quæ Nicææ statuta essent, a Patribus Catholicæ professionis in Sardicensi Concilio fuisse addita: cum & eius professionis fidei illa verba plane adulterina recitat, quibus dicitur: Hanc (inquiunt) exposuimus fidem, in qua reperiuntur septem diffinitionum capitula Nicænæ expositioni addidisse, quæ illi negabant, contra quos Concilium fuerat congregatum.] hæc ibi.

D Vides ex his pariter ex Athanasio superius recitatis, inter alia decreta Concilij Sardicensis desiderari canonem illum, quo ait Athanasius, qui præsens fuit, statutum fuisse ne quid vlterius de fide tunc scriberetur; contentosque se esse Nicænæ fidei Symbolo, Patres declarasse. Rursum vero in dialogo Liberij Papæ cum Imperatore Constantio, qui recitatur a Theodoreto [c], de Mari Episcopo Chalcedonensi, Vrsacio, & Valente hæc habentur: Iidem in eodem Concilio Sardicensi libellos supplices dederunt, postulauerunt q. veniam pro eo, quòd commentarios vnius partis suffragiis per calumniam contra Athanasium in Mareote confecerant; quos libellos iam habemus in manibus.] ita Liberius Papa coram Constantio Imperatore de Actis Sardicensibus ore libero loquutus est. Sed hæc cum non extarent in binis superius sacræ Synodi recensitis epistolis, in quibus omnia quæ in causa Athanasij hactenus essent gesta narrantur: in eam imus sententiam, vt post datas illas epistolas ea de libellis dictorum Ariano- E rum Episcoporum contigerint. multa quidem post scriptas easdem litteras facta esse Sardicæ ab Episcopis in Synodo commorātibus, quorum nulla fit mentio in eis; tum quæ dicta sunt de Nicænæ fidei decreto, tum quæ subduntur, certam exploratamq. fidem faciunt. Potuit autem perfacile contigisse, vt iidem Ariani Episcopi simul cum alijs dissidentes, libellum illum ad Synodum Sardicam miserint: cum alioqui de Valente atque Vrsacio liqueat, id genus aliàs (vt suo loco dicemus) Romano Pontifici obtulisse libellos, sæpe pœnitentes, & in errorem iterum relabentes.

Rursum vero ex S. Hilario [d] illud compertum haberi videtur, Constantium Imperatorem ad Synodum Sardicensem litteras dedisse, quibus profiteretur Filium Dei eiusdem esse cum Patre substantiæ: ait enim in eum scribens: Damnas quoque & substantiæ nomen, quo te & in Sardicensi Synodo & Sirmiensi pium esse, Occidentalibus mentiebaris.] hæc Hilarius. Sed & S. Epiphanius [e] auctor est, in eodem Concilio Sardicensi damnatum fuisse Photinum Episcopum Sirmiensem hæresiarcham, de quo sic scribit: Photinus, ex quo sunt Photiniani, hoc tempore,

[a] Athanas. ad Antiochen.
NVLLA EDITA FIDEI FORMVLA NOVA IN CONCIL. SARD.
[b] Vigil. contra Eutych. lib. 5.
[c] Theodoret. lib. 2. c. 16.
[d] Hilar. contra Constantium.
PHOTINVS DAMNATVS IN CONCIL. SARDIC.
[e] Epiphan. hæres. 71.

tempore vixit, & Episcopus sanctæ Catholicæ Ecclesiæ fuit: qui insania non minima elatus, & supra omnes ante se furiosus factus, similia his quæ Paulus Samosatenus docuit, de Filio Dei sensit, & verba maledicentia neutiquam consistere valentia euomuit. Hic originem a Sirmio duxit; et quando zizaniam in mundum inuexit, quod temporibus Constantij * factum est, vsque huc in vita superfuit, a Synodo Occidentali in Sardica congregata subuersus ob eam quam euomuit blasphemiam. A

* al. Constantini

PHOTINI BLASPHEMIA.

Asserit autem hic, ab initio Christum non esse, verum a Maria, & hucusque ipsum existere, ex quo Spiritus sanctus, inquit, superuenit in ipsum, & genitus est ex Spiritu sancto. Spiritum autem sanctũ dicit veluti temerarius architectus, & velut inenarrabilium rerum cæli dimẽsor, se putare Christi esse. Fuit hic Photinus loquax & acutæ linguæ, & qui multos posset sermones pronunciare, & disceptandi promptitudine decipere: sæpe enim a multis confutatus, & post illam defensionem ipsius tunc in Sardica factam, quando ab Episcopis vocatus fuit ad reddendum rationem de maligna a se proposita fide, impetrauit a Constantio Rege, veluti qui frustra depositus esset, vt rursum acciperet auditores, coram quibus demonstraret se frustra depositum esse.] at hæc postea. Sed putatur Epiphanius errore lapsus, & locò Sirmiẽsis posuisse Synodũ Sardicensem; sicut & Seuerus [a], qui de Photino cum agit, tradit eum ante Sardicensem Synodum hæreseos condemnatum, eius quoque causam perductam esse ad eamdem Synodum, ibique confirmatum fuisse hæreticum, roboratamq. sententiam in eum antea promulgatam. B

a Seuer. lib. 2. hist.

Quod rursum spectat ad Synodum Sardicensem: præter illa etiam quæ superius recitata sunt, Socrates [b] atque Sozomenus [c] affirmant Paulum Episcopum Constantinopolitanum vna cum Athanasio eidem Synodo interfuisse, Arianos vero Episcopos fuisse hos adeo detestatos, vt his in communionem susceptis, noluerint Cõcilio cum alijs præsentes esse. Theodoretus [d] autem tradit de Paulo, vetitum ipsum fuisse a Catholico populo Constantinopolitano ad idem Concilium Sardicam progredi, quòd sciret paratas illi esse insidias ab Arianis: quod & verius putamus; cum in duabus illis epistolis, vbi agitur de causa Episcoporum qui ab Arianis fuerũt calumnijs & alijs diris exagitati, & de eorumdem facta in Synodo absolutione, nullum penitus de Paulo verbum habeatur. Quo modò autem idem rursus in exilium actus sit, dicemus inferius. C

b Socrat. lib. 2. c. 16.
c Sozom. lib. 3. c. 10.
DE PAVLO EPISCOP. CONSTANTINOPOL.
d Theodoret. lib. 2. c. 5.

CANONES CONCIL. SARDIC.

Postquàm igitur causæ diuersorum Antistitum tractatæ sunt, & alia complura, quorum signa quædam tantum relicta esse meminimus: vltimo loco, ex more, ad ea quæ ad Ecclesiasticam disciplinam spectare viderentur tractanda, Patres iteratis sacris Comitijs se conuerterunt: atque secundum diuersas Episcoporum suggestiones, rogante Osio Synodi patrono sententias Patrum, canones viginti & vnus ab eisdem sanciti sunt. Prima igitur ea Osij Episcopi rogatio [e] fuit de praua consuetudine, quæ irrepserat in Ecclesiam, de Episcopis, qui humanæ gloriæ libidine incitati, e minoribus ad maiores sedes proueni laborarent: vnde fiebat, vt qui essent eiusmodi, negotium facesserent ijs qui maioribus præessent Antistites ciuitatibus. Recens erat exemplum Eusebij Nicomediensis, qui post duas sedes mutatas, Constantinopolim se transferri curauit, cum & eiectis ex suis sedibus alijs Orthodoxis Episcopis, alij itidem Antistites, sed minorum sedium ab Arianis prouehebantur: quod facinus sacra Synodus austerius statuit puniendũ, nimirum, vt nedum hi inter Episcopos adnumerari deberent, sed ab omni penitus ordinis Ecclesiastici gradu deiecti, inter laicos commorarentur, immo ne laica quidem vel in fine vitæ cõmunione impartirentur: aduersus quos tamen mitius olim egerat Nicæna Synodus [f], iubens eosdem licet inuitos in pristinam sedem debere reduci. D

e Concil. Sardic. c. 1.
SEVERA DISCIPLINA IN MVTANTES SEDES.
f Concil. Nicæn. c. 15.

Secunda [g] ea rogatio fuit, de Episcopis in alias prouincias transeuntibus: quod non licere, nisi inuitati fuerint ab aliis Episcopis eius prouinciæ, statuit sancta Synodus: et id quidem decretum ob Eusebianos, eosdemque Arianos errones, qui longe a sedibus suis per diuersas prouincias ex animi sententia vagarentur: inter quos Vrsacius & Valens erant, qui cum in Mysia & Pannonia sedes haberent, semper extra prouinciam cum impietatis socijs inuenti sunt. Sed quod ad hæc spectat; ambitiosis quoque illis Episcopis obuiatum est [h], qui alienæ sedis cupidine, ad Episcopos aliarũ Ecclesiarum se cõferrent, in quibus diuturniores moras nectentes, ostentantes scientiam, frequentes ad populum conciones haberent, vt sic sibi omnium gratiam conciliarent, a quibus expetendi essent Episcopi, contemptui habito qui tunc eis præesset. Vetuit itaque sancta Synodus, ne Episcopo, nisi grauis vrgeret necessitas, vltra tres hebdomadas abesse liceret ab Ecclesia cui præfectus esset Antistes: sed si fundos in aliena diœcesi haberet, in illis liceret post tres hebdomadas commorari, si necessitas illic eum detineret. E

g Concil. Sardic. c. 2.
h Concil. Sardic. c. 14. 15.

Horum

A Horum quoque causa illud videtur adiectum [a]; vt si quis in iudicio comprouincialium Episcoporum se iniuste damnatum putet, liberum sit ei ad Romanum Pontificem prouocare: qui, vt libuerit, vel iudicata confirmet, vel denuo eamdem causam cognoscat. Quis enim non intelligat hæc occasione eorumdem Arianorum renouata fuisse: qui adeo indigne ferebant, cōdemnatos a se Episcopos Marcellum, Asclepam, Athanasium, Paulum, & alios, eosdemque sede depositos, per Iulium absolutos esse, & sedi pristinæ restitutos? Sed & quòd pendente Athanasij causa coram Iulio Romano Pontifice, Eusebiani qui eum condemnauerant, in eius locum, non expectata sententia ipsius Iulij, Gregorium Episcopum subrogauerāt: inde factum est, vt Gaudentius [b] Antistes suggereret, addendum esse decretum, ne liceret aliquem sufficere in locum damnati Episcopi, dum ille qui Romanum Pontificem appellasset, eius expectaret sententiam.

[a] Eod. Concil. c. 3.

[b] Ibid. c. 4.

B Ex Osij quoque rogatione statutum [c], vt vicinioris prouinciæ Episcopi supplerent Antistitum ordinationem, quos comprouinciales ordinare neglexerint. His etiam additum, ne fas esset in vicis & modicis ciuitatibus, quibus satis vnus presbyter esse possit, Episcopū ordinari: quod decretum ea de causa sancitum est, quòd Ariani Ischyram Episcopatu ad calumnias in Athanasium extruendas redemptum ab ijsdem, vt superius diximus, Episcopum suiipsius vici crearunt. Rursum per Osium [d] inculcatum est de Episcopis depositis appellantibus ad Romanum Pontificem, vt liberum sit eidem vel causam delegare finitimis Episcopis: aut, si velit, e latere presbyteros in prouinciam mittere.

[c] Concil. Sardic. c. 5. 6.

[d] Ibid. c. 7.

Suggerente quoque Grato Episcopo Carthaginensi, qui primus nominatus reperitur eius ciuitatis Antistes post Rufum qui successit Cæciliano, illud etiam in sancta Synodo definitum [e], ne liceret Episcopis ad Comitatum proficisci, ad Curiam scilicet vbi ageret Imperator, C nisi ab eodem Imperatore vocatis. Cum autem miserabilium personarum auxilium ab Ecclesia exposcentium incubuerit necessitas ab Imperatore indulgentiam, vel quod æquum est, obtinendi, harum preces ab Episcopo non esse despiciendas, sed vt per diaconum agat, qui acceptis quoque a Primate commendaticijs litteris, ad Imperatorem accedat, monuit S. Synodus. et si in Vrbem venire contingat, Romano Pontifici libellos precū aperiendos esse, definiit; qui cuncta prius examinet, & curet, si digna sibi visa fuerint, vt ad Comitatum magna diligentia perferantur. Additumq. his est ex suggestione Gaudentij, ne Episcopi qui in Canalio sunt, recipiant Antistites ad communionem, quos nō vocatos ab Imperatore, vel absque litteris Primatis contigerit proficisci ad Comitatum, carituros honore & dignitate, qui eo modo ad Imperatorem contenderent. Dicebantur autem Episcopi illi in Canalio constituti, qui sedes haberent in cursu publico, via scilicet qua equi publici per stationes singulas dispositi essent ad iter agendum, vt Imperatorum [f] rescripta declarant. Episcopi igitur peregrinos Antistites munitos litteris commendaticijs cum susciperent; legitimis illis inuentis, eisdē subscribere se soliti erant, & sic reliqui omnes penes quos in itinere hospitari contingeret. Ceterum ne eos reciperent, neque eorum subscriberent litteris, ad communionemve admitterent, qui carerent litteris primæ sedis Episcopi, admonuit sancta Synodus.

[e] Concil. Sardic. c. 8. 9. 10. 11. 12.

D

[f] l. 15. de cursu publ. C. Theod.

De ordinatione [g] quoque Episcoporum suggessit Osius, ne laicus postulatus Episcopus ordinari deberet, nisi in singulis Ecclesiasticis ordinibus prolixo tempore exercitatus atque probatus foret. Illud etiam suggessit [h] Osius, non debere clericum excommunicatum recipi ab alio Episcopo: iniuste autem ab Episcopo suo communione priuatus permittitur finitimorum Episcoporum iudicium implorare. Sed [i] & ne Antistes alienum clericum ordinet & suis locis præfiniat, fuit suggestio Ianuarij: horumq. ordinationem esse irritam, sancta Synodus confirmauit. E Ab Aetio [k] Episcopo Thessalonicæ de clericis diutius extra suas Ecclesias commorantibus exhibita querela est; de quibus Patres illud decreuerunt; ne iidem, sicut Episcopi, vltra tres hebdomadas a suis Ecclesiis abesse deberent: Nisi (quod Olympius Episcopus addidit) contingeret clericum ob fidei Catholicæ confessionem pati persecutionem, & ea causa expelli vel extorrem fieri.] hactenus de ijs quæ ad Ecclesiasticam disciplinam spectare visa sunt, Patres in Concilio Sardicensi. Quod autem in Latina editione habetur, eidem subscripsisse Episcopos centum vigintiunum, desideratur in Græcis exemplaribus, quæ extant apud Theodorum [l] eiusdem Synodi canonum interpretem, qui trecentos quadraginta & vnum Episcopos Sardicæ conuenisse, atque hæc decreuisse, testatur: deest tamen in Græcis exemplaribus canon decimusoctauus.

[g] Concil. Sardic. c. 15.

[h] Ibid. c. 16. 17.

[i] Ibid. c. 18. 19.

[k] Ibid. c. 20. 21.

[l] Theodor. Balsam. apud Nom. Phot. in præfat. ad Concil. Sardic.

Auctor est Dionysius cognomento Exiguus in epistola ad Stephanum Papam, quæ extat in Collectione Cresconiana, ipsum Sardicense Concilium a principio inter Latinos Latine editum esse: sed & Græce quoque scriptum a Græcis testatur Nicolaus Romanus Pontifex in

epistola

epiſtola ad Photium, cuius exordium eſt, Innumerabilium; dum ait: Quo modo autem non A eſſe apud vos Sardicenſes canones, tu ſolus aſtruere poteris, cum non ſolum a Latinæ, verum etiam cum aliis a Græcæ linguæ hominibus ſtatuti ſint & promulgati? qua de re credibile non eſt, quod ibi definitum eſt, vnumquęque ipſorum minime propria lingua tradidiſſe.] hæc ipſe.

PHOTII TVRPIS TERGIVERSATIO.

Quæ enim in ſacroſancto Oecumenico Sardicenſi Concilio ſiue in cauſis Epiſcoporum definita ſunt, ſiue ad diſciplinam Eccleſiaſticam componendam a Patribus conſtituta, eademq. ab vniuerſa Catholica Eccleſia accepta, atque obſeruationis vſu probata, ab vno Photio ignorari callide ſimulari, indigno paſſus eſt animo idem Romanus Pontifex, cuius iuſtiſſima extitit illa querela ſcribentis ad eumdem Photium Epiſcopum Conſtantinopolitanum: eſt eius epiſtolæ exordium: Poſtquàm beato Petro, &c.] cum ex præſcripto canonis Sardicenſis eius ordinationem illegitimã fuiſſe demonſtraret: quando ille ad eumdem Pontificem Romã reſcribens non reperiri apud ſe canones, turpiter mentitus eſt: quem rurſum idem Nicolaus his B quoque verbis compellat [a]: Quod vero dicitis, neque Sardicenſe Concilium, neque decreta alia vos habere ſanctorum Pontificum vel recipere; non facile nobis facultas credendi tribuitur; maxime cum Sardicenſe Concilium, quod penes vos in veſtris regionibus actum eſt, & omnis Eccleſia recepit: qua ratione conuenerat, vt hoc ſancta Conſtantinopolitana Eccleſia abiiceret, & (vt dignũ eſt) non retineret? Decretalia autẽ, quæ a ſanctis Põtificibus primæ ſedis Romanæ Eccleſiæ ſunt inſtituta, cuius auctoritate atque ſanctione omnes Synodi & ſancta Concilia roborantur, & ſtabilitatem ſumunt, cur vos non habere, vel obſeruare dicitis, niſi quia veſtræ ordinationi contradicunt, & ex laico ſubito ad culmen Patriarchatus tranſuolare reſiſtunt?]

a Nicol. Pontif. epiſt. 4. in vet. edit.

Quòd igitur ſentiret Photius ſuam ipſius ordinationem ex canone decimotertio Sardicenſis Concilij labefactari, ac penitus deſtrui, prohibente ne quis ex laico ad Epiſcopalem ſedem C abſq. diuturna in quolibet inferiore gradu exercitatione promoueretur: negabat veteratorie penes ſe reperiri canones Sardicenſes. Mira plane calliditas hominis verſipellis, & pudẽda tergiuerſatio, negantis eſſe Conſtantinopoli dictos canones, quos ipſemet in ſuo Nomocanone honoris cauſa crebro inter primos intexuit; et illius canonis Cõcilij Sardicenſis de his qui peram ex laicis fiunt Epiſcopi [b], idem ipſe meminit, cum alioqui & ceterorum eiuſdem Concilij canonum ſit apud eum in eodem ſuo ipſius commentario frequentiſſima mentio [c].

b Phot. Nomocan. tit. 1. c. 11.
c Tit. 1. c. 5. 6. 21. 26. Tit. 2. c. 11. Tit. 8. c. 2. 3. 4. 5. 7. Tit. 9. c. 5. 6. 10. 14. Tit. 10. c. 6. Tit. 13. c. 1.

DVO NAVFRAGIA CONCIL. SARDIC.

Sed & de Sardicenſi Synodo illud non omittendum: duplici ex cauſa haud leue paſſum eſſe naufragium: ac primum quidem quòd Marcellum Epiſcopum Ancyranum abſoluerit, qui compertus poſtea fuit eſſe hæreticus Sabellianus: vnde non parua occaſio patuit Arianis obloquendi in idem Concilium, in quo abſolutus fuiſſet, qui ab ipſis antea hæreſis damnatus eſſet, ac poſtea, qualis reuera exiſteret, fuiſſet compertus hæreticus, condemnatus quoque D deinde ſententia Athanaſij; de quo hæc Seuerus [d]: Interiecto deinde tempore Athanaſius, cum Marcellum parum ſanæ fidei eſſe, penitus comperiſſet, a communione ſuſpendit. Ceterum antea innocens, poſtea deprauatus, videri poterat etiam tum nocens fuiſſe, cum de eo fuerat iudicatum. Nacti igitur Ariani iſtiuſmodi occaſionem, conſpirant penitus, Sardicenſis Concilij decreta ſubuertere: etenim eis color quidam ſuppetere videbatur, quòd tam iniuſte fuiſſet pro Athanaſio iudicatum, quàm Marcellus fuerat abſolutus, qui nunc etiam Athanaſii iudicio hæreticus eſſe probaretur: namque Marcellus Sabellianæ hæreſis aſſertor extiterat.] hucuſque Seuerus.

d Seuer. hiſt. ſacr. lib. 2.

BASILIVS MAGNVS QVID DE MARCELLO.

At non tantum penes Arianos fuit querela iſta de Synodo Sardicenſi, ſed & viri Catholici magni nominis ea de re conqueſti ſunt, quòd Marcellus ſcilicet aliquando fuiſſet in communionem acceptus. Siquidem Baſilius [e] hæc de ipſo ſcripſit ad Athanaſium, cum libros ab E eodem Marcello conſcriptos legiſſet: Quæritur, inquit, & hoc a nonnullis illic (vt & nobis ipſis videtur neceſſario) vt Marcelli hæreſin illi, cum venerint, Legati ſcilicet a Romano Pontifice in Orientem miſſi, tamquam malam ac nociuam, & a ſana fide alienam exterminent. Quoniam ad hunc vſque diem in omnibus quas ſcribunt litteris, peſſime audientem quidem Arium ſurſum & deorſum verſantes, anathematizare atque ex Eccleſiis eliminare non ceſſant: Marcellum vero, qui ex diametro reſpondentem Ario impietatem attulit; atque contra eamdem Vnigeniti, diuinitatisq. eſſentiam impie egit, Verbique appellationem male vſurpauit; ne ſemel quidem accuſare videntur: quod Verbum quidem Vnigenitum vocari tradit ratione miniſterii & diſpenſationis, & quatenus in tempore natus prodiit: ceterum ad eum vnde egreſſus erat, reuerſum, nec ante egreſſum fuiſſe, nec poſt regreſſum ſubſiſtere. Et huius experimentum ac demonſtrationem reconditi apud me iniquæ illius ſyngraphæ libri continent. Attamen iſtum nequaquam reprobare viſi ſunt: et per hæc culpandi veniunt, vt qui ab initio illum

e Baſil. epiſt. 52.

A illum per ignorantiam veritatis in Ecclesiasticam etiam communionem receperint. Igitur & illius, vt decet, fieri mentionem, præsentia negotia exposcunt. Itaque ne occasionem habeant qui occasionem quærunt; ex eo quòd sanctitati tuæ coniungantur qui fide sani sunt: manifestandi sunt omnibus, qui ad veram fidem claudicant; et vt posthac cognoscamus consentientes; et non perinde atque in nocturna pugna, inter amicos & inimicos sine discrimine versemur.] hæc Basilius.

His plane declaratur nondum Marcellum eo tempore damnatum, sed quod ait Seuerus[a], postea ipsum ab Athanasio fuisse a communione suspensum, qui antehac inter Catholicos gloriose profitebatur; quippe qui cum vrgeretur ab aliquo, munitum se aiebat communicatione Iulij Romani Pontificis & Athanasij; testatur enim id S. Hieronymus, dum de eodem ait[b]: Marcellus Ancyranus Episcopus sub Constantio & Constante Principibus floruit, multaque diuersarum ὑποθέσεων scripsit volumina, & maxime aduersus Arianos. Feruntur contra hunc Asterii & Apollinarij libri, Sabellianæ eum hæresis arguentes: sed & Hilarius in septimo aduersus Arianos libro, nominis eius, quasi hæretici, meminit. Porro ille defendit, se non esse eius dogmatis, cuius accusatur, sed communione Iulij, & Athanasij, Romanæ & Alexandrinæ Vrbis Pontificum se esse munitum.] hactenus Hieronymus.

a Seuer. lib. 2.

MARCELLVS SERO COGNITVS AB ATHANASIO.

b Hieron. de scri ptor. Eccles. in Marcello.

B

Sic igitur Marcellus semper inter Orthodoxos Catholicam fidem profiteri conatus est; quippe qui primum omnium (vt diximus) in Concilio Nicæno vehementissime Arij hæresin oppugnauit: rursum Romæ, vt vidimus, apud Iulium causam dicens, id ipsum præstitit, cum edita fidei professione, se contraria illis sentire ab his quibus impugnabatur, cum Iulio, tum omni Ecclesiæ demonstrauit; quemadmodum postea in Sardicensi Concilio: in quo, inquiunt Patres in Synodali tunc scripta epistola[c] (vt hæc nunc necessario repetamus) Recitata sunt quoque scripta collegæ nostri in sacris Marcelli, & deprehensa est Eusebij dolosa vafricies. Quæ enim Marcellus per modum quæstionis tractauerat, ea tamquam ita esse profiteretur, calumniati sunt. Recitata quoque sunt in his quæstionibus quæ intercederent & subsequerentur, & inuenta est bona & recta fides viri. Non enim ex Maria (vt ipsi asseuerabant) Verbo Dei initium attribuit, neque finem eius regno constituit; sed regnum eius initio & fine carere, scriptis prodidit.] hæc de Marcelli causa in Synodo peruestigata Patres Concilij Sardicensis. quæ quidem cum ex aduerso pugnent his quæ ex scriptis eiusdem Marcelli sanctus Basilius ad sanctum Athanasium scripsit: manifestum redditur, alia a Marcello scripta esse, quibus ea tam absurda liquido explicarentur: vt nullum plane faciendum sit negotium Synodo Sardicensi, si quid post ipsam Marcellus impie delirauit, vel quod impie antea credidisset, occultauit: sicut nec adscribendum est Nicæno Concilio, cum Arium & Arianos vel hæresin occultantes, vel palinodiam recantantes & Catholicam fidem profitentes suscepit, cum iidem postea ad vomitum reuersi sunt. Porro ex illa ipsius Marcelli fidei professione Romæ facta coram Iulio, quam scripto edidit & in Orbe vulgari petiit (recitatur ipsa integra ab Epiphanio[d]) de his quæ cum ab Acacio Ariano, tum a sancto Basilio in eum scripta habentur, Marcellus immunis redditur: atque ob eam causam iniusta est expostulatio de Iulio, Athanasio, & Sardicensi Concilio, quòd Marcellum omni labe purgatum ex illa confessione ad communionem admiserint.

MARCELLVS DIV SVB CATHOLICO PALLIO LATVIT.

C

c Apud Athanas. Apolog. 2.

D

d Epiphan. hæres. 72.

Ceterum qui cuncta Marcelli accuratissime perscrutatus est Epiphanius, & quando de eo scripsit (vt ipse testatur) idem Marcellus nonnisi ante biennium e vita excesserat, affirmat de ipso varias fuisse diuersorum sententias: nam ait[e]: A quibusdam incessitur ex parte, veluti dixi, tamquam qui Sabellianorum nugas habuerit: quidam vero pro ipso rationem reddiderunt, non sic rem habere, sed recte ipsum vixisse, & recte ipsum quoque sensisse affirmarunt: quare multa de hoc quæstio fuit: et occulta quidem mentis Deo nota sunt.] hæc Epiphanius. quibus plane declarat ex prioribus Marcelli scriptis ipsum hæreticum fuisse, côuinci minime potuisse; secus autem ex his quæ postea edidit: sic enim subdit: Hic vero cum voluerit quædam diffusius apud quosdam dicere, declarauit se cum Sabellio sentire: quapropter etiam ipse inter hæreticos adnumeratus, ac confutatus est.] ita ipse, qui & rursus inferius ista ab eo fuisse emendata, Athanasij testimonio demonstrare videtur, cum ait: Interrogaui aliquando ipse beatum Papam Athanasium de hoc Marcello, quo modo de eo sentiret: ille neque ipsum defendit, neque rursum grauiter aduersus eum inuectus est: verum solum risu leui edito, ostendit, flagitium non magnum ipsum esse: sed habebat eum velut qui se purgasset.] ita Epiphanius: qui & inferius qualis esse soleret Marcelli professio & discipulorũ eius,

QVALIS CAVSA MARCELLI.

E

e Epiphan. hæres. 72.

quibus confessores & alij non immerito communionem impartirentur, & Athanasius quoque cum eisdem communicaret, declarat ex eorum epistola ad Episcopos confessores scripta, quam recitat, estq. huiusmodi [a] hac notata inscriptione: Fides Marcelli conscripta. A

a Epiphan. hæres. 72.

EPISTOLA DISCIPVLORVM MARCELLI.

Reuerendissimis ac sanctissimis Episcopis in Diocæsarea exulantibus propter Orthodoxam in Saluatorem nostrum Iesum Christum fidem Eulogio, Adelphio, Alexandro, Ammonio, Harpocrationi, Isaac, Isidoro, Annubioni, Piteno, Euphratio, Aaroni; Presbyteri in Ancyra Galatiæ Photinus, Eustathius, alius Photinus, Sigerius, & diaconus Hyginus, & hypodiaconus Heracides, & lector Elpidius, & præses Cyriacus in Domino gaudium.

Cum nos profecti fuerimus ad vestram pietatem a prædicta nostra patria debitam visitationem facientes: et cum nos interrogati simus a vestra sanctitate de fide nostra, quo modo hac parte habeamus: et susceperimus vestram eiusmodi solicitam interrogationem, quam maxime fecistis propter eos qui vane de nobis falsa diuulgare volunt: necessarium duximus, vos de hoc certiores facere, non solum ex ostensis vestræ sanctitati a nobis litteris, quas ad nos beatissimus Papa Athanasius socialiter ac familiariter scripsit, sed etiam ex hac nostra conscripta confessione, quòd neque sentimus, neque sensimus vmquam aliquid extra decretam in Nicæa vniuersalem & Ecclesiasticam fidem, quam sane confitemur nos potenter sentire, detestantes eos qui audent creaturam dicere Spiritumsanctum, & hæresin Arianam, Sabelliiq. ac Photini & Pauli Samosateni, & eos qui non dicunt sanctam Trinitatem, tres personas incircumscriptas, & in substantia existentes, & coessentiales, ac consempiternas, & perfectas; detestantes item eos qui dilatationem & contractionem, aut operationem Patris Filium dicunt, & eos qui Deum Verbum Filium Dei ante sæcula, & consempiternum Patri & in substantia, & perfectum Filium non confitentur. Si quis eumdem Patrem & Filium & Spiritumsanctum dicit, anathema sit. Si quis principium aut finem Filio Dei & Verbo, aut regno ipsius tribuit, anathema sit. Si quis partem Patris dicit Filium aut Spiritumsanctum, & non confiteatur Filium Dei ex existentia Patris ante omne consilium genitum esse, anathema sit.] hactenus eorum fidei professio in his quibus Marcellus impugnabatur, cui & subiecerunt Nicænum Symbolum, hisque omnibus singuli subscripserunt. B C

ABSQVE CVLPA AVICAPTA COMMVNICATIO MARCELLI.

Cum hac igitur prodita ab eo ac suisipsius discipulis fide, cum Athanasius tum Iulius & Patres omnes in Sardicensi Concilio eis communicassent, nulla horum potuit esse culpa, quam Ariani ad explodendum idem Concilium iactabant. Verum non modicam Marcello inussit notam Photini eius discipuli execranda impietas, necnon vulgata ab Arianis in deteriorem partem accepta scripta Marcelli, & quòd eiusdem discipuli postea (vt idem testatur Epiphanius [b]) tres in Trinitate subsistentias confiteri minime voluerunt: nam ait: Verum qui ab ipso facti sunt & instructi, qui illius mentem ignorant, & non veritatem illius recensent, neque tres subsistentias confiteri voluerunt, quemadmodum habet veritas.] Sic igitur & ex his factum est, vt Marcelli quoque nomen apud posteros pessime audiret, cum præsertim in eum tum Basilius, tum Hilarius visi sint sæpius declamasse, & S. Ioannes Chrysostomus [c] coniungat eum Photino atque Sophronio, qui Verbum ab humanitate Christi separabant. Sed & Theodoretus [d] eamdem ipsi impingit hæresin, & alij omnes recentiores. Ariani igitur eadem de Marcello diffamantes, in Sardicensem Synodum, a qua fuerat absolutus, labem criminis conuerterunt, vt eam redderent omnibus contemptibilem. D

b Epiphan. hæres. 73.

c Chrysost. hom. 6. in epist. Paul. ad Philippens.

d Theodoret. hæret. fab. lib. 2.

ARIANI VSVRPANT NOMEN CONCIL. SARD.

Accessit & ad Sardicense Concilium illud quoque naufragium, quo mira Arianorum calliditate factum est, vt illud Orthodoxis execrabile fieret: cum scilicet iidem ipsi Sardica fuga lapsi, seorsum cum suis egerunt Conciliabulum, quod & Sardicensis Concilij nomine honestarunt, taliq. indito titulo per Christiani Orbis prouincias vulgauerunt: additæ sunt vires mendacio, cum sequuta Constantis morte, & Constantio Arianorum patrono vbique regnante, veritas depressa, & impostura est potentia Principis roborata: adeo vt illud tantum Sardicense Concilium omnibus in locis peruulgaretur, quod confectum constaret ab Arianis: multique nescientes duplicis esse generis Concilium Sardicense, audientes illud collectum ex Arianis, nec in aures admitterent, sed penitus ipsum refertum impietate putantes execrarentur: vt accidisse nouimus S. Augustino, quod suo loco proxime dicturi sumus. E

CONCILIABVLVM DICTVM SARDICENSE.

e Socrat. lib. 2. c. 16.

Nunc autem quæ ab antiquioribus de eiusmodi Conuenticulo hoc eodem anno ab Arianis celebrato scripta habentur, in mediũ adducamus, atque in primis quæ paucis complexus est Socrates [e] sic dicens: Episcopi Orientales confestim decedunt: cumque ventum esset ad vrbem Philippi, quæ est in Thracia, priuatim inter ipsos Conc lium constituere: de cetero aperte verbum Consubstantiale anathemate damnare; opinionemq. quòd Filius Patris dissimilis esset,

A per litteras scriptas vbique disseminare cœperunt.] additque Sozomenus [a] de iisdem hæc etiam: Separatim (inquit) per se in vnum coacti, Acta contraria sanxerunt. Quare Episcopi Orientis, decretis suis, quæ de Athanasio, Paulo, Marcello, & Asclepa ediderant, stabilitis: primum omnium Iulium Episcopum Romanum, quòd primus omnium cum istis communicauerat, deinde Osium confessorem cum propter eamdem causam, tum propterea quòd amicus fuerat Paulino & Eustathio, qui Ecclesiæ Antiochenæ Antistites fuissent, deinceps Maximum * Treueris Episcopum, quòd primus cum Paulo communicauerat, & eius Constantinopolim reuersionis auctor extiterat, & Episcopis ex Oriente in Galliam profectis Ecclesiæ communione interdixerat, abdicarunt.

[a] Sozom. lib. 3. c. 10.

* Maximinum

Præter istos abdicarunt etiam Protogenem Episcopum Sardicensem, & Gaudentium; alterum quidem, quòd Marcelli susceperat patrocinium, quem ante suffragio condemnauerat:
B Gaudentium autem, quòd contrario studio ducebatur, quàm Cyriacus, cui successerat, & magnifaciebat eos quos ille abdicauerat. Hæc cum decreuissent; omnibus Episcopis per litteras significarunt ad eum finem, vt istos neque in communionem admitterent, neque scriberent ad eos, neque litteras ab illis scriptas reciperent. De Deo autem eo modo sentire iubebant, quo formula fidei epistolæ subiuncta præscriberet: quæ vt nullam verbi Consubstantialis fecit mentionem, sic illis communione Ecclesiæ interdixit, qui dicerent tres Deos esse, aut Christum non esse Deum, aut Patrem & Filium & Spiritumsanctum eumdem esse, aut Filium ingenitum, aut tempus sæculumve fuisse, quando non erat.] hucusque de Arianorum decretis in pseudosynodo ab illis habita.

ARIANI PRIMVM AVSI EXCOMMVNICARE ROM. PONT.

Hic primum furor hæreticæ prauitatis terminos omnes præsumptæ ab alijs temeritatis excessit. Ausa enim est Ariana procacia illud nefas, quod vel attingere quælibet execranda hæ-
C resis hactenus sibi inconcessum putauit. Quæuis namque classes sceleratorum & factiosorum hæreticorum per omnia retro sæcula præcesserunt, quantumlibet lacessitæ atque exagitatæ sibi visæ essent a primæ sedis Episcopo, Romanæ inquam Ecclesiæ Pontifice: nullus vmquam ex ipsis, licet perditissimus habitus hæreticus fuerit, eo peruenit audaciæ, vt quantumlibet prouocatus, & vt sibi videbatur iniuriam passus, quòd ab eo damnatus atque depositus esset, in ipsum Romanum Pontificem ausus sit ferre sententiam: quod impudens & execrandum facinus Ariani, omne veritatis & æquitatis asylum furioso impetu irrumpentes, modo aggressi sunt pertentare, dum in Iulium Papam æque ac alios Catholicæ communionis Episcopos sententiam excommunicationis procaciter intulerunt; et quibus iuste percussi sunt iaculis anathematis, eadem ipsi violenti in percussores petulanter intorserunt, dum instar canum furunt in petram, eamque dentibus frustra corrodunt, cuius ictu se esse læ-
D sos oblatrant.

NOVA FIDEI PROFESSIO AB ARIANIS EDITA.

Sed quòd alia furore insanientes, alia vero dolo fallentes in suo ipsorum Conuenticulo perpetrarunt: nouam ibi post quatuor alias ante ab eis editas cuderunt fidei regulam, deformeque monstrum honesto Sardicensis Concilij nomine decorarunt: id quidem primum demonstratum est superius ad Antiochenos scribentis Athanasij testimonio, atque testantis non esse omnino Sardicensis Concilij, quæ eiusdem Sardicensis Synodi nomine circumferrētur tabellæ de fide conscriptæ. Quod & impudenter professi sunt iidem Ariani in congregato ab ipsis Concilio Ancyrano, cum in epistola Synodali ex eo Conuentu ab eis tunc scripta recensentes Synodos a se diuersis in locis ac temporibus actas, hæc habent [b]: Sancta Synodus Ancyrana.] ac paulo post: Optamus quidem post tentationis Ecclesiasticæ fidei tormentum, quod velut in igne factum est ijs qui pro fide in medio fuerunt (taxare videntur Nicænum
E Concilium) & post ea quæ Constantinopoli facta sunt propter Marcellum, & post editionem fidei in Synodo congregata ob festum dedicationis Ecclesiæ Antiochiæ, & post ea quæ facta sunt in Sardicensi Synodo, & fidem quæ illic effloruit, & amplius post ea quæ Sirmij propter Photinum facta sunt in his recantationibus, quas ob singula de fide capita interrogati de ijs, qui in Sardica aduersus Orientem dissenserunt, exposuimus, de cetero conquiescere, &c.]

[b] Apud Epiph. hæres. 73.

Vides igitur, ab eisdem auctoribus iactari esse conscriptam fidem Sardicensem, qui conuenerant Constantinopoli, a quibus actus est in exiliū Athanasius, & dānatus Marcellus, & qui interfuerunt Synodo Antiochenæ in Encænijs celebratæ, ex qua missus est Gregorius Episcopus in locum Athanasij Alexandriam, necnon ab his qui postea Sirmij aduersus Photinum conuenerunt: de quo Arianorum Conuentu plura suo loco dicturi sumus: sed & cum in eadem ab ipsis scripta epistola inferius dicatur, eumdem esse receptum in eadem Synodo Sirmiensi; fa-

tis perspicue demonstratur, quorumnam & a quibus conscripta & edita fuerit fidei professio Sardicensis: vt de his nulla dubitatio esse possit, impostores qui Philippis hoc anno conuenerunt Ariani, eam quam scripserunt fidei formulam edidisse nomine Concilij Sardicensis. A

Extat eadem ipsa fidei formula, Sardicensis Synodi nomine insignita, qua iidem Ariani licet a professione Nicæna deflexerint, non recipientes nomen Consubstantialitatis in Dei Filio; tamen quo se abhorrere ab hæresi Ariana monstrarent, positiones quasdam Arij damnauerunt: ex quo id lucri apud nonnullos consequuti sunt, vt Semiariani fuerint nominati [a]. Ex argumento autem eorumdem tunc scriptæ fidei e Sozomeno nuper recitato, plane eadem ipsa esse conspicitur, quæ a S. Hilario recensetur his verbis [b]:

[a] Epiphan. hæres. 73.
[b] Hilar. lib. de Synod.

SARDICENSIS CONCIL. NOMINE EDITA NOVA FIDEI FORMVLA.

Sancta Synodus in Sardica congregata ex diuersis prouincijs Orientalium partium, Thebaide, Aegypto, Palæstina, Arabia, Phœnice, Syria Cœle, Mesopotamia, Cilicia, Cappadocia, Ponto, Paphlagonia, Galatia, Bithynia, Hellesponto, Asia, Phrygijs duabus, Pisidia, Cycladũ insularum, Pamphilia, Caria, Lydia, Europa, Thracia, Emimonto, Massilia, cum Mysia, Pãnoniis duabus, hanc exposuimus fidem.] hæc illius inscriptio. Vides ex his plane Arianam cum dolo iactantiam: qui enim semel mentiendo vnius ciuitatis suffurati sunt nomen, vt diceretur ab eis scripta fides, professio Sardicensis, non sunt veriti prouinciarum quoque sibi tot nomina vendicare, & plures nominare prouincias, quàm essent Episcopi. Porro eorum professio melle illita sic se habet, ab eodem S. Hilario recitata: B

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem creatorem & factorem vniuersorum, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Credimus & in vnigenitum eius Filium Dominum nostrum Iesum Christum, qui ante omnia sæcula ex Patre genitus est, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine: per quem facta sunt omnia & quæ in cælis & quæ in terra, visibilia & inuisibilia: qui est Verbum, & Sapientia, & Virtus, & Vita, & Lumen verum. Et qui in nouissimis diebus propter nos incarnatus est, natus ex sancta Virgine: qui crucifixus, & mortuus, & sepultus est: resurrexit ex mortuis tertia die, & receptus est in cælo, & sedet in dextera Patris, venturus iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuique secundum opera eius: cuius regnum sine cessatione permanet per immensa sæcula: sedet enim in dextera Patris non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Credimus & in Spiritumsanctum, hoc est Paracletum, quem promittens Apostolis post reditum in cælos, misit docere eos, ac memorari omnia, per quem & sanctificantur sinceriter in eum credentium animæ. Eos autem qui credunt de non extantibus esse Filium Dei, vel ex alia substantia, & non ex Deo; et quod erat aliquando tempus, aut sæculum, quando non erat; alienos nouit sancta & Catholica Ecclesia. Similiter & eos qui dicunt tres esse Deos, vel Christum non esse Deum, & ante sæcula neque Christum, neque Filium eum esse Dei, vel eum ipsum esse Patrem, & Filium, & Spiritumsanctum, vel innascibilem Filium, vel quod neque consilio neque voluntate Pater genuerit Filium, anathematizat sancta & Catholica Ecclesia.] hactenus eorum professio Sardicensis, ac plane vera, vt eam interpretatus demonstrat sanctus Hilarius: sed quæ tamen reiiciens nomen Consubstantialitatis imperfecta censeretur. C D

Semiarianos enim se, essentialem Filium cum Patre, non autem coessentialem esse, profiteri velle, testatos esse, S. Epiphanius [c] tradit; de quibus ait, eos tamquam ludiones in scena decipere conatos fuisse Fideles, superinducentes aliam suo ipsorum vultui personam, qua se Arij præseferrent hostes, & fidei Catholicæ professores; cum tamen intus Arium haberent inclusum, & deformius monstrum concepissent, quod postea pepererunt, cum negarunt palam Spiritumsanctum esse Deum. Quales igitur essent eorum fidei professiones, quibus cum Antiochiæ sæpe, tum hic Filio Dei tribuerunt diuinam substantiam, exitus comprobauit: quiduis enim potius dicere parati erant, dummodo prætermitterent Consubstantialitatem Filij cum Patre, optime scientes (quod superius ex Athanasio est pluribus demonstratum) hoc vno relicto ad inuadendam Nicænam fidem foramine, ad omnem protinus superinducendam impietatẽ fore sibi aditum patefactum. Huius autẽ strophæ architectos fuisse Georgium Laodicensem, & Basilium Ancyranum, idem qui supra Epiphanius tradit, extitisseque eorum illas voces: Nos non dicimus Coessentialem Filium, sed Essentialem.] Horum quoque Semiarianorum fuisse Synodos, Antiochenam in Encænijs, Sirmianam, Ancyranam, & quam Philippopoli Thraciæ congregatunt, necnon Sardicensem, de qua egimus, nominatam, idem auctor inferius docet. E

[c] Epiphan. hæres. 73.

SEMIARIANORVM SVBDOLA PROFESSIO.

Hic

A Hic autem obiter, antequàm vlterius progrediamur, admonendum lectorem putamus, non sic quidem, siue Antiochenam, siue Sardicensem, vel alias ab Arianis conscriptas fidei professiones ab Hilario probari, vt neget eas ab eisdem Arianis esse confectas, vel illas ipsas Catholicæ Ecclesiæ vtendas proponat: nam quæ eius instituti ratio fuerit, ipso prope exordio sui de Synodis commentarij, idem monet his verbis rescribens ad Gallos[a]: Obsequor igitur charitatis vestræ impatientissimæ voluntati: et omnes fides quæ post sanctam Synodum Nicænam diuersis temporibus & locis editæ sunt, cum sententiarum omnium atque etiam verborum additis per me expositionibus, destinaui. In quibus si quid vitiosum inesse intelligetur, nemo mihi vitium potest assignare dictorum: internuncius enim, vt voluistis, sum ipse, & non conditor. Si quid vero rectum atque ex doctrinis Apostolicis deprehendetur: nemo ambigit, non interpretantis in eo esse gloriam, sed auctoris. Ego tamen, quæ gesta sunt, fideliter B transmisi: vos, an Catholica, an hæretica sint, fidei vestræ iudicio comprobate.] hæc Hilarius, qui tamen nihil disputat a quibus eædem singulæ editæ sint, vel qua occasione, qua ve mente compositæ fuerint: nec nisi quæ aperte aduersaria sensit esse Catholicæ fidei, voluit redarguere. *HILARII INSTITUTI RATIO.* *a Hilar. de Synod.*

Fortasse eo quoque cōsilio illas non dānat fidei professiones, in quibus vna Filij cum Patre substantia prędicatur, licet sciuerit ab Arianis esse cōscriptas: vt eosdē in deterius declinantes, adea quæ prius edidissent, reducere posset. Quod & S. Athanasius fecisse videtur, qui & ipse scribens librum de Synodis, quas sciret ab Arianis diuersis temporibus & locis scriptas, refert; quos tamen in Cōcilio Seleuciæ reijcientes nomen Consubstantialis, & similis substantiæ Filij cum Patre, idem prouocat ad eam quam scripsissent ipsimet fidem in Cōcilio Antiocheno in Encænijs celebrato, vbi tum ingenue confessi fuissent Filiúm eiusdem cum Patre esse sub- C stantiæ. Ceterum non ipse tantum Athanasius nouit suspectum esse substantiæ nomen in hæreticorum professionibus, ac proinde haud illis acquiescendum, nisi & consubstantialitatem Filij cum Patre profiterētur: verum eodē quoque modo Hilarius de ijsdē sentit dicto libro de Synodis, cum inferius ait[b]: Multi ex nobis, fratres carissimi, ita vnam substantiam Patris & Filij prædicant, vt videri possint, non magis id pie, quàm impie prædicare: habet enim hoc verbum in se & fidei conscientiam & fraudem paratam, &c.] at quonam modo id accidat, pluribus docet. Hæc igitur voluimus inculcasse, vt quisque intelligat Hilarij consilium de interpretatione fidei Sardicensis: nam quantumlibet vera esse demonstrari potuisset; ex eo tamen quòd vocem Consubstantialitatis non admittit, vt minus integra, ac proinde dolosa, ab Ecclesia Catholica respuenda esset. *ATHANASII INSTITUTE RATIO.* *b Hilar. de Synod.*

At non iidem tantum Ariani Episcopi seorsum Conuenticulum Philippopoli (vt dictum D est) agentes, suæ ipsorum fidei professioni indiderunt nomen Concilii Sardicensis; sed etiam scriptis ab eis ad diuersos Synodalibus epistolis, easdem a Conuentu Sardicensi datas esse, ipsa inscriptione profitebantur: exciderunt ipsæ litteræ: extat tamen memoria, eosdem tunc dedisse litteras ad Donatum Carthaginensem Episcopum Donatistarum schismaticorum. Quòd enim scissent ex parte Catholicorum Antistitum Afrorum interfuisse Concilio Sardicensi Gratum Carthaginensem Episcopum Catholicæ communicationis: ipsi Ariani aduersariam partem, nempe schismaticos Donatistas scriptis ex ea Synodo epistolis sibi conciliare conati sunt. Vnde Cresconius Donatista, cum probare niteretur, ipsos cum Orientalibus communione fuisse coniunctos, litteras prodidit Concilii Sardicensis ad Donatum conscriptas. in quem sanctus Augustinus illud iure obiicit, Concilium illud ab Arianis fuisse collectum, cum hæc in Cresconium ait[c]: Sed Orientales, quos modo nostros esse concedis, non E latuisse hoc facinus dicis; atque vt hoc probes, inseris principiū epistolæ Concilii Sardicensis, vbi Donati Carthaginis Episcopi vestri nomen inuenitur adscriptum. Quod ideo factum putas & affirmas, quòd videlicet Orientalibus, qui de Concilio suo hæc scripta miserunt, facinus displicuerit Traditorum, & ab eorum se communione retraxerint, & propterea Donato vestro communicabant. Disce ergo quod nescis: Sardicense Concilium Arianorum fuit, quod notum iamdiu est, vt habemus in manibus contractum, maxime contra Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum, qui eorum errorem ex ipsa ciuitate ortum præ ceteris acriter arguebat, & refellebat. Non igitur mirum, si illi hæretici Donatum sibi adsciscere tentauerunt, quos per totum Orbem Catholica damnabat Ecclesia: quamquam nos sine ciuitatum nominibus Episcopos, ad quos hæ litteræ datæ sunt, habeamus.] *ARIANORUM SYNODALES EPISTOLAS EX CONCIL. SARD.* *ARIANI CONATI SUNT SIBI DONATISTAS.* *c August. contra Crescon. lib. 3. c. 34.*

Idem alibi scribens ad Eleusium & socios, hæc eodem habet argumento fusius enarrata his verbis[d]: Tunc protulit quoddā volumen, vbi volebat ostendere Sardicense Cōcilium ad Epi- *d Aug. epist. 163.*

scopos Afros, qui erant communionis Donati, dedisse litteras. Quod cũ legeretur, audiuimus A Donati nomen inter ceteros Episcopos, quibus illi scripserãt. Itaque flagitare cœpimus, vt doceretur, vtrum ipse esset Donatus, de cuius parte isti cognominantur: fieri enim potuisse, vt alicui Donato alterius hæresis Episcopo scripserint, cum maxime in illis nominibus nec Africæ mentio facta fuerit.] et paulo post: Sane quoniam nescio quando audieramus, Arianos, cum a communione Catholica discrepassent, Donatistas in Africa sibi sociare tentasse: ad aurem mihi hoc ipsum frater Alypius suggessit. Tunc accepto ipso volumine, eiusdem Concilij statuta considerans, legi Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum, cuius maxime aduersus Arianos acerrimarum disputationum conflictus eminuit, & Iulium Ecclesiæ Romanæ Episcopum, nihilominus Catholicum, illo Concilio Sardicensi fuisse improbatos. Vnde apud nos constitit, Arianorum fuisse Concilium, quibus isti Episcopi Catholici vehementissime resistebant. Itaque ad diligentiorem etiam temporum discussionem voluimus ipsum B volumen accipere, atque auferre nobiscum: qui noluit dare, &c.] At non fefellit Augustinum, illum ipsum, ex quo litteræ datæ erant, fuisse Arianum Conuentum, Sardicensem ab ipsis nuncupatum: ac iure quidem excepit, Sardicense quod citabatur, extitisse Arianorum Concilium.

S. AVGVSTINVS PRAETERIIT CONCIL. SARD. LEGITIMVM.

Ceterum satis liquet, ipsum Augustinum præterijsse legitimum ac verum Sardicense Concilium; nec ipsum tantum, sed & collegam Alypium, aliosq. Catholicos, qui in eodem Consessu erant Episcopi, illud ipsum ignorasse: cum nemo ex eis quodnam germanum quodve spurium & mentitum nomine fuerit Concilium Sardicense, necessariam adhibuerit distinctionẽ, & ex canonibus atque subscriptione ceterisq. Actis legitimis Concilij Sardicensis vendicare studuerint sibi certam cõmunicationem totius Catholici Orbis, quam Donatistæ nominatione tantum Donati ex commenticio titulo litterarum Arianorum sibi adsciscere satagebant. C Istud ipsum est, quod admirari non desino: quonam pacto accidisse potuerit, vt verum atque sincerum Concilium Sardicense Catholicos Africanæ Ecclesiæ Episcopos præterierit, eodem ferme sæculo quo fuerat celebratũ, cui interfuisset Gratus Episcopus Carthaginensis, ille ipse cuius est frequens mentio in primo Concilio Carthaginensi anno sequenti coacto: cum & Athanasii testificatione exploratum habeatur [a], vna cum Grato trigintaquinque eiusdẽ Africanæ Ecclesiæ Episcopos eidem Synodo Sardicensi præsto fuisse, ac pariter eam suo ipsorum chirographo muniuisse, quorum singulorum nomina ab eodem Athanasio recensentur. Nec est quòd quis vel fingere saltem possit, omnes Episcopos illos in reditu naufragio perijsse, & vna cum eis Acta Sardicensia pariter interiisse: nam in nuper citato Concilio primo Carthaginensi mentio habetur eiusdem Synodi Sardicensis, ex ipsius Grati suggestione: ibi enim sic legitur [b]: Gratus Episcopus dixit: Hæc obseruantia pacem custodit: nam & memini in sanD ctissimo Concilio Sardicensi statutum, vt nemo alterius plebis hominem vsurpet: sed si forte erit necessarius, petat a collega suo, & per consensum habeat.]

a Athanas. Apolog. 2.

b Concil. 1. Carthag. c. 5. tom. 1. Concil.

Cum igitur ex ipsis publicis Ecclesiæ Africanæ monumentis satis compertũ habeatur, innotuisse Afris Catholicæ communionis Episcopis germanum legitimumque Concilium Sardicense: quo modo accidit, vt memoriam posterorum illud ipsum penitus fugerit, cuius saltem nomen in eiusdem Ecclesiæ chartis publicis, in ipsorum inquam primo Concilio Carthaginensi disertis notis reperiretur expressum? Quo modo inquam idipsum tunc S. Augustinum præteriit, vel forte dissimulandum putauit? Et quonam pacto, quæso, tam libere atque secure absque distinctione aliqua interposita, absolute dixit Concilium Sardicense ab Arianis fuisse collectum, quod & ex eius Actis nisus est accurate probare; si in primo Conuentu Carthaginensi citatum haberetur a Grato totius Africanæ Ecclesiæ, Catholicæ communionis Primate E Episcopo Concilium Sardicense? Frequenter hic per eamdem lineam admirabunda nostra (vt sentio) sæpe recurrit oratio, hæret in salebris, & quo tandem euadat, ignorat: cum plane nefas sit, tantum Ecclesiæ magistrum ignorasse Ecclesiasticos canones, suspicari. Quamuis enim ipse testetur de suo tyrocinio, cum fuit ab Aurelio adhuc viuente institutus Episcopus [c], se ignorasse Nicænos canones: iam vero factum senem, & in controuersijs de rebus atque dogmatibus Ecclesiasticis semper versatum, omnia oportuit Concilia scripta euoluisse, & archiua referasse.

c Aug. epist. 110.

CONCILIVM SARDICENSE PRISVM IACTVRAM IN AFRICA.

Quamobrem nihil est quod in hac tanta rerum ambage æquius existimare possimus, nisi ex tot tantisq. inuasionibus atque grassationibus a Donatistis aduersus Catholicos sæpe conflatis, factam esse iacturam Sardicensium canonum, vel aliquo alio casu nobis incomperto eosdem penitus excidisse, ipsumque primum Carthaginense Concilium eo tempore latuisse. Quod quidem maxime deplorandum fuit: nam eorũ ignoratione discordiæ illæ Africanorum Episcopo-

A Episcoporum cum Zosimo & Bonifacio Romanis Pontificibus semel exortæ, & magno scandalo in immensum auctæ, eorumdem Sardicensium canonum certa scientia componi atque prorsus sedari protinus valuissent: quo modo enim refragati essent canonibus Oecumenici Sardicensis Concilij, Nicæno hac ex parte nihil minus habentis? Immo si numero tantum res agenda fuisset: hoc illi præstaret, cui & ex Africa præsertim plures Episcopi subscripsissent: illi enim vnus Cæcilianus Antistes Carthaginensis præsens fuisse legitur: Sardicensi vero vna cum Grato Episcopo Carthaginensi Antistites numero trigintasex reperiuntur subscripti. Vnde illud accidit infortunium, vt Sardicensium canonum iactura, vniuersa propemodum Ecclesia Africana in maximum illud fuerit discrimen adducta, parumque abfuerit quin diro schismate ab ipsa Romana Ecclesia scinderetur. Inter immensas porro illas dissensiones, numquam abruptum inter eas fuisse vinculum Catholicæ communionis, suo loco dicemus.

B At quod nos in maiorem admirationem ac plane stuporem adducit, illud est: Quo modo acciderit [a], vt Zosimus & Bonifacius Romani Pontifices per Legatos a se in Africam missos in causa Apiani presbyteri, canones Oecumenici Concilij Sardicensis citauerint nomine Nicænæ Synodi, vt constat ex litteris Concilij Africani ad eumdem Bonifacium redditis [b]. Nulla equidem in primis in his de dolo malo & impostura potest esse suspicio, cum æqui ponderis essent canones Concilij Sardicensis, atque Nicæni; nam vtrumque Concilium, vt diximus, Oecumenicum fuit, & æque ex hoc atque illo conuincendi necessario fuissent Africani Episcopi; qui tunc sane resilierunt, cum ex Nicæno Concilio citatos canones, inter eos qui extarent, minime repererunt. Cum igitur omnis prorsus ratio cesset suspicionis de impostura: alterum de duobus contigisse oportuit; vel sicut plures alios, Nicæni Concilij canones repetitos esse in Sardicensi Conuentu (quod superius est demonstratum) & ab ipso Nicæno

C Concilio, sicut alios multos, excidisse, in Romano autem codice integros conseruatos fuisse: Vel quòd in vulgato eodē codice, qui Romanæ Ecclesiæ vsui esset, ab aliquo canonum Collectore, quòd sciret nomen Concilij Sardicensis ab Arianis esse magnopere infamarū, absque titulo Synodi Sardicensis, eosdem canones Concilij æque Oecumenici collocatos fuisse diximus sub canonibus Nicænæ Synodi; sicque accidisse, eosdem citari sub nomine Nicæni Concilij, quod verisimilius contigisse videtur. At de Sardicensis Concilij canonibus hactenus. Misit demum sancta Synodus legationē Antiochiam ad Constantium Imperatorem ibi agentem, quæ peteret vt absoluti a Synodo Episcopi exules suam ipsorum sedem singuli absque Arianorum impedimento recipere possent. Quid autem ea legatione actum sit, dicendum anno sequenti, quo ijdem missi esse videntur.

a Concil. Carthag. 6. c. 3.
b Concil. Africano c. 101.

QVOMODO CONFVSI CANONES NICÆNI CVM SARDICENSIBVS.

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII CONSTANTIS IMPP.
348.	12.	12.

D

QVi sequitur annus Christi trecentesimus quadragesimusoctauus, Flauio Philippo & Flauio Sallea Consulibus annotatur: quo legatio a Concilio Sardicensi ad Imperatorem Constantium Antiochiæ tunc degētem peruenit prope Paschale tempus, vt ex iis quæ dicemus inferius ex Athanasio demonstrabitur: circa finem enim anni superioris, antequam Synodus solueretur, eam fuisse decretam, ipsos vero Legatos transacta hieme, mox vna Antiochiam ad Imperatorem nauigasse, apparet. Delecti ad hoc munus fuerunt Legati Vincentius Episcopus Capuæ in Campania, vir clarissimus, & in Concilio Nicæno ob perfun-

E ctam tum Apostolicæ sedis legationem magna laude versatus, & Euphrates Episcopus Coloniæ Agrippinæ, de quo plura superius. Antequàm vero Sardicensem legationē narratione prosequamur; quæ interim & postea perpetrata sint scelera ab Arianis Episcopis, postquàm dimisso Conuenticulo ad propria remearunt, hic rerum ordine sunt enarranda ex Athanasij epistola, qui accurate, licet summatim res ab eis gestas persequutus est, his scilicet verbis [c]:

LEGATIO EX CONCIL. SARDICENSI AD CONSTANTIVM IMP.

c Athanas. epist. ad solitar.

Qui autem exauctorari erant (nempe a sancta Synodo Sardicensi nominati superius Episcopi Ariani) cum æquum esset vt sic quiescerent; vnaque cum iis, qui tam fœda fuga recesserant, ea inabeundo designarunt, vt priora omnia facinora pro minimis æstimes. Cum enim eorum communionem, vt fugientium a Synodo & noxiorum, Hadrianopolitani auersarentur, rem detulerunt ad Imperatorem Constantium; effecereque, vt illi e loco, Fabrica cognomine, more laicorum, capitibus truncarentur, administro in istis rebus Philagrio, præsente quoque & ibi Comite. Huius rei monumenta ante vrbem consistunt, quæ nos inter præterem-

ARIANORVM SCELERA POST CONCIL. SARD.

prætereundum vidimus: idque ideo fecere, quòd eo modo fugam suam se, ne sycophantæ A
haberentur, corrigere posse existimarent. Imperatore vero prompto ad omnia quæ ipsi vellent, effecere, vt ab Alexandria in Armeniam duo presbyteri & tres diaconi relegarentur. Arium* porro & Asterium, alterum in Petra Palæstinæ, alterum in Petra Arabiæ Episcopum, qui ab ipsis desciuerant, non solum in superiorem Africam relegarunt, sed vt contumelias paterentur, operam dedere. Lucij porro Hadrianopoleos Episcopi manus, ceruicemque, plurima aduersus ipsos animositate vtentis, & impietatem redarguentis, iterum vti prius, ferro vinxerunt, vinctumque in exilium deportarunt; ibique, quod ipsos minime latet, extinctus est.]

* Macarium

EPISCOPI MARTYRES ET CONFESSORES.

Porro cum Lucij, tum reliquorum Hadrianopolitanorum martyrum tunc passorum natalis dies anniuersaria commemoratione tertio Idus Februarij in Ecclesia Catholica celebratur[a]: sed & Macarij, qui alias Arius dictus reperitur Episcopus Petræ in Palæstina, natalis B
dies[b] annua memoria duodecimo Kalendas Iulij in Ecclesia colitur; itemque Asterij Episcopi Petræ in Arabia quarto Idus Iunij natalis dies recurrit anniuersaria, Ecclesiasticis monumētis adscripta. Verum & de alijs Catholicis Episcopis tūc ab Arianis dire exagitatis subdit hæc Athanasius: Diodorum quoque Episcopum sua sede expulerunt: Olympium item ex Aenis, & Theophilum ex Traianopoli, ambos Episcopos Thraciæ, bonos & Orthodoxos viros, infensos hæresi, calumnijs appetiuerunt, semel quidem cum ad Eusebianorum calumnias Constantius Imperator edictum misit; iterum autem, cum istius rei memoria ab Eusebianis refricata est. Habebat autem edictum, vt non solum e ciuitatibus & Ecclesijs eijcerentur, sed & capitali pœna, vbicumque inuenti essent, plecterentur. mirum quidem facinus, sed non alienum ab ipsorum moribus: siquidem non aliter, quàm Eusebij discipulos, Eusebianæque ferociæ successores decuit, sese gessere; adeo vt æque terribiles se in Thracia exhiberent, ac partes ipsorum Alexandriæ sese gesserant. C

a Martyrolog. Rom. die 11. Februar.
b Idē Rom. Martyrolog. dictis diebus.

PROHIBITI EPISCOPI CATHOLICI REDIRE AB EXSVLIBVS.

Curauere igitur edicta fieri, quibus portus & introitus ciuitatum obseruari iuberentur; ne quibus a Synodo concessum erat, reditus ad Ecclesias suas pateret; simulque diplomata ad Iudices Alexandrinos nominatim de Athanasio & presbyteris certis impetrauerunt, vt siue Athanasius, siue quisquam suorum vrbes aut fines illos ingredi deprehēderetur, capite id lueret. Ad eum modum Iudaica ista hæresis non solum Christum inficiari, sed etiam cædes facere condidicit. Verum ne hoc quidem satis fuit, vt quietem vellent: nam velut ipsorum hæreseos pater vt leo circuit, quærens quem deuoret; ita isti publici cursus facultatem nacti, ac proinde circumcursitantes, in quoscumque incidunt, qui vel fugam eorum carpunt, vel hæresin auersantur, eos dignis modis nunc flagris concidunt, nunc vinculis constringunt, nunc e natali solo exterminant. Tantus certe terror eorum hominum fuit, vt multos cogerint ad D
hæreseos simulationem; multosque eo metu affecere, vt maluerint in eremum fugere, quàm vel semel in illos incidere. hæc sunt post fugam eorum audaciæ & insaniæ facinora.] hæc ipse.

LEGATI EX SYNODO QVID ANTIOCHIAE PASSI.

His vero recēsitis ab Arianis post recessum Sardica perpetratis, idē Athanasius de his quæ Antiochiæ acciderunt Legatis a Synodo Sardicensi missis, huiuscemodi narrationem instituit: Quin & nouum quiddam mirumque designant, quod vt probe eorum hæresin decet, ita numquam prius auditum est; et tale, quod fortasse ne apud Gentiles quidem proteruiores, nedum apud Christianos futurum putes. Missis enim a sancto Concilio in legationem Episcopis, Vincentio Capuæ, quæ Metropolis est Campaniæ, & Euphrate Agrippinæ, quæ est Metropolis superioris Galliæ, vt pro Synodi decretis Imperator Constantius Episcopos, quos ipse eiecerat, in suas ædes reuerti pateretur; et in eam sententiam a Constante pientissimo ad fratrem suum litteris datis, quibus Episcopos illi commendabat: viri isti mirifici ad E
quoduis facinus prompti, cum Legatos istos Antiochiæ vidissent, in commune quidem consiliū ineunt, sed ita tamen vt Stephanus (hic erat Episcopus Antiochiæ Arianus) fabulam initi consilij peragendam susciperet, vtpote ad istiusmodi res longe aptissimus. Suscepto negotio, conducit illam publicam meretricem in ipsis ferijs sanctissimi Paschatis, eamque nudam per tenebras immittunt in ædes Euphratæ Episcopi.

Meretrix autem principio quia credebat iuuenem esse a quo accerseretur, prompte sequebatur. Postquàm autem ea destituta ab illis, hominem dormientem, ignarum omnium intueretur, diligentiusque considerans senis vultum, & Episcopi speciem animaduerteret, statim clamorem edit, ac vim queritatur. Illi contra, eam orare, vt taceret, & falsum crimen Episcopo concinnaret. Die igitur illucescente, vulgatur facinus, & vniuersa ciuitas concurrit; et qui in Palatio erant, rei admiratione commouebantur, neque eam silentio tradi volebant.

A bant. Itur ad iudicium: leno prodit eos qui meretricem accersierant: illique deinde auctorem istius rei Stephanum esse ostendunt: erant enim eius clerici, qui cum lenone conuenerant. Stephanus igitur Episcopali dignitate exuitur, & in locum eius sufficitur Leontius ille castratus, non ob aliud, quàm vt non deesset hæreseos propugnator. Imperator vero Constantius paulisper compunctus, ad se rediit; coniecturaque ex iis quæ aduersus Euphratem designauerant, facta, consimiles esse eorum in alios calumnias arbitratus, relegatos ex Alexandria Armeniæ presbyteros & diaconos e uestigio redire iubet, & diserte Alexandriam scribit, ne vlterius Athanasij aut clericos aut laicos persequerentur. Deinde post menses decem defuncto Gregorio, accersit & Athanasium, &c.] hæc Athanasius. at de eius accersione litteris eiusdem Constantij facta, suo loco dicendum pluribus.

Quod autem spectat ad legationem ad Constantium missam a Concilio Sardicensi: cum eadem a multis recenseatur; qui ipsam pluribus prosequutus est Theodoretus, ex his quæ recitauimus ex Athanasio corrigendus est, dum ait, eam missam esse a Constante Imperatore, additumque duobus Legatis Episcopis Salianum Prætorem. Qua in re illud euenisse putandum est, vt a sancta Synodo (quod decebat) duo illi Episcopi legati fuerint, ab Imperatore autem Constante postea Salianus. Quæ vero ab eis gesta sint de suscepto apud Constantium negotio, quæve ab impio Stephano Episcopo Antiocheno tum in Catholicos omnes, tum in Legatos perpetrata fuerint, quòd ea Athanasius breui compendio prosequutus sit, prolixiorem rei gestæ narrationem ingerimus cupido lectori rem exactius cognoscendi ex Theodoreto, qui ab initio missæ legationis sic exorditur[a]: LEGATIO CONSTANTIS IMP. (B)

Constans itaque Imperator duos Episcopos, quos ex eorum numero, qui Sardicæ conuenerant, ad eam rem delegerat, cum litteris ad fratrem vna cum Saliano Prætore, viro & pietatis & iustitiæ insignibus eximie ornato, misit. Quæ litteræ non exhortationem solum & consilium, verum etiam minas dignas sane pio Imperatore complexæ sunt. Nam scripsit primum, vt duobus illis Episcopis aures attẽtas præberet, & iniqua facinora a Stephano & aliis admissa diligenter cognosceret; deinde gregi suo restitueret Athanasium; quippe cum & calumnia accusatorum, & iniqua eorũ qui dudum de eo iudicauerant sententia, atque adeo acerbum in eum odium perspicue deprehensum esset. Postremo ista adiecit: Se, nisi his conditionibus obtemperaret, & quod æquitas postulat exequeretur, Alexandriam profecturum, ouibus, a quibus tantopere expectabatur, restituturum Athanasium, & hostium turbam inde exturbaturum. Constantius igitur, his litteris Antiochiæ, vbi tum commorabatur, acceptis, pollicetur se facturum, quod socius Imperij & communis de Republica curæ particeps ipsi per litteras significarat. Verum Ariani veritatis oppugnatores his rebus grauiter commoti, perditum atque impium plane facinus edere moliũtur. Interim duo illi Episcopi ad domum quamdam in cliuo positam diuertunt: Prætor autem aliud capessit diuersorium. Stephanus, qui id temporis susceptis Ecclesiæ Antiochenæ gubernaculis naufragium in ea facere constituebat, cum alios habuit suorum tyrannicorum scelerum adiutores, quorum vsus opera, veræ doctrinæ patronos varijs affecit incommodis, tum iuuenem quemdam animo ad audaciam proiecto, vita impia ac scelerata, qui istorum dux fuit, quiq. non homines solum e foro abducere, contumeliis vexare, verberibus cædere, verum etiam facta in ædes irruptione, tum homines, tum mulieres grauitate insignes impudenter extrahere non veritus est. Sed ne longus sim in istius nequitia describenda, vnum solum facinus ab eo contra viros facile præstantissimos admissum exponam, ex quo de reliquis eius nefariis maleficiis aduersus optimos viros paratis satis coniecturæ capere poterimus. (C) (D)

[a] Theodoret. lib. 2. c. 8. in fin. 9. & 10.

LEGATIONIS SARDICENSIS PLENIOR NARRATIO.

E Iste primum ad quamdam meretricem accedens, dixit peregrinos quosdam nuper venisse, qui noctu eius operam requirebant: deinde quindecim hominibus seditiosis collectis hos circa sepes cliuum ambientes occultat. Venit eo cum meretrice, & signo seditiosis, quod præscripserat, dato, vbi intellexit facinoris socios adesse, pergit ad atriensem ianuam diuersorij, in quo duo Episcopi pernoctabant. Quam apertam offendens (vnum namque e seruis ad id faciendum pecunia conduxerat) introducit meretricem: cui ostio ostenso cubiculi, in quo alter Episcopus forte dormiebat, ingredi iubet: ipse it interea seditiosos suos accersitum. Euphratas vero (hoc enim Episcopo prouectiori ætate nomen fuit) in cubiculo exteriore dormiuit. Vincentius autem (sic namque alter appellabatur) in interiore cubiculo quieti se dederat. Dum meretrix intrat cubiculi limen, Euphratas sentiens pedum strepitum, percunctatur quis sit qui introiret. Respondente autem meretrice, Euphratas grauiter animo conturbatur, ratus sane dæmonem esse qui vocem muliebrem effinxerat: ac statim Christi Saluatoris implorat auxilium. Onaget vero (ita enim dux illius improbæ & seditiosæ turbæ vocabatur) qui præ-

qui præter manuum pedumque vim, armis præterea ad pios oppugnandos vsus est, cum factiosorum turba in domum ingreditur: Episcopos iniquos appellat, propterea quòd ipsis in animo esset iniquum exercere iudicium. Multo igitur sublato clamore, serui accurrunt: surgit e lecto Vincentius, atque occlusa atrij ianua, septem ex seditiosis illis prehenduntur. Onager cum reliquis aufugiebat. Cum illis autem vnà, qui comprehensi erant, custoditur meretrix. A

STEPHANVS ARIANVS EPISCOPVS SCELERIS AVCTOR.

Vbi illuxit dies, Episcopi Prætorem, qui cum ipsis venerat, excitant;vnà adeunt Palatium, grauiter contra audacia Stephani facinora vociferantur: dicunt istius scelera non iudicium neque quæstionem requirere. Prætor autem maxime omnium cœpit aduersum Stephanum clamare: orare Imperatorem, vt de iniquo indignoque eius facinore non Episcoporum consilio, sed pro tribunali iudicium quæratur: seque pollicetur primum Episcoporum clericos, qui facinoris conscij erant, supplicio coercendos traditurum; Stephani quoque ministros ait eodem modo puniendos esse. B

At cum Stephanus petulanti ore illis cōtradiceret, affirmaretque, plagas clericis non infligēdas esse:placuit Imperatori & magistratibus,vt quæstio de facto in Regia haberetur. Itaque primum interrogatur meretrix, quis eam adEpiscoporum diuersorium deduxisset. Tum illa: Iuuenis quidam, inquit, ad me accedens, dixit, & peregrinos venisse in vrbem, & meam operam postulare: sub vesperum igitur redit ad me, & ad diuersorium recta deducit: deinde cum turba hominum, quam quæsierat, paratam offendisset, eam per ianuam atrij in ædes introducit, & in cubiculum exterius intrare iubet. Narrabat præterea meretrix, quid Episcopus rogasset; et quo pacto metu perculsus, Dei opem precibus implorasset;et quemadmodum denique seditiosi illi in ædem irruissent.

QVAESTIO HABITA DE PATRATO SCELERE.

His rebus cognitis, Iudices minimum natu eorum qui comprehensi erant, in medium adduci iubent: qui non vsque eo expectat, quoad verberibus rem fateri cogeretur; sed facinus factum illico aperit, & Onagrum illius auctorem fuisse, plane fatetur: Qui coram adductus, impellente atque adeo iubente Stephano, illud ipsum se aggressum fuisse, affirmat. Ad hunc modum ergo intellecta Stephani improbitate: primum Episcopis,qui tunc aderant,mandatum dant, vt hominem abdicent Episcopatu, deinde illi ipsi eum Ecclesia penitus expellant. Non tamen propterea Ecclesia Antiochena labe Ariana omnino liberata est: nam ei successit in administrationem Episcopatus illius Leontius genere Phryx,animo versutus, & saxis in vndis maris latentibus similis: sed de isto quidem paulo post dicam plura. Per id temporis Constantius cum pro certo comperisset fraudulentos aduersum Episcopos conatus, scripsit ad Magnum Athanasium semel, iterum, ac tertio, quo illum, vt de Occidente reuerteretur Alexandriam, impelleret.] hactenus Theodoretus. Ceterum cum constet ex ipso Athanasio, non nisi post decem menses ab hac legatione perfuncta, a Constantio litteras ad eum esse conscriptas, post scilicet Gregorij obitum qui Alexandrinam Ecclesiam violentus inuaserat; non alio quàm sequenti anno ea accidisse apparet: agemus igitur de his suo loco. C D

ATHANASII ITINERA.

a Athanas. Apolog. ad Constantium.

Vbinam vero hoc anno & sequenti, vsque dum ex Occidente digressus est, Athanasium manere, vel alio proficisci contigerit, idem ipse significat his verbis ad eumdem Constantium scribens [a]: Post vero Concilium Sardicense Naissi mihi commoranti denuo ab eodem Constante Augusto scribitur. Confecto igitur itinere,per reliquum tempus Aquileiæ hæsi, vbi me litteræ tuæ pietatis deprehenderunt: inde rursus a beatæ memoriæ viro, Constante Imperatore scilicet, euocatus, in Gallias profectus sum, atque ita perueni ad tuam maiestatem.] at de his suo tempore dicendum. E

b Socrat. lib. 2. c. 18.

Quòd vero decem mensium moras traxerit Constantius scribendi ad Athanasium, vt Alexandriam rediret; plane arguit, minaces illas litteras, quas dicit Theodoretus missas hac legatione per Salianum Prætorem, non statim post Sardicense Concilium, sed post Constantij has prolixas moras esse conscriptas: quibus ille tandem impulsus, acres eas, quòd contemni videretur,ad Constantium fratrem litteras dedit: licet Socrates [b] cōfestim ipsas datas esse demonstret, dum ait: Statim vero (post absolutum scilicet Sardicense Concilium) Imperator,qui partium ad Occidentem vergentium dominabatur,ea quæ in Concilio Sardicensi facta erant,fratri suo Constantio significat: hortaturque vt Paulum & Athanasium ad proprias sedes restituendos curet. Verum vbi Constantius fratris postulata de die in diem differebat; ille (Imperatorem dico Occidentis) optionem fratri dat,vel Paulum & Athanasium ad suas ipsorum sedes & Ecclesias restituendi; vel,si hoc minus præstaret, ipsum sibi hostem reddendi,nihilq. aliud quàm bellum expectandi. Litteræ autē,quas ad fratrē scripsit,ita se habēt:

Sunt

A Sunt hic apud me Athanasius & Paulus, quos auditione accepi pietatis causa persecutionem passos esse. Quòd si polliceare, te illis suas ipsorum sedes redditurum, inque eos a quibus sine causa iniuria affecti sunt, animaduersurum; viros ipsos ad te mittam: sin autem recuses ista hoc modo perficere; pro certo velim cognoscas, me eo venturum, & te inuito, illis suas ipsorum sedes restituturum.] hactenus litteræ ad Constantium: subdit Socrates:

EPISTOLA CONSTANTIS AD CONSTANTIVM.

Quæ cum intellexisset Orientis Imperator, non mediocrem animo concepit ægritudinem. Accersitis igitur non paucis Orientis Episcopis, optionem sibi datam illis exponit: rogat, quid faciendum sit. Illi melius esse respondent, vt Athanasio Ecclesiæ suæ concederet administrationem, quàm vt bellum intestinum susciperet. Vnde Imperator necessitate adductus Athanasium ad se accersit.] sed id anno sequenti, decem quippe menses (vt dictum est) his vltro citroque gestis rebus insumpti sunt. Quòd vero ad nomen Saliani Legati spectat: non leuis
B est coniectura, hunc, eumdem esse cum Sallea hoc anno Consulatum agente, sequenti vero Prætura fungente, eumdemq. missum fuisse Legatum ad Imperatorem Cōstantium in re maximi momenti, nimirum ad indicendum Constantio bellum, nisi Athanasium & alios Orthodoxos exules Episcopos restitueret. Subdit autem ad ea quæ superius dicta sunt, Socrates [a]: Interea temporis Constans Occidētis Imperator Paulum cum duobus Episcopis cum litteris suis, cumque etiam litteris Concilij, quo tutior esset, honorifice Constantinopolim mittit: cum Athanasius adhuc extimesceret; animoque ad Constantium nec ne proficisceretur, hæsitaret; metuebat namque falsas calumniarum criminationes: Constantius Orientis Imperator illum non semel modo, verum etiam eum iterum ac tertio ad se acciuit.] at hæc sequenti anno.

a Socrat. lib. 2. c. 18.

Quod autem ait Socrates, litteris a Concilio acceptis, suas addidisse pro Pauli restitutio-
C ne Constantem: non sic quidem accidit, vt hoc quoque anno Sardicensis Synodus perdurarit, sed pro ceteris aliis sede pulsis a Synodo litteris antea datis, suis postea additis, Constantem hoc anno Paulum restituendum curasse: Quod cum factum fuisset persuasione Maximini Treuerorum Episcopi, conquesti fuerint Ariani, & ea de causa tradat Sozomenus [b] illum ab eis fuisse excommunicatum: dictum Arianorum Conciliabulum in præsentem potius annum referendum, quàm in superiorem, foret: Athanasius certe eamdem illorum fugam ex Concilio Sardicensi recensens, de Conuentu ab eis tunc celebrato ne leuiter quidē meminit.

CONSTANS CVRAT RESTITVTIONEM PAVLI.

b Sozom. lib. 3. c. 10.

Quòd vero Constantius inuitus licet oblatam optionem de Athanasio Alexandriam restituendo acceperit potius, & id suaserint ei Episcopi Ariani: hoc non eorum animi liberalitate accidit; sed quòd vigente iugi bello Persico cum Sapore Rege, iam actum esse videri posset de Constantij Imperio, si & Constans bellum moueret in eum, cum vix satis resistere
D Persis posset, a quibus (vt dictum est) complures clades acceperat; et superiori proximo anno, nempe vndecimo eius Imperij (vt habet Hieronymi Chronicon) ab eodem Sapore Nisibis iterum obsessa, & Bizabda atque Amida captæ fuissent. Post tantum itaque rerum discrimen, in quo versabatur Orientale Imperium, iam deploratus videri poterat status Constātij, si pressus mole belli Persici, maioris ponderis prælium inferendum a Constante fratre subire coactus fuisset: præstabat namque Constans Constantio viribus, vtpote auctus tertia Imperij parte, quam Constantinus Minor, Augustorum trium natu maior, ex patris testamento possidebat: cum igitur Imperij tripartiti duarum partium Constans dominus esset, merito factus est Constantio metuendus.

TIMET CONSTANTIVS CONSTANTEM.

Hoc eodem anno, vel sequenti, habita est Synodus Carthaginensis, occasione legationis a Constante Imperatore in Africam missæ per Paulum & Macarium clarissimos viros, ad
E vniendos diuisos schismate Donatistas Ecclesiæ Catholicæ. Sunt hæc illa tempora, dicta Macariana, sic denominata ab altero Legatorum Macario, quorum frequens fit mentio tum apud Optatum Mileuitanum & S. Augustinum, tum etiam apud ipsos Donatistas. Sed antequàm rerum gestarum narrationem aggrediamur, de veritate & certitudine temporis, ex more, differendum putamus. In quo quidem illud primum occurrit; perperam poni eiusmodi Concilium tempore Siluestri, vel Marci Papæ; itemque mendose legi in eiusdem Synodi præfatione Constantinum, loco Constantis Imperatoris; cum legationem Macarij atque collegæ, ipsaque Macariana tempora contigisse sub Constante Augusto, frequentius Optatus & Augustinus inculcent: vt nihil sit quod hac de re in controuersiam deduci possit, quod & e citandis inferius locis perspicue apparebit.

SYNODVS CARTHAGINENSIS DICTA PRIMA.

Cum autem satis aperte liqueat eorumdem legationem missam fuisse a Constante Imperatore; cur potius hoc anno, vel sequenti eius Imperij, quàm alio aliquo, ponendam esse ducamus, nunc aperiendum est. Constat in primis ex præfatione indita eidem primo Concilio

PAVLVS ET MACARIVS QVANDO LEGATI MISSI IN AFRICAM.

Carthagi-

Carthaginensi, eodem anno, quo ipsa Synodus est habita, ad conciliandos dissidentes in A vnam Ecclesiam, missos esse dictos Legatos Paulum atque Macarium. Rursum vero & illud ex eadem Synodo exploratum habetur, ipsam celebratam fuisse non ante, sed post Concilium Sardicense; siquidem in eius quinto canone citatur decretum eiusdem Concilij Sardicensis ex Grati Episcopi Carthaginensis rogatione ad præsentes tunc Episcopos: sed & cum illud certum exploratumque sit, ipsum Constantem Imperatorem post annum sequentem, ipso eius exordio, necatum esse; necesse est affirmare dictum Concilium post Sardicensem Conuentum, & viuente Constante Imperatore, hoc vel sequenti anno fuisse collectum: sic & Macariana tempora iisdem limitibus terminanda.

Occasio legationis Africanæ ex Grati Episc. suggestione.

Quoniam autem prius contigit, eosdem Legatos ab ipso Constante Imperatore in Africam mitti, ac postea cogi Synodum Carthaginensem: hac ratione de legatione primum, deinde vero de Synodo nobis agendum proponimus. Quantum igitur coniectura consequi B licet; qui anno superiori vna cum triginta collegis Africanis Episcopis venit ad Sardicense Concilium Gratus Antistes Carthaginensis, ipsum quoque Constantem Imperatorem conuenisse, cumque & de statu deploratissimo Africanæ Ecclesiæ iam a tẽporibus persecutionis Diocletiani Imperatoris diro & implacabili schismate scissæ, certiorẽ reddidisse, atque obortis lacrymis inculcasse Donati tyrannidẽ existimamus, ad cuius nutũ grassarentur vbique in Catholicorum ruinã prædones, quos ipsi Donatistæ nominarent sanctorũ Duces, reuera Circũcelliones proprio nomine nũcupatos; interpellasseq. his aliisque suggestis eumdẽ Imperatorẽ magna instantia, vt suppetias ferret, ac reuocasse in memoriã impẽsos ad eam rẽ a Magno Constantino eius parente labores: suggessisse pariter opinamur ad hæc præstãda magno opus esse remedio: Quòd si quorumdam ex ipsis qui ceteris præessent, Donatistarum curatio præ ipsorum animorũ obstinatione videri posset penitus desperata: tamen populi illis subditi fore C perfacilẽ ad pacem & Catholicã vnitatem accessionẽ, si legatione ab Imperatore missa, inuitarentur ad pacem, & collatis in eos beneficijs iidem ab eodem Constante demeriti allicerentur ad concordiam & prouocarentur ad vnitatem. His auditis Constans Augustus, cuius studium & cura omnis inuigilabat, vt toto terrarum Orbe Christiana religio ab hæresibus atque schismatibus vindicata, vna omnium fide atque concordia simul coagmentata consisteret atque floresceret, libenter annuit: qui enim propensiore solicitudine, vt sub fratris Imperatoris ditione in Oriente Ecclesiæ positæ suos ipsarum Episcopos ab Arianis eiectos recipientes in pace agerent (vt vidimus) procurauit, haud negligendam putauit Ecclesiam Africanam ob sui amplitudinem atque nobilitatem totius Occidentalis Imperij subiecti decus ingens & ornamentum.

Quid in mandatis Legatis datum.

Quamobrem selectos ex multis maxime pios atque amplissimos viros ad tanti muneris D obeundam prouinciam, Paulum atque Macarium in Africam Legatos decernit, eo quidem titulo, vt munificentia Imperatoris pauperum omnium sublenarent inopiam; ita forinsecus apparebat; reuera tamen vt populum sic beneficentia Constantis Augusti demeritum, & ab imbuta ferocia his officiis delinitum, ad ineundam cum fratribus concordiam prouocarent. Quid autem ab iisdem Legatis Paulo atque Macario, cum ventum est in Africam, actum sit, Optatus Mileuitanus in primis, interpolata licet oratione, commemorat, cum his antea verbis Parmenianum, aduersus quem scribit, cõpellat: [a] Quem enim latet præter te, quia peregrinus es, & potuerunt tibi falsa narrari? aut quis negare potest rem, cui tota Carthago principaliter testis est, Imperatorem Constantem Paulum & Macarium primitus non ad faciendam vnitatem misisse, sed cum eleemosynis, quibus subleuata per Ecclesias singulas possit respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas?] hæc ipse. E

Vnitas quæsita eleemosynis.

Quod vero ait, hæc primitus non ad faciendam vnitatem esse missa; sic intelligas (vt dictum est) quòd extrinsecus non aliud titulo ipso legationis obtenderetur, nisi effusa largitio in pauperes; cum tamen eo prætextu ipsorum conciliatio quæreretur: nam idem inferius subdit [b]: Veniebant Paulus & Macarius, qui pauperes vbique dispungerent, & ad vnitatem singulos hortarentur.] Certe superius Optatus declarat, hos, operarios vnitatis esse nominatos, cum ait: Ab operariis vnitatis multa quidem aspera gesta sunt: sed ea ad quid imputatis Leontio, Macario, vel Taurino? imputate maioribus vestris, qui (sicut in Propheta scriptum est) vt vobis stupescerent dentes, ipsi vuas acidas comederunt; illis primo qui populum Dei diuiserunt, & basilicas fecerunt non necessarias; deinde Donato Carthaginis, qui prouocauit vt vnitas proximo tempore fieri tentaretur.] Sic enim dicitur Donatus prouocasse vnitatem, non quòd ipse id exposceret; sed potius quòd ob suum ipsius in schismate studium atque tyrannidem, ad id efflagitandum ab Imperatore Episcopos

b Optat. lib. 3.

Catholicos

A Catholicos impulerit, & ad præstandum traduxerit ipsum Constantem Augustum.

Quantum autem creuisset in Donato de Præfectis, atque etiam de ipso Imperatore contemptus: idem Optatus de iisdem Legatis agens, hæc subdit: Qui cum ad Donatum patrem tuum (hic erat Episcopus Donatistarum Carthagine) venirent; et quare venerant, indicarent: ille solito furore succensus, in hæc verba prorupit: Quid est Imperatori cum Ecclesia? et de fonte leuitatis suæ multa maledicta effudit, non minus quàm in Gregorium aliquando, ad quem sic scribere minime dubitauit: Gregori macula Senatus, & dedecus Præfectorum, & cetera talia.] sed de his superius. Rursum & de eadem Constantis Imperatoris erga Africanas Ecclesias munificentia, in quam Donatus Iudæ instar infremuit: Miserat (inquit Optatus) ornamenta domibus Dei, miserat pauperibus eleemosynam, nihil Donato. Cur ergo insaniuit? cur iratus est? cur quod missum fuerat repudiauit? Et cum B illi qui missi fuerant, dicerent, se ire per prouincias singulas, & volentibus accipere, se daturos: ille dixit, vbique se litteras præmisisse, ne id quod allatum fuerat, pauperibus alicubi dispensaretur. O consulere miseris! o prouidere fuerat pauperibus! o peccatoribus subuenire!] ita ipse, quòd prohiberet Donatus suos eleemosynam accipere a Constante, ea ratione videlicet, quòd Catholicæ & a sua alienæ communicationis esset: illud eos admonens, a peccatore eleemosynam minime accipiendam esse.

DONATVS SPERNIT PRAEFECTOS ET IMPERATOREM.

In quem subdit Optatus: Clamat Deus dicens[a]: Ego sum qui feci pauperem & diuitem: non quia non potuit pauperi dare: sed si ambobus daret; peccator, qua sibi succurreret, inuenire non posset. denique sic scriptum est: Quemadmodum aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Certe iam apud Deum sunt ambo, & qui dare voluit, & qui obstitit ne daretur. Quid si iam Deus dicat Donato: Quid vis fuisse Constantem? C Si innocentem: quare ab innocente accipere noluisti? Si peccatorem: quare non permisisti dare propter quem fecit pauperem? Sub hac interrogatione qualis futurus est, qui de leuitate & furore laborauit tantis pauperibus impedire*? Carthagine principatum se tenuisse crediderat: et cum super Imperatorem non sit nisi solus Deus qui fecit Imperatorem: dum se Donatus super Imperatorem extollit, iam quasi hominum excesserat metas, vt se vt Deum, non hominem æstimaret.]

[a] Optat. lib. 3. contra Parmen.

DONATI ARROGANTIA.

* impertiri

Hæc iure quidem Optatus de Donati superbia, qua cum primo se ab Apostolicæ sedis Antistite iam diu ante schismate diuisisset, nec sæculari dignitati sibi parendum putaret, vni se æqualem Deo comparandum existimaret: haud enim prorsus ab eiusmodi insania visus est procax schismaticus temperasse, cum, vt diximus, per suum ipsius nomen tamquam numen, suos iurare docuisset. Vnde post multa ex Ezechielis oraD culo, de Principe Tyri, quod concinne aptat Donato, mox subdit: Hoc modo exaltatum est cor eius, vt sibi iam non homo, sed Deus fuisse videretur. Denique in ore populi raro est appellatus Episcopus, sed Donatus Carthaginis dicebatur.] et inferius: Deinde cum ante ipsius superbiam, omnes qui in Christum crediderant, Christiani vocarentur: ausus est populum cum Deo diuidere: vt qui illum sequuti sunt, iam non Christiani vocarentur, sed Donatistæ: et si quando ad eum aliqui ex aliqua Africana prouincia veniebant, non quærebat illud, quod humana semper exigit consuetudo, de pluuiis, de pace, de prouentu anni aliquid interrogare: sed illico ad singulos quosque venientes hæc erant verba: Quid apud vos agitur de parte mea? quasi iam vere populum cum Deo diuiserat, vt intrepide suam diceret partem. Nam a temporibus eius & vsque in hodiernum, si quando de rebus Ecclesiasticis in iudiciis publicis aliqua celebrata est actio: E interrogati singuli, sic apud Acta loquuti sunt, vt dicerent se de parte esse Donati, de Christo tacuerunt.]

DONATVS DIVINOS AFFECTAT HONORES.

Rursus vero de eodem Donato iaciente in Imperatorem conuicia, & suis pariter obsistente ne quid acciperent ex illius largitate, hæc addit: Merito & bene eius sapientia humiliata est, qua putauit se Daniele esse sapientiorem in repudiandis muneribus Regis, dum accipere noluit quod ab Imperatore Christiano missum esse videbatur: et visus est sibi aut Daniel nouus, vel sapientior Daniele: quia & ipse Daniel aliquando a Balthasar Rege cum cogeretur accipere munera, id est annulum, torquem, & cetera, dixisse legitur: Tua dona tecum sint Rex: et sapienter respondit, & conuicia Regi non fecit; et quod offerebatur, non damnauit, sed distulit. Non quomodo Donatus, qui & conuicia Constanti, quanta potuit, dixit, & quod ab eo pauperibus missum fuerat, repudiauit.] et post aliqua, aduersus eosdem Donatistas, qui dicerent Catholicos fuisse malorum omnium causam, quæ post hæc ex Donati-

DONATVS CONTVMELIOSVS IN IMP.

ſtarum incurſionibus accidiſſent, idem auctor ſic deſcribit, oſtendens omnem culpam in vnum A
Donatum obſiſtentem Imperatoris munificentiæ reiiciendam eſſe [a]:

[a] Optat. ed. lib. 3.

DONATVS MALORVM CAVSA.

Donatus, qui increpari meruit, Conſtanti Imperatori Chriſtiano, ne miſericors eſſet, obſtitit; ideo increpatur, quòd cum ſapientes non docuerunt ſapientiam ſuam. Quidquid a Rege miſſum fuerat, per ſe dari paſſus non eſt. Vnde conſtat, Donatum omnium malarum fontem fuiſſe cauſarum. Quidquid itaque in vnitate facienda aſpere potuit geri, vides, frater Parmeniane, cui debeat imputari. A nobis Catholicis petitum militem eſſe dicitis. Si ita eſt: quare in prouincia Proconſulari tunc nullus armatum militem vidit? Veniebant Paulus & Macarius, qui pauperes vbique diſpungerent, & ad vnitatem ſingulos hortarentur: et cum Bagaienſem ciuitatem proximarent; tunc alter Donatus (ſicut ſupra diximus) eiuſdem ciuitatis Epiſcopus impedimentum vnitati, & obicem venientibus ſupra memoratis opponere cupiens; præcones per vicina loca, & per B omnes nundinas miſit Circumcelliones, Agoniſticos nuncupans, ad prædictum locum, vbi concurrerent, inuitauit: et eorum illo tempore concurſus eſt flagitatus, quorum dementia paulo ante ab ipſis Epiſcopis impie videbatur eſſe ſuccenſa.

CIRCVMCELLIONVM GRASSATIO.

Nam cum huiuſmodi hominum genus ante vnitatem per loca ſingula vagaretur, cum Maxido & Faſir ab ipſis inſanientibus, Sanctorum duces, appellarentur: nulli licuit ſecurum eſſe in poſſeſſionibus ſuis: debitorum chirographa amiſerant vires: nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem: terrebantur omnes litteris eorum, qui ſe Sanctorum duces fuiſſe iactabant. Et ſi obtemperando eorum iuſſionibus tardaretur: aduolabat ſubito multitudo inſana, & præcedente terrore, creditores periculis vallabantur; vt qui pro præſtitis ſuis rogari meruerant, metu mortis humiles impellerentur in preces. Feſtinabat vnuſquiſque debita etiam maxima perdere: et lucrum computabatur, euaſiſſe ab eorum iniuriis. Etiam itinera non poterant eſſe tutiſſima. Quot C domini de vehiculis ſuis excuſſi ante mancipia ſua dominorum locis ſedentia, ſeruiliter cucurrerunt? Illorum iudicio & imperio inter dominos & ſeruos conditio mutabatur.

CIRCVMCELLIONES NECATI, REPVTATI MARTYRES.

Vnde cum veſtræ partis Epiſcopis tunc inuidia fieret: Taurino tunc Comiti ſcripſiſſe dicuntur, huiuſmodi homines corrigi in Eccleſia non poſſe: mandauerunt vt a ſupradicto Comite acciperent diſciplinam. Tunc Taurinus ad eorum litteras ire militem iuſſit armatum per nundinas, vbi Circumcellionum furor vagari conſueuerat. In loco Octauenſi occiſi ſunt plurimi, detruncati multi: quorum corpora vſque in hodiernum per dealbatas aras aut menſas poterunt numerari. Ex quorum numero cum aliqui in baſilicis ſepeliri cœpiſſent: Clarius presbyter in loco Subbulenſi ab Epiſcopo ſuo coactus eſt, D vt inſepultam faceret ſepulturam. vnde proditum eſt, mandatum fuiſſe fieri quod factum eſt, quando nec ſepultura in domo Dei exhiberi conceſſa eſt: eorum poſtea conualuerat multitudo. Sic inuenit Donatus Bagaienſis vnde contra Macarium furioſam conduceret turbam. Ex ipſo genere fuerunt qui ſibi percuſſores ſub cupiditate falſi martyrij in ſuam perniciem conducebant: inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus viles animas proijcientes, ſeſe præcipites dabant. Ecce ex quali numero ſibi Epiſcopus alter Donatus cohortes effecerat.

MILITES PRO DEFENSIONE QVAESITI.

Hoc metu deterriti illi, nempe Paulus & Macarius, qui prope theſauros ferrent quos pauperibus erogarent: inuenerunt in tanta neceſſitate conſilium, vt a Siluestro Comite armatum militem poſtularent, non per quem alicui vim facerent, ſed vt vim a Donato ſupra memorato Epiſcopo diſpoſitam prohiberent. hac ratione factum eſt, vt miles E videretur armatus. Iam quidquid ſubſequutum eſt, videte cui debeat ac poſſit adſcribi. Furebant illic vocatorum infinita millia populorum, pro quibus & annonam competentem conſtat fuiſſe præparatam: de baſilica, quaſi publica fecerunt horrea, expectantes vt venirent, in quos furorem ſuum exercere potuiſſent, & facerent quidquid illis dementia ſua dictaſſet, niſi præſentia armati militis obſtitiſſet. Nam cum ante venturos milites, metatores, vt fieri ſolet, mitterentur: contra Apoſtoli præcepta competenter ſuſcepti non ſunt, qui ait: Cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal; cui tributum, tributum: nemini quidquam debueritis.

MILES IRATVS IN DONATISTAS.

Qui miſſi fuerant, cum equis ſuis præoccupati ſunt ab iis quorum nomina flabello inuidiæ ventilaſti: ipſi magiſtri fuerant iniuriæ ſuæ: et quid pati poſſent, ipſi prærogatis iniuriis docuerunt. Reuerſi ſunt vexati milites ad numeros ſuos, & quod duo vel tres

paſſi

A passi fuerant, vniuersi doluerunt. Commoti sunt omnes: iratos milites retinere nec eorum Præpositi valuerunt. sic admissum est, quòd inuidiam vnitati factam esse memorasti. hæc & cetera gesta & suas causas habent, & quas ostendi personas obnoxias. Hoc nos nec vidimus quidem, sed vobiscum audiuimus. Si auditus facit reos, tenemus vos socios; qüia similiter audiuimus. Si a facto auditus immunis est: quod ab aliis, vobis prouocantibus, factum est, nobis non debet imputari.

Querelam per ordinem deponitis, sub Leontio, sub Vrsacio iniuriatos esse quamplurimos, sub Paulo & Macario aliquos necatos a sequentibus, nescio quos ad tempus esse proscriptos. Quid hoc ad nos? quid ad Ecclesiam Catholicam pertinet? Quidquid obiecistis, vos fecistis. A Deo commendatam noluistis libenter accipere vnitatem, cariorem æstimantes hereditatem schismatis, quàm præcepta præpositi Saluatoris. Arguistis operarios vnitatis: ipsam vnitatem improbate, si potestis: nam æstimo vos non negare, vnitatem summum bonum esse. Quid nostra, quales fuerint operarij, dummodo quod operatum est, bonum esse constet? nam & vinum a peccatoribus operariis & calcatur & premitur: et sic inde Deo sacrificium offertur. Oleum quoque a sordidis & nonnullis male viuentibus & immunda loquentibus conficitur; et tamen in sapore & lumine, etiam in sancto chrismate simpliciter erogatur. Operarios vnitatis malos fuisse dicitis: fortasse cum voluntate Dei, cui nonnumquam placet etiam quod ab ipso potuit prohiberi. Nam quædam mala male fiunt: quædam mala bene fiunt. Malum male latro facit: malum bene Iudex facit, &c.] Cum autem hæc pluribus demonstrasset, subdit:

INIVSTA DONATISTARVM QVERELA.

B

Inuitus cogor hoc loco etiam illorum, quorum nolo, hominum facere mentionem: quos vos inter martyres ponitis. Per quos, tamquam per vnicam religionem, vestræ communionis homines iurant. Quos quidem vellem silentio præterire; sed ratio veritatis se sileri non patitur. Et ex ipsis nominibus contra vnitatem inconsiderate latrat inuidia; et aspernantes aliqui, accusandam, aut fugiendam æstimant vnitatem, quòd Marculus & Donatus dicantur occisi & mortui: quasi omnino in vindictam Dei nullus mereatur occidi. Nemo erat lædendus ab operariis vnitatis: sed nec ab Episcopis mandata diuina contemni debuerant, quibus præceptum est: Quære pacem, & consequaris eam, &c.] subditque ex diuina Scriptura exempla de sanctissimis viris, qui zelo pietatis gladium in impios exeruerunt. Hæc autem Optatus pluribus prosequutus est, quòd illi qui tunc viuebant, ad concitandam inuidiam atque odium aduersus Catholicos, iactarent in vulgus, se sub Pauli atque Macarij legatione diram persecutionem passos esse, & duos istos a militibus cæsos Circumcelliones martyrij palmam consequutos fuisse.

C MARCVLVS ET DONATVS IVSTE OCCISI.

D

Ad eludendam potro omnem eorum de his cum ostentatione calumniam, eleganti collatione adhibita, inter nouissimum persecutorem Florum Ecclesiam in Numidia positam vexantem, atque Macarium, hæc addit [a]: Sub persecutore Floro Christiani idolorum cogebantur ad templa: sub Macario pigri compellebantur ad basilicam. Sub Floro dicebatur, vt negaretur Christus, & idola rogarentur: contra sub Macario commonebantur omnes, vt Deus vnus pariter in Ecclesia ab omnibus rogaretur. Si supra memoratos videri martyres vultis: probate illos amasse pacem, in qua prima sunt fundamenta martyrij, aut dilexisse Deo placitam vnitatem, aut habuisse cum fratribus charitatem.] sed & inferius, quibusnam coloribus Donatistæ hanc ad vnitatem legationem fuisse persecutionem inumbrassent, declarat his verbis [b]:

QVI VERE PERSECVTORES DICENDI.

[a] Eod. lib. 3.

E

[b] Eod. lib. 3.

Dum dicitis, auditum esse ex ore eorum, qui iam dudum in vestro collegio fuerant: Quòd qui gustarent, aut acciperent de sacrificio aduentantis vnitatis, de sacro (nempe idolotyto) gustare viderentur. Non negamus ab aliquibus esse hæc dicta, quos constat postea tota securitate fecisse, vnde paulo ante populos deterrebat: sed alia ratio exegit has voces, alia inuitauit in factum. Nam vt hæc dicerent, qui feruntur ista dixisse, opinio falsa eorum aures & omnium populorum oppleuerat. Dicebatur enim illo tempore venturos esse Paulum & Macarium, qui interessent sacrificio, vt cum altaria solemniter aptarentur, proferrent illi imaginem, quam primo in altari ponerent: sic sacrificium offerretur.] Alludebant plane illi hæc dicentes ad Gentilium sacra, dum proposita Imperatoris imagine, thus adolerent, vel sacrificium offerrent.

CALVMNIA DE PERSECVTIONE.

Ceterum illationes imaginum Christianorũ Imperatorum cõsueuerunt esse puræ, absque aliquo suspicionis contagio: vnde Gratiani constitutio [c]: Si sacros vultus inhiantibus forte

[c] l. vnic. public. lætitiæ. C. lib. 12.

ABSQVE IDOLOLATRIA COLEBANTVR IMAGINES IMPP.
a l. vnic. de imag. Imp. C. Theod.

populis inferimus: hoc sine immodico pretio nunciari, excipique sancimus: actum iubemus esse castissimum: indigentibus non numerariis esse præbendum.] Et Theodosius[a] Imperator ad Cæsarium PP. Si quando (inquit) nostræ statuæ, vel imagines eriguntur, seu diebus, vt assolet, festis, siue communibus, adsit Iudex sine adorationis ambitioso fastigio.] et in fine: Excedens cultura hominum dignitatem superno numini reseruetur.] Merito igitur perculit omnium animos, quòd diceretur ab illis id genus imaginis, nempe effigiem Constantis Imperatoris statuendam esse, dum sacrificaretur super altare: nam quonam pacto id tolerabile videri poterat, si nec ad latus templi passus est S. Ioannes Chrysostomus Eudoxiæ Augustæ statuam collocari[b]? sed rursum Optatus[c]: A

b Sozom. lib. 8. c. 20.
c Optat. lib. 3.
FALSVS RVMOR DE IDOLOLATRIA.

Hoc cum acciperent aures: perculsi sunt & animi, & vniuscuiusque lingua in hæc verba commota est, vt omnis qui hoc audierat, diceret: Qui inde gustat, de sacro gustat. Et rectè dictum erat, si talem famam similis veritas sequeretur. At vbi ventum est a supradictis: nihil tale visum est ex eo, quod fuerat paulo ante mentita fama: nihil viderunt oculi Christiani, quod horrerent: nihil probauit aspectus ex his, quibus perturbatus erat auditus. Visa est puritas, & ritu solito solemnis consuetudo perspecta est; cum viderent diuinis sacrificiis nec mutatum quidquam, nec additum, nec ablatum. Pax a Deo commendata volentibus placuit. Quare nullus eorum debet argui, qui de collegio vestro ad pacem transitum fecit: qui fuerant sinistra opinione turbati, simplici ac pura veritate firmati sunt.] hæc Optatus. B

d Optat. lib. 3.
PAX ET NON PERSECVTIO NVNCIATA.

Idemque aduersus omnes illos qui resilierunt, & oblatam pacem atque vnitatẽ contempserunt, sic superius[d]: Nunciata vnitate, fugistis omnes. Nulli dictum est: Nega Deum. Nulli dictũ est: Incende testamentum. Nulli dictum est: Aut thus pone, aut basilicas dirue. Istæ enim res solent martyria generare. Renunciata est vnitas sola: fuerant hortamenta, vt Deus & Christus eius a populo in vnum conueniente pariter rogaretur: nullus erat primitus terror: nemo vidit virgam, nemo custodiam: sola, vt supra diximus, fuerant hortamenta. Timuistis omnes, fugistis, trepidastis: vt pro certo de vobis dictum sit, quod in Psalmo scriptum est: Trepidauerunt vbi non erat timor. Fugerunt igitur omnes Episcopi cum clericis suis; aliqui mortui sunt; qui fortiores fuerant, capti longe relegati sunt. Et tamen horum omnium nihil actum est cum voto nostro, nihil cum consilio, nihil cum conscientia, nihil cum opere.] hactenus Optatus. C

MACARIANI INVIDIOSE DICTI CATHOLICI.
e Augustin contra lit. Petilian. lib. 2. c. 39.

Porro Donatistæ hæc gesta per Paulum atque Macarium, in Orthodoxorum perpetuam inuidiam publicis monumentis consignata suis posteris tradiderunt, quæ in Catholicos ab illis frequenter obiectari solerent: vt inter alios Petilianum fecisse constat, qui eam ob causam Catholicos consueuit nuncupare Macarianos; aduersus quem inter alia S. Augustinus[e]: D Macarium inquam istum, de cuius parte nos dicitis, omnino non nouimus.] ac deinde: Vos per sacramentum, quod in vobis est, sicut Caiphas Domini persecutor, nescientes prophetatis; quod enim Græce μακάριος, Latine beatus est: ita plane de parte Macarij sumus.] hæc Augustinus, penes quem frequens mentio est de hisce Macarianis temporibus, quibus se a nostris diram persecutionem passos esse Donatistæ ad concitandum populi odium contra Catholicos iactitabant, inculcãtes insuper Transmarinas Ecclesias tam diu conseruatas fuisse innocentes atque Catholicas, donec consenserint in eorum sanguinem, quos, vt dicebant, persecutio Macariana sustulisset[f].

f Augustin. epist. 163.
CATHOLICI A DONATISTIS NOMINATI PAGANI.
g Optat. lib. 3.

Sed inusta semel Catholicis hoc tempore de illata persecutione calumnia, sic fuit in eorum posteros propagata; vt Catholicos perditos esse homines, nequaquam Fideles dicerent & Christianos, sed eosdem solerent nominare Paganos. Vnde Optatus[g]: Quid est (inquit) E quod dicitis: Redimite animas vestras? Iam illud quale est, quod hominibus Christianis etiam clericis dicitis: Estote Christiani? et cum admiraculo quodam vnicuique dicere: Cai, Sei, aut Caia, Seia, adhuc Paganus es, aut Pagana?] quo modo autem per Paganum intelligat idololatram, deque origine huius in hoc sensu vocis & vsu dicturi sumus suo loco postea. Rursum vero Donatistarum querelis, & de illata in eos a Catholicis persecutione clamoribus vires & quidem ingentes addidit ipsorum communionis Vitellius Afer, de quo hæc habet Gennadius[h]: Vitellius Afer Donatianorum schisma defendens, scripsit de eo: Quòd odio sint mundo serui Dei: in quo si tacuisset de nostro veluti persecutorum nomine, egregiam doctrinam ediderat. Scripsit & aduersum Gentes, & aduersum nos, veluti Traditores in persecutione diuinarum Scripturarum: et ad regulam Ecclesiasticam pertinentia multa disseruit. Claruit sub Constante filio Constantini Principis.] ita ipse, cuius auctoritate Catholici habiti sunt persecutores.

h Gennad. de viris illustrib. c. 4.

Ceterum

A Ceterum quantumlibet Donati illi duo Donatistarum Episcoporum factiosissimi (Carthaginensem dico & Bagaiensem Episcopos) sanctæ pacis legationi magno conatu restiterint, vt etiam ipsi Imperatori Constanti alter illorum contumelias irrogarit, blasphemiisque proscinderit, præmiseritque per totam Africam ad homines suarum ipsius partium præcursores, quibus tam piam sanctamque anteuerteret vnitatem; alter vero armatis quoque Circumcellionibus resistere obnisus esset: tamen, etsi non in ipsis Donatistarum Episcopis, qui primi ad concordiam inuitati fuerunt, in populo saltem illis subiecto optatum finem est legatio consequuta; quod tum Optatus annuit verbis illis, quibus ait [a]: Nullus eorum debet argui, qui de collegio vestro ad pacem transitum fecit. Qui fuerant sinistra opinione turbati, simplici ac pura veritate firmati sunt] tum etiam Carthaginense [b] Concilium, de quo proxime dicturi sumus, non obscure significat. Ipsos autem
B Donatistas vna cum clericis fugam arripuisse, & ex eis aliquos esse defunctos, fortiores vero captos & procul relegatos, idem Optatus tradit [c]: quam tunc sententiam cum in alios, tum in Donatum omnium Donatistarum principem, Carthaginensem Episcopum, fuisse potissimum irrogatam, quem malorum omnium auctorem & fontem nominat, nemo iure poterit dubitare. Meminit S. Hieronymus in Chronico, sed Constantij Imperatoris anno vigesimo, eumdem Donatum Carthagine expulsum esse: at plane inest error in tempore, cum constet ex his quæ mox ex Optato dicturi sumus, Donatistas Episcopos a Constante relegatos, & numquam nisi per Iulianum Apostatam esse restitutos.

DVO DONATI EPISCOPI FACTIOSI.

a Optat. lib. 3. in fin.

DONATISTAE AD ECCLESIAM REVERSI.

b Concil. Carthag. 1. in præfat.

c Optat. lib. 3. iuxta princip.

Sic igitur schismaticis Episcopis exturbatis, & qui illis parebant populis ad Catholicæ Ecclesiæ vnitatem compaginatis, mox per Gratum Catholicæ communionis Episco-
C pum Carthaginensem Carthagine Concilium conuocatum est, in quo ipse de pace & vnitate confecta hæc coram Episcopis in Synodo considentibus præfatus est [d]: Gratias Deo omnipotenti & Christo eius, qui dedit malis schismaticis finem, & respexit Ecclesiam suam, vt in eius gremium erigeret vniuersa membra dispersa: qui imperauit religiosissimo Constanti [*] Imperatori, vt votum gereret vnitatis, & mitteret ministros sancti operis, famulos Dei Paulum & Macarium. Dei nutu ergo congregati ad vnitatem, vt per diuersas prouincias Concilia celebremus, & vniuersæ prouinciæ Africæ hodierna die ad Concilium gratia Dei Carthaginem venirent. Vnde considerantibus vobis cum mea mediocritate tractentur tituli necessarij, de quibus necesse est, vos memores præceptorum diuinorum & magisterij diuinarum Scripturarum, contemplantes vnitatis tempus, id de singulis definire, quòd nec Carthago vigorem legis infringat, nec tamen tempore
D vnitatis aliquid durissimum statuamus.] hactenus in Synodo præfatus est Gratus: qui mox eam coram Patribus rogationem proposuit de iis quæ spectare viderentur ad religionis Christianæ principium, quod a Donatistis labefactatum in Africa esse sciebat, cum nimirum baptizatos a Catholicis iterum baptizarent. An autem ferendus esset amplius in Africa anabaptismus, rogante Grato sententias singulorum, vna omnium fuit illa responsio [e]: Absit, absit. Illicitas esse sancimus rebaptizationes, & satis esse alienum a sincera fide & Catholica disciplina.]

CARTHAGIN. CONCILIVM SVB GRATO EPISCOPO.

d Concil. 1. Carthag. in princip. tom. 1. Concil.

* Constantino

ANABAPTISMVS SVBLATVS.

e Concil. 1. Carthag. c. 1.

Euulsa igitur primum de rebaptizatione antiquitus fixa radice, quæ Donatistarum cultura infelicibus aucta fruticibus vniuersam prope Africanam Ecclesiam occuparat: cetera quæ ab eisdem fuerant in Christiana disciplina corrupta, ijdem Catholici Episcopi Africani ad Catholicæ Ecclesiæ vsum pristinum restituere laborarunt. Quoniam vero
E opera Donatistarum, execrandum illud atque nefandum scelus inter ipsos schismaticos coaluerat, vt ipsorum sectæ homines, illecti gloria martyrum, seipsos vel præcipitio necassent, vel aliter ab aliis illatam, ad hoc illos ipsos cogentibus, mortem voluntariam oppetiissent (vt nuper ex Optato vidimus) apud eos titulo martyrum & honore illis congruo frequentarentur: ne id amplius ageretur, pœnis tam laicis quàm clericis indictis, si secus facerent, eadem sancta Synodus edito decreto [f] sanciuit, cuius est exordium: Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, &c.] fuerunt & alij canones ibi, Patrum omnium sententia rogata, conscripti, omnesque numero quatuordecim; sed satis modo horum meminisse, qui rebus gestis ex Optato nuper recitatis consentientes esse noscuntur.

FALSVM MARTYRIVM CONSITVM.

f Concil. 1. Carthag. c. 2.

Ceterum quòd inter Concilia Carthaginensia hoc primum ordine ponatur, & nominetur; non sic quidem accipiendum est, vt nullum aliud hoc ipsum præcesserit, cum multa antea fuerint celebrata, adeo vt (quod superius ex S. Cypriano demonstrauimus) nec sub

CONCILIVM HOC CARTHAG. CVR PRIMVM DICTVM.

Ethnicis & persecutoribus Imperatoribus desierint frequenter eiusmodi sancta in Ecclesiis ex prouincialibus saltem Episcopis haberi Comitia; sed ideo primum dictum ac positum ordine, quòd alia perierint, & illorum quæ extarent, hoc ipsum antiquissimum probaretur. Hoc igitur statu Africana Ecclesia, vnitate Catholica populo fœderata, permansit vsque ad Constantij Imperatoris obitum, cui cum succederet Iulianus Apostata, ijdem Donatistæ infrenata licentia in Catholicam Ecclesiam furentius sæuierunt. A

a Optat. lib. 2.

PAX REDDITA IN AFRICANA ECCL. SVB CONSTANTE.

* Constans

Porro hæc felicia Africanæ Ecclesiæ pacis tempora vsque ad Iulianum cum ab Optato Mileuitano describuntur [a], Constantem pro Constantino puto legendum; cum nulla vnitas & concordia in Africana Ecclesia, de quibus auctor agit, contigerit sub Constantino eam frustra tentante, sed potius sub Constante. sunt hæc eius verba: Redeat in memoriam Constantinus * Imperaror Christianus, quem famulatum exhibuerit Deo, quæ habuerit vota, vt remotis schismatibus, intermortua omni dissensione, sub toto cælo filios suos gaudens in vnum videret sancta mater Ecclesia. Reddiderat vnam communionem, maritis vxores, parentibus filios, fratribus fratres: quibus rebus Deus se lætari testatur, dum dicit: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Etenim cum Africanos populos, & Orientales, & ceteros Transmarinos pax vna coniungeret; et ipsa vnitas, repræsentatis omnibus membris, corpus Ecclesiæ coagularet: dolebat hoc diabolus, qui semper de fratrum pace torquetur. B

Illo tempore sub Imperatore Christiano desertus in idolis, tamquam inclusus latebat in templis. Hoc eodem tempore duces & principes vestros merita relegauerant sua. In Ecclesia nulla fuerant schismata, nec Paganis licebat exercere sacra sacrilega. Pax Deo placita apud omnes Christianos populos habitabat: diabolus mærebat in templis, vos in regionibus alienis. Deinde alter, vt omnibus notum est, sequutus est Imperator vobiscum vota sinistra concipiens, ex famulo Dei factus est minister Inimici: Apostatam se edictis suis testatus est. Quem precibus rogastis, vt reuerti possetis.] hucusque Optatus, significans eosdem hoc tempore a Constante factos exules, sic ad Iulianum vsque mansisse. Quod autem ait, tunc temporis vnam pacem vnisse populos Africanos, Orientales, & Transmarinos; non ita accipiendum est, vt toto Orbe terrarum vna pace Ecclesia Catholica his temporibus potiretur, quæ tota & vbique erat ab Arianis hæreticis lancinata: sed de pace Africanæ Ecclesiæ, de qua agit, intelligenda sunt, vtpote quòd non Ecclesia tantum Africana inita pace atque concordia potiretur, verum eadem vnitate coniungeretur Orientalibus & Transmarinis Catholicæ communionis Ecclesiis: sed iam ad res anni sequentis progrediamur. C

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII CONSTANTIS IMPP.
349.	13.	13.

D

OBITVS GREGORII, ET ATHANASII RESTITVTIO.

b Athan. epist. ad solitar.

c Theodoret. lib. 2. c. 12.

Annus sequitur Christi trecentesimus vndequadragesimus, Vlpio Limenio & Catullino Philoniano Consulibus: quo, Gregorio Ariano Episcopo Alexandrino defuncto, S. Athanasius a Constantio Imperatore sæpe litteris Constantis fratris admonito, vt ad suam rediret Ecclesiam, crebris litteris inuitatur. Post decem enim menses a legatione ad Constantium missa ex Concilio Sardicensi (vt diximus) Gregoriū inuasorem Alexandrinæ sedis mortuum esse, Athanasius ipse testatur [b]: illum vero ab Orthodoxis Alexandrinis occisum, auctor est Theodoretus, dum ait [c]: Iam occubuerat Gregorius ab ipsis Alexandrinis cæsus.] Sed & quòd Georgius quoque postea missus, cum iterum exturbatus est Athanasius ab Alexandrinis, sub Iuliano Apostata pariter necatus sit; inde etiam oborta est occasio Gregorij cum Georgio confundendi; at de his aliàs. Sane existimo aliquos e Catholicis Alexandrinis pertæsos longas Athanasij moras Alexandriam reuertendi, vbi mox expectabatur, iam absolutus a Concilio Sardicensi, & ægro atque infenso animo ferentes ipsum Gregorium in eodem Concilio condemnatum, atque depositum, adhuc tamen obstinato animo alienæ Ecclesiæ incubare, in eius necem impulsos esse. E

d Athanas. epist. ad solitar.

CONSTANTIVS ACCERSIT ATHANASIVM.

Non igitur ante, sed cum Gregorius ipse ex hac vita sublatus est, Constantius ad Athanasium de reditu litteras dedit; siquidem ipse sic ait [d]: Deinde post menses decem defuncto Gregorio, accersit & Athanasiū cum omni honore, non semel aut iterum, sed tertio ad illum amicissimas litteras scribens, quibus illum animabat, & ad veniendum hortabatur; misitque ad illum presbyterum & diaconum, vt maiore cum fiducia ad se rediret. Affirmabat

enim

A enim totum se annum Athanasium expectasse, nec permisisse vmquam quidquam noui fieri, aut quempiam in eius locum Episcopum creari, vt seruaret Athanasio suas Ecclesias, ita scribente eo, & plurium cohortatione ad eam rem vtente: nam & Comites suos, Polemium, Dacianum, Bardionem, Thalassum, Taurum, Florentium, quibus etiam magis fidendum erat, in eamdem sententiam scribere iussit.] Litteras autem scriptas a Constantio ad Athanasium recitat ipse in sua Apologia [a] in hæc verba:

a Athanas. Apolog. 2.

Constantius Victor Augustus Athanasio.

Diu te iactari vexariq. immanibus vndarum procellis nostræ clementiæ humanitas non permisit: nudatum siquidem paternis sedibus, bonisq. tuis spoliatum, & in inuijs, feralibusq. locis errabundum nostra indefatigabilis pietas non deseruit. Nam tametsi iampridem supersedi, mentis meæ propositum ad te scribere, eo quòd te vltro aduenturum expectarem, & po-

CONSTANTII LITTERAE AD ATHANASIVM.

B stulaturum malorum tuorum remedium: tamen quia fortasse voluntatem propositi tui metus impediuit, ideo litteras munificentiæ nostræ plenissimas ad tuam constantiam misimus, vt secure conspectui nostro quàmprimum tuam præsentiam offeras, vt voti particeps, nostramque humanitatem expertus, tuis restituaris. Hac enim de causa dominum meum & fratrem Constantem Victorem Augustum pro te adhortationibus conueni, vt tibi veniendi facultatem daret, quo vtriusque nutu patriæ restituaris, & hoc pro pignore nostræ gratiæ habeas.] hactenus prima epistola; sequitur secunda:

Etsi superioribus litteris significauimus, vt secure ad nostrum Comitatum accederes, eo quòd maxime cupiamus te ad tuos remittere: tamen etiam has litteras nunc ad tuam soliditatem misimus, quibus adhortamur, vt sine omni diffidentia aut metu publica vehicula ascendas, & properes ad nos, vt quæ concupiscis, assequare.] ita secunda: tertia vero epistola

CONSTANTII EPIST. SECVNDA AD ATHANASIVM.

C sic se habet:

Cum Edessæ commoraremur, præsentibus tuis presbyteris; placuit, vt misso ad te presbytero festinares ad nostrum Comitatum venire: vt vbi nostrum vidisses conspectum, statim Alexandriam transires. Sed quia plurimum temporis intercessit, ex quo litteris nostris acceptis non venisti: ideo te nunc denuo admonitum volumus, vt vel nunc saltem quàmcelerrime ad nos te conferas: quo tu ita patriæ tuæ restituaris, & nos tuis precibus frui possimus. Ad pleniorem autem cognitionem Achitam diaconum ad te misimus, a quo discere licebit & mẽtis nostræ voluntatem, & te assequi posse, quæ votis optas.] hactenus tres epistolæ Constantij Imperatoris ad Athanasium, quæ a Socrate etiam recitantur [b].

TERTIA CONSTANTII EPISTOLA AD ATHANAS.

b Socrat. lib. 2. c. 18.

Porro idem quoque Athanasius auctor est, scripsisse ea de re eumdem Constantium ad germanum suum Constantem Imperatorem: nam ait [c]: Seorsum autem ad fratrem suum beatum

CONSTANTIVS AD CONSTANTEM DE REDITV ATHANAS.

D Constantem scripsit: ad nos quoque semel atque tertio litteras misit.] cuius autem fuerint argumenti, hæc idem alibi [d]: Scribit quoque fratri suo Constanti, vt ipse quoque me ad reditum hortaretur.] Erat tunc Athanasius Aquileiæ, cum has a Constantio litteras accepit: inde rursus a Constante, vt ait [e], euocatur in Gallias: postea vero paululum, vt apparet, illic moratus, venturus in Orientem ad Constantium, in Italiam redijt, Romamq. venit ad Iulium Romanum Pontificem: testatur id quidem ipse Athanasius, cum post recitatas Constantij dictas litteras, subdit [f]: Imperator igitur istas litteras misit; quibus acceptis, Romam ascendi, Ecclesiam & Episcopum aditurus.] Hic primum attende lector (ne ipse sibi auctor contrarius videatur) non Aquileia Romam, sed in Galliam vocatum a Constante profectum esse, prout in Apologia ad Constantium (vt dictum est) ipse testatur. nisi potius dicendum quis putet, Aquileia Romam, & inde in Gallias ad Constantem, ac postea in Orientem ad Con-

c Athanas. Apolog. 2.
d Athanas. epist. ad solitar.
e Athanas. Apolog. ad Constantium.
f Athanas. Apolog. 2.

E stantium esse profectum.

Sed & ipsa quoque verba Athanasij attentius contemplare, dum eam causam aduentus sui Romam, antequàm proficisceretur ad Constantium in Orientem, fuisse tradit, nimirum (quod ait) vt adiret Ecclesiam, & Episcopum.] significans, illam quæ Romæ est, antonomastice dictam esse Ecclesiam, ex qua & in qua omnes vnitate Catholica coniungantur, ipsumq. vnum esse Episcopum antonomasticum, ex quo omnes, & in quo, & per quem qui sunt, esse intelligantur Episcopi. hæc igitur fuit maiorum nomenclatura, vt per Ecclesiam & Episcopum, Romanam Ecclesiam, atque eius Pontificem significarent. De aduentu vero suo Romam sic idem Athanasius subdit [g]: Ingens igitur gaudium in Ecclesia: Pontifexq. Iulius, vt gratularetur nostræ restitutioni, litteras ad Ecclesiam misit Alexandrinã: nos autem quacũque transiuimus, cum pace ab omnibus Episcopis deducti sumus. litteræ autem istiusmodi fuerunt:

ECCLESIA ANTONOMASTICE DICTA ROMANA.

g Athanas. dict. Apolog. 2.

IVLIVS presbyteris, diaconis, & populo in parœcia Alexandriæ.

Gratulor vobis, dilectissimi fratres, quòd fructum fidei vestræ ante oculos videatis: id enim ita esse,

LITTERAE IVLII PAP. AD ALEXANDRINOS.

ita esse, liquidissimo apparet in fratre & Coepiscopo nostro Athanasio, quem Deus & ob vitæ sanctitatem & orationes vestras vobis restituit. Ex qua re spectare licet, quàm puras semper preces & charitatis plenas ad Deum extuleritis. Memores quippe cælestium promissorum & cælestis conuersationis, quam ex doctrina prædicti patris vestri didicistis, certo vereque cognitum habuistis, & pro vestra recta fide apprehendistis, numquam illum perpetuo a vobis diremptum iri, quem in pijs pectoribus vestris, tamquam præsentem, retinebatis. Non mihi igitur ad vos scribenti multis verbis opus est: quæcumque enim a me dici poterint, ea fides vestra iam anticipauit & impleuit secundum Dei gratiam quidquid a nobis optari possit. Gratulor igitur vobis: rursum enim dicam, Gratulor, quòd animas vestras in tuenda fide inexpugnabiles conseruastis. Sed interim fratri meo Athanasio non minus gratulor, quòd quamquam multa acerba pateretur, nulla tamen hora vestræ charitatis vestriq. desiderij obliuionem induxerit: nam tametsi corpore ad tempus videretur a vobis separari, spiritu tamen perpetuo vobiscum agebat. A B

ATHANASII LAVDES A IVLIO PAP. PRAEDICATAE.

Redit igitur ad vos splendidior nunc, quàm cum a vobis discederet. Quòd si res pretiosas aurum & argentum ad puritatem ignis explorat: quid, quæso, dignum eloquaris tãto viro, qui ex tantis malorum periculis purus innocensq. vobis restituitur, talisq. non nostro dumtaxat iudicio, sed ab vniuersa Synodo iudicatus est? Excipite igitur, dilecti fratres, cum omni secundum Deum gloria & lætitia Episcopum vestrum Athanasium, & cum eo quotquot socij tantarum ærumnarum fuere; lætiq. sitis de fructu orationum vestrarum, qui pastorem vestrum (vt sic dicam) desiderantem & sitientem vestram pietatem salutaribus scriptis aluistis, potumq; ei dedistis: nam peregre illi commoranti consolationi fuistis, eumque persecutiones tolerantem fidelissimis animis & mentibus vestris refocillastis. Mihi certe voluptati est, contemplanti & iam animo perspicienti vniuscuiusque in eius reditu lætitiam, & multitudinis reliogiosissimæ occursus, & celebrem conuenientium festiuitatem. C

Quis, putas, aut qualis erit vobis ille dies, cum & frater noster reuertetur, & mala superiora finem accipiet? cumq. pretiosus & optabilis illius reditus omnes alacritate plenissimi gaudij in vnum cooptabit? Tale gaudium maxima ex parte etiam ad nos vsque pertingit, quibus diuinitus tanti viri notitia concessa est. In preces igitur epistolam desinere oportet. Deus omnipotens & eius Filius Dominus & Saluator noster Iesus Christus perpetuam vobis gratiam præbeat, referens præmia vestræ admirabilis fidei, quam claro martyrio erga Athanasium Episcopum vestrum exhibuistis, vt vobis vestrisq. posteris & hic & in futuro optima impertiat, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem omnipotenti Deo gloria in sæcula sæculorum, amen. Valere vos omnes in Domino exopto, fratres dilecti.] hæc Iulius ad Alexandrinos: recitat & Socrates easdem litteras [a], extantque Latine redditæ alia versione. D

a Socrat. lib. 2. c. 18.

ATHANAS. VENIT ANTIOCHIAM.

His acceptis a Romano Põtifice litteris Athanasius, recedẽs ab Vrbe pedestri ne itinere via Appia Brundusiũ vsque peruenerit, an vero in Portu Romano nauim conscenderit, incertũ est: illud autem habetur exploratissimum, Roma recedentẽ, non Alexandriã ad suam Ecclesiam, sed Antiochiam concessisse. Peruenit igitur Athanasius Antiochiam, vbi tum erat Constantius Imperator, a quo benigne excipi visus est: id quidem ipse de se testatur, cum ait [b]: Venit igitur tandem Athanasius, venientemq. sincero serenoq. vultu intuetur, eiq. liberum facit, vt in patriam & suas Ecclesias rediret, litteris ad eius loci Iudices datis (quia priore edicto aditus seruari iussum erat) vt nunc eum inoffense transire permitterent. Episcopo autem suas calamitates calumniasque deplorante, & admonente ne denuo, se absente, calumniæ reciperentur: vt iam nunc accusatores euocaret: siquidem se non intercedere, quo minus illi sese apud Cæsarem sistant, vt eos ita conuincere posset: Hæc quidem Cæsar facere noluit; sed tamen omnia quæ contra ipsum per calumniam scripta essent, tolli & aboleri iussit, iurans se in posterum nullas calumnias admissurum, suumq. in hac re propositum firmum & inconcussum fore: neque id simpliciter dixit, sed & iureiurando, Deo in testimonium vocato, obsignauit.] hæc ipse. E

b Athanas. ad solitar.

QVID ATHANASIVS ANTIOCHIAE CVM CONSTANTIO.

Meminit huius quoque congressus Athanasij cum Constantio Osius Cordubensis Episcopus in litteris, quas multo post dedit ad eumdẽ Constantium, redarguens ipsum de persecutione in Athanasium iterum excitata, cum ait [c]: Athanasius deinde tuis litteris accersitus venit in castra tua; omnesque inimicos suos, qui Antiochiæ præsto erant, sigillatim vocari iussit, vt aut redarguerent, aut redarguerentur, & aut se præsente commonstrarent ea fecisse quæ obiecerant, aut ne absentem calumniarentur: sed ne te quidem hæc ipsis denunciantem

c Apud Athanas. epist. ad solitar.

A nunciantem sustinuerunt, minime istiusmodi conditiones admittentes.] hæc Osius.

Meminit & Lucifer Calaritanus[a] de iuramento Constantij scriptis etiam præstito, de non lacessendo amplius Athanasio; quod tradit fuisse pollicitum Alexandrinis. sunt hæc eius verba: Litteris tuis iurasti Alexandrinis, nihil mali facturum te deinceps Athanasio: et nunc quæris eum interficere.] Fuit cõgressus hic Athanasij cum Cõstantio Imperatore tertius, cum bis iam antea, dum esset idẽ Athanasius in Oriẽte, ab eodem diuersis fuisset locis & tẽporibus conuocatus; in quibus omnibus quàm se modeste habuerit etiam erga aduersarios, idem ipse ad eumdem Constantium scribens, tradit his verbis[b]: Obsecro te (noui vim memoriæ tuæ) reminiscere eorum verborum, quæ tecum habui, cum dignatus esses me sub tuum conspectum venire, primum Viminaci, iterum Cæsareæ quæ est in Cappadocia, tertio Antiochiæ: an vel tum de Eusebio, quamquam vexatore meo acerbissimo, quidquam sinistri dixerim: an cui-
B quam eorum, qui mihi iniurias fecere, asperius loquutus sim? Si igitur contra quos mihi pro defensione dicendum erat, non maledixerim: quæ illa fuisset mea insania, Imperatori apud Imperatorem obtrectare, & fratrem cum fratre collidere?] hæc Athanasius, apud Constantium se excusans, dum quereretur de ipso, quòd aduersus se Constantem Imperatorem concitasset.

[a] *Lucif. pro Athanas. ad Constant. lib. 1.*

CONSTANTII IVRAMENTVM.

[b] *Athanas. Apolog. ad Constantium.*

DIVERSI CONGRESSVS ATHANAS. CVM CONSTANTIO.

Quòd autem Antiochenæ Ecclesiæ præesset Leontius Arianus Episcopus, abstinuit Athanasius ab eius communicatione, atque (vt inquit Sozomenus[c]) cum illis qui Eustathiani vocabantur, nempe Catholicæ communionis hominibus magni illius Eustathij Arianorum oppugnatoris Episcopi Antiocheni sobole, conuentus in ædibus priuatis agebat: nulla enim illis erat Ecclesia, ab Arianis omnibus vindicatis. Subdit Sozomenus: Vbi autem Constantium Imperatorem Athanasius erga se beneuolum & facilem expertus est, & putauit suam sibi
C Ecclesiam restitutam fore: Imperator admonitus ab Arianæ sectæ præsidibus: Sum equidem, inquit, paratus ad præmissa præstanda, quibus impulsus te accersiui. Quare ipse beneficium, quod ego abs te petam, iure debes mihi concedere. Id quidem est, vt ex multis Ecclesijs, quæ tuæ ditioni subijciuntur, vnam habeant illi, qui tecum communicare detrectant.]

[c] *Sozom. lib. 3. c. 19.*

ATHANASIVS CVM EVSTHATHIANIS CONVENIT.

Id accipiens Athanasius, egregia responsione Constantii petitionem, dum non negaret, elusit, sic dicens: Maxime, inquit, o Imperator, quandoquidem æquum, immo necesse est tuis mandatis obtemperare (neque tibi equidem contradicam) verum cum Antiochiæ quoque sint qui communionem eorum, qui aliter atque nos de religione sentiunt, omnino refugiant; idcirco simile beneficium abs te mihi tribui postulo, vt videlicet isti itidem in hac vrbe vnam habeant Ecclesiam, in qua libere & sine metu in vnum conueniant. Postulatione igi-
D tur Athanasii ab Imperatore velut æqua probata, commodum visum est Arianis rem silentio præterire: quippe existimarunt, suam opinionem propter Athanasium nullam omnino apud Alexandrinos progressionem facturam, præsertim cum ille non modo ad suæ doctrinæ fautores in eadem firme continendos, verum etiam ad pelliciendos aduersarios, satis haberet virium & facultatis: Apud Antiochenos autem si istud fieret, primum Eustathianos, qui multi erant numero, conuentus facturos; deinde, vti simile veri erat, nouas res molituros, cum impune suos in vnum cogere possent: quandoquidem Arianis etiam Ecclesias occupantibus, totus clerus & populus Antiochenus eorum opinionibus minime obsequerentur; sed in cœtus pro more, dum Deum hymnis collaudabant, distributi sub finem hymnorum singuli suam opinionem declararent: et alii non Patrem modo, sed Filium etiam, vtpote Patri honore æqualem, gloria efferrent: alii, nempe Ariani, Patrem in Filio esse dicerent, atque per hanc
E præpositionem, In, Filium Patre inferiorem ostendere conarentur.

ATHANASIVS CONSTANTII PETITIONEM ELVDIT.

Tandem his rebus ita comparatis, Leontius qui sectæ Arianæ deditus illo tempore sedem Episcopalem Antiochenam gubernaret, incertus animi quid ageret, tametsi non aggrederetur eos, qui hymnis fidei Concilii Nicæni consentientibus Deum laudarent, prohibere; metuebat enim ne populus seditionem conflaret: tamen manu ad caput, quod iam valde canescebat, admota, dixisse fertur: Hac niue liquefacta, multum erit luti: quo significare voluit, se mortuo, dispares illorum hymnorum modos tandem in populi seditionem recasuros; quando Episcopi, qui ei succederent, nullo modo passuri essent, itidem se populi arbitrio in omnes partes circumferri.] hactenus de rebus gestis Athanasii cum Constantio Antiochiæ, Sozomenus. Socrates[d] vero reciprocam illam petitionem Athanasii ampliorem fuisse tradit, nempe vt liceret Catholicis non tantum Antiochiæ, sed in omnibus ciuitatibus, quibus præerant Episcopi Ariani, Ecclesiam habere.

LEONTIVS ARIANVS PATITVR EVSTHATIANOS.

[d] *Socrat. lib. 2. c. 18.*

Post hæc autem tum de Athanasii, tum aliorum Episcoporum exulum restitutione facta per

a Socrat.ibid.

RESTITVTIO EPISCOPORVM EXVLVM.

per Constantium hæc subdit Socrates [a]: Quapropter Imperator Athanasio, Paulo, & Marcello, quin etiam Asclepæ Gazæ Episcopo, & Lucio Episcopo Hadrianopolis proprias suas ipsorum sedes restituit. Isti duo posteriores etiam a Concilio Sardicensi admissi erant: Asclepas quidem quòd commentarios ostenderat, ex quibus cōstabat, Eusebium Pamphilum cum alijs nonnullis eius causam diligenter cognouisse, tum ei proprium dignitatis gradum reddidisse.] magna quippe illa probata esse videbatur innocentia, quæ etiã aduersariorum animos persuadere & erga eumdē Asclepam inflectere potuisset. Lucius autem, quòd accusatores aufugisset, ibidē fuerat innocens comprobatus. prosequitur Socrates: Mandata igitur Imperatoris ad proprias cuiusque illorum ciuitates exiuerunt, quibus erat imperatum, vt illos prompto & parato animo reciperent. Ancyræ igitur, quoniã Basilius erat exturbatus, Marcellusq. in eius locum venerat, non exiguus tumultus concitatus est: qui quidem illis qui aduersariam opinionē tuebantur, ansam præbuit ad Marcello obtrectandum. Ciues Gazæ Asclepam libenter exceperunt. Constantinopoli autem Macedonius Paulo ad tempus locum concessit, & in ecclesia quadam ciuitatis separatim conuentus fecit. Pro Athanasio vero Imperator ad Episcopos & clericos & populum Alexandrinum scripsit litteras, vt illum lubentibus animis exciperent.] Porro litteras tunc a Constantio Alexandriam scriptas Athanasius singulas recitat, hancq. primam ordine [b]:

b Athanas. Apolog. 2.

CONSTANTII LITTERAE PRO ATHANASIO.

Victor Constantius Maximus Augustus Episcopis & presbyteris Catholicæ Ecclesiæ S.

Non est derelictus a Dei gratia reuerendissimus Athanasius: tametsi ad breue tempus humanæ probationi subiectus fuerit: iustum enim debitumq. iam ab omnia ferente & sustinente prouidentia calculum retulit, eo quòd & voluntate Optimi, Dei scilicet, & iudicio nostro, patriam, & Ecclesiam, quam antea diuino nutu possedit, recipiat: ad quem congruentia etiam a nostra humanitate perferri oportet: adeo, vt omnia, quæ antea contra eos, qui cum eo communionem celebrarunt, decreta fuere, obliuioni tradi velim; omnisq. deinceps suspicio contra aboleatur; et immunitas, quam olim habuere ipsius clerici, firma illis & rata (prout decet) conseruetur. Quin & hoc quoque eius gratiæ adijci, æquum arbitrati sumus, vt apud vniuersos sacri ordinis viros promulgetur, cunctis qui Athanasio adhæsere, datam esse securitatem, siue Episcopi, siue clerici sint. Abunde enim argumenti est, vnumquemque eorum probi animi esse, vel eo solo, quòd Athanasio consociati fuere. Quicumque enim meliori & iudicio & factione huius communionem elegerunt, hos omnes iussimus ad exemplar superioris prouidentiæ, & secundum nostram voluntatem, vt gratia ab optimo Deo tributa securiter perfruãtur. Deus vos seruet.] secunda vero epistola sic se habet:

Victor Constantius Maximus Augustus populo Alexandriæ Catholicæ Ecclesiæ S.

ALIAE CONSTANTII LITTERAE PRO ATHANASIO.

Cum ante oculos habeamus vestram in omnibus disciplinam, & nequaquam inscij simus, vos iampridem Episcopali prouidentia destitutos: decreuimus, Athanasium Episcopum, virum apud omnes rectitudine morumq. probitate clarum, ad vos remittere. Hunc igitur si lubenter & decenter receperitis, eumq. vestris precibus opitulatorem adhibueritis: concordiam & vobis decoram & nobis gratissimam simul, pacemque perpetuam, & Ecclesiæ legem conseruabitis. Absurdum enim est, discordiam aut seditionem inter vos agitari, & alienum hoc ipsum est a nostrorum temporum integritate. Volumus igitur & hoc vitium prorsus a vobis abesse: et vos in vestris precibus perpetim illo, vt dixi, præside & opitulatore apud Deum vti, & in eo studio solito more perseuerare: vt tali proposito, vestro omnium ore celebrato, Gentiles qui etiamnum idolorum erroribus inhærent, ad sacræ religionis cognitionem promptisime decurrant.

Quapropter denuo vos admonemus, vt superioribus dictis acquiescentes, Episcopum suffragio Optimi, & nostra voluntate, huc remissum, libenter suscipiatis, eumq. ab animis sententiisq. vestris indissolubilem putetis: id enim vos decet, & nostræ mansuetudini congruum est. Ad omnem siquidem conturbationis & seditionis materiam extirpandam, qua cupidi malorum libenter vtuntur: nostris apud vos Iudicibus per litteras iniunximus, vt quotquot seditiosos inuenerint, pœnis, supplicijsq. legum coerceant. Omnia igitur ista præ oculis habentes, & nostram cum optimo Deo coniunctam sententiam, curamq. vestrum simul & concordiæ, pœnamque in immodestos constitutam, congrua decentiaque sacræ religionis legibus seruantes, prædictum Athanasium cum omni reuerentia & honore colite; vestrasq. preces cum eo, & pro vestra, & pro cuiusque vitæ sanctitate ad omnium parentem Deum offerte.] hæc ad Catholicum populum Constantius Imperator, multis inculcans pacem & concordiam, quòd vereretur, ne qui ab Arianis, Gentilibus, ac Iudæis tot tantaque passi erant (vt dictum est suo loco superius) cum Gregorius Arianus in sedem Alexandrinam intruderetur, illorum

A illorum memores, hac temporis prosperitate abusi, in illos insurgentes vices redderent: qui enim paulo ante, nondum Athanasio restituto (vt e Theodoreto dictum est) ipsum Gregorium Episcopum Arianum necassent, haud temperaturos esse a cæde eorum qui cum eo aduersus Orthodoxos conniuerant, iustus metus Constantij esse potuit.

Hisce litteris recitatis, hæc Athanasius subdit: His scriptis, iussit ea quæ prius aduersum me decreta erant per calumnias Eusebij, abrogari, tolliq. de tabulis Ducis & Præfecti Aegypti; missusq. ea de causa Eusebius Decurio sustulit ea de tabulis. scripta autem sese hunc in modum habent:

Victor Constantius Augustus Nestorio S. Et eadem forma Augustannicæ, Thebaidis, & Africæ Præfectis. ALIAE RVRSVM LITTERAE PRO ATHANASIO.

Si quid vmquam ad noxam, contumeliamve eorum qui Athanasio communicarunt, decre-
B tum inuenitur, id omnino deleri volumus. Nam & officium quod antea habuerunt eius clerici, iterum eosdem habere volumus. Hoc enim decretum obseruari iubemus, vt restituto Athanasio suæ Ecclesiæ, communicatores illius idem habeant officium, quod antea possederunt, quo & ipsi se gaudeant prorsus restitutos esse.] hæc ad Nestorium, cuius mentio habetur in Actis persecutionis Arianorum in Ecclesiam Alexandrinam: erat etiam hic idem tum in magistratu, opemque ferens Arianis. Quæ vero ibi sequuntur de Concilio Hierosolymis habito, deq. litteris ex eo scriptis ad Aegypti & Libyæ Ecclesiam, dicentur anno sequenti, quo peracta esse noscuntur.

Recedens Athanasius Antiochia, Hierosolymam venturus trãsijt Laodicea, vbi cum Apollinare eius Ecclesiæ lectore familiarem congressum habuit: quam ob causam idem Apollinaris a Georgio eius loci Episcopo Ariano expulsus ab Ecclesia fuit. rem gestam Sozomenus nar- ATHANASII ADVENTVS LAODICEAM SYRIAE.
C rat his verbis [a]: Cum Athanasius Episcopus Ecclesiæ Alexandrinæ post exilium, quod fuerat regnante Constantio perpessus, redire in Aegyptum iussus esset: ei iter forte per Laodiceam facienti Apollinaris familiaris & amicus in primis factus est. Et quoniam communicare cum Athanasio execrabile quiddam videbatur Arianis, e quorum numero fuit Georgius illius vrbis Episcopus: idcirco Apollinaris Ecclesia per contumeliam expellitur, perinde ac si contra canones & leges sacerdotum in congressum cum Athanasio venisset. Atque eum Georgius non de his rebus solum accusauit, verum etiam peccata, quæ iam olim pœnitentia deleuerat, criminis loco obiecit. Nam dum Theodotus, cui Georgius successit, Laodicensem Ecclesiam adhuc regebat: Epiphanius illius ætatis sophista insignis hymnum in Bacchi laudem ediderat: quo præceptore vsus Apollinaris (adhuc enim adolescens erat) vna cum patre eodem ipso nomine vocato, Grammatico sane haud obscuro, ad hymnum illum audiendum profici-
D scebatur. Vbi autem hymnum recitare orsus est Epiphanius, eos qui mysterijs Bacchi haud initiati, quiq. profani erant (vti consuetudo fert eorum qui talia dicendo se ostentare solent) foras exire iubet. At neque Apollinarem adolescentem, neque eius patrem senem, neque quemquam alium Christianum, qui forte aderat, ab se audiendo exclusit.

[a] Sozom. lib. 6. c. 25.

Qua re cognita, Theodotus Episcopus iniquo animo & grauiter tulit; et vt laicis aliquantum obiurgatis veniam tribuit; sic ambos Apollinares palam delicti criminatos, ab Ecclesia segregauit: erat enim vterque ex clero, pater quidem presbyter, filius autem etiam tum litterarum sanctarum lector. Quodam autem temporis spatio intermisso, cum Theodotus eos, cum lacrymis & ieiunijs debitam pro peccatis pœnitentiam egissent, in Ecclesiam denuo recepit. At Georgius vbi eum est consequutus Episcopatum, & Apollinaris in consuetudinem & familiaritatem Athanasij (vti dictum est) venerat: eum a communione excludit, & ab Ec- APOLLINARES EXCOMMVNICATI A THEODOTO.
E clesia alienum pronunciat. Quem dicunt ab eo sæpe petiuisse, vt se in communionem reciperet. Verum cum illud impetrare non posset, graui quadam animi offensione pulsus, Ecclesiam turbare, & doctrinæ nouitatem, quam diximus, nempe quòd veram Christi negabat humanitatem, asserens diuinitatem pro anima corpori illi coniunctam, introducere cœpit: et quantum in ipso situm erat, arte dicendi aduersarium vlcisci atque vehementer arguere, quòd cum doctrina sacrarum litterarum inferior esset, præstantiorem se non vereretur abdicare.

Ista sane priuatæ inter clericos varijs temporibus susceptæ inimicitiæ maximo detrimento Ecclesiæ fuerunt, & religionem in varias sectas distraxerunt: cuius rei hoc satis est argumenti: nam si Georgius pari ratione atque Theodotus Apollinarem, cum eum pœnituisset culpæ cõmissæ, ad Ecclesiam recepisset, non arbitror hanc hæresin eius nomine nuncupatam, ortam aliquando fuisse. Ea enim est humana natura, vt cum despecta sit, obstinate insolescat, & cum contentionis, tum rerum nouandarum studio flagrare incipiat; at cum æquales partes ferat, soleat se moderate gerere, & intra eosdem rationis velut cancellos manere.] hactenus APOLLINARIS HAERESIS ORTVS.

Sozomenus

A Sozomenus de congressione Athanasij cum Apollinare amice pieq. facta, cuius tamen occasione Georgius Laodicenus Episcopus Arianus Apollinarem iuniorem ad tantum scelus impulit. Eadem ferme de Apollinarium hæresis origine haber Socrates[a], qui & genus senioris Apollinaris recensens, air, fuisse Alexandrinum, ac primum Berythi, inde vero Laodiceæ ludum aperuisse litterarium, ac docuisse Grammaticas facultates: Iuniorem vero Apollinarem excultum Rhetoricis disciplinis: Alios autem esse, qui de ambobus referant, sponte illos ab Ecclesia recessisse, quòd eorum Episcopus Arianus inconstantissimus esset, cum ijdem Nicænæ fidei professores existerent.

a Socrat. lib. 2. c. 36.

At certe quidem nulla potuit esse eis ignominia, ab Ecclesia cui præsideret Arianorum anresignanus, fuisse eiectos; in qua vel manere tantum, videri poterat extra Catholicā Ecclesiam positum esse; et ab illa recedere, esse vniuersali Fidelium cœtui incorporari: ac proinde stultam fuisse huiuscemodi Apollinariū vindictā, in odium Georgij, aduersus Ecclesiam Catholicam pugnantem hæresin excogitasse, & illam quidem, cuius (vt auctor est Epiphanius in Niceno secundo[b] Concilio differens) ipsimet Ariani auctores fuere, quod & teste Gregorio Nazianzeno confirmat. nam de Arianis ait: Opinantur enim extra animam rationalem Dominum nostrum factum hominem, & pro anima Deitatem habuisse, vt affectiones quoque illi adsignent, quemadmodum Gregorius Theologus testificatur.] hæc ipse. Ceterum Socrates & alij ponunt auctorē huius hæresis Apollinarem iuniorē, qua a Christo animam rationalem ademit; diuinitatem dicens, nempe Verbum, corpus ipsum animasse; deinde inconstans, a priore sententia, correctus, protinus discedens, Christi humanitati animam ita tribuerit ipse amēs, vt ea mente caruerit, cuius loco diceret inditum esse Verbum. ista ex Socrate: ceterum aliā complura ad hæc ipsorum erroris principia superaddita esse deliramenta, dicemus inferius: hæc modo satis attigisse occasione congressus Apollinaris iunioris cum Athanasio Laodicea transeunte, dum Alexandriam reuersurus pergeret Hierosolymam, cuius reliqua itineris pro ratione temporis affectabimur anno sequenti. B C

b Concil. Nicæn. 2. Act. 6.

ARIANORVM ET APOLLINARIANORVM HÆRESIS.

Ceterum non sic præsenti anno recensuisse voluimus duorum Apollinarium lapsum, vt hoc ipso anno ille acciderit, & eorū hæresis innotuerit, quam lōge post diffamatam esse in Ecclesia constat, sed occasione congressus hoc anno initi cum Athanasio: cum tamen liqueat Epiphanij[c] testificatione, dum hæc Constantij tempore de Ariana hæresi vigerent discrimina, ambos Apollinares magna cum laude in Ecclesia vixisse, & in medio nationis prauæ eluxisse confessione Nicænæ fidei, tamquam lucernas ardentes in caliginoso loco, cui princeps tenebrarum dominabatur, Athanasio ac ceteris Catholicæ fidei defensoribus addictissimos: adeo vt cum de huiusmodi hæretica eorum sententia per ipsorum discipulos postea rumor increbuisset, apud Orthodoxos eorūdem studiosos fidem non inueniret. vnde & Epiphanius ait[d]: Primum quidem cum audissemus a quibusdam ipsius discipulis, fidem non habebamus, quòd talis vir (nempe iunior Apollinaris) hanc sententiam inuexisset: amplius in expectatione rei longanimes, donec rei certitudinem cognosceremus. Dicebamus enim, eos qui ad nos ab ipso venerant, non intelligere profunditatem eorum quæ a tam docto & prudente doctore dicerentur, & a seipsis hæc eos dicere, quæ ab ipso non didicissent.] hæc Epiphanius de primordijs Apollinaris: qui tamen semel in præceps actus, eū tātum antea abhorreret ab hæresi Ariana, postea infelix illi se affinitate coniunxit; nam sic de ipso Gregorius[e] Nazianzenus: Illud scire necesse est; Apollinarem, quamuis diuinitatis nomen Spiritui sancto dederit, vim tamen diuinitatis minime retinuisse. Etenim ex magno, maiori, & maximo, hoc est ex Spiritu sancto, & Filio, & Patre, tamquam ex splendore, radio, ac Sole Trinitatem constituere (quod quidem in libris eius disertis verbis scriptum est) diuinitatis scala est non in cælum subuehens, sed e cælo deijciens.] hæc Nazianzenus. At de propalatione hæresis Apollinaris, suo loco dicendum est. D E

c Epiphan. hæres. 76.

d Epiphan. ibid.

e Greg. Nazian. epist. ad Cledonium prope fin.

His de rebus Ecclesiasticis percensitis; haud prætermittendum, quod hoc eodem anno sub ijsdem Consulibus extat datum Imperatorum rescriptum[f] aduersus sepulchrorum demolitores. Adeo enim Christianis creuerat (vt dictum est) conceptum semel odium in idola, vt pati non possent in eorum agris dijs manibus dicatas memorias defunctorum integre conseruari; quas, vt antea cœperant, euertere ac demoliri, licet vetiti (vt vidimus) legibus eorumdem Imperatorum, minime abstinerent: quamobrem ijdem seueriores de his sanxere leges, quibus non tantum qui post hæc talia auderent, indicta pœna mulctati voluerunt, sed illos pariter qui a Consulatu Dalmatij atque Zenophili similia præsumpsissent. Sed quòd nec ita eos coercere his terroribus valuerint, aliæ rursum postea hac de re editæ sanctiones sunt eodem argumento.

LEGES ADVERSVS DEMOLITORES SEPVLCHRORVM.

f l. 2. de sepulchr. violat. C. Theod.

Rescripsere

A Rescripsere hoc ipso anno iidem Principes aduersus raptores virginum [a], vt capitali senten- a *l.2. de rapt. virg. C.Theod.*
tia ferirentur; secundum quam, refert Ammianus [b], Petrum Valuomerem raptorem virginum ALIAE CON-
facinus supplicio capitis luisse. STANTII LE-
Iisdem quoque Coss. ad Seuerianum Achaiæ Procõsulem de immunitate clericorum Con- GES.
stantius Imperator [c] in hæc verba rescripsit: Curialibus muneribus, atque omni inquietudine b *Ammian. lib. 15.*
ciuilium factionum exortes cunctos clericos esse oportet: filios tamen eorum, si Curiis obno- c *l.9. de Episcop.*
xij non tenentur, in Ecclesia perseuerare. Dat. III. Id. April. Limenio & Catullino Coss.] Con- *& cler. C.Theod.*
tingebat (vt dictum est auctore Hieronymo aduersus Iouinianum agente) frequenter ordi-
nari coniugatos, quorum filij iam astricti muneribus publicis, vetiti sunt, in Ecclesia cle-
rici ordinari.

B

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
350.	14.	14.

CHristi anno trecentesimo quinquagesimo, Sergio & Nigriano Consulibus, Constans Im- CONSTANS IMP.
perator mense Martij occiditur a Magnentio sibi Imperium vendicante: id his Consuli- OCCIDITVR.
bus factum, Socrates [d] auctor est, qui vna cum Sozomeno alia quoque chronographia hoc d *Socrat. lib. 2.*
ipsum tempus consignat necis Constantis, quam accidisse tradunt quarto post Cõcilium Sar- *c.9. & 10. in fin.*
dicense, hoc nempe, anno. Rem gestam Aurelius Victor sic narrat [f]: Constans vero venandi e *Sozom. lib. 4. c.1.*
cupidine, dum per siluas saltusq. erraret: conspirauere aliquanti militares in eius necem, au- f *Aurel. Victor*
ctoribus Chrestio & Marcellino, simulq. Magnentio. Qui vbi patrandi negotij dies placuit *: *Epitom. hist. in*
C Marcellinus natalem filij simulãs, plerosque ad cœnam rogat. Itaque in multam noctem con- *Annibal. Const. & Constant.*
uiuio celebrato, Magnentius quasi ad ventris secreta secedens, habitum venerabilem (nempe * applicuit
purpuram Imperatoriam) capit. Ea re cognita, Constans fugere conatus apud Helenam oppi-
dum Pirenæo proximũ, a Gaisone cum selectissimis * missi, interficitur anno decimotertio Au- * lectissimis
gustæ dominationis, nam Cæsar triennio fuerat, æui septimo, vigesimoque. Hic fuit debilis pe-
dibus, manibusq. articulorũ dolore, fortunatus cæli temperie, fructuum prouentu, nulla a bar-
baris formidine: quæ profecto maiora fuerint, si prouinciarum Rectores non pretio, sed iudicio
prouexisset.] hucusque de Constante Victor. Quòd vero Eutropius tribuat regno illius annos
decem & septẽm: numerat cum eo tempus quoque, quo Cæsar cum patre regnauit.


De obitu Constantis eadem etiam Zosimus [g], qui & Augustoduni a Magnẽtio sumptã pur- g *Zosim. lib. 2.*
puram tradit, eumq. præfectũ fuisse Legatum militibus Iouianis & Herculianis: erant hotum MAGNENTIVS
D legiones a Diocletiano atque Maximiano Imperatoribus institutæ, & suo ipsorum cognomine TYRANNVS OC-
insignitæ, eoq. honoris prouectæ, vt Imperatorem comitari solerent, quod Prætorianorum mi- CIDENTALE
litum muneris erat: eædemq. non amplius ex Ethnicis, sed Christianis constantes militibus; INVADIT IM-
quippe quæ sub Christi signi vexillo militarent expresso, nempe sub Labaro, & Christiano in- PERIVM.
seruirent Imperatori, cuius custodia haud erat aduersariæ religionis militibus committenda:
ob quam quoque causam iisdem præfecti Tribuni, ducesq. deligebantur, Christianæ re-
ligionis cultores homines, quales fuisse ipsum Magnentium Legatum exercitus, atque De-
centium eius Germanum, quem mox Cæsarem dixit, numismata Christi nomine consignata
exptesse declarant [h], quæ hic reddenda curauimus, ac primum ipsius Tyranni Magnentij, in h *Extant plura ad genus. hac ac-*
Christi nomine spem salutis se simulantis habere, vt signa ac litteræ ex aduersa parte numis- *cepimus a D. Angelo Breuentano*
E matis posita præseferunt. *Papiensi. Alia bis similia ponũtur ab Adolph. Occ.*





Parem quoque pietatis cultum quod subiicitur Decentij numisma declarat, dum pro victo-
rijs vota publica nuncupata Christi nominis signo pariter consecrata noscuntur.

A





Vides feralia monſtra ex pulchris nominis Chriſti ſignis diram aucupari tyrannidem, iiſ- B
demq. ſacris titulis proditoriè vti ad inuadendum Imperium, ſanctisq. Chriſti notis Chriſtianiſſimo Imperatori machinari necem. Agebat ſecurus Conſtans, qui ſciret Legatum dediſſe exercitui Chriſtianum: nec timebat aliquid in Imperium moliri poſſe a deorum cultoribus, ad quos continuo reprimendos noſſet ſe habere duces ac milites Chriſtianos. Hic primum (proh dolor!) dira perciti regnandi libidine Chriſtiani duces in Chriſtianum conſpirant Imperatorē,
a Tertul. ad Scapulā & Apolog. cum olim ne gregarius quidem miles, teſte Tertulliano [a], inueniri poſſet, qui aduerſus Imperatores, licet Ethnicos, & Chriſtianorum quoque perſecutores, a partibus aliquando ſteterit inſurgentium tyrannorum.

Ceterum ſimulate ficteq. potius quàm vere Chriſtianam religionem Magnentium coluiſſe (quod & ad tempus feciſſe ſcimus Iulianum Apoſtatam) magno quidem eſt argumento, quòd ſimulac liberas nactus eſt habenas Imperij, proſcripta deorum ſacrificia lege Conſtantis, re- C
b l. 5 de Pagan. Cod. Theod. ſtituit Idololatris; prout ex reſcripto [b] Conſtantij Imperatoris poſtea dato poſt eumdem Magnentium tyrannum extinctum apparet, quod ſuo loco ponetur inferius.

Quod vero ſpectat ad necem innocentiſſimi Principis: S. Athanaſius cum proſequitur immenſo luctu tãtam Chriſtianæ religioni illatam cladem; ipſum Conſtantem a nefando perdi-
MAGNENTIVS QVALIS HABITVS. toq. Magnentio occiſum, Martyrem nominat; ipſumq. Magnentium, diabolum, incantatorem, perfidum, periurum, atque monſtrum appellat: nam ad Conſtantium Imperatorem ſcribens,
c Athanaſ. Apolog. ad Conſtantium. inter alia de Conſtantis fratris eius nece hæc habet [c] per ironiam: Credo, magnam ſcilicet & multam illi gratiam debebam, quòd piæ memoriæ tuum fratrem, cuius donariis eccleſiæ plenæ ſunt, ipſe Magnentius eius Legatus occiderit, nihil eam neceſſitudinem, cum ante oculos verſaretur, reueritus, nihilque gratiam beato tuo fratri in baptiſmate donatam reſpiciens, veluti dæmon & furia infernalis in eum inſiluit. Atque ita ſanctiſſimus ille vir martyrium aſſecutus D
eſt.] hactenus Athanaſius.

CONSTANTIS AVG. DIGNAE LAVDES. Sint hæc epitaphium & dignus titulus ſepulchralis Chriſtianiſſimi Imperatoris Magni Cõſtantini digniſſimi filij, qui & parentis pietatem in his viſus eſt plurimum ſuperaſſe (haud enim
d Prouerb. 15. inuidioſa huiuſmodi erit cõparatio, nam gloria [d] patris eſt filius ſapiens) dũ adeo coluit officijs Athanaſium exulem, etiam aduerſus Conſtãtium fratrem, paratus pro vno Athanaſio illi bellum inferre; nec deſtitit totum Orientem & Occidẽtem commouere, donec Oecumenico Sardicenſi coacto Concilio, Arianorum violentos retuderit impetus; & Orthodoxos calumniam paſſos, ab ſuisq. ipſorum ſedibus eiectos Epiſcopos, ſententia abſolutos, in proprias Eccleſias, inuito & moras nectente Conſtantio, aduerſantibus & reclamantibus Arianis, poſtliminio reſtituerit; quos olim primo pater Conſtantinus imprudens deceptus ab Euſebianis eiecerat, & deinde eorumdem inſtigatione perfidorum Conſtantius frater maiore ignominia atque iactu- E
ra proſcripſerat. At quantã ſibi Conſtãs inde etiam apud Deum gratiam, & apud Chriſtianos homines in Eccleſia Catholica laudem & gloriam comparauit, dum quod pater eius fruſtra tentauit, ipſe perfecit; cum quaſſatam fractamq. diro & diuturno ſchiſmate Africanam Eccleſiam, ipſe Imperatoria munificentia populum ſibi deuinciens, & militari terrore exagitans refragantes obſtinatos Epiſcopos, fidei & pacis vnitate compaginarit?

QVID EPISCOPI DE CONSTANTE. Accipe & ex ſacro Conuentu Orthodoxorum Epiſcoporum præclarum de eodem Conſtante præconium, ea epiſtola, quam iidem ſcripſerunt ad Imperatorem Conſtantium, vbi poſt habitam mentionem de Mediolanenſi Synodo, in quam admiſſi ſunt Vrſacius atque Valens Ariani Epiſcopi pœnitentes, hæc ſubſequuntur de promulgata fide Catholica a Conſtante:
e Apud Athan. lib. de Synod. Fuit (inquiunt [e]) proinde nobis perſuaſiſſimum, iniquum eſſe, cum Imperator Conſtans ab obitu ſuo dignus omni memoria hanc fidem omni cura & diligentia conſcriptam promulgarit: tum demum, ex quo ille baptizatus, ex hominibus in requiem ſibi debitam tranſlatus eſt,

A aliquid noui in ea fide moliri velle.] hæc de Constante Patres illi sanctissimi, licet apud Theodoretum perperam legi Constantinum loco Constantis, ex germana Athanasij lectione superius demonstrauerimus; consentientiaq. esse his quæ ex eodem Athanasio de Constante iam antea baptizato, modo sunt recensita.

Vides igitur, prudens lector, quàm calumniose eum infament scriptores Ethnici, & ex nostris qui nimis facile iisdem fidem præstiterunt, dum ipsum obscœnæ voluptatis & auaritiæ sugillant; quem Athanasius cum illo versatus, & cunctarum rerum ipsius optime conscius (vitia enim Principum haud occulta esse sinuntur, sed maiora quoque veris ob illorum amplitudinem suspicio fingit atque diffamat) homo alioqui ab adulatione procul abhorrens, celebrat scriptorum publicis monumentis, quem & non vnus aut alter, sed Orthodoxorum Concilium, præuia recta fide & dignis operibus, in beatam requiem translatum affirmat. At de Con-
B stante hactenus.

Eodem ferme tempore, quo nunciatum est Magnentium in Gallijs Imperium arripuisse, Vetranio in Pannonia exercitus Dux eadem ambitione percitus, apud Mursum legionum suffragio acclamatur Imperator. Quamobrem & Romæ audita Constantis nece, Nepotianus Constantini Magni sororis Eutropiæ filius, Augusti nomen assumpsit, id sibi sanguinis iure vendicans, cum præter Constantium qui imperabat in Oriente, qui Constanti succederet, nullus esset propinquior. Verum haud felix fuit eius progressus; nam vigesimooctauo a suscepto Imperio die per Anicetum Præfectum Romæ a Magnentio constitutum occiditur. hæc pluribus Zosimus [a], Victor [b], & alij. Sed & occisa pariter est ipsa Eutropia, & alij eorumdem perneceffarij, Romæ hospites Athanasii; qui de his agens Apologia sua ad Constantium postea scripta, cum illam recentem in se illatam dimouet calumniam, quòd aduersus ipsum

VETRANIO TYRANNVS ET NEPOTIANVS IMPERIVM SVMVNT.

a Zosim. lib. 2. b Victor. Epitom.

C Constantium scripsisset ad Magnentium tyrannum, inter alia multa, hæc de horum nece subinfert [c]: Quæ igitur causa me incognitum ad ignotum propulit, aut quæ denique occasio pertraxit, vt ad talem hominem litteras mitterem? Quod initium epistolæ, si ei scribere libuisset, sumendum fuerat? Illud ne scilicet, bene eum & recte fecisse, quòd virum, apud quem in honore & pretio eram, cuiusq. beneficiorum numquam obliuisci poteram, occidisset, meque proinde, quòd notos meos, Christianosque homines, & fidelissimos hac luce spoliasset? An quòd hospites meos Romæ, qui me multa & vera beneuolentia tractauerant, occidit? An quòd beatam materteram tuam, iure meritoque a bonis moribus Eutropiam dictam, & Abucreonem sincerissimum hominem, & Sperantium fidelissimum, aliosq. complures peremisset?] sic ipse.

c Athanas. Apolog. ad Constantium.

Inter hæc autem cum idem Athanasius Alexandriam reuersurus adhuc in itinere esset, lit-
D teras Constantij Imperatoris recens scriptas accepit de sui securitate, ea nimirum occasione; quòd Ariani audita in Aegypto morte Constantis, quem scissent eiusdem Athanasij fuisse patronum, in cuius gratiam visus esset Constãtius annuisse, vt ipse in suã reuerteretur Ecclesiam; magnopere exultarent, eumdemq. Athanasium territarent, quòd eodem abrepto morte Cõstante, interceptus pariter esse videretur eius reditus Alexandriam: hoc namque est quod ait Socrates [d]: Cum nondum Alexandriam aduentaret, grauissima crimina de integro confingunt, &c.] Hæc vero audiens Constantius Imperator, scriptis ad eum denuo litteris, iubet bono animo esse. recitat eas idem Athanasius, quæ sunt huiusmodi [e]:

ARIANI RVRSVM IN ATHANASIVM.

d Socrat. lib. 2. c. 21.

e Athanas. epist. ad solitar.

Victor Constantius Augustus Athanasio S.

Votum meum fuisse, vt omnia ex sententia fratri meo Constanti procederent, neque vel tuam conscientiam latet. In quanto autem mærore fuerim, cum didicissem eum a quibus-
E dam impiis sublatum esse, facile iterum tua prouidentia diuinauerit. Ceterum quia nonnulli sunt in hoc luctuoso tempore, qui te terrere satagunt: ideo has litteras tuæ firmitudini porrigendas censuimus: quibus tibi auctor sum, vt quemadmodum Episcopum decet, ea quæ ad sacram religionem pertinent, populos doceas, tuisq. consuetis precibus vaces, neque vanis rumorem ferentibus credas, quicumque etiam fuerint. In nostro autem animo fixum est, vt secundum nostram voluntatem perpetuo in sede tua Episcopus maneas. Diuina prouidentia te plurimis annis conseruet, parens carissime.] sic ipse. Allatæ sunt hæ Constantii litteræ ad Athanasium a Palladio Palatii Magistro & ab Asterio Armeniæ Duce, vt ipsemet in Apologia ad eumdem Constantium testatur, vbi easdem quoque recitat litteras, quibus hæc mox subdit:

CONSTANTII LITTERAE AD ATHANASIVM.

Rebus igitur ad istum modum actis & constitutis; Athanasium cum suis iter carpentem amici quidem amicum intuentes gratulari, alii vero ad conspectum eius pudescere; alii, quibus nulla erat fiducia, sese abdere; alii pœnitentiam de his quæ contra Episcopum scripserant, agere.

ATHANASIVS REDIENS A PALAESTINIS DIGNE EXCIPITVR.

agere. Certe Palæſtini omnes Epiſcopi, exceptis duobus, aut ad ſummum tribus, iiſque ſuſpectis (erant hi Acacius Cæſareæ, & Patrophilus Scythopolis Epiſcopi inter Arianos ob inſignem impietatem notiſſimi) ita Athanaſium exceperunt, & communionem eius amplexi ſunt; vt & ſcriptis & verbis pro ſatisfactione proteſtarentur, omnia quæ prius ſcripſerant, ea ſe non voluntate, ſed vi coactos feciſſe.] A

CONCILIVM HIEROSOLYMITANVM.

Sed haud leue id viſum eſt eſſe negotium, cuius cauſa Maximus Epiſcopus Hieroſolymitanus coegit Hieroſolymis Synodum, in qua Epiſcopi illi, qui olim ſententiæ in Athanaſium ſubſcripſerant, facti pœnitentes, illudq. deteſtantes, eidem communione conſociari enixius poſtularunt. præſens fuit eidem Synodo Athanaſius, cuius honoris cauſa fuerat congregata, vbi ipſe ijs qui olim contra ſe deliquiſſent, pepercit, eoſdemq. ad pacem communionemque benignus accepit. Meminit huius Concilij Hieroſolymitani ipſe Athanaſius, cum ſic res ſuas narrare[a] pergit: Deductus igitur cum ſuis ad iſtum modum Athanaſius, in peragranda Syria, Syros & Palæſtinos conuenit; qui Synodo Hieroſolymis coacta, ſinceriter eum cum ſuis exceperunt, & cum pace deduxerunt, ſimulq. ſcripſerunt has litteras ad Epiſcopos: B

a Athanaſ. Apolog. 2.

Sancta Synodus Hieroſolymitana omnibus ſacrorum in Africa & in Aegypto comminiſtris noſtris, presbyteris item Alexandrinis, diaconis, populoque, dilectiſſimis fratribus in Chriſto ſalutem.

LITTERAE EX SYNODO HIEROSOLYMITANA.

Pro dignitate rerum omnium Domino gratias agere non ſufficimus de miraculis, quæ vbique & potiſſimum erga veſtram Eccleſiam operatur: cum vobis reſtituat Paſtorem veſtrum & dominum comminiſtrum noſtrum Athanaſium. Quis enim ſperauit vmquam ea ſe oculis viſurum, quæ nunc reipſa experimini? Certe preces veſtræ exauditæ ſunt ab omnium rerum Domino, qui pro tanta Eccleſia curam gerit, veſtraſque lacrymas & lamentationes intuetur, ac proinde veſtras obſecrationes ratas voluit. Eratis tamquam oues abiectæ, diſſipatæque ſine paſtore: propterea ad vos cælitus reſpexit verus Paſtor ouium ſuarum mire ſolicitus, eumque vobis reſtituit, quem deſiderabatis. Ecce enim nos omnia pro Eccleſiaſtica pace agentes, & cum veſtra dilectione conſpirantes, priores illum complexi ſumus; et communione cum eo inita, has ſalutationes vobis mittimus, & hæc noſtra gratulantia vota, vt cognoſcatis, nos copula communionis illi coniunctos eſſe. Veſtrum autem eſt pro pietate religioſiſſimorum Imperatorum orare: qui & ipſi in gratiam veſtri deſiderij, illiuſq. innocentiæ, quam iam cognitam habent, eum cum omni honore reſtituere voluerunt. Pronis igitur manibus eum excipientes, gratulatorias preces (vt par eſt) Deo qui hæc tribuit, offerre ſtudete, vt ſemper in Deo gaudeatis, & glorificetis Deum in Ieſu Chriſto Domino noſtro, per quem Patri ſuo gloria in ſæcula ſæculorum.] hactenus litteræ ex Synodo; ſubdit his Athanaſius: Horum ſubſcribentium nomina etſi antea ſignificaui; tamen eadem iterum edenda arbitratus ſum. Sunt enim iſti, Maximus, Aetius, Arius, Theodorus, Germanus, Siluanus, Paulus, Patricius, Elpidius, Germanus, Euſebius, Zenobius, Paulus, Macrinus, Petrus, Claudius.] hæc Athanaſius. C D

b Socrat. lib. 2. c. 19.

MAXIMVS EPISCOP. HIEROSOL. SEMPER FAVIT ATHANASIO.

His de Hieroſolymitana Synodo recitatis, refellendus eſt Socrates[b], dum ait, Maximum Epiſcopum Hieroſolymitanum, quòd antea ſuo calculo Athanaſium abdicaſſet, facti pœnitentem eidem fuiſſe reconciliatum, Catholica cum eo inita communicatione. Hallucinatur plane: nam quid opus fuit, etiamſi Maximus in eum olim deliquiſſet, hoc coacto Concilio eidem communione conſociari, qui in Oecumenica Synodo Sardicenſi vnà cum Epiſcopis omnibus Orthodoxis Athanaſij & ceterorum damnatorum abſolutionis ſententiæ ſubſcripſiſſet, atque iiſdem, ſicut & vniuerſa Synodus, communicaſſet? Recitat[c] ſane Athanaſius tum Maximi, tum quatuordecim collegarum Palæſtinæ Epiſcoporum Sardicenſis Cócilii ſubſcriptionem, ſingulorum nomina recenſens: qui plane iidem eſſe noſcuntur cum iis, qui litteris huius Synodi ſubſcripſerunt, vno excepto Macrino, qui non legitur inter alios ſubſcriptos Concilio Sardicenſi, quorum omnium par erat cauſa cum Maximo, cum & ipſi ſententiæ pro Athanaſio antea in Magna Synodo Sardicenſi ſubſcripſiſſent. E

c Athanaſ. Apolog. 2.

Sed nec eſt quod dici poſſit Maximus vmquam antea Athanaſii damnationi ab Euſebianis in Conciliabulo Tyrio latæ conſenſiſſe: qui (vt ſuo loco dictum eſt ſuperius) a Potamone confeſſore, & ipſe confeſſor manu apprehenſus, cum ferenda eſſet in Athanaſium ſententia, e loco ſubductus eſt. Quamobrem aliorum potius Palæſtinorum Epiſcoporum eam oportuit eſſe de conſpiratione vnà cum Arianis inita aduerſus Athanaſium pœnitentiam: etenim cum omnes Palæſtinæ Epiſcopi eo Conuentu Athanaſium exceperint, duobus tantum (vt ait) vel tribus exceptis; certe plures eos fuiſſe, par eſt, quàm qui ibi nominantur: nam ſicut vnus Macrinus his litteris ſubſcripſiſſe reperitur, qui deeſt nominatis in Sardi-

A in Sardicensi Synodo; ita fortasse & alij (vt accidit in prolixa nominum serie) fuerunt a librario prætermissi.

At prosequamur Athanasiũ Alexandriam redeũtem, qui narratis his quæ in itinere Hierosolymis gesta sunt, de cõmunione scilicet omnium fere Palæstinorũ Episcoporum sibi collata, mox hæc de alijs in occursum sibi venientibus subdit [a]: Nam de Aegyptijs & Libycis Episcopis, earumq. prouinciarum, & Alexandriæ populis, superuacaneum est verba facere; cum & omnes occurrerint, & ineffabili gaudio imbuti fuerint, nõ solummodo quòd suos præter spem incolumes reciperent; sed quia ab hæreticis, veluti a tyrannis & rabidis canibus, in libertatem vindicarentur.] Addit his Theodoretus [b]: Viso suo Pastore Alexandrini; publica conuiuia celebrare, festos dies agere splendidissimos, eum magno honore aspicere, & Deum denique laudibus extollere cœperunt.] Subdit autem ipse Athanasius [c]:

a Athanas. epist. ad solitar.

REDITVS ATHANASII ALEXANDRIAM.

b Theodoret. lib. 2. c. 12. in fin.

c Athanas. epist. ad solitar.

B Magna igitur lætitia populorum fuit, in sacris Synaxibus mutuo se ad virtutem cohortantium. Quot, putas, innuptæ quidem, sed tamen hactenus ad nuptias promptæ, virgines in Christo remanserunt? Quot item iuuenes aliorum exempla intuentes, monasticam vitam amplexi sunt? Quot parentes liberos, liberi inuicem parentes suos obtestati, ne se a studio pietatis in Christum reuocarent? Quot mulieres viris persuaserunt, quot item a viris persuasæ sunt, vt orationibus vacarent, quemadmodum dixit Apostolus? Quot viduæ, quot orphani, antea famelici & nudi, ingenti populorum ad eleemosynam alacritate, postmodum neque esurierunt, & vestiti prodierunt? In summa, tanta æmulatio fuit ad virtutem, vt singulas familias, singulas domos, Ecclesiam esse ob probitatẽ incolẽtium & preces ad Deum, existimares. Eratq. in Ecclesia profunda & admirabilis pax, inuicem vndecumque Athanasio scribentibus, iisdemque ab Athanasio consuetas pacis & tranquillitatis litteras accipientibus.

FRVCTVOSVS ATHANASII REDITVS.

C Quin Vrsacius & Valens, quasi a sua ipsorum conscientia flagellati, pœnitentiam professi sunt; litterasque amicas & pacatas ad Episcopum, quas nullas ab eo acceperant, miserei Romamq. abeuntes pœnitentiam egere; confitentes, omnia quæ vel dixissent, vel fecissent contra Athanasium, falsa esse, & nihil aliud quàm calumniam: neque id simpliciter egere, sed ita vt anathemate execrarentur Arianam hæresin, & pœnitentiam suam scripto promulgarent.] hucusque Athanasius, qui mox subdit litteras, seu libellũ pœnitẽtiæ ad Iulium Papã scriptum. Verum antequàm hic ipsum describamus, quæ hæc præcesserunt, de iisdem enarranda sunt.

Priusquàm enim Romam iidem se conferrent, Mediolanum perrexerunt, vbi Episcoporum Conuentus celebris agebatur: nam Concilio intererant Romanæ quoque Ecclesiæ presbyteri. Mentio huius Synodi Mediolanensis hoc anno celebratæ habetur in epistola Synodali sanctorum Patrum, qui ex parte Catholica interfuerunt Concilio Ariminensi, vbi hæc

VALENTIS ET VRSACII POENITENTIA.

D scripta leguntur [d]: Ea de causa Vrsacius & Valens iampridem socij & adstipulatores Ariani dogmatis a nostra communione, sententia data, segregati fuere; quam vt denuo recuperarent, de peccatis suis, in quibus se conscios cognoscebant, pœnitentiam veniamque postularunt, vt eorum syngraphæ testantur: et ob id illis venia gratiaq. facta est. Hæc autem per id temporis facta sunt, cum Mediolani Synodus in consessum ibat, præsentibus ibidem Romanæ Ecclesiæ presbyteris.] hæc ibi.

d Apud Athanas. de Synod.

Porro hanc Synodum celebratam esse hoc anno, cum adhuc Constans Imperator in humanis esset, non tamen ipsum præsentem fuisse, Osius Episcopus Cordubensis testatur in epistola ad Constantium Augustum, quam recitat Athanasius scribens ad solitariam vitam agentes. Nam cum iidem Valens & Vrsacius dicerent, se vi compulsos esse recantare palinodiam: Non vi, inquit Osius adacti, vt ipsi causantur, cum nulli ibi milites incumberent, & tuus fra-

E ter nesciret: nihil enim tale sub ipso agebatur, qualia nunc fiunt: sed illi vltro Romam venerunt, & coram Episcopo presbyterisq. ibi præsentibus confessionem suam scripto ediderunt, cum prius pacatas litteras & amicas ad Athanasium dedissent.] hæc & alia de his Osius. Verum litteras tum ad Iulium Romanum Pontificem, tum ad Athanasium ab iisdem Vrsacio atque Valente Episcopis scriptas idem recitat Athanasius: quarum exemplaria transmissa sibi Roma a Paulino Tiburis Episcopo testatur [e]. Epistola autem, seu potius libellus pœnitentiæ ab iisdem Iulio Papæ datus sic se habet Latino sermone translatus:

e Athanas. Apolog. 2.

Quandoquidem satis constat, & nos superioribus temporibus multa grauia de Athanasio per epistolas criminatos esse, & tuæ humanitatis litteris admonitos vt crimina probaremus, numquam earum rerum documenta afferre potuisse: Ideo confitemur tuæ humanitati coram vniuersis nostris fratribus presbyteris, omnia quæ antehac ad vestras aures de Athanasio perlata fuere, falsa & ficta esse, & omnibus modis ab eo aliena. Ac proinde recipimus eius cõmunionem, maxime quia tua erga Deum pietas veniam secundum genuinam suam bonitatem

LIBELLVS POENITENTIAE VRSACII ET VALENTIS.

nostro errori impartiri dignata est. Quin & hoc promittimus, numquam, si aliquando Orientales, atque adeo ipse Eusebius velit malitiose eum ad iudicium vocare, nos citra tuam sententiam eo abituros. Hæreticum porro Arium, eiusque propugnatores, qui dicunt: Erat, quando non erat, Filius, aut eum ex non ente ad essentiam emersisse: aut qui neget Christum Deum esse Dei Filium ante sæcula, quemadmodum in priore nostro libello Mediolani edidimus: et nunc & semper anathemate damnamus. Nostraq. manu denuo protestamur, nos Arianam hæresim, eiusque auctores in æternum damnare. Ego Vrsacius cum præsens meæ confessioni interessem, subscripsi: quod itidem & Valens fecit.] Recitat easdem quoque litteras Sozomenus[a], in quibus nulla sane de Eusebio mentio habetur, cuius nomen apud Athanasium irrepsisse videtur: siquidem nemo illorum Eusebiorum, Cæsariensis, Nicomediensis, atque Emisseni, superstes erat, qui omnes longe ante præsentem annum defuncti sunt. Subijcit his Athanasius epistolam ab ijsdem ad se scriptam his verbis: A B

a Sozom. lib. 3. c. 22.

LITTERAE VRSACII ET VALENTIS AD ATHANASIVM.

Domino & fratri Athanasio Episcopo, Vrsacius & Valens Episcopi S.

Nacti occasionem per fratrem & compresbyterum nostrum Museum istuc ad tuam dilectionem euntem, care frater, eius opera admodum te ex Aquileia salutatum voluimus: optamusq. te saluum nostras epistolas perlegere: cuius rei fiduciam nobis daturus es, si tu quoque in scribendo vices obseruaris. Scire enim te volumus, pacem tibi nobiscum esse, & communionem Ecclesiasticam intercedere: cuius rei fidem esse volumus nostram istis litteris inscriptam salutationem. Diuina prouidentia te conseruet, dilecte frater.] hactenus Vrsacius & Valens.

b Athanas. orat. 2. contra Arian.

HAERETICI CORAM ROM. PONT. POENITENTIAM AGVNT.

Porro tam graue negotium, nempe duorum Episcoporum pœnitentiam, qui, vt Athanasius testatur[b], antiquissimi fuere Arij discipuli, ab ipso nimirum Ario Alexandriæ olim catechizati, haud eiusmodi esse existimarunt Patres, qui in ea Mediolanensi Synodo conuenerunt, vt, licet præsentibus Romanis presbyteris, illud ipsi absoluerent: sed miserunt eos ad Iulium Romanum Pontificem, vt coram ipso, spectante Romana Ecclesia, exomologesin agerent. Ex quibus plane vides, lector, veterem illum morem in Ecclesia Catholica coalitum, semperq. seruari solitum, compluribus exemplis superius demonstratum: nimirum hæreticos recantaturos palinodiā, Romam abire, & pœnitentiæ libellum scribere ad Romanum Pontificem consueuisse: nā constat, Marcionē, Praxeam, Origenē, Natalium, & alios olim id fecisse, quod modo egerunt Vrsacius atque Valens, vt supplices cū pœnitentiæ libello adirent Romanum Pōtificem, cuius muneris erat, de ipsorum fide cognoscere, & communicationem, si videretur, Catholicam impartire: haud enim sibi satisfactum penitus videbatur, si in Synodo coram Apostolicæ quoque sedis Legatis iidem detestati essent quod docuissent atque gessissent, nisi speciatim libellum pœnitentiæ offerrent Romanæ Ecclesiæ Episcopo. At de eorumdem pœnitentiæ libellis Iulio Papæ oblatis, S. Epiphanius[c] etiam meminit, atque Seuerus[d], & alij. Porro hanc Synodum Mediolani, & exomologesin Romæ hoc anno putamus contigisse, cum adhuc ipse Iulius superesset, quē anno sequēti, ipso veris initio, ex hac vita migrasse, dicemus. C D

c Epiphan. hæres. 68.

d Seuer. hist. lib. 2.

VRSACIVS ET VALENS SVBSCRIBVNT LITTERIS ATHANASII.

Rursum vero quod ad eosdem Vrsacium atque Valentem spectat, subscripserunt iidem Pacificis seu Communicatorijs Encyclicis Athanasii litteris, cum eas ferentes nacti opportune essent ipsius Legatos. Sed quænam hæ fuerint, dicendum est. Cum enim ad suam Ecclesiam Athanasius Alexandriam peruenisset, sicut in itinere fecerat, Palæstinorum Episcoporū communionem suis ipsorum litteris testatam accepit, atque ex Libyæ & ceteris proximarum regionum Episcopis datis & acceptis mutuo litteris, eamdem (vt vidimus) consequutus est: vt autem eodem communicationis symbolo reliquas longe positas Ecclesias sibi coniunctas redderet, elaborauit. E

ATHANASIVS SVBSCRIPTIONES PRAEOCCVPAT EPISCOPORVM.

Sed cur hæc ageret Athanasius (cum plus quàm satis ei esse poterat sententia promulgata in Concilio Sardicensi, omnium qui interfuerant subscriptione firmata) illud mihi quidem facile persuadeo, ipsum vel diuino spiritu admonitum, prænouisse acriorem, quæ instabat, venturam persecutionem, vel fortasse eamdem ex obitu Constantis coniectura assequi potuisse: atque eam ob causam, vt sua ipsorum subscriptione obligatos in officio continere posset Episcopos, ne rursum ingruente Arianorum toto Orbe procella quaterentur, hac iacta anchora, Catholicæ communioni (si tamen satis esset) voluit confirmasse. Qui autem ab eodem Athanasio ad hoc opus legati fuerint, & qui subscripserint, ipse institutam prosequutus orationem de rebus gestis Alexandriæ, cum rediisset, deq. Vrsacii & Valentis pœnitentia Romæ peracta, hæc subdit[e]:

e Athanas. epist. ad solitar.

Has cum dedissent litteras Vrsacius & Valens: vltro subscripserunt epistolis Pacificis,

A quas Athanasij presbyteri, Petrus, Irenæus, & Ammonius laicus ad id circumeuntes, colligebant: cum tamen Athanasius nihil tale ab Vrsacio & Valente postulasset. Quis igitur ista, & tantam Ecclesiæ pacem non admiratus est? Quis non gauisus de tanta & tot Episcoporum inter se concordia? Quis Deum non glorificauit, conspecta in Synaxibus tanta populi lætitia? Quot igitur inimici simultatẽ deposuerunt? Quot prius calumniam passi, calumnias suas damnauerunt? Quot prius odio infesti, Athanasium postea dilexerunt? Quot palinodiam suorum in eum scriptorum cecinerunt? Multi, qui vi, non voluntate apud Arianos agebant, noctu ad Athanasium venientes, sese ei purgabant, hæresinq. simul anathemate execrabantur, & veniam de insidiis & calumniis suis postulabant: corporibus quidem se apud illos apparere, animo autem cum Athanasio Synaxin facere, & semper cum eo esse, postulantes hac in re sibi fidem haberi. LEGATI AB ATHANASIO MISSI.

B Hæc cum audirent & conspicerent sententiæ Eusebianæ hæreseosque successores, inter quos Leontius ille Castratus, quem ne sub laici quidem specie ad communionem admitti oportuit, eo quod seipsum abscidit, vt libere cum Eustolio dormiret, reuera quidem muliere, sed quam ille virginem prædicaret, Georgius item, & Acacius, Theodorus, Narcissus, qui in Synodo depositi, exauctoratique erant; magno pudore suffundebantur. Deinde cum videretur tantum cum Athanasio animorum consensum & pacem agitari: erant enim plures in hoc numero quàm quadringenti tum e magna Roma, atque vniuersa Italia, Calabria, Apulia, Campania, Brutio, Sicilia, Sardinia, Corsica, tum ex vniuersa Africa, Galliis, Britannia, Hispaniis vna cum magno illo confessore Osio, e Pannoniis item, & Norico, Sciscia, Dalmatia, Sardica, Dacia, Mysia, Macedonia, Thessalia, & vniuersa Achaia, Creta item, & Lycia, plurimique item ex Palæstina, Isauria, Aegypto, Thebaide, & vniuersa Libya & C Pentapoli: hæc (inquam) cum viderent, metu inuidiaque anxij fuere; et quòd tot Episcopi eum Athanasio communionem fouerent; et quòd formidarent, ne quos ipsi deceperant, a se deficerent, & huic vnanimitati communionique sese adiungerent; neve, quod futurum videbatur, de eorum hæresi iam vbique famosa triumphus ageretur, & trophæa excitarentur.] at quid illi hæc intuentes, rursum in Athanasium moliti sint, suo loco narrabitur. INVIDIA EXAGITAT ARIANOS.

Hoc eodem tempore missa est a Magnentio tyranno ad Constantium Imperatorem legatio: fuerunt autem ad hoc opus delecti qui maioris nominis esse in Galliis videbantur Episcopi, nempe Seruatius, & Maximinus, ille Tungrensis, iste Treuerensis ciuitatis Antistes, quibus additi sunt Comites duo, Clemens & Valens. Appulerunt hi Alexandriam; Episcopi vero Legati, antea Athanasio in Galliis & in Sardicensi Concilio cogniti, quiq. & de eodem Athanasio a sua Ecclesia eiecto fuerant optime meriti, ab eo (vt par erat) in Ecclesiasticam D communionem sunt accepti; qua quidem ex re aduersariis nouas in Athanasium ipsum struendi calumnias ansa subministrata est, quasi Athanasius per eosdem Legatos scripsisset ad Magnentium tyrannum aduersus Constantium Imperatorem: de quibus sane & aliis hisce coniunctis recentibus in eum accusationibus, suo loco dicendum: nunc autem tantummodo attingemus, quæ ad eamdem legationem spectare noscuntur; de quibus idem [a] Athanasius, cum seipsum ab omni crimine liberum apud Constantium nititur demonstrare, hæc inter alia habet: LEGATIO MAGNENTII AD CONSTANTIVM IMP. [a] Athanas. Apolog. ad Constantium.

Ego igitur admiratione, prodigioque calumniæ perculsus hæsito, quid oporteat respondere; meque in mille mortes condemno, si vel suspicio talis de me vspiam fuerit; tibique veritatis studiosissime Imperator, bona cum fiducia meæ innocentiæ, auctor, adhortatorque sum, quemadmodum iam dixi, vt rem exquiras, maxime cum eorum testimonio vti possis, E qui a Magnentio aliquando pro Legatis ad te missi fuere. Sunt autem illi Seruatius & Maximinus * Episcopi vna cum suis, & Clemens & Valens. Sciscitare, quæso, num ad me litteras deportarint: hæ enim mihi occasionem dedissent ad eum rescribendi. Quòd si nec ille mihi scripsit, nec me cognitum habebat; quid causæ fuit, vt ad eum scriberem, quæ ignorabam? Quære item, visis comitibus Clementis, quam mentionem fecerim de beatæ memoriæ Constante: et quantopere, vt scriptum est, lacrymis meis vestimenta mea lauerim, dum animo meo succurrebat humanitas eius viri: et quantopere mentem suam Christi amori addixerat. Sciscitare insuper, quantopere ego certior de illius belluæ immanitate factus, cum Valentem per Libyam decursantem viderem, exhorruerim, ne eadem scelera moliretur, & vt latro trucidaret quotquot beatum Constantem amore memoriaque complecterentur: qua in re me nemini secundum facio.] et inferius: VNDE NOVA CALVMNIA IN ATHAN. COMPARATA. * Maximus

Huius rei testis est in primis Dominus, qui exaudiuit te, & largitus est tibi integrum a maioribus tuis relictum Imperium: testesque sunt, qui tum adfuerunt, Felicissimus Dux Aegypti,

Ruffinus

PRECES PRO CONSTANTIO INDICIT ATHANASIVS.

Ruffinus item & Stephanus, quorum ille Catholicus, iste autem ibidem Magister erat, & A
Asterius Comes, & Palladius tum Palatij magister, Antiochus & Euagrius Præfecti Sericorum. Nihil enim aliud dixi, quàm, Precemur pro salute religiosissimi Imperatoris Constantij. Et statim vniuersus populus vna voce acclamauit: Christe, auxiliare Constantio. et magna cum perseuerantia has preces continuauit. Me igitur neque illis litteras dedisse, aut ab eo accepisse, Deum & eius Verbum vnicum Filium Dominum nostrum Iesum Christum in testem voco.] hæc Athanasius.

a Athan. epist. ad solitar.
CONSTANTIVS ETIAM POST CONSTANTIS MORTEM FOVIT ATHANAS.

Quando autem istæc & alia crimina in eumdem Athanasium obiecta fuerint, suo loco dicemus: longe enim errant, qui putant ipsum, mox vt Alexandriam peruenit, exturbatum esse, quem etiam Alexandriæ commorantem iteratis litteris idem Constantius animo hærentem nixus est confirmare: quod idem ipse Athanasius testatur, cum ait [a]; Iam de eo quod dicit, se propter fratrem suum pacem cum Athanasio simulasse; in hoc verum non dicit: Nam B
post fratris mortem, non semel, sed iterum, immo tertio ad Athanasium scripsit, promisitque se numquam mutatum iri, eumdemque bono animo esse debere, nec permissurum, vt a quoquam perturbaretur, sed eum in Ecclesia sua cum omni securitate mansurum. Præterea Asterium Comitem, & Palladium cum mandatis ad Felicissimum tunc temporis Ducem, & Nestorium Præfectum cum his mandatis misit, vt curæ ipsis esset, ne Philippus, aut quiuis alius Athanasio insidias moliatur.] hæc ipse. Erat iste Philippus, de quo timebat Constantius, ne quid negotij Athanasio facesseret, Arianorum omnium Præfectorum sæuissimus, qui Paulum Episcopum Constantinopolitanum (vt inferius dicetur) in exilio positum, in carcere strangulari iussit.

b Socrat. lib. 2. c. 21.
QVID ATHANAS. ALEXANDRIAE.

His igitur Constantij litteris Athanasius communitus ad triennium in sua Ecclesia perseuerat; quo tempore totus erat in sacris Synaxibus celebrandis: additque his Socrates [b], eum- C
dem multum fuisse in congregandis Episcoporum Conciliis, in quibus, tum decretis Episcoporum qui Sardicæ conuenerant, tum Concilio Hierosolymis a Maximo coacto congruentia sanciuit. Sed plane memorabile est, adeò auctam esse Alexandriæ eius aduentu & commoratione Fidelium multitudinem, vt populum ecclesiæ antea erectæ non caperent: ita vt opus fuerit, solemnitate Paschali, recens a Constantio extructum templum petere, cum nondum tamen esset dedicatum. Hoc permouit vehementer animos Arianorum, vt inde alia in eum ab iisdem aduersarijs calumnia fuerit comparata, quòd ausus esset absque Constantij iussu in ea basilica sacra facere, & (vt dicebant) eiusdem Encænia ipso inscio celebrare.

c Epiph. hæres. 69.
FREQVENTISSIMVS POPVLVS ALEXAND.
d Athanas. Apolog. ad Constantium.

Verum de frequenti populo quæ alia quadam occasione dicat ipsemet Athanasius, audiamus: sed primum de ipsa magna ecclesia, cuius occasione conflata est calumnia eidem Athanasio, quid de eius origine Epiphanius tradat, hic describamus [c]: Sunt, inquit, plures D
numero Alexandriæ ecclesiæ, cum ea quæ nunc extructa est, Cæsarea appellata, quæ prius Hadrianum fuit, postea Licinianum gymnasium, siue Regia: postea vero temporibus Constantij visum est, ipsam ædificare ecclesiam.] hæc Epiphanius. At de Synaxi in eadem Magna ecclesia a se celebrata, ita Athanasius [d]: Ceterum quia de Magna ecclesia crimen concinnant, quòd ibi Synaxis habita sit priusquàm dedicaretur: age etiam de ea re tuæ pietati responsum demus: eo enim nos trahunt illi, qui in nos odia congerunt. Factum est: agnosco. Nam cum prima dixerim sine mendacio; non hic quod verum est, inficiabor; sed longe aliter, quàm ipsi criminantur, res gesta est. Age quæso, accipe quæ dicam. Non Encæniorum festum celebrauimus, religiosissime Auguste: id enim celebrare ante tuum decretum, prorsus nefarium fuisset. neque industria eo deuenimus, neque Episcopus quispiam, aut vllus clericus eo nomine euocatus est, neque vlla denunciatione ad Synaxin coitum est, vt isti E
inde aliquam occasionem rapiant detrahendi. Sed quid actum est, noscunt omnes: tu autem, quæso, pro tua mansuetudine & longanimitate, ausculta.

PASCHATIS FESTO VBI CELEBRATA SYNAXIS.

Festum erat Paschæ, & tanta vis populorum aderat, quantum Christianorum in vrbe esse Christicolæ Principes optarint. Cum igitur & ecclesiæ paucæ paruæque essent; magnoque tumultu posceretur, vt in Magna ecclesia conuentus celebrarentur, atque ibi preces pro tua salute fierent, quod & factum est; egoque retinerer adhortationibus, vt rem aliquo vsque differrent, & potius quomodocumque liceret, etiam cum compressione & afflictione in aliis ecclesiis coetus agerent: mihi neutiquam obtemperatum est. Quin potius vrbem egredi parati erant, vt in desertis locis & sub dio conuentus facerent: melius esse laborem itineris ferre, quàm cum luctu festum celebrare. Crede mihi, Imperator, & in eam rem Veritatem ipsam testem accipe: In Synaxibus Pentecostes ob multitudinem populorum, & in locis angustis plurimos pueros, nec paucas puellas, & aniculas complures, & adolescentes multos

A multos afflictos iacuisse, ac domum delatos, sed tamen vt nemo eorum, beneuolentia numinis, perierit. Multa igitur omnium murmuratio in hunc vsum Magnam ecclesiam deposcentium; neque immerito: si enim prius tanta compressio acciderat, quid timendum fuit in tali festo? omnibus certe modis acerbiora multo, luctuosioraque accidissent. Nec fas erat aut honestum, tristitiam pro gaudio, luctum pro lætitia in festo die populis inferri: præsertim cum non ignorarem, istiusmodi exempla apud Patres superesse.

Beatæ siquidē memoriæ Alexander, cum alia loca angusta essent, in ecclesia Maiore Theonæ, quam ædificabat, Synaxes celebrare voluit: id enim iubebat hominū frequentia: nec in cogendo populo respexit, eam nondū exædificatā esse. Quin immo frater tuus bonæ memoriæ Constans in huiusmodi tēplo, cū Aquileiæ Synaxis haberetur, ipse quoque eo se contulit. Ita nimirum & ego quoque feci: nec tamen celebrata sunt a nobis Encænia, sed tātummodo pre- B cationū Synaxis habita est. Tu igitur, sat scio pro tuo in Deū studio, approbasses populorum alacritatem & deuotionē, mihiq. veniam dedisses non impedienti tantorum populorū preces. EXEMPLVM ALEXANDRI EPISC. ALEX.

Ego autem obtrectatorem meum libens iterum interrogarim: Vtrobi nam rectum erat, populum suis orationibus vacare: in desertis ne, an in oratorio non ad plenum exædificato? Vbi conueniens erat & sanctum, vt populus audiret acclamationem hanc, Amen, in solitudine, an in templo, quod iam Dominicum appellabatur? Tu autem, religiosissime Imperator, vbi nam malles populū manus extendere, & pro te orare; ibi ne vbi Ethnici oberrabant, an in loco tuum nomen & titulum præseferente, quem iam in pręsentia, immo etiam tunc temporis, cum prima fundamenta iacerentur, Dominicum vniuersi appellabant? Sentio tibi tuū locum magis probari: reticendo enim, hoc ipsum significas. At hoc ipsum (inquit aduersarius) in ecclesiis faciendum erat. Verum, vt dixi, paruæ nimis & angustæ erant pro tanta multitudine C populorum. Deinde preces faciendæ erant. IN ECCLESIA NON DEDICATA LICERE SYNAXIN AGERE.

Quid ergo rectius putas, particulatim & diuise vna cum periculo elisionis populum Synaxes facere, an potius vt in locum omnium bene capacem conueniat, & vnam eamdemque sine dissonantia vocem reddat? certe id rectius est, cum id concordiam vnanimis multitudinis ostendat, & Deum ad exaudiendum promptiorem habeat. Nam si pro ipsius Saluatoris pacto, in consensu duorum quodcumque petierint, fiet: quid igitur futurum, vbi ex tot tantisque populis in vnum congregatis vna vox respondeatur, acclamantium, Amen? Quis hoc ipsum non admiratione prosequatur, aut non inter felicia prædicet, cum videat tantam multitudinem in vnum locum conuenire? Quid gaudij ibi ex mutuo inuicem conspectu, antea solitis in diuersa loca dispertiri? Omnibus certe, præter vnum calumniatorem hoc ipsum dolentem, incredibili lætitiæ fuit.] hactenus Athanasius, quæ prolixa licet, non piguit recensuisse, quòd D in his multa prodantur de antiqui ritus Ecclesiastici disciplina.

Constantius igitur, quòd grauioribus Romani Imperij periculis vrgeretur, contempsit omnia quæ in Athanasium ab aduersariis inferrentur; immo (vt diximus) iteratis tertio litteris, eum ab omnibus tutum redditum in omnibus voluit: haud puto quidem pietatis ergo, vtpote qui numquam se a cōsuetudine Arianorum Episcoporū abstulit: sed potius, quòd haud videretur tempus opportunum aduersus Athanasium inire certamen, & reddere sibi Aegypti populum Christianum infensum, qui erga Athanasiū propensior esset. Haud enim leue periculum videri poterat, Athanasio inferendo negotio, populū in se Aegyptium concitare, quem (vt demonstratum est) a Magnentio missa legatio Valentis atque Clemētis Comitum permouisset. Iidem plane, quales olim semper fuisse diximus, moribus esse perseuerabant Aegyptij, vt Ammianus[a] horum temporum scriptor ait: Ad singulos motus excandescentes, cōtrouersi E & reposcones acerrimi. Erubescit apud eos, si quis non inficiando tributa, plurimas in corpore vibices ostentat: et nulla tormentorum vis inueniri adhuc potuit, quæ obduratum vllius pectus latrocinij inuitum elicere potuit, vt nomen proprium dicat.] Hos, inquam, modo lacessere nihil aliud videri poterat, quàm nouum gignere bellum, tunc præsertim, cum tam bello Persarum in Oriente, quàm duobus tyrannis in Occidente recens exortis, vniuersum quod reliquum erat, Romanum Imperium sub dubia alea versaretur. CONSTANTIVS CVR BENE HABVIT ATHANASIVM. AEGYPTII QVALES. a Ammian. lib. 22. in fine.

Contempsit igitur Constantius cetera, qui in colligendis copiis ad nouum exercitum comparandum totus erat. Cuius rei causa in primis illud reperitur hoc anno sanciuisse decretum, vt qui ex indulgentia Principis militiæ vacationem acceperant ante tempus legitimum absolutum, ad militiam denuo reuocari deberent. extat de his rescriptum ad Cretionem Comitem his verbis[b]: Quàmuis omni tempore opera dari debuerit, ne sacramentis militaribus separatio traderentur*, qui nec stipendiorum numero, nec contraria corporis valetudine quiete perfrui debent: tamen prudentiæ tuæ prosecutione admissa, quæ apud nos verbis CONTANTIVS TOTVS IN EXPEDITIONE. b l.4. de re milit. C. Theod. * separati otio traderentur

facta

facta est, præcepimus, vt qui ante stipendia emensa, vel integra corporis valetudine otio mancipati sunt, restituantur pristinis numeris. Dat. V. Kal. Iulij, Sergio & Nigriano Coss.] A

CONSTANTIVS CREARE GALLVM CAESAREM COGITAT.

Quòd vero imminente prælio ex tyrannis, & bello Persico instante, totum videretur Romanum Imperium esse in discrimen adductum: Constantius aggreditur inire noua consilia: cũ enim mascula prole careret, nec spes reliqua propinqua videretur liberorũ deinceps suscipiẽdorũ; de creando Cæsare Gallo ex Constantio fratre Magni Constãtini & Galla matre genito consilium inijt, eiq. in matrimonium collocare Constantinam sororem suam, filiam eiusdem Constantini, decreuit; quo profecturus ipse in Occidentem cum exercitu aduersus tyrannos, eidem administrationem cederet Orientalis Imperij. agebat Gallus hoc tempore ætatem annorum vigintiocto, qui, mortuo Constantino, natus erat annos quatuordecim. Sed & eadem ex causa etiam Iuliano, quem sub disciplina diutius continuerat, latiores laxat habenas. B Quamdiu enim de suscipienda ex coniuge prole spes resedit in animo, vterque tam Gallus quàm Iulianus, ne quid vmquam noui moliri possent, arctiori sunt vallati custodia, nec publicus aliquis illis est traditus magistratus, sed ne inter suffectos quidem Consules vel alios honores vmbratiles quisquam illorum adscitus est.

QVANDO GALLVS CREATVS SIT CAESAR.

At quotonam anno, præsenti ne, an sequenti potius, Gallus creatus sit Cæsar, cum diuersæ de his sententiæ reperiãtur: in eam magis descendimus, quòd sequenti anno eã Gallus a Constãtio dignitatem fuerit consequutus, ipsis nempe Constantij Quinquennalibus tertio repetitis, quibus solemnibus Cæsares dici solere, compluribus exemplis superius est demõstratum. His accedit etiam, quòd cum Ammiano Marcellino auctore liqueat, ipsum Gallum quarto sui Imperij anno occisum fuisse, plane sequenti potius illud ipsum auspicatum esse, dicendum est. Ceterum interuersum in hoc esse Hieronymi Chronicon, nullus poterit dubitare, quo C Galli Cæsaris creatio recensetur anno decimoseptimo Constantij Imperatoris, post occisum quoque Magnentium. Commendata vero extitit pietas Galli, etiam martyris testimonio: et quidẽ de egregia eius animi indole & sincera religione signa plura edita sunt, quæ tamen postea mores incompositi macularunt. Sed de eo sæpe inferius agendum erit, cum singulis quibus vixit annis, res ab eodem præclare gestas, ordine temporis recensebimus.

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
351.	15.	15.

GALLVS CREATVR CAESAR.

a Sozom. lib. 5. c. 18.

QVi sequitur ordine annus Domini trecentesimus quinquagesimusprimus, ob tyrannicos motus, absque nouis Consulibus transactus, nota Consulum anni superioris Fastis D adscribitur, post Consulatũ scilicet Sergij & Nigriani: quo Flauius Constantius Gallus creatus est Cæsar a Constantio Imperatore, cum ageret Antiochiæ, vbi tunc egregium illud specimen Christianæ sibi insitæ pietatis edidit, quod a Sozomeno [a] ita describitur: Vbi vero Gallus frater Iuliani Cæsar a Constantio designatus, Antiochiæ ætatem degit; quoniam Christianus erat, & quia in primis eos qui pro religione Christiana martyriũ obierant, colebat: constituit hunc locum, nempe nemus Daphnes in suburbiis positum, purgare tum superstitione Gentilium, tum intemperantium hominum contumelia. Atque cum persuasum haberet, se facile hoc perfecturum, si modo ecclesiam ibi in delubri loco extrueret: transtulit in Daphnem loculum Babylæ martyris, qui Ecclesiam Antiochenam præclare admodum rexisset, martyrioque occubuisset. E

TRANSFERTVR CORPVS BABYLAE IN DAPHNEM.

Ex quo quidem tempore dicitur, dæmonium nullum oraculum, vti consueuerat, edidisse. Videbatur quidem primo id propterea accidisse, quòd victimis iam carebat, & cultu illo quo ante dignatus fuerat. Sed postea tamen ab eo ipso patefactum est, quòd martyr, cuius corpus in proximo repositum erat, impedimento fuit, quo minus istud, vt solet, præstaret.] at id de querelis idoli aduersus Babylam, quòd sub Imperio Iuliani contigerit, & prolixiore indigeat oratione, ad illud ipsum tempus reiicimus. Collocauerat ibi olim (vt dictum est) Constantinus statuam Helenæ matris suæ; locumq. illum, mutato Daphnis nomine, Augustale appellasse, ex Suida [b] superius in obitu Helenæ diximus. Conatus illud quidem Constantinus fuisse videtur, vt abolito Apollinis nomine, Daphnes ex superstitione in religionem transiret.


b Suid. verb. Augustale.

At dicet aliquis, cur, sicut compluribus aliis in locis fecit, Constantinus non est demolitus templum illud famosissimum Apollinis in Daphne positum, sed nec Constantius, vel Gallus ipse

A ipse, qui locum expurgare, & reliquiis martyris sanctificare contendit, id ipsum præstitit? Dicam, quod & superius attigi: illud tam de Constantino, quàm de filiis imperantibus obseruatum, vt quæ in amplissimis vrbibus erant augustissima templa, iidem minime demoliti fuerint; quòd scirent Gentiles ciues, quibus eadem ciuitates confertæ essent, pro defensione deorum patrium atque templorum vsque ad vitæ exitum certaturos. Ex hoc videas, Romæ Capitolium, & Alexandriæ Serapium, illæsa penitus remansisse, pariterque templum Apollinis Daphnes in Antiocheno suburbio collocatum, de quo agimus, ab omni iniura liberum esse relictum, necnon nobilissimum structura & antiquitate Marnæ templum Gazæ, & alia his similia, pro quibus tuendis ciues vitam profunderent; demolitis nonnullis aliis, quæ essent in minoribus ciuitatibus collocata, pro quorum defensione haud facile colligerentur qui certamen inirent ex Gentilibus ciues, ceteris redditis Christianis. CONATVS CONSTANTINI IN DEMOLIENDIS TEMPLIS QVOVSQVE PROGRESSVS.

B ... Ceterum de antiquanda memoria Apollinis in Daphne, nisus est magno studio Constantinus, vt locus ille non amplius diceretur Apollinis, sed sui ipsius nominis Constantini; quod non tantum quæ sunt ex Suida recitata declarant, verum etiam antiqua numismata[a] id egregie præseferunt, quorum vnius exemplar hic tibi accuratè formis reddere laborauimus; DAPHNE CONSTANTINIANA DICTA. [a] Extant apud R. D. Lælium Pasqualinū Canonic. S. Mariæ Maioris, & D. Angelum Breuentanum Papiens. & alios.

C





cuius generis nummi multi[b] meminere, licet de eius interpretatione germana, simulq. legitima lectione certauerint: dum alij, quod habet a tergo nomisma, CONSTANTINI ANADAFNE, vt ponuntur, abinuicem separaras eas dictiones esse voluerint: Alij rursum illud, NA, cum litteris illis, CONSTANTINI, iungendum existiment, vt sit verborum illa connexio: CONSTANTINIANA DAFNE. quod vt magis probem, quæ [b] Goltius in Thesau. & Occo de nummis.

D recitauimus ex Suida, suadent. Quibus accedit, quòd idem Constantius vigesimætertiæ legioni, quam recens scribendam curauit, nomen indidit, vt diceretur Constantiniana Daphnensis, vt ex antiquis[c] inscriptionibus apparet: cui vincenti, & de superatis hostibus triumphanti, iam non ex Apollinis, sed Constantini Daphne, nempe Laureto (quod proprie [illegible] est) laureas ad triumphum Victoria ministraret. [c] Habet Thes. Hubert. Goltij.

Porro locum illum peramœnum sibi iniuste Apollinem proprium vindicasse, non nisi ex fabula a poetis conficta, S. Ioannes Chrysostomus, & ipse ciuis Antiochenus, affirmat[d]. Quem iniustum possessorem Constantinus spoliasse videri poterat, titulo in eo Imperatoris affixo: nisi in idolo vocali immo loquaci Apolline reclamante, omne Constantini studium irritum penitus redditū esset: Deridet quippe dæmon (quod est in Iob[e]) vibrantem hastam: nec (quod superius ait) fugabit eum vir sagittarius: in stipula enim versi sunt ei lapides fundæ.] Quam- [d] Chrysostom. contra Gent. DAEMON INVITO CONSTANTINO OBSIDET LOCVM. [e] Iob. 41.

E obrem qui[f] infirma eligit Deus, vt fortia quæque confundat, contumax Idolum Imperatori, martyris ossibus expugnandum duxit, cum in Galli Cæsaris animum salubre illud immittit consilium, vt Babylæ martyris (quod diximus) illuc reliquias opportune transferret, quas in Apolline latens dæmon horresceret: sicque innotesceret omnibus, non esse Dominatoris Imperij Romani roboris violentum inuasorem a possessione deiicere, atque humanarū virium facultatem, proteruum superbumque compescere dæmonem, sed diuinæ id tantum esse potentiæ, quæ in reliquiis martyris elucesceret. De hac enim Babylæ martyris in Daphnem facta per Gallum Cæsarem translatione, cum fusius agit idem Chrysostomus, post multa[g], hæc denique habet de idolo reddito prorsus muto, obstruente martyre eius os, non nisi ad gloriam Dei hactenus apertum relictum: [f] 1. Corinth. 1. [g] Chrysostom. lib. contra Gētil.

At quo modo (inquit) idem Babylas & dæmonis potestatem extinxit? Primum quidem tum dæmonis inibi habitantis obsidionē, tum fabulæ noxam in iis ipsis quas dixi rebus inefficacem reddidit: deinde & dæmonem ipsum exegit. Verum antequàm ad exactionis modū veniam, illud MARTYRIS RELIQVIARVM POTENTIA ADVERSVS DAEMONEM.

illud vos annotare postulo, Babylam, non statim vbi aduenit, dæmonem eiecisse: sed manentem eum otiosum, inertem, agendisque rebus ineptum reddidisse. Illi enim os ita obstruxit, vt vel lapidibus ipsis magis mutus redderetur. Et quidem manentem inibi dæmonem superauisse, non minus fuit, quàm si eum de loco exegisset; cum qui loci illius accolis omnibus fucum prius faceret, ne extincti quidem Babylæ cineres contueri sustineret. Ea enim est sanctorum potestas, vt illorum superstitum dæmones ne vmbras quidem aut vestes ferre possint, vita autem functorum & loculos quoque reformident. Itaque si quis quæ ab Apostolis facta fuisse prædicantur, fidem non habet: is tamen memoriæ huius miracula intuitus, ab impudentia sua desistat. Nam qui de omnibus olim Gentilibus victoriam reportabat, a martyre, tamquam ab hero increpitus, suppressa voce latrare desiit.], hæc & alia de his Chrysostomus. Quo modo autem sub Iuliano Apostata, sui ipsius adeo diuturni silentij causam, Babylam esse, Apollo confessus fuerit, atque ictus fulmine conflagrarit, suo loco dicturi sumus: at iterum ad laureas Daphnis. A B

Quòd igitur non amplius ab Apolline Imperatores ipsi, atque milites cum iis triumphantes, coronas acciperent, sed a Christo, qui victoriæ auctor fuerat: inde accidit, vt cum laureas exercitus victor in corona gestaret, ad omnem superstitionis memoriam abolendam, eamdem Christi nomine insigniret: verũ id quonam modo fieri contingeret, vt assequi lector possis, egregium hic tibi exemplum ex prototypo, vt se habet, reddendum curauimus ex ærea antiqua corona, quæ extat Romæ apud R. D. Lælium Pasqualinum Canonicum S. Mariæ Maioris, quo ob morum suauitatem atque peritiam familiarissime vtor, egregium plane antiquitatis monumentum, quod in suo rerum antiquarum Thesauro asseruatum custodit. C



D

quam quidem coronam ex Christi nomine, quod expressum elucet in fronte, non nisi Christiani hominis gestamen fuisse, absque controuersia omnes intelligent. At de his modo satis. Iam quæ anni huius reliqua sunt, prosequamur. E

IVLIANVS TOTVS IN CONSVLENDIS MAGIS. Euecto in sortem Imperij Gallo creato iam Cæsare, inuidia animum Iuliani pupugit, qui & ipse (vt dictum est) Constantij Augusti fratre erat natus; atque progressu felicissimo Galli in eam spem erigitur, vt ipse quoque aliquando esset potiturus Imperio: quam conceptam spem vatum arcanis responsis in dies magis aluit atque nutriuit: in his enim consulendis, & clandestinis oraculis sciscitandis, hoc potissimum tempore, multus fuit: nam de eo in primis Theodoretus hæc tradit [a]: Postea vero quàm Constantius venit in Occidentem, quo bellum aduersus Magnentium gerendum eum pertraxerat, & Gallum Cæsarem Orientis renunciauit, qui & vir pius fuit, & ad extremum vitæ diem pietatem excolere non destitit: Iulianus metum, qui ei perutilis & necessarius fuerat, eiecit ex animo, & iam armare se audacia, & præterquàm debuerat Imperij cupiditate exardescere cœpit. Proinde perlustrare Græciam, conquirere vates & ariolos, sciscitaturus ab illis, voti ne compos futurus esset? atque incidit in hominem qui ei hoc prædicere pollicitus sit.

[a] Theodoret. lib. 3. c. 3.

Qui

A Qui quidem deducto eo in fanũ simulacrorum, & intra eius adyta collocato, fraudulentos dæmones inuocat. Quibus, specie qua solent, apparentibus: metus coegit Iulianum signo Crucis frontẽ suam signare. Dæmones igitur Dominici trophæi conspicati figurã, & suæ ipsorum cladis recordati, confestim euanuerunt. Tum præstigiator, causa, cur fugerent, intellecta, Iulianum obiurgat: qui tum timorem, in quo erat, declarauit, & se virtutem Crucis vehementer admirari dixit: nam dæmones, quoniam eius figuram ferre non poterant, aufugisse. Cui præstigiator: Ne, inquit, amabo te, sic existimes: siquidem non ob eam causam, quam tu affers, formidabant; sed tuum factum detestati, se ab oculis nostris remouerunt. Ita miser ab eo in fraudem impulsus, tum impiis initiatur mysteriis, tum pectus eius scelere cõpletur, & infelix propter Imperij cupiditatem pietate omnino spoliatur.] hucusque Theodoretus. SIGNO CRVCIS DAEMON ABIGITVR.

Quæ quidem dum pluribus a Gregorio Nazianzeno [a] narrantur, iunguntur rebus ab eo gestis cum iam Imperator esset. Porro Eunapio quoque auctore scimus, hisce eum hominum consuetudinibus delectatum: siquidem præter Maximum illum magum, de quo plura superius, familiariter quoque vsus est Aedesio illo famosissimo, summo totius Gentiliciæ superstitionis antistite, & huic non imparibus Chrysantio Sardiano, Eusebio, Prisco, & aliis illorum temporum magiæ eius, quæ fit per inuocationem dæmonũ, peritissimis: quam quidem Deo execrãdam & hominibus detestandam professionem honesto philosophiæ pallio contegebant: quo deceptus Constantius, Maximum illi in addiscendis philosophicis facultatibus magistrum dederat; qui sane in præstigiis edẽdis quàm solers artifex esset, exemplum vnum a Sardiano [b] conscriptum satis superque poterit demonstrare, cum hæc de illo ait: [a] Greg. Nazian. in Iulian. orat. 1. B IVLIANI FAMILIARES MAGI.

Aliquot e nobis qui simul eramus ad Hecates ædem Maximus cõuocauit, multosque stultitiæ suæ citauit testes: nam cum eo ventum esset, deamque salutassemus; ille ad nos conuersus: Desidete, ait, carissimi sodales, & quod venturum est contemplamini, vt & intelligatis ecquid ego vulgo hominum promiscuo præstem. A quibus verbis cum humi consedissemus omnes: ipse emundata thuris mica, admurmuratoque apud se ad finem vsque hymno nescio quo, eo ostentationis processit, vt deæ simulacrum renidere cœperit, si quidem is risus fuit. Iamque perturbatis nobis omnibus ob spectrum: Neminem, inquit, vestrum istam ob rem cõmoueri volo: mox enim faces etiã, quas dea manibus tenet, inflammabuntur. Anteuertit verborũ finẽ luminis splendor, qui faces accendit.] ista ex Eusebio recitat Sardianus. [b] Eunap. Sard. Vit. Philosoph. MAXIMI PRAESTIGIAE. C

Quantum etiam idem Iulianus fuerit Iamblici studiosus (quem ex his quæ auctore Sardiano dicta sunt, magum omnium præstantissimum fuisse liquet) cum recitata superius ex ipsius Iuliani litteris manifestãt, tum quæ habet in alia ad eum epistola scripta declarant his verbis: At ego (inquit Iulianus) ne me hominem quidem esse, dicere ausim (vt est in prouerbio) quamdiu absum a Iamblico.] et rursum in fine epistolæ: Certe cum veteres pro Homero, Platone, Socrate, & si quis alius in Orbem hunc incidit, iusta vota feliciter atque ex animi sententia fecerint, vitamque illorum hoc modo produxerint: non erit incommodum, hominem nostra ætate viris illis & vita & oratione parem similibus votis ad summã senectutem cum omnium felicitate transmittere.] hæc Iulianus magiæ Iamblici studiosus. Quanta vero hisce præceptoribus fuerit imbutus impietate, & quàm maxime sub talibus artificibus fuerit excultus ad præstigias atque magias, & sub eiusmodi educatoribus imbiberit odium Christi, declarauit euentus. Quo modo autem post hæc in suspicionem adductus affectatæ tyrannidis, instar Prothei in alium se mutauerit, Athenasque contulerit, suo loco dicturi sumus. IVLIANVS STVDIOSISSIMVS IAMBLICI. D

Hæc plane sunt illa Iuliani tempora, quæ a S. Gregorio Nazianzeno sic describuntur [c]: At vero postquàm fratre Gallo ab humanissimo Principe ad Imperij societatẽ adscito; parteque Orbis terrarum haud parua in administrationem accepta, pro animi libidine, ac fine vllo metu perniciosissimis studiis & præceptoribus operã dare licuit; ipsi porro Asia (Pergamum nẽpe, vt dictum est) impietatis schola erat, tam quæ circa siderum scientiã, & natiuitates, inanemque præscientiæ imaginationem vanissime occupatur, quàm quæ circa præstigiarum artẽ earum asseclam versatur: vnum hoc iam restabat, vt ad impietatem vis & potestas accederet. Non multum temporis interfluxit, cum hanc quoque illi aduersum nos concedit exundans multorum iniquitas, &c.] quibus omnibus facile declaratur, vsque ad præsentem annum, quo Gallus creatus est Cæsar, Iuliaum in clericali vita, qua fuerat initiatus, perseuerasse; hancque secundam illius fuisse apostasiam. [c] Greg. Nazian. orat. 1. in Iulianum. E IVLIANVS MAGIAE INTENTVS.

Siquidem prior illa adnumeranda est, cum clam culturæ dæmonum se addicens, Christianam religionem penitus detestatur; quod immane scelus inanis illa ab eo sæpe tentata ædificatio, & diuinitus sequuta demolitio templi martyris patefecit. Secunda vero præsens apostasia cẽsenda est, cum exuit, quod induerat, clericũ, siue monachum. Tertia autẽ illa solẽnior, IVLIANI PLVRES APOSTASIAE.

cum quod specie tenus ac simulate Christianum nomen præferebat, ad id quod moliebatur tunc sibi proficuum, iam adeptus Imperium, aperte procul abiicit, ac detestatur. Sie videas in Iuliano nouum Protheum, diuersas pro temporibus mutare formas: nam & qui hoc tempore, solutis timoris habenis, quod vult facit, & liber incedit, paulo post (vt dicemus) affectati Imperij apud Constantium suspicione laborans, vt ea se liberaret, pallium induens philosophicum, professurus philosophiam, Athenas profectus est. sed de his suo loco inferius. A

EXPEDITIO RELIGIOSA CONSTANTII.

Hoc eodem anno Constantius Imperator aduersus Magnentium tyrannum, nec non Vetranionem expeditionem futuram cogitans: salubre consilium iniit, vt omnes quos in tyrannum armauit milites, Christiana religione imbuti & sacro baptismo initiati essent: quod si quis facere detrectaret, exui mox cingulo militari, & ad propria reuerti præcepit.

a Theodoret. lib. 3. c. 3.

Theodoretus enim de his hæc tradit [a]: In bello namque contra Magnentium suscepto, toto suo exercitu coacto in vnum, omnes cohortatus est, vt diuina percipiant mysteria: quippe exitum vitæ tum alias semper, tum in bello potissimum incertum esse; præsertim cum in eo infinita tela, iacula, hastæ vtrinque mittantur, quin etiam intententur gladij, sicæ, & alia instrumenta bellica, quibus violenta infertur mors. Proinde oportere singulos stolam illam pretiosam induere, quæ in illa altera vita nobis omnibus cum primis necessaria est. Quòd si quisquam eam vestem accipere recuset: eum inde iam domum abire iubet: nam se nolle cum hominibus mysteriis minime initiatis bellum gerere.] hæc Theodoretus. B

PAGANI CVR DICI COEPTI GENTILES.

Cum igitur tantummodo Christianos baptizatos militiæ Constantius adscribi præceperit: inde accidit, vt Gentiles, qui id facere recusarent, exuti militia, ad paganitatem redacti Pagani pariter, hoc est, non milites dicerentur: indeque etiam postea vsu venit, vt Ethnici omnes a Christianis Pagani sint nominati, qui multos deos colerent. vnde Marius Victorinus [b]: Græci (inquit) quos ἕλληνας, vel Paganos vocant, multos deos dicunt.] At de hac quidem voce consule quæ sunt a nobis pluribus disputata in nostris ad Romanum Martyrologium Notis. vt autē iidem dicerentur, Gentiles, id acceptū est ex Iudæis, vnde Paulus [c]: Siue Iudæus siue Gentilis.] Apud Romanos vero, Barbari tantum hoc tēpore dicebantur Gētiles, vt cōstat ex Impp. rescripto [d]. Ex hoc ergo tempore cum tātum Christianis militare liceret, non nisi vnū esse cœpit militum iuramentum in militari professione, quod ita ponitur a Vegetio [e]: Iurant (inquit) per Deum & Christum & Spiritumsanctum, & per maiestatē Imperatoris, quę secundum Deū generi humano diligenda est & colenda.] sic Vegetius, qui scripsit Valentiniani temporibus. C

b Marius Vict. de Homousio recip.

c 1. Corinth. 12.

d Tit. de nupt. Gētil. C. Theod.

e Veget. de re milit. lib. 1. c. 5.

MILITARE IVRAMENTVM.

Hæc igitur lex, qua factum est, vt omnes militaturi imbuerentur sacro baptismo pariter effecit, vt qui in exercitu erant catechumeni, sacro baptismate initiarentur: cum S. Martinus adhuc catechumenus & ipse pariter fuit, baptizatus annum agēs suæ ætatis (vt auctor est Gregorius Turonensis [e], qui eum vndecimo anno Constantini Magni natū affirmat) trigesimumquintum: qui enim dicto anno vndecimo Constantini genitus est, Sabino & Ruffino Consulibus, anno Domini scilicet trecentesimo decimosexto, vsque in hunc annum oportuit ipsum propagasse dictam trigintaquinque annorum ætatem. Sane quidem abhorrerem penitus a Gregorij sententia, quæ a Seuero [f], qui res gestas S. Martini scripsit, tantopere discrepat, nisi eiusdē Seueri scirem esse confirmatam auctoritate. Quàm enim a Gregorio de ætate S. Martini Seuerus discrepare videatur, ex his accipe, quæ ipse in Vita eiusdem S. Martini habet his verbis: Cum edictum esset a Regibus, vt veteranorum filij ad militiam scriberentur; prodente patre, qui felicibus eius actibus inuidebat, cum esset annorum quindecim, raptus & catenatus, sacramentis militaribus implicatus est.] et paulo post: Triennium fere ante baptismum in armis fuit.] ac proinde ipsum anno decimooctauo suæ ætatis baptizatum esse, affirmare videtur; et quod sequitur, tantum biennio postquàm baptizatus est, militasse. D

e Greg. Turon. hist. Fräc. lib. 1. c. 36.

S. MARTINI AETAS ET BAPTISMVS.

f Seuer. Vit. S. Martini. c. 1.

SEVERI TEXTVS INSIGNITER DEPRAVATVS.

Cum, inquam, tantopere discrepent quæ de ætate Martini Gregorius tradit, ab his quæ ex Seuero recitauimus; plane ea reiicienda putarem: cum omnium sententia, maior sit præstanda fides Seuero, quàm Gregorio, cum ille eodem cum Martino sæculo vixerit, quo & vsus est familiarissime; iste vero post annos ferme ducentos ab obitu S. Martini claruerit: nisi sententiæ Gregorij alio in loco (vt dictum est) eumdem Seuerum [g] haberemus auctorem: etenim in Dialogis ait, S. Martinum septuagenariū tunc fuisse, cum Maximum Imperatorē conuenit: quod eiusdem constat auctoritate [h] eo anno contigisse, quo Euodius Consulatum gerebat; est is annus Domini trecentesimus octogesimussextus: qui igitur dicto anno septuagenarius erat, necesse est affirmare ipsum natum fuisse anno Domini trecentesimo decimosexto; ipse est annus vndecimus Constantini, quo ponitur a Gregorio S. Martini natalis: qua etiam ratione consentit Seuerus hoc anno egisse Martinum annum ætatis trigesimumquintum, & sub Iuliano, cum dimissus est a militia, attigisse annum quadragesimum. Sed cum adeo deformiter E

g Seuer. Dial. lib. 2. c. 7.

h Seuer. Vit. S. Martini. c. 23.

A ipse sibi contrarius videatur; qui, vt dictum est alibi, ait non excessisse ætatem annorum viginti, cum missionē a militia postulauit a Iuliano: nihil est plane quod putemus, nisi ipsum exordium Vitæ S. Martini librariorum vitio esse deprauatum, cum & alia ibidem insint Seuero prorsus indigna: qui cum suorum temporum res gestas, & amici intimi, quocum magnam habuit consuetudinem, scripserit; haud possumus suaderi, ipsum adeo contraria inter se litteris commendasse, & tam turpiter hallucinatum esse, his præsertim in rebus, de quibus a plurimis tum viuentibus mendacij redargui facile potuisset.

Attende, amabo te pie lector, quibusnam aliis argumentis ex eodem Seuero hæc vera esse de annis S. Martini monstrentur, vnde menda in Seuerum illapsa facilius cognoscantur, ac pariter corrigantur: habet [a] enim tūc Martinum adscriptum fuisse militiæ, cum promulgatum fuit edictum, quo iuberentur filij veteranorum ad militiam scribi. Extat [b] ipsum edi-
B ctum a Constantino Imperatore sancitum Consulibus Pacatiano & Hilariano, habens relationem ad aliud rescriptum [c] ad Seuerum de filiis veteranorum, vt ad militiam cogerentur. reperiuntur ambo in Codice Theodosiano, quorum posteriore pariter significatur, adscribendos esse filios veteranorum castrensi militiæ post exactum ipsorum ætatis annum decimumsextum, nempe decimoseptimo, idque more maiorum, vt Gellius [d] docet. cuius quidem posterioris edicti tempore, cum inueniatur S. Martinus fuisse annorum septemdecim (tot enim numerantur a Consulatu Sabini atque Ruffini, quo natus ponitur, vsque ad Pacatiani atque Hilariani Consulatum, nempe ab ipso anno Domini trecentesimo decimosexto, vsque ad annum eiusdem trecentesimum trigesimumsecundum, quo idem Pacatianus & Hilarianus Consulatum gesserunt) illud plane ipsum tempus esse cognoscitur, quod a Seuero describitur, Martinum edicto Imperatoris coactum fuisse nomen dare mili-
C tiæ, ipso nimirum exordio anni ætatis suæ decimiseptimi. Ex quibus quoque illapsum errorem in Seuerum emendes, quo ibidem dicitur, Martinus natus annos quindecim militare coactus; cum id plane aduersetur tum antiquis militiæ legibus, tum etiam recentioribus ab ipso Constantino tunc editis. In reliquis vero mira quadam concinnatione concordare videas quæ scribit Seuerus.

At indecens plane est in his errorem adscribi Seuero, quæ de ætate describendorum tyronum ex frequenti vsu saltem, si non ex legibus, omnibus nota essent: nam exceptis annorum numeris in omnibus deprauatis, cetera ab eo conscripta egregie cum duobus illis edictis eo tempore promulgatis concordant: nēpe non tantum (quod diximus) tum adscriptum fuisse Martinum militiæ, cum ad hoc præstandum recens edictum impelleret; sed & quod ab eodem auctore superius [e] traditum est, ipsum tyronem inter scholares alas militasse (erat hæc
D equestris militia) quod quidem priore Constantini edicto filiis veteranorum indultum erat: nam inter alia hæc ibi leguntur [f]: Si autem veteranorum filij, qui equestrem militiam tolerauerunt, inter equites probari voluerint; habeant facultatem.] hanc plane apparet ex Seuero Martinum militiam delegisse, cuius pater primariis dignatus militiæ honoribus militabat Tribunus.

Rursus vero quod idem Seuerus [g] ait, Martinum postulasse a Iuliano Cæsare missionē, cum ille militans in Galliis, esset aduersus barbaros pugnaturus: consentit hoc militaribus legibus eorum tēporum, quibus Ripenses milites post vigintiquatuor stipendia, honestam missionem auctam priuilegiis accipere soliti erant, quod ex eiusdem Imperatoris rescripto ad Maximum habetur expressum [h]: talis namque esse militia Martini atque parentis eius videri poterat, vtpote in Pannonia militum. Cum igitur Iulianum, Ammiano auctore, & aliis, constet fuisse
E sub Consulatu Arbetionis & Lolliani, qui est annus Domini trecentesimus quinquagesimus quintus, octauo Idus Nouembris creatum Cæsarem, atque sequenti anno in Gallias missum ad barbaros coercendos, nēpe anno Domini trecentesimo quinquagesimosexto, Consulibus Constantio octauum & Iuliano: si numeres ab anno Domini trecentesimo trigesimosecundo, quo Martinum fuisse adscriptum militiæ demōstrauimus, vsque ad dictum annum trecentesimum quinquagesimumsextum; inuenies eum vigintiquatuor stipendia meruisse; ac proinde honestam a Iuliano, non autem causariam quam dicunt, missionem militiæ postulasse; cum causaria nulla esse posset, quæ tantum ægrotantibus & corpore inualidis dari soleret; nec nisi emeritis stipendiis omnibus honesta missio impertiretur.

Vides igitur, quàm absurda, ac plane dixerim portentosa apud Seuerum in annorum numeros illapsa sint menda, dum ibi dicitur Martinus ante baptismum triennio militasse, biennio vero post baptismum, ac sic quinquennij temporis perfunctum militia a Iuliano missionem rogasse; quem liquet ex his quæ dicta sunt, ante baptismum annos

a Seuer. Vit. S. Martini c. 1. MILITIAE LEGES.
b l. 4. de filiis militar. C. Theod.
c l. 1. eod. tit. C. Theod.
d Gell. lib. 10. c. 28.
e Seuer. Vit. S. Martini. c. 1.
f l. 1. de filiis militar. C. Theod.
g Seuer. Vit. S. Martin. c. 3. REVCIDANTVR LOCA SEVERI DEPRAVATA.
h l. 4. de Veteranis C. Theod.

viginti militasse, & quatuor post baptismum explesse, ac subinde missionem legitimam A postulasse.

FALSA CAVSA MISSIONIS MARTINI.

At vero procul abhorret, vt Martinus, quòd Christianus esset, missionem petierit, quasi Christiano homini militare minime liceret (quod vna cum aliis in Seuero est emendandum) cum non nisi qui Christiani essent, decreto Constantij, vt nuper demonstrauimus, militare deberent. Sed de missione Martini pluribus suo loco dicendum est. hic autem occasione baptismi eiusdem S. Martini, & expeditionis exercitus Christiani, hæc oportuit disseruisse de eius ætate. Sic igitur qui his Consulibus initiatus est sacro baptismo, anno suæ ætatis trigesimoquinto, recte (quod ait Seuerus) tempore congressus cum Maximo Imperatore, septuagenarius erat: sed & qui ab eodem Seuero [a] dicitur ab eo tempore superuixisse annos sexdecim, constat peruenisse ad annum ætatis octogesimumsextum: in quibus tamen corrigendus est Gregorius, qui cum obiisse tradit Cæsario & Attico Consulibus, annos natum octoginta B & vnum; vel alij qui diuersam ab his ex Seuero stabilitam de Martini ætate chronographiam statuisse noscuntur: in qua quidem si errare contingat, haud fiet absque magno dispendio historicæ veritatis rerum Francorum, cum ab obitu S. Martini apud eos olim solerent tempora numerari.

a Seuer. Dialog. lib. 3.

ANNI S. MARTINI.

Scriptis igitur a Constantio, vt dictum est, hoc anno militibus, in sequentem annum aduersus Vetranionem tyrannum agentem in Pannoniis cum exercitu primùm profectionem instituit, inde vero aduersus Magnentium (fidaretur) victrices copias perducturus. Res enim eo statu esse positæ videbantur, vt qui Vetranionem superaret, vel icto foedere sibi coniungeret, totius Romani Imperij summam foret consequuturus. Quamobrem cum ipse Constantius, tū Magnentius demulcere virū, atque officiis demereri certabant, quo ascisceret quisque sibi eum aduersus alterum in pugna socium; promittēs vterque, eumdē & collegā Imperij se assumpturū. At quomodo sequenti anno Magnentium Constantius anteuerterit, & copias Vetranionis, illo exuto militia, sibi opportune coniunxerit, suo loco dicturi sumus in fine sequētis anni: modo autem ad res Ecclesiasticas redeamus, ipsas nēpe dissensiones obortas in Palæstina non inter Catholicos tantum & Arianos, sed inter ipsos quoque Arianos & alios ex eadem Arij radice pullulantes hæreticos, Semiarianos nomine nuncupatos: eaque omnia occasione Hierosolymitanæ Ecclesiæ Maximi obitu successore vacantis, studiisq. diuersorum erga diuersos (vt fieri solet) inclinantibus. C

MAXIMI EPISC. HIEROSOLYM. OBITVS.

Hoc igitur anno Domini trecentesimo quinquagesimoprimo ponitur a S. Hieronymo in Chronico obitus Maximi Episcopi Hierosolymitani: sed perperam sub eodem laterculo notatus habetur Constantij Imperatoris annus vndecimus; cum, vt vidimus, idem Maximus reperiatur anno superiore, qui est Constantij decimusquartus, vna cum Athanasio Hierosolymis Synodum habuisse: qui igitur sedere cœpit anno Domini trecentesimo trigesimoprimo, & hoc anno defunctus est, annos viginti sedisse dicendus est. Ex quibus deformis erroris arguitur Nicephori Chronicon, in quo annis sex tantum Maximus sedi præfuisse ponitur. Post obitum vero Maximi (subdit idem Hieronymus) Ecclesiam Ariani inuadunt, primùm Cyrillus Eutychius, rursum Cyrillus Irenæus, tertio Cyrillus Hilarius, quarto Cyrillus. Quorum Cyrillus cum a Maximo fuisset presbyter ordinatus, & post mortem ei ab Acacio Episcopo Cæsariensi & ceteris Arianis Episcopis Episcopatus promitteretur, si ordinationem Maximi repudiasset; diaconus in Ecclesia ministrauit: ob quam impietatem, sacerdotij mercede pensatus, in Heraclium, quem moriens Maximus in suum locum substituerat, varia fraude solicitans, de Episcopo in presbyterum regradauit. Quo in exilium ob fidem trūso, omnes clerici iurauerunt, vt nullum alium susciperent.] hæc de successione Episcoporum sedis Hierosolymitanæ Hieronymus: sed, vt puto, mendose multa leguntur. Acacius itaque Episcopus Cæsareæ, Palæstinæ totius metropolis, inter Arianos Episcopos facile princeps, & apud Constantium plurimum valens, atque ab eo præ ceteris in honore habitus, cum alias multas Ecclesias, tum etiam Hierosolymitanam inuasit; totisque incubuit viribus, vt exploso Orthodoxo Episcopo a Maximo viuente probato, Cyrillum hunc a Hieronymo recensitum, malis redemptum artibus, hominem Arianum Ecclesiæ illi præficeret. D E

CONFVSA SVCCESSIO EPISCOPORVM HIEROSOLYM.

Ceterum successio Episcoporum post Maximum non nihil interuersa putatur, & ii sdē confusa nominibus: quatuor enim Cyrilli cum ponantur a S. Hieronymo, ab Epiphanio [b] non nisi duo cogniti sunt, atque hoc ordine recensiti: Post Macarium Maximus, qui hoc anno obiit, post Maximum Cyrillus, inde Irenæus, quem Hieronymus Cyrillum cognomine appellat, post hunc Cyrillus alius, quem puto Cyrillum Eutychium ab eodem Hieronymo

b Epiphan. hæres. 66.

CYRILLI PLVRES.

nominatum,

A nominatum, quarto demum loco Hilarionem, quem Cyrillum Hilarium idem Hieronymus appellat, qui (inquit Epiphanius) nunc detinet Ecclesiam, cui obiicitur quòd sit Arianorum sectæ.] hæc Epiphanius. Ruffinus vero vnum tantum sedisse Cyrillum demonstrat, cum ait [a]: Hierosolymis vero Cyrillus post Maximum sacerdotio, confusa iam ordinatione, suscepto, aliquando in fide, sæpius in communione variabat.] sed & Nicephorus in Chronico vnum tantum & ipse Cyrillum ponit, eumdemque Catholicum, de quo ait: Cyrillus succedens Maximo, expulsus ab Arianis: in eius locum constituuntur tres, Arsenius, Heraclius, & Hilarius; et rursum reuocatus tempore Gratiani, in secunda Synodo inuentus est Constantinopoli.] ac proculdubio hic ille Cyrillus, de quo S. Hieronymus [b] meminit iisdem ferme verbis, cum inquit: Cyrillus Hierosolymorum Episcopus sæpe Ecclesia pulsus, & receptus, ad extremum sub Theodosio Principe octo annis inconcussum Episcopatum tenuit.] hæc ipse.

[a] Ruffin. lib. 1. c. 23.

[b] Hieronym. de script. Eccl. in Cyrillo.

B Quòd igitur Ecclesiæ Hierosolymorum successiones adeo inter se confusæ & inuolutæ habeantur, non Acacius tantum Arianorum signifer, sed & alij Episcopi qui Semiariani sunt nominati, in causa fuerunt: Erant hi Basilius Episcopus Ancyræ, Theodorus Heracleæ, & alij quorum sæpe superius mentio facta est: accidit enim, vt Ariani & Semiariani inter se confligantes, cum & res Orthodoxorum collapsæ penitus essent in Oriente, quasi qui Arij se hostes esse profiterentur, Basilio & aliis inhærerent, illique horum susciperent patrocinium, in quorum inuidiam alij non ob dogma, sed vt ab eo defenderentur, Acacio accederent. hæc quidem ita se habuisse, quæ S. Epiphanius tradit de controuersiis inter Eutychium & Cyrillum Hierosolymorum Episcopos, satis aperte significant, qui ista de Eutychio in primis habet [c]: Eutychius enim Eleutheropolita, nimirum vt qui a beato C Maximo Hierosolymitano confessore & Episcopo fidem haberet manifeste Orthodoxam; propter inimicitias aduersus Cyrillum, non admixtus fuit Acacio, Orthodoxam quidem fidem habens vsque ad tempus, simulans autem ob proprium thronum. Et alij plures Palæstini (propter quos Acacius cum suis instructus erat) eamdem rabiem habentes & insaniam, malamque fidem, tamen ad tempus nihil cogitabant de his, neque confitebantur, neque negabant.] hactenus Epiphanius.

HIEROSOLYMITANA ECCLESIA AGITATA TVRBIS.

[c] Epiphan. hæres. 73.

Qui & ex his quæ superius de eodem Eutychio scribit, communionem ipsum cum Acacio iniisse demonstrat in odium Cyrilli: ait enim: Acacius Palæstinus Cæsareæ Episcopus cum Meletio & Vranio Tyrio & Eutychio Eleutheropolita, propter æmulationem & odium aduersus Cyrillum, restitit Basilio, & Georgio Laodiceno, & alijs Semiarianis Episcopis.] a quorum parte stetisse Cyrillum, idem auctor inferius quoque significat, cum sic ait [d]: Verum D ad scissuras inter se dissecti sunt, aut ob inuidiam, aut propter odium quoddam mutuum, eo quòd Cyrillus Hierosolymitanus aduersus Eutychium iram haberet, & hic rursum aduersus illum, & quòd Cyrillus esset cum Basilio Galata, & Aniano Episcopo Antiochiæ, & Georgio Laodiceæ.] At sicut Eutychius sic inhæsit Acacio, vt tamen nequaquam cum eo sectatus sit Arij sententiam; ita Cyrillus quoque Basilio & alijs Semiarianis visus est inhæsisse, vt tamen nequaquã eorum fidei professioni consenserit: siquidem dum recitat Epiphanius horum fidei professionem cum subscriptione Episcoporum eisdem consentientium, nequaquam inter eos reperitur Cyrillus subscriptus. Ceterum quòd duo saltem ab Epiphanio tradantur esse Cyrilli; auctor ille Catecheseos, cum suis ipsius scriptis, tum testificatione Concilij Constantinopolitani probatur fuisse Catholicus, fideique Nicænæ assertor, de quo sæpe inferius.

DISSENSIONES INTER EVTYCHIVM ET CYRILLVM.

[d] Epiphan. hæres. 73.

E Cum sic igitur Hierosolymorum Ecclesia, defuncto Maximo Athanasij studiosissimo, ab Acacio Cæsariensi Episcopo, Arianorum successione, perturbata penitus esset: rebus prosperis idem Acacius elatus, maiora audet, nempe Athanasium ab Alexandrina Ecclesia exturbare; reque communicata cum suis, ijdem omnes id ipsum perficere nituntur auxilio Constantij Imperatoris. Porro quonam modo se res habuerit, S. Athanasius post recensitos totius fere Christiani Orbis prouinciarum Episcopos, quos suæ communicationi coniunxerat, ob idque acrioribus stimulis inuidiæ Arianos exagitarat, hæc de illis mox subdit [e]: Primum igitur Vrsacio & Valenti persuadent, vt mutato proposito, quasi canes ad proprium vomitum reuertantur, & vt sues in pristino impietatis luto denuo se voluant: causantes, pœnitentiam quam simularant, ex metu Constantis religiosissimi Principis exortam esse.] sed ita respondet ad hæc Athanasius:

ACACIVS CONTRA ATHANASIVM INSVRGIT.

[e] Athanas. epist. ad solitar.

Iam cum metus nullus fuerit, & merum mendacium sit quod dicunt: qui, quæso, non omni probro digni habeantur? Quippe cum nullus ibi neque satelles, neque Palatini, neque

QVOD VRSACII ET VAL. CONFESSIO SPONTANEA FVERIT.

Notarij affuerint, qui ab illis adhiberi solent. Immo ne ipse quidem Imperator ibi præsens fuerit: et, quod maius est, ipsi a nemine accersiti, confessionem suam scriptis prodiderint, Romamque vltro profecti sint, & in Ecclesia, vbi nullius nisi Dei metus, & vbi liberam quisque sententiam proferebat, sponte pœnitentiam suam professi sint, & scripto ediderint. Nihilominus tamen iterum Ariani facti, nihil in tam futili causatione fingenda, comminiscendaq. erubuerunt; nec ita diu postea Ariani, inito consilio, Imperatorem Constantium istiusmodi verbis exacerbauerunt: Etiam tum cum primum deprecaremur, fides nobis habita non fuit: denunciauimus enim iam tunc cum reuocares Athanasium, quòd illa ipsa reuocatione nostram hæresin tolleres, cui ille ab initio se aduersarium præbuit, neque vmquam eam desinet anathemate persequi. Quin iam quidquid terrarum est, scriptis suis, quibus nos impetit, adimpleuit, & fere omnes cum eo communione sociantur. Ex iis autem qui nostræ factionis esse videbantur, alij sese illi adiunxerunt, B alij id ipsum iamiam facturi existimantur: nos interim destituti desertique relinquimur; neque leue periculum est, ne hæresis nostra palam innotescat, ac deinde tu nobiscum hæreticus iudiceris: quod si fit, vide ne cum Manichæis in eamdem classem computemur. Age igitur, incipe eos persequi, & suscipe patrocinium tuæ sectæ, siquidem illa suum te Imperatorem agnoscit. hæc erant illorum sceleratorum verba.

CONSTANTII IMP. INCONSTANTIA. Ille igitur (nempe Constantius) cum in expeditione iret aduersus Magnentium, videretque Episcoporum cum Athanasio communionem, quasi ignis succensus, sententiam suam mutat, nihil iam iurisiurandi memor, & suarum litterarum oblitus, gratitudinis officium erga fratrem non retinuit: nam cum illi scriberet, & Athanasium vidisset, iuramentum conceperat, se numquam aliter facturum, quàm quod populus vellet, & Episcopo gratum esset; sed studium impietatis omnium simul illi obliuionem induxit. Neque admirationi esse debet, si post tot epistolas, tot iuramenta, Constantius mutatus sit; siquidem C & tyrannus Aegypti Pharao subinde promittens, atque inde relaxationem mali adeptus, tamdiu sese mutauit, donec prorsus tandem cum suis gregalibus periret. Hos igitur singulis in vrbibus ad sententiæ mutationem cogebat.] hucusque Athanasius: quæ autem his subiungit, post deuictum Magnentium acciderunt, quo tempore, suo loco eadem recensebimus.

FRAVS ARIANORVM IN ATHANASIVM. His ab Arianis Constantius persuasus, conceptam in Athanasium indignationem lento gradu coquebat in stomacho: non enim palam aggressus est eum persequi, siquidem suam ipsius inconstantiam idem Constantius erubescebat. At moram eius Ariani ipsius ministri pertæsi, litteras simulant Athanasij ad Constantium, quibus eum rogaret, vt proficiscendi in Italiam sibi facultas impartiretur: cum ad eumdem Constantius ipse rescripsit, & pro itinere D commode conficiendo diploma dedit. Hac igitur arte Ariani tentarunt Athanasium ab Alexandria dimouere, quasi a Constantio litteris vocatus esset. At quid tunc actum sit per Montanum Palatinum horum omnium ministrum ad omne nefas aptissimum, idem Athanasius docet his verbis [a]: Vetuit Montanus Palatinus cum huiusmodi epistola, quasi ego scriptis meis a te ius in Italiam abeundi postulassem ad ea instauranda, quæ ibi deficere videbantur. Tuæ quidem pietati gratias ago, quòd ad scripta aliena, quia mea putabas, annueris, curamque itineris mei, vt id commodissime fieret, susceperis. Miror tamen interim eos sine ulla abominatione & horrore mendacij ita falsa apud tuas præsertim aures (alloquitur litteris ipsum Constantium) potuisse dicere, cum mendacia patrem diabolum habeant; ijque qui mentiuntur, alieni sint ab eo qui dicit: Ego sum Veritas [b]. Nihil enim huiusmodi scripsi, neque vmquam talem epistolam, quæ quidem mea sit, aduersarius inueniet, etiamsi E quotidie litteras misero, vt bonum illum vultum tuum conspiciam: immo nec fas est Ecclesiam relinquere, aut tuæ pietati molestum esse; maxime cum etiam absentibus nobis in Ecclesiasticis postulationibus annuas.

a Athanas. Apolog. ad Constantium.

b Ioan. 14.

EPISTOLA NOMINE ATHANASII CONFICTA. Quæ enim Montanus attulit, si iubebis epistolam recitari, talia esse deprehendes. Vnde autem hanc epistolam nacti sint accusatores, quis illis dederit, libenter cognoscerem: iube, quæso, vt tibi respondeant: nam plane cognosces, eos eadem fide hæc finxisse, qua calumniam de abominando & diro Magnentio (nempe quòd Athanasius litteris suis solicitasset eumdem Magnentium in Constantium.) Iam enim hic deprehensi, ad quam nos denuo pertrahent necessitatem respondendi? Id enim meditantur, & studio habent, vt omnia moueant & perturbent, fortasse ea spe, quòd te, multum obganniendo, aduersum me irritare posse credant. Atque eo ipso digni sunt, quos auerseris, odioque habeas, quòd quales ipsi sunt, tales etiam suos auditores existiment, persuadeantque sibi calumnias plurimum

valituras

A valituras, exemplo a Doec [a] mutuato, cuius insidiæ contra sacerdotes plurimum valuere, sed auditor ibi Saul ille iniustus fuit.] ac paulo post:

[a] 1. Reg. 22.

IVSTA EXCVSATIO ATHANASII.

Crede mihi: nam par est te id credere, vt falsus sermo a te procul pellatur. Propterea & ego, quoniam per calumniam epistola subiecta erat, nec imperabat quidquã de itinere ineundo, satis intellexi non fuisse tuæ voluntatis, vt ad te profectionem instituerem. Non enim ita scribebas, tamquam qui venire iuberes: sed ideo mihi profectionem concedebas, quòd ego hoc litteris meis postulassem. Hic etiamsi omnes rem silentio premant; manifesta tamen res est, id ex animi tui sententia scriptum non esse, sed alienæ voluntati hoc ipsum petenti indultum; quod & omnes arbitrati sunt, & ego scriptis præmetuli. Scitq. ipse Montanus, me non detrectasse profectionem; sed inhonestum mihi visum fuisse, eo nomine iter arripere, quasi ego de aduentu impetrando litteras misissem: simul veritus, ne hic quoque sycophantæ occasionem inuenirent, quo molestior essem pietati tuæ. Certe me profectioni adornabam: B nam & huius quoque rei conscius est Montanus, vt litteris tuis acceptis, si dignatus fuisses scribere, statim decederem, & promptitudine obsequendi mandatum tuum anteuerterem. Non enim ita insanio, vt istiusmodi præceptis contradicendum putarim. Cum igitur nihil scriptum esset a maiestate tua; mihiq. nihil iniunctum esset: vbi, quæso, mandatis restiti? aut qua fronte dicere possunt, me non obsequutum imperijs fuisse? Porro si nihil in mandatis erat; quid causę est, vt huic calumnia abesse existimetur, præsertim cum id fingant factum esse, quod factum non est? Vereor, ne hoc quoque, quod dignatus sim respondere, ad calumniam detorqueant: tantopere & ego expositus sum detrectationibus, & tam prompti sunt illi ad criminationes texendas, & ad sacram Scripturam, quæ ita loquitur, contemnendam: Ne ames obloqui, ne extollaris.] hæc ipse vsque ad profectionem Montani Alexandria, quando ad Athanasium C venit Diogenes Notarius. Sed quæ sequuntur, suo loco opportunius, quo gesta sunt tempore, dicenda sunt.

COGVNTVR ARIANI DIFFERRE PARATOS DOLOS.

Cum igitur in hunc modum Ariani rursum Constantium aduersus Athanasium concitassent, & a priore illo animo, quo erga eum propensior videbatur, penitus dimouissent; nouis Athanasium pressuris exagitant: sed quòd Constantius detineretur expeditione in Vetranionem atque Magnentium occupatus; haud queunt eodem tempore, omnes quas aduersus eum fabricarant, machinas admouere. Differunt reliqua post bellum exactum; nam ex Imperatoris sententia longe absentis cuncta se agere decreuerunt, qui totus in expeditione bellica positus istæc frigide curare videbatur. Dicemus ergo de his quæ post hæc subsequuta sunt, anno sequenti.

PAVLVS SEDE PELLITVR, MACEDONIVS SVBROGATVR.

Hoc eodem anno, antequàm Constantius Antiochia recederet (sequenti enim aduersus D Vetranionem profectum in Pannoniam esse constat) idem Constantius Paulum Constantinopolitanum Episcopum, quem Constans frater restituendum curarat, solutus iam eius metu, a sede pellendum, & Macedonium in eius locum subrogandum esse decreuit. Id quidem accidisse antequàm Constantius recesserit Antiochia, Socrates [b] & Sozomenus [c] testantur. Sed & Socrates primum omnium Orthodoxorum Episcoporum Constantium exilio damnasse Paulum affirmat [d]. Hallucinati sunt tamen, dum vltimum Pauli exilium (quem sæpius exulasse superius dictum est) contigisse putant ante Concilium Sardicense: nam post ipsum liquet, Paulum fauore Constantis fuisse restitutum.

[b] Socrat. lib. 2. c. 12.
[c] Sozom. lib. 3. c. 8.
[d] Socrat. lib. 2. c. 21.

EXILIVM PAVLI EPISC. CONSTANTINOP.

Nos igitur quæ de Pauli exilio a Socrate primum atque alijs scripta sunt, hic reddemus, ac demum dicemus quæ de eius martyrio ab Athanasio recensentur. Constantius Imperator (inquit Socrates [e]) Antiochiæ commoratus, simulatque acceperat Paulum Episcopatus Constantinopolitani sedem denuo occupasse, rem acerbe & grauiter tulit. Philippo igitur Præ- E fecto (vtpote maiorem ceteris prouinciarum Præsidibus potestatem consequuto, secundus namque ab Imperatore nuncupatus est) mandatum scriptis proditum mittit, vt Paulum eiiceret Ecclesia, Macedoniumq. in eius locum introduceret. Præfectus vero Philippus, populi tumultum veritus, Paulum astute admodum aggreditur, Imperatoris voluntatem tacitus occultat. Atque simulata specie publicis ciuitatis rebus diligenter prouidendi, ad balneum publicum, quod Zeusippus dicitur, recta pergit. Mittitq. inde quemdam, qui Paulum honorifice accerseret, diceretq. illum ad Præfectum venire debere necessario. Postquàm ille accitus venerat: Præfectus absque mora, Imperatoris mandatum ostendit. Episcopus sententiam, licet inique contra eum pronunciatam, æquo animo fert. Præfectus autem tum eos qui circumsistebant, tum multitudinis impetum admodum reformidans (multi namque rumoris suspicione commoti ad publicum illud balneum concurrarant) vnam balnei fenestram aperire iubet: Paulus per eam in nauigium ad eam rem paratum demissus, cum festinatione in exilium mittitur.

[e] Socrat. lib. 2. c. 12.

mittitur. Cui in mandatis dedit Præfectus, vt Thessalonicam primariam Macedoniæ ciuitatem (in ea enim a maioribus suis oriundus erat) proficisceretur, inq. illa vitam degeret, libereq. & securo animo ciuitates etiam adiret Illyrij: verum ad partes versus Orientem reuertendi nullam omnino ei facere voluit potestatem. A

MACEDONIVS OSTENDITVR EPISC. CONSTANTINOP.

Paulus igitur præter expectationem & Ecclesia pariter & ciuitate eiectus, cum celeritate abducitur. Imperatoris Præfectus Philippus ex balneo publico ad Ecclesiam maturat. Cum illo, quasi composito factum fuisset, aderat Macedonius, inq. rheda pariter assidens, omnium vndique oculis ostenditur. Militum manus cum gladiis eos stipat: inde multitudinis animis terror iniectus est. Omnes itaque ad Ecclesias confluunt: et tam illi qui fidem Consubstantialis, quàm qui Arij dogma tutabantur, ad Ecclesiam ire contendunt. Simulac Præfectus vna cum Macedonio Ecclesiæ appropinquabat, ingens certe metus tum multitudinem, tum milites etiam ipsos perculit. Nam quoniam tanta aderat turba, vt nullus transitus Præfecto Macedonium deducenti pateret; milites multitudinem violenter trudere cœperunt. Atque cum ita multitudo coarctata esset, vt præ angustia loci secedere non posset; milites illam, ex aduerso se illis opposuisse, & suapte sponte transitum Præfecto interclusisse arbitrati, districtis gladijs in eam impetum facere, acriterq. ad pugnam incumbere cœperunt. Circiter tria millia hominum & centum quinquaginta occubuisse feruntur, quorum alij a militibus trucidati, alij a multitudine oppressi interierunt. Macedonius vero post tam præclare facta, perinde ac nihil fecisset mali, sed istorum scelerum integer & innocens fuisset, arbitrio potius Præfecti, quàm canone Ecclesiastico in sede Episcopali collocatur. Ad hunc modum igitur Macedonius & Ariani per tantam hominum cædem ad Ecclesiæ gubernationem ascenderunt.] hactenus Socrates: eadem quoque Sozomenus [a], qui hæc subdit de rebus tunc ab impio Macedonio gestis [b]: B

a Sozom. lib. 3. c. 8.
b Idem lib. 4. c. 2.

PERSECVTIO MACEDONII ADVERSVS CATHOLICOS.

Macedonius Ecclesia Constãtinopolitana occupata, præsidiis monasteriorum complurium, quæ ipse Constantinopoli extruenda curauerat, & fœderibus cum finitimis Episcopis percussis, seipsum muniens, dicitur Pauli fautores varijs affecisse incommodis; ac primum Ecclesiis eos exturbasse; deinde vim illis ideo intulisse, vti cum ipso communicarent: vnde factum est, vt multi verberibus grauiter cæsi perirent: postremo alios fortunis, vrbe alios priuasse, alios in fronte notis ab ipso compunctos fuisse, vt præ ceteris insignes essent. Qua re intellecta, Imperatorem factum condemnasse, & in crimen vocasse Macedonium. Eodem igitur tempore cum Macedonius hanc ob causam esset Episcopatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ abdicatus, malum ad cædem prorupit. Nam cum alij nonnulli, tum Martyrius & Marcianus obtruncati sunt, quos, vtpote Pauli cõuictores, a Macedonio fertur Præfecto traditos esse; et cum accusarentur tamquam auctores necis Hermogenis & seditionis contra eum conflatæ, fortiter mortem oppetiuisse; quorum alter subdiaconus erat; alter, videlicet Marcianus, cantor, & sanctarum scripturarum lector. C D

MEMORIA MARTYRII ET MARCIANI MARTYRVM.

Horum quidem insigne sepulchrum est pro mœnibus Constantinopolis extructum, & velut martyrum monumentum templo circumdatum: quod templum ædificare cœpit Ioannes quidem, nẽpe Chrysostomus, Sisinius autem absoluit, perfecitque: qui duo postea Ecclesiæ Constantinopolitanæ fuere Antistites. Nam indignum censuerunt, eos honore martyrum carere, quos Deus ipse honore affecerat: quandoquidem locus, ad quem adducti, securi percussi sunt, cum ante inaccessus esset, a spectris purgatus est: inq. eo homines dæmonijs agitati morbo liberati, atque multa alia miracula præterea ad eorum sepulchrum edita. Sed de Martyrio & Marciano hæc hactenus. Quòd si eadem cuiquam minime credibilia videantur: nullius pene negotij erit, ab illis qui ea explorate cognita habent, accuratius perdiscere: etenim istis multo sunt fortasse admirabiliora narraturi.] Porro eorum nomina inter reliquos Ecclesiæ martyres in Ecclesiasticis tabulis relata, anniuersaria memoria perseuerant in Ecclesia, die eorum natalitio rediuiua [c], qua ipsorum martyrij Acta, quæ extant [d], publice, ex more, recitari consueuerunt. E

c Martyrolog. die 25. Octob.
d Metaphrast. die 25. Octob.

STVDIVM MACEDONII IN PROPAGANDA HAERESI.

At licet de Macedonij abdicatione Sozomenus hic narrationem inculcet; eam tamen factam esse liquet, cum in Orientem Constantius reuersus est, & cum post Synodum Seleuciensem, conuocauit Concilium Constantinopoli, vbi, se præsente, ob illatas cædes in ordinem redactus est, vt suo loco dicemus. Sed iam nunc reliqua impie & crudeliter a Macedonio gesta hic prosequamur. Socrates ea recenset, additq. de Nouatianis ab eodem dire exagitatis, quòd & ipsi Consubstantialitatis professores essent: sed & ab eius studio in hæresi propaganda sic exorditur [e]: Macedonius autem prouincias & vrbes Constantinopoli finitimas, ministris sui instituti contra Ecclesias suffectis, prorsus euertere conatus est. Nam Ecclesiæ

e Socrat. lib. 2. c. 30.

Cyzicenis

A Cyzicensis Eleusium creauit Episcopum, Nicomediensis Marathonium, qui antea diaconus sub ipso Macedonio constitutus, multum operæ ac studij in rebus ad virorum ac mulierum monasteria spectantibus sedulo procurandis collocauerat. Ceterum quo pacto Macedonius prouincias & vrbes Constantinopoli vicinas euertere studuerit, iam dicemus.

Iste, vt supra dixi, cum Episcopatum acquisiuisset, eos qui ipsius opinionem sequi non in animum inducerent, infinitis fere affecit incommodis. Et non solum eos qui in Concilio ab eo dissentire existimabantur, expulit: verum etiam Nouatianos (hos namque fidem Consubstantialis amplexari, pro certo agnouit) eiecit, cruciatusq. illis inflixit intolerabiles. Agelius autem illorum Episcopus salutem fuga quæsiuit. Multi præterea viri pietate eximij prehensi, tormentisq. propterea grauiter afflicti, quòd cum illo communicare recusauerant. Quin etiam isti postquàm tormenta illis inflixerant, per vim mysteria cum ipsis participare coegerunt. Nam B illorum ora ligno distendunt, mysteriaq. ingerunt: qui autem hunc cruciatum subibant, ipsum alijs tormentis multo putauerunt acerbiorem. Mulieres porro & pueros abripiunt, mysteriorumq. cum illis participes fieri compellunt. Quòd si renueret quisquam, aut illis contradiceret, statim verberibus cæsus fuit, & post verbera in vincula & carcerem coniectus, coactusq. alia acerba cruciamentorum genera sustinere. Ex quibus vnum & alterum, quo sæuitia & crudelitas tum Macedonij, tum aliorum qui id temporis fuerunt propter eam rem nobilitati, apud omnes liquido constet, in medio ponam. Vbera mulierum mysteria cum illis participare renuentium inter arcularum labra intrusa serris absciderunt. Easdem item partes alijs mulieribus partim ferro candente, partim ouis in igne quàm maxime fieri poterat calefactis, exusserunt. nouum hoc quidem cruciatus genus, etiam apud ipsos Gentiles non aliquando auditum, isti qui se Christianos profitebantur, excogitarunt. *NOVATIANI A MACEDONIO EXAGITATI.*

C Ista ab Auxanonte (cuius etiam in primo libro a me facta est mentio) vitam in longissimum tempus protrahente ipse equidem audiui: qui quamquam presbyter Nouatianæ erat Ecclesiæ, tamen non exigua mala ab Arianis, cum nondum ad gradum presbyterij ascendisset, se perpessum memorauit: nam vna cum Alexandro Paphlagone, qui religiosum & seuerum vitæ genus cum eo exercebat, in carcerem coniectum esse, multas plagas sustinuisse, tormenta tolerasse: Alexandrum autem propter plagarum acerbitatem in carcere occubuisse; qui quidem ad dexteram homini iam in sinum Byzantium (quod Ceras, idest Cornu vocatur) nauiganti, prope fluminum ripas sepultus est, vbi etiam ecclesia est Nouatianorum Alexandri nomine nuncupata.

Diruerunt autem Macedonij mandato cum alias ecclesias in alijs ciuitatibus, tum etiam Nouatianorum in vrbe Constantinopolitana sitam, quæ non multum abest Pelargo. At cur D istius separatim mentionem fecerim, iam sicut ab Auxanonte, viro qui vitam longissime propagauit, ipse accepi, dicturus venio. Lege Imperatoris & Macedonii violentia mandatum est, vt ecclesiæ eorum qui fidem complectebantur Consubstantialis, prorsus vastarentur: ista lex vnà cum violentia Macedonii iuncta, etiam ad istius ecclesiæ euersionem impellebat: qui autem ad hoc facinus obeundum erant comparati, illud propere aggrediuntur.] ista quidem & alia de Nouatianis suis (nam & ipse eidem sectæ addictus erat) ab Arianis dire vexatis Socrates habet; ac demum causam, cur postea in Macedonium Constantius Imperator fuerit exacerbatus, subinfert his verbis [a]: *DIRVIT MACEDONIVS ECCLESIAS.*

a Socrat. lib. 2. c. 30.

At tametsi multæ fuere res eiusmodi a Macedonio Christianæ religionis ergo præclare gestæ, in quibus cædes, pugnæ, seruitus, bella denique intestina acciderant; istud tamen facinus non solum apud eos qui erant ab eo læsi, verum etiam apud suos ingentem odii flammam meE ritissimo contra ipsum incendit, Imperatorisq. animus partim hàc de re ab eo est alienatus, partim alia de causa, quæ eius generis fuit: Templum, vbi loculus, in quo corpus Imperatoris Constantini erat conditum, ruinam minari: populus qui intus versabatur, seq. precibus dicauerat, propterea in magno metu esse cœpit. Macedonius igitur habebat in animo, Imperatoris ossa transferre, ne templi ruina loculus ille penitus obrueretur. Populus, re intellecta, eius conatum prohibere aggreditur; inquiens, nefas esse, Imperatoris ossa transferre: nam perinde esse, ac si e sepulchro effoderentur. *MACEDONIVS TRANSFERT CORPVS CONSTANTINI.*

Populus in duas dispertitur factiones: quarum altera corpus mortuum translatione illa minime læsum iri, altera facinus impium factu affirmabat. Qui autem Consubstantialis fidem amplexabantur, communi consensu facto, restiterunt. At Macedonius, eos qui reluctabantur, parui ducens, corpus in ecclesiam, in qua corpus Acacii martyris erat repositum, transfert. Quo facto, a multitudine dissentiente propere in eam ecclesiam concurritur. Factio aduersatur factioni, & absque mora manu grauiter confligitur. Tanta hominum cædes facta est, vt tota *CATHOLICI OBSISTVNT MACEDONIO.*

vt tota ecclesiæ pars inferior, sanguine redundaret: idemq. ab ipsa porticu ecclesiæ adiuncta ad ipsam plateam factum esse cernebatur. Quod factum miserabile & calamitosum vbi ad aures Imperatoris peruenit, illum contra Macedonium ad iracundiam prouocauit, tum quòd tanta hominum occidisset multitudo, tum quòd patris corpus absque ipsius consilio transferre ausus esset.] hactenus Socrates de rebus gestis a Macedonio vsque ad tempus, quo ab ipso Constantio e sede iussus est deiici, de quo suo loco dicturi sumus. A

At quid interea Paulus Episcopus Constantinopolitanus a Philippo Præside passus sit in diuersa translatus exilia, S. Athanasius docet his verbis, dum periodum eius in diuersa loca exilio amandati recenset [a]: Primum quidem per illos in Pontum relegatus est, postea a Constantio ferro vinctus in Singra Mesopotamiæ deportatus est, rursum inde in Emesam, atque ex Emesa in Cucusam Cappadociæ circa deserta Tauri abreptus est; quo in loco, vt ab illis renunciatum est qui cum illo fuere, laqueo per Eusebianos strangulatus, vitam finiit. Eusebiani vero hoc scelere commisso, sine omni pudore, vt vbique mendaces, hominis extincti aliam causam finxere, tamquam ex morbo periisset, cum longe aliud constet omnibus eius loci incolis. Siquidem Philagrius per id tempus eorum locorum Vicarius, omniumq. quæ ipsi vellent histrio, sed tamen super hoc scelere stupens & mærens (credo, quòd alius, ac non ipse potius eius necis auctor esset) plurimis rem prodidit, & inter reliquos mihi notos Serapioni Episcopo: Paulum ab Eusebianis in arctissimo & obscurissimo loco reclusum fuisse, relictumq. ibi, vt fame periret: deinde post sex dies, cum eo ingressi Eusebiani hominem adhuc spirantem inuenissent, per vim Episcopum strangulasse, atque eo genere finis vitam clausisse; et diaconum dixisse, inferendæ necis ministrum Philippum Præfectum fuisse. B

a Athanas. epist. ad solitar.

PAVLI EPISC. CONSTANTINOP. MARTYRIVM.

Verum ad hoc scelus vindicta diuina conniuendum sibi non putauit. Philippus enim, nondum vertente anno, Præfectura sua magna cum ignominia spoliatus est: ac iam inde priuatus, iis quibus minime volebat, ludibrio fuit: mæstus igitur mirum in modum, & quem admodum Cain gemens & tremens, & quotidie percussorem expectans, longe a suis ac patria sua veluti attonitus, quod minime volebat, morte extinctus est.] hæc Athanasius, qui & de nece Pauli per Philippum Præsidem perpetratam meminit in Apologia de fuga sua; quem locum, de his agēs, citat Theodoretus [b]. Est & huius Philippi mētio apud Zosimum [c], vnumque ex illis fuisse tradit, qui in magnis dignitatibus constituti erant, prudentiaq. præstantē, qui in bello Mursensi, quo Magnentius tyrannus victus fuit, ad eum Legatus a Constantio missus est; cuius sane cum nulla deinceps extet memoria, neque apud Zosimum, neque Ammianum; facile persuademur, ipsum haud diu postea vixisse, sed quam Athanasius narrat, Dei vindictam expertum esse. Iam vero ad res gestas anni sequentis progrediamur, quo Constantius recedens ex Oriente aduersus Vetranionem tyrannum venit cum copijs in Pannoniam. C D

PHILIPPVS PRAEFECTVS DAT POENAS SCELERIS.

b Theodoret. lib. 2. c. 5.
c Zosim. lib. 2.

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
352.	16.	16.

Christi anno trecentesimo quinquagesimosecundo, Constantius Imperator quintum adijt Consulatum, adsciuitq. sibi collegam Gallum Cæsarem: quo anno, pridie Idus Aprilis, Iulius Romanus Pontifex ex hac vita migrauit, cum sedisset annos quindecim, menses quinque, & dies decem ac septem. De annis quibus idem Iulius sederit, consentiunt, quos sæpe citauimus, Indices Vaticani: de mensibus & diebus, licet diuersa inueniatur diuersorum assertio; ex eo tamen quod habetur Iulium sedere cœpisse vigesimasexta mensis Octobris, ac desiisse duodecima Aprilis; totidem plane menses & dies supra decimumquintum annum, eum Romanæ præfuisse Ecclesiæ, opus est affirmare. Sententia quoque S. Hieronymi ponentis in Chronico ingressum Liberij Papæ hoc ipso anno Domini trecētesimo quinquagesimosecundo; idem Iulius, hoc itidem anno, ex hac vita migrasse, significatur, licet id neque respondeat annis Imperij Constantij, cum hoc anno ponatur ibi eiusdem duodecimus, qui numerandus est decimusſextus. E

IVLII PAPAE OBITVS.

De Iulio rursum expendamus quę habentur in libro de Romanis Pontificibus, errore (quod sæpe dictum est) a nonnullis citato nomine Damasi: leguntur enim hæc ibi de eo: Hic post multas tribulationes in exilio fuit mensibus decem, & post huius Constantij mortem cum gloria est reuersus ad sedem beati Petri Apostoli.] Iulij tribulationem causa fidei illatam nullam scimus, nisi quam ipse sponte aliorū causa suscepit, secundum illud Apostoli: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?] Quippe qui non tantum Episcopos exules

CORRIGENDA DE IVLIO PAPA MENDACITER SCRIPTA.

A exules ab Arianis eiectos, Romam ad se confugientes excepit; sed, quod vidimus, vt ipsos ad suas ipsorum sedes restitueret, magnopere laborauit, atque tandem summo insumpto labore perfecit. Quod autem ad Iulii exilium spectat & restitutionem factam post Constantii Augusti obitum: adeo hæc abhorrent a veritate, vt nec coniici, vel fingi saltem aliquo modo possint. Quis enim ignorat, viuente adhuc Constantio, Liberium Romanum Pontificem ad multos annos sedisse, & ab ipso Constantio exilium passum esse? id quidem cum omnes nostri, tum ex Ethnicis Ammianus quoque restatur; cōsentiuntq. pariter vniuersi, nullam antea vexationem illatam fuisse a Constantio aduersus Occidentalem Ecclesiam, nisi postquàm expugnatus est tyrannus Magnentius; et vsque ad illud tempus res cunctas Occidentalis Imperii in tuto collocatas esse, cum iam Iulius, de quo agimus, ex humanis desiisset, & Liberius Papa Ecclesiæ Romanæ præesset.

B Certe quidem si elapsa superiora tempora consideres, nec locum nec tempus inuenies, quibus Iulij exilium ponas: nam viuente adhuc Constante, integerrimæ fidei Principe, Arianorum hoste, exulum ex Oriente Episcoporum vindice atque patrono, dicere Iulium exulasse, nihil ineptius potest excogitari; cum testificatione tam Athanasij quàm ceterorum veterum scriptorum exploratissimum sit, Iulium Romæ agentem pro exulum restitutione assidue laborasse. Mortuo vero Constante, nec id liberum fuit Constantio, Iulium ex Vrbe dimouere; cum non ipse, sed Magnentius tyrannus cum Vrbe toto potiretur Imperio Occidentali; a quo quidem vllum factum esse negotium Iulio, a nemine traditur. Sed nec, viuente Magnentio, a Constantio quispiam ex Orientalis Ecclesiæ Episcopis ab Ecclesia sua expulsus est: Athanasius tantum abire, falsarum litterarum obtentu, Alexandria fuit tentatus; ille tamen, cognito (vt vidimus) dolo, nequaquam inde voluit proficisci: qui quidem cum sæpe in Arianos exprobrans,

Refellitur commentum de Iulii exilio.

C recenseat Episcopos diuersarum Ecclesiarum ab Arianis per Constantium ex ipsorum sedibus pulsos; de Iulio, qui prior ceteris fuerat nominandus, ne verbum quidem. Explosis igitur his, quæ de Iulij exilio perperam sunt in librum illum illata; quæ illic habentur reliqua de eodem Iulio, describamus.

Fecit Basilicas duas, vnam iuxta Forum, & aliam via Flaminia, & cœmeteria tria, vnum via Flaminia, aliud via Aurelia, & aliud via Portuensi.] Porro has ab eodem Iulio egregia pictura sanctarum imaginum exornatas, Hadrianus Papa testatur. Sed subditur: Hic constitutum fecit, vt nullus clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesia per Notarios colligeretur; et vt omnium monimentorum in Ecclesia confectio per Primicerium Notariorum celebraretur; siue quòd cautiones, vel instrumenta, vel donationes, vel commutationes, vel traditiones, aut testaměta, vel colligationes*, aut manumissiones clericorum per scrinium*

D sanctum celebrarentur. Hic fecit ordinationes tres in Vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros octodecim, diacones tres, Episcopos per diuersa loca nouem.] hæc ibi de Iulij Papæ rebus gestis.

*obligationes
*scrutinium

At quid de scriptis eius Gennadius [a] tradat, his addamus: Iulius (inquit ille) Vrbis Romæ Episcopus scripsit ad Dionysium quemdam de Incarnatione Domini epistolam vnam: quæ illo quidem tempore vtilis visa est aduersus eos, qui ita duas per incarnationem asserebant in Christo personas, sicut & naturas. Nunc autem perniciosa probatur: fomentum enim est Eutychianæ & Timotheanæ impietatis.] hæc Gennadius. Sed optassem, rem tantam ab eo accuratius esse perspectam, & auctorem eius epistolæ solertius indagatum, prout Euagrius atque Leontius Græci scriptores fecisse noscuntur. Euagrius [b] enim ait de Nestorianis hæreticis: Sanctorum Patrum libros sæpe deprauarunt, multosq. Apollinaris libros Athanasio,

E Gregorio Thaumarurgo, & Iulio, inscriptionibus commutatis, attribuerunt; quibus quidem libris plurimos in suum impium errorem induxerunt.] in hunc modum Euagrius.

Iulii Pap. scripta.
a Gennad. de script. Eccles. c. 2.
b Euag. lib. 3. c. 31.

At audiamus ista a Leontio accuratius peruestigata, atque prolixius pertractata: ipse enim in commentario, quem scripsit de sectis, hæc habet [c]: Adferunt (inquit) aliud quoque dictum, velut a beato Iulio profectum, quod extat in epistola scripta ad Dionysium Corinthi Episcopum, cuius initium est: Miror de quibusdam audiens, &c. estq. dictum huiusmodi: Necesse est eos, cum duas naturas dicunt, vnam adorare, alteram non adorare: ac in diuinam quidem baptizari, at in humanam non baptizari. Aliaq. plura istæc epistola continet.] At ex his quidem quæ Leontius ex ipsa epistola ad Dionysium recitat, qui & eam optime perspectā habuit, satis detegitur Gennadius illam tantum nomine audisse, nequaquam tamen legisse. Nam quo modo, quæso, dicere potuisset, eiusmodi epistolam his temporibus fuisse vtilem aduersus eos qui duas dicerent per incarnationem esse in Christo personas; cum adeo immanes manifestasq. blasphemias contineret, quibus Nestoriana hæresis penitus confirmaretur?

c Leont. de Sectis Act. 8. tom. 9. Biblioth. sanct.
Ab hæreticis supposita scripta nomine Iulii.

Sed

DETEGITVR IMPOSTVRA HAERETICORVM.

Sed audiamus Leontium imposturam hæreticorum aperientem; subdit enim: Sed nos pluribus argumentis conuincimus, illam epistolam non esse beati illius Iulij, sed Apollinaris. Primum ex eo, quòd si quis eam subtiliter consideret, nihil Iuliano dignum nomine habeat. Quin & septem illæ epistolæ, quas eius esse dicunt, Apollinaris sunt. Deinde quòd in eadem epistola corporis mentione facta, nusquam id mente præditum, vel animatum dixerit: erat autem in more Patribus illius sæculi, vt sicubi corporis mentionem facerent, id ipsum mente præditum, animatumq. dicerent: quod quidem vsque adeo verum est, vt reformidantibus eis hoc crimen, ideoque deinceps illas voces, Mente præditum, & Animatum adijcientibus, nulli posteriorum libri reperiantur, qui hanc veterum appendicem non habeant.] A

APOLLINARIS HAERESIS EX ARIO.

Verum & in his addimus ad Leontiū, hoc idcirco factum a Patribus, non tantū propter hæresin Apollinaris, qui post Iuliū vixit & hæresin eam docuit, sed propter Arium, quem eiusmodi quoque blasphemiam scriptis suis effutiisse tradunt; primumq. auctorē fuisse, qui diceret, corpus Christi caruisse anima, fuisseq. illi Verbum loco mentis. id quidem de Arianis habetur expressum in Synodo Nicæna secunda his verbis alibi repetitis [a]: Cum hac autem abominanda hæresi insani isti Ariani & vnam naturam in vnitione hypostasis esse dicunt. Opinantur autem Christum Dominum nostrum carnem sine anima assumpsisse; addentes, in salutari illius dispensatione, diuinitatem impleuisse animæ consilia, motionesq. &c.] hæc ibi. Huius autem erroris complicem fuisse Eusebium Cæsariensem, ibidem affirmatur. B

a Concil. Nicæn. 2. Action. 6.

RVRSVM LEONTII APOLOGIA PRO IVLIO.

At reuertamur ad Leontium aduersus hæreticos de impostura in Iulium disserentem, atque superius dictis addentem hæc ipsa: Præterea de hoc quoque non beati Iulij, sed Apollinaris esse redarguitur, quòd Nyssenus ille Gregorius in opere contra Apollinarem aperte multa recitet, quæ hac epistola continentur, eaq. ceu praua refutet. Potest & aliunde conuinci, quòd beati Iulij non sit. Aiunt enim Actis Synodi Ephesinæ sub beato Cyrillo insertam: quod quidem aperte mentiuntur: nam nihil ibi in textu tale reperitur, sed alia quædam inserta est epistola velut a Iulio scripta, nec ipsa Iulii, sed Timothei, quemadmodum ex multis exemplaribus intelligi potest: enimuero cum nihil nobis illa aduersetur, quòd eam Iulii dicunt, flocci scilicet faciendum.] hactenus Leontius pro Iulii defensione, qui & aliā huic annexam de ceteris hæreticorū scriptis Gregorio Thaumaturgo suppositis detegit imposturam. At de his satis. De sepultura vero Iulii, & cessatione sedis eius, hæc in eodem libro de Romanis Pontificibus in fine leguntur: Sepultus est via Aurelia in cœmeterio Calepodii, pridie Idus Aprilis: cessauit Episcopatus eius dies vigintiquinque.] hucusque ibi. Hac quidē ratione dicendum est, Liberium, qui in locum ipsius Iulii subrogatus est Romanus Episcopus, sedere cœpisse die octauā Maii. fuit hic Romanus ciuis: quantum autē sederit, dicemus in eius obitu. C

LIBERIVS PAPA.

Qualis vero ante sedem in minoribus Ecclesiasticis functionibus Liberius vixerit, & quo modo inuitus electus sit Romanæ Ecclesiæ Pontifex; ipsemet in contestatione illa ad Constantium facta, iureiurando quoque adhibito, declarat his verbis [b]: Testis autem est mihi Deus: testis est tota cum suis membris Ecclesia, me fidelem [*], & me in Deum meum cuncta mundana (ita vt Euangelica & Apostolica ratio præcepit) calcare, atque calcasse, non furore temerario, sed constituto atque obseruato iure diuino: atque in alio ministerio Ecclesiasticus viuens, nihil per gloriæ cupiditatem, quod ad legem pertinebat, impleui: atque ad istud officium (testis est mihi Deus meus) inuitus accessi: in quo cupio quidem sine offensa Dei, quamdiu in sæculo fuero, permanere.] hæc ipse. D

b Epist. Liberij ad Constantium: extat apud Lucif. Calarit. in f. & tom. 9. Biblioth. sanct.

* fide

ARIANI QVID AD LIBERIVM.

Cum autem Orientales Episcopi Ariani cognouissent de morte Iulii Papæ, quem sibi aduersantem in omnibus vehementer experti erant: rursumq. accepissent nuncium de subrogatione Liberii: collectis suæ communionis Episcopis, Concilium habent, ex quo dant litteras ad eumdem Liberium, quibus Catholicæ ab eo vnitatis communionem exposcunt, atque iisdem quoque Athanasium accusant. Verum eodem ferme tempore redditæ sunt eidem Liberio Romæ litteræ ex Synodo septuagintaquinque Aegyptiorum Episcoporum pro Athanasii defensione. Quibus ipse acceptis ex vtraque parte epistolis, eisdemq. recitatis in Cōcilio tunc Romæ collecto, negatum est Arianis quod a Liberio postulabant. Nec tamen eiusmodi occasione Constantius Imperator, cuius voluntate cuncta ista fieri sentiebāt omnes qui in eadem Synodo cum Liberio erant, in Romanam Ecclesiam grassandi ansam arriperet: illud ibi tunc ab eis decretum fuit, vt legatio ad ipsum Constantium mitteretur de cogendo Concilio. Verum Magnentianum bellum impedimento fuit, quo minus hæc potuerint pertractari: dilata est ergo legatio ad annum sequentem post expugnatum tyrannum. habentur istæc omnia in eadem epistola Liberii Papæ ad Constantium postea scripta. E

DECERNITVR LEGATIO AD CONSTANT.

Sed iam

A Sed iam res Constantij prosequamur. Hic cum venisset in Pannoniam, simulans cum Vetranione tyranno amicitiam, quasi accepturus eum in collegam Imperij, magnis pollicitationibus ipsum primo a Magnentio, a quo magnopere sollicitabatur, retraxit: ac demum habens ad eius milites concionem, id effecit, vt ab iisdem purpura exueretur, & solio detractus priuatus viuere cogeretur. hæc Zosimus [a]. Factum est istud in Pannonia apud Mursum [*] ciuitatem. Hallucinatur autē idem Zosimus, dum post deiectum ab Imperio Vetranionem, Gallum Cæsarem creatum tradit. Constantius igitur, redacto in ordinem Vetranione, eiusq. copijs sibi adiunctis, in Magnentium parat grauius bellum, quod confectum est anno sequenti.

VETRANIO SPOLIATVR.

[a] Zosim. lib. 2.

[*] Mursam

Hoc quoque anno, sub Consulatu quinto Constantij, licet perperam addatur ei collega Constans (irrepsit enim error, vt pro Gallo positus sit Constans) extat eiusdem Constantij rescriptum [b] datum Sirmij in Pannonia, quo eunuchis faciendi testamenti tribuit facultatem:
B ex quo quidem satis intelligitur, ipsum Constantium hoc anno in Pannonia egisse, vbi in sequentem vsque mansit, quo bellum initum est aduersus Magnentium. Fauisse nimium, quàm par erat, eunuchis Constantium Imperatorem, fuit iusta querela Athanasii & aliorum quoque scriptorum illorum temporum. sed de his aliàs. Iam vero ad res gestas anni sequentis progrediamur.

CONSTANTIVS FAVET EVNVCHIS.

[b] l. 5. qui testamentum facere poss.

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
353.	2.	17.

C PRæsens annus Domini trecentesimus quinquagesimustertius, Constantij Consulatu sexto & Galli secundo adscribitur Fastis, insignis nobili victoria Constantij Imperatoris aduersus Magnentium tyrannum obtenta in Pannonia apud Mursum, vbi & Vetranio fuerat anno superiori, vt vidimus, Imperio cum exercitu spoliatus.

Aduersus igitur tyrannum crudelissimum, Imperij perduellem, Constantis Augusti interfectorem, Constantius pugnaturus; quòd eo sciret prœlio totius Romani Imperii momentum verti; memor paterni consilii, quo de tot tyrannis atque barbaris superatis, semper diuino numine præuio, victor ad propria remeasset; illud sibi propitium reddere omni studio laborauit. Ad hoc namque spectabat, quod superius dixisse meminimus, omnes in suo exercitu prœliaturos voluisse prius ante diem prœlii initiari sacro baptismate, renuentes vero dimitti; imitatus quodammodo Gedeonem [c], dum aqua prius probatos voluit, quos in hostes ducturus esset. quo quidem ex facto cuncta illi dextera ac plane felicissima contigere.

CONSTANTII EXPEDITIO IN MAGNENTIVM.

[c] Iud. 7.

D At licet ex consortio cum Arianis Episcopis, & patrocinio, quod eorum hæresis suscepisset, indignus prorsus videri potuisset, qui de hostibus victoriam consequi mereretur: quòd tamen Deus de Magnentii tyranni immani scelere tunc pœnas exposceret, clamante in eum innocentissimo sanguine, Abelis instar, iustissimam vltionem; Constantii delicta ad aliud tempus punienda, dilata sunt, atque interim dissimulata. Distulit plane Deus, quam iuste merebatur ille, vindictam; ne forte (quod est in Moysi cantico [d]) superbirent hostes eorum.] Cum alioqui idem Constantius etsi non de fide Catholica, certe quidem de Christiana religione, idololatriam, atque idololatras vehementi odio prosequutus, videri potuerit optime meritus. Qua ex parte a Gregorio Nazianzeno, habita eius cum Iuliano Apostata collatione, meruit egregio laudum præconio celebrari: quo nomine vt quid temporalium rerum conferret illi diuina clementia, haud incongruum penitus habeatur.

CVR DEVS FAVET ARIANO IMPERATORI.

[d] Deut. 32.

E Paterno igitur in tāto rerum discrimine Constantius vsus exemplo, quem sciebat fiduciam omnem de victoria consequenda non in exercitus viribus collocasse, sed in Crucis virtute ac Christi nomine, secundum illud quod illi cælitus fuerat demonstratum: IN HOC VINCE: eadem ipse spe munitus, ac fiducia roboratus, totus pendens erat e diuino præsidio, e cælo sperans sibi aduersus tyrannum victoriam impertitū iri. Sunt plane eiusmodi Constantii animi in Deo spem habentis ab eodem tunc temporis conflata numismata iisdem signis, quæ hic videbis expressa, & inscriptione luculenta signata, IN HOC SIGNO VICTOR ERIS, suaque imagine militari, tenente dextera Labarum, in quo cum Cruce Christi quoque nomen (vt est superius declaratum) habetur expressum: quo signo præuio, ipsum consequuturum victoriam, imago Victoriæ, cum palma a tergo posita capiti coronam dextera ponens, haud obscure significat [e].

SPES CONSTANTII IN DEO.

[e] Numisma ærē quod exhibuit D. Horatius Tygrinus de Mariis Romæ.

A





B

NVMISMATVM MAIORVM VSVS.

[a] Herodian. lib. 1. prope fin.

Eiusmodi autem grandiora numismata (vt obiter hæc modo dicamus) arbitrio Imperatoris efformari solita, ab vsualibus nummis distincta erãt, illaq. eadem ipsa, quæ munificentiæ causa ab Imperatoribus erogabãtur in suos, &(quod Herodianus[a] ait) ipsis Kalendis Ianuarijs alter alteri mittitare solebat: cuius quidem antiquissimi vsus adhuc penes Christianos remanet quædam imago, dum iisdem Kalendis Ianuariis, vel frequentius die Natali Domini beneficentiæ causa nummi ab hominibus dignioris conditionis, inferioribus donantur.

MAGNENTIVS EISDEM VTITVR MILITARIBVS SIGNIS.

[b] Habet Adolph. Occo in lib. Rom. Impp. numis.

Sed ad expeditionem Constantij aduersus Magnentium redeamus, & Magnentij in Constantiũ apparatum. Erat iste (vt diximus) Christianus, sicut & Decentius frater ipsius; iisdemq. Crucis & Christi nomine insignitis eos vsos esse militaribus signis, quæ superius reddita sunt formis eorũ numismata aperte declarant: sed & virtute Crucis & nominis Christi eumdem Magnẽtium certã sibiipsi pollicitum esse victoriã, numisma[b] illud ipsius demonstrare videtur, C cuius a tergo figura ipsius militaris stans, dextera Victoriolam, sinistra Labarum habet, in quo pariter salutiferum idem signum expressum habetur ☧. In hoc primum bello illud (pro scelus!) velut portentum apparuit, Crucem contra Crucem in prœlium ferri, Christique nomen aduersus Christum in Labaro ostentari, & Christianos in Christianos armatos progredi, sed quorum alterius partis tyrannus dux esset, alterius vero hæreticus Imperator. at non aliis plane quàm his auspicibus tantum decebat aggredi nefas.

MAGNENTIVS VINCITVR.

[c] Zosim. lib. 2.

[d] Paul. diac. Miscellan. hist. lib. 11.

Quæ autem velitationes prœlium, vbi de summa rerum concertabatur, ante præcesserint, quo ordine acies dispositæ fuerint, & ante bellum ipsum internuncia inter ducem vtrumque præierint, quoue defectu Magnentij exercitus cedere cœperit, ac tandem victus penitus fuerit: ad Zosimum rem prolixius prosequentem, lectorem amandamus. De summa rerum illud tantum pro instituto, quo tenemur adstricti, satis sit in præsentiarum admonuisse, D quòd duces sceleratorum tyrannus ipse Magnentius, atque Decentius, vindictam de innoxio Constantis sanguine exposcente numine, miserrime periere: ille quippe diuersis antea exagitatus prœliis, vltimo tandem certamine, exercitu cæso ac penitus profligato, desperatione melioris fortunæ, sibiipsi mortem consciuit, gladio se transuerberans. Decentius autem eius frater, quem crearat Cæsarem, inpacto sibi laqueo vitam finiuit. ista vero pluribus narrantur a Zosimo[c]: hic finis crudelium tyrannorum libidine imperandi fas omne iusq. calcantium. Acciderunt Magnentio hæc, cum occupasset Imperium annos tres & menses sex: id ipse Zosimus, Victor, Eutropiusq. testantur. Contigisse horum exitium, hoc anno, iisdemq. Consulibus, decimooctauo Kal. Septembris, Paulus diaconus habet[d], licet mendose anni Imperij Consulatus loco ponantur. Addit idem auctor, ab ipso Magnentio fuga lapso, atque dolore amissi Imperii superato, cum ipsius matrem, tum etiam fratrem maiorem natu occisos esse. E

Ceterum quod ad mensem & diem spectat: cum Acta Artemii martyris referant eiusmodi cladem Magnentii accidisse antequàm Hierosolymis insigne illud de Cruce prodigium appareret, constetq. ex Cyrilli epistola eam visionem contigisse tempore Pentecostes, nempe septima mensis Maii: Paulus diaconus erroris argui posse videtur. Agemus autem nos de eadem Crucis apparitione ad finem præsentis anni; quòd verisimilius sit, hoc anno, veris tempore exercitus aduersarum partium conflixisse.

[e] Seuer. hist. lib. 2. to. 2. Biblioth. sanct.

VALENTIS ARIANI EPISC. DOLVS.

At quid de Ariano Episcopo Valente apud Constantium agente scribat Seuerus[e], hic in medium adducamus: Eo, inquit, tempore, quo apud Mursum contra Magnentium armis certatum; Constantius descendere in conspectum pugnæ non ausus, in basilica Martyrũ extra oppidum sita, Valente tum eius loci Episcopo in solatium assumpto, diuersatus est. Ceterum Valẽs callide per suos disposuerat, vt quis prœlii fuisset euẽtus, primus cognosceret: vel gratiam Regis captans, si prior bonum nuncium detulisset: vel vitæ consulens, ante capturus fugiendi spatium,

A spatium, si quid contra accidisset. Itaque paucis, qui circa Regem erant, metu trepidis, Imperatore anxio, primus nunciat hostes fugere, cum ille indicem ipsum intromitti posceret: Valens vt reuerentiam sui adderet, angelum fuisse sibi nuncium respondit. Facilis ad credendum Imperator, palam postea dicere est solitus, se Valentis meritis, non virtute exercitus vicisse. Ab hoc initio illecti Principis, extulere animos Ariani, potestate Regis vsuri, vbi auctoritate sua parum valuissent.] hæc Seuerus.

CONSTANTIVS EX PROSPERIS FIT DETERIOR.

Accidit plane Constantio secundum illam antiquorum sententiam tam Gentilium quàm Christianorum consensu receptam, qua dicitur[a]: Nihil infelicius felicitate peccantium. Quippe qui Arianæ impietati (pro nefas) tantam victoriam, qua sibi vniuersum Occidentale Imperium vendicauit, acceptam retulit impie; quam in vltionem sæuissimi tyranni Deus illi concesserat: vnde & iuxta Propheticũ illud euenit ipsi, quo dicitur[b]: Super hoc lætabitur & exultabit: propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo.] siquidem qui visus est hactenus fauisse Arianis, postea adeo excoluit ipsam hæresin, cuius causa Orientale videbatur Imperium, cui tyrannus inhiabat, liberatum, & Occidentali se auctum; vt nihil apud eum antiquius fuerit, quàm de ipsa bene mereri, & longe lateque in vniuersum Romanum Imperium propagare; quod dum vixit, pro viribus præstitit. Erat illud frequens in ore eius (quod testatur Lucifer Calaritanus[c]) atque gloriose iactabat; probatam diuino calculo suam fidem, cum sibi secundum Arium credenti tot tantaq. Deus præstitisset, & ea maioribus in dies accessionibus cumularet. cuius blasphemiæ causa postea permotus est ipse Lucifer, vt librum ad eum scriberet, de Regibus apostatis, quorum exemplis omnem illam ipsius inanem de probatione veræ fidei ex felicitate præsentis vitæ iactantiam reprimit, atque falsum inde argumentum deductum penitus confutat; ostendens nimirum, sæpe accidisse, vt impij ac scelestissimi Principes, & Deo in omnibus aduersarij, ab ipso nihilominus fuerint diutius tolerati, immo & rebus prosperis atque felicibus sæpius munerati.

a Senec. lib. de diuin. prouident. c. 3. ex Demetrio. Origenes in Patriarcho. Hieron. epist. 33. August. epist. 5. necnon Greg. in Moral. & alij.

b Habach. c. 1.

c Lucif. Calarit. de Reg. Apostat. in princip.

B

C

CONSTANTII FALSA PERSVASIO.

Est porro hoc commentarij illius exordium: Vsitatum quia habere dignaris verbum: Quòd enim nisi & integre crederes, & hæc quæ geris contra* nos Deo essent placita, iam fuisses extinctus: paucorum tibi in apostasia & crudelitate æqualium Regum facta desideraui referare, quo possit vox illa tua sepeliri, quæ dicit: Nisi Catholica esset fides Arij, hoc est mea; nisi placitum esset Deo, quòd illam persequar fidem, quam contra nos scripserunt apud Nicæam: numquam profecto adhuc in Imperio florerem, &c.] illud sæpius repetens: Nolo dicas; Si hæreticus essem, numquam tantum imperarem, numquam me permitteret adhuc Deus in regno esse; quando videas vigintiquatuor annis regnasse Basam filium Achiæ, de quo scriptum inuenisti in regnorum libro tertio: Et fecit malignum coram Domino, & abiit in viam

D Hieroboam.] eadem subdit de filio Asa, qui trigintaquinque annis idololatra regnauit, & aliis. Sed quòd hæc ipsi frequenter modo & in futurum, cum eiecit Episcopos ab Ecclesia, crebro versarentur in lingua; idem Lucifer subdit: Ne tibi adscribas ad gloriam, & dicas: Idcirco non aliqua vulneror plaga, idcirco iam non extinctus sum, sed adhuc viuo, regnum Romani Imperii possidens, quia sim bene credens, quia Arii recta fides sit, quia fecerim bene remouere Episcopos, & alios tales instituerim, quales concupierit Arius. Noli, inquam, hinc tibi gloriari, quòd cum hæc sis faciens, tamen superbias; quando videas istum, nempe filium Basa, Regem trigintaquinque annis tenuisse regnum, & in pace fuisse exemptum.]

* circa

EX PRAVO DETERIOR FIT CONSTANTIVS.

Sic igitur Cõstãtius in Catholicos dirissimam exercens persecutionẽ, instar Ethnici Imperatoris, eadem ad sui excusationem & quasi benefacti defensionem aduersus omnes repetere

E consueuit: quod idem auctor indicat, cum ait: Manu militari pugnasti contra Ecclesiam Alexandrinam, quàmplurimos Episcoporum relegasti in exiliis*, in metallis*, coniecisti in carcerem, certum etiam numerum interfecisti ex omnibus Dei cultoribus. Cum hæc egeris, tamen dicis: Nisi bene essem faciens, & integre essem credens; numquam me adhuc Deus regnare permitteret: tamquam idcirco & circa Achab ac ceteros coidololatras tuos fuerit Deus patiens, quia fuerint rectam tenentes viam.] et rursum inferius: Ne dixeris; Nisi bene agerem, numquam tanto tempore imperarem, numquam adhuc viuere fuissem permissus: quando & Manassem cernas filium Ezechiæ Regis, Regem Iudæ sexdecim annorum suscepisse regnum, & quinquagintaseptem annis regnasse.] cum tamen fuisset omnium scelestissimus. Vnde hæc idem auctor in eum peregregie quidem: Vides, Constanti, tametsi contingat tibi in summa felicitate in hac temporaria versari vita: tamen magis timere debes, quòd Dei reserueris iudicio. Et licet etiam ij qui statim extinguuntur, quibus hic aliqua diuinitus irrogantur pœnarum, post discessum semper torqueantur:

* exilia,
* metalla,

 tamen

tamen tu si in summa viuens felicitate fueris hinc raptus, aduerte qualiter in te vindicta A
sit processura, qui in tanto inueniaris scelere.] hæc & alia in impium Regem libero
ore Lucifer.

CONSTANTIVS ELATVS SVPERBIA.
a Zosim. lib. 2. in fin.

Certe quidem post debellatum tyrannum, magna sui placentia atque gloria cum iactantia
elatum esse Constantium, atque inde apertam fuisse calumniantibus viam ad optimos quosque comprimendos, Zosimus quoque testatur, cum ait [a]: Secundum hæc cum vniuersa rerum
summa solo Constantio cessisset, arrogantior esse cœpit, quòd eam fortunæ prosperitatem
moderate ferre non posset. Sumebant & incrementum officinæ calumniarum, quæ circa tales
existere consueuerunt, & iis potissimum insidiantur, quorum fortunæ bene constitutæ videntur: nam dum alios felicitate sua deijciunt, & dignitates eorum se consequuturos sperant, ad
calumnias aduersus eos instituendas sese conuertunt.] ista quidem Zosimus: quæ omnia veriora sunt demonstrata ex persecutione illata aduersus Catholicæ Ecclesiæ Episcopos, illos B
præsertim qui maioribus sedibus præessent Antistites, quibus Arianorum calumnijs iussu Cōstātij exturbatis, ipsorum sedes iisdem calumniantibus datæ ab eodem sunt Arianis: de quibus
singulis, suo loco fusius agendum erit.

b Ammian. lib. 15. in princip.
INSOLENS FASTVS CONSTANTII IMP.

At non Zosimo tantum, sed & Ammiano Marcellino fuit Constantij ex debellatis aduersarijs conceptus fastus ostentui, de quo ait [b]: Quo ille studio blanditiarum exquisito sublatus,
immunemque se deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimans, confestim a iustitia declinauit ita intemperanter, vt, AETERNITATEM MEAM, aliquoties subsereret ipse dictando; scribendoq. propria manu, Orbis totius se dominum appellaret.
Quod dicentibus alijs, indignanter admodum ferre deberet is, qui ad æmulationem ciuilium
Principum vitam formare, moresq. suos, vt prædicabat, diligentia laborabat enixa, &c.] ista
Ammianus. Adulantes vero Ariani hisce titulis, exornare ne dicā, an potius (quod verius est) C
dehonestare consueuerunt eumdem Constantium Imperatorem. Vnde S. Athanasius [c] sic
de illis: Omnia respectu suæ hæresis scripserunt: deinde cum simularent se de Domino scribere, alium sibi dominum, Constantium scilicet, creauerunt: ille enim ipsis impie agendi facultatem præbuit: suumq. Cæsarem æternum appellauerunt, qui Filium Dei æternum esse negant. tantos se pro impietate Christi hostes præbent.] hæc Athanasius. In rescriptis etiam
sæpe est reperire, Constantium seipsum, Aeternum, nominare. Tali igitur fastu infamauit
Christianam religionem hæreticus Imperator, in qua animi summa summissio atque mansuetudo potissimum commendatur.

c Athanas. lib. de Synod.

d Psal. 9.
CONSTANTII FVROR IN ATHANASIVM CONVERSVS.
e Seuer. hist. lib. 2.

Sed plane tunc contigit quod est in Psalmō [d]: Dum superbit impius, incenditur pauper.]
Etenim cum audisset Constantius, non ex Arianorum sententia euenisse, vt a Liberio Papa ipsi
iidem Ariani in communionem acciperentur, atque Athanasius damnaretur: in furorem exarsit, & vt ab omnibus Episcopis Athanasius condemnaretur, publico mandauit edicto. id quidem Seuerus [e] narrat his verbis: Igitur cum sententiam eorum, quam de Athanasio dederant, D
nostri non reciperent: edictum ab Imperatore proponitur, vt qui in damnationem Athanasij
non subscriberent, in exilium pellerentur.] His sic se habentibus, Liberius Papa ex Romano
(vt dictum est) ad hoc collecto Concilio, ad Imperatorem legationem mittit, quo ipsum ab
eo concepto furore placare posset.

LEGATI SEDIS APOSTOLICAE AD CONSTANTIVM.

Hoc igitur anno Arelate cum esset Constantius, conuenerunt eum Apostolicæ sedis Legati
Vincentius atque collegæ, qui de cogendo Concilio ipsum interpellarunt: eo enim remedio
anteuertere conatus est idem Liberius Papa imminentem nōn tam aduersus Athanasium,
quàm vniuersam Ecclesiam Catholicam, ac præsertim in Occidentales Orthodoxos Episcopos persecutionem; cum (vt diximus anno superiore) idipsum legatione sua ad Liberium E
missa tentassent Ariani, nempe communicationem Apostolicæ sedis, a qua per Iulium Romanum Pontificem abstenti fuerant, & damnationem Athanasii, quem idem Iulius atque Concilium Sardicense absoluerant: cum & nouas insuper in eum accusationes instituissent. hæc
quidem omnia expressa habentur disertis verbis in epistola eiusdem Liberii Papæ, quam posteriore legatione ad eumdem Constantium misit: eam nos suo loco integram describemus,
simulq. eiusdem Liberii ad Osium Cordubensem Episcopum litteras reddemus, quibus etiam
declaratur inter alios Legatos cum Vincētio missos, fuisse Marcellum æque Episcopū in Campania, eosdemque Legatos iussos esse a Liberio apud Constantium agere de cogendo Aquileiæ Concilio. Sic igitur Occidentalis Ecclesia hoc anno, cum eius orbis imperio Constantius potiretur, cœpta est grauissimis ex Arianorum furore turbinibus agitari, atque diris vrgeri procellis.

Cum autem Apostolicæ sedis Legati Arelatem ad Imperatorem Constantiū peruenissent,

inuenerunt

A inuenerunt ibi complures Arianæ factionis Episcopos, & aliquos Occidentales, quos iidem per Constantium in suam ipsorum communicationem pellexerant, nempe eiusdem Arelatensis ciuitatis Episcopum Saturninum, & Fortunatianum Aquileiæ Episcopum magni tunc nominis virum, qui pro Athanasio & fide Catholica cum alijs Orthodoxis senserat in Concilio Sardicensi. Quid autem Ariani Episcopi Orientales ab ipsis Apostolicæ sedis Legatis importune expetiissent, Liberius Papa ex eorumdem litteris ad se scriptis, his verbis significat in ea epistola, quam deinde ad Constantiū scripsit, vbi hæc leguntur [a]: Manent Legatorum litteræ, qui ad clementiam tuam fuerunt destinati: quæ nuper venerunt: quibus significant, propter turbationem quidem omnium Ecclesiarum, se quidem ante succumbere sententijs Oriētalium voluisse (nempe de subscribendo contra Athanasium) proposuisse tamen conditionem, si iidem Arij hæresin condemnassent; hoc genere se inclinandos eorum sententijs obedire. B Placitum (vt ipsi significant) scriptura teste firmatur. Itur in Concilium: accipiunt cum deliberatione responsa: Arij doctrinam se damnare non posse: Athanasium (quod solum exigebant) communione esse priuandum.] hactenus ex Legatorum litteris Liberius.

QVID ACTVM ARELATE A LEGATIS APOST. SEDIS.

[a] Extat apud Lucif. Calarit. in fin. & tom. 9. Biblioth. sanct.

Sed post hæc illud lugubre accidit, vt Vincentius ipse primarius Apostolicæ sedis Legatus, importunitate Arianorum & Constantij victus imperio, tandem sic deceptus atque coactus subscripserit Athanasij damnationi: quod præstitit etiam idem Fortunatianus Aquileiæ Episcopus, & Herminus Thessalonicæ. Id quidem in primis testatur ipse Athanasius in Apologia ad Constantium, cum ait: Vincentium Capuæ, & Fortunatianum Aquileiæ, & Herminum Thessalonicæ, ceterosq. in Occidente Episcopos vim non vulgarem, grauesque contumelias passos esse, donec promitterent sese a nostra communione abstinere.] hæc Athanasius. Porro lapsus Fortunatiani nequaquam hoc anno contigit, sed post sequentem; siquidem ad C eum adhuc stantem Liberius, vt ipse in epistola ad Eusebium scripta testatur, litteras scripsit anno sequenti. Porro perperam factum Vincentij ipse Liberius Papa magnopere deplorauit: qui de eodem ad Osium Episcopum Cordubensem epistolam scribens, hæc habet inter alia [b]:

VINCENTII LEGATI LAPSVS ET ALIORVM.

[b] Extat hæc epistola in Cod. Vaticano nu. 2672. cuius est inscriptio: Concordia canonum.

Quia in nullo conscientiam tuam debeo præterire: multi ex Italia Episcopi conuenerunt, qui mecum religiosissimum Imperatorem Constantium fuerant deprecati, vt iuberet, sicut ipsi placuerat, dudum Concilium Aquileiense congregari. Vincentium Capuensem cum Marcello æque ex Campania Episcopo legationem nostram suscepisse, sanctitati tuæ insinuo. De quo cum multa sperarem, quòd & causam optime retineret, & Iudex in eadem causa cum sanctitate tua frequenter resedisset: credideram Dei Euangelium sua legatione posse seruari. Non tantum nihil impetrauit, sed & ipse in illam ductus est simulationem. Post cuius factum D duplici mærore confectus moriendum magis pro Deo decreui, ne videar nouissimus delator existere: nam videtur sententiis accommodasse consensum.] hactenus de his Liberius ad Osium, illud plane vltimis verbis significans, in proditionem Catholicæ fidei conuerti, aduersus Athanasium calculum ferre.

EPISTOLA LIBERII PAPAE AD OSIVM EPISCOP. CORD.

Verum quod habet ipse Athanasius, alios Episcopos Occidentales in eamdem cum Vincentio iuisse sententiam: tentatum quidem id fuisse, sed obstitisse Liberium, missa sequenti anno legatione ad Constantium Imperatorem, idem ipse Liberius aliis explicat litteris, scriptis anno sequenti (vt dicemus) ad Eusebium Episcopum Vercellensem; quas tamen acceptas ab Archiuo Vercellensis Ecclesiæ, editasq. vna cum aliis rebus gestis ipsius Eusebii, hic inteximus: sunt autem huiusmodi:

Liberius fratri Eusebio.

E Me, frater carissime, ad solatium vitæ præsentis erigit inuicta fides tua, qua sequutus Euangeliorum præcepta, nullo genere a consortio sedis Apostolicæ discrepasti: quod credo, non sine Dei impulsu, qui digno sibi in sacerdotio detinet, beneuolentia complesse. Cum igitur post legationem Vincentius in illam ductus est simulationem: reliqui per Italiam Episcopi publica conuentione coacti fuissent sententiis Orientalium obedire: Deo procurante, frater & Coepiscopus noster Lucifer de Sardinia superuenit. Qui cum latebras causæ interioris cognouisset, & peruenisset ad eius consciētiam, sub occasione nominis Athanasii, hæreticos hæc velle tentare: pro deuotione fidei suæ, subire voluit iustum laborem, & ad Comitatum religiosi Principis pergere: vt tandem exposito ordine totius causæ, impetraret, vt omnia quæ in medium venerunt, in cœtu possent sacerdotum Dei tractari. Ideo, quia scio sanctum fidei tuæ calorem cum eius animo concordare: prudentiam tuam peto, vt si, procurante Deo, habuerit te præsentem, per quoscumque potueris, solicite excubare contendas, vt possitis vniuersa, quæ fides Catholica exigit, clementissimo Imperatori insi-

LIBERII PAP. EPISTOLA AD EVSEB. EPISC. VERCELL.

nuare, vt tandem aliquando, deposita animi indignatione, faciat quod & quieti nostræ & A
saluti tuæ possit in omnibus conuenire. Ex superfluo autem credidi, ordinationem causæ totius honorificentiæ tuæ litteris insinuare, cum supradictus frater meus, vel eius comites in præsenti possint omnia relatione sua referre. Deus te incolumem custodiat, domine frater carissime.] scripta est hæc epistola a Liberio, vt diximus, anno sequenti, cum Lucifer Episcopus, Pancratius presbyter, & Hilarius diaconus missi sunt Legati ad Cóstantium, quos sequutus est Eusebius Episcopus Vercellensis, ad quem hasce litteras dedit: quas hic voluimus recitasse occasione lapsus Vincentij, de quo agitur.

VINCENTII LVGVBRIS CASVS.

At quis eiusmodi Vincentij casum considerans, dolore non ingemiscat, & stupore immobilis hæreat, atque humanæ inconstantiæ concutiatur horrore? Ecce enim tibi, hic ille Vincentius Episcopus Capuanus, qui ad Nicænum Magnum Concilium vna cum collegis a Siluestro missis legatione honorificétissima perfunctus est; idemq. ipse (quod exprobrat Liberius) B
tum Romæ, tum in æque Magno Concilio Sardicensi sederat cum alijs Episcopis Iudex ad cognoscendam ac iudicandam sæpius iudicio ventilatam Athanasij causam, & candidum (vt aiunt) calculum pro eiusdem absolutione in vrnam sæpe coniecerat: hic, inquam, stipendijs omnibus Christianæ militię dignissime per omne tépus emeritus, in vltimo senio constitutus, minime considerans munus suum, quo Romani Pontificis vices ageret, nullam ducens rationem suæ iam Angelis & hominibus venerandæ caniciei; nec denique veritus Deum, & homines, adeo turpiter inflexus est vel precibus, vel minis Arianorum atque Constantij, vt in summum Catholicæ fidei athletam, innocentissimum virum, toto Catholico Orbe spectatum, in ipsum inquam Magnum Athanasium adeo ignauiter atque deformiter, quam optabant Ariani sententiam damnationis intulerit, tam fœda subscriptione obliterans tot honestis perfunctis laboribus partam gloriam, aspergensq. tam sordida macula tantam sui celebris nominis claritudinem. Verum in lapsu continuit gressum, ne in profundum præceps deferretur impietatis: ná non sic ipse, velut Fortunatianus Episcopus Aquileiæ, subscripsit in Athanasium, vt factus quoque fuerit proditor fidei, &, sicut ille, perpetuo Arianis adhæserit: quippe qui postea aduersus eosdem pro tuenda fide Catholica perseuerauit infractus; prout res post hæc ab eo gestæ, inferius suis locis iuxta ordinem temporum describendæ, declarant: quod vtinam & eius exemplo ceteri præstitissent. C

a Seuer. lib. 2. tom. 2. Biblioth. sanct.

ACTA IN ARELATENSI CONCILIO.

Quid præterea Arelate in eo Episcoporum Conuentu factum sit, Seuerus[a] significat his verbis: Ceterum a nostris tum apud Arelaté, ac Byterras, Galliarum oppida, Episcoporum Concilia fuere. Petebatur, vt priusquàm in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent, & tum demum de re cognoscendum, cum de persona iudicium constitisset. Sed Valens, socijq. eius prius Athanasij damnationem extorquere cupiebant, de fide certare D
non ausi. Ab hoc partium conflictu agitur in exilium Paulinus.] fuit hic clarissimus confessor, Maximino suffectus in nobili Ecclesia Treuerensi. Ceterú licet simul iungat duo Concilia, Arelatense, & Byterrense; constat tamen prius hoc anno esse celebratú, posterius vero post annos tres accidisse, vt suo loco dicemus. Quòd auté idem Seuerus subdit de Concilio Mediolanensi; sequenti anno liquet fuisse collectú: agemus de eo, suo tempore. Ex eodem quoque Arianorum Conuenticulo, vna cum Paulo in exilium missum esse Rodianum* Episcopum, necnon Lucium Anneum Episcopum Moguntinum relegatum in Phrygiam, & secundo anno sui exilij, nempe sequenti, fuisse Arianorum insidijs strangulatum, in locumque eius ab Orthodoxis Maximum esse subrogatum, Acta[b] eiusdem Maximi sæpe testantur. Quæ post hæc autem his grauiora ab Arianis atque Constantio tentata sint, dicemus anno sequenti. E

* Rodanium

b Collegit Trithemius: recitat Sur. tom. 6. die 18. Nouemb.

CRVCIS SIGNVM APPARENS HIEROSOLYMIS.

Hoc pariter anno decimoseptimo Constantij Imperatoris prodigium ingens in cælo visum ponitur in Chronico a sancto Hieronymo his verbis: Syriæ populis Crucis signum, & maximo inspicientium terrore in Orientali plaga apparuit.] super sanctum Golgotham Hierosolymis visum. Quòd enim ad tempus quoque spectat: id cótigisse hoc anno, postquàm Magnentius tyrannus victus est, declarant Acta[c] Artemij martyris sub Iuliano, vbi hæc verba legútur: Quo quidem tempore, cum expugnatus esset Magnentius, signum Crucis maximum mirifice apparens, adeo vt admirabili splendore superaret lucem diei, visum est Hierosolymis circa tertiam diei horam, cum esset dies festus, qui dicitur Pentecoste, pertingens a loco qui dicitur Caluaria, vsque ad montem Oliueti.] hæc ibi: Meminit eiusdem Crucis Socrates[d], eamq. apparuisse dicit, cum Gallus hoc anno venisset Antiochiam. De eodem quoque prodigio sic Sozomenus[e]:

c Apud Sur. tom. 5. die 19. Octob.

d Socrat. lib. 2. c. 24.

e Sozom. lib. 4. c. 4.

Eodem tempore, Cyrillo post Maximum Ecclesiam Hierosolymitanam administrante,

signum

A signum Crucis in cælo visum est: quod clare admodum resplenduit, non vt cometes solet, diffusis radiis, sed luce multa in vnum conferta, valde denso iubare & perlucido emicuit; tantum pertinebat ad longitudinem, quantum est interuallum inter Caluariæ locum & montem Oliuarum: quindecim autem stadia supra locum in cælo suspensum hæsit: latitudo vero longitudini proportione respondit. Quo quidem, velut insigni miraculo, omnes obstupuerunt: ita vt singuli ædibus, foro, & opere quod quisque forte habebat in manibus, relicto, pariter cum liberis & vxoribus in ecclesiam conuenerint, & vno ore Christum laudibus celebrarint, & Deum lætis animis confessi sint. Quæ res ad nostram regionem quoque perlata, non mediocriter omnes obstupefecit. Nam quamquam visio non admodum diu continuata est: tamen quia ex omnibus prope dixerim terræ oris, vti fieri solet, homines vel precandi, vel illa loca visendi causa Hierosolymam aduenissent; res, quas id temporis aspexissent, suis B indicarunt. INGENS PRODIGIVM.

Erat etiam Imperator de hoc visu certior factus cum per alios complures nuncios, tum per litteras Cyrilli. Dicebatur autem a viris rerum eius generis peritis, hanc visionem diuina quadam prophetia in sanctis litteris quoque præsignatam fuisse. Quod quidem certe cum ita accidisset, multos cum Gentiles, tum Iudæos ad fidem Christianam deduxit.] hucusque Sozomenus. Certe quidem ad eam prædictionem Domini, Cyrillus scribens ad Constantium hanc apparitionem, allusit, qua de futuro iudicio Dominus verba faciens, ait: Et tunc apparebit signum filij hominis.] Sed quàm congrue, ipse viderit; vsus tamen est hac opportuna occasione ad comprimendam Constantij in Ecclesiam insolescentis audaciam, quem & delinire blandis & immeritis laudibus, & gloriæ titulis celebrare, iisdem ad eumdem Constantium datis litteris studuit.

C At vero quid portenderit tantum prodigium, quidve cælesti hoc hieroglyphico voluerit Dominus significasse, tempora ipsa declarare videntur. Etenim cum totius Orbis Imperator bellum gesturus aduersus Catholicam Dei Ecclesiam, vexillum (vt modo vidimus) erexisset impietatis; et quod numquam antea acciderat, Imperatoria fureret accensa face impietas Ariana: Christus, aduersus cuius diuinitatẽ bellum iuratum esset, in cælo regnãs, illud ipsum, quo vniuersam cum impiis debellauerat impietatem, diuinum signum supra sanctum montem, immensa claritate coruscans, cælitus demonstrauit, quo & illud auribus Fideliũ videretur intonuisse lingua cælesti: Confidite, ego vici mundum.] rem sane probauit euentus; cum diuina virtute fides Catholica eo effulserit gloriosior, quo magis existimabatur armis impietatis extincta. Sed reddamus hic opportune Cyrilli epistolam tanta de re sic scribentis ad Constantium Imperatorem [a]: QVID PORTENDERIT CRVX APPARENS.

D Imp. Deo dilectissimo & pientissimo Constantio Augusto Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus in Domino S. a Apud. Cyrill. in fine Catech. mystag.

Primas hasce ex Hierosolymis ad te, Deo dilecte Imperator, mitto litterarum primitias, quas & te deceat accipere, & me dare, non verborum adulatione refertas, sed cælestium diuina declarantes prodigia: neque sermonũ oratorio splendore persuasiones aliquas continentes, sed sanctorum Angelorum ostentis, per rerum euentum testantes veritatem. Ac alij quidem, vnde habeant honorem, aureas coronas gemmis splendidissimis exornatas afferentes, caput tuum persæpe coronant: nos autem non rebus hisce terrenis (quæ enim de terra sunt, finem habent terram) sed cælestium rerum diuinam virtutem, tempore Deo dilecti regni tui Hierosolymis apparentem, pietati tuæ in notitiam studiose deducimus: non vt nunc primum ex ignorantia peruenias in Dei cognitionem (videris enim ipse iam alios posse docere, in qui-E bus pie agis) sed vt ista perspiciens, confirmeris, & regni a parentibus accepta hereditate, amplioribus te diuinitus coronis cælestibus honoratum non ignorans, Deo vniuersorum Regi, & nunc eas quas decet, gratias agas, & deinceps maiorem animum aduersus hostes geras. Reuera enim Imperium tuum amatur a Deo, quandoquidem hoc tempore tuo tanta prodigia monstrare non dubitat. Ac tempore quidem Deo dilectissimi & beatæ memoriæ Constantini patris tui, salutare Crucis lignum Hierosolymis repertum est; diuina gratia concedente ei, qui recte quærebat pietatem, etiam abstrusam locorum sanctorum inuentionem. Tempore vero tuo, domine omnium pientissime Imperator, qui tua erga Deum pietate maiori parentes tuos superasti, non iam amplius de terra, sed de cælis sunt prodigia: quoniam Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi vnigeniti Filij Dei, mortis deuictæ trophæum, beata inquam Crux, splendoribus luminis coruscans Hierosolymis apparuit. EPISTOLA CYRILLI AD CONSTANTIVM IMP.

Sanctis enim hisce diebus sanctæ Pentecostes, circiter horam tertiam, omnium maxima Crux ex lumine cõstituta in cælo super sanctissimum mõtem Golgotham, & vsque ad sanctum montem TEMPVS APPARITIONIS.

montem Oliuarum extensa apparuit, non vni aut alteri tantum visa, sed & vniuersæ ciuitatis multitudini manifestissime ostensa: neque, vt aliquis forte putarit, celeriter secundum phantasiam percurrēs, sed compluribus horis supra terram aperte conspecta, coruscis splendoribus radios superans Solares: nam si ab illis superaretur, certe offuscaretur & lateret: adeo excellētiores quàm Sol emittebat fulgores, vt illico vniuersa ciuitatis multitudo ad sanctā ecclesiam concurreret, metu diuini illius prodigij, nō sine lætitia concitata. Iuuenum simul ac senum, virorum & mulierum, & omnis ætatis ad ipsas vsque in thalamis per domos recumbētes puellas, vicinorum hospitum Christianorum, & aliunde aduenientium Ethnicorum ingens erat spectaculum, qui tum concordi, & vno ore omnes Iesum Christum Dominum nostrum Filium Dei vnigenitum eiusmodi mirabilium effectorem laudabant, re ipsa & experientia discentes, quòd Christianorum pientissimum dogma non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, non ab hominibus tantum annunciatum, sed de cælis diuinitus testificatum. A B

Cum igitur nos incolæ Hierosolymitani paradoxum hoc prodigium hisce oculis percepissemus: Deo quidem omnium Regi, & Filio Dei vnigenito, ita vt æquum est, gratias cum adoratione egimus, & preces pro tua Deo dilecta potentia in his locis sanctis effudimus. Operæpretium autem putaui, cælestes hasce & diuinas ostensiones silentio non præterire: quin potius bonum nuncium tibi, diuinamque ex his benignitatem per has litteras studui afferre; vt in bono fundamento antea partæ fidei, ex his quæ subito diuinitusque demonstrata sunt, ampliorem extruens notitiam, firmiorem in Dominum nostrum Iesum Christum spem assumas; atque confidens, & omni fortitudine repletus, tamquam is qui Deum desuper habet socium, Crucis trophæum efferas honorificentissime, gloriationem gloriationum, signum producens, quod in cælo ostensum est; cuius effigiem cum ostenderet hominibus, etiam cælum multum gloriabatur, & lætabatur. C

Atque hoc quidem prodigium, Imperator Deo dilectissime, Prophetarum testimoniis ac verbis Christi quæ sunt in Euangeliis, prædictum, & nunc iam peractū est, & deinceps amplius perficietur. Nam in Euangelio secundum Matthæum, cum Saluator rerum futurarum cognitionem beatis Apostolis suis traderet, & post illos aliis qui cum eo versabantur, apertissime prædixit: Et tunc, inquit, apparebit signum filij hominis in cælo. Quem sacrum Euangeliorum librum de more in manum accipiens, quæ de isto signo ibi sunt prædictiones & testimonia scripta reperies: quibus Euangeliis vt maius adhibeas studium, te domine, admoneo propter earum quæ reliquæ istic descriptæ sunt seriem rerum a Saluatore prædictarum, & magna indigentium obseruatione, non sine pietate, ne aliquod ab aduersaria virtute detrimentum patiamur. D

Has tibi, Imperator Deo dilectisime, sermonum meorum offero primitias: has ab Hierosolymis primas annuncio voces, tibi maxime germano & omnis pietatis studioso, Christi vnigeniti Filij Dei & Saluatoris nostri vna nobiscum adoratori: qui secundum diuinas Scripturas Hierosolymis Mundi operatus est salutem: qui mortem quidem hic perpessus est, proprioque ac pretioso sanguine suo hominum peccata deleuit; vitam vero & incorruptibilitatem spiritualem, cælestemque gratiam credentibus omnibus præbuit. cuius potentia & gratia te custoditum & lætantem, splendidioribusque ac maioribus in officiis pietatis versantem, atque filium proprium regiis insignientem ornamentis, ipse Rex omnium Deus totius beneficentiæ exhibitor, multis annorum periodis pacificis ad honorem & gloriam, Christianis, Mundoque vniuerso seruet perpetuo: potentioremque te efficiat, & omni ornatum virtute; vt pro more sanctarum Ecclesiarum, Imperiique Romani, humanitatem demonstres, & amplioribus pietatis coronis in multos annorum circulos quietos resplendeas. Deus vniuersorum id nobis concedat, Auguste Imperator dilectisime, laudantibus semper sanctam & ὁμοούσιον, id est Consubstantialem Trinitatem, verum Deum nostrum, quem decet omnis gloria in sæcula sæculorum. amen.] hactenus ad Constantium Cyrillus. E

a Niceph. lib. 9. c. 32.

Redarguitur porro ex his quæ tum ex Sozomeno, tum Cyrillo narrata sunt, Nicephorus [a], dum ait, idem signum Crucis Romano exercitui in Pannonia militanti factum esse perspicuum: nam haud in ea aeris regione adeo sublime apparuit, vt in longe remotis regionibus videri potuerit. Porro tantæ rei gestæ memoria non diuersorum tantum scriptorum egregiis monumentis remansit posteris consignata, sed etiam publicis Ecclesiasticis tabulis penes Orientales conscripta est, anniuersaria celebritate Christiano populo rediuiua [b], die septima mensis Maij, quo idem signum sanctisimæ Crucis contigit apparere.

b Menolog. die 7. Maij.

CONST. RESCRIPTUM ADVERSUS GENTILES.

Hoc pariter anno Constantius Imperator, aduersus Magnentij tyranni indulgentiam, qua nocturnis

A nocturnis sacrificiis iusserat patere deorum templa, dedit rescriptum in hæc verba ad Cerealem Vrbi Præfectum [a]:

Aboleantur sacrificia nocturna, Magnentio auctore permissa, & nefaria deinceps licentia repellatur, &c. Dat. VIIII. Kalend. Decembris Constantio Aug. VI. & Constante Cæs. II. Coss.] hactenus sanctio decurtata in hunc modum (quam optassem integram) posita in Codice Theodosiano.

a l. 5. de Pagan. & sacrific. Cod. Theod.

Rursum vero hæc idem Constantius aduersus ea quæ a Magnentio tyranno & eius magistratibus gesta essent, eadem irritans, rescripsit ad vniuersos Prouinciales & Populum [b]:

b l. 5. de infirmandis his quæ sub tyrannis Cod. Theod.

Quæ Tyrannus, vel eius Iudices contra ius statuerunt, infirmari iubemus, reddita posses- sione expulsis; vt qui vult, ab initio agat. Emancipationes autem, & manumissiones, & pacta sub eo facta, & transactiones valere oportet. Dat. III. Non. Nouembris Mediolani, Con-

B stantio Aug. V.* & Constante Coss.] deprauate tamen legitur quintus Consulatus Constantij, loco sexti, quem gessit hoc anno: deprehenditur enim ex eo certus error, quòd satis liqueat, non ante præsentem annum liberum fuisse Constantio, Mediolanum adire, vbi datum est rescriptum, nisi debellato Magnentio, qui dominabatur toti Imperio Occidentali. Iisdem quoque Consulibus ab eodem Imperatore sanctio promulgata est de clericorum immunitate, data ad vniuersas prouincias atque populos Imperio Romano subiectos, his verbis [c]:

* VI.

c l. 10. de Episc. & cleric. Cod. Theod.

Vt Ecclesiarum cœtus concursu populorum ingentium frequentetur: Clericis ac iuuenibus præbeatur immunitas: repellaturque ab his exactio munerum sordidorum, negotiatorumque dispendiis minime obligentur: cum certum sit, quæstus quos ex tabernaculis atque ergasteriis colligunt, pauperibus profuturos. Ab hominibus etiam eorum qui mercimoniis

DE CLERICORVM IMMVNITATE.

C student, cuncta dispendia esse sancimus: parangariarum quoque parili modo cesset exactio. Quod & coniugibus & liberis eorum, & ministeriis maioribus pariter ac feminis indulgemus, quos a censibus etiam iubemus perseuerare immunes. Dat. VII. Kal. Iun. Constantinop. Constantio VI. & Constante AA. Coss.] Quòd vero vxoribus atque liberis clericorum tribuit Imperator immunitatem: de illis sane intelligendum est, qui cum essent matrimonij vinculo obligati, adscriscerentur in clericos, secundum ea quæ superius dicta sunt.

Quod insuper ad politicum statum pertinet: ad Restitutum Sardiniæ Præsidem de non infligendis pœnis corporibus debitorum, sic rescripsit [d]: Prouinciales pro debitis plumbi verbera, & custodiam carceris minime sustinere oportet: cum hos cruciatus non insontibus, sed noxiis constitutos esse, noscatur. Satis vero sit debitorem ad soluendi necessitatem capione pignorum conueniri. Dat. VIII. Id. Decemb. Constantio VI. & Constante III.* AA. Coss.]

d l. 7. de exact. C. Theod.

ARELATE CELEBRATVS CONSTANTII DIES NATALIS.

* II.

D Constantium autem hoc anno in Galliis hiemem egisse Arelate, auctor est Ammianus [e], ibique asserit celebrasse natalem diem suum sexto Idus Octobris, quo ætatis suæ annum trigesimum terminabat: quam quidem celebritatem insontium idem tradit fuisse sanguine madidam, eorum scilicet, qui vel leuissima qualibet suspicione de amicitia cum Magnentio laborassent, vel aliis ex causis delatorum calumniis obnoxij fuissent. Sed quod ad natalem diem Constantij pertinet, eum Idibus Augusti celebrari solitum, ipsius ad Senatum rescriptum [f] datum declarat.

e Ammian. lib. 14.

f l. 10. de Prætoribus Cod. Theod.

Inter hæc autem fluctuabant res Orientales, Isauricis latronibus longe lateque grassantibus, aliaque ex parte Saracenis collimitios infestantibus, atque etiam Persis Mesopotamiam inuadentibus: cum interim Gallus Cæsar, quòd tyrannidem affectaret, in magistratus complures diuersis prætensis causis immaniter fureret. sed ista Ammianus pluribus recenset, cuius iactu-

STATVS ORIENTALIS IMPARII.

IVDAEIA GALLO COMPRESSA.

E ra librorum, quæ ab eodem Gallo gesta sunt aduersus Iudæos desiderantur. hæc tantum de his a S. Hieronymo in Chronico, hoc ipso anno Constantij decimoseptimo, breuiter adnotantur potius, quàm describuntur: Gallus Iudæos, qui interfectis per noctem militibus arma ad rebellandum inuaserant, oppressit, cæsis multis hominum millibus vsque ad innoxiam ætatem: et ciuitates eorum Diocæsaream, Tiberiadem, & Diospolim, plurimaque oppida igni tradidit.] hæc Hieronymus, eadem quoque Sozomenus [g]. cetera autem de Gallo, anno sequenti.

g Sozom. lib. 4. c. 6.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
354.	3.	18.

Consulibus Constantio Augusto septimum & Gallo Cæsare tertium, aperitur nouus annus, idemque Domini trecentesimus quinquagesimusquartus; quo Liberius Papa, auditis iis quæ prioribus a se missis Legatis ad Constantium Imperatorem contigissent, aliam SECVNDA LEGATIO LIBERII AD CONSTANTIVM. rursus legationem ad eumdem Imperatorem mittere festinauit. Mox enim posteriorem hanc legationem priorem subsequutam esse, nimirum simulac litteris Legatorum quod gestum esset Liberius accepisset, litteræ ipsius hac noua legatione ad eumdem Constantium datæ significant illis plane verbis: Manent litteræ Legatorum, qui ad clementiam tuam fuerant B destinati, quæ nuper venerunt,&c.] Rursus vero cum in iisdem litteris ad Constantium missis idem Liberius numeret annos octo elapsos a tempore, quo Legati Arianorum Constantem Imperatorem Mediolani conuenere, nẽpe Demophilus, Macedonius, Eudoxius, & Martyrius (quam quidem ipsorum legationem, testificatione quoque Athanasij, missam diximus anno Domini trecentesimo quadragesimoquarto) plane dicendum est, vel in fine anni præteriti, vel præsentis initio, eiusmodi legationem ad Constantium contigisse. Legati autem ad tantum opus plane difficillimum delecti sunt Lucifer Episcopus Calaritanus in Sardinia, qui Romam opportunc his diebus aduenerat: quem fide integrum, constantia infractum, zelo pietatis æstuantem Liberius cognouerat: itemque collegæ, Pancratius Romanæ Ecclesiæ presbyter, & Hilarius eiusdem Ecclesiæ diaconus: missi fuerunt hi ad Constantium Imperatorem in Gallia tunc agentem, ad quem hæ datæ sunt ab eodem Romano Pontifice litteræ [a]: C

a Extant in appendice ad Luciferi opera.

Gloriosissimo Constantio Augusto Liberius Episcopus.

LIBERII PAP. LITTERAE AD CONSTANTIVM. Opto, tranquillissime Imperator, vt mihi benignas aures clementia tua tribuat, quo possim mansuetudini tuæ mentis meæ propositum aperire: De Christiano etenim Imperatore & sanctæ memoriæ filio Constantini hoc ipsum sine cunctatione mereor impetrare. Sed in eo me laborare intelligo, qui repetita satisfactione, placabilem etiam circa reos animum tuum in gratiam meam reuocare non possum. Sermo enim pietatis tuæ iam dudum ad populum missus, me quidem, quem patienter omnia ferre necesse est, plurimũ lacerat: sed animum tuum, qui lenitati semper vacat, qui numquam (vt scriptum est) in occasum diei iracundiam seruat, retinere circa me indignationem, miraculo mihi est. Ego enim, religiosissime Imperator, tecum veram pacem requiro, quæ non sit verbis composita interna dispositione fallaciæ, sed præceptis Euangeliorum rationabiliter confirmata. Non Athanasij tantum negotium, D sed multa alia in medium venerant, propter quæ Concilium fieri mansuetudinem tuam fueram deprecatus: vt ante omnia, quod specialiter optat mentis tuæ erga Deum sincera deuotio, cum fidei causa, in qua nobis prima spes est, ad Deum diligẽter fuisset tractata: nec eorum qui nostram circa Deum obseruantiã mirari debent, possent finiri..... et dignum fuerat Dei cultore, dignum Imperio tuo, quod Christi pietate regitur, & augetur, specialiter hoc ipsum pro reuerentia sanctæ religionis, cui prudenter intentus es, clementiam tuam nobis ad hæc imperranda præstare.

Sed multi Ecclesiæ mẽbra lacerare festinant, qui confinxerunt, me litteras suppressisse, ne crimina eius, quem dicebant condemnasse, apud omnes paterent: quas illas litteras Episcoporum Orientalium & Aegyptiorum, quibus in omnibus eadem in Athanasium crimina continebantur *. At satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos Orientalium litteras intimasse, legisse Ecclesiæ, legisse Concilio, atque ad hæc etiam Orientalibus respondisse: qui E fidem & sententiam non commodauimus nostram, quòd eodem tempore septuagintaquinque Episcoporum Aegyptiorum de Athanasio sententia repugnabat; quam similiter recitauimus atque insinuauimus Episcopis Italis. Vnde contra diuinam legem visum est etiam, cum Episcoporum numerus pro Athanasio maior existeret, in parte aliqua commodare consensum.

* Theobadius Hæc scripta, si Deo fidem habet Theosebius *, qui missus fuerat festinans in Africam, nobis reliquit. Quæ tamen post omnia scripta, ne ad impetrandum forte Concilium deessent; Vincentius, qui cum ceteris Legatus missus fuerat, Arelatum peruenit. Videt igitur prudentia tua nihil animum meum introisse, quod Deo seruientibus non dignum fuerat cogitare. Testis autem est mihi Deus, testis est tota cum suis membris Ecclesia, me fide, & me in Deum meum cuncta mundana (ita vt Euangelica & Apostolica ratio præcipit) calcare atque calcasse, non furore temerario, sed constituto atque obseruato iure diuino; atque in alio ministerio Ecclesiasticus

A Ecclesiasticus viuens, nihil per iactantiam, nihil per gloriæ cupiditatem, quod ad legem pertinebat, impleui: atque ad istud officium (testis est mihi Deus) inuitus accessi, in quo cupio quidem sine offensa Dei, quàm diu in sæculo fuero, permanere: et numquam mea statuta, sed Apostolica, vt essent semper firmata & custodita, perfeci: sequutus morem, ordinemque maiorum, nihil addi Episcopatui Vrbis Romæ, nihil minui, passus sum: et illam fidem seruans, quæ per successionem tantorum Episcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres extiterūt, illibatam custodiri semper exopto: sed neque perire meam causam, pietati tuæ, solicitudo Ecclesiastica atque ipsa deuotio persuadet.

Significant Orientales paci & nostræ velle coniungi. Quæ est pax, clementissime Imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor Episcopi, Demophilus*, Macedonius Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cum apud Mediolanum Arij hæreticam sententiam noluissent B damnare, de Concilio iratis animis exiere? Horum, si fas est, sententiis, quale sit aut quid habeat, commodare consensum, æquitas & clementia tua poterit æstimare. Non est nouum, quod non subtiliter, & sub occasione nominis Athanasij attentetur. Manent litteræ Alexandri Episcopi olim ad Siluestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significat ante ordinationem Athanasij vndecim tam presbyteros quàm etiam diacones, quòd Arij hæresin sequerentur, se Ecclesia eiecisse. ex quibus nunc quidam extra Ecclesiam Catholicam foris positi dicuntur sibi conciliabula inuenisse, quibus asseueratur etiam Georgius in Alexandria per litteras communicare. Quæ ergo potest pax esse, tranquillissime Imperator, si Episcopi (vt nunc per Italiam factum est) cogantur talium sententiis obedire?

* Patrophilus

Accipe & aliud (quia tranquillitas tua patienter admittit) Manent litteræ Legatorum, qui ad clementiam tuam fuerant destinati, quæ nuper venerunt: quibus significant, propter turbationem C omnium Ecclesiarum se quidem ante succumbere sententiis Orientalium voluisse: proposuisse tamen conditionem, si iidem Arij hæresin condemnassent, hoc genere se inclinatos eorum sententiis obedire. Placitum, vt ipsi significant, scriptura teste, firmatur. Itur in Concilium: accipiunt cum deliberatione responsa: Arij doctrinam se damnare non posse: Athanasium, quod solum exigebant, communione esse priuandum. Hinc iam clementia tua hoc quoque consideret, recte Catholicæ religionis iure seruato; an hominis causa debeat diligenter excusseque tractari. Vnde iterum atque iterum mansuetudinem tuam, animum tuum Deo deditum rogo per eius virtutem, qui se in defensione tua, quantus sis, vniuersis mortalibus approbauit, habens ante oculos eius beneficia, qui Imperium tuum in omnibus regit: hæc in cœtu Episcoporum diligenter faciat omni cum consideratione tractari*; vt pacatis per te, Deo fauente, temporibus, tranquillitate tua consentiente, sic omnia discutian-D tur; vt quæ fuerint iudicio sacerdotum Dei confirmata, cum constiterit omnes in expositione fidei, quæ inter tantos Episcopos apud Nicæam, præsente sanctæ memoriæ patre tuo, confirmata est, vniuersos consensisse, cum exemplo possent in posterum custodiri. Vt ipse Saluator, qui super mentis tuæ propositum intuetur, in tanta rerum expeditione lætetur, causam fidei & pacis etiam Reipublicæ necessitatibus non immerito præposuisse. Ad exorandam igitur mansuetudinem tuam, vt beneuolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & Coepiscopum meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio compresbytero meo & Hilario diacono placuit proficisci: quos credimus de clemētia tua ad pacem omnium Ecclesiarum Catholicarum non difficulter posse Concilium impetrare. Dei omnipotentis clementia te nobis custodiat, clementissime ac religiosissime Imperator.] hactenus Liberij litteræ ad Constantium, honestissimis titulis, licet immeritis, eum demulcere conantis.

* testari

E Iisdem Legatis ad Imperatorem in Galliam proficiscentibus idem Liberius Papa dedit litteras ad Eusebium Episcopū Vercellensem, quibus illum vehementer rogauit, vt vna cum iis susciperet apud Imperatorem fidei patrocinium. est vero huiusmodi earum exordium: Me, frater carissime ad solatium vitæ, &c.] descriptæ extant anno superiore, ibi recitatæ occasione lapsus Vincentij Episcopi Capuani. Addidit eodem ferme argumento alias ad eumdem ipse Liberius paulo post datas his verbis[a]:

[a] Extant apud Acta Vit. Euseb. Episc. Vercel.

Dilectissimo fratri Eusebio Liberius Episcopus.

LIBERII PAP. LITTERAE AD EVSEB. EPISC. VERCEL.

Remeante filio meo Callepio* ad patriam suam: optimum credidi per hunc sanctitatem tuam salutare, domine frater carissime, orans Dei clementiam vt saluus atque hilaris litteras meas accipias. Sane quia scio inuictum animum tuum fideliter agere quæ Deus præcepit: commendo tibi fratrem & Coepiscopum nostrum Luciferum, sed & carissimos filios meos Pancratium presbyterum & Hilarium diaconum, qui pro statu Ecclesiæ animo virili & virtute deifica, tempore tempestiuo, aggressi sunt* contra inimicos Ecclesiæ, quos Deus spiritu oris sui

* Calepodio

* pugnare

oris sui destruet. Scio enim feruentem spiritum Dei esse in te, vt simul cum iisdem aggrediaris, vt fides, quæ ab Apostolis tradita est Ecclesiæ Catholicæ, nullo modo irrumpi possit. certe dignaris retinere, si leges publicæ absentem non condemnant, vt eorum consortio iungat se fides tua, & similis, vbi fuerit, adsit sanctitas tua; vno colloquio, vno consilio id agatis, quod Deo & Angelis eius placet, & Ecclesiæ Catholicæ expedit. Pro hoc labore præmium cæleste, coronam immarcescibilem, hereditatem regni cælorum Christus Dominus noster retribuat vobis. Salutamus omnes, qui tecum Deo fideliter seruiunt. Salutate omnem clerum. Deus te incolumem custodiat, domine frater carissime.] A

His acceptis litteris, Legatisque, vt par erat, honorifice exceptis: Eusebius vna cum illis ad Constantium Imperatorem in Gallias profectus est, apud quem enixius agẽs, quidquid ea legatione petebatur, obtinuit, nempe vt Cõcilium celebraretur, quod sequenti anno Mediolani collectum est. De his autem certior factus Liberius, atque in primis de sedulo officio quod in ea functione Eusebius impendisset, has ad eum litteras dedit[a]: B

a Habetur eadē apud Eusebij Acta.

LIBERII LITTERAE AD EVSEB. EPISCOP. VERCEL.

Liberius Episcopus dilectissimo fratri Eusebio.

Sciebam, domine frater carissime, quòd spiritu Dei feruens in causa fidei, quæ nos potest Domino commendare, fratri & Coepiscopo nostro Lucifero, & Pancratio compresbytero nostro, qui simul erat profectus cum filio meo Hilario diacono, fida dignareris solatia exhibere, nec te posse iis denegare, quos sciebas pro deuotione fidei suæ tantum laboris itineris suscepisse. Magnum itaque leuamen animus meus ex lectione litterarum tuarum accepit: immo causam ipsam in melius proficere posse, Deo fauente, quòd fratres nostros deserere noluisti, iam iamque confido. Labora itaque vt bonus miles, qui præmium æternum Imperatoris expectas: et virtutem animi, qua te scio Mundi huius illecebras contempsisse, aduersus eos qui Ecclesiæ quidem luce orbi sunt, præbere contende, habens vtpote contemptum vitæ istius: veridicum te sacerdotem ostende, vt laborantibus vobis pro Ecclesiæ statu, Concilium possit celebrari; vt omnia quæ in præiudiciũ fidei subtiliter e diuerso venientes machinati sunt, possint in melius reformari. Hunc laborem, quẽ egregia fides tua melius nouit, æterna præmia comitantur; cui quemadmodum insistere debemus, etiam si exhortatio frigesceret, feruens Spiritus sanctus qui in te est, propter vnitatem sanctæ Ecclesiæ per momenta animum tuum stimularet ad maiora solatia. Etiam ad fratrem & Coepiscopum nostrum Fortunatianum, quem sciebam neque personas hominum vereri, & futura magis præmia cõgitare, litteras erogaui; vt & ipse pro sinceritate pectoris, & pro fide, quam se scit etiam cum discrimine vitæ præsentis custodisse, etiam nunc vobiscum dignaretur excubare: quem quidem scio pro sanctitate pectoris sui indubitanter & consilio suo prudẽtiam vestram firmare; et, si ita vobis placuerit, præsentiam suam in nullo dilectioni vestræ negare. Deus te incolumem custodiat, Domine frater carissime.] ista Liberius. Porro litteræ ad Fortunatianum desiderantur: at fefellit Liberium spes de Fortunatiano concepta, qui non tantum post hæc in Athanasij damnationem subscripsit, vt dictum est, sed adhæsit penitus Arianis: erat hic Episcopus Aquileiæ. C D

CONSTANTIVS DETINETVR IN GALLIIS.

b Ammian. lib. 14.

* tertium

Ceterum quòd hoc anno Constantium aduersus barbaros oportuit militasse, qui in Gallias irruperant; et tantum, hiberno adueniente tempore, concessum fuit, superatis Alpibus, se Mediolanum conferre; Concilium ibidem celebrandum, dilatum est in annum sequentem: Ammianus[b] enim de rebus Constantij hoc anno gestis cum agit, sic ait: Constantius Consulatu suo septies & Cæsaris iterum *, egressus Arelate, Valentiam petit, in Gundomadum, & Vadomarium fratres, Alemanorum Reges, arma moturus.] hæc ipse. Ceterum eosdem demum pacem per Legatos a Constantio postulasse tradit, quam ille concessit: nam addit: Icto pòst hæc fœdere, Gentium ritu, perfectaque solemnitate, Imperator Mediolanum ad hiberna discessit, vbi curarum abiectis ponderibus aliis, tamquam nodum & odium difficillimum, Cæsarem nempe Gallum nisu valido cogitabat.] quemadmodum autem id in Gallum & per quos effecerit ipse Constantius, idem Ammianus pluribus narrat, quæ prætermittimus. Sat namque scire, hoc ipso anno hiemis tempore Gallum Polæ in Istria oppido circumuentum, atque circumdatum a Constantianis, spoliatum Cæsariis ornamentis, in priuatam fortunam redactum, ab iisdem tandem truncari capite iussum esse, anno ætatis suæ nono supra vigesimum, cum quadriennio imperasset, vxore eius Constantina paulo ante febribus absumpta. Perseuerasse autem Gallum Christianam religionem excolere ad exitum vsque, Theodoretus[c] tradit: vtinam & fidei quoque mansuetudinem coniunxisset. De eius vero exitu agens S. Gregorius Nazianzenus, in quem reiiciat culpam, num in ipsum, an in Constantium, hæret; sed vtrumque deliquisse affirmat; ait[d] enim: Cæsaris quidem & Imperium & vita finem accepit. E

GALLVS CAES. NECATVR.

c Theodoret. lib. 3. c. 3.

d Greg. Nazianz. orat. 4. in Iulian.

A accepit. quæ enim interea acciderunt, silentio premam, tam eius gratia qui fecit, quàm qui passus est: quorum vtriusque pietatem honore ac reuerentia prosequens, temeritatem haudquaquam laudo: quoniam enim fieri aliter non poterat, quin, cum homines essent, peccati aliquid admitterent: hoc illud est, quod fortasse quis in vtroque reprehenderit: nisi tamen hic quoque dum alterum accusamus, alterum crimine liberemus.] hæc ipse.

De cõpluribus autem necatis iussu Constantij, quòd ob amicitiam cum Gallo in suspicionem venissent, pluribus agit Ammianus [a]. Quo etiam tempore Eudoxium & Aetium hæreticos non ob hæresin, sed quòd Gallo fauissent, eiectos in exilium fuisse, immo & præclarũ illum Theophilum, qui apud Indos Christianam fidem propagasset, eadem ex causa Antiochia Heracleam in Pontum esse deportatum, Nicephorus [b] tradit. At reddamus hic modo quæ idem auctor de eiusdem Theophili ad Indos profectione ac prædicatione tradit: atque num B omnia veritati consentiant, expendamus. ait igitur:

[a] Ammian. lib. 15.

CONSTANTIVS QVID IN AMICOS GALLI.

[b] Niceph. lib. 9. c. 18. 19.

Fuit tum etiam propter virtutem & doctrinam magnopere laudatus Theophilus ille, qui cognominatus est, Indus; non ille quidem hæresis alicuius auctor, sed Arianismo plurimum addictus: qui sub Constantino ab Adiabenis admodum adhuc iuuenis, obses in Romanam ditionem fuerat missus (Adiabene vero regio est Indica, ampla & celebris.) At Theophilus consuetudine diuturna adeo mores ad Romanorum instituta conformauit, vt monasticam delegerit vitam, & diaconi susceperit dignitatem, Eusebio Nicomediensi manus ei imponente. Cum autem legatio a Constantio propagandæ veræ pietatis & confirmandæ fidei gratia ad Orientales nationes mittenda esset, ambitiosa munificentia eam instituit; et princeps eius, quem modo dixi, Theophilus designatus est. Constantius sane perquàm magnifice, vt quàm maxime posset, gratiosum eum redderet, ad ducentos generosos e Cappadocia C equos nauibus impositos, aliaque insuper dona ad illos perferenda, Theophilo dedit: vt scilicet illi simul & liberalitatis eius amplitudinem & animi magnitudinem admirarentur. At Theophilus legationem obiit, eamque ad finem debitum perduxit.

THEOPHILI INDI RES GESTAE.

Nam qui in regionibus eis regnum obtinebat, a Græca superstitione ad veræ pietatis religionem deflexit; et ecclesias tres in diuersis locis erexit, non tantum quæ ab Imperatore missa acceperat, donis, sed maxime etiam quos ipse addiderat, sumptibus, per animi alacritatem cum illo concertans. Ecclesiarum istarum vna in metropoli & principe vrbe totius gentis, Thapharum eam nominant; secunda in loco vbi Romanorum emporium erat, extrorsum ad Oceanum versum, regio Adane vocatur: tertia in alia terræ eius parte, vbi est quod Persicum emporium dicitur, in Persici maris ore constructa. Theophilus porro rebus apud Homeritas ampliter dispositis, templisque eis consecratis, atque etiam pro rerum co- D pia exornatis, in Adiabenen, quam patriã eius esse diximus, traiecit; ac deinceps in reliquam quoque Indiam transiuit; multaque apud eós, quæ non rite agebantur, correxit: etenim considentes Euangelicum audiebant oraculum, & alia multa faciebant, quæ sanctiones Ecclesiasticæ non iubebant: ea omnia pulchre immutans ad Ecclesiæ placitum morem composuit: vna saltem & quidem maxima re incommodans, quòd τὸ ἑτερούσιον altero substantiale colere docuit. Porro ex India & Arabia Magna, ad Auxumitas Aethiopes progressus est.] et inferius:

LEGATIO THEOPHILI AD INDOS.

At Theophilus recte constitutis Auxumitarum rebus, in Romanorum reuersus est ditionem: atque post reditum in magno habitus honore, suam quidem ille vrbẽ, aut Ecclesiam cui Episcopus præesset, sortitus non est: vbique tamen locorũ propter hominis reuerentiã, in eum, vt miraculum quoddam, omnium coniecti oculi erant: donec Aetio & Eudoxio in exilium, quòd consilia cum Gallo communicassent, eiusque rebus fauissent, actis; et ipse Heracleam E in Pontum est deportatus, Gallo in intimis habitus.] hæc ille de Theophilo. Ceterum cum res ab eo gestas sic summatim recensitas, scriptis mandatas esse a Philostorgio hæreticorum infamissimo, tradat: omnia plane de eodem enarrata, in mendacij suspicionem adducit, cum nihil aliud de Theophilo nisus sit demonstrare, quàm ipsum Arianam hæresin in Indiam inuexisse, non autem reuera religionem Christianam propagasse: Nam Homeritæ, ad quos a Constantio Legatum missum esse Theophilum ait, iam antea acceperant Euangelium; nec non alij adiacentes Indorũ populi, prædicatione primo Apostolorũ, Bartholomæi, Thomæ, ac Matthæi, qui Aethiopibus prædicauit [c], deinde Panthęni [d], ac nouissime Frumentij [e] & Aedesij, qui sub Constantino Indis Euangelium annunciarũt, vt suis locis superius demõstrauimus: sed & ipsos populos Adiabenos iam longe ante hæc tẽpora Christianos euasisse, ex Sozomeno [f] superius dictum est: vt de his nulla penitus dubitatio esse possit. Hæc itaque voluimus addidisse, vt lectorem admoneremus, caute legenda esse quæ ex lutoso hæreticorum fonte Nicephorus adeo inconsiderate deriuat, quæve Suidas ex Thalassio prodit eiusdem farinæ

[c] Socrat. lib. 1. c. 15.

[d] Euseb. lib. 5. c. 10.

[e] Ruffin. lib. 1. c. 9.

[f] Sozom. lib. 2. c. 10.

a Ammian. lib. 14. THALASSIVS SCRIPTOR ARIANVS. homine: vixit hic hoc eodem tempore, quem Constantij delatorem Ammianus [a] appellat, cuius est quoque mentio apud Athanasium in epistola ad solitarios: Iste igitur suo Theophilo, cui summa erat familiaritate coniunctus, tantum tribuit, vt etiam defunctam feminā Iudæam ad vitam reuocasse, asserere non erubuerit, quod Suidas refert & ipse minime exacte quidem res Theophili exploratas habens; sicut & Nicephorus, qui ex scriptis hæretici hominis Philostorgij ea edidit, quæ antiquiores Græci historici Theodoretus, Socrates, ac Sozomenus, & si qui alij horum successores fuere, sunt penitus auersati, vtpote referta mendaciis, & omni prorsus fide carentia; atque adeo contempserunt, vt nullus prorsus illorum huius Theophili meminisse vel leuiter saltem reperiatur: nam ipsum Philostorgij vel tantum nomen sic exhorruerunt, vt cuncta ab eo scripta execranda duxerint, & digna quæ perpetuo silentio damnarentur. A

PHILOSTORGIVS HISTORICVS ARIANVS. At quoniam auctore Philostorgio alia cōpluta produntur: age, qualis hic fuerit, vt prudentior fias lector, hic ex Photio recitemus, de quo hæc in sua Bibliotheca: Philostorgius Arianus librum scripsit de Religione, quasi historiam texens Ecclesiasticam: omnes Arianos extollit, & contumelia afficit Catholicos: vt non sit historia, sed Encomium Arianorum. Incipit ab origine Arianæ hæresis vsque ad Aetij reuocationem ab exilio factam per Iulianum: Aetium extollit in cælum, & Eusebium Nicomediensem, & alios similes.] ac demum: Quamuis (inquit) Orthodoxos omnes carpat: non est ausus attingere Gregorium Theologum: Basilio autem non pepercit.] Vixisse vero hūc tradit sub Theodosio iuniore, ad quod tempus posterioris libri historiam perduxit. At de Philostorgio Theophili laudatore satis. ad hæc enim enarranda de Theophilo digressi sumus occasione proscriptionis a Constantio factæ in eos qui Gallo Cæsari studuissent. Ceterum liquet tum Eudoxium, tum Aetium postea exilio relaxatos, ipsum vero Eudoxium creatum deinde Episcopum Antiochenum, ac mox Constantinopolitanum: tantum valuit apud Constantium hęresis Ariana, vt eius patroni, quamuis maiestatis criminis condemnati essent, fuerint tamen non solum ad propria restituti, sed amplissimis honoribus & dignitatibus aucti. B C

Constantius igitur his curis de rebus Galli hoc anno detentus, diram illam quam meditabatur aduersus Catholicam Ecclesiam persecutionem, edicto iam de subscribendo in Athanasij damnationem anno superiori, vt vidimus, promulgato, ad tempus continuit, cum tamen

ATHANASIVS VEXATVR ALEXANDRIAE. interea præludiis quibusdam Athanasius Alexandriæ a magistratibus vexaretur, quorum illud opus erat, vt qualibet excogitata occasione, primum omnium eum Alexandria dimouerent. Tentauerat id antea, vt dictum est, Montanus Palatinus: qui cum a cœptis destitisset, hoc ipso anno, nempe post biennium & duos menses elapsos a Montani temporibus, idem Athanasius a Diogene exagitari cœpit; post quem Syrianus Dux aperto demum marte eam inuasit Ecclesiam. testatur id ipse quidem, cum ad Constantium scribit his verbis [b]: Cum igitur alio Montanus profectus esset, superuenit Diogenes Notarius post sextū demū & vigesimum mensem, qui nec ipse quoque epistolam exhibuit (de proficiscendo ad Constantium scilicet) aut sub mutuum conspectum venit; neque tamquam mādatum haberet, quidquam mihi præcepit. Quin cum ipse Syrianus exercitus ductor Alexandriam ingrederetur, & quædam ab Arianis iactarentur, qui sese quod liberet, acturos denunciabant: quærebam num istiusmodi litteræ, quales illi iactitarent, allatæ essent. Litteras enim mandati tui, fateor, ab illis deposcebam. Postquam ipsi eas se habere pernegarent; postulabam, vt saltem vel ipse Syrianus, vel Præfectus Aegypti Maximus mihi id ipsum suo scripto iniungeret: postulabamque id ea de causa, quòd tua humanitas in suo diplomate veruerat, ne quis me turbaret; vtque ego negligerem aliorum terrores, & secure in Ecclesiis permanerem. Qui autē huiusmodi diplomata ad me detulerunt, Palladius est olim Palatij Magister, & Asterius Dux Armeniæ. Exemplar autem litterarum, quod tale est, velim mihi liceat cum tua venia recitare: Constantius Victor, &c.] habes has superius, eo tempore quo allatæ sunt, descriptas. his autem hic ab Athanasio recitatis, idem mox subdit: D E

b Athanas. Apolog. ad Constantium.

ATHANASII PVGNAE CVM MAGISTRATIBVS. De hac epistola & illi cum Iudicibus disceptabant, & eam nos manibus præferebamus. Quid igitur? an non merito ab illis diplomata postulabam? nec illorum simplicibus verbis obsequebar? Illi igitur cum non ederent, neque proferrent mandatum tuæ pietatis: nonne plane & directe cōtra iussa huius diplomatis agebant? Ego igitur, eum illi litteras nullas exhiberent, probe mecum colligere & ratiocinari videbar, ipsos nihil, nisi verba adferre; præsertim cum tuo diplomate iubebar, ne quid istiusmodi curarem. Iure igitur hoc feci, religiosissime Auguste; vt quemadmodum cum epistolis tuis ingressus essem in patriam; ita acceptis tuis mandatis, e patria discederem: quo non, vt fugiens Ecclesiam, reus culpabilisque haberer;

A haberet, sed vt ex mandato tuo haberem causam discessionis. Idemque omnes populi cum presbyteris, & maior pars ciuitatis (ne plures nominem) a Syriano, quem ea de causa adierant, postulabant: quo tempore illic quoque aderat Maximus Aegypti Præfectus. Postulatio autem istiusmodi fuit, vt nihil vel scriptis, vel verbis ederent quod vellent, aut ne Ecclesias interea turbarent, dum ipsi populi ea de re Legatos ad te mitterent.

Ista cum diu multumque a Syriano, non ignaro quàm æqua peterentur, postularent: confirmauit id se facturum, idque iureiurando cum attestatione tuæ salutis. Istis, dum fierent, agereturque de ea re ad tuam maiestatem deferenda, interfuit Hilarius; consciaque est eius rei cohors Præfecti Aegyptiaci; & verba quibus res acta est, apud pritanim ciuitatis conseruantur. vnde facile intelliges, nec me, nec quemquam alium tuis iussis contradixisse, sed omnes tuam voluntatem in tuis scriptis voluisse videre. Dicta, scriptaque Imperatoris pari pondere B æstimanda sunt, cum is qui ea reportat, libere se ea in mandatis habere profitetur. Verum cum illi neque iniunctum sibi, manifesto assererent, neque scriptis ederent quod imperabant; sed omnia ita instituerent, vt appareret, eos suo nomine & auctoritate id agere: fateor citra omnem dissimulationem, cœpi eos habere suspectos, & in primis ea de causa, quòd a multis Arianis stiparentur, quodque cum iis & epula & consilia inirent, nihilque propalam & sinceriter agerent, sed dolos tantum & insidias necterent, nec quidquam tamquam pro edicto Imperatoris agerent, sed prout ab inimicis rogarentur: necessario me eo contuli, vt diplomata ab iis in rebus suspectis postularem. Id quoque angebat animum meum, quòd indecorum arbitrabar, quum tot diplomatibus Ecclesiam ingressus essem, sine diplomatibus inde discedere.] hæc Athanasius. Quæ vero de grassatione facta in Alexandrinam Ecclesiam a Syriano duce subinfert, suo loco narrabimus: eiusmodi enim magistratuum cum Athanasio altercationes C in sequentem quoque annum productæ sunt. Post hæc autem ab eodem Athanasio ad Constantium Imperatorem legatio missa est, cuius his verbis meminit Sozomenus[a]:

Athanasius vero, quoniam persuasum habebat, sibi in Palatio Imperatoris paratas insidias: ipse neque ad Imperatorem venire ausus est, neque in rem suam esse existimauit. Itaque quinque Episcopis Aegypti ad eam rem delectis (ex quorum numero erat Serapion Thmuetensis, vir tum vitæ institutione sanctissimus, tum oratione disertus) eos ad Imperatorem iam tum in ea Imperij parte, quæ ad Solem occidentem spectat, ætatem degentem mittit; quibuscum vna iungit quoque tres suæ Ecclesiæ presbyteros; qui tum Imperatoris gratiam sibi concilient; tum ad calumnias aduersariorum, si opus sit, respondeant; tum denique alias res obeant, quas Ecclesiæ & ipsi commodissimas fore animaduerterent. Non multo autem postquàm illi Alexandria soluissent, recepit Imperatoris litteras, quæ eum ad aulam vocabant. Quare & ipse D Athanasius & populus Ecclesiæ grauiter conturbati sunt, & ancipiti cura & dubia distracti. Nam neque Imperatori, qui opinionem a fide alienam tueretur, morem gerere, tutum; neque ei resistere, extra periculum esse existimarunt. Attamen Athanasius mansit Alexandriæ; et qui litteras attulerat, re infecta, reuertit. Sequenti autem æstate alter Imperatoris mandato cum magistratibus eiusdem gentis accedēs ad Athanasium, coegit eum ex vrbe exire, clerumque illius Ecclesiæ grauiter exagitauit. At cum primum populum, Ecclesiæ causa, magnos sumere spiritus, & ad bellum se instruere videret: iste quoque labore frustra suscepto, inde recessit.] hæc Sozomenus.

Sed talia profecto quæ erroris arguantur ex his quæ nuper ex Athanasio recitata sunt: nimirum voces fuisse Arianorum, litteras scriptas esse ab Imperatore, quibus Athanasius accerseretur; sed eas ab ipso Athanasio exactas, nec editas esse, quòd non extarent. Aperte igitur E conuincitur Sozomenus non legisse ea quæ hoc argumento ab eodem Athanasio in Apologia ad Constantium scripta tractantur; sed impegisse in Sabinum illum Macedonianum hæreticum, totam rerum gestarum historiam horum temporum in odium Orthodoxorū (quod alias dictum est) inuertentem. Si enim vere adfuissent nuncij cum litteris Imperatoris ad Athanasium: se absque controuersia Alexandria recessurum fuisse, & ad Imperatorem profecturū, sæpe iisdem scriptis contestatus est: sed resedisse Alexandriæ, quòd quæ ferebantur missæ ab eodem Imperatore litteræ, eas nūquam, quòd non extarēt, aduersarij ostendissent. Nec est quod dici possit, litteras postea de profectione eiusdem Athanasij scriptas esse, & Alexandriam ad ipsum allatas: nam si ita accidisset, necessario in dicta Apologia earum idem Athanasius meminisset; alioquin inanis & futilis illa omnis tot rationibus cōparata, ad ipsum qui hæc sciret Constantium, fuisset Apologia. Sed illud Sozomeno concedimus, vere contigisse, lentius cum Athanasio actum esse, quòd populus Alexandrinus in eum propēsior, turbas ciere, atque seditionem cōflare paratus esset. quàm autem ad rixas prompti essent Aegyptij, & quàm periculose

[a] Sozom. lib. 4. c. 8.

LEGATIO ATHANASII AD CONSTANTIVM IMP.

SOZOMENVS ERRORIS ARGVITVR.

culose a Præfectis tentari solerent, satis ac sæpe superius dictum est. Opus ergo fuit (quod subdit Sozomenus) ad exturbandum ab Ecclesia Athanasium, ex reliqua Aegypto & Libya legiones Alexandriam conuocare; sed de his suo loco dicendum. A

Inter hæc autem Iulianus Galli Cæsaris frater in suspicionem adductus conspirationis cum eo in Romanum Imperium, ad Constantium Augustum Mediolani agentem, se confert: quid vero cum eo transactum sit, Ammianus & ipse Gentilis illi plurimum addictus scribens [a]: Inde, inquit, ad Iulianum recens perductum calumniarum vertitur machina: memorabilē postea Principem gemino crimine, vt iniquitas æstimabat, implicitum, quòd a Marcelli fundo in Cappadocia posito, ad Asiam demigrarat liberalium desiderio doctrinarū, & quòd per Constantinopolim transeuntem viderat fratrem, &c.] Prima accusatio ista de discessione e fundo Marcelli in Asiam, id pertigisse videtur, quòd Iulianus e loco illi statuto a Cōstantio (quem alij legunt Marcellum) de quo supra, in Asiam profectus esset addiscēdæ magiæ causa ad Gentiles philosophos idololatras ac magiæ studiosos, prout superius vidimus id ab eo esse factū: quam tamen accusationē Ammianus honesto colore fucat, nomine videlicet addiscendarū litterarum. sed ad hæc mox subdit de Iuliano: Qui cum obiecta dilueret, ostēderetq. neutrū sine iussu fecisse; nefando assectatorū cœtu vrgentiū periisset; ni aspiratione superi numinis, Eusebia suffragāte Regina, ductus ad Comū oppidū Mediolano vicinū, ibiq. paulisper moratus, pro eadē ingēti causa, vt cupidine flagrauit, ad Grçciā ire permissus est] nēpe Athenas. hęc Ammianus: B

a Ammian. lib. 15.

QVID IVLIANVS APVD CONSTANTIVM.

Aderat tunc Athenis Gregorius Nazianzenus, cum Iulianus illuc se contulit; quem conspicatus, de homine haud falsus coniector extitit: quid autem ex aspectu eius vaticinatus sit, cum illum vidit, idem tradit his verbis [b]: A me autem, quæ postea gessit, procul ante perspecta quoquo modo fuerunt, ex quo Athenis cum eo versatus sum. Nam illuc quoque statim post ea quæ aduersus fratrem designata sunt, profectus est, Imperatorem hoc ipsum deprecatus: Duplicem enim eo proficiscendi causam habebat, alteram speciosiorem & honestiorem, vt Græciam, eiusque scholas viseret; alteram tectiorem, paucisque notam, vt regionis illius sacrificos & impostores de rebus suis cōsuleret, impietate videlicet nondum plenam libertatem habente. Tunc igitur me non malum huius viri coniectorem fuisse memini, quāquam alioqui ad has res non optime a natura comparatus. Sed me morum ipsius inconstantia, atque incredibilis quædam mentis emotio vatem efficiebat: siquidem ille optimus vates est, qui recte coniicere nouit. Neque enim mihi boni quidquam significare, aut ominari videbantur ceruix non stata, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens & vagus, furioseque intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam & contemptum spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus petulantes & effrenati, nutus & renutus temerarij, sermo hærens, spirituque concisus, interrogationes stultæ & præcipites, responsiones nihilo his meliores, aliæ in alias insultantes, nec graues & constantes, nec eruditionis ordine progredientes. C D

b Greg. Nazian. orat. 2. in Iulian.

IVLIANVS ATHENAS VENIT.

Quid singula describere necesse est? talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognoui. Quòd si quidam ex iis qui tum simul erant, quidq. dixerim, audierunt, nunc mihi præsto essent; haud ęgre testarentur; quibus, vt hæc aspexi, statim proloquutus sum: Quale malum Romanorum terra nutrit! præfatus licet, ac mihi, vt falsus vates essem, imprecatus: præstabilius enim id fuerat, quàm talibus malis Orbem terrarum impleri, taleque monstrum existere, quale nullis ante sæculis, etiam si alioqui diluuia multa sermone iactentur, & multa incendia, ebullientesque terræ quassationes, & hiatus, ac multi insuper immanissimi homines, belluæque prodigiosæ & compositæ, quas natura nouo more produxit.] hæc Gregorius. Cui, quòd dicit aduentus Iuliani Athenas secretiorem illam fuisse causam, vt sacrificos & impostores de rebus suis consuleret; en quàm eleganter adstipulatur Eunapius [c], dicens: Istic pulchre instructus, a Maximo scilicet atque Chrysantio, intellecto plus aliquanto latere in Græcia apud Eleusiniarum dearum Antistitem, velociter illuc accurrit.] Præsetulisse autem hominem illum scientiam futura prænunciandi, idem auctor ab eodem & ipse Antistite initiatus sacrorum arcanis, & inter Eumolpidas relatus, testatur. At de diuinatione per dæmonem fieri solita, dicemus suo loco. E

DE IVLIANO QVID AVGVRATVS EST GREG. NAZIANZENVS.

c Eunap. Vit. philosoph.

Florentissimæ videbantur hoc tempore esse Athenarum scholæ, quarum causa Iulianus se eo proficisci, vehementer cupere demonstrauit. Docuisse enim reperitur Athenis Cōstantij temporibus Anatholius clarus orator, eidemq. Imperatori percarus, qui ipsum Romam vocauit atque Præfectura Prætorij insigniuit. Proæresius etiam ibi docebat, qui ob facultatē dicendi ab eodē Imperatore in Gallias primū, deinde Romam ab ipso Constātio missus, ibidē ex Senatusconsulto statua donatus est eiusmodi inscriptione nobilitata: REGINA RERVM

QVALES ATHENAE HIS TEMPORIBVS.

A ROMA REGI ELOQVENTIAE. De eo Sozomenus [a], atque Eunapius [b], qui illũ vt gentilem suum, sibi vendicat hominẽ: fuisse tamen Christianũ, eſt aliqua cõiectura; cũ tradat S. Hieronymus [c], lege lata a Iuliano ne Christiani liberalium artium doctores essent, permissum ab eo illi docere, ipsum vero sponte scholas deseruisse. Sed & Eunapius quoque affirmat eumdem Proæresium, sententia Iuliani, lectione fuisse abdicatum: quod quidem par est credere minime contigisse, nisi Christianus fuisset, cum ipse Ethnicorum professorum studiosissimus fuerit. sed de his iterum suo loco. Docebat hoc eodem tempore Athenis Musonius, quem etiam idem Iulianus cessare iussit: insuper constat ibidem tunc publice professos esse Hemerium & Libanium, quibus, tradit Sozomenus, Gregorium Nazianzenum & Basilium præceptoribus vsos esse: affirmat de Libanio hoc ipsum Basilius [d].

a Sozom. lib. 6. c. 17.
b Eunap. de Vit. Philos.
c Hieronym. in Chron.
d Basil. epist. 146.

Erant tunc in Oriente in aliis quoque præclarioribus vrbibus diuersarum facultatum gym-
B nasia, vt Cæsareæ Palæstinæ, Alexandriæ, & Constantinopoli; sed ceteris omnibus eminebant Athenæ; accidereque solebat, vt prius in dictarum ciuitatum scholas imbuendi diuersis scientiis se conferrent, ac demum Athenas accederent, vbi & penitus consummarentur. Sic plane factum vidimus a Gregorio Nazianzeno, qui Cæsareæ primum, inde Alexandriæ auditor fuit: postremo Athenas profectus, illic primo discipulus, deinde doctor publice professus est: sed & post eum Basilius Cæsariensis Cappadox, cum prius Cæsareæ Palæstinæ, inde vero Constantinopoli egregie litteris excultus esset, Athenas concessit litterarum & litteratorum asylum. Vbi illud inter discipulos erat in more positum; vt quicumque recens aduenirect Athenas, quo deprimerent fastum illius ex scientia, quam alibi didicisset, eum circuire solerent qui illic erant discipuli, atque cum illo de rebus quas alibi professus esset, differere; ac tandem ludibrio traducere hominem, veluti in comœdia ludionem. Libet autem hic eadem re-
C censere, quo lector iam diu inter crudelia tyrannorum monstra, & Arianæ hæresis sæuas bestias pertæsus ac mærens incedens, paululum recreetur, exhilareturque duorum talium incomparabilium amicorum consortio, Gregorij atque Basilij.

SCHOLAE NOBILIORES HVIVS TEMPORIS.

Prius igitur Athenas venit Gregorius, inde vero Basilius. Ille quidem antea primo egressus domo (vt dictũ est) Cæsaream Palæstinæ se contulerat, vbi audiuit (vt auctor est S. Hieronymus [e]) Thespesium egregium oratorem: testatur id ipse quoque, cum ait [f]: Ego artis oratoriæ amore inflammatus, in Palæstinæ academiis tum florentibus pedem fixi; Cæsarius Alexandriam perrexit, vrbem tunc & hoc quoque tempore doctrinarum omnium officinam non falso æstimatã.] hæc ipse. Erat Cæsarius eius germanus pari studio inflãmatus. sequutus postea ipsum Gregorius, Alexandriam eadem ex causa profectus est: atque vbi tum Cæsariensium scholarum fontes, tum riuos doctrinæ Alexandrini gymnasij auido pectore exhau-
D sisset, ardentiori animi ardore flumina Athenarum sitiuit; atque adeo vehementer, vt nec expectato opportuno anni tempore nauigandi, nauim conscendens, in magnũ discrimen vitam adduxerit, ereptus tamen precibus sanctæ matris Nonnæ, quod ipse testatur iterum, cum res suas accurate descripsit [g], vbi de immenso suo desiderio Athenarum hæc cecinit [h]:

Sola meum ardenti pectus stimulauit amore
Doctrina Argolica, quam gloria gentis Athenæ
Quæsiuere mihi, Solisque occasus & ortus:
In qua multum operæ posui, multumque laboris
Permultis annis subij. Sed & hanc quoque Christi
Ante pedes humilem, pronamque iacere coegi.]

e Hieronym. de Script. Eccles. in Euzoio.
f Greg. Nazianz. in laud. Cæsarij.
GREG. NAZIAN. ET BASILIVS PROFECTI ATHENAS.
g Greg. Naziãz. carm. de reb. suis & orat. in funer.
h Greg. Nazian. carm. de reb. suis.

E Sed relegamus Basilij itidem scientiarum cunabula atque progressus ab eodẽ quoque concinne descriptos [i]: Cæsaream, Palæstinæ scilicet, vt eius vrbis scholarum particeps esset, celeriter contendit; hanc inquam eximiam ciuitatem & nostram (nam meorum quoque studiorum dux & magister extitit) non minus litterarum atque doctrinæ, quàm vrbium quibus præest & dominatur, metropolim: quam si quis doctrinæ palma spoliauerit, rem omniũ pulcherrimam ipsiq. maxime propriã eripuerit.] ac post alia: Hinc Byzantium vrbem totius Orientis principatum tenentẽ (excellentissimis enim oratoribus, philosophisq. florebat, quorũ breui, optima quæque ingenij celeritate ac magnitudine collegit) atque inde Athenas, hoc est, litterarũ domiciliũ, a Deo, atque inexplebili eademq. laudanda doctrinæ cupiditate mittitur: Athenas, inquam, mihi vere aureas, ac si cuiquam alij, bonorũ parentes: nam illæ hominẽ, non illũ quidem ante ignotũ, sed tamen notiorẽ reddiderũt.] cum dicat ipse, ante nouisse Basilium: id accidisse puto Cæsareæ Palæstinæ, quæ fuit prima ipsorũ palæstra ad vires ingenij exercẽdas. et inferius: Habebant nos Athenæ profluuij cuiusdã fluuialis instar ex eodem patriæ fonte in diuersas

BASILII PROGRESSVS.
i Greg. Naziãz. orat. in laud. Basilij.

ADVENTVS GREGORII ET BASILII ATHENAS.

regiones doctrinæ cupiditate dissectos; rursumque velut ex composito, Deo videlicet ita impellente, cocuntes. Ac me quidem aliquanto ante habebant; illum autem haud multo post, & quidem cum mirifica & luculenta spe expectatum: etenim in multorum linguis versabatur, antequàm aduenisset, nec quisquam erat, qui non præclare agi secum putaret, si id quod summo studio expetebat, prior occuparet.] Subdit quoque hæc de immenso discipulorum studio, satagentium quæque discendi causa Athenas aduenientem præoccupando lucrari, & suo cuique ipsos (nam in partes diuisi erant) adsciscere præceptori: In hoc (inquit) elaborantes, vt & numero crescant, & illos opera sua locupletiores efficiant. atque ea res vehementer absurda est: præoccupantur vrbes, viæ, portus, summæ montium, planicies, solitudines omnes, denique Atticæ, & reliquæ Græciæ partes, atque adeo incolarum permulti: nam & illos in partes ac studia distractos habet. A

LVDVS DISCIPVLORVM ATHENIENSIVM.

Cum autem iuuenis quispiam accesserit, atque vel libens, vel inuitus in eorum, a quibus captus est, manibus & potestate fuerit: tum vero Attica hæc illis consuetudo est, ludusque rei seriæ admixtus. Primum apud eorum aliquem, qui priores ipsum arruperint, hospitio accipitur, vel amicorum, vel propinquorum, vel qui eiusdem sunt patriæ, vel qui artem sophistices apprime callent, & lucra magistris conciliant, eoque nomine apud eos summo honore atque pretio sunt; quod quidem illis mercedis loco est, habere qui ipsorum commodis studeant. Deinde a quouis volente cauillis lacessitur; quod quidem, ni fallor, ea de causa faciunt, vt nouitiorum fastum & superbiam retundant, atque a principio ipsos in potestatem redigant. Lacessitur autem ab aliis impudentius atque audacius, ab aliis eruditius, prout ille vel rusticis, vel ineptis moribus, vel vrbanitate fuerit præditus. Atque id ignaris quidem terribile atque inhumanum videtur; iis autem periucundum, suauitatisque plenum, quibus non ignota est ea consuetudo: plus enim terroris habet hæc minarum ostentatio, quàm res ipsa. Tum per forum ad balneum cum pompa deducitur: pompa autem hoc modo se habet. Qui deducendi iuuenis munere funguntur, ordine dispositi atque æquis spatiis distincti, bini eum ad balneum antecedunt. Cum autem propius accesserint, quasi fanatico furore correpti, clamorem ingentem tollentes (hic autem clamor iubet, vt vlterius progredi desinant, ac suo loco consistant, tamquam eos balneum minime admittat) simulque fores pulsantes, & iuuenem strepitu perterrentes, ac deinde introeundi potestatem ipsi facientes; ita demum eum in libertatem asserunt, atque a balneo redeuntem, deinceps vt æqualem ac sodalem accipiunt. Atque hoc ipsis est totius cærimoniæ iucundissimum, nimirum ab his, qui molestiam exhibent, quàmprimum liberari. B C

BASILIVS A LVDIBRIO SERVATVS ILLAESVS.

Tunc igitur meum Magnumque Basilium, non ipse solum venerabar perspiciens illius tum in moribus grauitatem atque constantiam, tum in sermone dexteritatem: sed & aliis etiam, quibus perinde cognitus non erat, vt idem facerent, persuadebam: nam plerisque statim venerationi erat, vt qui fama & auditione iam eum percepissent. Ex quo effectum est, vt solus fere ex omnibus qui studiorum causa Athenas veniebant, communi lege solutus sit; maiorem vtique honorem, quàm nouitij conditio ferre videbatur, consequutus. Hoc nobis amicitiæ principium, hinc coniunctionis igniculus: sic mutuo amore sauciati sumus. Postea huiusmodi quoque quiddam accidit: nam ne hoc quidem prætermissione dignum est. Haud simplicem, apertamque nationem Armenios esse inuenio, quin potius admodum tectam & simulatam. Tum ergo nonnulli iampridem cum ipso familiaritate & amicitia coniuncti, vtpote ex patre & veteri sodalitio (nam in illius schola instituti fuerant) ad ipsum per amicitiæ speciem accedentes (inuidia autem, non beneuolentia ducebantur) contentiosis potius quàm doctis & argutis interrogationibus eum vrgebant, ac primo impetu sibi subiicere conabãtur; tum quòd egregiã ipsius indolem iampridẽ nossent; tum quòd ipsum tanto in honore haberi, eo tempore, permoleste ferrent: Graue enim, minimeque ferendum esse, eos qui philosophica pallia priores induissent, atque in ratione scire & facunde dicendi elaborassent, extero atque nouitio nequaquam anteferri. D E

GREGORIVS PRAESTO BASILIO EST.

Ego autem ille Athenarum amans ac stultus (non enim eorum inuidiam senseram, frontis integumento fidem habens) Athenarũ gloriam in ipsis conuulsam celerrimeq. contemptam indigno animo ferens, succumbentes iam adolescentes & terga vertẽtes, reducta disputatione suffulciebam; atque auxilij mei momentũ afferens (in talibus autẽ rebus vel perexigua accessio quiduis potest) æqualia (vt ille ait, nẽpe Homerus) prœlij capita constitui. At vbi disputationis arcanum intellexi, quod iam ne contineri quidem poterat, sed iam perspicue detegebatur: repente mutato consilio, remigrationem ad puppim conuerti, ab illius partibus stans; dubiamque victoriam reddidi. Qua in re, vt erat ingenio in primis acuto, magnam

statim

A statim voluptatem cepit, atque alacritate perfusus (vt cum Homericis verbis omnino describam) egregios illos iuuenes disputatione perturbatos insectabatur, nec ante argumentationibus ferire destitit, quàm eos in effusam fugam vertisset, victoriamq. haud dubiam adeptus fuisset. Hæc nobis amicitiæ iam non scintilla, sed fax conspicua & sublimis accenditur. Atque illi quidem sic infecto negotio discesserunt, cum suam temeritatem multum incusantes, tum fraudem nostram animo vsque adeo iniquo ferentes, vt apertas mihi inimicitias indicerent, ac proditorem criminose appellarent, non modo eorum, sed Athenarum quoque ipsarum: quoniam primo impetu ab vno homine confutati atque ignominia affecti fuerant; idque ab eiusmodi homine, cui ne fidenti quidem animo esse per tempus licebat.]

Subdit autem posthæc, eumdem Basilium eo scientiarum esse progressum, antequàm Athenas se conferret, vt illuc cum aduenisset, & explorata complura habuisset, magno affectus sit
B angore animi, quòd non quales putabat, Athenas eruditas adinuenerit: visæ enim sunt illi ipsæ ieiunæ, cum quid ibi addisceret, non reperit. Solabatur tamen eum Gregorius, qui id ipsum sibi visum esse, cum primum illuc se contulisset, affirmabat: consolabatur eum, inquam, spe meliorum, quæ hactenus ipsi inexplorata dicebat. hæc & alia de his multa loquutus Gregorius: qui rursus, quænam fuerint mutua Athenis conuersatio atque studia, quibus hisce principiis exorta amicitia, maioribus in dies adaugebatur accessionibus, sic ipse describit[a]:

BASILII EXCELLENS ERVDITIO.

[a] Greg. Nazian. orat. in laud. Basilij.

Par spes doctrinæ, hoc est rei omnium inuidiosissimæ, nos ducebat: et tamen aberat inuidia, sola æmulatione flagrabamus. Hoc vtrique certamen, non vter primas ferret, sed vter alteri primas cederet: vterque enim alterius gloriam, suam existimabat: vna vtrique anima videbatur duo corpora ferens. Quòd si minor fides iis habenda est, qui omnia in omnibus posita esse dicunt (quod dicebant Empedocles & Anaxagoras) at nobis certe credendum est,
C quòd vterque in altero, & apud alterum positi eramus. Vnum hoc ab vtroque nostrum agebatur, vt virtutem coleremus, atque ad futuras spes vitæ nostræ rationes accommodaremus, ante mortem e vita migrantes. Quod quidem nobis ob oculos proponentes, vitam, actionesq. omnes nostras dirigebamus, tum diuini præcepti ductum sequentes, tum alter alteri virtutis studium extimulantes: atque (nisi hoc arrogantius dicere videar) vterque alteri norma & amussis eramus, qua rectum a prauo discernitur. Nec enim cum flagitiosissimis & petulantissimis quibusque sodalium nostrorum consuetudinem habebamus, sed cum optimis & honestissimis; nec cum pugnacissimis, sed cum tranquillissimis & pacatissimis, iisque quorum consuetudo maximos fructus afferebat: illud nimirum exploratum habentes, multo facilius vitium contrahi, quàm virtutem communicari; quemadmodum facilius quoque morbus contrahitur, quàm sanitas impertiatur. Disciplinis porro non tam iucundissimis, quàm præ-
D clarissimis oblectabamur: nam hinc quoque vel ad virtutem, vel ad vitium iuuenes informantur.

GREGORII ET BASILII ATHENIS CONVERSATIO.

Duæ nobis viæ notæ erant: altera primaria & præstantior, quæ videlicet ad sacras domos nostras, sacrosq. doctores ferebat: altera secundaria, nec eiusdem honoris, nimirum quæ ad externæ doctrinæ professores ducebat. Reliquas omnes, quæ ad festa & spectacula, celebres conuentus, epulas ferebant, volentibus relinquebamus. Nihil enim mea quidem sententia magnifaciendum est, quod nihil affert ad recte honesteq. viuendum, nec sui studiosos meliores reddit. Iam cum alijs alia quædam cognomenta sint vel a parentibus accepta, vel ex seipsis, hoc est ex propriæ vitæ studijs institutisq. comparata: nobis contra magna res erat, & illustre nomen, Christianos & esse & nominari, atque ea re magis efferebamur, &c.] paulo vero post: Atque vt rem in pauca contraham, perniciosæ quidem alijs, quo ad animæ salu-
E tem Athenæ sunt (nec enim a piis viris id temere existimatur: nefarijs enim opibus, hoc est simulacris magis affluunt, quàm reliqua omnis Græcia: difficileq. est non simul cum eorum laudatoribus & patronis in errorem abripi) nobis autem nihil detrimenti ab iis allatum est, vtpote animo communitis, firmissimeq. obseptis. Quin potius (quod vix credibile est) hinc ad fidem confirmati sumus, ipsorum fraudem & imposturam cognoscentes, atque illic dæmones contemnentes, vbi in mirifica laude sunt dæmones, &c.]

PARIA GREGORII AC BASILII PIETATIS STVDIA.

Iam vidimus ex Eunapio, horum fama pellectum impium Iulianum Athenas expetiisse, vbi consuetudinem intimam habuit cum Eleusiniarum Antistite, clam sacris homines initiante, atque futura prædicente. Porro asylum illud impietatis postea ab Alarico tyranno, illi in hoc fauentibus Christianis, fuisse dirutum ac penitus dissipatum; idem auctor, dum illius Antistitis recitat prædictiones, narrat his verbis: Eas Græciæ angustias, nempe Thermophilarum fauces, Alarico prodidit impia natio fuscis vtentibus vestibus, qui nullo prohibente simul cum eo irruperunt, rescissa iam Pontificalium institutorũ lege atque vinculo.] sed hæc postea, hic autem

ATHENAE ASYLVM IMPIETATIS DIRVTAE.

hic autem obiter recensita, occasione cultus idololatriæ Athenis plus quàm in reliquis Orbis locis occulte vigentis: ad quæ nefanda opera destruenda, quòd non satis esse viderentur leges Imperatoris diuersis temporibus latæ, armauit Deus postea tyrannum, qui omnia illa furore bellico atque barbarico pessundaret. Profecerunt ex iis quoque iidem Gregorius atque Basilius, quòd maiore odio in ea omnia incitati sint, & ad bellum aduersus idola gerendum magis incensi, aduersusque Imperatorem ipsum Iulianum Apostatam pro eis omni conatu pugnantem, inire certamen minime veriti. Sed de his suo loco dicendum. A

Sic igitur bene instituta, atque optime ducta, ad omnes numeros attemperata Gregorij atque Basilij Athenis vita fuit, vt fama percelebres euaserint, non Athenis tantum vel in Græcia, sed vbique terrarum: nam hæc de his ipse Gregorius [a]: Ex quo, inquit, id assequebamur, vt non solum apud præceptores & socios, sed apud totam etiam Græciam ac præsertim clarissimos quosque Græciæ viros illustri fama celebraremur: quin etiam vltra Græciæ fines progressi sumus, sicut multorum sermone compertum est: nam vt quocumque Athenarum fama, eodem quoque præceptorum nostrorum fama sese proferebat: ita quicumque præceptores, iidem quoque nos cognoscebant, simulq. de nobis audiebant & proloquebantur: ac par quoddam non obscurum & incelebre apud eos & eramus & dicebamur, nec nobiscum Orestes suos & Pylades vllo modo comprehensos putabant, &c.] At de commoratione eorum Athenis, iam satis: cetera porro ab eis gesta suo loco opportune sunt referenda. B

a Greg. orat. in Laud. Basilij.

GREGORIVS ET BASILIVS ORBI INNOTVERVNT.

Discessit prior Athenis Basilius, cum Gregorius vix vt remaneret potuerit inuitus compelli, cum iam ageret ætatis annum trigesimum: eum enim, vt publice profiteretur oratoriam artem, coegere Athenienses, id quidem ipse testatur his iambicis versibus [b]:

BASILIVS ATHENIS DISCEDIT.

b Greg. carm. de Vita sua.

Nam tempus ingens fluxerat iam in litteris, C
Triginta & annos pene tunc exegeram:
Hic, esset in nos quinam amor sodalium,
Opinioque, comperi certa fide.
Aderat dies iam, magnus & labor simul:
Amplexibusque, tristibusque in exitu
Verbis opus erat, queis amor flammas capit,
Socio quidem cessere, nolentes licet,
Multa afferenti, cogerent quæ excedere.
At mihi etiamnum lacryma ex oculis fluunt,
Turbationis illius dum sum memor. D
Namque vniuersa me cohors æqualium
Cingens, magistri, cogniti, ignoti mihi,
(Precibus, querelis, vi quoque admixta simul,
Suadebat id amor) mordicus me detinent,
Atque exeundi mihi potestatem negant.
Neque enim decere dictitant nos perdere
Doctas Athenas: ac simul facundiæ
Mihi principatum calculis spondent suis.
Quid multa? flector. (sola nam tot lacrymis
Verbisq. quercus restitisset) nec tamen E
Omnino. Nam me patrium contra solum
Trahebat, omnes eminens gentes fide,
(Pulchrum vbi putabam me pijs studijs dare)
Annisq. vterque fractus & senio parens.
Quocirca Athenis immoratus paululum,
Subduco furtim pene me, ac repeto domum.] hactenus res Gregorij vsque ad discessionem Athenis. Ex quibus (quod spectat ad rerum gestarum veritatem elucidandam) plane Ruffinus [c] erroris arguitur, dum ait a Gregorio subductum Basilium, e doctoris cathedra, manuq. iniecta, secum in monasterium esse perductũ. In primis enim Basilium, inde vero Gregorium Athenis recessisse, ipsiusmet Gregorij testificatione exploratum habetur.

c Ruffin. lib. 2. c. 9.

Qui

A Qui quidem quam cœperat vnà cum Gregorio reuersus in patriam sanctissimam vitam excoluit, corporis virginitatem ab omni carnis illecebra seruans immaculatam: licet non ita mentis puritatem illibatam seruasse, scribens ad Chilonem discipulum, conqueri videatur, cum ait: Quin & mulieres se meis hisce oculis visendas offerebant, quarum præcellenti elegantia & decore spectabili meæ tentaretur integritas pudicitiæ. Et quidem flagitium vitaui fornicationis, at munditiæ virginalis florem arcana cordis cogitatione fœdaui.] hæc sane ipse, qui veram virginitatē ex animæ perfecta integritate arctissimis limitibus circumscripsit; quo argumento de vera virginitate ad Lætoium Episcopum Melitensem scripsit commentarium. Ceterum Gregorius Nazianzenus in oratione funebri in laudem eiusdem Basilij, ipsum perfectissimū virginitatis cultorem fuisse demonstrat his verbis: Quis igitur virginitatem magis honorauit, quàm Basilius, aut carnis puritatem quasi lege sanciuit non solum proprio exemplo, B sed eorum quibus studebat? &c.] Hæc de Basilio modo satis: de Gregorio quoque ista in præsentiarum dicta sufficiant, de reditu inquam ipsius in patriam post Basilium.

Recedens Athenis Gregorius, Constantinopolim venit: quo loci cum esset, diuina quadam prouidētia accidit, vt Cęsarius ipsius frater Alexandria, vbi litterarum causa eatenus moratus erat, appelleret Cōstātinopolim, iam philosophicis litteris egregie excultus, & artis medicinæ apprime gnarus; quem celebris fama adeo nobilitauerat, vt a Senatoribus Senatoria dignitas atque insuper nobile matrimonium eidem, vt his vinculis retineretur in vrbe, oblatum fuerit; sed & idipsum ab Imperatore per Legatos petitum fuit. Verum his omnibus tunc plus apud ipsum valuit fraternus amor, ac pietas erga parentes, quorum visendorum causa sequi maluit Gregorium redeuntem: alio autem tempore postea opportunius in Imperatoris aulam se contulit. Quæ omnia pluribus ab eodem Gregorio scripta sunt. Sed iam his relictis, quos C sæpe in progressu conueniemus, ad sequentis anni res tetras ac tragicas, cunctantem, hærentemque, immo & prædensis horrentem vepribus orationem conuertamus. GREGORII NAZIANZENI REDITVS IN PATRIAM.

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
355.	4.	19.

TRecentesimus quinquagesimusquintus Domini annus, Arbetione & Lolliano Consulibus, Catholicæ Ecclesiæ cladibus extitit famosissimus: quo indicitur ac celebratur Mediolani Concilium, quod missa a Liberio Papa anno superiore ad Constantium Imperatorem legatione publica fuerat expetitum. Cum enim edicto Imperatoris cogerentur Episcopi D Occidentales ad subscribendum latæ ab Arianis sententiæ in Athanasium, & ingens ea ex re naufragium Catholicæ Ecclesiæ immineret: vt hæc in Concilio Episcoporum examinarentur, Liberius Papa missis anno superiore Lucifero Episcopo Calaritano, Pancratio presbytero, & Hilario diacono, ad eumdem Imperatorem Legatis, litteris ad eum scriptis postularat; ratus fore, vt cognita ex conflatis in Athanasium calumnijs Arianorum perfidia, tum a subscriptione in ipsum Athanasium, tum a communicatione cum Arianis, ac multo magis ab eorum hæresi Occidentales omnes procul abhorrerent Episcopi. Atqui aliud fuit Constantij Imperatoris huius cogendi Conuentus consilium; nempe, vt in vnum Catholicos omnes, quos posset, ita conuocaret Episcopos, vt sic in locum vnum includeret, vbi ipse præsens ad subscribendum in Athanasium, adhibita vi quoque, compelleret; quod & infelicissime præstitit. Hæc autem cuncta quo gesta sunt ordine, ex fragmentis hinc inde magna industria, nec leui sane E labore comparatis, quòd eius Acta perierint, vtpote omnibus execranda, ac perpetuo digna silentio, hic describemus. CONCILIVM MEDIOLANENSE.

Ac primum omnium quod ad tempus spectat: Concilium ipsum hoc anno Mediolani esse celebratum, cum ex his quæ anno superiore diximus manifestum appareat, & ex iis quæ sunt hoc eodem anno dicenda exploratum in omnibus habeatur; id ipsum etiam Seuerus [a] disertis verbis certum reddit, dum exilia Episcoporum ex eodem Concilio irrogata, contigisse ait hoc anno, Arbetione nimirum & Lolliano Consulibus. De frequentia vero huius Synodi hæc habet Sozomenus [b]: Concilio igitur impulsu Imperatoris Constantij Mediolani conuocato, ex Oriente pauci Episcopi illo aduentarunt; propterea quòd alij morbo, vt est verisimile, præpediti, alij itineris longitudine deterriti, eo accedere recusabant: at Episcoporum Occidentis ibi congregati fuere treceti & amplius.] hæc ipse: eadem quoque Socrates [c]. TEMPVS CONCILII ET FREQVENTIA. a Seuer. lib. 2. b Sozom. lib. 4. c. 8. c Socrat. lib. 2. c. 29.

Verum quantumlibet istiusmodi Episcoporum Conuentus, Ecclesiastici Concilij nomen præsetu-

CONCIL. MED. DICENDVM FACTIO SCELERATORVM.

præſetulerit: verius tamen dicenda fuit tyrannica conſultatio, coniuratio Ariana, factio ſceleratorum, conſpiratio impiorum, atque, vt proprius dicam, publicorum latronum violenta graſſatio: quippe cui præſideret vna cum ſatellitio adhuc cruentus innoxiorum ſanguine hæreticus Imperator: vbi Arianis totum conceſſum, Catholicis Epiſcopis denegata omnia, ſuffragia vetita, vel interciſa, vilipenſa: vbi præſto eſſent ſatellites, & parati aſtarent commentarienſes atque expediti lictores: vbi non ſacri ſancirentur canones, ſed Epiſcoporum degradationes, exiliorumq. ſcriberentur & ſubſcriberentur ſententiæ; vbi demum nihil non auderet Ariana procacia; & nihil valeret, Imperatoria vi ſuppreſſa, Orthodoxorum conſtantia atque in dicendo libertas. A

ADVENTVS LEGATORVM AD SYNODVM, ET EVSEBII VERCELL. EPISC.

a Hilar. ad Conſtant.

Iſtæc omnia antea odorati Apoſtolicæ ſedis Legati Lucifer Epiſcopus atque collegæ, nec non S. Euſebius Epiſcopus Vercellenſis, illo conuenire detrectantes; venire tamen poſtea iuſſi ſunt: nam de Euſebio hæc habet S. Hilarius [a]: Venio nunc ad id quod recens geſtum eſt, in quo ſe etiam profeſſio ſceleris in ſecreto artis ſuæ dedignata eſt continere. Euſebius Vercellenſis Epiſcopus vir eſt omni vita Deo ſeruiens. Iſte poſt Arelatenſem Synodum, cum Paulinus Epiſcopus tantis iſtorum ſceleribus contraiſſet, venire Mediolanum præcipitur, collecta iam illic malignantium ſynagoga. Decem diebus ad Eccleſiam vetitus eſt accedere, dum aduerſus tam ſanctum virum malitia ſe peruerſa conſumit. Soporatis deinde conſiliis omnibus, vbi libitum eſt, aduocatur. Adeſt vna cum Romanis clericis & Lucifero Sardiniæ Epiſcopo.] erant vero hi Apoſtolicæ ſedis Legati. B

b Ex Archiuo Vercell. edita cũ Actis Vita S. Euſebij.

LITTERAE SYNODI AD EVSEB. VERCEL. EPISC.

Antequàm autem cogeretur Euſebius Synodo intereſſe, miſſi ſunt ab Arianis Epiſcopi duo ad eumdem Euſebium, quibus ad eum nomine Synodi has dederunt litteras [b]:

Concilium Mediolanenſe Euſebio fratri in Domino ſalutem.

Non ignorat cariſſima nobis dilectio tua, quàm ſit pretioſum vinculum charitatis & pacis, domine cariſſime frater. Et quia hoc cuſtodire nos, qui Eccleſiæ Catholicæ præſumus, diuina Domini præcepta docuerunt: ideo plenum ſanctitatis & iuſtitiæ arbitrati ſumus, vt cariſſimos Coepiſcopos noſtros Euſtomium* & Germinium, qui ad Concilium conuenimus, vt ad dilectionem tuam pergerent, mitteremus, & omnia patienter quæ aguntur inſinuarent, & patefacerent; vt nobis coniuncta fides tua pariter atque concordia ea ſequantur, & quæ Deo & vnitati placeant, complectantur. Itaque ſinceriſsima prudentia tua (quod ſpecialiter & ſalubriter admonemus) audiat ſupradictos; et communicato pariter cum his conſilio, definiat quod de nomine hæreticorum Marcelli, & Photini, necnon & Athanaſij ſacrilegi totus prope definiuit Orbis: ne non tam veritati, quàm intentioni* parere videaris. Multa in litteris nos ſcribere non oportuit: eos enim ad te miſimus, qui, quod litteris nunc neceſſe non fuit comprehendi, ipſi rectius proſequantur. Quòd ſi aliàs quàm optamus, charitas tua putauerit eſſe faciendum: ſcito, iuxta Eccleſiaſticam diſciplinam id nos definituros, quód regula Euangelica iubet: nec nobis poſtea imputabis, qui infinitam patientiam retinentes, fratres noſtros memoratos, ad te vt venirent, deprecati ſumus.] hucuſque Arianorum ad Euſebium epiſtola. C D

* Eudoxium

* contentioni

c Hilar. vbi ſup. ad Conſtant.

EVSEBII IN CONCIL. DICENDI LIBERTAS.

Qui vbi Mediolanum veniſſet cum Legatis Apoſtolicis: conuentus (ſubdit Hilarius [c]) idem Euſebius vt in Athanaſium ſubſcriberet, ait, de ſacerdotali fide prius oportere conſtare: compertos ſibi quoſdam ex ijs qui adeſſent, hæretica labe pollutos. Expoſitam fidem apud Nicæam, cuius ſuperius meminimus, poſuit in medio: ſpondens, omnia quæ poſtularent, eſſe facturum, ſi pro fidei profeſsione ſcripſiſſent. Dionyſius Mediolanenſis Epiſcopus chartam primus accepit. Vbi profiteri ſcribendo cœpit: Valens calamum & chartam e manibus eius violenter extorſit; clamans, non poſſe fieri, vt aliquid inde gereretur. Res poſt clamorem multum deducta in conſcientiam plebis eſt: grauis omnium dolor ortus eſt; impugnata eſt a ſacerdotibus fides. Verentes igitur illi populi iudicium, e Dominico ad Palatium tranſeunt. Cuiuſmodi ſententiam in Euſebium, longe antequàm Eccleſiam ingrederetur, ſcripſerint; de ſe loquitur ipſa ſententia.] hucuſque Hilarius. E

d Seuer. lib. 2.

QVID IN PALATIVM TRANSLATA SYNODVS.

Quid autem tunc in Palatio actum ſit, Seuerus [d] narrat his verbis: Valens & Vrſacius, ceteriq. metu plebis, quæ Catholicam fidem egregio ſtudio conſeruabat, non auſi piacula profiteri, intra Palatium congregantur. Illinc epiſtolam ſub Imperatoris nomine emittunt omni prauitate refertam: eo nimirum conſilio, vt ſi eam æquis auribus populus recepiſſet, publica auctoritate cupita proferrent; ſin aliter fuiſſet excepta, omnis inuidia eſſet in Rege, & ipſa venialis: quia etiam tunc catechumenus ſacramentum fidei merito videretur potuiſſe neſcire. Igitur lectam in Eccleſia epiſtolam populus auerſatur.] hæc ipſe. At quæ ſequuntur de Dionyſio Mediolanenſi Epiſcopo, dicentur inferius.

Hic,

A Hic, rogo, paululum ſiſte gradum lector. Quæ neceſſitas Arianos impulit, de Eccleſia, vbi legitime collectum videri poterat, ad Palatium transferre Concilium? Dices, vt quo minus illi cauſæ iuſtæ fiderent, eo magis (vt omnes teſtantur) pollerent viribus Imperatoris. Probe quidem: hæc enim ea de re eſt omnium vna ſententia. Sed cur, quæſo, ipſe Conſtantius Imp. ad conuentum congregatum in Eccleſia non acceſſit? Percelebris quidem ille erat, nempe (vt dictum eſt) tantummodo Occidentalium abſque Orientalibus trecentorum & amplius Epiſcoporum; aderant quoque Apoſtolicæ ſedis Legati a Liberio miſſi: adeo vt nihil minus iſta Synodus haberet ab ipſo Magno Nicæno Concilio, cui magna ſui gloria pater eius Conſtantinus Imperator interfuit. Nihil eſt ergo, vt eiuſmodi Concilium in Eccleſia ex more collectum, dicendum omni ex parte pleniſſimum, Nicæno haud impar, a Conſtantio contemni debuerit, quo minus ad illud accederet, ſi licuiſſet. Eſt plane, lector, vt ex iſto diſcrimine Con-B ſtantini atque Conſtantij, patris, ac filij, veluti digito tangas Magni Conſtantini baptiſmum tempore Nicænæ Synodi: nempe (quod pluribus ſuperius demonſtratum eſt) ſic illum interfuiſſe Nicæno Concilio, atque cum Patribus in eo ſediſſe, quòd ſacro baptiſmo iam initiatus eſſet; aliter ex Eccleſiaſticis ſanctionibus id ipſi minime conceſſum fuiſſet: Conſtantium vero, quem tum ex Seuero (vt diximus) tum ex alijs, catechumenum adhuc Concilij huius tempore fuiſſe liquet, minime auſum eſſe (quod ſciret catechumeno non licere) ſeſe in ampliſſimum illum conſeſſum inferre. Sed quid Ariana fraus eſt meditata? Ne Imperatoris præſentia destituti, tanta multitudine Occidẽtalium Epiſcoporum oppreſſi, ac penitus victi, poſteriores ferrent hæretici, clamoroſo progreſſu ex Eccleſia ſe transferunt in Palatium, & ab Imperatore licet catechumeno illam ad populũ extorquent epiſtolam, quam (vt ait Seuerus) in Eccleſia lectã populus iure auerſatus eſt, vt catechumeni, cuius haud muneris eſſet de fide decernere, & C quòd ſciret iam Synodũ in ſæculare iudiciũ eſſe mutatã. Enituit quidem tũc magna cum laude ſincera fides atque infracta populi Mediolanenſis conſtantia, poſthabẽtis & nihili facientis etiam epiſtolam Imperatoris, quam ſciret Catholicæ fidei aduerſari: perſtititque ſemper in eadem quoque ſententia, licet ſibi ablatus poſtea fuerit Epiſcopus, & Arianus ſuffectus.

Sed ex quo (vt dictum eſt) de Eccleſia in Palatium coram Imperatore tractum ab Arianis iudicium fuit: quid etiam actum ſit in cauſa Athanaſij, idem ipſe hunc in modum exacte deſcribit [a], hæc de Conſtantio proloquutus: Quid igitur hic (nempe Conſtantius Imperator) quod Antichriſti non ſit, omiſit? Aut quid ille, vbi venerit, plus committere poterit? Aut quo modo ille in aduentu ſuo non repererit ſibi expeditam viam ad dolos ab iſto præparatam? Siquidem iam denuo in locum Eccleſiaſticæ cognitionis ſuum Palatium tribunal earum cauſarum conſtituit; ſeq. earum litium ſummum principem & auctorem facit. Et quod mireris, ſi D quando viderit criminatores hærere, & perplexos eſſe, ipſe eorum vices ſubit, vt nihil ob eius vim contradicere liceat falſo accuſatis: quod aperte in cauſa Athanaſij oſtendit: Ibi enim, cognita Paulini, Luciferi, Euſebij, Dionyſij Epiſcoporum libertate, docentium ex pœnitentia Vrſacij & Valentis falſos eſſe Athanaſij criminatores, neque vlterius habendam eſſe fidem dictis Vrſacij & Valentis, quæ ipſi ſua pœnitentia reuocauerant: e veſtigio aſſurgens, ita loquutus eſt: Ego ſum Athanaſij accuſator: meo nomine illis credite.

a Athanaſ. epiſt. ad ſolitar.

CONSTANTIVS ANTICHRISTI SPECIEM GERIT.

Hic illis viciſsim reſpondentibus: Quonam modo accuſator eſſe poſsis, non præſente reo? eſto vt accuſator ſis: abſentia tamen rei facit, vt in cauſa iudicari non liceat: non enim de re Romana iudicium eſt, quo tibi, vt Imperatori, fides adhibeatur: ſed de Epiſcopo agitur; et oportet in hoc iudicio pari iure cum reo & accuſatore agi. Quo modo autem accuſabis eum, qui ob longinquitatem loci adeſſe non potuit? Quòd ſi quæ obiicis, ex auditu habes: æquum E eſt, vt iis quæ pro ſe dicit Athanaſius, fidem quoque habeas. Quòd ſi illi non credis, crederis autem iſtis: videbuntur iſti, ea quæ dicunt, propter te & in gratiam tuam dicere, & Athanaſium accuſare. Hæc cum audiſſet, & recte dicta pro contumelia accepiſſet; illos quidem in exilium eiecit: concitatior autem in Athanaſium factus, atrocius in eum edictum promulgat, nimirum & eum debere ſuas pœnas luere, & Eccleſias Arianis tradi, iiſq. ſe liberum facere, vt agant quod velint.

DEFENSORES ATHANASII LIBERE AGVNT.

Grauia ſunt iſta, & plus quàm grauia; ſed tamen iſtiuſmodi quæ congruant in eum, qui Antichriſti imaginem induerit. Quis enim videns ipſum in decernendo principem ſe facere Epiſcoporũ, & præſidere iudiciis Eccleſiaſticis, non merito dicat illũ eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ a Daniele [b] prædicta eſt? Nam cum circumamictus ſit Chriſtianiſmo, & in loca ſancta penetret, & inibi conſiſtens Eccleſias deuaſtet, canones abrogans, vi cogens vt ſua obtineant: quis vmquam dicere audebit, hoc tempus Chriſtianis pacatum eſſe? et non potius perſecutionẽ, talemq. perſecutionem, qualis nec antea fuerit, & qualem fortaſſe nemo

TYPVS ANTICHRISTI.

b Dan. 9.

nemo vmquam fecerit, nisi filius ille iniquitatis?] hæc Athanasius: quibus vides, lector, cui a sanctis Patribus Principes comparentur, qui super Episcopos ius sibi sacrilege vendicant: et vtri nam in his magis auscultandum putes, Magno ne Athanasio, cælesti plane viro, an recentiori putido hæresiarchæ scelestissimo, ne nomine quidem ipso a me dignando? A

CVR ALIQVI EPISC. CONSENTIVNT DAMNATIONI ATHANASII.

In hunc modum igitur publico Imperatoris edicto, Athanasio condemnato, nonnulli Episcopi eiusdem damnationi consenserunt, sperantes ipsius condemnatione consopitum fore Ecclesiasticum bellum. Verum non satis fuit Arianis, illos Episcopos ad subscribendum aduersus eumdem Athanasium adegisse: quin & eosdem vna secum communicare pariter suadebant, intentantes minas ijs, qui facere id recusassent. Quæ tunc porro fuerint illorum in Synodo verba, Lucifer ipse [a], qui præsens fuit atque audiuit, sic refert, cum in ipsum Constantium Imperatorē inuehitur: Haud tentabis negare, esse dictū: Desiderantes sumus nos Ariani, & vos Christiani, vnum effici corpus. Derelinquite fidem, quam apud Nicæam contra nos tenetis conscriptam: acquiescite Arij doctrinæ: alioquin quia nos multum possumus (Imperium nostrum est) quibus velimus vos modis grauabimus, & omnes tollemini e vestris sedibus. Non poteris, hæc ita se habere, negare, cum Deo perosæ meditationes tuæ rebus gestis fuerint reuelatæ. Cur enim cogebamur, etiamsi non damnaremus Athanasium, tamen communioni misceremur Arianorum; nisi quia tu leno hæresis Arianæ cunctos nos cuperes quouis modo fieri consacrilegos tuos?] in hunc modum ipse. B

a Lucif. pro Athanas. lib. 1.

LEGATI APOSTOLICI MALE HABITI.

At cum in alios omnes Arianis resistentes Constantij Imperatoris furor exarserit, in Legatos Apostolicæ sedis præcipue conuersa est eius indignatio, de quibus sic habet S. Hieronymus [b]: Lucifer Calaritanus Episcopus cum Pancratio & Hilario Romanæ Ecclesiæ clericis ad Constantium Imperatorem a Liberio Episcopo pro fide Legatus missus, cum nollet sub nomine Athanasij Nicænam damnare fidem, Palæstinam relegatus, miræ constantiæ & præparati animi ad martyrium contra Constantium Imperatorem scribit librum, eiq. legendum misit.] hæc de Lucifero. Quid autem passi sint alij duo Legati Romanæ Ecclesiæ clerici, Pancratius presbyter, & Hilarius diaconus, S. Athanasius docet his verbis [c]: Quis enim qui hæc facinora audierit, non putabit quiduis eos potius, quàm Christianos esse? Missis enim a Liberio ad Cæsarem Pancratio presbytero & Hilario diacono: alterum eorum, nempe presbyterum, in exilium misere: alterius vero terga, detractis vestibus, flagellis ciderunt; flagellatumq. extorrem fecere, inter verbera ipsa diacono verbis insultantes: Quare Liberio non restitisti, sed eius litteras attulisti? Auctores huius facinoris Vrsacius & Valens cum eunuchis, qui ibi quoque aderant. Diaconus vero inter crepitus ictusq. flagellorum Domino benedicebat, non immemor istorum verborum Domini: Dorsum meum dedi percutientibus. Flagellatores autem risu dicteriisque virum subsannabant, neque vllo pudore tangebantur, quòd Leuitam ea contumelia afficerent: prorsusq. decorum erat, & subsannatores eos animos præseferre, & diaconum in suis benedictionibus perseuerare. Verberari enim, proprium Christianorum est: flagellare autem Christianos, Pilati & Caiphæ officia sunt.] hæc Athanasius. C D

b Hieron. de scriptor. Ecclesiast. in Lucif.

c Athanas. ad solitar.

DIONYSII EPISCOPI MED. CERTAMEN.

Quid vero in S. Dionysium actum sit, qui magna cum laude Catholici nominis præerat Ecclesiæ Mediolanensi, modo dicendum. Pellectus est & ipse subscribere in Athanasium, dummodo in reliquo Catholicæ fidei in omnibus consultum foret; id accidit antequàm Eusebius vna cum Apostolicæ sedis Legatis ad Synodum se conferret: quod cum ipse intellexisset, ægro animo tulit: sed cum facti iam pœnitentem eum inuenisset; artem quoque excogitauit, qua eius subscriptio deleri posset. Erat Eusebius Dionysio longe ætate maior, adeo vt ipse Dionysius filius videri posset: pater namque Eusebius, præ ætate, & sedis, cui præerat, temporis diuturnitate, ab eodem nominari consueuerat. Requisitus igitur cum eo peruenisset Eusebius, vt exemplo Dionysij ipse damnationem Athanasij suo quoque chirographo communiret: visus est illis annuere, ea tamen lege, si (vt decebat) sua subscriptio ante Dionysii subscriptionem in charta perspicue omnibus poneretur: indignum plane esse affirmans, si iunior Episcopus seniori, atque parenti filius in charta, præter Ecclesiæ morem, ab omnibus legeretur. E

EVSEBII EPISC. DIGNVM FACINVS.

Illi autem, quibus nihil magis in optatis erat, quàm vt fama celebrem toti Occidentali orbi conspicuum Eusebium in Athanasium ad subscribendum pellicerent: euestigio ex tabella sententiæ Dionysii nomen expungunt, atque obliterant penitus, vt ne elementum quidem superesset, quo vel existimari potuisset nomen Dionysii ibi vmquam fuisse notatum. Hoc facto, mox Eusebius, omni fictionis larua deposita, subscribere in hominem innocentem & inauditum (diuina id prohibente lege, & aduersantibus Ecclesiasticis atque etiam sæculi legibus) nullo

A nullo pacto se posse testatus est: sicque in hunc modum ab Eusebio delusa est Ariana impietas. Scimus, in quibusdam aliis sermonibus incerto auctore editis, hęc de subscriptione ab Eusebio requisita, alio diuersoq. modo referri, insuper & perperam narrari, eumdem Dionysium ab Eusebio subrogatum in locum Auxentij; cum potius contrarium appareat, nempe Auxentium nonnisi post Dionysium damnatum exilio, intrusum esse in Mediolanensem [a] Ecclesiam. *a Vit. S. Eusebij.*

Hæc enim sunt quæ in S. Ambrosij, seu S. Maximi Taurinensis potius sermone in natali die S. Eusebij habito, ad populum pro concione narrantur his verbis [b]: Illud autem tacendum omnino non arbitror, quòd cum Arianorum detestanda perfidia totam cum vniuerso Mundo Italiam perturbasset, atque eiusdem pestilentiæ sacerdotes simplicitate S. Dionysij martyris captiuassent, ita vt subscriptionis eius vinculum retinerent: qua illum e manibus eorum sapiētia liberauit. Sicut enim ait S. Paulus [c]: Factum Iudæis tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrifa- B cerem: Ita Eusebius hæreticis hæreticum se esse mentitus est, vt de hæresi filium liberaret. Dixit enim eorum se consentire perfidiæ; hoc sibi placere quod illis; sed quòd sibi filium Dionysium in subscribendo præponerent, grauiter se moueri. Vos enim, inquit, qui dicitis Filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi filium prætulistis? Qua illi ratione permoti, statim S. Dionysij chirographum deleuerunt, priorem locum describendi beato Eusebio deferentes. Quos ille increpans, & irridens, ait: Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque filium meum vobiscum participare permitto. Vnde cum dicat Euangelium [d], in hac generatione prudentiores filios tenebrarum esse, quàm lucis: ecce hic ipsis tenebris prudentior filius lucis inuentus est.] hæc ibi.

b Apud Ambr. serm. 69. LIBERATVR DIONYSIVS A SVA SVBSCRIPTIONE. *c 1. Corinth. 9.* *d Luc. 16.*

Offendere lectorem candidæ mentis possent verba auctoris illa: Eusebius hæreticis hæreticum se esse mentitus est.] cum non liceat hæresin vel specie tenus per fictionem simulare. Sed C sunt hæc intelligenda secundum ea quæ superius dicta sunt, nempe simulasse Eusebium se in eo Arianis assentiri velle, in Athanasio scilicet condemnando; nec quidem aliud Legati illi Ariani ab Arianis missi, ea ad eum data epistola, prætęr id ab ipso expetierūt, quàm vt (quod & alij plures fecerant) Athanasium condemnaret, necnon Marcellum atque Photinum, qui, vt demonstratū est, hæretici habebantur. Sed nec Dionysium quidē ipsorum hæresi subscripsisse, verum tantū sententiæ in Athanasium ab ipsis latæ, testantur omnes: immo nec id in ea Synodo ab Arianis expostulabatur: sed & (quod ait Seuerus [e]) ea lege Dionysius subscripsit in Athanasij damnationem, vt tamen in detestationem Arianæ hæresis inter sacerdotes de fide vera exquireretur; ea nimirum ex causa, vt qui aduersari reperti essent Catholicæ fidei, damnarentur. Sed & Lucifer [f] Calaritanus hæc de Dionysio in Constantium Imperatorem: Quo modo (inquit) negare poteris, cum sanctissimum Dionysium Mediolanensem Episcopum, qui D iam tibi falsa asserenti credens damnauerat Athanasium, quòd Arianus esse noluerit, miseris in exilium?] quòd igitur ob intemeratam fidem Catholicam in omnibus custoditam voluerit Dionysium exilium subiisse: exulem ibi defunctum esse, ac proinde martyrem, sanctus quoque testatur Ambrosius [g].

NODVS SOLVITVR DE VERBIS MAXIMI. *e Seuer. lib. 2.* *f Lucif. pro Athanas. lib. 2.* *g Ambros. in Auxent.*

At quid in Eusebium tunc ab eo Ariani sic delusi, indignatione succensi, admiserint, idem Maximus [h] subdit his verbis: Tunc illi grauiter indignantes ita nequitiam suam fuisse delusam, nouis eum per Constantium Principem passionibus vexauerunt. Nam post multas iniurias Orientis plagæ, illum in exilio relegarunt; in quo tanta passus est, vt martyrij victoriam reportaret.] sed quæ subdit, postea acciderunt. Agit S. Athanasius de exilio Eusebij ac sociorum, & sententia tunc aduersus eos a Constantio lata, dum ait [i]: Sed cum se arbitrantur plurimis insidiari, non animaduertunt se plures facere confessores: ex quorum numero cla- E rissimæ sunt confessionis, viri religiosi & Episcopi boni, Paulinus Episcopus Treuerorum, quæ Galliarum metropolis est (hic enim ex Conciliabulo Arelatensi anno superiore exulauerat) Lucifer Metropolitanus Episcopus Sardiniæ, Eusebius Vercellis ciuitate Italiæ, Dionysius Mediolani, quod & ipsum est Italiæ metropolis.]

h Apud Ambr. serm. 69. EVSEBIVS ET COLLEGAE DAMNANTVR IN EXILIVM. *i Athanas. epist. ad solitar.*

Sed antequàm vlterius progrediamur, hic obserua, sic dici Mediolanum Italiæ metropolim, sicut Treuerim Galliæ; non quòd omnes Galliæ sub Treuere fuerint cōstitutæ, cum plures aliæ ciuitates essent earumdem prouinciarum metropoles: sed sic Mediolanū dici metropolim Italiæ, hoc est metropolim in Italia: est enim phrasis hæc consueta Athanasio. Ridendi autē sunt potius, quàm cōfutandi, qui huius loci, Athanasii auctoritate, Mediolanēsem Ecclesiam, quasi totius Italiæ metropolim, Romanæ Ecclesiæ magna vecordia, seu temeritate potius prætulere: Prouoco eos ad quæ idē paulo inferius addit, cum de Liberio Papa agēs, hæc de Romana Ecclesia habet: Nulla reuerentia ducti, quòd sedes illa Apostolica esset, vel quòd Roma metropolis esset Romanæ ditionis] nempe Romanam Ecclesiam esse metropolim totius Romani

MEDIOLANVM QVOMODO METROPOLIS ITALIAE.

Imperij Ecclesiarum. Sed de amplitudine & limitibus Mediolanensis Ecclesiæ, suo loco opportunius, Ambrosij nimirum tempore, agendum inferius. Age nunc cœptam ex Athanasio narrationem prosequamur. A

a Athanas. ad solitar.

MAGNA CONSTANTII TEMERITAS.

His igitur ad se vocatis [a] Episcopis, iussit Imperator, vt contra Athanasium subscriberent, & cum hæreticis communionem inirent. Quibus admirantibus nouum eius studium, dicentibusq. id non esse Ecclesiastici canonis; statim subiecit: At quod ego volo, pro canone sit: ita enim me loquentem Syriæ Episcopi sustinent. Aut igitur obtemperate, aut vos quoque exules estote. Id cum audissent Episcopi, magnopere admirantes, & ad Deum manus tendentes, multa cum libertate illi suas rationes proposuerunt; docentes, regnum non ipsius esse, sed Dei, a quo acceperat; eumq. metuendum, ne illud quod dederat, derepente adimeret. Denunciabant illi diem Iudicij, suadebantq. ne Ecclesiastica corrumperet, neve Romanum Imperium Ecclesiasticis constitutionibus immisceret, neve Arianam hæresin introduceret in Ecclesiam Dei. Verum nec ille audiit, nec eos plura dicere permisit. Quin ob hoc ipsum acriter minabundus, & gladium intentans, quosdam ex eis adduci iussit, sententiam suam, quam ante professus erat, vti Pharao reuocans. B

EXILIVM CONFESSORVM EPISCOPORVM.

Excusso igitur sancti puluere, & oculis in Deum coniectis, nec Cæsaris minas verebantur, neque ob strictos enses veritatem prodiderunt, & exilium veluti ministerium sui officium acceptarunt; pergentes de loco in locum, & de ciuitate in ciuitatem; et nihilominus, quamquam in vinculis essent, euangelizabant, piam quidem fidem prædicantes, Arianam autem hæresin anathemate damnantes, & pœnitentiam Vrsacij & Valentis multa infamia traducentes: resq. illa insidiatoribus plane in contrarium abiit. Quanto enim longioris interualli exilium erat, tanto magis odium aduersus insidiatores accumulabatur; iterq. sanctorum, non nisi prædicatio erat contra Arianam hæresin. Quis enim eos in itinere conspectos, non vt confessores admiratus est? et istos non vt impios cum abominatione, vel potius vt carnifices & homicidas auersatus est, & quiduis potius quàm Christianos nominauit? meliusq. a principio fuisset, prorsus non attigisse Constantium hanc hæresin; aut vbi attigerat, non tantopere indulgere impietati; aut si iis indulgere vellet, hic saltem vestigium sistere.] hæc Athanasius. C

b Ambros. epist. 82.

PRAECONIA EVSEBII ET DIONYSII.

Sed & B. Ambrosius eosdem sanctos Episcopos, Eusebium atque Dionysium, exulantes, eiusmodi præconio celebrat, scribens ad Vercellenses [b]: Pro fide quoque Eusebius exilij duta præoptauit atque elegit, coniuncto sibi sanctæ memoriæ Dionysio, qui posthabuit Imperatoris amicitiam exilio voluntario. Itaque memorabiles viri circumdati armis, vallati exercitu, cum raperentur de Ecclesia, maiore triumphabant imperio: quia contumelia terrestri mercabantur mentis fortitudinem, regni potentiam, quibus militaris armorum strepitus extorquere non potuit fidem: subegerunt bestialis animi feritatem, quæ nocere sanctis nequiuit. Ira enim Regis, ira leonis, vt in Prouerbiis habes. Confessus est, victum se esse, qui rogabat vt mutarent sententiam: sed illi validiorem calamum suum ferreis gladijs arbitrabantur. Denique vulnerata est perfidia, vt occideret: non est vulnerata sanctorum fides: non desiderarunt patrium sepulchrum, quibus reseruabatur cæleste domicilium.] hucusque Ambrosius. Hunc tandem nactus est finem conuentus malignantium, & multitudo operantium iniquitatem. D

c Ruffin. lib. 1. c. 20.
d Sever. lib. 2.
e Socrat. lib. 2. c. 29.
f Sozom. lib. 4. c. 8.

De iisdem itē agunt Ruffinus [c], Seuerus [d], Socrates [e], Sozomenus [f], & alij; sed in quibus insit aliquid, quod corrigatur; dū Ruffinus atque Seuerus iisdē exulibus cōiungunt S. Hilarium; qui quidem non ex Concilio Mediolanensi, sed Biterrensi postea exulauit anno sequenti: sicut & Liberius, qui post idem Concilium celebratum tentatus est. Sed errat & Socrates, dum damnatis ab hac Synodo adiungit Paulinum Episcopum Treuerensem, quem conuenticulū Arelatense, vt dictum est, exturbauit; dumq. etiam Episcopum Mediolanensem Dionysium, Antistitem nominat Albæ primariæ ciuitatis Italiæ: sed hallucinatur etiam, cum ante hoc tempus Athanasium ab Ecclesia Alexandrina eiectum testatur, ipsomet Athanasio contrarium asserente. Verum & quòd iidem habent, post huiusmodi Conciliū Mediolanense, mox subsequutum esse Ariminense; æque errare deprehenduntur: siquidem Mediolanense subsequuta sunt Concilia Ancyranum, Seleuciense, & Sirmianum, ac demum celebratum est Ariminense. E

g Athanas. epist. ad solitar.

CONSTANTII PROGRESSVS ADVERSVS CATHOLICOS.

Quæ autem fuerint reliqua Constātij opera, his ipsis temporibus, aduersus alios Episcopos in suis ipsorū Ecclesijs commorātes, S. Athanasius summatim collegit his verbis [g]: Ceterum cū esset Arelate & Mediolani Cōstantius, omnia pro hæreticorū hortatu suggestioneq. faciebat: vel potius illi ipsi agebāt, insultabantq. in omnes, Cæsaris potestate succincti. Statim igitur mādata litteræq. ad Præfectum (Aegypti scilicet) vt frumentū, quod hactenus Athanasio ac suis (id enim liberalitate, vt dictū est, Cōstantini Imp. impēdebatur) adimeretur, dareturq. illis qui Ariana

A Ariana ſaperent; et vt liberum eſſet, contumeliam inferre in Athanaſij communicatores: minæ item denunciatæ Iudicibus, niſi cum hæreticis communionem celebrarent. Erant autem iſta præludia eorum quæ poſtea per Syrianum Ducem commiſſa ſunt.

Rurſus ad alias partes edicta miſſa, Notarijq. præſto in ſingulis vrbibus, & Palatini minas ſecum ad Epiſcopos & Iudices deferentes, vt iſti quidem de cauſa iudicarent, illi vero contra Athanaſium ſcriberent, vt aut communionem cum Arianis haberent, aut pœnam exilij ſuſtinerent: populiq. qui ad cõmunionem cum illis non coirent, vincula, contumelias, bonorumq. ſuorum direptionem expectarent. neque negotium negligenter curatum eſt: habebant ſecum in Comitatu Vrſacij & Valentis clericos, qui eos incitarent, & negligentiores Iudices ad Cæſarem deferrent: aliasq. hæreſes minores, vt ſorores ſuas, permittebant blaſphemias in Dominum proferre; et Chriſtianis tantummodo ſuis inſidijs imminebant, non ſuſtinentes vllos B pios de Chriſto ſermones.

Quot igitur Epiſcopi (prout in ſacris litteris eſt) ad Præſides & Reges abducti ſunt, & a Iudicibus hanc ſententiam audierunt: Aut ſubſcribite, aut ab Eccleſijs recedite: detrahi enim vos ab Eccleſijs Imperator iuſſit? Quot in ſingulis vrbibus palabundi ſeſe ſparſerunt, ne vt Epiſcoporum amici accuſarentur? Nam & magiſtratibus ſcriptum eſt, & mulcta pecuniarum denunciata, niſi quiſque ſuæ ciuitatis Epiſcopum ſubſcribere coegiſſet. In ſumma, omnia loca, omnes ciuitates implebantur terroribus & tumultibus, cum & Epiſcopi traherentur, & Iudices viderent luctus & ſuſpiria populorum. Hæc quidem a Palatinis in legationem miſſis agebantur: illi vero freti tanta potentia ſua, nihil non moliebantur: et nunc hos Epiſcopos ad Imperatorem citabant, nunc illos litteris circumueniebant, comminiſcentes aduerſus eos has & illas cauſas, vt illi præſentem Imperatorem perhorreſcerent; iſti vero Legatos & minas falſa-

C rum criminationum formidantes, de recta & pia ſententia decederent. eo enim modo Imperator tantum numerum Epiſcoporum coegit, cum partim minis terrerent, partim promiſſis allicerent, vt ſe faterentur non amplius communionem cum Athanaſio habere.

CLADES ECCLESIARVM.

Quotquot enim ad Imperatorem profecti ſunt, non prius ad eius conſpectum admiſſi fuere, ne tantillo quidem laxamẽto indulto, vt vel ex domicilio ipſis prodire liceret, prius quàm ſubſcriberent: aut ſi recuſarent, in exilium mitterentur: idq. ideo faciebat, quòd animaduerterat ab omnibus hæreſin odio haberi. Quæ res in cauſa fuit, cur tam multos impelleret, vt ſe hæreticorum paucitati adiungerent; magnopere id ſtudens, vt multorum nomina corrogaret tum ad inuidiam Epiſcoporum, tum vt ſpeciem aliquam dignitatisq. imaginem Arianæ hæreſi conciliaret, cuius iſte propugnator erat; exiſtimans, quòd quemadmodum hominum ſententias, ita quoque veritatem immutare poſſet; inſcius, ignarusq. Sadducæos & Herodianos

D non ideo validiores factos eſſe ad veritatem opprimendam, quia ſibi Phariſæos aſſociauerant.] hucuſque Athanaſius.

STVDIA ARIANORVM IN PROPAGANDA HÆRESI.

Deplorat hæc itidem S. Hilarius, cum ipſum Conſtantium Imperatorem magno animi robore compellat his verbis [a]: At nunc fructus operum tuorum, lupe rapax, audi. Neque alia potius, quàm quæ geſta ſunt in Eccleſiam, refero; vt tyrannidem aliam in Eccleſiam Dei referrem. Non quia cauſam ignoro; ſed tamen querela famoſa eſt: Iuſſos a te Epiſcopus non eſſe, quos condemnare nullus audebat: etiam nunc in Eccleſiaſticis frontibus ſcriptos metallicæ damnationis titulo recenſeri. Adeſt mecum Alexandria tot concuſſa bellis, tantum commotarum expeditionum pauens tumultum. Breuius enim aduerſum Perſiam, quàm aduerſus eam armis certatum eſt. Mutati Præſides, electi duces, corrupti populi, commotæ legiones, ne ab Athanaſio Chriſtus prædicaretur. Taceo de minoribus populis & ciuitatibus, quibus per

E totum Orientem aut terror, aut bellum eſt. Poſtquàm omnia contuliſti arma aduerſus fidem Occidentis, & exercitus tuos conuertiſti in oues Chriſti; refugere nihil ſub Nerone licuit.

a Hilar. contra Conſtant.

QVID EXPROBRET HILARIVS IN CONSTANTIVM.

At tu Paulinum beatę paſſionis virum blandimento ſolicitatum relegaſti, & Eccleſiam ſanctam Treuerorum tali ſacerdote ſpoliaſti. Edictis fidem terruiſti: ipſum vſque ad mortem demutaſti exiliis, & fatigaſti, extra Chriſtianũ quoque nomen relegaſti; ne panem aut de horreo tuo ſumeret, aut de Montani, Maximillæq. antro profanatũ expectaret.] Hæc idcirco Hilarius de Paulino, quòd prius relegatus fuerit in Phrygiã, vbi erant Cataphrygæ hęretici Montani & Maximillæ ſectarij, inde vero ad barbaros amandatus. Tum ſubdit: Mediolanenſem piiſſimã plebem tu furore terroris tui turbaſti: Tribuni tui adierunt ſancta ſanctorum, & viam ſibi omni per populum credulitate pandentes, protraxerunt de altario ſacerdotes. Leuius te putas, ſceleſte, Iudæorum impietate peccaſſe? Effuderunt quidem illi Zachariæ ſanguinem; ſed quantum in te eſt, concorporatos Chriſto, a Chriſto diſcidiſti. Vertiſti deinde ad vſque Romam bellum tuum, &c.] At de rebus aduerſus Liberium geſtis, ſuo loco inferius pluribus.

QVID CONSTANTIVS IN PAVLINVM TREVER. EPISC.

AVXENTIVS IN LOCVM DIONYSII SVBROGATVS. Eiusmodi autem ab Hilario recensitam militum in Ecclesiam grassationem, accidisse putandum, cum, Dionysio eius ciuitatis Episcopo in exilium relegato, ab eisdem Arianis, ope Imperatoris, Auxentius Arianorum deterrimus in illius locum subrogatus est. Sed & Athanasius [a] agens de Episcopis a Constantio in locum Orthodoxorum substitutis, de Auxentio meminit, dum ab ipso exordio tragœdiam repetens, rem luctuosam paucis tamen absoluit his verbis: Ipse omnes qui ante ipsum fuere, sceleribus vicit, nouo excogitato persecutionis modo: et statim, tribus Regibus, Britannione *, Magnentio, & Gallo interfectis, tutelam impiæ religionis suscepit, & vt gigas contra Altissimum arrogantia sese efferre ausus est, & rationes mutandæ legis excogitauit, dissoluens Christi & Apostolorum instituta, moresq. Ecclesiæ inuertens; et ex locis peregrinis cum satellitio militari Episcopos ad populos inuitos submittit, qui pro mutua inuicem cum populo notitia minas secum deferunt, & diplomata ad Iudices. Ita enim Georgium Cappadocem Alexandriam, ita Germinium e Cyzico Sirmium, ita e Laodicea Nicomediam Cecropium misit; ita Auxentium, delatorem potius, quàm Christianum, e Cappadocia Mediolanum amandauit, vt expulso inde ob suam in Christum pietatem Dionysio viro religioso, eum ibi Episcopum constituat, hominem ne Romanæ quidem linguæ, sed tantummodo hæreseos peritum.] hæc de Auxentij genere & impietate Athanasius. A B

a Athanas. ad solitar.

* Vetranione

AVXENTII PRIMORDIA. Ceterum Auxentij perfidiam pallio Catholici nominis Mediolani contectam cum S. Hilarius aperta luce detegit, eius institutionem recolit, dicens [b]: Negat quoque Auxentius se scire Arium; cum in Alexandria, in Ariana Ecclesia, cui Gregorius præerat, presbyter esse cœpisset.] Callidus enim serpens Auxentius, quòd sciret populo Mediolanensi perosam Arianam esse doctrinam, & nomen quoque Arij execrabile, astute admodum hæresin diu studuit occultare, sicq. aureo calice Babylonias blasphemias eiusdem Arij propinauit; cum tamen vix paucos aliquot sibi inuenerit obsequentes: nam longe maior erat numerus eumdem exhorrentium & detestantium: cuius tempore Ecclesia Mediolanensis diris est exagitata turbinibus, & vehementioribus fluctibus agitata ex flatu auræ Constantij in Auxentij gratiam omnia commouentis. C

b Hilar. contra Auxent.

LITTERAE LIBERII PAP. AD EPISCOPOS CONFESS. Proscriptis igitur ex diuersis prouincijs Occidentalis Ecclesiæ sacerdotibus, missisq. in exilium Episcopis insignioribus illis, qui in Athanasium subscribere recusassent: Liberius Romanus Episcopus, cum quæ in eos gesta fuissent, accepisset, mox ad eos hasce litteras dedit [c]:

c Extant inter Acta Euseb. Episc. Vercellens.

Quamuis sub imagine pacis humani generis inimicus vehementer in membra Ecclesiæ videbatur esse grassatus: vos tamen, acceptissimi in Domino sacerdotes, egregia & singularis fides & hic probabiles Deo ostendit, & etiam ad futuram gloriam martyres designauit. Quo itaque præconio laudis, qua vocis exultatione merita virtutis vestræ proferam, positus inter mærorem absentiæ vestræ, & gaudiū gloriæ? Prorsus inuenire non possum: nisi quòd scio, hinc me probabiliora vobis solatia exhibere, si credatis me vobiscum in exilium esse detrusum. Denique me in ipsa nunc expectatione pendentem, quia consortio vestro dura necessitas interim distrahit, satis contristor. Optarem enim, fratres carissimi, prior pro omnibus vobis impendi, vt exempla gloriæ per me magis vestra dilectio cōsequeretur. Sed fuit hæc palma meritorum vestrorum, vt priores de perseuerantia fidei ad confessionis illustrem gloriam veniretis. D

Quæso igitur dilectionem vestram, vt me præsentem vobiscum esse credatis: vt intelligatis dolere satis, quòd sim interim a vestro consortio separatus. Quantam denique fueritis gloriam consequuti, hinc magis scire potestis, quòd qui in persecutione coronati sunt, solius persecutionis cruentos gladios sentire potuerunt: contra vos deuoti per omnia Dei milites, etiam falsos fratres inimicos experti, victoriam de perfidis pertulistis: quorum quanto violentia in sæculo crescere potuit, tanto sanctis sacerdotibus præmia laudis inueniuntur conferre. Estote itaque de promissione cælesti securi. Et quia proximiores estis Deo effecti, orationibus me vestrum consacerdotem famulum Dei ad Dominum subleuate; vt superuenientes impetus, qui de die in diem cum annunciantur, grauiora vulnera infligunt, tolerabiliter ferre possimus: vt inuiolata fide, saluo statu Ecclesiæ Catholicæ, præmia nobis Dominus dignetur afferre. E

* congressione Et quia cupio quæ gesta sunt in ipsa congregatione * fidelius scire: obsecro sanctitatem vestram, vt vniuersa litteris intimare dignemini; vt additamentum maius vel ipse animus, qui diuersis morbis, vel vires corporis ipsius, quæ iam extenuatæ sunt, de vestra exhortatione possint sentire.] et alia manu: Deus vos incolumes custodiat.] hactenus Liberij epistola ad exules Episcopos, & quidem ad confessores omnes Encyclica, pluribus exemplaribus diuersis in locis exulantes conscripta: nam apud Acta Eusebij Vercellensis, ad Eusebium ipsum tantum habetur inscripta: in codice autem Vaticano,

A cum ad ipsum, tum ad reliquos Episcopos exules, Dionysium, Luciferum, & alios omnes, data legitur.

At paulo post hanc scriptam epistolam, hoc anno, ipse Liberius, Constantij Imperatoris litteris ad Leontium Præfectum Vrbi conscriptis, Mediolanum mitti præcipitur: id quidem Ammianus [a] Marcellinus sub huius anni Consulibus narrat his verbis: Hoc administrante Leontio, Liberius Christianæ religionis Antistes a Constantio ad Comitatum mitti præceptus est, tamquam Imperatoris iussui, & plurimorum scitis per consortium decretis (nempe conciliabulo Arianorum) obsistens, in re, quam breui textu percurram.] refert auctor, licet Ethnicus, & rerum nostrarum ignarus, ac proinde secundum vulgi, immo potius Arianorum rumorem, causam cur Liberius Mediolanum iussus sit proficisci: ac propterea haud omnia ita vera sunt quæ de Athanasio narrat, dum ait:

LIBERIVS PAPA VEXATVR A CONSTANTIO.

a Ammian. Marcell. lib. 15.

B Athanasium Episcopum eo tempore apud Alexandriam vltra professionem altius se efferentem, sciscitariq. conatum externa (vt prodidere rumores assidui) cœtus in vnum quæsitus eiusdem loci multorum, Synodus (vt appellant) remouit a sacramento, quod obtinebat. Dicebatur enim fatidicarum sortium fidem, quæve, augurales portenderent alites, scientissime callens, aliquoties prædixisse futura. Super his intendebantur ei alia quoque a proposito legis abhorrentia, cui præsidebat. Hunc per subscriptionem abiicere sede sacerdotali, paria sentiens ceteris, iubente Principe, Liberius monitus, perseueranter renitebatur; nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas vltimum, sæpe exclamans, aperte scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum: tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ Vrbis Episcopi, firmari, desiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato, Liberius ægre, populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate, noctis medio potuit asportari. Et hæc quidem Romæ, vt ostendit textus superior, agebantur.] hactenus de his Ammianus, breuiter quidem, sed quantum licuit externo homini nostra referre. Præstat autem, vt hanc ipsam de Liberio historiam ab Athanasio integre illam prosequente accipiamus, qui ait [b]:

DE ATHANASIO QVID AMMIANVS.

C

b Athanas. ad solitar.

Ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt, nulla reuerentia ducti, vel quòd sedes ista Apostolica esset, vel quòd Roma metropolis esset Romanę ditionis, vel quòd eos Apostolicos viros in suis litteris appellassent; sed omnia simul miscentes, æque omnium obliuiscebantur; neque quidquam illis curæ, nisi sola impietas fuit. Nam cum Liberium vidissent Orthodoxum, & osorem quidem Arianæ sectæ, studiosum vero in hoc, vt cunctos ab ea hæresi retraheret: ista secum impij cogitarunt: Si Liberium in nostram sententiam traxerimus, omnes breui superabimus. Rem igitur ad Imperatorem deferunt: ille autem sperans, per Liberium omnes se posse attrahere, mittit eunuchum quemdam Eusebium (hic erat præfectus cubiculi) cum litteris & donis ad eum, vt donis quidem blandiretur, litteris autem minaretur.

PERSECVTIO IN LIBERIVM PAPAM.

D

Profectus igitur Romam spado, primum incitabat Liberium, vt contra Athanasium subscriberet, & cum Arianis communicaret: id enim Imperatorem velle, & pro imperio iubere. Deinde munera ostentans, verbis instabat, manuque Liberij apprehensa, ita loquutus est: Obtempera Regi, & ista accipe. Episcopus contra verbis quærebat: Quo modo hoc contra Athanasium posset fieri? Quem enim (inquiens) non vna, sed iam altera Synodus probe ab omni crimine liberum pronunciauit, & Romana Ecclesia cum pace dimisit (datis nempe illi pacificis litteris, iisdemq. communicatoriis) quo modo poterimus condemnare? Aut quis nos probaret, si quem præsentem dileximus, & habuimus in nostra communione, eumdem E absentem auersemur? Non ita se habet Ecclesiasticus canon; neque vmquam accepimus talem a Patribus traditionem, quam ipsi a beato & magno Apostolo Petro acceperunt.

EVSEBIVS EVNVCHVS QVID IN LIBERIVM.

Quòd si omnino Imperator curam suam pro Ecclesiastica pace interponere quærit, aut si scripta a nobis pro Athanasio deleri iubet: deleantur quoque ea quæ contra illum scripta sunt; fiatque deinde Ecclesiastica Synodus longe a Palatio, vbi nec Imperator præsto est, nec Comes se ingerit, nec Iudex minatur, & vbi solus timor Dei ad omnia sufficit, & Apostolorum institutio; vt eo in loco ante omnia Ecclesiastica fides asseratur, quemadmodum a Patribus definitum est in Nicæno Concilio: iique qui Arianæ sententiæ sunt, eiiciantur, & eorum hæresis anathemate damnetur; ac deinde iudicium de Athanasio fiat, aut si quis alius reus agitur: et quod ab ipsis iussum est; quotquot noxii reperti fuerint, eiiciantur; quotquot autem puri, reatu absoluantur. Non enim fieri potest, vt locum in Synodo habeant, qui fide impii sunt: neque fas est, prius quæstionem de factis alicuius, quàm de fide religionis haberi: primum enim omnis fidei

discordia rescindenda est, & tum quæstionem de negotijs fieri oportet. Nam & Dominus noster Iesus Christus non prius sanabat ægrotos, quàm vbi ostendissent, & proloquuti fuissent, quam fidem in ipsum haberent. Hæc a Patribus didicimus: hæc renuncia Imperatori; siquidem ea ipsa & illi vtilia sunt, & Ecclesiam ædificant. A

OBLATIONEM INFERT IN BASILICAM S. PETRI ARIANVS HOMO.

Eunuchus autem tristis, non rantopere quòd non subscripsisset, quàm quòd eum hæresi infestum reperiebat, oblitus sui, quòd coram Episcopo staret, magnis minarum denunciationibus iactis, cum muneribus suis domo egreditur, & facinus designat, quod a moribus Christianorum abhorret, & quod audacius est quàm pro spadone: imitatus quidem Saulis præuaricationem, tẽplum Apostoli Petri ingreditur, ibique ea ipsa dona consecrauit. Quod cum rescitum esset a Liberio, magnopere increpuit custodem loci, quòd id non prohibuisset. Ipse deinde progressus, dona illa vt victimam illicitam proiecit. Quæ res longe adhuc magis spadonis iram commouit. Imperatorem igitur his verbis irritat: Non iam nobis curæ esse debet, vt Liberius subscribat, sed potius quòd in hæresin tam male affectus est, vt qui nominatim Arianos anathemate damnet. Eodem & ceteros quoque spadones prouocat: plerique enim apud Constantium, vel potius omnes eunuchi sunt, omniaq. apud illum possunt, & sine illis nihil ibi rerum agitur. B

MANDATVR VT LIBERIVS ABDVCI ROMA AD IMP.

Scribit igitur Imperator Romam: rursumq. Palatini & Comites emittuntur, & litteræ ad Præfectum, vt Liberium aut per dolum e Roma subductum in castra ad se mitterent, aut vim in eo persequendo adhiberent. Quibus scriptis, statim per Vrbem ingens terror & insidiæ increbrescebant. Quot igitur familijs minæ denunciatæ sunt? Quot & ad quot ædes mandata contra Athanasium data? Quot, istis conspectis, Episcopi sese in latebras abdiderunt? Quot liberi homines ruti latuerũt ob calumnias Christi perduellium? Quot deuotariis insidiæ factæ sunt? Quot ibi commorantes, et iam fixum domicilium habẽtes, in fugam compulsi sunt? Quoties, & quanto studio portus, aditusq. portarum custodierunt, ne quis Orthodoxus ingressus Liberium videret? C

EVNVCHI SVB CONSTANTIO QVANTA AVDEANT.

Cœpit tunc Roma experimentum Christi perduellium: cognouit tandem quod antea non credebat, quo modo ecclesias in singulis vrbibus euastassent. Eunuchi erant, qui ista & reliqua in omnes mouebant. Et quod in istis insidiis mireris, Ariana hæresis abnegans Filium Dei, præsidium sibi ex eunuchis comparabat, hominibus, vt natura, ita & animo, ad gignendum sterilibus; et qui proinde ægre patiuntur, vllam mentionem de sobole fieri. Atqui Aethiopicus[a] eunuchus cum non caperet quæ legebat, credidit Philippo de Saluatore docenti. Constantii eunuchi contra, ne Petri quidem de filio confessionem sustinent; immo quem Pater declarat sibi esse Filium, auersantur; tabiuntque cõntra eos qui illum dicunt genuinum Filium ex Patre. Ideo lex vetuit eunuchos in Concilium Ecclesiasticum assumi: atqui illi nunc Ecclesiasticorum iudiciorum principes reputantur; et quod ipsis videtur, Constantius iudicat; atque istiusmodi rebus, qui nomen Episcopi ferunt, inseruiunt. Me miserum, quis hanc historiam describet? Quis ista renunciabit generationi alteri? Quis ista narranti fidem habebit? Spadones, quibus domorum gubernacula vix creduntur (voluptuarium enim & nequam hoc genus hominum, quibusq. nihil tam curæ est, quàm quod ipsis natura negauit) illos nunc Ecclesiis dominari? his ergo deditus & obnoxius Constantius, omnibus insidias molitus est, & Liberium in exilium eiecit. Et cum multus esset in scribendo Romam, multusq. in minis denunciandis, Legaris mittendis, insidiisq. parandis, etiam Alexandriæ persecutionem mouit.] eodem plane tempore, quo hæc aduersus Liberium Cõstantius scribebat, in Alexandrinam Ecclesiam, dirissimam persecutionem præparauit. sed subdit Athanasius: D

a Act. 8.

QVID LIBERIVS PAPA CORAM CONSTANTIO.

Trahitur ergo Liberius ad Imperatorem: quo cum peruenisset, magna quoque & ibi libertate dicendi vsus est: Define, inquiens, persequi Christianos: Ne tenta per me hæreticam impietatem in Ecclesiam introducere. Ad omnia potius sustinenda parati sumus, quàm nos Christiani eo deueniamus, vt Ariani appellemur. Ne cogas nos fieri Christi perduelles. Hoc tibi suademus, ne pugnes contra eum, qui tibi hoc Imperium dedit: ne pro gratia impietatem illi refetas: ne persequere illos, qui in eum credunt; ne & tu etiam audias: Durum[b] est tibi contra stimulum calcitrare: atque vtinam sic audias; vt & tu quoque, quemadmodum Paulus, credas. Ecce præsto sumus, venimus antequàm causam aliquam contra nos fingerent. Ideo enim iter accelerauimus certi de exilio, in quod ad te mittendi sumus, vt ante obiectum crimen, supplicium patiamur; quo omnibus euidentius constet, teliquos omnes eodem modo, quo nos, afflictos esse, causasq. ipsis crimini datas, fictas fuisse ab inimicis, & omnia in illos per sycophantiam esse tentata, nihilq. ibi, nisi mendacia versata fuisse. Ita tunc Liberius loquutus, omnibus admirationi erat. E

b Act. 9.

Cæsar

A Cæsar contra, pro responsione danda, nihil aliud quàm imperiis & exiliis vtebatur, singulosque a se inuicem distraxit, quod & in aliis prius fecerat: quam formam in exiliis obseruauit; vt se in suppliciis immaniorem superioribus tyrannis & persecutoribus ostenderet. Nam in superiori persecutione multos confessores in commune simul exilium ire, Maximianus iussit, & supplicium leuius fecit mutuæ præsentiæ consolatione: hic autem illo crudelior, eos qui simul libere loquuti erant, & confessores se præstiterant, vnaque fide copulati erant, ne vel in morte mutuo aspectu fruerentur, a se inuicem diuulsit; arbitratus corporum separationem omnino etiam animorum affectus distinere, aut ipsos loco disiunctos, & concordiæ mutuæ vnanimitatisque oblituros; ignorans, quamuis singuli ab aliis distarent, illos tamen secum habere, quem in commune, cum simul erant, confitebantur, Dominum Iesum Christum, qui singulis longe plures associauit (vt in Propheta Eliseo fecit) quàm milites sunt circa Constantium. B Sed reuera cæca res malitia: eo enim ipso, quo putabant vexare confessores, cum eos a se inuicem diremerunt, magnopere ipsi sese læserunt. Nam plane si consociati fuissent, ex vno tantummodo loco impietatis odium promanasset: nunc quia eos separarunt, id egere, vt per omnia loca ipsorum impia hæresis & malitia in notitiam veniret, & diuulgaretur.] hactenus de Liberio Athanasius: quæ autem his subdit, antea, quo tempore contigerunt, relata sunt. Cum vero hac ipsa narratione idem dicat, ad verba Liberij nihil aliud Constantium respondisse, nisi imperia atque exilia: præteriisse eum apparet integra illa Acta publica a Notariis tunc excepta de rebus coram Imperatore inter ipsum atque Liberium transactis, quæ his verbis a Theodoreto [a] fideliter per dialogismum, vt gesta sunt, recitantur:

Constantius deterior cæteris persecutoribus.

a Theodoret. lib. 2. c. 16.

Dialogus inter Liberium et Constantium.

Imperator Constantius: Nos, quoniam Christianus es, & nostræ ciuitatis Episcopus, idcirco duximus operæpretium te accersere, hortarique vt communionem nefariæ impij Athanasij C dementiæ repudies: nam hoc recte se habere, censet totus terrarum Orbis, & eum sententia Concilij ab Ecclesiastica communione segregandum iudicauit. *Liberius Episcopus*: Iudicia quidem Ecclesiastica, o Imperator, summa cum æquitate fieri debent. Quapropter si tuæ clementiæ ita visum sit: iudicium haberi iubeto. Et si Athanasius videatur damnationē commeruisse: tum sententia, prout ordinis Ecclesiastici formula postulat, contra eum pronunciabitur. Nam fieri non potest, vt quemquam condemnemus, de quo non factum sit iudicium. *Constantius*: Totus terrarum Orbis non de eius impietate solum, verum etiam quòd semper tempus ludere conatus est, sententiam tulit.

Liberius Episcopus: Qui eius damnationi subscripserunt, non res gestas oculis ipsi aspexerant: sed hoc est ab alijs factitatum, vel quòd gloriam abs te assequi, vel quòd metu perculsi, vel denique quòd infamiam extimescere viderentur. *Constantius*: Quid est, quæso, gloria, D quid metus, quid infamia? *Liberius*: Qui gloriam Dei non amplexantur, sed tua munera ei prætulerunt, hi hominem absque iudicio condemnabant, quem numquam oculis vidissent: quod est a Christianorum officio plane alienissimum. *Constantius*: Atqui in Concilio Tyri celebrato, de Athanasio, cum ipse præsto adesset, iudicium factum est: et omnes Orbis terrarum Episcopi, qui in eo Concilio aderant, eum condemnauerunt. *Liberius Episcopus*: Numquam sane de eo præsente iudicium exercebatur. Nam Episcopi qui ibi conuenerant, illum tum condemnabant, cum e consessu egressus fuerat: & certe temere atque inconsulto condemnabant.

Hoc loco Eusebius eunuchus: Athanasius, inquit, alienus a fide Catholica in Concilio Nicæno declaratus est.] insanit plane homo: et ob eam causam, puto, ad hæc non respondit Liberius, tam insigne mendacium responsione minime dignum existimans. Potuit fortasse E petulanti eunucho inde nasci occasio errandi, vt quòd audisset damnatum in Nicæno Concilio Athanasium Anazarbenum, de Alexandrino putauerit intelligendum: at ille collega intimus fuit Arij, hic vero accerrimus oppugnator eiusdem hæresiarchæ. Sed post hæc Liberius: Quinque tantummodo, qui cum eo vna nauigarant, in Mareote iudicium de eo fecerunt, quos quidem aduersarij eius eo miserant, vt contra eum reum factum commentarios contexerent: atque ex illis qui missi erant, duo exierunt e vita, Theognis nimirum & Theodorus; reliqui tres, hoc est Mares, Valens, & Vrsacius, etiam num supersunt: de quibus ad eamdem rem missis, in Cōcilio Sardicensi sententia de hac controuersia lata est: qui etiam in eodem Concilio libellos supplices dederunt, postulaueruntque veniam pro eo, quòd commentarios vnius partis suffragiis per calumniam contra Athanasium in Mareote confecerant; quos libellos iam habemus in manibus. Vtris istorum, Imperator, nobis credendum, communicandumque est? illis ne, qui primo eos condemnarunt, secundo autem veniam petierunt; an his, quorum iam sunt condemnati sententiis?

Procax Eusebii calumnia et mendacium portentosum.

Hic

EPICTETVS EPISC. ARIANVS QVID IN LIBERIVM.

Hic tum Epictetus Episcopus: Non fidei, inquit, causa, Imperator, hodie, neque iudiciorum Ecclesiasticorum faciendorum studio adductus Liberius hũc instituit sermonem; sed quo possit apud Senatores Romanos gloriari, se rationibus Imperatorem superasse. *Constantius*: Tanta ne Orbis terræ pars, Liberi, in te residet, vt tu solus homini impio subsidio venire, & pacem Orbis ac Mundi totius dirimere audeas? *Liberius*: Esto quòd ego solus sim: non tamen propterea causa fidei fit inferior. Nam olim tres solum erant reperti qui Regis mandato resisterent. Tunc Eusebius Eunuchus: Tu, inquit, Imperatorem facis alterum Nabuchodonosor? *Liberius*: Minime sane: sed non minus temere tu hominem condemnas, de quo nullum factum sit iudicium, quàm ille olim. At ego æquum censeo, vt prius proponatur generalis Episcoporum subscriptio, qua fides in Concilio Nicæno exposita confirmatur: deinde vt fratribus nostris ab exilio reuocatis, & ad suas ipsorum sedes restitutis; si isti, qui nunc tumultus cient, fidei Apostolicæ assentire comperiantur; tunc omnes contendamus Alexandriam, vbi reus, vbi accusatores, & causæ eorum patroni sunt: atque litigantium causa diligenter cognita, sententiam de ea pariter feramus. B

LIBERII MAGNANIMITAS.

Epictetus: At ad Episcopos eo conuehendos equi, iumenta, & rhedæ, quibus cursus publicus confici solet, non satis erunt. *Liberius*: Negotia Ecclesiastica publicam vecturam non desiderant: quandoquidem Ecclesiæ Episcopos suos a mari vsque ad mare deducendi satis habent facultatum. *Constantius Imperator*: Res, de quibus constituta est formula, infringi nequeunt: siquidem plurium Episcoporum rata debet esse sententia. Tu solus impij illius amicitiam complexaris. *Liberius*: Numquam auditum est, Imperator, reo absente, iudicem de impietate ac scelere sententiam pronũciasse, quasi priuatum odium in hominem exerceat. *Constantius*: Etsi omnes communiter, me tamen maiore quàm ceteros affecit iniuria: nam non contentus est post fratris nostri maioris natu Constantini internecionem, sed beatæ memoriæ Constantem minorem natu fratrem numquam cessauit ad inimicitias nobiscum suscipiendas incitare: quod sane factum fuisset, nisi nos æquiore animo & incitantis bilem tulissemus. Quare præclaram illam victoriam de Magnentio & Siluano partam non tanti facerem, quanti istius ab Ecclesiasticarum rerum administratione abdicationem. C

Liberius: Noli per Episcopos tuas vlcisci inimicitias: nam virorum Ecclesiasticorum manus sanctificationi vacare debent. Quapropter si placet, iube Episcopos ad proprias sedes restitui. Atque si videantur cum eo, qui etiam iam rectam veramque fidem in Nicæno Concilio expositam tuetur, consentire: tum in vnum conuenientes, paci Orbis terræ prouideant: perficiantque, vt non compertum sit aliquando, hominem, qui non deliquerit, damnatum esse. *Constantius*: Vnum est, quod quæritur: Volo vt tu Ecclesiarum communionem amplectaris, & deinde Romam redeas. Proinde consule paci, subscribe, vt Romam reuertaris. D *Liberius*: Iam fratres, qui Romæ sunt, valere iussi. Nam leges Ecclesiasticas obseruare, pluris faciendum censeo, quàm Romæ habere domicilium. *Constantius*: Itaque trium dierum spatium tibi ad deliberandum concedimus, vtrum subscribere volueris, & ita Romam redire: an tecum constitueris, quem ad locum transferri placeat. *Liberius*: Spatium trium dierum, aut mensium, rationem non mutat: quare mitte me quo lubet. *Constantius*: Post biduum cum iudicium actum fuerit de Liberio, si consilium non mutet, exulet velim vsque Berœeam Thraciæ.

RESPVIT ARIANI IMP. MVNVS LIBERIVS.

Liberio inde decedenti Imperator misit in sumptum quingentos aureos. Liberius autem ei qui attulerat, dixit: Abi domum, & istos ipsos aureos redde Imperatori; siquidem eis opus habet ad militum stipendia. Imperatrix itidem misit ei totidem: quos, eum qui apportauerat, iubet quoque Imperatori tribuere: Sunt enim, inquit, illi ad militarem expeditionem E necessarij. quòd si is eorum non indigeat; det Auxentio & Epicteto: nam illi eisdem egent. Postea vero quàm istos recusauerat aureos accipere, Eusebius eunuchus alios ei affert. Ad quem Liberius: Tu, inquit, Ecclesias Orbis terræ expilasti: et iam mihi, vt damnato, egentiq. affers eleemosynam? Abi primum, & Christianus ipse fias. Ac triduo confecto, Liberius nulla accepta pecunia, in exilium mittitur.] hucusque Acta Liberij cum Constantio. subdit Theodoretus [a]: Iste strenuus veritatis propugnator & victor illustris Liberius, in Thraciam, sicut erat ei imperatum, recta contendit.] quæ autem postea illi contigerint, suo loco dicemus.

a Theodoret. lib. 2. c. 17.

LIBERIO IN EXILIVM MISSO FELIX DIAC. SVBROGATVR.

Sed quod magnæ admirationis est: reueriti Ariani & ipse Constantius Romanæ Ecclesiæ maiestatem; non sicut in aliis fecerant ciuitatibus, e quibus Catholicis expulsis Episcopis, Arianos in locum ipsorum subrogauere, licet e regione remotissima accersitos, vt Gregorium Cappadocem Alexandriæ, & Auxentium pariter Cappadocem Mediolani: sed amandato in exilium

A exilium Liberio, Felicem Romanæ Ecclesię diaconum in locum ipsius sufficiunt, id ipsum operante Acacio Episcopo Cæsariensi, de quo ita Hieronymus [a]: In tantum autem sub Constantio Imperatore claruit, vt in Liberij locum Romæ Felicem Episcopum constitueret.] hæc Hieronymus. Quòd autē in aliquibus codicibus errore additū Felici reperiatur nomen Arianum: exploditur illa lectio, & redarguitur ex antiquioribus codicibus, & Græco Sophronij textu: quod alij quoque complures obseruarunt. secundum quam germanam lectionem, idem S. Hieronymus, ab Arianis substitutum Felicem, non autem ipsum Arianum fuisse, habet in Chronico.

a Hieronym. de script. Eccles. in Acacio.

Sed & sententiæ de Orthodoxa fide Felicis adstipulatur Theodoretus [b], dum ait: Successum est Liberio a fideli quodam illius diacono, nomine Felice: qui tametsi fidem in Nicæno Concilio expositam ipse seruauit integram, tamen cum illis qui eamdem labefactare studebant, libere communicauit: ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiam, dum B ille intus erat, ingredi voluit.] hæc ipse: sed & addit Sozomenus [c]: Romanæ Ecclesiæ Episcopatui præficitur Felix illius cleri diaconus, quem aiunt fidei Concilij Nicæni semper consensisse, & omnino quantum ad religionem pertinebat, reprehensione caruisse, atque ob id solum in crimen vocatum esse, quòd non modo Arianos ministros Ecclesiæ ordinaret, verum etiam quòd eorum communione vteretur.] ista Sozomenus. Sic & intelligendum est, quod ait Socrates [d], fuisse Felicem Arianæ sectæ addictum, nimirum quòd illis communicaret, & ex eorum voluntate (quod Liberius facere renuisset) in Athanasium sententiæ subscripsisset.

b Theodoret. lib. 2. c. 17.
FELIX CATHOLICVS, NON ARIANVS.
c Sozom. lib. 4. c. 10.
d Socrat. lib. 2. c. 29.

Sed quid ante hos Græcos omnes Ruffinus [e]? In Liberij locum, inquit, Felix diaconus suus ab hæreticis subrogatur, & non tam sectæ diuersitate, quàm communionis & ordinationis conniuentia * maculatur.] Atqui repugnare hæc videntur inter se, quòd scilicet Felix fuerit C Liberij diaconus, & idem Arianus extiterit: quonam modo enim, quæso, passus fuisset Liberius, auersatus semper Arianum nomen, ministrare sibi Arianū diaconum? Nisi quis Ruffino, verbis parum recte loquenti, illam sententiam potius accommodandam putarit, vt sic dicere voluerit; non ita sectæ diuersitate Felix, sicut communione cum illis inita, & ordinatione ab eis accepta, maculatur.

e Ruffin. lib. 1. c. 22.
* conuenientia

Athanasius vero de subrogatione Felicis agens sic ait [f]: Hoc ministro (nempe Epicteto) vtens, incredibile facinus Constātius designauit, & quod vere referat imaginem Antichristi, vt qui in locum Ecclesiæ Palatium suum succedere voluerit, & pro conuentu populi, & iure Comitiorum, tres eunuchos præsentes esse iusserit, tres item κατασκόπους, hoc est exploratores (non enim Episcopos dixeris) vt ipsi Felicem quemdam Episcopum in Palatio crearent, dignum profecto talibus suffragatoribus. Ceterum populi omnes, cognita hæreticorum pra-D uitate, non permisere eos in Ecclesiam intrare, proculque ab eis recesserunt.] hæc Athanasius. Cum vero Felix, etsi fide Catholicus, Arianorum tamen communione pollutus, a tribus Arianis Episcopis in ordinatione manus impositionem acceperit, viuente adhuc legitimo, eodemque confessionis gloria celebri, Liberio Romanæ Ecclesiæ Episcopo, fidei causa exilium passo: nihil est quòd esse vel dici eius Ecclesiæ potuisset Episcopus, licet sic appellatus esset a suis suffragatoribus Arianis: cum alioqui, neque si a Catholicis ordinatus esset, Pontifex Romanæ Ecclesiæ nominari debuisset, superstite legitimo eius sedis Antistite, de cuius ordinatione in controuersiam ne ab hostibus quidem calumniantibus aliquid adduci potuisset. Vnius enim Ecclesiæ vnum tantum esse caput oportet; cui si alterum addas, horrendum monstrum profecto erit.

f Athanas. epist. ad solitar.
ORDINATIO FELICIS FACTA AB ARIANIS.

Cum igitur, Hieronymi sentētia, constet Felicem ab Acacio Arianorum principe electum E esse; & Athanasij testificatione, Epicteti molitione a tribus Arianis Episcopis ordinatum, idque Ruffini quoque assertione firmetur; sed & Socratis auctoritate liqueat, ab Vrsacio ad eum dignitatis gradum electum: haud subsistere posse videntur, quæ de Felicis ordinatione habentur in libro de Romanis Pontificibus, titulo Damasi, falso adscripto; nempe Felicem substitutum in locum Liberij a Concilio sacerdotum, vel quod aliter legitur, procurante Liberio. Certe quidem his refragantur citati auctores omnes, quos coniectura etiam vehemēs illa sequitur. Quis enim sibi persuadeat, tantam rem ab Arianis concessam Catholicis sacerdotibus, vel ipsi Liberio; cum (vt dictum est) ijdem, quos scirent sibi communione non iungi, ab Ecclesia pellerent, & ex sua ipsorum sententia alios subrogarent? Sed vtcumque demus id ab Arianis esse Catholicis datum, vt e Catholicis aliquis, & e Romanæ Ecclesiæ clericis, in locum Liberij exulantis, administraret Romanam Ecclesiam: quonam titulo dicere possumus Felicem in locum Liberij substitutum? Non certe Romanum Episcopum, superstite adhuc, atque Romanum Pontificem agente Liberio, & amplissimam dignitatem clarissimo gloriosæ confessionis

FELIX, EXISTENTE PONTIFICE LIBERIO, NON POTVIT ESSE ROM. EPISC.

confessionis titulo illustrante: quamobrem siue a Concilio sacerdotum, siue procurante Libe- A
rio, siue simul suffragantibus Cõcilio atque Liberio, non nisi Corepiscopus Romanæ Ecclesiæ
potuit Felix esse delectus, nec ei a Catholicis valuit titulus Episcopatus conferri, viuente ad-
huc & Episcopi agente eiusdem Ecclesiæ Romanæ ipso Liberio, ne vnius Catholicæ Ecclesiæ
duo essent Episcopi, & vnius corporis duo capita turpiter eminerent. Nihil ergo felicius Fe-
lici potuit contigisse, quàm si a Catholicis tunc delectus fuerit Romanæ Ecclesiæ Corepisco-
pus, cum nullus hoc maior titulus esset, qui superstite ipso Romano Pontifice potuisset illi con-
ferri. Quòd si dixerimus cum S. Athanasio sui temporis res accurate scribente, cum ad suam
omnia hæc causam spectarent, & cum aliis omnibus citatis auctoribus, Felicem in locum Li-
berij subrogatum atque ordinatum Romanum Pont. ab Arianis Episcopis: nullæ prorsus po-
tuerunt eius ordinationis esse vires. hactenus de ordinatione Felicis. At quonam modo mu-
tatæ sint rerum vices de Felice atque Liberio, suo loco opportunius dicturi sumus. B

EPICTETVS EPISCOP. CENTVMCELL.

Quod autem ad Epictetum spectat, recens emergentem factiosissimum Arianum, quem
tam audacter coram Constantio aduersus Liberium interloquutum vidimus, & eius factione
ab Arianis Felicem substitutum fuisse, Athanasius tradit: Fuit hic Episcopus Centumcellen-
sis, de quo mentio est apud Marcellinum presbyterum schismaticum in commentario de
schismate Vrsicini, eumque sæuissimum Arianorum fuisse testatur, de quo plura inferius di-
cturi sumus; vt plane consentiat iis, quæ ab Athanasio de eodem narrantur; cum agit de Epi-

a Athanas. epist. ad solitar.

scopis ordinatis per Constantium ab Arianis, atque ait [a]: Deinde repertum quemdam Epi-
ctetum neophytum hominem, iuuentute ferocem, audacem, in amoribus Constantius ha-
bet, eo quòd eum ad omnia scelera promptum alacremque conspiceret; eiusque opera Epi-
scopis, quibus velit, insidias struit: nihil enim est, quod ille grauetur facere, modo Impera-
tori placeat.] hæc Athanasius; qui & alibi cum de ipso, tum de aliis eius in impietate colle- C
gis sic habet [b]:

b Athanas. orat. 2. Aduers. Arianos.

DESERTORES FIDEI HONORABANTVR EPISCOPATV.

Iam de Cecropio (hic erat Episcopus Nicomediæ) Auxentio, & Epicteto hypocrita, su-
perfluum est dicere: cum omnibus liqueat, quo modo, ob quas causas, & per quos inimicos
Ecclesiæ etiam isti promoti sint, nimirum qui se calumniarum in Episcopos Orthodoxos, qui-
bus insidiæ parabantur, actores, histrionesque præbuerunt. Hi cum essent non nisi in presby-
terij ordine constituti, nec vulgo cogniti haberentur: tamen per impietatem sibi Episcopatus
titulum procurarunt.] In tanta namque rerum perturbatione patebat quibuscumque sce-
lestis aditus ad Episcopatus: simulac enim effecti essent Catholicæ militiæ desertores, &
transfugæ ad castra impietatis, illic inter primos militiæ ordines cooptati, mox, quasi porten-
tum, ex improuiso apparebant Episcopi. Erant hæ ad sectam illecebræ, & quidem potentes
ad alliciendos animos omnium, quorum non esset solidum inconcussumque fidei robur: cum D
contra Orthodoxi traducerentur infamia, proscriptione atque exilio damnarentur. At
quod rursum ad Epictetum pertinet; diuersus hic omnino est ab illo Corinthiorum Episcopo
eiusdem nominis viro, ad quem extat Athanasij epistola; hunc enim, de quo habetur sermo,
Arianum, illum vero Apollinarianum fuisse liquet, de quo suo loco dicturi sumus ex ipso
Athanasio [c], & Epiphanio [d].

c Athanas. ad Epictetum
d Epiphan. hæres. 76.

CONSTANTIVS VEXAT OSIVM EPISC. CORDVB.

Vt autem ad institutam narrationem de Cõstantij persecutione redeamus: tantum abest vt
Liberij exilio ipse fuerit exatiatus, vt maiorẽ inde in ceteros magni nominis Catholicos viros
sæuiendi acerbitatem conceperit: vtpote indignum ratus, audere quemquam vexillum con-
fessionis attollere, signifero ipso Catholici nominis in exiliũ relegato: vehemẽtiore itaque im-
petu furorem suum conuertit in Osium Episcopũ Cordubensem, gloria confessionis illustrem,
& toti Orbi Christiano ob res præclare gestas fama conspicuum, de cuius aduersus Constan- E

e Athanas. epist. ad solitar.

tium certamine hæc Athanasius habet [e]: Tantis & talibus sceleribus factis, nihil omnino ad-
huc se fecisse Ariani arbitrabantur, quamdiu magnus ille Osius eorum malitiam expertus
non esset: nam in eum talem tantumque virum suam rabiem protendere studuerunt: neque
quòd pater esset Episcoporum, reueriti sunt; neque quòd confessor erat, pudore moti; neque
quòd sexagesimum annum & eo amplius a confessione agebat, respexerunt: sed omnia si-
mul vilipendentes, ad solam suam ipsorum hæresin oculos intentos habuere, homines reue-
ra neque Deum timentes, neque hominem verentes.

OSII EPISC. LAVDES.

Adorti igitur Constantium, talibus verbis alloquuntur: Omnia quidem a nobis facta sunt:
profligauimus in exilium Romanum Pontificem, & iam ante eum extorres fecimus quam-
plurimos Episcopos; loca omnia terroribus impleuimus: sed tamen pro nihilo sunt tanta tua
opera, neque quidquam profecimus, quamdiu reliquus est Osius: quamdiu enim ille in suis
agit, omnes in suis Ecclesiis agere videntur: potest ille & verbis, & auctoritate fidei suæ, omnes
contra

A contra nos inducere. Hic princeps est Synodorum; et si quid scribit; vbique auditur: hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos vbique pro hæreticis traduxit. Quòd si ille igitur in suo statu maneat, superuacuũ est cęterorum exilium: hæresis enim nostra cedere cogitur. Incipe igitur & hunc persequi, neque illi ob annos parcendum putes: siquidem hæresis nostra non curat seniorum caniciem.

Auditis igitur istorum verbis, non cunctandum sibi ratus Constantius, vt qui virum nosset, & quantæ auctoritatis senex ille esset: scribit, & edicit, vt ad se veniat, quemadmodum & Liberium initio tentauit. Venientem igitur rogabat hominem, & solitis suis verbis, quibus alios circumuenire pro more habebat, excipit; cohortaturque, vt in nos subscriberet, & cum Arianis communionem haberet. Senex vero eius rei vel auditum ægre ferens, mæstusq. quòd vel tinnitum eorum verborum sentiret, Imperatorem magnis rationibus conterritum de B sententia deduxit: atque ita in patriam suam atque Ecclesiam rediit.

Verum cum Ariani denuo lamentarentur, Imperatorem irritarent; et eunuchi sermonibus seruientes, eum maiorem adhuc in modum exacerbarent: scribit denuo cum minis ad Osium. Ille autem contumeliis quidem afficiebatur, sed tamen ob terrores illos de sententia sua non discessit, & decretum animi constanter retinuit; quippe qui supra firmam petram fidei domicilium suum ædificauerat; et liberrime contra hæresin, imbres & ventos epistolarum minas arbitrans, loquutus est. Subinde igitur Constantio scribente, & nunc quidē blandiente, patremque eum appellante, nunc interminante, & relegatos enumerante, & his verbis eum conueniente: Solus ne etiā num hostis hæreseos manebis? Obsequere, & scribe contra Athanasium: qui enim contra eum scribit, ille plane nobiscum Arianas sententias amplectitur. Nihil ad ista expauit Osius; quin inter contumelias, quas patiebatur, istiusmodi scripsit epistolam, quam ipsi legimus, & ad finem adiecimus. — ITERVM TENTATVR OSIVS.

C Osius Constantio Imperatori S. P. D.

Ego confessionis munus expleui, primum cum persecutio moueretur ab auo tuo Maximiano. Quòd si tu quoque persecutionem moues: etiam nunc ad quiduis potius sustinendum paratus sum, quàm vt effundam innocentem sanguinem, & veritatem prodam. Teque nequaquam probo talia scribentem, & istiusmodi minas denunciantem. Desinas igitur istiusmodi scribere, neque sentias cum Ario, neque audias Orientales, neque Vrsacio & Valenti fidem habeas: quæ enim illi dicunt, non ob Athanasium, sed ob suam hæresin dicunt. Mihi crede, qui tuus auus ætare esse possem. Fui ipse in Sardicensi Concilio, cum tu, tuusque frater beatus Constans nos omnes eo conuocabat; ipseque vltro Athanasij inimicos prouocaui, cum ad Ecclesiam, vbi ego commorabar, aduenissent, vt si quid contra eum haberent, ede- D rent; promisique eis securitatem, neve quidquam aliud expectarent, quàm rectum in omnibus iudicium; idque non semel, sed bis feci. Quòd si nollent rem ab vniuersa Synodo disceptari; saltem me iudice vterentur: promisique etiam, nos Athanasium, si in noxa reperiretur, omnibus modis eiecturos esse. Quòd si innocens deprehendatur, & vos ostenderit calumniatores, & æque illum recusaueritis: ego illi persuadebo, vt mecum in Hispanias veniat. Athanasius autem his conditionibus obtemperauit, nihil contra obloquutus: illi vero ad omnia æque diffidentes, recesserunt. — OSII AD CONSTANTIVM EPISTOLA.

Athanasius deinde tuis litteris accersitus venit in castra tua; omnesque inimicos suos, qui Antiochiæ præsto erant, sigillatim accersiri iussit, vt aut redarguerent, aut redarguerentur; et aut se præsentem commõstrarent, ea fecisse quæ obiecerant; aut ne absentem calumniarentur. Sed ne te quidem hæc ipsis denunciantem sustinuerunt, minime istiusmodi conditiones E admittentes. Cur igitur nunc audis obtrectatores eius? Aut cur toleras Valentis & Vrsacij criminatores, pœnitentia & scripto professos, se calumniam fecisse? Confessi enim sunt suam sycophantiam, non vi adacti, vt ipsi causantur, cum nulli ibi milites incumberent, & tuus frater nesciret. Nihil enim tale sub ipso agebatur, qualia nunc fiunt; sed illi vltro Romam venerunt, & coram Episcopo, presbyterisque ibi præsentibus confessionem suam scripto ediderunt, cum prius pacatas litteras & amicas ad Athanasium dedissent. Quòd si iis libet vim causari, idque pro malo habent, nec a te probatur: omitte igitur & tu violentiam tuam, nec litteras scribe, nec Comites mitte, sed relegatos exiliis libera: ne re de vi querente, maiorem vim illi sub tuo nomine exerceant. Quid enim tale a Constanre actum est? aut quis ibi Episcopus relegatus? aut quando iudiciis Ecclesiasticis interfuit? Aut quis ipsius Palatinus vim adhibuit, vt contra aliquem subscriptio fieret? vt idem Valens cum suis aliquid colligat, habeatque quod obiiciat? — OSIVS DEFENDIT ATHANASIVM.

Desine, quæso, & memineris te mortalē esse; reformida diem Iudicij; serua te in illam diem purum;

OSII CONSTANS ET PIA ADMONITIO. purum; ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis hoc in genere præcipe, sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date (scriptum est [a]) quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Neque enim fas est nobis, in terris Imperium tenere: neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator. Hæc quidem ob curam tuæ salutis scribo, & de iis quæ in epistolis scribis hanc meam sententiam accipe. Ego neque Arianis assideo, neque suffragor, sed eorum hæresin anathemate damno: neque in Athanasium accusationibus subscribo; quem nos, & Romana Ecclesia, & vniuersa Synodus innocentem pronunciauit. Nam & tu quoque cum rem cognitam perspectamque haberes, Athanasium accersiuisti; fecistique ei copiam, vt cum honore in patriam & in Ecclesiam reuerteretur. A

a Matth. 22. Luc. 20.

Quæ igitur causa est tantæ huius mutationis, cum iidem inimici eius sint, qui antea fuerunt? et quæ nunc susurrant, nihil eorum, cum ille præsens esset, hiscere audebant; sed ea, antequàm accerseres Athanasium, obmurmurabant: quo tempore a me conuenti, quemadmodum superius dixi, vt ederent criminum documenta, nihil in medium adducere potuerunt: nam si quidquam potuissent, non ita turpiter aufugissent. Quis te igitur induxit, vt post tantum temporis, tuarum litterarum & sermonum obliuisceteris? Inhibe te, quæso, neque aures præbeas malis hominibus, neque ob mutuas inuicem cum illis gratificationes te ipsum reum facias. Quæ enim eis indulseris, de illis in Iudicio solus cogeris causam reddere: isti suum inimicum per te satagunt iniuria afficere, teque volunt ministrum suæ malitiæ esse, vt per te detestabilem hæresin in Ecclesia seminent. Non est prudentis, in gratiam alienæ libidinis seipsum in periculum certum conijcere. Desine, quæso, & ausculta mihi, Constanti: hoc enim decet & me scribere, & te non vilipendere.] hactenus epistola: subdit Athanasius: Hæc Abrahamicus ille senex, vere Osius, id est sanctus, & sensit, & scripsit. B C

QVID AVLICI IN OSIVM. Ille autem neque insidias de manibus deposuit, neque criminandi occasiones quærere desiit, sed grauius semper minabatur, vt eum vi oppressum in suas partes transferret, aut inobsequentem exterminaret. Sed vt occasionem Duces & Satrapæ Babylonis sedulo quærentes contra Danielē, non inueniebāt, nisi ex causa legis Dei: ita nunc quoque Satrapæ impietatis ne fingere quidem quidquam contra senem potuerūt. Omnibus enim ille notus erat, ac verus pro nomine Osius, hoc est sanctus habebatur, vitaque eius irreprehensibilis, nisi ex odio eius contra hæresin crimen mutuarentur. Calumniabantur igitur eum, sed non vt illi [b] Danielem apud Darium illibenter talia audientem, sed vt Iezabel [c] contra Naboth, & vt Iudæi apud Herodem, his verbis agentes: Non solum non subscripsit contra Athanasium, sed & nos ob Athanasium condemnat, & hæresin tali odio persequitur, vt aliis scribat, melius esse mortem perferre, quàm proditores fieri veritatis. ob hæresin, deinde ait, dilectum fratrem Athanasium persecutionem sustinere, & Liberium Romanum Episcopum, ceterosque omnes insidiis tentari. D

b Daniel. 6. c 3. Reg. 21.

PATINATVR OSIVS AD IMP. Hæc cum audisset impietatis propugnator Constantius Cæsar, & quòd alij essent per Hispanias eiusdem cum Osio sententiæ, quos cum sollicitasset ad subscriptionem, impellere nequiuisset: accersit Osium, & pro exilio detinet illum integrum annum Sirmij, nihil veritus impius nec Deum, nec patris sui, quem erga Osium habebat, affectum; nec senectutē hominis iam centenarij inhumanus ille respexit: omnia namque ob amorem hæresis neglectui habebat nouus ille Achab, & nostris temporibus secundus Balthasar.] hactenus Athanasius: quæ autem post hæc de Osio subdit, suo loco dicemus. E

CLERICI OMNES ET LAICI VEXATI PER SECTIONE CONSTANTII. At Ariani, qui adeo impie exagitabant tam insignes ac nobiles Catholicæ Ecclesiæ Episcopos, nequaquam pepercerunt clericis inferioris ordinis, & laicis Catholicæ fidei professoribus. Nam Constantius, iisdem Arianis impellentibus, ad prouinciarum Rectores litteras dedit, cum mādatis, vt omnes Orthodoxos compellerent communicare cum Arianis Episcopis, quos illi in Catholicorum locum subrogauerant: sciebat enim Orthodoxos clericos & populum eos exhorrescere, & penitus execrari, nullaque cum illis communicatione fieri velle participes. Hæc sciens, & legens S. Hilarius Pictauiensis haud ita pridem Episcopus factus, supplicem libellum ad Constantium Imperatorem dedit hoc ipso anno (vt ex eius contextu apparet) quo cessare iam mala hæc, & Episcopos recens in exilium eiectos restitui, exorauit.

Quàm vero opportune Deus consuluit deploratissimis hisce temporibus, vt Ecclesiæ Gallicanæ tam immani turbine persecutionis exagitatæ, ipso Imperatore Constantio præsentia sua vrgente, & Arianorum antesignanis, ac simul primario Episcopo Galliarum, Arelatense

A Saturnino in eam ſimul conſpirantibus, Hilarium daret Pictauorum Epiſcopum, qui periclitanti fidei præſto eſſet, labanteſque fratres erigeret, ac ſtantes firmius ſolidaret.

Quando autem ipſum contigerit creari Epiſcopum, haud ſatis exploratum haberi poteſt: Quòd vero de eo nulla prorſus mentio habeatur in Conciliabulo Arelatenſi, ex quo nominati Epiſcopi exularunt; quodq. ipſe teſtetur, non niſi a tempore Concilij Biterrenſis ſe cum aliis Epiſcopis Gallicanis ſeparaſſe a cõmunione Saturnini: Hilarium poſt illud conuenticulũ fuiſſe creatum Epiſcopum, opinari quis poteſt. Præcelſa hæc erat in ſilua Gentilium arbor, quam ad magnæ Eccleſiæ vſum ſummus ille architectus aptauit: nam S. Hieronymus propheticũ illud oraculum apud Iſaiam [a]: Gloria Libani adueniet in cypariſſo, pinu, & cedro] Cypriano & Hilario accõmodans ait: Vir ſanctus & eloquentiſſimus martyr Cyprianus, & noſtri tẽporis confeſſor Hilarius, nonne tibi videntur excelſæ quondam in ſæculo arbores, ædificaſſe Eccleſiam B Dei?] ſed & iam prouecta prope ætate factum eſſe Chriſtianũ, illud perſuadet, quòd ipſe teſtatur [b], poſt Philoſophos cognitos, ac vanos deprehenſos, diuinæ ſcripturæ libros perſcrutatum eſſe, atque ex eis veri Dei cultum accepiſſe; veritateq. peruestigata & inuenta, ac perfecte cognita, ſe tandem in claſſem Fidelium per lauacri ſacramentum conieciſſe. Plurimum quidem ad pietatem eidem contuliſſe Heliodorum presbyterum, par eſt crede: nam & eumdem habuit in Græcis litteris conſultorem [c].

HILARIVS CREATVS EPISCOP. PICTAVIENSIS.

a Iſa. c. 60. ſecundum 70.

b Hilar. de Trinit. lib. 1. circa princip.

c Hieron. epiſt. 141.

Redditus vero velut miraculo magno, Fidelium omnium gaudio, Chriſtianus; aliquo temporis ſpatio interlapſo, defuncto Pictauienſis ciuitatis, cuius & ciuis erat, Epiſcopo, miro vniuerſorum conſenſu fuit eius ſedis electus Antiſtes, quãtumlibet (vt auctor eſt Fortunatus) coniugatus eſſet, & filia vna auctus. Cur autem coniugatos contigerit eligi Epiſcopos, rationem reddit S. Hieronymus [d], noſque de his primo Tomo Annalium pluribus egimus, vt opus C non ſit hic eadem repetere. Ceterum ſic electorum ea ex legibus Eccleſiaſticis conditio erat, vt quod ad procreationem liberorum ſpectat deſinerent eſſe mariti. Certe (inquit Hieronymus ad Iouinianum) confiteris non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat: alioqui ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur.] quod quidem præſtitum eſſe a S. Hilario, quis poterit dubitare? cuius animus virginalis amantiſſimus integritatis, filiam quoque ſuam, quam vnice diligebat, virginem conſeruare atque Deo dicare quantopere expetierit, quæ ad eam ſcripta ab ipſo extat epiſtola, docet: Videas in ea virum ſanctiſſimum, pariterque eloquentiſſimum, ſtylum ſui natura ſublimem inclinare puellæ, & de induſtria humilem reddere, atque ad perſuadendum facilem, ſimplicibuſque virginis auribus accommodare.

HILARIVS CONIVGATVS EST ELECTVS EPISCOPVS.

d Hieron. contra Iouin. lib. 1.

Sic igitur a populo ex inſperato ad ſedem Epiſcopalem euectus Hilarius, diuinaque ope D ad fortia peragenda forti animo roboratus: oculos in acerbiſſimã Eccleſiæ cladem conijciens, obfirmanſque, eius miſeratus mox in occurſum robore ſacerdotali conſurgit, atque auctorem omnium Conſtantium Imperatorem libello ſcripto conuenit; eique vel inuito ob oculos ponit miſerãdum illius temporis ſtatum, lugubremq. Eccleſiæ faciem repræſentat. Ac primum omniũ efferatum Arianorum ſuggeſtionibus, cruentumq. domeſticorum cædibus Imperatoris animũ demulcere atque lenire conatus eſt: grauiſsima poſt hæc inuectiua inſectatus Arianos Epiſcopos ad mala omnia perpetrata egregie cõparatos artifices, ipſum Auguſtũ eiſdem fauentẽ, & ad nutũ obtemperantẽ, eadem oratione perſtrinxit. ſed ipſum iam hic apponamus libellum, quo primum bellum aduerſus Arianos ipſe legitur auſpicatus. ſic enim ſe habet [e]:

e Hilar. ad Conſtantium.

Benignifica natura tua, domine beatiſsime Auguſte, cum benigna voluntate concordat. Et quoniam de fonte paternæ pietatis tuæ miſericordia largiter profluit; quod rogamus, fa- E cile nos impetrare poſſe confidimus. Non ſolum verbis, ſed etiam lacrymis deprecamur, ne diutius Catholicæ Eccleſiæ grauiſſimis iniuriis afficiantur, & intolerabiles ſuſtineant perſecutiones & contumelias; et quod eſt nefarium, a fratribus noſtris. Prouideat, & decernat clementia tua, vt omnes vbique Iudices quibus prouinciarum adminiſtrationes creditæ ſunt, ad quos ſola cura & ſolicitudo publicorum negotiorũ pertinere debet, a religioſa ſe obſeruantia abſtineãt; neque poſthac præſumant, atque vſurpent, & putẽt ſe cauſas cognoſcere clericorum, & innocentes homines variis afflictationibus, minis, violentia, terroribus frangere atque vexare. Intelligit ſingularis & admirabilis ſapientia tua, non decere, non oportere cogi & cõpelli inuitos ac repugnantes, vt ſe his ſubiiciant, & addicant vi oppreſsi, qui non ceſſant adulterinæ doctrinæ corrupta ſemina ſpargere. Idcirco laboratis, & ſalutaribus conſiliis Rempublicam regitis, excubatis etiam & vigilatis; vt omnes, quibus imperatis, dulciſsima libertate potiantur. Non alia ratione, quæ turbata ſunt, componi; quæ diuulſa ſunt, coerceri poſſunt; niſi vnuſquiſque nulla ſeruitutis neceſsitate aſtrictus, integrum habeat viuendi arbitrium.

HILARII LIBELLVS PRO CATHOLICIS.

IVDICES SAECVLARES ABSTINENT A CAVSIS CLERICORVM.

VOCES PIORVM TEMPORE PERSECVTIONIS. Certe voces exclamantium a tua mansuetudine exaudiri decet: Catholicus sum: nolo esse hæreticus: Christianus sum, non Arianus: et melius est mihi in hoc sæculo mori, quàm alicuius priuati potentia dominante, castam veritatis virginitatem corrumpere. Aequumq. debet videri sanctitati tuæ, gloriosissime Auguste, vt qui timēt Dominum Deum & diuinum iudicium, non polluantur, aut contaminentur execrandis blasphemiis; sed habeant potestatē, vt eos sequantur Episcopos & Præpositos, qui & inuiolata conseruant fœdera charitatis, & cupiunt perpetuam & sinceram habere pacem. Nec fieri potest, nec ratio patitur, vt repugnantia congruant, dissimilia conglutinentur, vera & falsa misceantur, lux & tenebræ confundantur, dies quoque & nox habeant aliquam coniunctionem. Si igitur (quod sine dubitatione & speramus & credimus) hæc permouent non insitam, sed ingenitam tuam bonitatem: præcipe, vt non studium, non gratiam, non fauorem, locorū Rectores grauissimis hæreticis præstent. Permittat lenitas tua populis, vt quos voluerint, quos putauerint, quos elegerint, audiant docentes, & diuina mysteriorum solemnia concelebrent, & pro incolumitate & beatitudine tua preces offerant. Non quisquam peruersus, aut inuidus maligna loquatur. Nulla quidē suspicio erit non modo seditionis, sed nec asperæ murmurationis: quieta sint omnia & verecunda. A B

At nunc qui Ariana & pestifera contagione inquinati sunt, non cessant ore impio & sacrilego animo Euangeliorum sinceritatem corrumpere, & rectam Apostolorum regulam deprauare: diuinos Prophetas non intelligunt: callidi & astuti artificio quodam vtuntur: inclusam perniciosam corruptelam exquisitorum verborum velamine cōtegunt: non prius venenatum virus infundunt, quàm simplices & innocentes sub prætextu nominis Christiani raptos atque irretitos inuoluant; ne soli pereant, sed participes horrendi criminis sui reos faciant. Et hoc obsecramus pietatem tuam, vt eos, qui adhuc, egregij videlicet sacerdotes, qui tanti nominis præpollent dignitate, aut in exilio, aut in desertis locis tenentur, iubeas ad sedes suas remeare: vt vbique grata libertas sit, & iucunda lætitia. C

AMPLIATIO. Quis non videt, quis non intelligit? post quadringentos fere annos, postquàm Dei vnigenitus filius humano generi pereunti subuenire dignatus est; quasi ante non Apostoli, non post eorum martyria & excessus, fuerint Christiani: nouella nunc & teterrima lues non corrupti aeris, sed execrandorum blasphemorum Ariana effusa est. Ita ne illi qui ante crediderunt, inanem spem immortalitatis habuerunt? Nuper, didicimus, cōmenta hæc fuisse inuenta, & a duobus Eusebiis, & a Narcisso & Theodoro, ab Stephano, & Acacio, & Menophante, & imperitis atque improbis duobus adolescentibus Vrsacio & Valente, quorum epistolæ proferuntur, & idoneis testibus etiamnum conuincuntur, qui eos magis oblatrantes, quàm disputantes audierint, quibusq. communionem suam imprudenter & incaute commiscent; quia fient socij scelerum, participes criminum, necesse est etiam eos qui in hoc sæculo abiecti sunt & abdicati, cum aduenerit dies Iudicij, pati supplicia sempiterna. D

PERSECVTORVM SAEVITIA. Iam nemini dubium est, cuiuscemodi curam in absolutionem Athanasij, sancti viri illi receperint, vt post Synodi sententias, quas pro sacerdotalis iudicij reuerentia fas fuerat sacerdotali vel Ecclesiastica continentia contineri, scribi ad Regem, legationemque instrui oportuerit. Sed quid aliud his litteris, quàm libertatem fidei & contagionem Ariani nominis deprecantur, orantque vincula, carceris tribunalia, & omne illud ferale habitum, nouas etiam in reos quæstiones inhiberi? Deus cognitionem sui docuit potius quàm exegit; et operationum cælestium admiratione præceptis suis concilians auctoritatem, coactam confitendi se aspernatus est voluntatem. Si ad fidem veram istiusmodi vis adhiberetur: Episcopalis doctrina obuiam pergeret, diceretque: Deus vniuersitatis est, obsequio non eget necessario, non requirit coactam confessionem: non fallendus est, sed promerendus: nostra potius, non sua causa venerandus est. Non possum nisi volentem recipere, nisi orantem audire, nisi profitentem signare: simplicitate quærendus est: confessione discendus est: charitate amandus est: timore venerandus est: voluntatis probitate retinendus est. E

At vero quid istud, quòd sacerdotes timere Deum vinculis coguntur, pœnis iubentur? sacerdotes carceribus continentur: plebs in custodiam catenati ordinis constricta disponitur: virgines nudantur ad pœnam; sacrata Deo corpora publico exposita conspectui, ad fructum spectaculi & quæstionis aptantur. Cogunt nempe, non vt Christiani omnes sint, sed vt Ariani: et confessam in Deo fidem ad consortium piaculi sui sceleris compellunt: auctoritate etiā nominis sui, in errorem Imperatorem transducunt; rectum affirmantes, vt sub specie timoris Dei in hac peruersitate subditos sibi tradant: quæstiones poscunt, iudiciorum subsidia desiderant, auctoritatem regiam implorant; et nec sic peruersitatem sceleris sui erubescunt, extorquere conniuentiam plebium, nec cogi de iure potuerunt.

A Hæc si de veteribus chartulis prolata ætatis nostræ tempus instruerent; ambigendũ, vt opinor, tantis de rebus fuisset: et cum ab aliis quibusque pronunciari posceretur reus, quæreretur in fidem litterarum, in Iudicum vitam, in accusatorum fidem, in ipsius quoque hominis mores atque actus: moueret enim absolutionem eius Arianorum iuncta damnatio; magnique periculi esset, iudicium simul cum reatus & innocentiæ non suscepta rursum inquisitione dissoluere; totaque in patrocinium suum cum fidei doctrina auctoritas sibi antiquitatis assisteret. At cum ipsi qui tunc Ariani hæretici damnati sunt, rem exagitent, turbent omnia, omnesque ex potestate & ambitione corrumpant; et Athanasius si fuit, esse adhuc reus potest; testes loquantur, videant Iudices, fidei doctrina præceptis Euangelicis atque Apostolicis eluceat: quæ obtusio intelligentiæ est? quæ cordis hebetudo? quæ obliuio spei? quæ sors scelerum? quod odium veritatis? in damnatorum fauorem * Dei amorẽ transducunt. Venio nunc B ad id quod recens gestum est, &c.] nempe ad exilium Eusebij Vercellensis, & Dionysij Mediolanensis, de quibus superius actum hoc anno est: vnde apparet, post dictorum Episcoporum exilium hæc a S. Hilario ad Constantium esse conscripta.

* furorem

HILARIVS CVR RELICTVS LIBER IN ECCLESIA.

Sed dicet aliquis: Vnde accidit, vt exulantibus ceteris Orthodoxis, Hilarius adhuc liber in sua permitteretur Ecclesia permanere? Dicã ingenue hac in re quid sentiam. Non enim id ex patientia vel clementia Constantij Imp. accidit, cuius furor atque sæuitia ad exturbandum Romanæ sedis Episcopum, & toti Orbi spectatum Osium ex Hispania abducendũ, præcipiti Arianorũ impulsu progressa esset; sed quod barbaris in Gallias irrũpentibus, nequaquam tẽpus visum est opportunũ, Gallorum animos exacerbandi, quos sciebat bene Catholicos, & a maioribus acceptam fidem inuiolatam firma constantia custodire. De barbarorum enim motibus in Gallias hoc anno sub dictis Arbetione & Lolliano Cõsulibus, Ammianus his verC bis meminit [a] post recensitam Liberij Papæ ab Vrbe exturbationem: Constantium vero exagitabant assidui nuncij, deploratas iam Gallias indicantes, nullo renitente, ad internecionem barbaris vastantibus vniuersa. Aestuansque diu, qua vi propulsaret ærumnas ipse in Italia residens, vt cupiebat, (periculosum enim existimabat se in partem contrudere longe dimotam) reperit tandem consilium rectum: et Iulianum patruelẽ fratrem, haud ita dudum ab Achaia contractum, ac ritu etiam tum palliatum, in societatem Imperij adsciscere cogitabat.] quod (vt dicemus) perfecit.

a Ammian Marcellin. lib. 15.

QVID HILARIO INDVLSIT CONSTANTIVS.

His igitur afflictus molestiis, & lacessitus periculis, abstinuit Constantius hoc anno ab Hilario & aliis Episcopis Gallicanis: immo ad continendum in officio populum illũ titubantem, videri voluit, Hilario ea petenti, aliquid indulsisse. Quoniam, inquam, inter alia a Constantio illud Hilarius expetierat eo libello, ne Iudices vsurparent sibi negotia Ecclesiastica, neve D causas cognoscerent clericorum: idem Constantius, in gratiam, putamus, Hilarij, hoc anno de his sic rescripsit ad Seuerum [b]:

b l. 12. de Episc. & cleric. Cod. Theod.

RESCRIPTVM CONSTANTII DE IVDICIO ECCLESIAST.

Mansuetudinis nostræ lege prohibemus in iudiciis Episcopos accusari: ne, dum adfutura ipsorum beneficio impunitas æstimatur, libera sit ad arguendos eos animis furialibus copia. Si quid est igitur querelarum, quod quispiam defert: apud alios potissimum Episcopos conuenit explorari, vt opportuna atque commoda cunctorum quæstionibus audientia commodetur. Data epistola VIIII. Kalend. Octob. Acc. Non. Octob. Arbetione & Lolliano Coss.] hæc Constantius; licet vbi persecutio vigeret, omnia (vt vidimus) officiis Palatinis aduersus clericos licenter permiserit atque tyrannice agi, cũ tamen scriptis videri voluerit æqui amantissimus. Quo modo autem sedatis belli tumultibus, & imminentibus ex barbaris cladibus propulsatis, coacto in Gallia Concilio Biterrensi, Hilarius quoque exilio iussus sit solum verE tere, suo loco dicendum erit.

CONSILIVM CONSTANTII DE CREANDO CAESARE IVLIANO.

At ex barbaricis hisce in Galliis motibus accidit opportuna occasio Iuliano, vt ex pallio philosophi, Athenis (vt vidimus) accepto, ad Imperium assumeretur: quo pacto autem id acciderit, ex Ammiano dicamus, mox ad institutam auctamque persecutionem aduersus reliquos, qui adhuc supererant agentes in sedibus suis, Episcopos, reuersuri. Fuit itaque Constantij Imp. consilium, ad comprimendos barbaros vexantes Gallias Iulianum mittere, eumque create Cæsarem. De his enim Ammianus [c] agens, hæc ait: Constantius, id vrgente malorum impendentiũ mole, confessus est proximis, succumbere tot necessitatibus, tamqne crebris vnum se (quod numquam fecerat) aperte demonstrans. Illi in assentationem nimiam eruditi, infatuabant hominẽ, nihil esse ita asperum dictitantes, quod præpotens eius virtus, fortunaque tam vicina sideribus non superaret ex more. Addebantq. noxarum conscientia stimulante complures, deinceps caueri debere Cæsaris nomen, replicantes gesta sub Gallo: quibus adnitentibus obstinate, opponebat se sola Regina, incertam migrationem ad longinqua

c Ammian. lib. 15.

pertimescens, ac pro natiua prudentia consulens in commune, omnibusque memorans anteponi debere propinquum. Post multa quæ per deliberationes ambiguas agitarat, stetit fixa sententia; abiectisque disputationibus irritis, ad Imperium placuit Iulianum assumere.] A

IVLIANVS CREATVS CAESAR.

Quo modo autem ipsum accitum induit purpuram, idem auctor pluribus prosequutus est, atque in fine addit: Hæc die octauo Iduum Nouembrium gesta sunt, cum Arbetionem Consulem annus haberet & Lollianum. Deinde diebus paucis Helena virgine Constantij sorore eidem Cæsari iugali fœdere copulata, paratisque vniuersis, quæ maturitas proficiscēdi poscebat, comitatu paruo suscepto, Kalendis Decembris egressus est; deductusque ab Augusto ad vsque locum duabus columnis insignem, qui Laomellum interiacet & Ticinum, itineribus rectis Taurinum peruenit, &c.] subdit de eodem, cum Viennam peruenisset, ab anu luminibus orba acclamatum, ipsum deorum templa reparaturum. Visum est hoc admirandum: nam ait Eunapius [a], Iulianum in Gallias venientem ab omnibus ignoratum, quòd deorum cultui addictus foret. B

a Eunap. in Vit. Philosoph.

IVLIANVS IN GALLIA FAVIT CATHOLICIS.

At non ipse tantum prætetulit in Galliis Christianum; sed vt populi illius, quem sciret esse Catholicum, animos sibi conciliaret, fauit quoque Catholicis, & eiusdem prouinciæ Ecclesiæ Episcopos officiis pluribus conatus est demereri: qui enim Cæsar iam factus plenum Imperiū affectabat, hac arte se piis populis studuit insinuare, quibus haud ignorabat inuisum atque perosum esse Constantium. Præsto quidem fuisse Iulianum S. Hilario Episcopo Pictauiensi, non obscure ipse significat in libro ad Constantium [b] ab exilio scripto, verbis illis: Nec leuem habeo querelæ meæ testem, dominum meum religiosum Cæsarem tuum, Iulianum, qui plus in exilio meo a malis contumeliæ, quàm ego iniuriæ, pertulit.] hæc ipse.

b Hilar. ad Constantium.

Sic itaque Iulianus vt Orthodoxæ fidei studiosos conciliaret sibi Galliarum populos, non tantum, licet intus idololatra & impius esset, Christianus voluit apparere, sed & Catholicus, atque fauere Catholicis; cuius rei causa etiam aliquam contumeliam ab Arianis (vt ait Hilarius) passus esset: cum tamen reuera ipse, vtpote educatus (vt dictum est) ab Eusebio Nicomediensi Arianorum antesignano, Ario addictissimus fuisset: quod sane idem ipse Iulianus in vna epistolarum, quas scripsit ad Alexandrinos (describemus eam suo loco) testatur his verbis: Tertia præterea causa est meæ erga vos beneuolentiæ amicus noster Arius. Erat autem Arius ciuis quidem vester, Cæsaris Augusti familiaris, & philosophus.] et inferius, cum ipsum Athanasium impium, tum etiam impiam eius doctrinam appellat. Sic igitur videas, hominem versipellem, pro statu rerum atque locorum, didicisse pallium diuersæ religionis induere. At de Iuliani rebus in Gallia gestis, sequenti anno agemus. Ceterum quod ad eiusdem Iuliani electionem in Cæsarem spectat: nihil tam proprium accidit, quàm vt impius Imperator duplo impium adsciuerit sibi Cæsarem, a quo iusto atque æque pensato Dei iudicio expelleretur ab Imperio. Ceterum Gregorius Nazianzenus [c] acriter inuehitur in Constantium, quòd Iulianum creans Cæsarem, tamquam luem facemque in Orbem inuexerit. C D

c Greg. Nazian. in Iulian. orat. 1.

CONSTANTII PERSECVTIONIS ACERBITAS.

Ad hæc de creatione Iuliani Cæsaris digressa oratio, reuocetur ad persecutionem in Occidentalem Ecclesiam a Constantio excitatam, quam ex iis quæ dicta sunt de quarumdam Ecclesiarum vexatione, quid ceteræ passæ sint, licet potius existimare, quàm scribere. si enim tot tantaque esse monstrantur, quæ ex diuersorum scriptorum temporum illorum fragmentis collecta, nuper recensuimus; qualianam quantave reliqua fuisse putanda sunt, quæ sepulta silentio remanserunt? cum si vel vnius saltem Ecclesiæ, cui Catholicus in communione Catholica cleri atque populi præesset Episcopus, res conscriptæ fuissent, grande volumen ex illatis ab Arianis cladibus proculdubio diligens historicus confecisset. E

d Athanas. Apolog. 2. in fine.

AFRICANA ECCLESIA VEXATA A CONSTANTIO.

Trans mare quoque aduersus Catholicos Africanos Constantij furorem progressum esse, & interiacentes aquas flagrans persecutionis incēdium superasse, Athanasij [d] assertione compertum habetur; licet quid speciatim passæ ibi sint Orthodoxorum Ecclesiæ, nulla prorsus scriptorum memoria posteris traditum sit. Certe quidem quòd de eis Constans frater optime meritus fuerit, Constantiū (cuius illud præcipuum studium fuisse visum est, vt a fratre pro Catholicis bene statuta conscinderet, & illis contraria omnino decerneret) in Africanos Catholicos acrius sæuiisse, facile vt credamus, inducimur; instigantibus præsertim ad hoc eum, etiamsi ipse torpesceret, Donatistis, ab eodem Constante Imperatore (vt suo loco superius dictum est) pro eorum impietate iure vexatis. Sed exciderunt de his omnia monumenta, vel ob malorum multiplicitatem atque frequentiam absque memoria præteriere.

IESV

A IESV CHRISTI ANNVS 356. | LIBERII PAP. ANNVS 5. | CONSTANTII IMP. ANNVS 20.

Christi sequitur annus quinquagesimussextus supra trecentesimũ, Consulatu octauo Cõstantij ac Iuliani Cæsaris inchoatus: cuius exordio, nempe octauo Kalendas Februarij, idem Imperator Constantius aduersus Aruspices atque Magos & alios Gentiliciæ superstitionis cultores ad Populum sic rescripsit [a]: *a l. 5. C. de Malefic. & Mathem.*

Nemo Aruspicem consulat, aut Mathematicum, nemo Ariolum. Augurum & Vatum praua confeßio cõticescat. Chaldæi, ac Magi, & ceteri, quos maleficos, ob facinorum magnitudinem, vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo omnis diuinãdi curiositas. Etenim supplicio capitis ferietur, gladio vltore prostratus, quicumque iussis nostris obsequium denegauerit. Dat. VIII. Kal. Februarij, Mediolani, Constantio A. VIIII. * & Iuliano C. Coss.] *QVID IN DIVINATORES, ET IDOLOLATRAS CONSTANTIVS* ** VIII.*

B

Idemque sequenti mense Februarij aduersus Idololatras eiusmodi promulgauit edictum: Pœna capitis subiugari præcipimus eos, quos operam sacrificiis dare, vel colere simulacra constiterit. Dat. XI. Kal. Martij, Mediolani, Constantio VIII. & Iuliano Coss.] Has haud dubium veritus est ipse Iulianus Cæsar leges: nam de eo Ammianus [c] sub hoc anno iisdemque Consulibus testatur, quòd noctu surgens, occulte supplicabat Mercurio. Porro sanctionem quoque hoc ipso anno idem Constantius [d] edidit aduersus apostatas. *b l. 6. de Pagan. C. Theod.* *c Ammian. lib. 16.* *d l. 1. Cod. de Apostat.*

Videas ex his omnibus, Imperatorem, vt decebat, Christianæ religionis seuerum vindicem agere: vtinam sic in hæreticos, quibus adeo fauit, vt hæresis causa diram persecutionem in Ecclesiam concitarit. Nam hoc eodem anno, ipso exitu mensis Ianuarij, Alexandrina Ecclesia grauißima persecutione eiusdem Constantij Imperatoris iussu exagitata est. Id quidẽ hoc anno, & dicto mense accidisse, litteræ Ecclesiæ Alexandrinæ paulo post recitandæ testantur: sed & Athanasius [e], cum scriptis suis tradat, se de exilio Occidentalium Episcoporum tunc accepisse nuncium, cum fuga lapsus ad Constantium pararet aduentum, id pariter affirmare videtur: cum Osij præsertim exilium, ex iis quæ dicta sunt, non nisi in fine anni superioris, vel sequentis exordio potuerit contigisse. At præstat istæc omnia audire ex litteris Alexandrinorum tunc scriptis, quibus tragœdiæ totius catastrophe in medium, tamquam in scena, profertur. Constantius enim cum subscriptiones plurimorum Episcoporum aduersus Athanasium extorsisset, quasi iam tot suffragationibus sibi iustitiam comparasset (ne quid tyrannice agere videretur, si, quem restituendum curarat, iterum e sede pelleret) quasi iusto aduersus eum bello indicto, mittit Syrianum Ducem cum militum legionibus aduersus Ecclesiam Alexandrinam: quid autem per eum factum sit, dictæ litteræ Alexandrinorum significant: licet prudenter ijdem excusantes Imperatorem, in Syrianum culpam omnem conuertant, eò quòd optarent has litteras ad Imperatorem ipsum perferri: cum tamen ex ipsius Constantij litteris postea datis constet, omnia eius arbitrio facta esse. Sunt vero illæ huiusmodi [f]: *QVID CONSTANTIVS IN ECCLESIAM ALEXANDR.* *e Apud Athan. epist. ad solitar.* *f Apud Athan. post epist. ad solit.*

C

D

Populus Alexandrinus Catholicæ Ecclesiæ, quæ est sub Athanasio reuerẽdißimo Episcopo. *EPISTOLA ALEXANDRINORVM DE PERSECVTIONE ARIANORVM.*

Iam pridem protestati sumus de nocturna, quam passi sumus tam nos, quàm templum Dominicum, inuasione: tametsi ibi testimonio opus non fuit, quæ vniuersa ciuitas cognita habet. Occisorum enim corpora reperta, & in publico exposita fuere: arma item & arcus in templo Dominico, scelera quæ facta sunt, quasi vociferantur. Sed tamen quia post testimonia nostra clarissimus Dux Syrianus vi nos omnes compellit, vt nullum tumultum factum fuisse, neque quemquam occisum esse, testimoniis nostris sibi astipulemur: quod ipsum non leue argumentum est, ea non ex sententia humanissimi Imperatoris Constantij acta esse: non enim de factis suis metum concepisset, si ex mandato ea fecisset: qui quidem nos homines Christianos precibus ipsum conuenientes, ne vi grassari, aut facta inficiari vellet, fustibus concidi iussit: qua re abunde declarauit, belli nocturni in Ecclesia se auctorem fuisse. propter ista omnia quæ recensuimus, nunc denuo eadem pro hoc testimonio dicimus. Deinde cum quidam ad pientissimum Augustum iter haberent, adiurauimus eos per salutem pientißimi Cæsaris Constantij, quam Deus omnipotens illi largiatur, obsecrauimusque item Aegypti Præfectum Maximum, & Curiosos, & clarißimos Præfectos, vt omnia Principi enarrarent. Adiurauimus quoque naucleros omnes, vt omnia ista vbique diuulgarent, & ad aures religiosißimi Augusti, ceterosque Præfectos, & quotquot singulis in locis Iudices, deferrent: vt bellum contra Ecclesiam gestum vbique innotesceret, & quod temporibus Constantij Syrianus virgines, aliosque complures martyres fecisset.

E

Illucescente enim quinto Kalendas Februarias die, hoc est decimoquarto mensis eius qui Mecher dicitur, vigilantibus nobis in Dominico, & precibus vacantibus, eo quòd Synaxis Parasceues die celebranda esset: derepente per intempestam noctem clarissimus Dux Syrianus cum multis legionibus militum sagittas, strictosque enses, aliaque id genus tela gestantium, non sine galeis, ceterisque armis, superuenit. Ibi nobis plane precibus intentis, in ipsis recitationibus sacrarum lectionum ianuas fregit: foribusque vi multitudinis patefactis, statim ex illius edicto, alij sagittas mittere, alij bellicum clamare occeperunt: magnus interea fragor armorum audiri, ensesque ad lucem candelarum micare: virgines multæ calcibus elidi, & in sese mutuo formidine irruentium militum impingere: viri sagittis perfossi concidere: aliqui militum ad prædam versi, virgines denudare, quibus formido vel minimi tactus ipsa morte grauior erat. Episcopus per id tempus sedebat in throno, omnes ad preces cohortans. Dux autem militum acies disponebat, Comitem secum trahens Hilarium Scribam, qui illi hanc mentem afflabat, quod ipse rerum exitus declarauit. Episcopus autem cum hinc illinc raperetur, minimo minus discerptus fuit: et cum in graui deliquio animi pro mortuo iacuerit, & eorum opera iam nusquam compareat, nescimus quid de illo factum sit: certe illi necem omnibus modis moliti sunt. Deinde cum viderent tot occisorum hominum corpora, iusserunt milites ea in occultis abdere. Sanctissimas autem virgines interfectas, ibidemque relictas in monumentis sepelierunt, quibus laus martyrij temporibus religiosissimi Constantij obuenit. Diaconi porro in ipso Dominico alij plagis concidebantur, alij vinculis constringebantur. Nam post tanta facinora, quisque pro libidine sua, fractis ostiis, introrupebat, scrutabaturque omnia, ea loca penetrans, in quæ non omnibus Christianis fas est introire.

SYRIANI DVCIS GRASSATIO IN ECCLES. ALEX.

ATHANASIVS QVAE PASSVS.

A

B

Dux autem ciuitatis Gorgonius ista, qui præsens erat, suis oculis conspexit: nec pro leui argumento istius hostilis incursionis arma illa haberi debent, quæ in Dominico ab illis qui irruperant, relicta fuere, quæ etiamnum in Ecclesia pendent, adeo vt scelera sua inficiari nequeant. Sæpe autem ille misit ordinum militarium carnificem vna cum Duce, vt ea tolleret: verùm id illi hactenus a nobis, vt res omnibus innotesceret, negatum fuit. Quòd si edictum Principis est, vt persecutio in nos fieret; parati sumus omnes ad martyrium subeundum: sin minus, oramus Aegypti Præfectum Maximum, ceterosque magistratus, vt a Principe postulent, ne talia in posterum committantur: obsecramusque, vt nostræ istæ preces ad eum perueniant; vt obtineamus, ne illis liberum fiat, alium Episcopum introducere. Quod ne fieret, vsque ad mortem restitimus, Athanasium reuerendissimum desiderantes, quem Deus ab initio nobis dedit secundum successionem Patrum nostrorum; quem ipse Constantius religiosissimus Augustus cum litteris iuramentisque huc misit. Confidimus enim, si eius pietas ista resciuerit; cum rem ipsam indigne laturum, & nihil contra iusiurandum facturum esse; sed iussurum, vt Episcopus Athanasius nobiscum maneat. Illustrissimis Consulibus, post Consulatum Arbetionis & Lolliani designatis, septimo die mensis Mecher, quæ est pridie Kalend. Februarij.] hactenus litteræ Alexandrinorum, scriptæ tertia die post cladem illatam, quando nondum præsentis anni quinam renunciati Consules essent, Alexandriæ adhuc sciretur: ob idque datas litteras ponunt sub Consulibus designatis post Arbetionem & Lollianum.

CONTESTATIO ALEXANDRINORVM.

C

D

Quonam pacto autem Athanasius quæsitus ad necem, diuino protegente auxilio, fuga salutem sibi quæsisset, ipse docet in Apologia quam scripsit de fuga sua, his verbis: Nox erat, multique ex populo ad proximam Synaxim in orationibus peruigilabant, cum Dux exercitus Syrianus ingessit se pluribus quàm quinque millibus, quorum alij arma, alij strictos enses gestabant, alij arcus, iacula, fustes, quemadmodum prius dictum est: et Ecclesiam militibus, prope inter se consertis manibus, ne quispiam inde exiret, aut elaberetur, cinxit. Ego autem cum in tanta tribulatione populos deserere, absurdum putarem; et rectius esse, vt pro aliis pericula susciperem: manebam sedens in cathedra mea, diacono iusso, vt Psalmum recitaret [a]: Quoniam in sæculum misericordia eius: et post recitationem quisque domum abiret. Vbi cum Dux istarum cohortium vi in templum irrupisset, militesque sacrarium, ad me intercipiendum, obsiderent: quotquot ex clero populoque residui erant, clamitare, obsecrare, vt me subducerem. Ego contra, nisi omnibus ad vnum digressis, me recessurum pernegabam: quapropter relicta cathedra, iunctisque precibus obsecrabam, vt abitum maturarent: melius enim esse, si ipse in periculum venirem, quàm si quispiam illorum in discrimen veniret.

ATHANASIVS QVOMODO FVGA LAPSVS.

E

a Psal. 105.

Digressis igitur plerisque, ceterisq. eos subsequentibus: monachi mei & nõnulli ex clericis

inter

A inter abeundum me secum abstraxerunt. Atque ita (testor veritatem) per milites, quorum alij; sanctuarium cingebant, alij per templum oberrabant, inoffense transiuimus, Domino duce & protectore; nihilq. ipsis sentientibus, elapsi sumus, Deum interim magnifice glorificantes, quòd neque populum prodidissemus, & quòd ijs prius sine noxa dimissis, quærentium manus effugissemus. Cum igitur diuina prouidentia nos ita mirabiliter ex hoc periculo eripuerit: quis mihi id iure vitio vertendum putet, quòd non vltro me in manus quærentium reiecerim, ac remenso itinere, me eorum oculis ingesserim? Id enim esset plane se ingratum Deo præstare, & præter eius mandatum agere, & cum Actis sanctorum pugnare.] in hunc modum ipse. MONACHI SUBDUCUNT ATHANASIUM.

Sane quidem proditio magna ista Syriani Ducis fuit, qui Alexandrinis petentibus, nihil moliendum aduersus eos, donec legationē mitterent ad Constantiū Imperatorem, cum iureiurādo pollicitus esset; ex improuiso tamen eosdē hostiliter inuasit. Queritur enim de his Athanasius, cum postea ad Imperatorem scripsit, his verbis [a]: Syriano igitur hanc rerum quietem, tranquillitatemq. promittente, conuentus omnium cum gaudio & securitate in Ecclesijs fiebant. quo tempore cum subito Syrianus cum militibus in Ecclesiam irrupit, assidui in precibus eramus: in tali enim habitu me, dum irruptio fieret, conspicati sunt: et quia ad proximam Synaxim ab omnibus in vigilijs pernoctabatur, ea quæ Ariani voluere, designata sunt. Ij enim & cum Duce exercitus semel venerunt: iidemq. consuasores, auctoresq. erant illius irruptionis. Neque est vt incredibile putes, religiosissime Imperator, cum nec ipsi latuerint, & res vbique vulgi sermone iactata sit. Ego igitur visa istiusmodi impressione, primum admonui populum, vt discederet: quibus digressis, tum demum, auxiliatore & duce Domino Deo, quod ab omnibus qui aderant conspectum est, abitionem inde molitus sum, ac iam inde in solitudine versor.] hæc Athanasius, qui sic fuga elapsus, ignarus fuisse visus est eorum, quæ ibidem post fugam suam in Ecclesia acciderunt, nempe cædium ex inuasione militum, prout in dicta Alexandrinorum epistola enarratur. PERFIDIA SYRIANI. [a] Athanas. Apolog. ad Constantium. (B) (C)

Nesciuit pariter quæ deinceps subsequuta sunt eodem anno post Pascha: ea enim postea didicit, ac scripsit his verbis [b]: Deinde superueniens tēpore Quadragesimæ, qui ab ipsis Arianis e Cappadocia missus fuerat Georgius, scelera quæ ab ipsis didicerat, cumulatiora reddidit. Videre enim erat, post septimanam Paschæ, virgines in carcerem detrudi, Episcopos vinctos a militibus duci, pupillorum, viduarumq. ædes populari (nam & in domos irruptiones factæ sunt) noctu Christianos raptari, ædesq. obsignari, & fratres clericorum pro fratribus in periculum deuocari. Grauia sunt quidem ista, grauiora tamen quæ postmodum commissa sunt] nempe tempore Pentecostes: sed de his suo loco inferius. [b] Athanas. Apolog. de fuga sua. GEORGIUS INTRUDITUR IN ECCLES. ALEXANDRIN.

At vero antequàm vlterius prosequamur clades Catholicis Alexandrinis & Aegyptijs ab Arianis illatas, hic de Georgio per Constantium in Ecclesiam Alexandrinam in locum Athanasii subrogato agendum est, de quo hæc Athanasius [c]: Nūc autem denuo Georgium quemdam Cappadocem ærarij Constantinopolitani Quæstorem, & depeculatorem omnium, atque eo crimine profugum, Alexandriam specie militari & auctoritate Ducis in Episcopatum immittit.] Sed quisnam hic, qualisve esset, a sancto Gregorio [d] Naziāzeno ipsius gentili pluribus & exactius describitur, cum ait: Monstruosus quidam Cappadox ex vltimis terræ nostræ finibus oriundus, malus genere, animo peior, nē quidē omni ex parte liber, sed dubius & permixtus, cuiusmodi mularum genus esse scimus; primum alienæ mēsæ seruus, atque ita vilis nulliusque pretij, vt hordeacea massa vænīret, atque ita omnia ad ventris grātiam tum facere, tum loqui didicisset: tandem cum ad Rempub. gerendam perniciose accessisset, atque extremo & sordidissimo illius muneri, hoc est suillis carnibus, quibus turba militaris alitur, suscipiendis, præfectus fuisset, ac scelerate commissam sibi prouinciam administrasset, totamq. functionem suam ad ventrem retulisset: postquàm nihil illi præter corpus reliqui fuit, animo fugam concipit; atque aliam ex alia regionem, ciuitatemq. subinde permutans, vt fugitiuorum mos est, postremo ad communem Ecclesiæ perniciem, instar cuiusdam Aegyptiacæ plagæ, Alexandriam inuadit. Hic errandi finem, malitiæ autem & improbitatis initium facit, homo cetera quidem abiectissimus, non liberalibus disciplinis imbutus, non in congressu & colloquio facetus, non pietatis laruam saltem & inanem speciem præferens; verum ad male agendum, resq. perturbandas appositissimus. Nostis omnes, ac commemoratis, qualia aduersus sanctum virum perpetrauerit. (D) [c] Athanas. ad solitar. GEORGIUS QUALIS. [d] Greg. Nazian. orat. in laud. Athanas. (E)

Persæpe enim in impiorum manus ac potestatem iusti veniunt, non vt illis honor habeatur, sed vt horum virtus exploretur: et quamquam mali in morte asperrima sint, quemadmodum scriptura testatur [e], irridentur tamen interim in hac vita pietatis cultores, quantisper Dei benignitas occultatur, ac magna earum rerum promptuaria, quæ in posterum vtrisque recondun- IUSTI CUR A DEO SINANTUR AB IMPIIS AFFLIGI. [e] Psalm. 33.

tur, tum cum & sermo & actio & cogitatio iusta Dei trutina expendentur.] & post nonnulla super his philosophatus hæc addit [a]: Proinde ne hic quidem mirum videri debet, quòd meliori conditione Georgius quàm Athanasius fuerit: sed illud mirabilius videri debuisset, si calumniarum igne vir iustus exploratus non fuisset. Immo ne hoc quidem valde mirandum: verum illud potius admirationem adhibuisset, si in longum hæ flammæ pertractæ fuissent. Hinc ille solum vertit, ac de exilio quàm præclarissime statuit. Nam ad sacra illa & diuina Aegypti monasteria se confert, in quibus homines a Mundi consortio distracti, ac solitudinem amplectentes, Deo viuunt magis, quàm ceteri omnes qui in corpore versantur.] ac rursus inferius de eodem sic habet: A

a Greg. vbi supra.

ATHANASII FVGA.

At Georgius, nemine iam ipsius impetum propellente, Aegyptũ incursionibus vastat, atque impietatis robore Syriam populatur, Orientis etiam quantum potest arripit, ægros & infirmos quotidie, quemadmodum torrentes ea quæ simul voluuntur, assumẽs, ac leuiores aut ignauiores adoriens. Quin etiam Imperatoris simplicitatem sibi conciliat: pietate enim ipsius moueor, ne leuitatem dicam. Nam si vere dicendum est, zelum habet, verum non secundum scientiam. Tum ex principibus eos sibi pecunia comparat, qui auri amorem Christo præferebant (ipse enim opes & copiæ, bona pauperum erant in flagitiosissimos vsus insumpta) atque ex his potissimum muliebres homines, & inter viros nomine virorum indignos, sexu quidem dubios, impietate autem certos atque perspicuos, quibus cum muliercularũ cura committatur, haud scio qui fiat, vt Imperatores Romani eosdem virorum officijs muneribusq. præficiant. Tantum valuit ille diaboli administer, ille zizaniarum sator, ille Antichristi præcursor, ita negotium pattiens, vt Episcopo quodam ea tempestate disertissimo linguæ vice vteretur (si cui tamen disertum eum appellare libeat, qui non tam impius sectarius fuit, quàm hostis & cõtentionis studio flagrans: nomen enim haud inuitus prætereo) ipse autem manus instar cohorti suæ esset, ac veritatem auro conuelleret, quod quidem ad pios vsus collectum, impietatis instrumentum scelerati fecerunt.] hæc Nazianzenus, intelligens Acacium, non autem Eusebium Cæsariensem, vel alium Eusebium Emisenum, quorum neuter interfuit Concilio Seleucienfi, cuius idẽ paulo post meminit, quod post sequentem annum celebratum fuisse constat. B C

GEORGII GRASSATIO IN ECCLESIAS.

Rursus vero Lucifer [b] Calaritanus de intrusione & inuasione Georgij ista in Constantium: Persequeris eum, per quem te audire præcepetit Dominus; agente eo (nempe Athanasio) in rebus humanis, cohæreticum tuum Georgium mittis successorem.] & inferius: Talis est Georgius, qualis fuerat Arius, qualesque sunt Valens & Vrfacius, vel ad quem me destinasti, Germanicienfium Eudoxius: neque enim possent nisi de spinis spinæ procedere. Hæc ita se habere, ex Actibus ipsius Georgij, legens contestationes Alexandrinorum, poteris colligere: et quamuis tibi sceleratum, blasphemum illum esse placeat; neque enim aliter tibi esset amantissimus, nisi quia sit sceleratus, &c.] hæc ipse, qui & eadem aliàs in eũdem exprobrat [c]. His de Georgij subrogatione in locum Athanasij enarratis, iam reliqua prosequamur; ac primum ipsius ad eremum fugientis vestigia asse&ctemur. D

b Lucifer pro Athanas. lib. 1.

OBIVRGATVR CONSTANTIVS OB GEORGIVM.

c Lucifer. pro Athanas. lib. 2.

Ipse quidem fuga lapsus, cum lateret in solitudine, rerum quæ post discessum suum Alexandriæ vel alibi factæ essent, ignarus, vt periclitanti Ecclesiæ suæ consuleret, ad Constantem Imperatorem in Occidentem proficisci disposuit; sed a cœpto itinere reuocatur, cum inter hæc accepisset nunciũ de tyrannide Constantij vbique grassante, nempe de exilio Occidentalium Episcoporũ, de cladibus in Ecclesias totius Orbis illatis, & alijs, quæ ipse recenset ad Constãtium sic scribens [d]: Hæc cum mihi in oculis essent, nihil mihi mali conscius, ad pietatem tuam cum hac defensione properabam, vt qui non ignorarem tuam maiestatem in memoria habere suas certissimæ fidei promissiones; simulq. confidens, iuxta prouerbium; Apud Regem acceptabiles esse iustas verborum rationes. Iamq. mihi iter ingredienri, relicto eremo, fama de repente aduolat: quæ cum principio falsa videretur, postmodum tamen vera deprehensa est. Vbique enim iactabatur, Liberium Romæ Episcopum, & Hispaniarum magnum illum Osium, Paulinumq. item Galliarum, Dionysiũ quoque & Eusebium Italiæ, Luciferum Sardiniæ Episcopos, aliosq. plures vna cum presbyteris & diaconis in exilium exterminatos esse, eo quòd contra nos subscribere recusassent: et hos quidem in exilium eiectos esse: Vincenrium autem Capuæ, & Fortunatianum Aquileiæ, & Irenæum Thessalonicæ, ceterosq. in Occidente Episcopos vim non vulgarem, grauesq. contumelias passos esse, donec promitterent sese a nostrą communione abstinere. E

ATHANASIVS PROFECTVRVS AD CONSTANTIVM DETINETVR INVITVS.

d Athanas. Apolog. ad Constant.

Hæc cum ego admirarer, & in ijs cogitatione perplexus hærerem: ecce denuo alia atrox fama de Aegypto & Libya nobis ad aures allabitur; Episcopis prope nonaginta pulsis, Ecclesijsque professoribus Arij traditis, sexdecim in exilium actis, ceteris deinde aut fugatis, aut ad simula-

QVID PASSI EPISCOPI AEGYPTI ET LIBYAE.

A mulationem hæreseos coactis,summam illatam fuisse persecutionem. Siquidem cum Alexandriæ per diem Paschæ,in Dominicis templis, locis desertis iuxta cœmeterium in orationibus hærerent: Tribunus militum tribus armatorum millibus succinctus, gladios, telaque ferentibus, impressionem in Christianos fecit: ceteraque deinde consequuta sunt,quæ in tali incursu fieri solent:eamque vim in feminas quoque & pueros,nihil aliud quàm Deum orantes,illatam esse. Præstiterit fortasse omittere eius rei expositionem, ne vel sola eius calamitatis mentio omnibus lacrymas excutiat. Tanta siquidem immanitas fuit,vt & virgines denudarint,corporaque plagis interfectorum,aliquandiu reddere ad sepulturam negauerint, sed foras obijcerēt canibus,donec depensa ingenti mulcta,clanculum a necessarijs subducerentur. Magnus ibi in distinguendis cadaueribus labor, eo quòd nemo suos agnosceret.

Cetera quæ facta sunt, quanquam fortasse incredibilia,& tam tetra, vt sensum audientis obB stupefaciant: tamen vel eo narranda existimo, vt tua Christianissima cura & pietas in Deum certo intelligat,criminationes mei calumniasque non alio fine institutas esse,quàm vt nobis ab Ecclesijs expulsis,suam hæresin in Ecclesias immitterent. Nam posteaquàm ex veris,senibusq. Episcopis alij in exilium deportati essent,alij metu fugati: Ethnici homines catechumeni, primarijque Decurionum,& quisquis fama opulentiæ notus erat,ad spem Episcopatus,pro Christiana religione Arianismum profitebantur:neque deinde,vt Apostolus præcipit [a], quæsitum, si quis esset irreprehensibilis; sed iuxta scelera impijssimi Hieroboam[b], si quis plus pecuniæ offerret,nomine Episcopi honorabatur: neque apud illos vllo in discrimine erat, siue Ethnicus esset,siue non,modo aurum daret. Atque ita Episcopi,& monachi, & deuotarij ab Alexandria profligati sunt.]& paulo post:

SPE EPISCOPATVS MVLTI HAERESIN PROFITENTVR.

a 1.Timoth. 3.
b 3.Reg. 13.

Hæc cum fama vulgarentur,rebus sursum deorsumque iactatis: ne sic quidem destiti a mea C alacritate,sed æque ad tuam pietatem tendebam;idque eo studiosius, quòd ista considerarem. inscio te fieri;ac vbi scires, intercessurum, ne fiant: non enim est pij Regis, vt velit Episcopos exterminari,virgines nudari,totas Ecclesias perturbari. Verum nobis ita cogitantibus, & cœptum iter vrgentibus:ecce tertia denuo allabitur fama,scriptum tyrannis in Auxomei, vt Frumentium Episcopum Auxumis abducerent;ac me vbicumque, etiam apud barbaros, perquirerent,& ad custodias Præfectorum,quæ Commentaria nominantur,deportarent:populosque & clericos ad communionem Arianæ hæresis cogerent:eosq. qui huic non obtemperarent,interfici curarent. Quæ res non verbis tantum iactata,sed opere quoque completa fuit. Ceterum quia tua humanitas hoc mihi concedere videtur:en tibi epistolam, quam illi assidue recitantes,nulli non mortem denunciabant.]Sunt autem hæ litteræ ab eo scriptae hoc anno,cum accepisset quæ Alexandriæ contigissent; quibus nō probat tantum quæ gesta essent,sed & ijsdem D Athanasium plurimis prosequitur contumelijs;ac demum vt Georgium Episcopum recipiant, adhortatur. sunt enim huiusmodi [c]:

PERSECVTIO ARIANORVM MAGIS SAEVIT.

Victor Constantius Maximus Augustus Alexandrinis.

c Apud Athanas. Apol. 1.

LITTERAE CONSTANTII AD ALEXANDRINOS.

Ciuitas quidem vestra patrio more,nec immemor virtutis conditorum suorum, docilem se obsequentemque,vti solet,etiam nunc in præsentia præbuit. Nos vero nisi Alexandrum beneuolentiæ in hanc vrbem vestram luce perstringamus, obscuremusque, non mediocriter nobis peccare videmur. Sicut enim temperantiæ proprium est, vt modestam se per omnia præbeat: ita regiæ virtutis vestræ est(sinite quæso me ita loqui) præ omnibus in gratia & amore esse; eo quòd & primi sapientiæ interpretes constitueritis,primique Deum,qui est,agnoueritis; simulque interpretibus delectis,nostroque suffragio vltro recepto, & impostore circulatoreque reiecto,viris grauibus,omnique admiratione maioribus vere adhæseritis. Nam cui extremi OrE bis incolæ ignotum est,quanta sit in istis rebus adhibita industria? ita vt nesciam quid ei comparari possit:siquidem plerique in hac vrbe cæcutiebant, rerumque potiebatur homo ab infimis barathris emersus,qui quasi in tenebras cupidos veritatis,ad mendacia abducens,non frugi sermonibus,sed præstigiis animos corrumpebat. Assentatores igitur acclamare,applaudere, aliosq. admiratione percellere, quos adhuc intra dentes mussitare,verisimile est;simpliciores vero ad istorum hominum dictata viuere, resque publica quasi æstu rapi;omnibus,tamquam si diluuium inundasset,contemptis.isque vir multitudini præerat,qui (vt quàm verissime dicam) nihil a cerdonibus differebat; cui ea de causa vnica contentio cum ciuitate fuit, quòd eam in barathrum deiicere non posset. Atqui præclarus ille & egregius vir se sistere ad causam dicendam minime ausus,quasi iudicio condemnatus,vltro in exilium abijt, quē etiā ex re barbarorum est e medio tolli; ne etiam illos, dum vt quisque ei primum obuius est, quasi in scena lamentans,impietatem condoceat.iste igitur in longum valere iubebitur.

QVAE IN ATHANASIVM, CONSTANTIVS

Vobis autem conuenit cum paucis sociari,vel potius solos, omnes alios grauitate antecellere,

ADHORTATIO AD ARIANISMUM.

lere, cum virtute & mente tantopere abundetis, quantum ipsa facta clamant, quæ per vniuersum prope Orbem deprædicantur, macte prudentia. Vtinam detur mihi, vt & secundo tot nuncios de vestris laudibus, præconijsq. magnificis audiam. O qui & maiores industria obscuratis, & posteris vos præclarum exemplum relinquitis: quiq. soli ducem verbis factisque præstantissimum delegistis, idque sine vlla vel ad breue tempus dubitatione. Ergo animose ab humilibus istis & terrenis deficientes, ad cælestia euehamini, duce, itinerisque commonstratore reuerendissimo Georgio, viro in huiusmodi rebus omnium mortalium exercitatissimo, cuius opera & in futurum cum optima spe agetis, & in præsentia sine difficultate viuetis. A

Vtinam publice omnes in hac vrbe ab eius voce, velut a sacra anchora, pendeant; ne sectionibus & adustionibus aduersus eos indigeamus, quorum mentes corruptæ sunt: quibus quàm maxime denunciamus, vt absistant ab Athanasij studio, neve recordentur superfluæ illius garrulitatis: alioqui sero sentient, se summis periculis obnoxios teneri; ex quibus haud scio an B quisquam eloquẽtium seditiosos illos eripere posit. Siquidem absurdum esset, perditissimum Athanasium, & de turpissimis sceleribus conuictum, quibus numquam par supplicium luerit, etiam si decies occidatur, solum ex solo vertentem in alias perpetuo sedes depelli; et eius assentatores & ministros, homines præstigiatores, talesque quos nefas sit nominare, sinere hic turbas facere: de quibus iam pridem Iudicibus præceptum est, vt eos occidant: qui fortasse nec sic quidem perituri sunt, si mature a prioribus delictis resiliant, & tandem ab ijs transfugiant, quibus sceleratissimus Athanasius se ducem præbuit, qui Reipublicæ nocuit, & sanctissimis hominibus impias & nefarias manus intulit.] hucusque Constantij epistola ad Alexandrinos: cui Athanasius mox subdit illam aduersus Frumentium Episcopum datam Tyrannis (vt ait) eius loci, hisce plane verbis [a]:

[a] Apud Athanas. vbi supra.

CONSTANTIVS QVID IN FRVMENTIVM RESCRIBAT.

Magno nobis studio & curæ est optimi cognitio: arbitrabar enim hoc genus solertiæ & diligentiæ omnibus mortalibus æque impertiri debere, quo talia de numine sentientes, vitam cum spe transigãt, sine controuersijs dissensionibusque de vero & iusto. Hac igitur cura cum & vos prosequi dignamur, paria cum Romanis impertientes: vnum cum illis in Ecclesijs dogma retinere iubemus. Quapropter Frumentium Episcopum quamprimum in Aegyptum dimittite, & venerabilissimum Georgium, & alios per Aegyptum Episcopos, qui in creãdis diiudicandisq. Episcopis summam auctoritatem habent. Scitis, & meministis (nisi eorum quæ publice constant, ignorantiam simuletis) Frumentium ab Athanasio, homine omnibus malis obnoxio, in hunc ordinem vitæ cooptatum esse: qui cum ex omnibus criminibus iure ipsi obiectis, nihil prorsus diluere posset; excidit statim a sua cathedra, & vt in vita, ita & in locis omnibus errabũdus solum semper ex solo vertit, quasi mutatis sedibus scelera sua effugere posset. C

Si igitur sponte obtemperet Frumentius, rationesque reddat de vniuersa seditione: certum est apud omnes, eum nihil a legibus Ecclesiasticis, fideque quam nũc obtinet, dissentire, eumq. iudicio accepto, rationibusque vitæ redditis, ab illis penes quos est earum rerum auctoritas & censura, Episcopum constitui debere, si modo ipse se reuera & iure Episcopum videri velit. Quòd si procrastinationes aucupetur, iudiciumque fugiat; euidens omnino documentum est, eum sceleratissimi Athanasij verbis inductum, impie aduersus Deum agere: cum eodem modo in sceleribus, quorum ille conuictus est, pergat: periculumque est, ne peragrata Auxumi, vestrates nefarijs & impijs sermonibus corrumpat, nec solum Ecclesias cõfundat, ac turbet, & in summum numen blasphemias dicat, sed ne singulis quoque gentibus vastationem excidiumque conciliet. Certus enim sum, eum, vbi aliquid addidicerit; comparata ingenti in publicum vtilitate ex venerandi Georgij familiaritate, & ceterorum qui doctrina pollent, ad suas sedes reuersurum esse, vtpote iam exacte in disciplinis Ecclesiasticis eruditum. Deus vos seruet fratres carissimi.] hactenus ad Auximates Constantius Imperator. Subdit hæc autem Athanasius: D E

IN EREMO ATHANASIVS REMORATVR.

His ego auditis, & per eorum lacrymas, qui ista recensebant, visis; fateor quod res est, in eremum me retuli, id ipsum cogitans, quod & tua maiestas videt, in eo ipso ad te perueniendi esse impedimentum, quòd ideo quærebar, vt ad Pręfectos abducerer. Nam si contra me subscribere recusantes, talia tantaque passi sunt; laicisque, qui noluerunt cum Arianis communicare, mors imperata est: cui dubium, quin sycophantæ in me nouas & infinitas species occidendi moliti essent, post mortem meam in quos, & quod libitum fuisset, acturi, maioraque aduersus nos mendacia confícturi, vtpote securi liberique ab omni reprehensore. Non enim metu tuæ pietatis fugi: sed quòd eorum furorem ex actis ipsorum cognitum haberem, cogitaremque eos, ne de ijs, quæ præter animi sententiam gesserant, conuinci possent, quiduis, vt me occiderent, ausuros.

A Ecce enim cum tua humanitas non vltra quàm extra ciuitatem,prouinciamque suam,Episcopos euocari iusserat: isti præclari viri supra mandatum tuum temerarij, longius quàm vltra tres prouincias,in loca deserta,insolita,horribilia,homines senes,& annosos Episcopos eiecerũt:alij enim ex Libya in magnam Oasim, alij ex Thebaide in Ammoniacum Libyæ deportati sunt. Neque rursus formidine mortis me in fugam dedi, ne quis me timiditatis accuset, sed vt Saluatoris præcepto obtemperarem, cuius mandatum est, vt contra persecutores fuga, contra indagatores latebris vtamur; ne si nos in apertum periculum offeramus, acrius prouocemus persequentium furorem: siquidem in æquilibrio est, & seipsum occidere,& se inimicis ad occidendum propinare:qui autem fugit, vt Dominus præcepit, is temporum articulos nouit,& vere suis persecutionibus cauet,ne vsque ad sanguinem fundendum euecti,rei fiant eius præcepti, quod homicidium vetat. PROSCRIPTIO EPISCOPORVM.

B Quàm autem nos perditi criminatores voluerint, satis constat ex ijs, quæ denuo commiserunt,quibus studium suum, sanguinariamque voluntatem egregie produnt. Quæ si audietis, religiosissime Princeps;satis scio,magnopere admiraberis:audacia enim eorum talis est,vt nemo non obstupescat.Quanta autem sit illa,paucis quæso accipe. Dei filius Dominus & Saluator noster Iesus Christus homo propter nos factus, profligata morte,& liberato a seruitute & corruptione humano genere, inter cetera dona sua largitus est nobis in virginitate exemplar angelicæ sanctitatis.Certe puellas ea virtute præditas,sponsas Christi Catholica Ecclesia appellare solita est,quas Ethnici conspectas, vt templum Verbi, admiratione prosequũtur. Nusquam enim alibi sanctum illud & cæleste æternæ virginitatis mandatum feliciter adimpletur, nisi dumtaxat apud nos Christianos:atque in eo magnum documentum est,plane apud nos esse veram religionem. Has præ reliquis omnibus beatæ memoriæ religiosissimus pater tuus LAVS SACRARVM VIRGINVM.

C Constantinus Augustus in pretio habuit;et tua religiositas sæpe eas in suis scriptis pretiosas & sanctas nominauit.

Has nuper præstantes viri Ariani, nostri scilicet calumniatores, insidiatoresque vsi ad hoc & Episcoporum opera,& ministerio Iudicum,detractis vestibus denudaruut, & ab eremitarijs suspenderunt,lateribus earum ita iam tertio laceratis, vt nũquam quidquam tale neque facinorosissimi quidem homines passi sint. Pilatus enim,qui inseruiebat per id tẽporis Iudæis, lancea vnum latus Saluatoris perfodit:isti autem rabie sua Pilatum vicerũt, cum non vnum latus Christi, sed vtrumque lacerarint: membra enim virginum præcipua & propria Christi sunt. Omnes certe, quotquot scelera ista audiũt, vel ad solam famam exhorrescunt:isti soli nihil veriti sunt denudare & lancinare impolluta membra, quæ puellarum æterna virginitas Christo dedicauerat.Et quod teterrimum est,si quando male audirent, & conuicijs ob tantam crudeQVID IN SACRAS VIRGINES ARIANI.

D litatem pulsarentur;pro erubescentia,qua tingi debuerant,causabantur sese id tuo iussu & imperio perpetrasse: tanta illis audacia est & improbitas ad omne facinus.

Nihil certe in persecutionibus tale quid gestum esse audimus. quòd si tale quid gestum reperiatur;non decuit tamen sub te Christiano Principe virginitatem istiusmodi contumeijs exagitari,aut tantam crudelitatem tuæ maiestati imponi, & adscribi:talia enim scelera impietatis in Filium Dei,& in consecratas eius virgines hæreticis conueniunr.]En audis,lector,tanti Patris sententia, quorumnam sint opera, dicatas Deo virgines ludibrijs afficere, & probris atque pudendis contumelijs labefactare:vt ex his plane intelligas,in quorum classem reijciẽdi sint perditissimi hæretici nostri temporis, Arianos impietate superantes; dum eas illi ad extorquendam communionem ab ipsis, eo modo flagellis cædere consueuerunt, Imperatoris causantes mandatum;isti vero in odium sanctissimæ,quæ a temporibus Apostolorum viguit in HAERETICI CONVITIIS CRVDELIORES.

E Ecclesia,obseruantiæ,sacratas Deo virgines(pro dolor) prostituere veneranda Christo dicata membra cogunt,easq.reddũt & Catholicæ religionis & religiosissimæ professionis apostatas: vt hac ex parte lugubriores nobis threni, quàm Athanasio, scribendi essent,& tetriores næniæ concinendæ. Sed res gestas mæsta oratio prosequatur.

Quo modo autẽ ab Heraclio Comite Constantij Imperatoris eiusmodi litteræ & edicta cõtra Athanasiũ Alexandriã perlata fuerint,idẽ S.Athanasius alibi significat [a] his scilicet verbis: Deinde post acta ista Syriani, post tãta facinora,post virginũ cõtumelias,approbãs huiusmodi mala,iterũ scribit Senatui populoq. Alexandrino,iuuentutẽ solicitans, vt omnes in vnũ coacti Athanasium persequantur,aut scirent sibi infestos pestiferosque esse. Athanasius autem, antequàm ista mandata superuenirent,inuasa iã Ecclesia à Syriano,alio abscesserat, non immemor eius quod scriptum est:Abscondere paulisper,donec furor pertranseat. Harum autem litterarum administer Heraclius fuit, titulo dignitatis Comes, præcursor cuiusdam Georgij a Cæsare missi,nõ Episcopi quidem,sed exploratoris:num enim Episcopus fuerit qui ab illo mittitur? a Athanas. epist. ad solitar. HERACLIVS MITTITVR CONTRA ATHANASIVM.

minime

minime gentium, vt ea quæ facta sunt, & procemia ipsius introitus abunde testantur. Edicta igitur, quæ Imperator scripsit, publice proposita sunt. Postquàm enim a magno Osio eas litteras acceperat, nec inueniret suæ mutationis verisimilem causam; excogitauit illam, quæ minime sibi suisque consiliarijs congrueret. Dixit enim, se fratris sui diuinæ & beatæ memoriæ amicitiam reueritum, temporarium Athanasio accessum ad se permisisse. Quæ res & ipsum in promissis fallacem, & erga fratrem mortuum ingratum ostendit.] et post multa in eiusdem detestationem, institutam semel de Heraclio Comite misso cum litteris orationem assumens, hæc habet [a]: A

[a] Athanas. epist. ad Solit.

Ita nunc quoque contra Athanasium, Comitem Heraclium misit, & edicta sua publice proposuit: et minas de auferendis panibus, & idolis euertendis, per litteras denunciauit, & magistratuum & plebeiorum captiuitatem expectandam esse, nisi pareatur. Et in his periculis denunciandis, non veritus est Heraclius publice & magna voce dicere, Cæsarem iubere, vt Athanasius repudietur, & Arianis Ecclesiæ dentur. Omnibus ibi non sine admiratione nutu inter se verbisque interrogantibus: Num Constantius hæreticus factus esset? Quanto ea res flagitiosior erat, tanto maiori vi eam vrgebat, Senatoribus, magistratibusque, & Ethnicis idolorum Aedituis compulsis, vt istiusmodi postulatis subscriberent, pollicerenturq. se pro Episcopo recepturos, quem Imperator mitteret. Probe admodum Constantius ad canones vindicandos ista designauit, qui in locum vicemque Ecclesiæ, & populorum Christianorum, a foro, & idolorum Aedituis istiusmodi pacti syngraphas postulauit, vtpote conscius se non Episcopum Christianis, sed scriptoribus istius pacti Curiosum immittere. Ethnici igitur vt idolorum suorum securitatem redimerent, nonnulli vt quæstum suum assererent, inuitis animis subscripserunt, atque perinde ab illis habitum est, ac si non Episcopus, sed Præses aut Prætor aliquis in prouinciam a Cæsare mitteretur: tanta erat, edictis adhibitis, vis minarum. Quid enim Ethnici homines facerent, nisi hoc ipsum quod Imperatori placeret? B C

QVID HERACLIVS ALEXANDRIAE.

Populis autem in magnã ecclesiam cõuenientibus, erat enim quarta Sabbati ante Pentecosten) postridie Heraclius Comes, adiũcto sibi Aegypti Præfecto Cataphronio, & Faustino Catholico (erat eius nominis magistratus) homine & genere Bithyno, & opinionibus hæretico, iuuenes forenses & idolorum adoratores concitat, vt ex præcepto Imperatoris inuaderent ecclesias, & populos lapidarent: plerique autem populorum iussione e sacris facta abierant, aliquot mulierculis remanentibus. Res agitur, vt imperatum fuit; oriturque miserabile spectaculum. Modo enim ab oratione se mulierculæ sessum receperant, cum leuis armaturæ forensis illa iuuentus cum lapidibus & fustibus irruens, ceteras lapidibus incesserent; sacra autem virginum corpora plagis concidunt, iniectaque in vestes manu, trahunt, capita denudant; eas vero quæ inter trahendum obnitebantur, calcibus pulsant. D

GRASSATIO IN ALEXANDRINOS CATHOLICOS.

Grauia tamen ista & nimium grauia; sed tamen quæ insequuta sunt, multo grauiora, & genere contumeliæ prorsus intoleranda. Cum enim scirent pudicitiam virginum, & aurium integritatem; & quòd patientius ferrẽt lapides & fustes, quàm obscœna verba; fœdissimis dictis inter inuadendum vtebantur: et hæc Ariani iuuentuti suggerebant, quippe qui ad ista dicta & facinora cachinnarentur. Sacræ autem virgines, & aliæ castæ mulieres, vt morsus aspidum, ab istiusmodi vocibus refugiebant. Christi vero perduelles suam quoque operam, vt hæc fierent, addebant; nec dissimile est veritati, ipsos easdem cum iuuentute illas voces concinuisse: delectabantur certe petulantia & obscœnitate verborum, quæ a iuuentute iactabantur.

QVID IN SACRAS VIRGINES.

Deinde cum mandatum Cæsaris omnibus suis partibus impleuissent (hoc enim illis studio erat, hoc Comes & Catholicus præcipiebant) subsellia, thronum, mensam ligneam, tabulas ecclesiæ, & cetera quæ poterant, foras elata combusserunt ante vestibulum in magna platea, & thura sparserunt. O quis hæc audiens non fleuerit? immo quis non, ne ista audiat, aures occluserit? Idola igitur sua laudibus ferebant, dicebantque: Constantius Ethnicus factus est, & Ariani nostra agnoscunt: nihil enim cũrant Ethnicos mores præferre, modo ipsorum hæresis stabiliatur. Nam & buculam Cæsareos hortos irrigantem adorti sunt immolare: atque immolassent, nisi femina fuisset: eas enim immolari, suis ritibus nefas esse aiebant. Hæc religiosi Ariani quòd existimabant in nostram ignominiam redundare, vna cum Ethnicis faciebant. Ceterum diuinum supplicium eorum scelera declarauit; manifesto demonstrans, eos, vt impie credendo, non in alium quàm in ipsum Dominum peccare; ita quoque & ista faciendo, in ipsum Dominum suas iniurias committere: quæ res exitu istius miraculi euidentius patuit. E

SVPELLECTILIA ECCLESIAE INCENSA.

Quidam enim ex petulantioribus iuuenibus interiora penetrans, audacter se in throno sessum recepit, & inter sedendum fornicarios ronchos de naribus insonuit: mox deinde consurgens, magna vi thronum conuellens ad se distrahit, minime aduertens in sese vltionem diuinam

I. THRONVS IGNOMINIA AFFECTVS.

A nam attrahere. Vt enim olim Azoti incolæ [a] auſi Arcam attingere, quam illis vel oculis attingere nefas fuit, ſtatimque ſecundum hoc factum peribant, ſed ita vt prius ſedium tormentis excruciarentur: ita quoque miſer iſte auſus ſellam conuellere, fragmento ligni inde in ventrem ipſius reſiliente, & quaſi ab ipſa vltione impacto, inteſtina ſua perforauit, & eadem vi qua ſolium diſrumpere conabatur, rupta alueo, ſua inteſtina effudit; celeriuſque quàm ipſe thronum auferret, thronus ei vitam ſuſtulit: effuſis enim (vt dictum eſt) viſceribus, collapſus eſt, & inde aſportatus, poſt vnum diem expirauit. Alius item cum frondibus ingreſſus, & vt Ethnicus, eas manu per ludibriũ agitans; ſtatim obortis tenebris, ita oculis caligauit, vt nihil videret, neque intelligeret vbi terrarum eſſet: quem iam iam collapſurum, ij qui aderant manibus ducentes, vel potius geſtantes, e templo extulerunt, adeo vt vix poſt diem ad mentem redierit, nihil memor eorum, quæ vel fecerat, vel paſſus erat. quibus conſpectis, Ethnici quidem in metu B erant, neque plura auſi ſunt.

[a] 1. Reg. 5.

DIVINA VLTIO IN SACRILEGOS.

Ariani autem ne ita quidem vllo rubore repreſſi, quemadmodum Pharao, magis magiſque indurabãtur: quippe qui & ipſi quoque ſuas ſpes humi & inferne haberẽt, in Cæſare nimirum & in eius eunuchis: Ethnicos igitur, vel potius ex Ethnicis teterrimos quoſque talia deſignare permittebant. Habebãt autẽ ſibi ad iſtiuſmodi hiſtrionẽ, & Ethnicos concitantẽ Fauſtinũ titulo Catholicum, moribus autem circumforaneũ, & animo proteruum. Ipſiq. perſimilia inſtituerunt facere: vt quemadmodũ hæreſin ſuã ex alijs hæreſibus expreſſerãt; ita quoq. cũ proteruis hominibus in cõmune peccantes, aliquid tamen proprij ſuique in ſceleribus & quaſi peculiare ſibi quærebãt. Alij igitur, quemadmodũ iã dixi, per illos faciebãt. Quæ autẽ per ſe deſignarunt, qui quæſo non ſuperant omnem malitiã & carnificis immanitatem? Quas ædes nõ depopulati ſunt? Quã domũ ſub ſpecie quærendi nõ diripuerunt? Quem hortum non cõculcauerũt? Quod C ſepulchrum non aperuerunt, eo prętextu, quaſi Athanaſium quęrerẽt, cum nihil niſi rapere & ſpoliare ſtuderẽt? Quot hominum ædes obſignatæ ſunt? Quã multa, quæ in hoſpitalibus erant, militibus adminiſtris ſuis donauerunt? Quis illorũ ſcelerum expers fuit? Quis illis obuius nõ ſe ſe in foro occultauit? Quis non ob iſtos, relictis ædibus, in deſerto pernoctauit? Quis cum ſua ſeruare ab iſtis feſtinaret, non plura inſuper perdidit? Quis maris imperitus, nõ maluerit mare, mariſq. pericula experiri, quàm illos minaces videre? Multi autem domicilia permutarunt, de porticu in porticum, & ex vrbe in ſuburbana tranſilientes. Quàm multi & quàm magnas mulctas ſuſtinuerunt, & cũ non eſſet vnde luerent, mutuo pecuniã ſub vſuris acceperunt, non alia de cauſa, quàm vt eorum inſidias effugerent? Omnibus enim ſe terribiles oſtendebant; ad omnes ſe magnifice iactabant, Imperatorem in ore habentes, eiuſque terrorem & minas denunciantes: cum miniſtros ad ſua ſcelera haberent Ducem Sebaſtianum, ſecta Manichæum, petu- D lantem, ferocem, Præfectum item, & Comitem, & hypocritam Catholicum.

FAVSTINVS PERSECVTOR.

SAEVA PERSECVTIO ARIANORVM.

Multas certe virgines, quæ & eorũ impietatem damnabant, & veritatẽ agnoſcebant, ex ædibus ſuis deportarunt, aliaſq. ad negotia ſuã euntes contumelijs affecerunt; operamq. dedere, vt a proteruioribus adoleſcẽtibus denudarẽtur: ſuiſq. mulieribus poteſtatẽ cõceſſere, vt quam vellent indigne tractarẽt. Graues igitur & fideles matronæ illis de via concedebãt: vxores autem eorũ, veluti Bacchæ & Furiæ circumcurſitantes, pro calamitate habebant, ſi neminẽ inuenirent, cui iniuriã facerẽt; eumq. diẽ quo malefacere non dabatur, cum mærore tranſigebãt. In ſumma ita erant feri & acerbi in omnes, vt carnifices, homicidæ, nefarij delatores, malefici, & quiduis potius quàm Chriſtiani ab omnibus vocarentur. Quippe qui Scythas imitãtes, rapuerint Eutychiũ ſubdiaconũ, virũ probe Eccleſiæ inſeruientẽ; quẽm primũ ſcuticis vſque ad mortẽ curauerũt verberari, deinde ita moribundũ in metallũ mitti, & nõ in quoduis metallũ, ſed in E id quod Phæno appellatur, in quod homicida cũ cõdẽnatur, nõ niſi ad pauciſſimos dies ſupereſſe poteſt: et quod immanius eſt, ne paucis quidẽ horis ad curationẽ vulnerũ cõceſſis, hominẽ ſtatim in metallũ deportarũt: prædicãtes, ſi hoc fieret, omnes in metu futuros, & ſecũ cõſociatũ iri. Ceterũ ille nõ lõge auectus, cũ imbecillior eſſet, quàm ad metallũ perduci poſſet, ex dolore vulnerũ in itinere deceſſit. Et ita ille quidẽ cum gaudio mortuus eſt, poſſidẽs gloriã martyrij.

IGNOMINIA AFFECTAE VIRGINES.

Impij autem ne ita quidem rubore repreſſi ſunt, habentes (ſicut ſcriptum eſt) viſcera ſine miſericordia: immo quiddam prorſus ſatanicum meditato ſtudio deſignarunt. Cum enim populi pro Eutychio precibus ſuis ſuppliciter intercederent: reiectis populorum precibus, quatuor pro eo bonos & ingenuos viros, & inter alios Hermiam lauantem pedes peregrinorum, abripi iuſſerunt: quos Dux multis plagis conciſos in carcerem coniecit. Ibi Ariani Scythis crudeliores, poſtquàm videre eos verberibus nondum enectos, expoſtulare cum Duce occipiunt, minitatique ſunt, ſe eunuchis ſcripturos, quòd non ad ipſorum arbitrium flagellaret. Quorum verbis ille cõterritus, iterum homines flagellare incipit: ipſi autem qui verberabãtur,

ARIANORVM CRVDELITAS.

non ignari cur vapularent, & per quos falso delati essent, nihil aliud dicebant, nisi se ob verita- A
tem flagellari: Non communicamus, dicentes, cum hæreticis: verberato, vt libet: Deus autem
ob ista te iudicabit. Impij vero eos in carceribus periclitari, morique cupiebant. Populus au-
tem Dei, cognita opportunitate temporis, pro eis intercessit; atque ita vt inde post dies septem
plus minus liberati fuerint.

Eusebiani vero quasi eo ipso grauiter habiti fuissent, alia crudeliora magisque nefaria mo-
liti sunt facere, quæ quidem immania aliorum ingenijs videntur, ipsorum vero hæresi hostilia

a *Matth.* 19.25.

ARIANI PROHIBENT ELEEMOSYNAM.

in Christum profitenti prorsus consentanea. Siquidem Christus nos admonet [a], vt pauperum
memores essemus, & vendenda esse bona, & danda in eleemosynam: Esuriui, inquit, & dedistis
mihi manducare; sitiui, & dedistis bibere: quod enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.
Isti autem, vt reuera Christo infesti, eius volūtati hac ex parte obsistere conati sunt. Cum enim
a fratribus in egenos & viduas, quibus in Ecclesijs, quæ iam per Ducem in Arianorum potesta- B
tem concesserant, sedere non liceret, ac proinde in locis per clericos in quorum tutela erāt, as-
signatis versarentur, eleemosynas benigne conferri conspicerent: non ferentes hanc pietatem,
miseros illos ferire ac verberibus insectari cœperūt: criminibus quoque in donatores eleemo-
synarum intentatis, illos apud Ducem eo nomine accusarunt, vtentes ad ea opera cuiusdā mi-

SEBASTIANVS MANICHAEVS.

litis. Gratum id admodum fuit Sebastiano: nam apud Manichæos misericordia non est, & pro-
re hostili habetur pauperum commiseratio. Erat igitur noua expostulatio, & tribunal primum
ab ipsis excogitatum, vbi de beneficio reatus fieret, & miserator accusatione impeteretur: et
is qui beneficium acceperat, vapularet. Malueruntque pauperem esurire, quàm liberam alijs
misericordiam permittere: et hoc quoque ab antiquis Iudæis ipsi noui Iudæi didicerant. Nam
& illi cum vidissent, cæcum a natiuitate, visum recepisse, & eum qui multis temporibus paraly-
ticus fuerat, sanatum esse: auctorem quidem beneficij Dominum nostrum vituperabāt; benefi- C
cio autem illo affectos, vt transgressores condemnabant. Quis igitur non ad ista obstupuit?
Quis non hanc hæresin eiusque assertores execratus est? Quis non cognouit Arianos belluis
immaniores esse?

ARIANORVM IMMANITATEM OMNES EXECRANTVR.

Atqui scelerati, id quod per ista sua facinora captabant, minime assequuti sunt, sed magis
odium suum apud omnes intenderunt. Sperabant enim vi & insidijs multos cogi posse, vt secū
communicarēt: sed res illis in contrarium cessit. Qui enim ista patiebātur, eas calamitates tam-
quam martyrium sustinebant, minime prodentes, aut inficiantes piam in Christum fidem. Ex-
tranei autem, qui ista spectabant, in quo numero etiam Ethnici erant, Arianos, vt Antichristos
& carnifices, execrabantur: est enim genus humanum, amans pauperum, & pronum ad miseri-
cordiam; sed Eusebiani humanam mētem exuerant. Egeni porro, qui ita vapulabant, optassent
forsitan vel a quouis beneficium accipere: verum id Eusebiani Iudicum & Comitis imperio D
succincti, quibus libera potestas erat quemlibet affligendi, nequaquam permittere voluerunt.

QVID ARIANI IN PRESBYTEROS ET DIAC.

Quæ enim in presbyteros & diaconos fecere, & quo modo ipsos sub Duce & Iudicibus in
exilium egere, eorumque amicos militari manu extraxerunt, Duce Gorgonio plagis eos con-
cidente: & quomodo omnium, quod summæ crudelitatis est, etiam iam mortuorum membra
artusque per summam sæuitiam discerpserint, non est vt verbis enuncies: vincit immanitas om-
nem rationem eloquendi: quid enim tantum dixeris, vt rē ipsam eloquutus videare? aut cuius
primum mentionem facias, vt non inuenias primis secunda, secundis tertia, ac deinceps po-
steriora quæque efferatiora? omnes enim eorum conatus cæde & impietate redundant.] &
paulo post, hos immaniores fuisse persecutoribus Ethnicis, apta inter eos facta collatione, de-
clarat his verbis:

PERSECVTIO ARIANORVM CETERIS CRVDELIOR.

Ego enim a patribus audiui (& verum arbitror) cum persecutio esset nata sub Maximiano, E
Ethnicos homines, fratres nostros Christianos, cum quęrerentur, latebris abdidisse, eosq. sæpe
pecunia mulctatos, & carceri mancipatos fuisse, non ob aliud, quàm quòd profugientes ad se,
prodere nollent; eosq. eadē fide qua seipsos tuendos putarent, non veriti ob id sese periculis
obijcere. At nūc mirifici isti nouæ hæreseos inuentores, nulla æque re, vt insidijs, clari, omnia in
contrarium faciunt: ipsi enim vltro carnifices effecti, & occultatos rimantur, vt eos e latebris
eruant: et occultatoribus insidias nectunt, æque sibi inimicum & occultatum & occultatorem
arbitrantes: ita natura cruenti sunt, & homicidæ, & scelerum æmuli.] et paulo post:

... Adhuc enim hæresis sæuit, eosq. qui illam nondum cognitam habēt, ad noxam circuit: qui-
bus autē nocuit, ijs nouā iniuriam meditatur. Ecce enim post nocturnā grassationē, malaq. inde
propagata, nō intermittūt apud Cęsarē criminationē struere: neq. id mirū, cū certi sint sese au-
diēdos, modo impia afferāt. Agūt igitur, vt dānatio grauior exilio infligatur, & ad necē rapian-
tur, quotquot impiæ hæresi non obtemperauerint: et certe nūc eo genere crudelitatis sæuiunt.

A Secundus igitur Pentapolitanus nomine tenus Episcopus, homo omnium mortalium teterrimus, eiusque in coniuratione socius Stephanus, non ignari se de quauis iniuria ob hæresis gratiam excusari posse, Barcham quemdam presbyterum nacti, nomine quidem Secūdo similem, fide dissimillimum, ipsis non obtemperantem, calcibus obtritum interfecerunt. (BARCAE MARTYRIVM.) Ille autem cum occideretur, Sanctum imitatus, ita loquutus est: Nemo me apud Iudicem vindicet: habeo vindicem Dominum Iesum, pro cuius nomine ista patior. Illi contra hominis ita loquentis nihil quidquam miserti sunt, neque diei vllam reuerentiam habuere, cum in ipsa Pentecoste hominem calcitrando eliderent. O nouam hæresin sceleribus & impietatibus diabolum totum, quantus quantus est, induentem!] hæc Athanasius, post alias illatas Paschatis temporibus clades; paucis attingens res Pentecostis festo gestas: quarum alijs in locis vberiorem prosequutus narrationem, sic ait [a]:

B Grauia quidem ista, grauiora tamen quæ postmodum commissa sunt. In hebdomade siquidem post sacram Pentecosten, populus completis ieiunijs, ad orandum ad cœmeterium abijt, eo quòd adhorrerent à communione Georgij. Quod cum homo omnibus modis sceleratissimus intellexisset; Ducem copiarum Sebastianum, secta Manichæum, ad vim & ad arma instigat. (QVID ARIANI TEMPORE PENTACOSTES.) Igitur ille militari manu, infestis telis, cum alij gladios strictos, alij arcus gestarent, impetum in populum facit; rarosque illic oratores deprehendens (nam plerique, vt erat diei tempus, discesserant) talia designauit, qualia par erat eum designare, qui istiusmodi hominibus aurem præbuisset. Virgines enim ignibus flammantis rogi admotas, adigebat ad confessionem Arianæ religionis: ibi cum eas inuictas cerneret, corpora nudat, atque ita in faciem cædit, vt vix longo post tempore a suis potuerint agnosci. Viros autem quadraginta comprehensos noua ratione lacerauit: virgis enim palmeis aculeos suos adhuc retinenti-

C bus ita terga eorum cecidit, vt alij sæpius a medicis ob tenacius inhærentes aculeos frustra curati; alij curationem non ferentes, mortem oppetiuerint. Ceteros deinde omnes, quotquot comprehenderant, in eam partem Aegypti, quæ magna Oasis appellatur, relegarunt. Corpora autem defunctorum initio ne suis quidem dati voluerunt, eaque pro libidine sui consilij insepulta clanculum habuerunt, quòd putarent suam crudelitatem posse latere. Qua in re vecordes illi magno errore mentis tenebantur: necessarij enim, amicique interfectorum, de confessione quidem suorum læti, sed mæsti admodum de subductis corporibus, nec tacētes facti immanitatem, causam dedere, vt scelerum tragœdiæ semper in maius diuulgarentur.

Illi autem ex Aegypto & Africa hos Episcopos ad fugam exiliumque compulerunt, Ammonium, Muim, Caium, Philonem, Hermem, Plinium, Psenosyrin, Palemonem, Agathonem, Anaganphon, Marcum, Ammonium, & alterum eiusdem nominis Marcum, Dra- (EPISCOPI EXVLES ET AATOARES.)

D contium, Adelphium, Athenodorum, presbyteros vero Hieracem & Dioscorum; quos tanta acerbitate raptauerunt, vt quidam in via, quidam in exilio mortem oppetierint, actis in fugam pluribus quàm triginta Episcopis: siquidem illis studium fuit, secundum Achab, quoquo modo, si fieri posset, veritatem e medio tollere.] Quod ad Dracontium Episcopum spectat: (DRACONTIVS EPISCOPVS.) hūc illum esse putamus eius nominis virum, quem ex monacho, diu renuentē, ipse Athanasius adegit tamē, vt Episcopatus onus susciperet. est vero mētio apud S. Hieronymū de eodē Dracontio Episcopo exulāte, atque Philone collega, quos S. Hilarion cum petiit Aegyptū, inuisit; ait enim cum agit de eius aduētu in Aegyptū [b]: Quinto igitur die Hilarion venit Pelusiū; visitatisq. fratribus, qui in vicina eremo erant, & in loco qui dicitur Lychnos, morabātur, perrexit (b Hieron. in Vita S. Hilarionis.) post triduū ad castrū Theaubatū, vt videret Dracontiū Episcopū & confessorē, qui ibi exulabat: quo incredibiliter consolato tanti viri præsentia, post aliud triduū multo Babylonē labore

E peruenit, vt videret Philonem Episcopum & ipsum confessorem: Constantius enim Rex Arianorum fauens hæresi vtrumque in ea loca deportauerat.] hæc de S. Hilarione Hieronymus, ex cuius testificatione & illud proditur, inuisisse ipsum Christi confessores anno qui sequitur Antonij obitum, qui contigit post sequentem annum.

Porro eiusdē quoq. auctoris assertione cōpertū habetur, tēpore mortis ipsius Antonij, eūdē Hilarionē fuisse annorū ætatis sexagintariū: qui cū puer inuisisset olim Antoniū annos quindecim natus, largitus sua bona pauperibus, monasticā vitā arripuit, quādo desertum a Maiuma (HILARIONIS AETAS ET PROFESSIO.) Nauale Gazæ septem milliaribus distans petijt, vbi magna miraque operatus non Palæstinis tantum innotuit, sed toto pene Orbi conspicuus factus fuit; cuius ad monasticam perfectionem progressus, & præclaras ab eo virtutes & miracula edita, idē auctor pluribus prosequutus est.

Sed iam ad cladem Orthodoxorū Aegypti Episcoporum reuertamur, & quæ singulis Episcopis exulibus loca singula fuerint præscripta, eodem auctore Athanasio recenseamus, ac primū quæ his præmittit, ita scribens [c]: Ecce enim nunc denuo Alexandriæ, & in Aegypto, & per vniuer-

a Athanas. Apolog. de fuga sua.
c Athanas. ad Solitar.

TRADITAE ECCLESIAE ARIANIS. vniuersam Libyam Constantius Imperator Ecclesias turbauit, & propalã edixit, vt Catholicæ A Ecclesiæ eiectis piæ religionis Episcopis, in vniuersum hominibus Arianę opinionis tradantur. Hoc dux exercitus facere incepit; ac iam inde Episcopi, presbyterique & monachi ferro vincti, plagis vsque ad mortem cæsi, alio atque alio transmittuntur: omniaque in singulis locis tumultibus agitantur: Aegyptus & vniuersa Libya in periculum venit, populis rerum iniquitatem indigne ferentibus, cum ante oculos suos videant Antichristo viam parari, sua sibi eripi, eaque hæreticis dari. Quando igitur vmquam audita est tanta iniquitas? Quando tale malum vel in persecutione visum fuit? Ethnici erant qui prius persequebantur, sed tamen in Ecclesias idola non inferebant. Zenobia Iudæa erat, & protectrix Pauli Samosateni, sed tamen Ecclesias Iudæis in synagogas non tradidit. Nouum istud odium est, neque simplex persecutio, sed immanitas quædam omni persecutione plena, procemiumque & præparatio Antichristi. Esto contra Athanasium, aliosque Episcopos quos in exilium misere, comminisci potuerunt criminum causas; sed nihil illa ad hoc nouum genus malorum. Quid criminis confingere possunt contra vniuersam Aegyptum, Libyam, & Pentapolim? Non enim in singulos insidias moliti sunt, vt mentiendi occasionem haberent, sed simul omnes adorti sunt: vnde fit, vt si quid fingere ausint, falsi statim mendacesque appareant. B

Excæcauit eorum animos malitia eo ipso, quòd simpliciter postularunt, omnes Episcopos sine exceptione submoueri; vt clarum facerent, se contra Athanasium, ceterosque Episcopos, quos in exilium misere, non alia de causa, quam ob impiam hęresin falsum crimen confinxisse. Res enim non amplius latet, sed iam omnibus compertissima est, eo quòd & Athanasium e ciuitate eijci, & Arianis Ecclesiam tradi iusserit: adeo vt iam presbyteri & diaconi, qui cum Athanasio a Petro vsque Alexandrino & Alexandro in clero & Ecclesia fuere, profligentur; & hominibus certe Arianis, neque illis nouitijs, sed veteranis, ac iam olim cum C Ario ab Alexandro Episcopo damnatis, Ecclesiæ donentur. Ita in superiori Libya Secundus, in Alexandria Euzoius ille Chananæus, Iulius, Ammon, Marcus, Irenæus, Zosimus, Serapion cognomento Scurricula *, in Libya vero Sisinius cum iuuenibus eiusdem secum hæreseos cultoribus Ecclesias accipiunt. Sebastianus vero exercituum dux singulorum locorum præpositis & militaribus Præfectis in eam sententiam litteras misit, vt veros Episcopos persequerentur, & pro illis suffragatores hæreseos in Ecclesiam introducerent. Nihil horum omissum: relegarunt enim Episcopos qui in clero consenuerunt, & per multos annos in Episcopatu versati fuere; ex quibus Ammonium in superiorem Oasin, Muim Psenosyrin, Illammona Plenem, Marcum, Athenodorum in Ammoniacam in exilium miserunt, nihil aliud captantes, quàm vt in desertis solisque locis oberrando perirent.

CLERICI ECCLESIAE CATHOLICAE VNDIQVE PVLSI.

* Securicula.

EPISCOPI RELEGATI.

Nihil eorum, qui aduersa valetudine laborabant, miserti; adeo vt iter ægre ob imbecillitatem ferentes, lecticis apportati sint, a tergo ob morbum funeralibus instrumentis subsequi iussis: certe vnus ex eo numero extinctus est, cuius ne cadauer quidem ad suos referri permiserunt. Atque hinc est, quòd Dracontium Episcopum in solitudinem eam, quæ circa Clysma est, retruserint, Philonem Babylonem, Adelphium in Psinabla Thebaidis, Ieracem autem & Dioscorum presbyteros in Soinem; Ammonium item, Agathum, Agathodæmonem, Apollonium, Eulogium, Apollo, Paphnutium, Caium, Flauium veteres Episcopos profugos fecere: et hos quidem in lapidicinis manciparunt: illos ad necem persecuti sunt, multosque laicos numero quadraginta spoliauerunt: virgines autem, quas antea flammis admouerant, & ita palmarum flagellis verberauerant, vt quinto die aliæ perirent, aliæ sub chirurgorum manibus ob stimulos palmarum corporibus impactos, grauiores morte dolores paterentur, e suis finibus eiecerunt: et quod grauius apud omnes qui mente valent, sed tamen (quod proprium est impiorum) cum vapulantes feminæ inter verbera Christum inuocarent, illi pro maiori contumelia dentibus suis in eas stridebant. Quin immo ne corpora quidem occisorum suis ad sepulturam concessere, sed locis occultis abdiderunt, vt laterent scilicet ipsorum homicidia: verum ea minime latuerunt; vniuersa enim ciuitas hanc crudelitatem vidit; omnesque eos vt carnifices, vt maleficos, vt latrones auersati sunt: quippe qui & monasteria euerterint, & ignes iniecerint ad monachos comburendos, domosque diripuerint, & deposita ab Episcopis in ædibus ingenuorum hominum irruentes deprædati sint, & interuerterint, viduasque calcibus obtriuerint, eleemosynis obstiterint. istiusmodi sunt scelera Arianorum. D E

DIRA PERSECVTIO.

QVID IN MONASTERIA ET MONACHOS.

QVALES EPISCOPI SVFFECTI MARTYRIBVS ET CONFESSORIBVS.

Quid autem pro impia sua hæresi conentur, quis quæso vel audiendo non exhorrescat? qui tot & tam graues ætate Episcopos relegarũt, & in illorum locũ iuuenes libidinosos, Ethnicos, ne catechismo quidem imbutos (ea spe, quasi res statim confici posset) nec non & bigamos, & de

A & de maximis criminibus male audientes, opum gratia & potentiæ commendatione, modo aurum darent, veluti emptores, e foro ad Episcopatus misere. At iam inde grauior calamitas populum pressit, qui cum auersarētur mercenarios istos ab Arianis quidem pro Episcopis submissos, sed tamen publice pro alienis habitos: flagellis misere a Duce, bonis Fisco addictis, concidebantur. Quod admodum libēter faciebat homo Manichæus, nempe Sebastianus Dux, eo animo ne illi suos Episcopos reposcerent, & quos auersabantur, reciperent, homines nimirum ea agentes, quæ prius inter idola sua luserant. Quis hæc videns vel audiens, quis item cōsiderans ferocitatem impiorū & tantam iniustitiam, modo ipse iustus sit, non ingemiscat? in locis enim infidelium suspirant iusti.

Quis igitur cum ista fiant, & cum impietas tātam impudentiam sibi vendicet, ausit iam inde Constantium hominem Christianū appellare, ac non potius Antichristi imaginem esse? Quid B enim ex notis Antichristi huic deest? aut quid est, cur non omnibus modis Constantius Antichristus, & vicissim Antichristus Constantius habeatur? Nonne in magna Ecclesia, in Cæsareo victimas cōtra Christum, & blasphemias, veluti ex pręcepto eius, Ariani & Ethnici fecere? Nōne visio Danielis [a] istiusmodi notis Christum significat? nimirum quòd bellum gesturus cū sanctis sit, & quòd inualescet contra eos, &c.] Quod item spectat ad Episcopos a Cōstantio in exilium missos; Epiphanius [b] auctor est, quamplures eorum in Cappadociam fuisse relegatos, nempe Eulogium, Adelphium, Alexandrum, Ammoniū, Arpocrationem, Isaac, Isidorum, Anubionem, Pitiunum, Euphrationem, & Aaronem, quorum superius mentio facta est; hosque Diocæsaream amandatos, conuentos esse a Marcelli discipulis, idem ait, sed ab eis vt suspectos non fuisse susceptos.

IVSTA IN CONSTANTIVM INVECTIVA.

a Daniel. 7.

b Epiph. hæres. 72.

IN CAPPADOCIAM EPISC. RELEGATI.

Marcellinus presbyter [c] in libello de schismate Vrsicini, cōsentientia his, quæ ab Athanasio C scripta sunt de populis non recipientibus ordinatos ab Arianis, hæc narrat de Theodoro Episcopo Oxyrynchi illustris in Aegypto ciuitatis, qui ab Arianis pellectus atque seductus e Catholicæ Ecclesiæ castris defecit ad ipsos Arianos, adhærēsque Georgio, fidē Orthodoxā abiurans, & sacerdotium execratus, quod acceperat in Ecclesia Catholica, se laicū professus, petijt ab eodem sacrilego Georgio ordinari, & sic in Ecclesia Episcopus ministrare. Huius vero communionem cum plebs vehementer detestaretur, Athanasium delitescentem conueniens, ab eo petijt Heraclidem virum sanctissimum ordinari sibi Episcopum, cuius ipsa doctrinam consectaretur & mores: cum Theodorus ille nequam, sumptis secum militibus lācearijs, in populum in Ecclesia existentem barbarico impetu grassatus est, vbi magna fuit facta fidelium cædes, virginum pudor contaminatus; altare profanatum; quando & Heraclidem ipsum contumelijs affectum alio transtulit: at de ipso Heraclide rursum inferius. Sed hæc pluribus D Marcellinus.

c Marcellin. de schismat. Vrsicini.

THEODORVS EPISCOPVS OXYRYNCHI ARIANVS.

Meminit & Lucifer Calaritanus [d] de duobus presbyteris Ecclesiæ Alexandrinæ, qui ab Athanasio & fide Catholica deficientes Georgio adhæserunt, cum hæc in Constantium ait: Non enim apud Alexandriam Machetam & Dydimum ex presbyteris execraris, qui noscuntur ex Christianis facti Ariani: sed auersaris scilicet quos cognoscis stare nobiscum. Aut si non ita est, cur nunc non execraris Dydimum & Machetam, quos antea execrabaris? nisi quia tunc a te fuissent execrabiles habiti, quia essent adhuc scilicet Christiani: nunc vero sint tibi carissimi, quia videlicet esse cœperunt, vt tu, apostatæ, blasphemi.] ita ipse.

d Lucif. Calarit. pro Athanasio lib. 2.

MACHETA ET DYDIMVS ARIANI.

At qui prosequuti sumus Athanasium in eremum fugientem, cum eodem ibidem commorante versetur oratio. Superstes adhuc erat Magnus Antonius, quem saltem inuisisse, si manere apud eum diu non licuit, mihi facile persuadeo. Porro ad euitandos curiosissime in-E dagantes eum Arianos, perinde ac venaticos canes, occultiores latebras ipsum quæsisse oportuit: vbi vsque ad Constantij obitum commoratus, haud otiosus vitam transegit: ibi enim complura conscripsit, quæ ad roborandos in fide Catholicos, & lapsos erigendos, magnopere conducerent: quibus insuper ipse Arianos, & eorum fautorem Imperatorem, atque Præfectos impietatem excolentes magnopere exagitaret. Tunc enim luculentam illam epistolam elucubrauit ad omnes in eremo solitariam vitam agentes: Nam quòd non liceret singulos inuisere, coramque (vt in optatis erat) cum omnibus sermonem habere; voluit ea nobili scriptione cunctis præsto esse, eosdemque ne ex aduersariorum calumnijs quæuis posset pulsare tentatio, de cunctis, quæ ab Arianis aduersus Ecclesiam Alexandrinam gesta essent, reddere certiores, cum id complures ex ipsis magnopere expetijssent. Quam quidem hoc ipso anno ab eodem scriptam esse, ex eo facile potest intelligi, dum apparet, res gestas vsque ad præsentem annum oratione prosequutum fuisse; quæ autem post hæc acciderunt, minime attigisse.

ATHANASII LATEBRAE IN EREMO PROFVGI.

ATHAN. SCRIPSIT AD SOLITARIOS.

Tunc etiam cum durissimum nuncium accepisset de his quæ dicatæ Deo virgines passæ essent, acerbissimos casus iugiter lacrymis prosequutus, eas consolaturus, litteras ad ipsas scripsit: verum illæ non extant, sed tantum ex eis breue fragmentum, quod Theodoretus [a] recitat, cum ait: Idem Athanasius ad virgines illas quæ acerbos cruciatus illos pertulissent, orationes, quibus eas consolaretur, scripsit, in quibus quidem inseruit ista: Ob hanc causam nulla vestrum in mæstitia sit. Quamuis isti impij vobis inuideant sepulturam, & funera ducere prohibeant (nā hactenus quidem Arianæ tragœdiæ exitus) & portas occludant, & prope monumenta tamquā laruæ assideant, obseruantes ne mortuorum quisquam tumulo condatur, &c.] hæc ibi. A

ATHANASIVS SCRIPTIS CONSOLATVS EST VIRGINES.

a Theodoret. lib. 2. c. 14.

Quòd insuper accepisset, Arianos ignauiæ & socordiæ nomine fugam suam infamare penes populum non desinere, calumniantes scilicet, quòd malæ causæ diffisus, maleq. sibi conscius solum vertisset, nec ea ex parte optimi pastoris numeros explesset, cuius muneris est animam suam pro ouibus ponere; sed mercenarij, cuius est sibi potius, quàm ouibus consulere: Athanasius ipse tunc ad hos redarguendos, qui quòd optassent illum occidere, adeo ægre ferrent iam fuga lapsum, & e manibus ipsorum ereptum, egregium plane commentarium tum elaborauit, quo texuit Apologiam de fuga sua, in cuius hæc habet exordio: Audio; Leontium Antiochenum, & Narcissum Neronopolitanum, & Georgium Laodicensem, reliquosque cum ipsis Arianos multa de me obgannire, & crimen timiditatis opprobrare; quòd cum ab ijs ad necem quærerer, non me ipsis in deditionem obtulerim, &c.] plura etiam inculcat, quibus cum illorum in persequendo furorem, vesanamque rabiem ex crudelibus factis testatam reddidit, tum ad sui defensionem oracula diuina adduxit in medium, quibus & ipsorum petulantia retunderetur, atque sua fuga ab eorumdē calumnijs vindicata, laudabilis haberetur. Certe quidem ab alijs, tum præsertim a S. Augustino, vt commendabilis, adducitur in exemplum eiusmodi Athanasij fuga, cum ait [b]: Fugit Apostolus; cum a persecutore proprie ipse quæreretur, alijs vtique necessitatem similem non habentibus, a quibus illic ministerium absit vt desereretur Ecclesiæ: sicut fugit S. Athanasius Alexandrinus Episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator: nequaquam a ceteris ministris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat.] hæc ipse. B C

ATHANAS. SCRIPSIT APOLOG. DE FVGA SVA.

b August. ad Honorat. epist. 180.

Quòd autem Ariani, & in primis, vt vidimus, ipse Constantius Imperator, quo sua ipsorum facta aliquo prætextu iustitiæ obuelarent, maledicta in Athanasium, vt in impostorem, & hominem omnium scelestissimum iactitarent, immo & plura in eum etiam scriptis spargerent; quibus simpliciores fidem adhibentes possent in ipsum Athanasium facile commoueri: necessarium eidem Athanasio visum est, ad eumdem Imperatorem Constantium scribere Apologiam, quem potius optasset, si licuisset, præsentem cōuenire, & coram dicere causam suam; iam enim ad illum profecturus, vt vidimus, statim post fugam in eremum, iter aggressus erat; sed non licuit ex causis superius enarratis. ea igitur scripta Apologia in illa omnes calumnias quas in ipsum Ariani obiectassent, per singulas, easdem confutando, recenset. D.

ATHANAS. SCRIBIT APOLOG. AD CONSTANTIVM.

Erant enim istæ, quātum diuersis in locis pro rerum tractandarum occasione superius mentio facta est, Tyriæ illæ calumniæ a tot Concilijs, nempe Alexandrino, Romano, & Sardicensi discussæ pariter & excussæ: his additum, ad exasperandum Constantij animum, figmētum illud, nimirum quòd Athanasius agens in Occidente, Constantem Imperatorem aduersus Constantium concitasset: sed haud huic inferius fuit illud ab ijsdem Arianis in eumdem excogitatum commentum, quòd cum esset Alexandriæ, litteras scripsisset ad Magnentium tyrannum, quibus eum aduersus eumdem Constantium prouocasset. Contemptus insuper eiusdem Imperatoris fuit Athanasius ab ijsdem insimulatus, quòd basilica ab eo Alexandriæ erecta, ad sacra, ipso inscio, vsus esset. Verum ceteris recentior illa fuit in eum illata calumnia, quòd vocatus a Constantio, ad eum accedere contempsisset. Diffamabantur hæc ore Arianorum; quæ fidem inuenisse apud Imperatorem, ab alijs quibus parum Athanasius perspectus esset, facile credebantur. Sed quàm veteratorie atque calumniose istæ ab illis fuerint adinuentæ fallaciæ, & huiusmodi coagmentata mendacia, dicta Apologia ad Constantium scripta ipsemet Athanasius apertissima luce demonstrat: quibus plane permoueri potuisset Constantij animus, nisi obduratę perfidiæ & obstinatæ impietatis arctis vinculis alligatus, & insolubilibus pene nodis obstrictus fuisset. E

CALVMNIAE IN ATHANAS. CONGESTAE.

Sed ad hæc insuper, tā Arianorum quàm Gentiliū assertione, ea de Athanasio erat vulgata calumnia, quòd magus esset, atq. augurādi calleret scientiā, quod & ex Ammiano superius dictum est: vnde vero emerserit eiusmodi falsæ famæ occasio, Sozomenus narrat, ac primum hæc ait [c]: Itaq. his rebus & aliis permultis, quæ similiter ab eo præsignabantur, ex Gētilibus aduersariis suis & Arianis in crimen falso vocatus est, quòd eas per præstigias magicas conficeret.

MAGIAE ATHANASIVS ACCVSATVS.

c Sozom. lib. 4. c. 5.

Nam

A Nam fama est; quodam tempore, cum per plateas ciuitatis incederet, forte fortuna coruum versus eum volitantem crocitasse; turbamq. Gentilium casu astantem, eum tamquam præstigiatorē irrisisse, atque adeo ab illo postulasse, vt quid dixisset coruus, ipsis memoraret. Illum autem leniter subridentem, respondisse, Cras: quod Latino sermone diem proxime sequentem significat. Quare cum istam vocem emiserit, obnunciat vobis, diem crastinum peracerbum vobis futurum: præmonstrat enim vobis mandato Imperatoris prohibitum fore, ne vestrum diem festum, qui proxime sequitur, celebretis. Quæ Athanasij prædictio, licet ipsis videretur ridicula, vera tamen extitit. Nam die crastino litteræ Imperatoris sunt magistratibus ciuitatis redditæ, quæ iubebant ne Gentilibus amplius potestas permitteretur vel ad fana sua accedendi, vel consuetos ritus & conuentus celebrandi. Itaque festus dies, qui tum forte incidit, iisque Gentilibus venerandus atque magnificus, sublatus est. Verum quòd B Athanasius dono prophetiæ imbutus fuerit, ista quidē dixisse, sat est.] hucusque Sozomenus. ATHANASII PROPHETIA MALE ACCEPTA.

Qui igitur ab Ethnicis Athanasius deridebatur, voluit ea occasione ipsos Ethnicos eo modo illusisse, iuxta illud Prouerbiorum [a]: Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.] vt qui ab eis de augurio stulte admodum rogaretur, diuinum consilium aduersus ipsos paratum ac breuiter affuturum, diuinitus cognitum patefecerit. Cetera autem quæ ibidem habet Sozomenus de latebris Athanasij in cisterna, ea postea contigerunt, sicut & cum nauigio fugam arripuit: alio namque tēpore illa accidisse dicemus. Ceterum de exagitatis Aegyptiis Gētilibus a Constantio Imp. est mentio in litteris Iuliani Apostatæ datis postea ad eosdem Alexandrinos. Sed ad Athanasium latitantem in eremo redeamus.

[a] Prouerb. 28.

Eodem quoque latebrarum ipsius tempore, sed vltimo ferme eius articulo, nempe post biennium, soluto iam Liberio ab exilij pœna [b], idem Athanasius prolixiorem pro se scripsit C Apologiam, quam Secundam vocant, eamdemque cunctis perspicuam & communem omnibus. Hisce Athanasius latitans aduersus impios Arianos pugnauit armis; quibus illi confossi iaculis, maiori odio in eum accensi, vbinam gentium lateret, peruestigare solicitius conati sunt: sed frustra quæsierunt, quem Dominus, secundum illud Psalmographi, absconderat in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum. at de his inferius. Antequàm autem Athanasius latebris illis obstrusioribus confoueretur, a magno illo Serapione Thmuεos Episcopo æque exule fidei causa accepit litteras, quibus rogabatur scribere quæ passus esset ab Arianis; deque Ariana hæresi & auctore Ario, ac denique de ipsius interitu, quo fine diem clausisset extremum, exposcebat: hæc ille non sui causa, vtpote qui omnia satis perspecta haberet, sed aliorum titubantium in fide fratrum, vt rerum veritate percognita, confirmarentur. Sed quòd primo loco petebatur, Athanasius iam præstiterat, vt ait, in epistola illa ad monaD chos scripta: quod reliquum erat, spectans ad infamem obitum Arij, reddita ad eum epistola, rei gestæ narrationem conscripsit, quæ autem ab eodem Athanasio ad eumdem Serapionem exulem ex eremo aduersus impugnātes diuinitatem Spiritussancti scripta fuerint, suo loco ac tempore dicturi sumus.

[b] Athanas. Apolog. 2.

ATHANASII APOLOGIA SECUNDA.

At qui Athanasij tuendæ innocentiæ causa Episcopi iam antea proscripti fuerant, qui inquam ne in illum latæ ab Arianis sententiæ subscriberent, in exilium ex Mediolansi conciliabulo in diuersa loca fuerant deportati; quantumlibet inter hostes, tamen non desiere eiusdem Athanasij innocentiam prædicare; atque cum liceret, etiam litteris contestari: quod inter primos egregie præstitit Lucifer Episcopus Calaritanus: Hic enim cum exul ageret, pro Athanasio in primis aduersus Constantium duos libros conscripsit, tertium contra eumdem de non communicando cum hæreticis, rursus alterum de Regibus apostaticis. Quas quidem suas E lucubrationes Lucifer nequaquam apud se retinuit edendas post mortem Imperatoris, quem vehementer iisdem exagitasset, sed certo homini dedit, qui eas ipsi deferret Imperatori. Accepit illas Constantius, & cum videret se ex eis grauiter contumeliis perstringi, Florentio Magistro Officiorum illas dedit, ad Luciferum perferendas, quo si reuera ab ipso fuissent scriptæ, cognosceret. Florentius igitur iis acceptis, atque ad eum missis, hasce illis litteras alligauit [c]: EXILIUM EPISCOPORUM CONSTANTIA IN DEFENDENDO ATHANASIUM.

[c] Extat apud Lucifer. in fine.

Domino benignissimo Lucifero Florentius.

Nomine tuo codicem quidam Domino & Augusto nostro obtulit: Hunc ad sanctitatem tuam perferri mandauit: et cognoscere desiderat, si idē codex a te destinatus sit. Id ergo quod in fide veri est, perscribere debebis, & codicem remittere, vt possit Aeternitati eius denuo offerri.] his acceptis Lucifer a Florētio litteris, magna animi constantia hæc ad eūdem rescripsit: FLORENTII EPIST. AD LUCIFERUM EPISC.

Florentio Magistro Officiorum Lucifer Episcopus. LUCIFER EPISCOP. AD FLORENTIUM.

Codicis perlatorem, quem memorat honorificentia tua, nomine meo adiisse Imperatorē, a mea

a mea fuisse destinatum mediocritate; ipsum quoque codicem, vt es admonere dignatus, sollicite inspectum, atque Bonoso in Rebus agenti perferendum traditum; his informanda fuit religiosa prudentia tua, fili carissime. Iam tuæ erit generositatis, agnitum a me sine vlla cunctatione defendere. Nos etenim, propitio Deo, contra ea quæ in nostram parantur necem, stare lætos, cum causas, cur tali scripserim modo, discutere cœperit, inueniet.] hæc Lucifer. A

CONSTANTIVS AFFECTAT PATIENTIAM.

Quid autem his acceptis Constantius fecerit, haud liquet: scimus tamen hominem fuisse sæuissimum, Imperiumque suum ipso eius ingressu multis propinquorum & aliorum (quod dictum est) cædibus cruentasse, & quod pluribus Ammianus testatur, sæpe in domesticos dira cæde sæuiisse: sed nihilominus affectasse ipsum interdum patientiam philosophicam, ex ijs quæ de eo scribit S. Gregorius Nazianzenus [a] facile colligi potest; ipsum enim cuidã ex suis prouocanti ad iracundiam & vindictã, atque dicenti; Quid ape mitius ac lenius? nequaquam tamen illa fauis eximentibus parcit. Respondit: Non ignoras vir optime, ne api quidem stimulum securum esse? Ferit enim, sed ipsa quoque mox perit.] Ceterum aduersus reprehensorem suum expostulasse Constantium, illis lectis libris, ipse Lucifer eo commentario, quem postea in eumdem ingeminans scripsit, De non parcendo in Deum delinquentibus, demonstrat ipsius exordio, cum ait: Superatum te, Imperator, a Dei seruis ex omni cum conspexisses parte, dixisti, passum te, ac pati contra monita scripturarum contumeliam. Dicis, nos insolentes extitisse circa te, quem honorari decuerit. Si quisquam Dei cultorum pepercit apostatis, sint vera quæ dicis de nobis, &c.] Porro grauioribus eum illo libro exagitat inuectiuis. B

a Greg. Nazianz. in carm. de iracundia.

LVCIFERI INFRACTVS VIGOR.

Rursum vero idem Lucifer, quòd autumaret Constantium atque ministros eius in necem suam conspiraturos, alium addidit commentarium, cuius est titulus, & argumentum, Moriendum pro Filio Dei: sed hos postea scriptos esse constat, nempe post Conciliabulum Sirmianum, & Constantinopolitanum, in quo Eudoxius, cuius mentionem habet, suffectus est in locum Macedonij. Videas hominem maiore semper animi libertate atque constantia insurgere in Constantium; quod ex hac vna vel altera eiusdem voluminis scripta sententia (vt innumeras alias prætereamus) datur inspicere, cum ipsum Imperatorem hisce verbis compellat [b]: C

b Lucifer. lib. Moriend. pro Filio Dei.

LVCIFERI IN IMPERATOREM DICENDI LIBERTAS.

Mactasti quamplurimos in Alexandria, laniasti certos toto in Orbe, dispersisti resistẽtes tibi variis in locis: sed hi omnes (quod tu audire minime vis) martyres sunt: illos omnes beatissimos tuo mactatos gladio, in paradiso esse, quidem credimus. Crede mihi, quòd a te statuerimus interfici: quia & melius esse viderimus, in omnia æua Deum habere amatorem, quàm tecum Iuda Scarioth Iudæorum imitatorem puniri. Hinc est denique, Constanti, quòd frendores colubri per te illatos non timentes, subire parati sumus omne exitium: numquam nos consiliorum nostrorum pœnitere potest, si per te mactati, qui adhuc tuis crudelibus restitisse videmur manibus, fuerimus: mors etenim, quam nobis tu minitaris inferre, omnibus est parata. Tantam vero beatitudinem, quantam sancti sunt martyres adepti, nemo, vt videmus, est consequutus, nisi hi qui mortem propter vnicum Dei Filium moriundo vicerunt. Dicatos Deo homines torques, interficis, exterminas: et cur hæc geras, causas odiorum reddere non vales. quia tu erras, etiam nobis irasceris, cur veram teneamus viam: et cum nostra salubri admonitione corrigere te possis; errores tuos insuper crudelibus factis coaceruas, dicatas Deo mentes, euisceratis corporibus extorquens eorum, qui statuerimus Deo fidem vsque ad extrema vitæ seruare curricula.] et post multa id genus, sic rursum in eumdem Constantium Imperatorem: D

IVSTA INVECTIVA LVCIFERI IN CONSTANT.

Indigne fers, inquit, Arij vermis, cur defendamus, quòd claritas, potestas, magnitudo, æternitas, diuinitas vna sit Patris & vnici eius Filij. Non esse nouum quod nos Legati asseuerabamus in tuo Palatio, & confirmando non desumus semper sic fuisse & esse creditum a Christianis, sicuti apud Nicæam contra hæresin tuam Arianam & omnes errores videtur esse sacra fides conscripta: si tandem oculos serpentis morsibus confossos cordis tui aperias, inuenies quòd hanc habet, hanc defendit Ecclesia fidem, quam sibi traditam cognoscit per beatos Apostolos. Omnes momento peragrare si posses gentes; inuenisses, stolidissime Imperator, vbique Christianos, sicuti nos, credere; in hac defensione nostra perstantes, pro Dei Filio, vt nos, mori cupere. At tua nouella prædicatio & recens religio sub prætextu fidei blasphemia in perniciem salutis tuæ per te prolata non solum adhuc limitem Romanum peragrare non valuit, & vtique te satis agente: sed & vbi radices figere tentauerat, aruit, recedentibus scilicet omnibus Dei famulis a te, atque paucis tuis quos lolidum esse super frumentum seminatos, Dominus prædixerit, tecum manentibus.] hæc ipse. Ex quibus videas, quantumlibet Ariani fauore Constantij, & ipse Constantius omni Arianorum conatu totum E

Christianum

A Christianum Orbem miscuerint, vt Arianam hæresin, fide explosa Catholica, in Ecclesia seminarent; haud tamen voti cõpotes factos esse, sed euasisse eorũ segetes (sicut in Psalmis [a] est) tamquam fœnum tectorum, quod priusquàm euellatur exaruit, de quo non implebit manum suam qui metet, neque sinum suum qui manipulos colliget.]

[a] Psal. 128.

Sed & quòd idem Lucifer omnibus suis scriptis ageret Athanasij causam, cuius studio, exilium prætulerit gratiæ Imperatoris; res ab eo in Alexandrinos crudeliter atque tyrannice gestas reuocat in mentem, hæc dicens [b]: Recordare, Constanti, de scelerum tuorum memoria recenti, quam tibi in ciuitate Alexandrinorum inussisti: quantos per abrupta vna tincta subscriptionis tuæ deiecerit, quantos gladio demeti fecerit, quantos fame sitique excedi, vel carceribus necari, quantos intercepto effecerit spiritu strangulari: et tamen his omnibus crudelitatibus in sanctos martyres, quos tuus interfecit gladiatorius animus, cum sæuieris in nos; crudelius B sæuis, dum retines gladium, dum das operam, ne in remediũ velocius exitus succurrat mortis. Dilacerari toto corpore vtique nos patimur, probantes nihil magis congruere sapientium grauitati atque constantiæ, quàm nullis terroribus de proposito atque sapientia depelli; sed esse vtilissimum pro Deo cruciari, & mori non posse Deo mancipatos, nec per tua vinci tormenta; sed te magis prosterni, atque deduci in nihilum.] in hunc modum ipse, in his totus ea scriptione versatus.

[b] Lucif. lib. Moriendum pro Dei Filio.

LVCIFER EXPROBRAT CONSTANTIO SCELERA ARIANORVM.

Verum ex his quæ eodem libro inferius de Eudoxio ait ab eo suffecto in locum Macedonij in sedem Constantinopolitanam, post biennium commentarium illum fuisse scriptũ apparet; ac proinde quæ nuper dicit ab ipso facta esse suo rescripto in Ecclesiam Alexandrinam, diuersa ab illis fuisse, quæ ex Athanasio superius sunt recensita, liquet. Hæc quidem sunt, & alia plura his similia, quæ Lucifer Apostolicæ sedis Legatus, Apostolico pectore, in Constantium C ab exilio tela coniecit. Ista autem cum perlata essent ad Athanasium in eremo latitantem, non nihil gauisus est, mittensque ad Luciferum diaconum suum Eutychetem hasce litteras dedit [c]:

[c] Apud Lucif. prope finem.

Domino dilectissimo fratri Lucifero Episcopo & confessori Athanasius in Domino S.

ATHANASII LITTERAE AD LVCIFERVM EPISC.

Deo fauente, corpore valentes misimus etiam nunc carissimum nostrum Eutychetem diaconum, vt tua quoque religiosa sanctitas, quod est nobis optandum & desiderabile, de tua incolumitate, tuorumque omnium, certiores nos efficere dignetur. Vobis namque confessoribus, ac seruis Dei viuentibus, credimus statum Ecclesiæ Catholicæ renouari: et quod hæretici conscindere tentauerunt, hoc Dominum nostrum Iesum Christum per vos ad integrum restituere. Quamquam enim persecutores Antichristi per potentiam huius mundi omnia egerint, vt extinguerent lucernam veritatis; tamen Diuinitas per vestram confessionem clario D rem eius lucem ostendit: vt neminem latere possit eorum fallacia. Antehac vel simulare poterant: nunc Antichristi nominantur. Quis enim non execretur, qui eorum communionem tamquam maculam ac virus anguis non fugiat?

Omnis vbique Ecclesia luget, omnis ciuitas gemit, senes Episcopi in exilio laborant, & hæretici dissimulant; qui dum negant Christum, publicanos se effecerunt, sedentes in Ecclesiis, & exigentes vectigalia. O nouum genus hominum & persecutionis, quod adinuenit diabolus, vt ipsis ministris ad malefaciendum, & hi tanta crudelitate vterentur. Sed etsi hæc tanta agunt, & superbias & blasphemias extenderunt: confessio tamen & religio & sapientia vestra non modicum, sed maximum solatium & magna consolatio est fraternitati. Peruenit enim ad nos, scripsisse sanctitatem tuam Augusto Constantio: et magis magisque miramur: quia in medio tamquam scorpionum habitans, animi tamen libertate vteris, vt vel monendo, E vel docendo, vel emendando, errantes ad lumen veritatis adducas. Rogo igitur, rogant mecum etiam omnes confessores, vt digneris nobis exemplum destinare, vt non tantum auditu, sed etiam ex litteris perspicere posint omnes animæ tuæ virtutem, fideique fiduciam & libertatem. Salutant sanctitatem tuam qui mecum sunt. Saluto omnes qui tecum sunt. Diuinitas te incolumem, vegetum, memoremque nostri semper tueatur, domine dilectissime, & vere homo Dei.]

LVGVBRIS ECCLESIAE STATVS.

His Lucifer acceptis litteris, exemplar omnium scriptionum, quas ad Constantium dederat, libenter impertitus est: quas cum Athanasius magna animi admiratione atque lætitia perlegisset, alias ad eumdem litteras misit, quibus & quo statu res suæ essent, reddidit certiorem, nẽpe de grassatione facta in sanctos monachos in odium Athanasij, quasi ipsum recepissent & occultassent: deq. fuga iterũ ab ipso captata, & in occultioribus latebris quæsito perfugio. hic eã describemus integrã, nefas putãtes, vel apicem vnũ prçteriisse tanti confessoris ad confessorem talem scribentis, eo præsertim tempore, quo arctioribus angustiis premeretur.

LVCIFER MITTIT SVA SCRIPTA AD ATHANASIVM.

Domino

Domino gloriosissimo ac merito desideratissimo Coepiscopo Lucifero, Athanasius in Domino Salutem. A

POSTERIORES LITTERAE ATHANAS. AD LVCIFERVM.

Etsi credo peruenisse etiam ad sanctitatē tuam de persecutione, quam etiam nūc aduersus fraternitatem facere conati sunt inimici Christi, quærentes sanguinem nostrum: possunt tamen carissimi nostri referre quoque religioni tuæ. In tantum enim rabiem per milites extendere ausi sunt, vt non solum ciuitatis clericos effugarent, sed etiam ad eremitas exirent, & funestas suas manus aduersus μονάζοντας immitterent. Inde factum est, vt etiam ego me longius abducerem; ne etiam qui nos susceperunt, negotium ab eisdem paterentur. Cui enim parcerent Ariani, qui nec animis suis pepercerunt? Quando autem possunt recedere a suis nefandis actibus, dum permanent negando Dominum Christum vnicum Filium Dei? Hæc est radix eorum prauitatis, hoc suo arenoso fundamento ædificant peruersas suas vias, sicut scriptū inuenimus in tertiodecimo Psalmo: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: et mox B sequitur: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in operibus suis. Inde Iudæi negantes Filium Dei, digni fuerunt audire: Væ gens peccatrix, populus plenus delictis, semen malignum, filij sine lege. Vnde sine lege? quippe quia dereliquisti Dominum. Inde beatissimus Paulus cum cœpisset non tantum credere Filium Dei, verum etiam prædicare deitatem ipsius, scribebat: In nullo mihi mali conscius sum. Ita iuxta vestram confessionem etiam nos optamus, tenentes Apostolicam traditionem, viuere iuxta diuinæ legis mandata; vt possimus vobiscum inueniri in choro illo, in quo nunc exultant Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, ac Martyres.

QVID IN EREMITAS ARIANI.

ATHANASII LATEBRAE ABSTRVSIORES.

Licet igitur Ariana insania cum extranea potentia ita se mouebat, vt non liceret, nec fratres, nec (quantum illi sæuiebant) libere aerem videre: tamen iuxta orationes tuas, Deo fauente, etsi cum labore & periculo, videre potui fratrem, qui solet tam necessaria, quàm epistolas tam sanctitatis tuæ, quàm aliorum, destinare. Accepimus itaque epistolas & libros religiosissimæ ac sapientissimæ animæ tuæ, in quibus perspeximus imaginem Apostolicam, fi- C duciam propheticam, magisterium veritatis, doctrinam veræ fidei, viam cælestem, martyrij gloriam, triumphos aduersus hæresin Arianam, traditionem integram, Patrum nostrorum regulam rectam Ecclesiastici ordinis. O vere Lucifer, qui iuxta nomen, lumen veritatis ferens, posuisti super candelabrum, vt luceat omnibus. Quis enim, exceptis Arianis, non peruidet ex tua doctrina veram quidem fidem, maculam autem Arianorum valde & admirabiliter? vt est lumen a tenebris, ita separasti veritatem a calliditate: et ab hypocrisi hæreticorum defendisti Catholicam Ecclesiam: probasti nihil esse, sed tantum phantasiam Arianorum verba: docuisti callidos esse frendores diabolicos. Quàm bona & iucunda hortamenta tua ad martyrium! quàm desideratissimam ostendisti mortem esse pro Christo Filio Dei! quàm futuri sæculi & vitæ cælestis amorem manifestasti! Videris esse verum templum Saluatoris: qui D in te habitans, hæc ipse per te loquitur, ipse qui tātam gratiam præbuit sermonibus tuis: quippe qui ante eras apud omnes amabilis; nunc autem tantus est amor affectionis tuæ in animis omnium collocatus, vt Eliam te nostris tēporibus nominent. et non mirum: si enim qui Deo placere videntur, filij Dei nominantur; tanto magis participes Prophetarum, confessores, & maxime te appellare, dignum est.

LVCIFERI LAVDES.

SCRIPTA LVCIFERI EX SPIRITV SANC.

Crede mihi, Lucifer, non tu solus hæc loquutus es, sed Spiritus sanctus tecum. Vnde hæc tanta memoria Scripturarum? Vnde sensus & intellectus earumdem integer? Vnde talis ordo sermonis compositus? Vnde tanta hortamenta ad viam cælestem? Vnde fiducia contra diabolum, & probationes aduersus hæreticos, nisi Spiritus sanctus collocatus esset in te? Gaude igitur in eo te esse, iam peruidens in quo etiam prædecessores tui nunc sunt martyres, hoc est in choro Angelorum. Gaudemus etiam nos, habentes & exemplum virtutis & patientiæ & E libertatis. Nam de his quæ scripsisti de nomine meo, erubesco aliquid proferre, ne videar adulator: sed scio, & credo ipsum Dominum, qui sancto & religioso animo tuo reuelauit omnem notitiam, redditurum tibi etiam pro hoc labore præmium in regno cælorum. Quia ergo talis es: precatorem te esse pro nobis, per orationes Dominum petimus, vt iam inspicere dignetur (vt est misericors) Ecclesiam Catholicam, & eripiat omnes famulos suos de manibus persecutorum: quo etiam hi omnes, qui propter metum temporale exciderunt, leuare se tandem possint, & reuerti ad viam iustitiæ, a qua seducti vagantur, nescientes in qua fouea sint miseri. Specialiter autem ego peto; si aliquid minus a me dictum est, ignoscere digneris: a tanto enim fonte quod potuit imperitia, ea vix haurire valuit.

ARIANORVM STVDIVM IN PERQVIRENDO ATHANASIVM.

De fratribus autem nostris, sin minus potui videre eosdem; iterum ignoscas, peto: est enim ipsa veritas testis, optasse me, & desiderasse hoc impetrare, & tantum habuisse dolorem, quòd non potui: nam nec lacrymæ cessauerunt ab oculis, nec gemitus ab animo, quia nec fratres permittimur

A permittimur videre. Testis est autem Dominus, quia nec parentes, quos habeo, potui videre, ex quo persequuntur nos. Quid enim non faciunt Ariani? itinera obseruant, curas agunt de proficiscentibus, & exeuntibus de ciuitate, naues quærunt, eremos circuunt, domos perturbant, cuncutiunt fratres, singulis negotiis concinnant. Sed Deo gratias. Dum hæc agunt, tanto magis & plus execrantur ab omnibus, & cognoscũtur vere (vt dicit sanctitas tua) mancipia esse Antichristi: et ipsi miseri dum odio habentur, durant in malignitate sua, donec morte cum suo Pharaone & ipsi damnentur. Salutant religionem tuam qui mecum sunt. Dignare salutare qui tecum sunt. Diuina Dei gratia incolumem te memorem nostri semper beatum conseruet, merito homo Dei, famule Christi, particeps Apostolorum, solatium fraternitatis, magister veritatis, & in omnibus desideratissime.] hactenus Athanasius ad Luciferum. Acceptos autem ab eo scriptos libros idem Athanasius in Græcum sermonem conuertit, quo
B Orientalibus omnibus iidem communiores essent: testatur id quidem Marcellinus in libello ad Theodosium de schismate Vrsicini.

Quod rursum ad Luciferum spectat; plane constat, tum Constantium ipsum, tum Arianos ceteros illi gloriam martyrij inuidisse, cuius se adeo cupidum esse, tot tantisque scriptis editis præseferebat: cum alioqui in alios mille modis (vt vidimus) mortis supplicia irrogare, pro nihilo ducerent. Ceterum haud est permissus quiete agere: nam auctor est idem Marcellinus presbyter, Luciferum nequaquam vno in loco exilium duxisse, sed ab Arianis iam quarto in diuersa loca mutatum: de eodemq. testatur, cum Eleutheropoli exularet apud Eutychium eius loci Episcopum Arianum, dira ab eo passum esse; sed & eo defuncto, ab illius successore, Turbone, nomine, grauius exagitatum: accidisseq. sæpe, ait, vt cum idem omnes qui Catholicæ communionis essent, grauiter insectaretur, inuentos eos apud Luciferum sa-
C cros conuentus agentes occideret, ac sacra vasa, sacrosque codices diriperet. Sed quòd vni ipsi pepercerit; plane apparet, expressam iussionem fuisse Constantij, ne idem Lucifer, quam auide cupiebat, dignaretur corona martyrij. Quòd autem eodem auctore constet, ipsum sæpe coactum exilij loca mutare; ex his conciliandi sunt, qui de loco, vbi Lucifer exularit, diuersa inter se scripsere: dum scilicet S. Hieronymus eum in Palæstinam amandatum tradit [a], alij vero dicunt [b] missum esse in Aegyptum ad superiores Thebas.

ARIANI INVIDENT LVCIFERO MARTYRII GLORIAM.

Sed relicto interea Lucifero, alio tempore eum sæpius conuenturi, redeamus ad abstrusas latebras S. Athanasij, cum (vt ipse superioribus suis litteris testatus est) militibus eremũ peruadentibus, & cuncta loca exquisita indagine perlustrantibus, & abdita quæque rimantibus, ipse eo loci perfugium quæsierit, vbi nec libere aerem, nec fratres videre sibi liceret, vno excepto, qui ei necessaria ministraret, & epistolas ad eum missas afferret: hæc inquam cum ipse
D testetur; in eam adducimur sententiam, vt locus ille fuerit cisterna sicca, in qua annis sex illũ delituisse, Ruffinus tradit [c], licet perperam ad alia tempora eiusmodi latebras ipse referat, qui de his hæc scribit: Hinc iam toto Orbe profugus agitur Athanasius, nec vllus ei tutus ad latendum supererat locus. Tribuni, Præfecti, Comites, exercitus quoque ad peruestigandum eum mouentur edictis Imperialibus: præmia delatoribus proponũtur, si quis eum viuum; si id minus, caput certe Athanasij detulisset. Ita totis regni viribus frustra aduersus eum, cui Deus aderat, certabatur. Interea sex continuis annis ita latuisse fertur in lacu cisternæ non habentis aquam, vt Solem numquam videret. Sed cum per ancillam, quæ sola conscia dominorum officij, qui ei latebras præbuerant, videbatur, indicatus fuisset; tamquam Dei spiritu admonitus, ipsa nocte qua ad eum comprehendendum cum indicibus veniebatur, post annos sex migrauit ad alium locum. Ita illi qui venerant, frustrati, dominisque in fugam ver-
E sis, de ancilla, vt falsa indice, pœnas sumunt.] hucusque Ruffinus. Sed & quoniam ab his diuersa Sozomenus narrat, hic pariter eadem recitemus; atque demum visis hisce omnibus & accurate perpensis, quid magis arrideat veritati, dicendum est.

ATHANASII LATEBRAE INACCESSAE.

a Hieronym. de script. Eccles. in Lucif.
b Ruffin. lib. 1. c. 27. Socrat. lib. 3. c. 4. Theod. lib. 3. c. 4. Sozom. lib. 5. c. 12.
c Ruffin. lib. 1. c. 18.

Sozomenus [d] igitur recitatis in primis quæ a Ruffino scripta sunt, alias postea latebras Athanasij his verbis recenset [e]: Athanasius fuga (vti supra demonstratum est) ex Constantij manibus elapsus, ad Imperium Iuliani, de quo nunc agitur, apud quamdam sacratam virginem in ipsa vrbe Alexandria latitauit; quam quidem virginem pulchritudine tantum omnibus illius temporis mulieribus antecelluisse accepimus, vt sicut omnibus in eam intuentibus miraculum putabatur, sic viris modestiam & continentiam profitentibus fugienda videretur, ne ex suspicione labes aliqua ipsis aspergeretur infamiæ: erat enim in ipso etiam ætatis flore pudica cum primis & casta: quæ res, etiam si naturæ adiumentum non accedat, afferre tamen ad insignem corporis pulchritudinem solet non parum ornamenti. Nam, vt verum dicamus, non vt quibusdam placet, qualia sunt corpora, talem consueuisse animum esse, sed ex animi institutis

LATEBRAE ATHANASII APVD VIRGINEM.

d Sozom. lib. 4. c. 9.
e Sozom. lib. 5. c. 6.

institutis habitudinem corporis effingi solere: et qualẽ rem quisque forte in animo instituat, A
talem ipsum quoque videri eo tempore, quo eam instituat. cui quidem sententiæ nemo, certo credo, si modo in eam accurate inquirat, omnino contradicturus est.

CASTITAS ATHANASII PROBATA.

Athanasium autem ferũt, diuina visione, quæ eum ita saluum fore submonuerat, impulsum, ad hanc virginem profugisse: ac mihi profecto in rei euentum intuenti, ista non sine diuina prouidentia administrata videntur; vt scilicet tum Athanasij necessariis, si quis ab eis de eo quærere aggrederetur, vel iurare cogeret, nihil exhiberetur negotij; tum ille ipse apud hanc occultatus, tuto posset delitescere: quæ quamquam ob pulchritudinem non satis integrum putauit, vt sacerdos secum ætatem degeret, ne inde in suspicionem vocaretur; tamen propter animi magnitudinem eum in suas ædes excepit, & summa prudentia ac cautione adhibita, seruauit incolumem, & tam fidam custodem, ministramque tam sedulam ei se præbuit, vt pedes
eius lauaret, & res ad victum necessarias, aliasque etiam omnes, quas narura, dum vrget ne- B
cessitas, nos subire cogit, ipsa sola subministraret: quin etiam libros, quibus opus habebat, ab aliis pro eo mutuo acciperet. Et tametsi ista in prolixum temporis spacium facta essent: tamen ne vnus quidem ex ciuibus Alexandrinis omnino ea cognosceret.] hactenus Sozomenus.

a Pallad. in Lausiac.

EADEM HISTORIA A PALLADIO FIDEM ACCIPIT.

Palladius [a] quoque eamdem historiam recitans, se eam virginem nouisse testatur, de qua & ipse eiusmodi narrationem instituit: Virginem quamdam in Alexãdrina noueram ciuitate, quam ego septuaginta annos habentem vidisse memini. Cui testimonium clerici illi omnes ferebant, quòd cum adhuc iuuenis videretur, viginti fortassis annorum, pulchritudinis magnæ, cum aspectus omnium vitare consueuisset, ne qua propter miraculum vultus eius ex suspicione quadam macula notaretur. Quo tempore accidit, vt Ariani sub Constantio Imperatore per Præpositum eius Eusebium beato Athanasio Episcopo facerent factionem, &
execrandas ei criminum calumnias excitarent. Tunc igitur ille venerabilis corruptum iudi- C
cium pollutumque declinans, non amico, non clerico, non parenti, non cuique alij se credidit, atque commisit: sed cum subito quidam Præfecturæ apparitores ipsum inuestigassent, domumq. eius intrassent; tunica ille tãtum sua & byrro vestitus, medio noctis fugiens, ad hanc virginem venit. Ad quam tantæ rei nouitate perterritam his sanctus Episcopus loquutus est verbis: Ab Arianis, inquit, plurimum quæror & calumniosis criminibus incusor: ne igitur & ego irrationabili nota defamer, & propter me qui ad meam pœnam inique parati sunt, in peccatum ruanr; fugiendum magis credidi. Deus autem mihi hac nocte reuelare dignatus est, dicens: Apud nullum ito: apud illam scias te posse saluari. At illa tum gaudio lætitiæ spiritualis erecta, proiectis cogitationibus vanis, cœpit totis sensibus esse cum Deo, sanctumq. illum virum per sex annos intra cellæ suæ secreta celauit, quoad memoratus Constantius vixit.]
hæc Palladius; cetera autem de ministerio eadem, vt supra Sozomenus. D

RVFFINI NARRATIO ARGVITVR ERRORIS.

His in medium adductis: illud primum considerandum est, non posse vtramque historiam esse veram, quarum altera Ruffinum, altera vero cum Sozomeno habet quoque assertorem Palladium. Nam cum nullæ aliæ quæsitæ fuerint ab Athanasio latebræ, nisi postquàm a Syriano duce grassatio facta est in Ecclesiam Alexandrinam, quæ (vt diximus) huius anni exordio accidit: fieri non potuit, vt quod tradit Ruffinus, sexẽnio delituerit in cisterna, ministerio vsus ancillæ, quæ ipsum detulit ad Arianos; totidemq. annos vsque ad obitum Constantij habitauerit apud virginem illam, de qua facta mentio est: nam ab hoc anno vsque ad obitum Constantij, non nisi quinque annorum spatium intercedit, cum ad veritatem vtriusque historiæ duodecim ab hoc rempore vsque ad eiusdem Imperatoris mortem statuendi essent; cum tamen ex eius sententia, sex annis ponatur absconditus in cisterna, ac sex itidem apud virgi-
nem commoratus. Sed nec antehac vllum potest sexennij tempus inueniri, immo ne annus E
quidem, quo Athanasius delituisse probari valeat, præsertim Constantis Imperatoris temporibus, quibus ea accidisse de absconsione in cisterna, ijdem citati auctores perperam tradunt. Relegat quæso curiosus lector omnes, singulosq. retro annos superius recensitos a tẽpore Niceni Concilij; et videat, num vel annus integer reperiri queat, in quo Athanasius non factus sit perspicuus omnibus, vbicumque locorũ ipsum manere contigerit. Cum igitur ex his quæ dicta sunt, alterutra de latebris Athanasij historia necessario sit explodenda: illa a Ruffino descripta, & priori loco superius recitata, ex veritate temporis falsa redarguitur. Sed videndum est, an posteriori loco posita, & a Sozomeno atque Palladio recensita, aliquo modo sibi constare valeat.

HISTORIA RECITATA A PALLADIO AT SOZOM. HAVD SIBI CONSTAT.

Certe quidem magna æstimari potest Palladij auctoritas, qui eam virginem iam septuagenariam nouisse affirmat: ceterum haud tanta est, vt non maioris fidei ipse Athanasius habendus sit, qui (vt vidimus) sæpius testatur, se, cum inuasa esset noctu Ecclesia a Syriano, non

Alexandriæ

A Alexandriæ amplius commoratum esse, sed solum vertentem, e vestigio fuga lapsum, eremum petiisse; quod, vt diximus, Gregorius Nazianzenus item affirmat: mansisseque ibi, litteræ datæ post sequentem annum, vt ipse ait, ex eremo ad Serapionem Episcopum (quod suo loco demonstrabimus) manifeste significant. vt de his nulla dubitatio suboriri possit: nisi quis dixerit (quod est Athanasij nomine prorsus indignum) ipsum sæpius esse mentitum, atque ne ab hostibus inueniretur, datas a se Alexandriæ e latebris litteras, ex eremo illas scripsisse (quod dicendum non est) mendaciter affirmasse: cum præsertim in recitatis nuper eiusdem Athanasij litteris ad Luciferum tam exacta mentio habeatur de grassatione militum in eremi monasteria, ex qua ipse compulsus sit longius proficisci, ne qui eum excepissent, molestia afficerentur; atque ob id opus fuerit in abditum locum secedere, in quo nec aeris luce libere sibi frui liceret, neque a quoquam fratrum inuisi.

B His inquam permotus, mendacij suspectam semper habui secessionem illam, quam dicunt, Athanasij apud formosissimam virginem, & commorationem apud eam annorum sex, nullo arbitro: interdumque existimaui, id fuisse, ad infamandum sanctissimum virum, Arianorum commentum, cum elusa esset eorum in eo perquirendo solicita cura. Ceterum id ipsum ab eis in vulgus sparsum, post tot annorũ curricula, vt verum, fuisse quoque Catholicis persuasum, quòd esset honestatis coloribus egregie pigmẽtatũ. Nam quòd (vt vidimus) Athanasius sæpe testetur, virgines Alexandrinas Arianis communicare renuẽtes, grauissima passas esse: haud putandum tam impios atque sæuissimos homines spectatissimam forma virginem ignorasse, quæ a procacioribus illis tum Arianis, tum Gentilibus in primis appetenda fuisset. LATEBRAE APVD VIRGINEM FVISSE INVENTVM ARIANORVM.

Sed nec illud ex Ecclesiasticarum legum præscripto recitatur a Sozomeno atque Palladio: pulcherrimam illam virginem per se lauare solitam pedes Athanasij; viduarum enim

C tantum id munus erat in Ecclesia, & earum quæ essent ætate prouectæ: nec Athanasius ita deliciosus erat, vt deficiente ministerio viduarum, opus habuerit per adeo formosam virginem illud expleri periculosum charitatis officium. Sic igitur cum nulla ex parte ista probentur, & quæ ex ipso Athanasio sunt recitata, eisdem aduersentur: ex Arianorum potius (vt aliæ multæ calumniæ) officina prodijsse, mihi facile persuadeo. Illud tamen non negauerim contingere potuisse (vt ratio aliqua habeatur Palladij asserentis se virginem illam iam factam septuagenariam cognouisse) vereque euenisse putauerim, ipsum Athanasium, eo fugæ inopinatæ improuiso impetu, qualescumque latebras sibi opportune tunc obuias captantem, dictæ virginis domum ingressum esse; sed mox inde (quod ipse testatur) recedentem, eremum petiisse. Quamobrem ex verbis eiusdem Athanasij recitatis, in eam sententiam pedibus iuerim; latebras illas post fugam e monachorum con-

D sortio in eum locum, vbi nec lucem aeris libere videre posset, reuera fuisse cisternam veterem, sed aquis siccam, instar illius in agro quoque positæ, in quam Ioseph [a] a fratribus demissus est; atque ibi conscio tantum ministro illo qui ei necessaria suppeditabat, vsque ad obitum Constantij eum quinquennio prope vixisse. [a] Genes. 37.

Sed quod argumenti ratio postulat, & Christiana pietas exigit, iam inuisamus illos gloriosos confessores, sanctos Episcopos, quos vna cum Lucifero anno superiori a Constantio Augusto in exilium missos diximus: hos enim sicut Catholicorum charitas omnis generis officiis prosequuta est, ita Ariana crudelitas quibus valuit malis exagitare non destitit; de obsequio autem in eos Fidelium hæc Seuerus [b] habet: Ceterum exules, satis constat, totius orbis studiis celebratos, pecuniasque eis in sumptum affatim congestas, legationibus quoque eos plebis Catholicæ ex omnibus fere prouinciis frequentatos.] ita Seuerus. Sed de ipsis confessoribus hæc S. Ambrosius [c]: Errauerunt toto Orbe, vt nihil habentes, & possidentes omnia. Quocumque missi essent, locus deliciarum putabatur: neque enim illis quidquam deerat, quibus fides locuples abundabat. Denique locupletabant alios ipsi, inopes ad sumptum, opimi ad gratiam. Tentabantur, sed non mortificabantur, in ieiuniis, in laboribus, in custodiis, in vigiliis. Euaserunt de infirmitate fortes: non expectabant deliciarum illecebras, quos saginabat fames: non adurebant eos torrida æstatis, quos refrigerabat æternæ spes gratiæ: non frangebat glacialis plagæ frigiditas, quibus feruenti spiritu vernabat deuotio: non verebantur vincula hominum, quos Iesus soluerat: non desiderabant redimi a morte, qui præsumebant a Christo resuscitari.] hæc S. Ambrosius, agens de sanctis Episcopis Eusebio Vercellensi & Dionysio Mediolanensi. FIDELIVM PIVM OFFICIVM ERGA EXVLES EPISCOPOS. [b] Seuer. lib. 2. [c] Ambros. ad Vercellens. epist. 82.

E

At vero vt primum conueniamus ipsum Eusebium exulem, cuius certior sedes & vno in loco mansio diuturnior: ablegatus ipse cum esset Scythopolim in Palæstina, erat sub cura

A vestra salute impendere. Extendistis, vt dixi, firmos cum fructu ramos, & per tam longa
terrarum spatia ad me pertingere laborastis. Gaudeo agricola, & libens vestri laboris po-
ma decerpo (quia tantum facere voluistis) nec solum ego, vel qui mecum sunt, sanctissimi no-
stri presbyteri, & diacones, vel ceteri fratres, sed & omnes qui desiderantes sumus. Reple-
stis enim (vt Apostolus beatissimus dicit) viscera mea, cum complestis mandata diuina, quæ
complere decebat Christianos in Episcopum, vel Ecclesiasticos viros, quos in exilio fidei
causa nostis laborare. Complestis quæ oportebat fratres fratribus facere, & patri filios ex-
hibere. Sed cum nos secundum mandata diuina, vobis volentes de terrenis cælestes, de
caducis stabiles, de fragilibus sempiternos fructus facere, cœpimus per necessitatem pa-
tientes quotidie seminare. Gaudebant de vestris fructibus pauperes, glorificabant Deum non
solum ciuitatis ipsius homines, sed & omnes qui aut videre aut audire potuerunt, quantam
B mecum dilectionem haberetis ex ipsis fructibus videntes, glorificabant Deum, & omni nos
honore cum vestra benedictione nominabant.

Videns hoc diabolus innocentium hostis, iustitiæ inimicus, contrarius fidei, quia in hoc ARIANORVM IN EVSEBIVM CRVDELITAS.
opere benedicebatur Deus, inflammauit aduersum nos Ariomanitas suos, qui iam longo
tempore suspirabant non solum de hoc opere, sed & de sua infidelitate, ad quam nos per-
suadere non poterant: vt existerent violenti more hoc, quo semper est vsus, vt quos per-
suadere non poterat, vi & potestate terreret. Congregauit itaque suorum multitudinem:
qui nos ad officinam infidelitatis suæ rapiunt, & eludunt, & totam hanc potestatem tradi-
tam sibi ab Imperatore dicunt. His ergo multa dicentibus, & de sua potestate gloriantibus;
in hoc illis ostendere volui quia nihil erant quæ poterant, dum tacens, vt carnificibus cor-
pus tradidi, quod Dominus dicebat posse in persecutionibus tradi. Quàm libero autem fue-
C rim animo, dum ab ipsis patior & recludor, & per quatriduum seruor, & diuersorum incre-
pationes & persuasiones audio: in hoc ostendi, quia nec vnum sermonem dixi. Addere vo-
luerunt ad malitiam suam, vt a me cessarent fratres, id est presbyteri & diacones; sed & ce-
teros dicebant se esse prohibituros, ne ad me accederent. Ego, ne ab infidelium manibus, vel
potius transgressorum (quod deterius est) infidelium, vt Apostolus dicit, manducarem cibum,
libellum ad ipsos hoc more feci:

Seruus Dei Eusebius cum conseruis suis, qui mecum fidei causa laborant, Patrophilo Cu- EVSEBII VERC. EPISC. LIBELLVS AD PATROPHILVM.
stodi cum suis.] sic namque Eusebius ad Arianum Episcopum scribens, noluit eum dignare
Episcopi nomine, sed Custodem voluit nominare, cui cura potissima esset Catholicos in car-
cerem detrudere, & per suos excubias detentis in carcere solicite exhibere. Libellus autem sic
se habet, vt de rebus ab eo summa sæuitia gestis narrationem historicam repræsentet. est vero
D ille huiusmodi:

Qua me vi multorum & furore non solum tractum per terram, sed interdum nudato cor-
pore supinum portastis de hoc hospitio, quod mihi per vestros & Agentes in rebus de-
distis, e quo numquam nisi nunc vestra violentia egressus sum? et Deus scit, & ciuitas nouit,
nec vos hic & in futuro negare potestis. Ideo Deo causam reseruo: vt quemadmodum ipse
ordinauerit, finem possit accipere. Interim me hoc decreuisse sciatis (vt ratio nunc & in fu-
turo & hic possit stare) in hospitio quo me clausum tenetis, in quo me post primam portatio-
nem retrudentes crudelius, ausi fuistis inde eodem modo portare, & in vnam cellam reiicere*: * reficere
non panem manducaturum, neque aquam bibiturum, nisi ante singuli professi fueritis non
solum verbo, sed & manu, vos non prohibituros, fratres meos qui mecum hæc fidei causa li-
benter patiuntur, de hospitio quo manent, necessarias escas offerre, nec eos qui me dignati
E fuerint requirere.]

Subobscura hæc videri possunt: sed illa est verborum plane sententia, vt Eusebius eo scri-
pto fuerit Patrophilum Episcopum contestatus, se potius impastum perseueraturum in car- EVSEBIVS RENVIT CIBVM ACCIPERE AB ARIANIS.
cere, quàm ab ipsis Arianis cibum accipere, quem tantum a fratribus, vel alijs qui ipsum
inuiserent, sibi voluit ministrari, ne videri quoquo modo posset cum Arianis in cibo com-
municare. Sed subdit in eodem perstans argumento: Oportuerat quidem exire de corpore,
ne tantum scelus, quod contra ius diuinum & publicum commisistis, sæpe scire volentibus
cogerer dicere. sed ne quis de infidelibus vos in nobis crudeles appellet, & ignorantes diui-
na præcepta, putet nos confusionem potius vitare voluisse, quàm Domino parere; ideo hoc
voluisse præsumere: iterum dico, quòd nisi professi & verbo & conscriptione fueritis; eritis
homicidæ, prohibendo. Nouit hoc omnipotens Deus: nouit & eius vnigenitus inenarra-
biliter de ipso natus Filius, qui salutis nostræ causa, Deus sempiternæ virtutis, hominem per-
fectum induit, pati voluit, morte triumphata, tertio die resurrexit, ad dexteram Patris sedet,

venturus iudicare viuos & mortuos: nouit & Spiritussanctus, testis est Ecclesia Catholica, A quæ sic confitetur: quia non ego in me reus ero, sed vos, qui conseruos meos necessaria ministraturos prohibere voluistis.]

CVR EVSEBIVS RECVSARIT CIBVM ACCIPERE A PATROPHILO.

Cur autem eiusmodi contestationem ad Patrophilum scriptam, eamdem vniuersæ Ecclesiæ communem esse voluerit: causa ista præcessit: Cum enim Patrophilus, quod dictum est, nulla valuisset Eusebium arte pellicere ad secum communicandum: consilium illud iniit, vt in ergastulum eum detentum cogeret a se missum pro alimento cibum accipere: quod si sumpsisset, gloriari posset, licet inaniter, Eusebium secum in cibo potuque communicare: si vero id facere detrectasset, atque ob eam causam fame periret, illud calumniose de eo omnibus diffamaret, Eusebium (quod magna esset ignominia) voluntario exitio diem extremum clausisse. ac propterea ipse hæc eodem libello mox subdit: Et si hoc putaueritis, vos debere contemnere, non quasi mortem timentem, sed ne post ex- B cessum meum dicatis me voluntaria morte exire voluisse, & quamdam nobis nebulam accusationis inueniatis: conuenturum me scitote Ecclesias, quas clausis interim litteris possem pertingere, conuenturum & Dei seruos, vt in ipsis concurrentibus, Orbis terrarum, quid fides integra, quæ ab vniuersis Catholicis Episcopis comprobata est, ab Ariomanitis patiatur, quos ante damnauit, possit agnoscere.

Item subscripsi ego Eusebius Episcopus.] Eiusmodi autem sua subscriptione libello firmato, hanc ad ipsum contestationem adiecit.

Adiuro te qui has litteras legeris, per Patrem, Filium, & Spiritumsanctum, vt non supprimas, sed aliis legendas tradas.] sequitur in eadem epistola de rebus post hæc gestis exacta narratio, his verbis:

RVRSVM ARIANI IN EVSEBIVM GRASSANTVR.

Hi ergo vix quarta die ad hunc libellum mitigati, ieiunos ad hospitium, in quo man- C seramus, reuerti nos compulerunt. Viderunt interea, quemadmodum nos reuertentes populi cum gaudio susceperunt: lucernis nostrum hospitium circumdederunt. Cœpimus, annuente Domino, iterum egentibus ministrare. Non hoc sustinuit ipsorum inhumanitas, & nostrum amorem in suum odium perdiderunt. Vix fere viginti & quinque tolerare potuerunt dies. Erumpunt denuo, & cum perdita multorum manu ad nostrum hospitium veniunt armati fustibus: per aliena claustra parietem rumpunt, & ad nos violenti perueniunt. Iterum rapiunt, & arctiori custodia cum solo carissimo Tegrino presbytero recludunt. Nostros quoque fratres, id est presbyteros & diacones omnes rapiunt & includunt. Post triduum potestate sua per loca diuersa in exilium mittunt. Alios fratres, qui ad nos venerant visitandos, in carcere publico mittunt, per plurimos dies reclusos tenent. Aduolantes iterum ad hospitium, omnia quæ aut in sumptu, aut pauperibus D fuerant comparata, diruunt *. Sed quia hoc publicum ipsorum facinus ab omnibus ciuibus notabatur: argumento hoc vsi sunt, vt aliqua redderent leuiora, & se nobis nostra reddidisse iactarent: sumptus vero apud se tenuerunt: et post tantum scelus quærebant, si fieri posset, sic negare, vt nullum de meis ad me venire permitterent, qui escas corpori necessarias afferrent. Vix sexta die, clamantibus sibi diuersis, vnum venire permiserunt. Quantum ad se fuit, ostenderunt homicidæ animos, quem primum (ne a malignitate cessarent) quarta die dimiserunt: postmodum sexta vix, deficientibus nobis, olim cum victu venire permiserunt. Hæc itaque sunt Ariomanitarum opera.

* diripiunt.

DIRA PERSECVTIO ARIANORVM.

Videte sanctissimi fratres, si non est persecutio, dum hæc patimur qui fidem Catholicam custodimus: et altius cogitate, num valde etiam deterior sit, quàm illa quæ E fiebat per hos qui idolis seruiebant. Illi mittebant in carcerem, non tamen prohibebant ad se venire suos. Quantum ergo satanas Ecclesias vulnerauit per Ariomanitarum crudelitatem? In custodia publica mittunt, qui liberare debent: violentiam faciunt, qui vt patiantur, iustitiæ causa discunt: aliena diripiunt, qui sua direpta ne repetant, de diuina lege docentur. Præterea quanta illos inuasit crudelitas, dum facultatibus temporalibus gaudent. In carcere latronibus clausis a Quæstionariis, vel a Iudicibus, non denegatur facultas videndi suos: a nobis & nostri prohibentur, & deuoti fratres ne veniant, non solum ab hospitio arcentur quo tenemur, sed ne adeant carcerem, comminatione terrentur: sic cunctos subiugauerunt, vt manifestissime agnouerim *. Ab Episcopis incipiam; dum honorem quidem timent amittere, ipsos fidem perdidisse; dumque facultates terrenas & immunitates nolunt perdere, cælestes thesauros & veram securitatem nullam iudicasse. Sic quoque ducti ceteri, dum Episcopos hæc timentes

perdere

A perdere vident, armare cœperunt quæ semper habere non possunt.

Sic Ariomanitæ diuites terrent, dum ipsis proscriptionem minantur; sic pauperes, dum potestatem in carcere recludendi habent. Et quanta insania est? In loco quo tenemur, non solum viros qui nobis seruiunt, in carcerem mittunt, sed & puellas sanctimoniales sine vllo diuino timore in custodia publica recludunt. Sed, vt gauisi non sunt seniores mali, qui pudicitiam Susannæ violare quærebant: ita nec hi gaudebunt semper, qui Ecclesiam persecutione varia & depressione nimia suæ infidelitati conantur subijcere. Dicit enim sanctus Daniel ad illos: Sic timentes filiæ Israel concubebant vobiscum. Sed recedat, sanctissimi, humanus timor a vestris animis, cum habeatis Domini consolationem, qui dicit: Nolite timere illos qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt. Tempus est probationis: tempus est, vt probati innotescant manifesti. Ideo acB ceperunt humanum adiutorium, quia diuinum non habent: quod si haberent, numquam potestate terrena innocentium sibi animas subiugarent. Multa de illorum malis, quibus non solus ego, sed plurimi deprimimur, debueramus scribere: sed ne possemus hæc facere, & ipsorum crudelitatem litteris intimare, arctissima custodia seruamur ab ipsis: ideo ad nos & alij nostri & amici prohibentur accedere. Sed concessit mihi Dominus hanc epistolam per carissimum nostrum ad vos Syrum diaconem mittere, quem in potestatem mittendi habui: quia prouidentia Domini nostri, eo tempore ad videnda loca sancta accesserat, & cum ceteris fratribus inuentus non est. *PVELLAE SANCTIMONIALES QVAS PAISAE.*

Ceterum vix hanc epistolam quomodocumque conscripsimus, Deum semper postulantes, vt custodes in horas refrenaret, & concederet ne ad vos diaconus nuncium magis laboris nostri, quàm qualescumque salutationis litteras ferret. Propter quod satis C vos peto, vt cum omni vigilantia custodiatis fidem, seruetis concordiam, orationibus incumbatis, nostri memores sine intermissione sitis, vt dignetur Dominus Ecclesiam suam liberare, quæ per vniuersum Orbem laborat: et vt nos qui deprimimur, possimus vobiscum liberati gaudere: quod præstare dignabitur Dominus, petentibus vobis, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui est secum a sæculis, & in omnia sæcula sæculorum. Amen. *EXHORTATIO EVSEBII AD SVOS.*

Iterum peto, & vos per misericordiam Dei rogo, vt vnusquisque in hac epistola salutationem suam nuncupet: quia singulis, vt solebam, faciente necessitate, scribere non potui. Ita in hac vos omnes fratres, sed & sanctæ sorores, filij & filiæ, omnem sexum appello, omnem ætatem peto; vt hac contenti salutatione, nostro obsequio etiam hos qui foris sunt, & nos dignantur diligere, salutare dignemini. Salutant vos fratres nostri qui meD cum sunt presbyteri, & diacones, sed & omnes nostri: qui vna mecum satis petunt, vt nostri memores, omnes vestros nostro dignemini obsequio salutare. Transmisi præterea litteras, quas ad Patrophilum custodem meum feci; vt ex his agnoscatis, nos Ariomanitarum nec minis posse terreri, neque ipsorum serpentina blanda subtilitate posse ad ipsorum societatem perduci. Diuinitas vos protegat, florentesque viuere & hic, & in futuro faciat cum omnibus vestris, fratres carissimi & satis desideratissimi.] hactenus litteræ Eusebij ad suos. *EXCVSATIO DE COMMVNI SALVTATIONE.*

Sed non hic finis ærumnarum Eusebij: tunc siquidem accidisse tradit Maximus [a], quod ipse de exilio eius agens, narrat his verbis: Post multas iniurias Orientis plagæ, illum in exilium relegarunt, in quo tanta passus est, vt martyrij inuictam gloriam reportaret. Dicitur enim inter cetera passionum genera, hoc pœnale passionis supplicium pertulisse, vt E dum interrogaretur ab Arianis, & se eorum communicare perfidiæ denegasset, scalarum procliui tractu supinis pedibus ad imum vsque pertraheretur; et iterum reuocatus ad summum, interrogatus denuo, cum eadem respondisset, eadem pateretur: ac sic frequentem interrogationem, frequenter huiusmodi supplicium fuerit subsequutum.] hæc ipse: at nequaquam tunc (quod multi putant) consummauit martyrium, quem & constat ad longa quoque tempora superuixisse, ac diu multumque pro tuenda fide Catholica laborasse. Sed illud etiam, auctore S. Hieronymo [b], liquet, ipsum e Scythopoli ab ijsdem Arianis ad grauiores pœnas amandatum fuisse exulem in Cappadociam. Quòd autem Ruffinus [c], Socrates [d], Theodoretus [e], atque Sozomenus [f] de eodem Eusebio tradant, vna cum Lucifero Calaritano esse relegatum in superiores Aegypti Thebaidas: hæc his quæ diximus aduersari videntur; nisi ex inconstantia Arianorum cum sæuitia coniuncta sumpserimus argumentum, plus quàm semel Eusebio esse mutatum locum exilij. At de Eusebio modo satis: reliqua de ipso posteriori tempore dicturi sumus. *QVAE DEMVM AB ARIANIS EVSEBIVS PASSVS EST.*

a Apud S. Ambros. serm. 69.
b Hieronym. de script. Eccles. in Euseb. Sard.
c Ruffin. lib. 1. c. 27.
d Socrat. lib. 3. c. 4.
e Theod. lib. 3. c. 4.
f Sozom. lib. 5. c. 11.

DIONYSIVS ET PAVLINVS EPISCOPI MARTYRES. Inter alios illos Occidentis confessione claros Episcopos exules, duo ex ipsis promeriti sunt coronam martyrij, nempe S. Dionysius Mediolanensis, & S. Paulinus Episcopus Treuerensis. De Dionysio enim hæc habet S. Ambrosius [a]: Denique S. Dionysius exegit votis, vt in exilio vitam poneret, ne regressus confusa institutis & vsu infidelium studia plebis aut cleri inueniret. Meruit hanc gratiam, vt pacem Domini tranquillo affectu secum referret. Itaque vt Eusebius sanctus prior leuauit vexillum confessionis, ita beatus Dionysius in exilij locis propriore martyribus titulo exalauit.] hæc Ambrosius. Cum igitur exularet Dionysius in Cappadocia (vnde enim Auxentius venerat, eo Dionysius in grauiorem pœnam exulare iussus est) ibi Arianorum ex more exagitatus ærumnis, moritur est: cuius corpus postea S. Basilius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ Mediolanum misit ad S. Ambrosium, qui illi tunc præerat Ecclesiæ. Quoto autem anno eius exilij Dionysius moriendo martyrium consummauerit, inexploratum est nobis. Paulinus vero anno vigesimotertio Constantij Imperatoris corona martyrij morte auctus ponitur in Chronico a S. Hieronymo. At de exulibus Episcopis hactenus. Iam ad res gestas in Occidente aduersus Catholicos orationem conuertamus.

a Ambros. ad Vercellens. epist. 82.

CONCILIVM BITERRENSE. Hoc eodem anno agitur in Gallia Narbonensi prope Arelatem Biterris Cōcilium, ex quo factione Saturnini Arelatensis Episcopi Ariani S. Hilarius Pictauiensis Episcopus, quòd resisteret Arianæ impietati, mittitur in exilium in Orientem. Id autem hoc ipso anno accidisse, inde primo colligimus, dum Seuerus [b] tradit, quòd quartum iam annum agebat Hilarius in exilio, cum Seleuciæ in Isauria ab Arianis Concilium collectum est: At cum aperte liqueat eam Synodum habitam sub Consulatu Eusebij & Hippatij, anno Domini scilicet trecentesimo quinquagesimonono; satis intelligitur, hoc ipso anno eum in exilium missum fuisse, huncque numerandum esse annum primum ipsius exilij. Verum cum idem Seuerus recensens superius Episcopos exules a Constantio damnatos, adnumeret inter eos Hilarium, contigisseque eorum exilium dicat, Arbetione & Lolliano Consulibus, anno superiori: illud quidem de reliquis omnibus ibidem nominatis, non autem de Hilario esse accipiendum superius dictum est; quod & nos id affirmare compellit; nimirum, quod idem S. Hilarius affirmat, tunc ipsum exulare contigisse, cum Iulianus Cæsar in Galliis ageret, & pro Hilario agens, contumelias passus sit: at Iulianus cum anno superiori Kalendis Decembris Mediolano profectus dicatur ab Ammiano in Gallias; non nisi anni præsentis exordio ipsum illuc peruenisse, & ea causa Hilarij esse passum, affirmare opus est. Ipse enim hæc ea de re loquutus est coram Constantio [c] de suo exilio: Exulo, inquit, non crimine, sed factione, & falsis nunciis Synodi apud te Imperatorem pium non ob aliquam criminorum meorum conscientiam per impios homines delatus. Nec leuem habeo querelæ meæ testem, dominum meum religiosum Cæsarem tuum Iulianum, qui plus in exilio meo a malis contumeliæ, quàm ego iniuriæ, pertulit. In promptu enim sunt pietatis vestræ litteræ: falsa autem eorum omnia, qui exilium meum procurauere, non in obscuro sunt; ipse quoque vel minister, vel auctor gestorum omnium intra hanc vrbem est. Circumuentum te Augustum, illusumque Cæsarem tuum, ea confidens conscientiæ meæ conditione, patefaciam, vt si indignum aliquid non modo Episcopi sanctitate, sed etiam laici integritate gessisse docear, non iam sacerdotium per veniam expectem, sed intra pœnitentiam laici consenescam, &c.]

b Seuer. lib. 2. sa. S. Biblioth. Sā.

HILARII EXILIVM QVANDO CONTIGERIT.

c Hilar. ad Constantium.

Cum ex hisce igitur pateat, hæc in Hilarium facta esse, cum Iulianus in Galliis ageret, quem testem inuocat: non nisi hoc anno ea contingere potuisse, exploratum videtur. His accedit quod idem ipse Hilarius, non nisi post exilium Eusebij, Luciferi, & aliorum, se a communione Saturnini Arelatensis separasse dicit, eaque de causa postea Concilium Biterrense celebratum esse: quo plane declaratur, non eodem tempore quo illi, sed post, Hilarium exulasse: significat enim hæc ipse his verbis [d]: Post sanctorum virorum exilia, Paulini, Eusebij, Luciferi, Dionysij, quinto abhinc anno a Saturnini & Vrsacij & Valentis communione, me cum Gallicanis Episcopis separaui, indulta ceteris consortibus eorum resipiscendi facultate, vt nec pacis abesset voluntas, & principalium morborum fœtida & in corruptionem totius corporis membra proficientia desecarentur; si tamen hoc ipsum beatissimis confessoribus Christi editum decretum, tum a nobis manare placuisset. Quibus postea per factionem eorum pseudoapostolorum ad Biterrensem Synodum compulsis, cognitionem huius hæreseos obtuli, &c.] ex his Hilarij verbis illud primum probe testatum habetur, quinquennium esse iam temporis, ex quo dicti Episcopi in exilium pulsi sunt, cum ipse illa scribebat, nempe anno quarto sui exilij: non enim amplius

d Hilar. contra Constantium.

A in eo detentus est (quod Martyrologia [a] & Gregorius [b] quoque testantur) sicque in omnibus eadem consentanea sunt, quæ diximus, nempe anno superiori nominatos Episcopos exilio solum vertisse, hoc autem anno ipsum Hilarium eadem sententia damnatum esse.

a Martyrolog. 16 Ianuarij.
b Greg. Turon. lib. 1. c. 38. hist. Franc.

Insuper ex iisdem ab Hilario enarratis satis certa aperitur causa cogendi ab Arianis Conuenticuli Biterrensis: quòd scilicet cum adeo fama celebres Episcopi in exilium ob fidem Catholicam acti essent, iamque satis persecutio Arianorum aduersus Ecclesiam Catholicam declarata esset: Hilarius & Episcopi Gallicani in vnum conuenientes, mutuo consensu sese, decreto edito, separarunt a communione Saturnini, Valentis, & Vrsacij, quòd re iam patefacta haud esset illis amplius locus simulandi; eadem quoque excommunicationis sententia statuētes feriendos illos, qui eisdem communicarent, nisi quamprimum ab illorum communione recessissent. Id autem cum iniquo animo ferrent Episcopi Ariani, ac potissimum Saturninus B Arelatensis, quòd se videret ab Episcopis suæ prouinciæ communicatione secludi, & anathemati traditum, ab omnibus euitari; egit fauore Constantij, vt in sua ipsius diœcesi prope Arelatem Biterris Cōcilium cogeretur; ad quòd, Præsidum vi, Catholici Episcopi venire compellerentur: sicque collectum est Conciliabulum Biterrense, non ante præsentem annum, vt perspicue demonstrauimus. Ex quibus erroris arguuntur, qui eodem tempore, quo nominati superius Episcopi exularunt, nempe decimonono anno Constantij, putarunt Hilarium ex Biterrensi Concilio exilij sententia condemnatum.

CAVSA CELEBRANDI CONCILII BITERRENSIS.

SATVRNINVS EPISC. ARIANVS QVID IN EPISCOPOS CATHOLICOS MOLITVS.

Coacto igitur Biterrensi Conuentu, S. Hilarius timens ne iidem Ariani (vt alias sæpe fecerant) simulatione agerent, & mentito substantiæ nomine, simplicitatem plurimorum Orthodoxorum Episcoporum circumuenirent, libellum legendum obtulit, quo Arianorum latebræ & dolosę eorum panderentur insidiæ; eosdemque esse hæreticos, cunctis perspicue demonstraret: C sed restiterunt complures, ne ingesta ab Hilario legerentur: testatur id quidem ipse [c] his verbis: Ad Biterrensem Synodum compulsis, cognitionem huius hæreseos obtuli. Sed hi timentes publicæ conscientiæ, audire ingesta a me noluerunt, putantes se innocentiam suam Christo posse mentiri, si volentes nescirent, quid gesturi postmodum essent, scientes. Atque exinde toto ex tempore in exilio detentus neque decedendum mihi esse de Christi confessione decreui.] hæc Hilarius, dolens quòd in ea Synodo confessorum fides laudata tepuisset, cum ipse solus inuictus esset, qui Saturnino Arianorum antesignano obnixe staret pro muro domui Israel, fidei Catholicæ fortissimus propugnator.

HILARII STVDIVM PRO FIDE CATHOLICA.

c Hilar. contra Constant.

Mansit tamen Catholicorum mentibus fixus libellus ille fidei ab Hilario scriptus, quo pij tāquam scuto vsi sunt aduersus omnes impietatis insultus: id quidem ipse ad eos ab exilio postea scribens docet his verbis [d]: Qui per metum incertorum, conscientiæ tantum antea meæ, D quòd ab his omnibus essem liber, gratulabar: nunc autem communis fidei nostræ integritate gauderem: o gloriosæ conscientiæ vestræ inconcussam stabilitatem, o firmam fidelis petræ fundamine domum, o intemeratæ voluntatis illæsam, imperturbatamque constantiam. Mansit namque atque etiam nunc permanet post Synodi Biterrensis professionem, in qua patronos huius hæreseos ingerendæ quibusdam vobis testibus denunciaueram, innocens, inuiolataque religio. Expectatis enim sanctæ & indemutabilis perseuerantiæ gloriosum triumphum, non cedendo Saturnini minis, potestatibus, bellis: et cum omnia inchoandæ blasphemiæ in Deum certamina mouerentur: manentes nunc usque mecum in Christo fideles, neque antea ad occasionem prorupturæ hæreseos cessisistis, & nūc omnem eius petulantiam in proruptionis congressione fregistis] hęc de his Hilarius.

d Hilar. de Synod.

GALLICANORVM IN FIDE RECTA CONSTANTIA.

Idemque superius de suo exilio agens, illud a Saturnino procuratum ait, circumuento Im- E peratore: At non tantum Hilarium, sed & Rhodanium Episcopum Tolosanum eadem sententia exilij condemnatum esse, Seuerus testatur, cum ait [e]: Hilarius Pictauorum Episcopus damnatur exilio: Rhodanium quoque Tolosanum * Antistitem, qui natura lenior, non tam suis viribus, quàm Hilarij societate non cesserat Arianis, eadem conditio implicuit.] & post multa idem Seuerus subdit: Gallias nostras Saturninus Arelatensium Episcopus, homo impotens * & factiosus, premebat.] deprauatum hūc locum Seueri, sic vt vides, restituendū curauimus ex antiquiori exemplari, vt loco, Dosanum, sit legendum, Tolosanum: De exilio Hilarij atque Rhodanij meminit quoque Ruffinus [f]: ceteris, vt ait, remanentibus, vel ignorantibus, vel non credentibus fraudem.

HILARII ET RHODANII EXILIVM.

e Seuer. lib. 2.

* Dosanum

* præpotens

f Ruffin. lib. 1. c. 20.

Sed illud plane mirandum, Hilarium ex coniugio ad Episcopatum assumptum, virum alioqui eruditum controuersiarum tamen Ecclesiasticarum prorsus ignarum, adeo vt ipsum quoque præteriret Nicænum Concilium notum omnibus; cum opus fuit aduersus Arianos agere, ex improuiso, non nisi, vt puto, diuino miraculo, euasisse atque ad pugnam progressum esse doctorem

HILARIVS DIVINO MIRACVLO PRODIT EX IMPROVISO THEOLOGVS.

a Hilar. lib. de Synod. in fin.

ctorem. Id quidem haud cuiquam affirmanti credere valuiſſem, niſi ipſi teſtanti, cum [a] ait; Regeneratus pridem, & in Epiſcopatu aliquantiſper permanens, fidem Nicænam numquam niſi exulaturus audiui: ſed mihi Homouſij & Homiuſij intelligentiã Euãgelia,& Apoſtoli intimauerũt.] ita Hilarius:idque idcirco accidit,vt ſuperius ipſe teſtatur,quòd Eccleſiã Gallicanã hæreſis nulla pertigerat; ſic enim ait [b]: Sed inter hæc o beatos vos in Domino & glorioſos, qui perfectam atque Apoſtolicam fidem conſcientia & profeſſione retinentes, conſcriptas fides hucuſque neſciſtis: non enim eguiſtis littera, qui ſpiritu abundatis; neque officium manus ad ſcribendum deſideraſtis, qui quod corde a vobis credebatur, ore ad ſalutem profitebamini. Neque neceſſarium habuiſtis Epiſcopi legere, quod regenerati neophyti tenebatis.] hæc S. Hilarius, quem ex hac ipſa Synodo Biterrenſi in Phrygia eſſe relegatum, etiam S. Hieronymus [c] auctor eſt: ſed iam reliquas huius anni res geſtas ordine proſequamur. A

b Hilar. ibid.

GALLICANAE ECCLESIAE VIRGINITAS.

c Hieron. de Scriptor. Eccleſ. & in Chron.

d Ammian. lib. 16.

CONSTANTII IMP. ROMAM ADVENTVS.

e Theodor. lib. 2. c. 17.

ROMANARVM MATRONARVM STVDIVM PRO LIBERIO.

Hoc eodem anno, tertio Kalendas Maias, Conſtantius Imperator in Vrbem ſe contulit, triumphum agens de Magnentio tyranno extincto:ipſa pompa ab Ammiano [d] deſcribitur:ſed nihil ad rem noſtram. Quod autem ſpectat ad inſtitutum, illud eſt, quod a Theodoreto his verbis deſcribitur [e]: Biennio dilapſo,Conſtantius proficiſcitur Romam: magiſtratuum autem & nobilium coniuges orant maritos, vt a Conſtantio ſupplices petant,vti paſtor Liberius(qui exulabat in Thracia) ſuo gregi reddatur:ſeque,niſi eum exorarent,deſerturas eos,& ad egregium illum paſtorem conuolaturas. Quibus reſponderunt mariti, ſe non parum Imperatoris iram pertimeſcere; & cum viri ſint, nullam fortaſſe veniam ab eo impetraturos. Quòd ſi vos ipſæ Imperatorem pro Liberio deprecari volueritis,eſt vobis planè cõdonaturus:atque e duobus alterum eueniet;vt vel veſtram vobis ſit conceſſurus poſtulationem; vel ſi minus ad id faciendum adduci poſſit,vos illæſas dimiſſurus. B

Quo audito conſilio, præſtantes illæ feminæ ſplendide,vt ſolent, & magnifice amictæ accedunt ad Imperatorem,vt eas ex veſtitus ſplendore nobiles illuſtreſque eſſe arbitratus, tum reuerentia erga ipſas,tum clementia vtendum exiſtimaret. Quæ cum hoc modo ornatæ ad eum aduentaſſent, orant, vt Vrbis paſtore orbatæ, & luporum expoſitæ inſidijs miſereatur. Quibus reſpondet Imperator,altero paſtore ciuitati opus non eſſe, quippe cum haberet vnum, qui ei poſſet prouidere: etenim ſucceſſum eſt Liberio a fideli quodam eius diacono, nomine Felice: qui tametſi fidem in Concilio Nicæno expoſitam ipſe ſeruauit integram; tamen cum illis, qui eamdem labefactare ſtudebant,libere communicauit:ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Eccleſiam, dum ille intus erat,ingredi voluit. Quam rem etiam mulieres Imperatori ſignificarunt. Qua cauſa ſic inflectebatur Imperatoris animus, vt paſtorem illum longe præſtantiſſimum Romam redire, & vtroſque communiter inter ſe Eccleſiam illam regere iuberet. C

DECRETVM CONSTANTII DERIDETVR IN CIRCO.

Itaque lectis Imperatoris in Circo litteris, plebs clamat, æquam eſſe Imperatoris ſententiam: nam bifariam diuiſos eſſe ſpectatores, quibus nomen impoſitum eſt ex colorum varietate; & propterea alterum Epiſcopum his, illis alterum præeſſe debere. Itaque cum hoc modo Imperatoris litteras irriſione luſiſſent, omnes vno ore vociferantur: Vnus Deus, vnus Chriſtus, vnus Epiſcopus: has enim voces emittere, rectum eſſe cenſebant.] Ad hæc planè pertinere videtur, quod de Conſtantio Circenſes ſpectante ait Ammianus [f], plebem in ſpectaculis ſolita dicacitate vſam in Conſtantium Imperatorem, ipſum autem ea eſſe oblectatum. Quid vero tum ad plebem Conſtantius, ſic ſubdit Theodoretus [g]: Quibus vocibus cum pietate & iuſtitia a pia plebe profuſis,redijt Liberius Epiſcopus: Felix autẽ clam Roma ſe ſubducens, ad aliam vrbem migrauit.] hucuſque Theodoretus, eadem ferme Ruffinus [h] atque Seuerus [i], quòd ſcilicet ad preces Romani populi permiſſus ſit Liberius redire Romam:Sozomenus [k] autem addit, ea lege id annuiſſe Conſtantium, ſi Liberius conſenſurus eſſet Epiſcopis, quos ipſe Conſtantius ſecum haberet. At de Liberio pluribus ſequenti anno agemus, quo illum Romam rediſſe contigit. D

f Ammian. li. 16

g Theodoret. vbi ſupr. c. 17.

FELIX LIBERIO CESSIT.

h Ruffin. lib. 1. c. 17.

i Seuer. lib. 2.

k Sozom. lib. 4. c. 10. E

Magnas ſane altercationes extitiſſe Romæ inter Catholicos & hæreticos, cum ibi eſſet Conſtantius, Marius [l] Victorinus innuit illis verbis: Tunc tu, patrone dogmatis, non ſolum in vita,ſed Epiſcopus fuiſti: tacuiſti & tu, & ſocij, & diſcipuli,& condoctores,& toto tempore poſtea, vſque quo Imperator Romæ fuit præſens, audiſti multa contraria; conuiua exiſtens iſtorum hominum, quos nunc anathematizas; iratus quòd ſine te fidem ſcripſerunt. An coactus a magiſtris legatus veniſti, in defenſionem perditionis? &c.] hæc ipſe ad Epiſcopum ex Arianiſmo factum Catholicum.

l Marius Victor. in lib. 1. aduerſ. Arium to. 5. Biblioth. Sanct.

ALTERCATVM ROMAE CAVSA FIDEI.

SIMVLACRVM VICTORIAE CVM ARA SVBLATVM.

m Tacit. lib. 17.

Quod rurſum ad Conſtantij Romæ res geſtas pertinet: ex relatione Symmachi Conſularis, apparet, Conſtantium Auguſtum poſt Conſtantem fratrem abſtuliſſe Romanis vnicum idolum in Capitolio relictum, Victoriæ ſimulacrum cum ara; erat illud (quod teſtatur [m] Tacitus)

A tus) super rhedam impositum, in vestibulo Capitolij collocatum: quod à Constantini patre Constantio cultum, a Constantino autem Christiano Principe non remotum, a Constante vero sublatum (Constantem, non Constantium legendum diximus, propterea quòd eumdem Imperatorem cito necatum tradat) restitutum illum per Magnentium tyrannum, a Constantio rursus sublatum, idem Symmachus conquestus [a] est. Reddamus hic verba ipsius, quibus hæc ait: Sed diuus Constantius idem fecisse dicitur (quod Constans scilicet frater fecerat) cetera potius illius Principis æmulemur, qui nihil tale esset aggressus, si quis ante se alius non deuiasset: corrigit enim sequentem lapsus prioris, & de reprehensione antecedentis exempli nascitur emendatio.] ista Symmachus, & S. Ambrosius [b] aduersus eum agens de eodem sic ait: Constantius Augustæ memoriæ nondum sacris initiatus mysterijs, côtaminari se putauit, si aram illam videret: iussit auferri, non iussit reponi] vt scilicet a Gentilibus Senatoribus

B restitueretur iterum. Recentis enim a se editæ hoc anno legis memor Constantius [c] erat, qua sancierat, ne quis sacrificaret, vel coleret simulacra, quam nos superius alia occasione recensuimus.

a Symmach. in relat. ad Valentinian. Aug.

b Ambros. ad Valentin. Imp. epist. 31.

c L. 6. de Pagan. Cod. Theod.

His a Constantio Romæ gestis, inquit Ammianus [d]: Cupiens itaque augustissima omnium sede morari diutius Imperator, vt otio priore * frueretur & voluptate: assiduis nuncijs tenebatur & certis, indicantibus, Sueuos Rhetiam incursare, Quadosque Valeriam, & Sarmatas latrocinandi peritissimum genus superiorem Mœsiam & secundam populari Pannoniam. quibus percitus, trigesimo postquàm ingressus est die, quarto Kalendas Iunias ab Vrbe profectus, per Tridentum iter in Illyricum festinauit, &c.] Haud supernum passum est numen, Arianum Imperatorem stipatum Arianorum Episcoporum phalange, Romæ diutius commorari: ne tanta sordium colluuie Romana inficeretur Ecclesia, quam absens damnatione Liberij & sub-

C rogatione Felicis tantopere perturbasset. Cum igitur in Illyricum venisset, Sirmium concessit, vbi & aliquandiu quieuit.

d Ammian. lib. 16.

* puriore

CONSTANTIVS COGITVR RECEDERE AB VRBE.

Hoc eodem anno, cum adhuc Romæ Constantius ageret (inquit Socrates [e]) Eudoxius Germaniciæ Syriæ vrbis Episcopus, qui tum Romæ aderat, audita morte Leontij Episcopi Antiocheni, mature sibi in Orientem reuertendum putat: agitque veteratorie cum Imperatore, vt sibi potestas ocyus redeundi propterea fieret, quòd Germanicia ciuitas ipsius consolatione & subsidio magnopere egere videretur. Imperator vero, qui minus quid esset illi in animo præuiderat, hominem dimittit. Iste cubiculariorum Imperatoris operam & auxilium nactus, sua ipsius ciuitate derelictâ, per dolum in Episcopatum Antiochiæ subrepsit: moliturque, vt Aetium in Ecclesiā denuo reducat; contenditque, vt Concilio Episcoporum conuocato, illum ad diaconatus gradum restituat. Verum istud propterea neutiquam côfici poterat,

D quòd odium contra Aetium conceptum plus ad illum repellendum, quàm studium Eudoxij ad restituendum valeret.] hæc Socrates, sed præpostero plane ordine id factum refert temporibus Concilij Ariminensis, ignarus temporis Constantij Romam aduentus; quem ex Consulibus ab Ammiano positis, hoc anno contigisse, certum exploratumque redditur.

e Socrat. lib. 2. c. 29.

EVDOXIVS ARIANVS AVCVPATVR EPISCOPATVM ANTIOCHENVM.

Ceterum quòd compertus sit Eudoxius Aetij dogma fouere, quo asserebatur Filium Patri substantia omnino fuisse dissimilē, cum alioqui ceteri Ariani, qui modestiores haberi vellent, licet negarent Filium Patri consubstantialem esse, tamen fuisse similis substantiæ facile concederent: orta est inter Eudoxium & alios Episcopos Arianos magna dissensio, resistentibus illi in primis Basileo Ancyrano atque Georgio Laodiceno: hic enim eos, nempe Aetium & Eudoxium detulit ad Synodum Ancyranam, ex qua procuratum est, vt eadem hæresis etiam Sirmij damnaretur: at de his anno sequenti pluribus.

DISSENSIO INTER EVDOXIVM ET ARIANOS.

E Sed quid de codē Aetio Suidas tradat, cum eius vitæ periodum breuiter scripsit, his addamus: Fuit (inquit) Aetius natione Antiochenus, Eunomij magister, pauperibus & vilibus parentibus natus. Pater eius infelicior, ceteris ad malitiam delectis, obijt, hoc admodum puero relicto: qui extrema conflictans inopia, in aurificinam se contulit, & summus artifex euasit. Cum autem eius ingenium maiora studia desideraret, disciplinas eruditas complexus, ad Paulinum se confert, recens Antiochiam Tyro profectum, Constantino adhuc regnante. Hunc audiens, vires impietatis suæ satis euidenter demonstrabat in quæstionibus, quæ cum aduersarijs agitabantur: neque iam a multis ei resisti poterat. Post Paulini obitum, cum Eulalius vigesimustertius ab Apostolis sedem teneret: multi eorum, qui ab Aetio arguebantur, indignati se ab homine opifice & adolescente vi exagitari; conspiratione inita, eum Antiochia expulerunt. Expulsus Anazarbum peruenit; & iam celerrime omnibus viribus instructus, subinde maiores quàm pro datis occasionibus reportabat fructus: neque desistebat vmquam vel aduersarios conuincere, vel vili amictu & victu vti.

AETII IMPII ORIGO ET RES GESTAE.

Hic hæresiarcha fuit, Impius cognominatus sub Constantino Magno: etsi autem idem sentiebat, quod Arius, eiusque opinionem stabiliebat: tamen ab Arianis discernebatur. Fuit prius etiam homo hæreticus Aetius magno studio defendendi Ariani dogmatis incitatus. Nam cum Alexandriæ pauca didicisset, Antiochiam, vnde oriundus erat, profectus, a Leontio qui per id tempus Episcopatum Antiochenum tenebat, diaconus creatur: statim igitur euocabat suos auditores ex Aristotelis Categorijs differēs, vt in litigiosis orationibus probe versatus; & litteras componebat ad Cæsarem Constantium. Etsi autem Arianam doctrinam tradebat: tamen a suis propter perplexitatem rationum, quas illi non intelligebant, hæreticus habebatur is qui illis assentiretur. Itaque illorum Ecclesia expulsus, alienus ab illis esse putabatur: et adhuc ex eo sunt, qui tum Aetiani, tum Eunomiani dicuntur. Nam Eunomius notarius illius, & ab illo eruditus in hæretica dictione, factioni illi præfuit.] hactenus Suidas. A

AETII IMPIA DOGMATA.

Verum Aetij cum morū & impiæ doctrinæ cloaca a S. Epiphanio, qui Syriæ proximus erat, & propius est cōtemplatus, aperitur, ipso auditu bonorum animi exhorrescunt: Eo enim progressus est impius, vt non in Filium tantum & Spiritumsanctum, negans vtriusque diuinitatem, blasphemus existeret: sed & ab homine quoque quod diuinum est, nempe detestationem vitiorum, & virtutis amorem, corrompere atque penitus amputare contendit, dum perfectionem hominis in rerum diuinarum cognitione, non autem in operatione virtutum positam esse iactaret; nihilque meriti esse, ad præscriptum doctrinarum atque humanarum legum vitam attemperare: inimo (pro nefas) contra legis diuinæ decretum ausus est affirmare, nullum fornicationi, vel cuilibet carnis insanæ voluptati inesse peccatum, & perinde ac necessaria naturæ opera, idem esse, quod aurem scalpere, nares emungere, & reliqua naturæ excrementa egerere. B

AETII TVRPITVDO ET ARROGANTIA.

At licet lutulentus porcus toto corpore sic prostratus iaceret in limo, animo tamen se supra cæli cardines perambulare iactabat: vnde & illam erat solitus effutire blasphemiam: Scio Deum, & adeo ipsum noui, vt ne quidem me magis noscam, quàm Deum.] ac probe quidem: cum enim a tecta lui cognitiōne longe longius abhorreret; a diuina pariter intelligentia oportuit esse discretum: et si quando ad retundendam perfrictam frontem hominis procacissimi, ex Prophetis vel Apostolis a pijs dicta aduersus eum adducerentur; eo blasphemię prolabebatur, vt diceret, eosdem sicut homines in errorem lapsos esse: cum tamen, vt de eo testatur Socrates [a], diuinæ scripturæ rudis admodum & ignarus esset, elencis Aristotelicis tantum excultus. Hæc quæ diximus, & alia plura auditu horrenda de monstro hoc Epiphanius pluribus prosequutus, se accepisse testatur: vt plane appareat ad tam immanes blasphemias peruulgandas dignum a diabolo esse delectum ministrum; per cuius ministerij tam euidentia signa, qualis eius posset esse doctrina, absque alia de eo facta peruestigatione constaret. C

a Socrat. lib. 2. c. 28.

b Epiphan. hæres. 76.

AETII ET ARIANORUM EADEM DOCTRINA.

Ceterum quantūlibet propter horrēdas blasphemias hunc execrari visi sint Ariani, & ob eā causam frequentes Synodos cogere; vna tamen ipsorum omnium erat in Filij Dei diuinitate neganda latens impietas: vnde Athanasius [c] hæc de ipso: Porro Aetius, cognomento Impius, quem pro causa habendi Concilij toties iactitant, non de propria insania quasi a se inuenta superbit: sed in Arianam, quæ alterius dogmatibus constat, transiens cum suis, quos decepit, naufragium fecit.] hæc ipse: ceterum & palam coram Constantio libere dicere Aetium solitum esse ea verba, Epiphanius [d] tradit: Qualiter ipsi habent, & ego habeo, velut etiam ipsi omnes: sed quod in me verum est, ipsi occultant: et quod ego clare ostendo & confiteor, hi omnes eadem dicunt.] Sed plane de Aetio accidit, vt pro impietatis excellentia nequaquam voluerit se intra confines Arianæ perfidiæ contineri: verū supra Arium se extollēs, voluit nouę hæresis dici & auctor & architectus, ac si posset, plures quam ille habuerit, adsciscere sibi sectarios. Nobilitauit autem Aetij etiam odibilem nefandamq. hæresin Eudoxius, qui, vt dictum est, hoc anno subripuit Antiochenæ Ecclesiæ præfecturam. Eudoxius enim, quòd (vt Suidas quoque affirmat) Cæsarij martyris in Arabisso minoris Armeniæ filius fuisset, ea abusus est gloria ad hæresin illustrandam. At de Eudoxio & Aetio, ac de Synodo aduersus eos Ancyræ habita, deque Constantij litteris contra eosdem Sirmio ad Antiochenos datis agemus anno sequenti. D E

c Athanas. de Synod.

d Epiphan. hæres. 76.

Hoc eodem anno Iulianus Cæsar aduersus barbaros in Gallijs effusos bellum gerens, eosdē ad pacem compulit, hæc pluribus Ammianus [e]. Tunc plane accidit, vt S. Martinus, cum iam cuncta stipendia meruisset, a Iuliano honestam peteret missionem; de quo Seuerus [f] ista tradit: Interea, irruentibus intra Gallias barbaris, Iulianus Cæsar, coacto in vnum exercitu, apud Vangionum ciuitatem, donatiuum cœpit erogare militibus. Vt est consuetudinis, singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est. Tum vero opportunum tempus existimans, quo peteret

e Ammian. lib. 16.

QVID IVLIANO CAES. CVM S. MARTINO.

f Seuer. Vit. S. Martin. c. 3.

A teret missionem: (neque enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donatiuum non militaturus acciperet:) Hactenus (inquit ad Cæsarem) militaui tibi: patere, vt nunc militē Deo: donatiuum tuum militaturus accipiat: Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Tum vero aduersus hanc vocem Tyrannus infremuit, dicens, cum metu pugnæ, quæ postera die erat futura, non religionis gratia detrectare militiam.

At Martinus intrepidus, immo illato sibi terrore constantior: Si hoc, inquit, ignauiæ adscribitur, non fidei: crastina die ante aciem inermis stabo, & in nomine Domini Iesu, signo Crucis, non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam iubetur, facturus fidem dictis, vt inermis barbaris obijceretur. Postera die hostes Legatos de pace miserunt, sua omnia sesque dedentes. Vnde quis dubitet, hanc vere beati viri fuisse victoriam, cui præstitum sit, ne inermis ad prœlium mitteretur? Et quamuis pius *S. Martinus magna pollicetur virtute Christi.*

B Dominus seruare militem suum, licet inter hostium gladios & tela potuisset; tamen ne vel aliorum morte sancti violarentur obtutus, exemit pugnæ necessitatem. Neque enim aliam pro milite suo Christus debuit præstare victoriam, quàm vt subactis sine sanguine hostibus, nemo moreretur.] hucusque Seuerus. Ceterum de hac missione, atque ætate S. Martini, & de emendatione complurium errorum, qui irrepsernnt in Seuerum, diximus superius, cum de eiusdem S. Martini baptismo actum est.

Quod autem idem Seuerus subdit de Martino, eum relicta militia conuenisse S. Hilarium Ecclesiæ Pictauiensis Episcopum; id contigisse oportuit antequàm Hilarius ab Arianis in exilium mitteretur, sicut idem auctor affirmat. Quod insuper ad Iulianum spectat: quæ eum e periculo subtraxit, Eusebia Augusta vxor Constātij, eadem ipsa, quòd careret liberis, cœpit eius inuidere in Imperium successionem: quid autem in eiusdem Iuliani coniugem Helenam *Eusebia Augusta quid in Helenam Iuliani coniugem.*

C ipsa impie sit operata, Ammianus [a] narrat his verbis: Inter hæc Helenæ sorori Constantij, Iuliani coniugi Cæsaris Romam, affectionis [*] specie ductæ, Regina tūc insidiabatur Eusebia, ipsa quoad vixerat sterilis, quæsitumque venenum bibere per fraudem illexit, vt quotiescumque concepisset, immaturum abijceret partum. Nam & pridem in Gallijs cum marem genuisset infantem, hoc perdidit dolo, quòd obstetrix corrupta mercede, mox natū, præsecto plusquàm conuenerat vmbilico, necauit: tanta tamque diligens opera nauabatur, ne fortissimi viri soboles appareret.] at consilium Dei erat hoc, ne in apostatæ à fide sobole propagaretur impietas. Sed & Eusebiæ Augustæ Arianorum patronæ ijdem ab Ammiano descripti conueniunt mores, cuius etiam sententia omnes Cōstantij magistratus aduersus fidem Catholicam mouerentur; quę eo ad nocendum procliuior erat, quo (vt de ea tradit Zosimus) summa præstaret eruditione doctrinæ, supraque muliebrem sexum videretur esse prudentior, cuius con- *a Ammian. lib. 16.* ** successionis* *Eusebiæ perditi mores.*

D silio Constantius cuncta perageret: adeo vt si quis eam facem, gladium, luemque Ecclesiæ Catholicæ nominet, propriam ac rebus gestis cōgruentem nomenclaturā adinuenisse, certo sciat.

Hoc item anno, mense Decembris, Constantius Imperator, dato rescripto ad Taurum Præfectum Prætorio, exemptos voluit clericos a collatione lustrali, reliquos autem homines obligari: ea vero lex est huiusmodi [b]: Negotiatores omnes protinus conuenit aurum argentumque præbere, clericos excipi tantum, qui Copiatæ appellātur, nec alium quemquam esse immunem ab huius collationis obsequio. Dat. IIII. Non. Decemb. Acc. Rom. VIII. Id. Feb. Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæs. II. Coss.] *Clerici exempti a collatione lustrali.* *b l. 1. de Collat. lustrali, Cod. Theod.*

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
E 357.	6.	21.

SEquenti anno Domini trecentesimoquinquagesimo septimo, Cōstantius nonū & Iulianus Cæsar secundum adeunt Consulatū: quo Sirmij dum Constantius ageret, cogendū curauit Conciliū Sirmiense, dicendum potius conuenticulum satanæ: cuius quidem tempus perperam constituitur a Socrate [c] atque Sozomeno [d] annō post Cōsulatum Sergij & Nigriani, qui est annus Domini trecentesimus quinquagesimusprimus; nā ex suis ipsorū scriptis (ne aliūde testimonium modo quæramus) apertissime confutantur: siquidem eorumdem assertione in eodem contextu dicitur illuc inuitum perductum fuisse Osium Episcopum Cordubensem, atque ad subscriptionem in Athanasium (quod antea facere renuisset) compulsum esse. Quòd si tunc liquet celebratam esse Synodum Sirmiensem, quando Osius ad id ipsum prestandum inuitus adactus est: iam affirmare necesse erit, non ante præsentem annū eam habitam fuisse; siquidem lapsum Osij non nisi post eius exilium, quod accidit post Liberij relegationē, cōtigisse dici potest. *Concilium Sirmiense.* *c Socrat. lib. 2. c. 24.* *d Sozom. lib. 4. c. 5.*

Porto

Porro Liberij exilium ante annum superiorem a Constantio decretum, Arbitione & Lolliano A
Consulibus, certis firmisque rationibus superius demonstratum est, nempe Athanasij omnia illa præ oculis habentis atque exacte describentis auctoritate, nec non Seueri testificatione.

TEMPVS SYNODI SIRMIENSIS

Cum insuper idem testetur Athanasius, detentum exilio Osium annum integrum; ad hunc vsque annum eum id passum, affirmare opus est: qui in fine (vt diximus) anni trecentesimi quinquagesimiquinti, vel potius sequentis exordio, iniquam illam Constantij sententiam pertulit. Sunt hæc enim, de tempore & loco exilij Osij, verba Athanasij superius recitata[a]: Accersit Osium, & pro exilio detinet illum integrum annum Sirmij, nihil veritus impius Deum, &c.] Rursum vero cum S. Hilarii[b] assertione pateat, Synodum Sirmiensem celebratam esse post triennium ex quo Saturnino Episcopo Arelatensi Ariano professori negata est communio a Catholicis Episcopis Galliarum: affirmare oportet hoc ipso anno eamdem fuisse collectam: siquidem contigit manifesta apostasia Saturnini ante triennium, cum Constantius, expugnato Magnentio, Arelatem se contulit, vbi conuenticulum illud habuit. B Insuper cum constet, eiusmodi Synodum habitam esse Sirmii præsente Constantio Imperatore (quod & Sozomenus[c] affirmat) plane dicendum est, hoc ipso anno celebratam esse, quo idem Constantius (vt demonstrauimus, Ammiano auctore) Sirmii consedisse probatur. Vides igitur, quanto veritatis dispendio & rerum confusione Sirmiense Concilium hoc anno habitum, a Socrate & Sozomeno ante annos sex, Consulum notatione, ponatur.

a Athanas. ad Solitar.
b Hilar. de Synod. in princip.
c Sozom. lib. 4. c. 5.

CVR COLLECTA SYNODVS SIRMII.

His de tempore elucidatis, caussa huiuscemodi agendi Conuentus est exquirenda. Ariani enim cum iam se hæreticos dici non amplius paterentur, affectantes (quod ait S. Epiphanius[d]) Catholicum nomen, itidem quod Catholicorum partium esset, explere in omnibus student; atque ob eam causam bellum suscipiunt aduersus hæreticos, qui de Filio Dei humiliter & abiecte nimis sentirent; ac propterea Ancyræ in Galatia aduersus Actium decreuerunt Concilium C Ancyranum, & aduersus Photinum Episcopum Sirmiensem, pariter negantem diuinam in Filio cum Patre substantiam, & omnimodam cum eo similitudinem: Synodumq. indicentes contra hæreticos diuinitatis Filii Dei hostes, sese rectæ fidei vindices præseferunt.

d Epiph. hæres. 37

PHOTINVS MALA SIBI SOCCVIT SVOS.

At de Photino diximus superius, cum eius hæresis innotescere visa est: quibus, ad insinuandum hominem, & eius memoriam refricandam, hic addimus, quæ de ipso habet Vincentius Lirinensis[e], postquam factus est Episcopus Sirmiensis, his verbis: Hic cum in Ecclesiam Sirmianam magno omnium fauore fuisset adscitus, & aliquandiu tamquam Catholicus administraret: subito, vt malus ille Propheta, aut somniator, quem Moyses significat, creditam sibi plebem Dei persuadere cœpit, vt sequeretur deos alienos, id est errores extraneos, quos antea nesciebat. Sed hoc vsitatum; illud vero perniciosum, quòd ad tantum nefas non mediocribus adminiculis vtebatur; nam erat ingenii viribus florens, & doctrinæ opibus excellens, & D eloquio præpotens; quippe qui vtroque sermone copiose & grauiter disputaret & scriberet, vt monumentis librorum suorum manifestatur, quos idem partim Græco, partim Latino sermone composuit.] hæc Vincentius.

e Vincent. Lirin. contra hæres. c. 16.

LATENS CONNIVENTIA ARIANORVM CVM PHOTINO.

Constantius igitur quantumlibet Photino non esset impietate secundus; tamen quo se pium Catholicumque & hæreticis aduersarium ostentaret, tamquam in scena ludum, Photinum adduxit in medium, & contra eum Episcopos Arianos, licet reuera haud multum inter se differrent: nam cum iidem dicerent Filium creaturam, hac ex parte æque ac Photinus Filio diuinitatem amputabant, licet iste alia ratione. Detexit Lucifer laruam Arianorum atque Constantii, dum aduersus eum hæc ait[f]: Interea oro te, respondeas, quid intersit inter te & Conscotinum tuum, quem verso ordine Smyrnienses* vocant Photinum? quid intersit, quid distet: rogaris, distinguas, &c.] et inferius: Ecce Photinus hominem tantum profitetur Dei E Filium; dicit illum non fuisse ante beatam Mariam: tua quoque hæc est professio. Quòd enim ante omnia quidem, hoc est ante cælos, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, Filius Dei sit, sed quòd extiterit ex nihilo, sed quòd sit creatura; quid interesse arbitraris inter te & Paulum Samosatenum, vel eum, tum eius discipulum tuum Conscotinum, nisi quia tu ante omnia dicis, ille vero post omnia? Ceterum vna vobis credulitatis & incredulitatis mens est, vt diceretis non habere Deum verum Filium, &c.]

f Lucif. de non parcend. in Deum delinquent.
* Sirmienses.

PRODITVM CONSILIVM ARIANORVM.

Verum Ariani, quo se vere Catholicos demonstrarent, aduersus diuinam substantiam, quam negabat Photinus, videri ipsi voluerunt esse eiusdem diuinæ substantiæ in Filio assertores. Affectatam ab ipsis einsmodi damnationem hæreticorum, quo se specie tenus Catholicos exhiberent, nouit, ac scripsit quoque S. Gregorius Nazianzenus[g]: sed cito citius appositam sibi laruam ijdem exuerunt, cum declararunt, sese omnia aduersus Photinum per simulationem veteratorie peregisse, dum prætensum & assertum in eadem Synodo substantiæ nomen

g Greg. Nazian. orat. in laud. Athanasii.

A men in Filio, mox (vt dicetur) illud ipsum per professionem contrariam abiecerunt. hinc Sanctus Hilarius agens contra Constantium ait: Post Synodum deinde Sardicensem, omnem rursus aduersus Photinum Sirmij Catholicæ doctrinæ tuæ commoues curam: sed tibi statim hoc, quod vtraque fide continebatur, exhorret.] et paulo post: Damnas quoque & substantiæ nomen, quo te & in Sardicensi Synodo, & Sirmiensi, pium esse Occidentalibus mentiebaris.] hæc Hilarius.

Fuit autem eiusmodi in scenam allatæ totius comœdiæ argumentum, quòd S. Epiphanius præfatur his verbis [a]: Post illam defensionem ipsius tunc in Sardica factam, quando ab Episcopis vocatus fuit ad reddendam rationem de maligna a se proposita fide: impetrauit a Constantio, veluti qui frustra depositus esset, vt rursum acciperet auditores, coram quibus demonstraret se frustra depositum esse. Vnde Rex, illo tempore, admisit Iudices & auditores suæ futuræ purgationis, Thalassium, & Dacianum, & Cerealium, & Taurum, & Marcellinum, & Euanthium, & Olympium, & Leontium (erant omnes hi Comites & magistratus Imperatoris) Basilio Episcopo Ancyrano ipsum interrogante, & contradicente his verbis, quæ ipse defensurus, aut admissurus esset. Non modicam autem disputationem aduersus Basilium habuit, sed instar perfrictæ frontis leuis mulierculæ colorem suum per verba in disputatione mutabat, falloque adducebat dicta inconstantia ad intelligendam veritatem, sed quæ essent ex eius mente ficte excogitata. Verum per fraudulentam suam vocem ac dicendi promptitudinem ad seipsum & auditores confirmandos per linguam instructus, de doctrina proposita centum testimonia generosus ille cum iactantia se producturum esse promittebat, etiamsi ipsi sæpe aduersus illum instarent. Quemadmodum etiam in disputatione aduersus Basilium C reperimus in his, quæ iussi sunt scribere velociter scribendi periti, notarij exceptores, Anysius diaconus Basilij, & Callycrates exceptor Ruffini Præsidis prouinciæ, & Olympius ac Nicetes memoristæ siue a memoria ipsius Basilij, & Eutyches, & Theodulus notarij Basilij: et dimissa est pars vna obsignara ad Regem Constantium, altera remansit in Synodo apud Basilium, & adhuc alia pars apud Comites similiter obsignata, prout ipse ex sententia sua pronunciarat.] hæc Epiphanius, qui se ea legisse testatur, & ex eis aliqua recitat.

[margin: a Epiphan. hæres. 73. — PHOTINVS A CONSTANTIO PETIT RVRSVS AVDIRI. — BASILIVS ANCYRANVS AGIT ADVERSVS PHOTINVM. — B, C]

Cum igitur ista de Photino Epiphanius affirmet se ex Actis ipsis Synodi Sirmiensis accepisse: haud facile concedendum putamus ijs, qui putant ipsum hallucinatum, dum ait eumdem Photinum prædamnatum fuisse in Concilio Sardicensi, quasi non ante Synodum Sirmiensem de ipso agi cœptum sit. Damnatus itaque Photinus semel, vt vult Epipha- D nius, in consilio Sardicensi (quod hæreticorum & schismaticorum est) haud latæ sententiæ acquieuit, sed adijt Imperatorem; petens ab eo, causam rursum audiri.

Verum vtcumque sit; constat Photinum in Conuentu illo Sirmiensi a Basilio Ancyrano confutatum sententiam damnationis accepisse, de qua Sozomenus [b]: Photinus licet ab Atianis, æquam tamen pro merito accepit sententiam, vt qui non tantum Pauli Samosateni, sed Cherinthi & Ebionis damnatas hæreses de Christo, quòd non fuerit ante Mariam, restituere conatus est.] ob quam causam apparet eumdem Photinum ab Hilario sæpe nuncupatum Ebionem: Ebionis namque hæresim ab eo instructam æque affirmat Sanctus Hieronymus [c]: sed deteriorem hunc Ebione fuisse apparet: Ebion enim Christum Deum esse negabat omnino: Photinus autem id minus habuit, vt diceret tunc Christum esse cœpisse, cum Spiritussanctus visus est super illum; quamobrem ex E Spiritusancto genitum esse dicebat, vt de eodem tradit Epiphanius [d]. Sed quod rursus ad Photini dogmata pertinet, de diuinis personis idem sensisse quod Paulus Samosatenus ac Sabellius, ait Theodoretus [e], vnamque tantum operationem Patris & Filij & Spiritussancti esse docuisse: aduersus quem, Theodorum Cilicem quatuor libros scripsisse tradit. Cum tamen ipse Photinus, licet damnatus exilio, pro defensione hæresis, multa conscripserit: nam de eo Soctates [f]: De reliquo, inquit, Photinus in exilio degens librum tum Græca, tum Latina lingua (nam ne huius quidem linguæ ignarus fuit) composuit. Scripsit autem contra omnes hæreses, dum suum ipsius dogma diuulgare laborauit.] & quidem suæ impietatis reliquit improbos successores, eosdemque ab anctore nominatos Photinianos: quos etiam ob detestandam blasphemiam, quòd Christum non nisi hominem affirmarent, eosdem dictos quoque fuisse Homuncionistas, S. Augustinus testatur [g].

[margin: b Sozom. lib. 4. c. 5. — PHOTINVS VICTVS ATQVE DAMNATVS EST. — c Hieronym. de script. Eccles. in Photino. — d Epiphan. hæres. 71. — e Theodoret. hæret. fabul. lib. 2. — f Socrat. lib. 2. c. 2. — g August. serm. 16. ex addit. Fragmen. editionis Louaniens.]

NOVA FIDEI FORMVLA SIRMII SCRIPTA. Damnato autem Photino, qui ad Synodum conuenerant Ariani Episcopi nouam A fidei formulam edidere, qua quidem ab eisdem tunc scriptis anathematismis vigintiseptem, damnando Photini hæresin videri voluerunt esse Catholici. recitant eam Athanasius atque Hilarius, cui sic ille [a] præfatur: Sed neque in his permanserunt, quę ante sæpe statuerant: rursus enim Sirmij aduersus Photinum congregati, aliam fidem composuerunt, non ita prolixam, neque tot verbis abundantem (sicut vltimo loco editam:) nam plerisque detractis, alia addiderunt, veluti ea per suggestionem ab alijs audiuissent. sunt autem ista: Credimus in vnum Deum, &c.] Porro ne qui vere essent, Ariani viderentur, secundum Catholicam fidei assertionem, hæc in primo anathematismo posuerunt: Eos porro qui dicunt ex non ente, aut ex alia substantia, & non ex Deo Filium extitisse, aut quòd tempus aut ætas fuit, quando ille non erat; alienos a se censet sancta & Catholica Ecclesia.] hæc inquam sic vera sunt (quod B dictum est alias sæpe superius) vt contradicant doctrinæ Arij, non tamen plena, vt præclusus sit omnis aditus eidem hæresi irrepere satagenti in fidem Catholicam; nisi pariter secundum regulam Nicænæ fidei, vox Consubstantialis apponatur. Eamdem cum recitat Hilarius, etiam interpretatur [b], & quidem consentientem fuisse Catholicæ veritati, demonstrat; sicut & quasdam alias, vtpute Antiochenam, & Sardicensem, ab ijsdem pariter editas: sed quodnam fuerit Hilarij consilium in regulis fidei interpretandis, quas costaret extra Ecclesiam Catholicam esse scriptas, suo loco dicemus.

[a] Athanas. lib. de Synod.

[b] Hilar. lib. de Synod.

MARCVS ARETHVSIVS SCRIPTOR FIDEI SIRMIENSIS. Hanc autem Sirmiensis fidei formulam scriptam fuisse a Marco Arethusio Episcopo, quem sæpe superius inter Arianos profitentem inuenimus, Socrates testatur, cum ait [c]: Isti Episcopi Sirmij ad tempus commorati, alia Acta sanciuere: nam vetera sua de fide decreta condemnare, nouasque fidei formulas condere cœperunt: C vnam, quam Marcus Arethusius Græco sermone conscripsit: duas autem alias Latino sermone, quæ nec verbis, nec compositione, ac sensu vel ipsæ secum, vel cum illa quam Episcopus Arethusius Græce scripserat, congruerunt: alteram tamen earum, quæ Latine conscriptæ erant, formulæ illi a Marco Græce editæ hoc loco subiungam, &c.] meminit item Sozomenus de tribus formulis, vna Græce, duabus vero Latine conscriptis; sed plane in eo fallitur, dum in nulla ipsarum substantiæ nomen assertum putat; cum ex ipsa formula fidei prius edita, atque ab Athanasio, Hilario, & Socrate recitata, appareat expresse positum substantiæ nomen.

[c] Socrat. lib. 2. c. 25.

SECVNDA FIDEI FORMVLA SIRMII EDITA. Secunda insuper ibi edita est fidei regula Latino sermone, quæ Græce postea reddita fuit, vt Sanctus Anthanasius [d] testatur, cum post recensitam primam fidei formulam, in qua inerat nomen substantiæ, hæc subdit: Istis omnibus neglectis, ac veluti melioribus D repertis, aliam fidem decernunt, & Sirmij scriptam referunt Romano quidem sermone, sed quæ Græce interpretata hunc sensum habet: Quoniam de fide placuerat disceptationem fieri: omnia cum sedulitate inquisita & examinata fuêre Sirmij in præsentia Valentis, Vrsacij, Germinij, ceterorumque omnium, &c.] At magnopere considerandum est, quòd dum Sanctus Hilarius posteriorem hanc, quam ipse priori loco recitat, ex Græco in Latinum translatam dicit; apparet ipsum nequaquam in germanam editionem incidisse, sed in eam quæ ex Latino in Græcum translata fuit; sunt autem hæc ipsius verba [e]: Et quidem rectum & conueniens existimo, vt antequàm de verborum suspicionibus ac dissensionibus ineam sermonem, ea quę ab Orientalibus Episcopis aduersus conscriptam, apud Sirmium hæresin dicta & constituta sunt, verbis quàm possim absolutissimis demonstrem: non quòd ab alijs planissime omnia edita sint, sed quòd ex Græco E in Latinum ad verbum expressa translatio affert plerumque obscuritatem, dum custodita verborum collatio eamdem absolutionem non potest ad intelligentiæ simplicitatem conseruare.] hæc ipse consentit & Socrates [f], secundam illam fidei formulam fuisse Latino sermone conscriptam, postea vero in Gręcum conuersam, vt ait, ab eodem Marco Episcopo Arethusio, qui primam conscripserat: de tertia autem dicemus paulo inferius.

[d] Athanas. lib. de Synod.

[e] Hilar. de Synod.

[f] Socrat. lib. 2. c. 25.

IMPIETAS ARIANA DIVOCCVLTATA PANDITVR. Quid vero conati fuerint Ariani hac secunda professione Sirmiana, Sanctus Hilarius declarat verbis illis, quibus nuper recitatis mox subdit [g]: Meministis namque in ea ipsa scripta proxime apud Sirmium blasphemia id tentatum ac laboratum fuisse: vt dum Pater vnus, & solus omnium Deus prædicatur, Deus Filius esse negetur: & dum de Homousio & Homiusio taceri decernitur; id decretum esse, vt aut ex nihilo vt creatura, aut ex alia essentia, vt consequentia creaturarum, & non ex Deo Patre Deus

[g] Hilar. de Synod.

Filius

A Filius natus confirmaretur. Tum porro in eo quòd honore, claritate, dignitate, maiestate Pater maior diceretur: id esse quæsitum, vt Filius his omnibus, quibus Pater maior est, indigeret. Postremo, dum ignorabilis natiuitas eius asseritur; per hoc ignorantiæ decretum, nescire quod ex Deo sit, iuberemur.] hæc Hilarius, qui eam recitat, ac plane eamdem quam habent Athanasius atque Socrates, in qua quidem de abdicatione vocis substantiæ sic apud eumdem [a] Athanasium scribitur: Ceterum quia multos commouet vox Latine quidem dicta, substantia, Græce autem οὐσία, hoc est, vt diligentius cognoscatur, illud quod ὁμοούσιον, aut ὁμοιούσιον dicitur: nullam earum vocum mentionem debere fieri, neque de ea id sermocinandum in Ecclesia censemus, quòd de his nihil scriptum sit in sacris litteris, & quòd illa nominum intellectum & mentem transcendant, & quòd nemo possit Filij generationem enarrare, &c.] Vides, lector, hæreticorum inconstantiam: qui enim nuper in confutatione Photi-

B ni tam apposite substantiæ nomine vsi essent, quòd non nisi Catholicæ Ecclesiæ armis ad pugnacem hæresiarcham prosternendum satis sibi virium esset: illo superato, armis illis, quibus vsi fuerant, procul eiectis, qualesnam essent, se palam prodidere.

a Apud Athan. de Synod.

Sed illud modo accuratius peruestigandum est, quòd S. Hilarius cum eiusmodi blasphemiam recitat, eidem præfixum hunc titulum ponit: Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium & Potamium conscriptæ.] sub quo quidem titulo dicta Sirmiana blasphemia descripta habetur: caret plane eo titulo quæ recensetur ab Athanasio, & quæ a Socrate ponitur, nec vlla apud eos prorsus mentio, quòd Osius & Potamius eam scripserint. Quamobrem cum superius sit demonstratum, S. Hilarium haud nactum esse germanam atque originalem eius fidei professionem Latino sermone conscriptam, sed ex Græco deprōptam; illud affirmare cogimur, titulum illum, qui desiderabatur in authentico Latino exemplari, superaddi-

FALSVS INDITVS TITVLVS SIRMIANAE BLASPHEMIAE.

C tum ab Arianis, & fortasse ab ipso Marco Arethusio, quem Græco eam sermoni reddidisse, Socrates tradit, atque eo magnorum confessorum titulo illam Orientalibus, quo facilius acciperetur, promulgare curasse. Sed quod ad Potamium spectat: haud quis putet hunc illum Episcopum fuisse in Aegypto Potamionem, seu Potamonem nuncupatum, quem ante annum ab Arianis multa passum, martyriū quoque consummasse, ex Athanasio superius dictum est: porro hic, de quo agitur, Potamius, vnus erat ex putētibus Arianis, quem Soebadius, qui his temporibus viuebat atque scribebat Episcopus Agenni in Gallia, vna cum Vrsacio ac Valente coniungit, atque eiusdem epistolæ meminit confertæ blasphemijs ad Orientales atque Occidentales missæ.

Ceterum ipsum Osium Sirmij eidem fidei formulæ subscripsisse, non autem eam scripsisse, tum Socrates, tum etiam Sozomenus affirmant: id autem vt se habuerit, idem nar-

OSII LAPSVS IN SYNODO SIRMIENSI.

D rat Socrates, cum ait [b]; Quamquam iste paulo ante per fraudulentum Arianorum conatum erat in exilium missus: id temporis tamen studio & labore Episcoporum qui Sirmij conuenerant, factum est, vt Imperator illum accerseret, habens in animo vel persuadendo, vel cogendo, eum inducere, vt cum Episcopis ibi coactis consentiret. Nam si istud factum esset; illorum fides perillustri testimonio confirmata videretur. hac de causa inuitus, vt dixi, accessit ad Concilium. Simulatque vero senex ille eorum fidei assentiri abnuebat; plagæ illi erant inflictæ, membraque machinis distorta. Quapropter fidei formulis eo tempore editis, vi & necessitate compulsus consensit, subscripsitque.] hæc Socrates, eadem quoque Sozomenus [c].

b Socrat. lib. 2. c. 26.

c Sozom. lib. 4. c. 5.

Epiphanius autem affirmat, ab epistola quadam Osij eam ipsos hausisse ac promulgasse blasphemiam: nam ait [d]: Alterum vero est, quòd cum antea scripserint dissimilem

d Epiphan. hæres. 73.

E secundum essentiam Filium Patri, & putarent se condemnare Ecclesiam per litteras, quas a venerando Episcopo Osio venati essent, in quibus dissimilis secundum essentiam habetur, &c.] Vi quidem extortam fuisse ab Osio eiusmodi impietatem, S. [e] Athanasius testatur, in hunc modum ad Solitarios scribens: Tantam vim intulit seni, quem Sirmij pro exilio detinebat, & ita eum arcte tenuit, vt afflictus attritusque malis, tandem, ægreque cum Vrsacio & Valente communicaret, sed tamen vt contra Athanasium non subscriberet: verum ne ita quidem eam rem pro leui habuit: moriturus enim, quasi in testamento suo, eorum vim protestatus est, & Arianam hæresin condemnauit, vetuitque eam a quocumque probari ac recipi.] hæc Athanasius, idemque alibi [f] sic de Osio: Etsi Osius minis Constantij conterritus, non videbatur Eusebianis contradicere: vis tamen illa & Constantij tyranni potestas, multæque contumeliæ & interminationes satis ostendunt, minime eum in nostri condemnationem consensisse; sed senij imbecillitate imparem verberibus, ad tempus cessisse.] hæc ipse.

OSIVS VIM PASSVS RECANTAT PALINODIAM.

e Athanas. ad Solitar.

f Athanas. Apolog. 2. in fine.

a Extat tom. 5. biblioth. sanct. Sed & Seuerus quoque hæc de eodem [a] :Osium quoque ab Hispania in eamdem perfidiam A consensisse, opinio fuit; quod eo mirum atque incredibile videtur, quia omni fere ætatis suæ tempore constantissimus nostrarum partium, & Nicæna Synodus illo auctore confecta habebatur: nisi fatiscente æuo (etenim maior centenario fuit, vt S.Hilarius in epistolis refert) delirauerit.] ita ipse. hinc & Hilarij querela illa in Osium est, quòd sepulchri sui, nempe corporis, nimium amans fuerit. De lapsu quoque Osij meminit Soebadius in libro contra Arianos scripto, de quo est mentio apud S.Hieronymum [b]:vbi hæc de Osio in fine libri: Sed nõ sum nescius, his omnibus discussis, & in lucem intelligentię publicæ propositis; antiquissimi sacerdotis & promptæ semper fidei Osij nomen, quasi quemdam in nos arietem temperari, quo contradictionis temeritas propulsetur. Sed hanc contra nos erigentibus machinam, breui admodum sermone respondeo. Non potest eius auctoritate præscribi: quia aut nũc errat, aut semper errauit. Nouit enim Mundus, quę in hanc tenuerit ętatem, qua constantia apud Sardicam & in B Nicæno tractatu assensus sit, & damnauerit Arianos. Quid si diuersa nunc sentit; & quæcumque ab eo retro damnata fuerant, defenduntur; quæ defensa, damnantur? Rursum dico: non mihi eius auctoritate præscribitur. Nam si nonaginta fere annis male credidit, post nonaginta illum rectè sentire non credam. Aut si nunc rectè, quid de eis opinandum est, qui ab eodem signati, fidei in qua tunc ipse erat, de sæculo transierunt? quid & de ipso pronunciaretur, si ante hanc Synodum dormisset? Ergo vt supra diximus, præiudicatæ opinionis auctoritas nihil valebit, quia contra semetipsam ipsa consistit.] hæc Soebadius, quem adhuc fuisse sua ætate superstitem, tũc cum scriberet tractatũ de scriptoribus Ecclesiasticis, Hieronymus testatur, ab eoque alia opuscula scripta tradit. meminit & Vigilius [c] martyr de eiusdem Osij lapsu, & cum Valente & Vrsacio conspiratione.

b Hieron. de Script. Eccles. in Soebadio.

OSII LAPSVS NVLLVM PRAEIVDICIVM AFFERT ECCLESIAE.

c Vigil. contra Eutych. lib. 5.

Immenso sane luctu, & implacabilibus lamentis prosequuti sunt sancti Patres funus præclarissimi viri, qui cum nauem qua tot tantaque maria nauigarat inter syrtes, scopulos atque piratas, validis vndique aduersarijs vrgentibus ventis, iam ad portum salutis magna gloria perduxisset incolumem, ibi insperato naufragium fecit, vniuersa Catholica Ecclesia expauescẽte. Eiusmodi Osij plane miserabili casu Catholicus orbis contremuit, concussæque sunt solidissimæ petræ. Quis, rogo, de sui exitu potuit esse securus; si omnium Synodorum laudibus Osium celebratum, & scriptorum cunctorum illorum temporum præconijs exaltatum, totque ex diuersis atque multiplicibus certaminibus coronis auctum, hominem in Concilijs agentem patronum atque magistrum, videat tam inopinate prosterni, ac instar salis infatuati pedibus proculcari, tantumque ducem effici exercitus desertorem, immo ad hostes deficientem, & in castris hostium profitentem, transfugam adeo ignominiose constitui? eoque potissimum tempore (pro dolor) quo de laboribus immẽsis præmium accepturus, & D de innumeris victorijs fuisset donandus a summo Imperatore coronis. Merito igitur abietes vlularunt, quia cecidit cedrus [d]: atque pauentes sibique timentes viri sancti, ad Deum clamantes, propheticum illud occinuerunt [e]: Ne proijcias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.]

DE OSII LAPSV LVCTVS.

d Zach. 11.

e Psal. 70.

Superauit, mea sententia, lapsus Osij præteritorum omnium casum, siue Origenis, siue Tertulliani, vel quorumuis aliorum dixeris: nullus enim æque ac ipse, neque tanta temporis diuturnitate, tot tantisque publicis actionibus, ijsdemque summis ad statum totius Reipublicæ Christianæ spectantibus tum in Occidente, tum in Oriente perfunctis, nullus inquam æque vt Osius spectatus est. Cui non Concilio hic interfuit, atque magna pars fuit, vt Eliberino, Arelatensi, Neocæsariensi, Alexandrino, duobus magnis atque œcumenicis Concilijs Nicæno, ac Sardicensi, & alijs quorum memoria excidit? Quem tot tantique ponderis E legationes Apostolicæ decorarunt; quem in suo ipsius Christianæ fidei tyrocinio Constantinus Imperator inhærescentem suo lateri habere voluit monitorem; quem parentem nomine diceret, atque filiali affectu coleret: hunc illum ipsum, Osium, quem & Ariani Synodorum principem dicerent, & Nicæni symboli formulam concepisse [f]: hunc, inquam, in Conciliabulo Sirmiensi ignominiose prostratum, turpissime factum esse eiusdem Nicænæ fidei proditorem?

INGENS OSII LAPSVS ALIORVM CASVS SVPERAVIT.

f Athanas. ad Solitar.

At licet lapsu Osij ingẽti fuerit Ecclesia Dei tremore concussa, vtpote quæ esset illi Catholicæ communicationis compaginatione coniuncta: haud tamen cum corruente corruit, quippe quæ minime gentiũ tali inniteretur fundamẽto, quæ fundata est super firmã petrã: et quæ sciret Osiũ hominẽ, & non Angelũ; didicissetq. neq. Angelũ reuereri debere, sed anathemate & execratione percellere, qui aliter annũciaret, quàm quod ab Apostolis [g] traditũ est; atq. præstare, cuilibet turbulentæ ac violentæ cribrationi diaboli solidã promissionẽ Christi verbo firmatam,

ECCLESIA INCONCVSSA PERSEVERAT ET MAGIS ILLVSTRATVR.

g Galat. 1.

A matam, atque precibus ſtabilitam. At ſi quando contigit illud videre de fidei veritate miraculum, quod dixit Dominus [a]: Si iſti tacebunt, lapides clamabunt: hoc plane tempore fuit perſpicue demonſtratũ. Nã ſicut olim negãte Petro & ceteris fuga lapſis Apoſtolis, latro Chriſtũ Deũ eſt confeſſus in Cruce; itidemq. Centurio, qui crucifixerat Chriſtũ, publica cõfeſſione clamauit: Vere filius Dei erat iſte: et qui blaſphemarãt reuertebãtur percutiẽtes pectora ſua: ita pariter (o excellens miraculũ, & omnia ſuperans de veritate fidei Chriſtianæ prodigium) cum negat Oſius, hoſtes fidei confitentur Ariani: ablegata ſiquidem ab Oſio in filio Dei diuina ſubſtantia, eadem ab eius impugnatoribus reſtituitur: prædicat denique ipſe Conſtantius Imperator, publiciſque edictis demoliendum curat, quod Oſius vna cum aliis impie ædificarat. [a] Luc 19.

S. Hilarius enim recitata Sirmiana impietate, ab Oſio, atque Potamio (vt ait) conſcripta, vel ſaltem ſubſcripta, mox ſubdit [b]: His itaque tot & tantis impietatis profeſſionibus editis, B has rurſum e contrario Orientales Epiſcopi in vnum congregati ſententiarum diffinitiones condiderunt, &c.] receſet poſt hæc ex eis duodecim capitibus diffinitiones diſtinctas aduerſus Sirmienſem perfidiam, in qua tacendum eſſe de ſubſtantiæ nomine, vt vidimus, fuerat conſtitutum; eamdemque interpretatus, ac denique poſt eas epilogo breui retextas, iſta addit [c]: Hæc conſcientiæ ſuæ, & adeptæ iampridem doctrinæ ſuæ inſtituta decernunt; et eos qui hanc apud Sirmium hæreſin conſcripſerunt, vel conſcriptam ſuſceperant, ignorationem confitentes, ad ſubſcriptionem decretorum talium coegerũt: Vbi Filius imago Patris perfecta eſt: Vbi ſub indifferentis imaginis proprietate, per fraudem profanam Filius non aboletur, vt Pater ſit: Vbi imago Patris Filius prædicatur per ſimilitudinis veritatem, a ſubſtantia Patris, cuius imago eſt, ſubſtantiæ diuerſitate non differt: Vbi per habitam a Patre vitam & acceptam a Filio vitam, nihil differens in ſubſtantia, quæ ſignificatur in vita, habeat Pater, quam C Filius accepit ad habendum: Vbi non creatura eſt Filius genitus, ſed a natura Patris indiſcreta ſubſtantia eſt: Vbi ſicut inter Patrem & Filium indifferens virtus eſt, ita nullam inter ſe diuerſitatem patiatur eſſentiæ: Vbi Pater generando Filium, nihil ex ſe in eodem degenerat diuerſitate naturæ: Vbi quia nihil differat in vtroque naturæ proprietas, tamen ſimilitudinis perſonalium nominum reſpuunt vnionem, ne ſubſiſtens vnus ſit qui & Pater dicatur & Filius: Vbi quia pie dicitur & Pater mittens, & Filius miſſus: in nullo tamen inter Patrem & Filium, ideſt inter miſſum atque mittentem, diſcernatur eſſentia: Vbi non intra tempora paterni nominis veritas continetur: Vbi Filius Patre non eſt poſterior in tempore: Vbi vltra tempus omne perfecta natiuitas, innaſcibilitatis in ſe non admittit errorem. Et hæc quidem, fratres cariſſimi, omnis quæ edita eſt fidei doctrina, per paucos iuxta vniuerſitatis modum Orientales, ſub ipſis prope diebus, quibus vos ingeſtam hæreſin reſpuiſtis, emerſit: cuius exD ponendæ ea fuit ratio, quòd vnius ſubſtantiæ ſilentium decernebatur.] hactenus Hilarius. [b] Hilar. de Synod. NOVA FIDEI FORMVLA EDITA CONTRA PRAECEDENTEM. [c] Hilar. ibid.

Sic quidem pertæſi Sirmianæ perfidiæ Orientales Epiſcopi, ſtatim Sirmio recedentes, in Aſiam commigrarunt, atque Ancyræ in Galatia conuenerunt: ibiq. reſtituto in Filio Dei ablegato ſubſtantiæ nomine, ſcriptis recenſitis fidei regulis, eas per Legatos Sirmium miſerunt ad Conſtantium Imperatorem: ad quos vt de pietate in tanto naufragio benemerentes hæc habet S. Hilarius [d]: Domino gratias, quòd ignorationem per vos admonitus Imperator, ignorantiam & errorem non ſuum, ſed aſtantium per has fidei veſtræ ſententias recognouit, & ſe inuidia apud Deum & homines impiæ voluntatis exemit: cum legationem veſtram honorifice habens, falſitatem eorum quorum auctoritate in inuidiam ducebatur, coacta a vobis ignorantiæ ſuæ profeſſione cognouit.] iſta S. Hilarius, qui & eoſdem Orientales hortatur ad ſuſcipiendam vocem conſubſtantialitatis, ſine qua nomen quoque ſubſtantiæ videretur E periclitari poſſe, habereque ſecum fraudem paratam ab ijs, qui in ſuum ſenſum eius verbi ſignificationem extorquerent. ORIENTALES DESTRVVNT IMPIETATEM SIRMIANAM. [d] Hilar. de Synod.

Vides iam ex his & admirare, lector, quo modo cum ex Oſij, Potamij, atque aliorum præſcripto iubetur Sirmij de nomine taceri ſubſtantiæ: ab alijs tamen licet fidei Catholicæ hoſtibus (erãt hi Semiariani dicti) quantopere in Filio idẽ nomen ſubſtantiæ prædicatur: quorum ſententiæ & ſubſcribere coacti ſint (vt ait) ijdẽ qui nuper de Filij cum Patre ſubſtantia ſilentiũ indixiſſent. Porro autẽ præclaros nominis ſubſtantiæ vindices fuiſſe Baſilium Ancyranũ Epiſcopum, qui interfuerat Concilio Sirmienſi & aduerſus Photinũ certamen ſubierat, inſuper & Georgiũ Laodicenũ, & alios, S. Epiphanius [e] numerat, dũ eorũdẽ fidei profeſſionẽ prolixiorẽ quàm Hilarius recitat editam ab eis, cum Ancyræ in Galatia Synodum habuerũt. In quo autẽ iſti tot tantaq. vera de Dei Filio prędicãtes, Catholicis cõſentiẽtes, minime tamẽ Catholici habiti ſint, ſed Semiariani fuerint nũcupati, idẽ Epiphanius ibi declarat, noſq. eadẽ ſuperius attigimus. Ideq. de Cõſtãtio alia ſubdit, quẽ & piũ in hoc nominat, quòd cõtra nuper pronũcia- NOMEN SVBSTANTIAE IN FILIO DEI RESTITVVNT SEMIARIANI. [e] Epiphan. hæreſ. 73.

tã per fidẽ Sirmiẽſem, qua ſicut de nomine ſubſtãtiæ, ita de ſimilitudine Filij cũ Patre tacendũ A eſſe, decretum erat, ipſe iuſſerit ſcribi, Filium Dei per omnia Patri ſimilem: Et ſic ([a] inquit) ſentiens, pio ore decreuit, per omnia (veluti nos Catholici credimus) ſimilem eſſe Filium Patri, vt & per ipſum non procederent inſidiæ contra Eccleſiaſticam fidem conſtructæ, quæ volebant eſſentiæ nomen tollere: nihil enim lucri fecerunt, coacti confiteri Filium Patri per omnia ſimilem.] qua ſententia pariter affirmaretur, & ſecundum quoque ſubſtantiam & coeſſentiam & æternitatem Filium Patri ſimilem eſſe, quod idem Epiphanius latius explicat.

a Epiphan. hæreſ. 73.

Sed & de Valente hæreticorum peſſimo ac refractario hæc ſubdit: Cum ſuo more Valens ſubſcripſiſſet;& in ſubſcriptione apparuiſſet, ſimilem Filium Patri; & non appoſuiſſet, per omnia; & oſtendiſſet quomodo aſſenſus eſſet præſcriptis, aut quomodo ſimilitudinem vocis intellexiſſet: annotauit hunc pius Rex, & coegit ipſum addere, per omnia. hæc circa tẽpus Pentecoſtes.] hactenus Epiphanius, declarans id factũ ex profeſſione Orientalium: quos cum Imperator timeret ab alijs diuelli, & inhærere Catholicis, eam ob cauſam ex illorum præſcripto Filium Dei per omnia Patri ſimilem, ac proinde etiam ſubſtantia, horum omnium ſubſcriptione firmari voluit, tertiamque ab eis edi Sirmianam profeſſionẽ. Meminit de ijſdem dictis, duodecim capitibus agens S. Vigilius contra Eutychem, qui hæc ait [b]: Deinde aduerſus ſacrilegam impiæ profeſſionis vnitatem, quæ per Oſium, Valentem, Vrſacium, & Germinium, ceteroſque ſimilis prauitatis apud Sirmium fuerunt conſcripta, vniuerſi Orientales Epiſcopi conuenientes, alia, id eſt duodecim ſententiarum definitiones ediderunt, quæ Nicæno Concilio non continentur.

VALENS EPISC. ARIAN. TERGIVERSATUR.

B

b Vigil. cõtra Eutychem lib. 5. tom. 5. biblioth. ſanct.

At quanta cum celeritate reuocare curarint, quod nuper eadem impia profeſſione ſtatuiſſent, S. Athanaſius quoque his verbis ſignificat poſt eamdem recenſitam perfidiam Sirmianam [c]: Hæc (inquit) vbi miſiſſent, denuo mutata ſententia, compoſuerunt eam fidem, quam quia cum Conſulibus edidiſſent, multo pudore & probro perfuſi ſunt, eiuſque exemplaria curauere, vt cum ſuo more ſententiam mutaſſent, ab ijs qui eam tenebant, per Notarium Marcianum ſurriperentur: et perſuaſo Conſtantio, vt contra eam fidem edicta promulgaret, aliam rurſus fidem conſtituunt; additis, vt quidem ſolent, quibuſdam dictis.] hæc Athanaſius: fuit iſta quidem tertia profeſſio fidei Sirmiana, in qua, vt ait Epiphanius [d], Filius Patri ſimilis per omnia prædicabatur: quæ quidem Latine edita eſt, eademque in Concilio Ariminenſi (vt teſtatur Socrates [e]) recitata: deſiderantur tamen in ea verba illa, iſta habentur, Per omnia ſimilem, ſed tantum, Filium eſſe Patri ſimilem: quæ verba tunc cum a Valente impie ſubducerentur, Conſtantius voluit omnino ſcribi. Sic igitur quod adeo deformiter Oſius cum alijs deliraſſet, ab alijs continuo, quaſi miraculo eſt emendatum.

REVOCATA SIRMIANA PROFESSIO.

C

c Athan. de Synod.

d Epiphan. hæreſ. 73.

e Socrat. lib. 2. c. 29.

D

Sed qualem finem ſortitus ſit idem Oſius, modo dicendum eſt. Iſidorus [f] Epiſcopus Hiſpalenſis, dum agit de Gregorio Epiſcopo Eliberitano, de Oſij exitu hæc deſcribit: Poſt impiam Oſii præuaricationem, dum S. Gregorius Eliberitanus Epiſcopus in Cordubenſi vrbe iuxta Imperiale decretum fuiſſet adductus, ac minime vellet illi communicare: commotus Oſius dicit Clementino * Conſtantij Præfecti Vicario, vt mitteret eum in exilium. At ille, Non audeo, inquit, Epiſcopum in exilium mittere, niſi prius eum ab Epiſcopatu deieceris. Vt autem vidit S. Gregorius, quòd Oſius vellet dare ſententiam: appellat Chriſtum, totis fidei ſuę viſceribus exclamans: Chriſte Deus, qui venturus es iudicare viuos, & mortuos, ne patiaris hodie inhumanam * proferri ſententiam aduerſus me minimum ſeruum tuum, qui pro fide nominis tui, vt reus aſſiſtens, ſpectaculum factus ſum: ſed tu ipſe, quæſo, in cauſa tua hodie iudica, ipſe ſententiam proferre dignare per vltionem. Non ego quaſi metuens, de exilio fugere cupio, cum mihi pro tuo nomine nullum ſupplicium graue ſit; ſed vt multi præuaricationis errore liberentur, cum præſentem viderint vltionem. His dictis, ecce repente Oſius reſidens faſtu quaſi regalis imperij, cum ſententiam conaretur exprimere; os vertit, diſtorquens pariter & ceruicem, ac de ſeſſu in terram eliditur, atque illico expirauit. Tunc admirantibus cunctis, etiam Clementinus ille Gentilis expauit: et licet eſſet Iudex, tamen timens, ne in ſe ſimile ſupplicium vindicaretur, proſtrauit ſe ad pedes ſancti viri, obſecrans, vt ſibi parceret, quia in eum diuinæ legis ignoratione peccaſſet, & non tam proprio arbitrio, quàm mandantis imperio. Inde eſt, quòd ſolus Gregorius ex numero vindicantium integram fidem, nec in fugam conuerſus eſt, neque paſſus eſt exilium: vnuſquiſque enim timuit de illo vlterius iudicare.] hucuſque de Oſio Iſidorus.

f Iſidor. de Vir. illuſtr. in Oſio c. 1

OSII FINIS QUALIS.

* Clementio.

* humanam.

E

At hęc vera ne ſint, ſtudio vigilãtiſſimo exquirẽda ſunt. Eſto magnę auctoritatis ſit Iſidorus, non tamẽ vt eius teſtificatio præferẽda ſit ſanctis Patribus, qui eodẽ tẽpore vitæ & obitus Oſij ſuper-

DISCUSSIO VERITATIS HISTORIAE ENARRATAE.

A superstites erant, cũ ipse per post annos ducẽtos ab eiusdem Osij temporibus vixerit. Verũ admonemus, a nemine alio quàm a cœnoso schismaticorum fonte istæc potuisse Isidorum haurire: siquidẽ eiusmodi historiæ primus auctor esse reperitur Marcellinus presbyter ille schismaticus sectæ Luciferianæ, qui vixit temporibus Theodosij; ad quem commentarium illum, quo ista narrantur, vna cum Faustino socio impietatis conscripsit: quibus sane nec fidem penitus abrogarem, nisi multa essent, quæ eidem magnopere contradicunt. Cui nam, quæso, primæ deferendæ sunt solidæ veritatis, Magno Athanasio ne, an perditissimo Marcellino? at nimis discrepans atque dissimilis est ista collatio. Quid insuper dicendum, si Athanasio coniungas Hilarium, atque adiicias Augustinum? cum alioqui testimonium Marcellini nullius alterius illorum temporum scriptoris fulciatur auxilio: atque ea quoque ex parte fides nutet auctoris, qui congestarum in S. Hilarium, atque alios Orthodoxos calumniarum arguitur.

B Quid autem de Osij exitu S. Athanasius tradat, quod paulo ante alia occasione recitatum est, hic vrgenti præsenti occasione repetere, haud erit incongruum: ait [a] igitur: Tantam vim intulit seni (nempe Constantius) & ita eum arcte tenuit, vt afflictus, astrictusque malis, tandem ægreque cum Vrsacio & Valente communicaret, sed tamen vt contra Athanasium non subscriberet. Verum ne ita quidem eam rem pro leui habuit: moriturus enim, quasi in testamento suo, eorum vim protestatus est, & Arianam hæresin condemnauit, vetuitque eam a quoquam probari, aut recipi.] hæc Athanasius. Quis igitur tanti Patris testificationi, sui præsertim temporis res conscribentis, obniti audeat? *a Athanas. epist. ad solitar.*

Est & ex eodem auctore ea de re aliud firmissimum argumentum, ex prima oratione contra Arianos habita, ad cuius finem cum numeret ab vniuersali Synodo, in qua damnati sunt Ariani, nempe Nicæna, vsque ad illud tempus quo ea scribebat, annos trigintasex; anno *ALIA EX ATHANASIO ARGVMENTATIO.*

C Domini trecentesimo sexagesimoprimo eam ab Athanasio orationem dictam esse oportuit. Cum igitur illa oratione idem Sanctus Athanasius recensens præclarissimos viros de fide Catholica optime meritos, primo loco atque titulo honorifico ponat Osium: plane declarat, eumdem in Catholica communicatione esse defunctum; alioqui nefas fuisset ac magnum scelus, Osium inter præstantissimos Orthodoxos Episcopos cõnumerasse, quem adeo infelicissime constaret esse defunctum. Rursum vero, lapsum Osij ex timore verberibus extortum ad tempus fuisse, cum idem Athanasius dicat: iam apparet illum resipuisse: sunt enim ea Athanasij verba ex Apologia secunda superius recitata, quibus dicitur: Vis tamen illa & tyrannica Constantij potestas, multæque contumeliæ & interminationes satis ostendunt, minime eum in nostri condemnationem, sed senij imbecillitate imparem verberibus ad tempus cessisse.] Qui igitur cessisse ad tempus dicitur, post illud plane tempus in pristinum statum

D reuocatum esse, satis Athanasius significasse videtur. Nec certe aliud S. Hilarius [b] illis verbis demonstrasse visus est, quibus ait: Sed de eo (nempe Osio) nihil queror: qui idcirco est reseruatus, ne iudicio humano ignoraretur, qualis ante vixisset.] Rursum vero, quo modo dici, vel fingi potest, Osium in hæresi quam scripserat, vel subscripserat, perdurasse: si ipsa scripta professio impietatis statim est reuocata atque suppressa, & Imperatoris edicto vetita? cum æque periculum illi fuisset illud asserere, quod ante fecerat, affirmando se esse Catholicum. *b Hilar. de Synod.* *HILARII DE EODEM TESTIFICATIO.*

His addimus, quòd est mentio apud S. Augustinum de Osij innocentia, cum eum Donatistæ criminarentur (habebant namque hominem inuisum, quòd tempore Constantini Cæciliano magnopere contra ipsos patrocinatus esset:) ait igitur [c]: Quod enim de Osio dicunt Cordubensi quondam Catholico Episcopo: flagitandum est, vt probent, non solum talem *TESTIMONIVM AVGVSTINI DE OSIO.* *c August. contra epist. Parmen. c. 4.*

E illum fuisse, qualem dicunt; sed quòd talis fuerit, manifestum illis fuisse, quibus eum communicasse asserunt. Hoc enim nisi probauerint, frustra dicunt se scisse qualis fuerit; quia nescientibus obesse non potuit, a quibus se isti innocentibus separando, propter ipsam separationis sacrilegam iniquitatem innocentes esse non possunt. Hoc enim magis credibile est: si tamen Osius ab Hispanis damnatus, a Gallis est absolutus: sic fieri potuisse, vt falsis criminationibus Hispani circumuenti, & callida insidiarum fraude decepti, contra innocentem ferrent sententiam, & postea pacifice in humilitate Christiana cederent sententiæ collegarum, quibus illius innocentia comprobata est; ne peruicaci & animosa peruersitate priores suas sententias defendendo, in sacrilegium schismatis, quod omnia scelera supergraditur, cæcitate impietatis irruerent, sicuti isti miseri fecerunt, &c.] hæc S. Augustinus.

Quæ licet de alia quæstione dicantur, nempe de accusatione communicationis cum Traditoribus illata a Donatistis contra Osium, quòd fauens Cæciliano tum ipsi tum aliis quoq. collegis communicasset: tamẽ hæc satis ad rem, quòd hostes Osij ijdem Donatistæ nihil præterea contra

contra ipsum haberent quod dicerent, dum ea admodum exoleta aduersus Osium iam longe A
ante defunctum per Parmenianum obiecissent. Quòd si tam enormis & Dei iudicio infamis atque dirus eius obitus fuit, vt Marcellinus tradit; tacuissent ne hæc obijcere Donatistæ, & exprobrare Parmenianus? minime gentium. Quando autem obierit Osius; equidem ex quo S. Athanasius de eius obitu, & testata tunc ab eo Catholica fide meminit in epistola ad Solitarios scripta; haud diu post Sirmiensem Synodum eum vixisse oportuit; siquidem illa hæc circa tempora scripta esse apparet: qua quidem epistola, post eius obitum scripta, cum idem S. Athanasius de ipso agens, ipsum sæpe laudet; nequaquam tot tantisque eum præconiis exornasset, sed temperatius plane egisset, si ipse prodigiosa & diuinitus inflicta morte diem clausisset extremum. At de Osio hactenus, de quo agens idem Isidorus, eum scripsisse tradit librum de laude virginitatis, pulchro (vt ait) & diserto eloquio exornatum.

LIBERII CAVSA IN SYNODO SIRMIANA.

Sed ad res Sirmianas reuocanda est oratio: haud enim Osij lapsu tragœdia illa finem accepit, sed casu quoque Liberij Romani Pontificis lóge tetrior reddita est atque lugubrior, quòd tantæ vrbis ac totius Ecclesiæ Catholicæ Antistes esset, & qui ante bienniū adeo infracto animo & libertate sacerdotali visus fuerit Imperatori Constantio restitisse, atque eam ob causam gloriosum, ne iustitiam atque fidem proderet, exilium subiisset. Verum quisnam qualisve tanti Antistitis lapsus fuerit, num perinde ac Osius perfidiæ illi Sirmianæ consenserit, vel damnationi Athanasij consensum præstiterit, & Arianorum communicatione se maculauerit; est id diligentius exquirendum: res quidem haud facilis inuestigatu, quippe quæ nonnullis eius sæculi eruditis viris obscura visa fuerit: nam ait Ruffinus[a]: Liberius vrbis Romanæ Episcopus, Constantio viuente, regressus est. Sed hoc, vtrum quòd acquieuerit voluntati suæ adscribendum; an ad Populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerit exoratus, indulserit; pro certo compertum non habeo.] ita Ruffinus. Vt igitur rem obscuram, ac nexibus implicatam elucidemus atque pariter explicemus, primum omnium quid de his veteres historici scripserint, quid item Patres obiter dixerint, ac demum ipsam historiam puram atque germanam ex eiusdem Liberij Papæ litteris acceptam hic enarremus. Ex antiquis autem historiarum sacrarum historicis Sozomenus[b] rem videtur fusius prosequutus: qui eam ab ipso rerum exordio his verbis recenset:

a Ruffin. lib. 1. c. 27.

b Sozom. lib. 4. c. 14.

TENTATVR LIBERIVS AB IMPERATORE.

Haud longo tempore post, Imperator Roma Sirmium reuersus, rogatu Legatorum, quos Episcopi Occidentis ad ipsum miserant, Liberium Berœa reuocauit: atque præsentibus Legatis Episcoporum Orientis, & quibusdam sacerdotibus, qui erant forte in exercitu, in vnum coactis, compellere tentauit eum fateri, Filium Patri non esse consubstantialem. Instabant porro, & Imperatorem ad hanc rem incitabant Basilius, Eustathius, & Eleusius, qui apud eum auctoritate & gratia plurimum poterant: hique id temporis cum decreta de Paulo Samosateno & Photino Sirmiano, quin etiam formulam fidei in Ecclesiæ Antiochenæ consecratione editam in vnum libellum congessissent, causa conficta, nimirum quòd quidam simulatione huius verbi, Consubstantialis, hæresin priuatim stabilire molirentur, conantur vt Liberius & Athanasius quoque (alter tamen ab Alexandrino) Alexander, Seuerianus, & Crescens, qui in Africa sacerdotij munere fungerentur, huic consentiant. Consentiunt itidem Vrsacius, Germinius Episcopus Sirmij, Valens Mursorum Episcopus, & quotquot Orientis Episcopi ibi forte aderant. Vicissim autem confessionis fidei formulam a Liberio abduxerunt, quæ illis qui Filium Patri non substantia & cæteris rebus omnibus similem asseuerarent, interdixit Ecclesia. Nam cum Eudoxius & ceteri cum eo Antiochiæ hæresis Aetianæ fautores epistolam Osij nacti fuissent; rumorem dissiparunt, Liberium quoque verbum Consubstantiale reiecisse, asseruisseque Filium Patri dissimilem esse. Vbi vero hæ res Legatis E
Episcoporum Occidentis hoc pacto successere: Imperator dat Liberio potestatem Romam reuertendi: atque Episcopi Sirmij congregati scribunt litteras Felici tum Romanæ Ecclesiæ Antistiti, & clero eiusdem Ecclesiæ, vti Liberium recipiant, &c.] quæ autem de reditu Liberij subdit, postea fusius dicemus.

LAPSVS LIBERII EX TESTIMONIO PATRVM.

His igitur a Sozomeno enarratis; quid Patres de casu Liberij scripserint, & in primis Athanasius, hic recitemus: sic enim habet in epistola ad Solitarios: Liberius deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est. Verum illud ipsum quoque, & eorum violentiã, & Liberij in hæresin odium, & suũ pro Athanasio suffragium, cum liberos affectus habebat, satis coarguit: quæ enim per tormenta contra priorem eius sententiam extorta sunt, ea iam non metuentium, sed ita cogentium voluntates habendæ sunt.] ita Athanasius. in quam sententiam hæc quoque S. Hilarius[c] ad Constantium: Vertisti deinde vsque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum:

c Hilar. ad Constant.

et o te

A ex o te miserum, qui nescio vtrum maiore impietate relegaueris, quàm remiseris.] sed & S. Hieronymus [a] dum de Fortunatiano agit Episcopo Aquileiæ, hæc ait: In hoc habetur detestabilis, quòd Liberium Romanæ Vrbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus solicitauit, ac fregit, & ad scriptionem hæreseos compulit.] et idem in Chronico: Liberius tædio victus exilii, in hæreticam prauitatem subscribens, Romam quasi victor intrauit.] in libro autem de Romanis Pontificibus de eodem scriptum legitur, quòd consensit Constantio hæretico, communicauitque cum hæreticis, extra tamen secundum baptisma.] quòd scilicet etsi cum Arianis communicauerit, non tamen factus fuerit Arianus per secundum baptismum, quo solerent illi Catholicos ad se deficientes iterum baptizare. sed hæc quidem superfluò & ab aliquo addita: nam nondum Ariani rebaptizabant; quin & Ecclesia hoc quoque tempore non respuebat Arianorum baptismum, vt S. Hieronymus aduersus Luciferianos scri-
B bens testatur. His igitur de Liberio ex Patrum sententia recitatis: iam reliquum est, vt ex litteris ipsius (qua præstantior ac verior historia nulla inueniri potest) res gestas eiusdem Liberij, vt se habuerint, enarremus. Extant ipsæ, quas hic descripturi sumus, epistolæ in Collectione Cresconiana, easque habita diligenti collatione cum codice Vaticano, & eo quem habemus in nostra Bibliotheca, hic describemus.

[a] Hier. de script. Eccles. in Fortunatiano.

Damnato itaque Photino in Concilio Sirmiensi, & scripta aduersus eum prima illa fidei professione; tentauit Constantius per Demophilum & Fortunatianum, Liberium adhuc exulem Berœææ existentem, vt sententiæ aduersus Athanasium latæ subscriberet, atque decreta fidei in Sirmiensi Concilio scripta susciperet: cum ille, qui instar Sampsonis [b] valide aduersus impios Philistæos ac strenue decertauetat, & vsq. adeo ipsos impetus fregisset Imperatoris, atque Arianorum phalanges tolerantia exilij superasset, exciso nescio quo pacto ab eius vertice
C fortitudinis crine, hebebatoque prorsus robore pristino sacerdotalis constantiæ, exurgit imbellis, & dat turpiter manus ipsum quærentibus aduersariis. Quòd si coniectura interdum ex effectibus intima cordis scrutari licet; non alia Dalila illi detrimento fuit, quàm inuidia humanæ laudis gloria compta: quippe qui ægro ferebat animo, intrusum ab Arianis (vt dictum est) Felicem agere Romæ Pontificem, se vero exulem atque a sua sede procul extorrem; quam vt reciperet, & ex ea Felicem eijceret, oblatas illas sordidas conditiones accepit tandem. hæc quidem omnia scripta in primis ab eo ad Orientales epistola plane significat: est autem huiusmodi:

TENTATVR LIBERIVS PER DEMOPHILVM ET FORTVNATIANVM.

[b] Iud. 16.

Dilectißimis fratribus & Episcopis Orientalibus Liberius S.

Pro deifico timore sancta fides vestra Deo, cognita est hominibus bonæ voluntatis; sicut lex loquitur: Iuste iudicate filij hominum. Ego Athanasium non defendo: sed quia suscepe-
D rat illum bonæ memoriæ Iulius Episcopus decessor meus; verebar ne forte ab aliquo præuaricator iudicarer. At vbi cognoui, quando Deo placuit, iuste vos illum condemnasse: mox consensum meum commodaui sententiis vestris: litteras ad hæcque super nomine eius, id est de damnatione ipsius, per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem nostrum Constantium. Itaque amoto Athanasio, super quo statuta omnium vestrum a me cum sede Apostolica suscipienda sunt: dico, me cum omnibus vobis, & cum vniuersis Episcopis Orientalibus, seu per vniuersas prouincias pacem & vnitatem habere. Nam vt verius sciatis, me veram fidem per hanc epistolam meam proloqui: dominus meus & frater communis Demophilus, qui dignatus est pro sua beneuolentia fidem veram & Catholicam exponere, quæ Sirmij a pluribus fratribus & Coepiscopis nostris tractata & exposita & suscepta est: hanc ego libenti animo suscepi in nullo contradicens. Sane petendam credidi sanctita-
E tem vestram, quia semper videtis in omnibus me vobis consentaneum esse: dignamini communi consilio, ac studio elaborare, quatenus de exilio iam dimittar, & ad sedem, quæ mihi diuinitus credita est, reuertar.] hucusque Liberij litteræ ad Orientales, nempe Episcopos illos qui ex Oriente Sirmij ad Synodum conuenere; hi vero ab incerto auctore mox post epistolam recitatam ponuntur, nempe Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Siluanus, Vrsacius, Valens, Euagrius, Irenæus, Exuperantius, Terentianus, Bustus, Gaudentius, Macedonius, Marcus, Aetius, Iulius, Seuerinus, Simplicius, & alij. Scripsit insuper eodem quoque argumento Liberius priuatas litteras ad Vrsacium, Valentem, atque Germinium, qui ceteris apud Imperatorem præstare videretur: sunt vero huiusmodi:

LIBERII EPISTOLA AD ORIENTALES.

Vrsacio, Valenti, & Germinio Liberius.

Quia scio vos filios pacis esse, diligere etiam concordiam & vnitatem Ecclesiæ Catholicæ: idcirco non aliqua necessitate compulsus, teste Deo dico, sed pro bono pacis & cócordiæ, quæ martyrio præponitur, his litteris conuenio vos, domini mei carissimi. Cognoscat prudentia

ALIA EPISTOLA LIBERII.

dentia vestra, Athanasiũ, qui Alexãdrinæ Ecclesiæ Episcopus fuit, priusquàm ad Comitatum A sancti Imperatoris peruenissem, secundum litteras Orientalium Episcoporũ, ab Ecclesiæ Romanæ cõmunione separatum esse, sicut testis est omne presbyterium Ecclesiæ Romanæ. sola hæc causa fuit, vt tardius viderer de nomine ipsius litteras ad fratres & Coepiscopos nostros Orientales dare, vt Legati mei, quos ab vrbe Roma ad Comitatum direxeram, seu Episcopi, qui fuerant deportati, & ipsi vna cum his (si fieri posset) de exilio reuocarentur. Et hoc etiam scire vos volo, quòd fratrem Fortunatianum petij, vt litteras meas ad clementissimum Imperatorem perferat, quas ad Orientales Episcopos feci, vt scirent & ipsi vna secum Athanasij communione me esse separatum: quas credo quòd pietas ipsius pro bono pacis gratulanter accepit; quarum exẽplar etiam Philagrio Imperatoris eunucho prodat charitas vestra, hæc me benigno & innocenti animo gessisse. Quapropter his litteris meis conuenio vos, & adiuro per Dominum omnipotentem, & Christum Iesum Filium eius & Dominum nostrum, & Spiritum sanctum, vt dignemini ad clementissimum Imperatorem Constantium Augustum pergere, & petere, vt bono pacis & concordiæ, in qua pietas eius semper exultat, me ad Ecclesiam mihi diuinitus traditam iubeat reuerti; vt, temporibus ipsius, Ecclesia Romana nullam sustineat tribulationem. Me autem cum omnibus vobis Episcopis Ecclesiæ Catholicæ pacem habere, his litteris meis æquo & simplici animo scire debetis, fratres carissimi. Magnum etiam vobis præmium in die retributionis acquiretis, si per vos pax Ecclesiæ Romanæ fuerit reddita. Scire autem volo etiam fratres & Coepiscopos nostros Epictetum & Auxentium, pacem me & communionem Ecclesiasticam cum ipsis habere, quod credo gratanter suscepturos. Quicumque autem a pace & concordia nostra, quæ per Orbem terrarũ firmata est, dissenserit: sciat se separatum esse a nostra communione. Prȩuaricatori anathema vna cum Arianis a me dictum.] hactenus Liberij epistola ad dictos Episcopos. C

Quo etiam tempore, cum adhuc detineretur exilio, idem ad Vincentium Episcopum Capuæ litteras dedit, quibus quo statu res suæ essent, certiorem reddit his verbis:

TERTIA EPISTOLA LIBERII EODEM ARGVMENTO.

Non doceo, sed moneo sanctum animum tuum, frater, eo quòd colloquia mala mores bonos corrumpant. Insidiæ malorum hominum bene tibi cognitæ sunt, vnde ad hunc laborem perueni: et ora vt dẽt Dominus tolerantiam. Dilectissimus filius noster Vrbicus diaconus, quem videbar habere solatium, a me per Venerium Agentem in rebus sublatus est. Et ideo sanctitati tuæ significandum credidi, me de contentione illa nominis Athanasij recessisse, & ad fratres & Coepiscopos nostros Orientales litteras dedisse desuper eius nomine. Pax nobis vbique est. Dignaberis conuenire omnes Episcopos Campaniæ, & hæc illis insinuare, & ex eorum numero vna cum epistola vestra de vnanimitate nostra & pace ad clementissimum Imperatorem nostrũ scribere; quo possim & ego de tristitia magna liberari.] et manu ipsius: Dominus te incolumem custodiat, domine frater carissime.] itẽ manu ipsius in eadẽ pagina conscripta: Cum omnibus Episcopis Orientalibus pacem habemus: et vobiscum ego: Me ad Dominũ solui, vos videritis, si volueritis me in exilio deficere: Dominus iudex inter me & vos.] hucusque ibi. Hæc quidem Liberius ad Vincentium Capuæ Episcopum, quòd ipse iam diu ante, subscripta (vt dictum est) Arianorum in Athanasium sententia, illis communicauerat, & ob eam causam a communione Catholica factus erat extorris; quocum pacem inire his litteris, sicut fecerat cum Orientalibus, Liberius nititur, ob id nimirum, vt ille pro suo ipsius reditu Romam ad Ecclesiam, apud Imperatorem Constantium intercederet; quod factum quoque & impletum est. D

SVBSCRIPTIO ET APPENDIX.

Ex his omnibus, quæ tum ex historicis, atque sanctis Patribus, nec non ex eiusdem litteris hic recitata sunt, nihil est quod excusari Liberius posit, quin cõmunionem inierit cum Arianis, & in Athanasium latam ab eisdem sententiam ratam habuerit: hæc inquam omnia, si aliorum deficerent assertiones, ipsomet recitatis his litteris profitente, vera esse, in dubium reuocari haud possunt. Num autem eam ob causam dicendus hæreticus? minime gentium. Attende lector: licet enim per syrtes & scopulos nauigationi vela pandisse oratio videatur; erit tamen vt tuto ad veritatis portum magno gaudio (si veritatis es cupidus) peruenharis. Meminisse in primis debes, tres fidei formulas in eodem Sirmiẽsi Conuenticulo esse editas: primam scriptam a Marco Arethusio ad confutandas omnes Photini blasphemias; secundam quam recitat S. Hilarius nomine Osij atque Potamij; tertiam vero, qua secundam diximus emendatam. In prima egregie expressum atque testatum esse nomen substantiæ Filio cum Patre communis: in secunda autem sublatum esse nomen substantiæ, ac similitudinis pariter ablegatum: in tertia vero assertam omnimodam Filij cum Patre similitudinem. Primam, eam interpretando, Catholicam esse probat Hilarius, & tertiam existere consentientem pariter E

LIBERIVS MINIME DICENDVS HÆRETICVS.

Catholicæ

A Catholicæ professioni, ex S. Epiphanio demonstratum est. Quæ quidem omnia vera certaque
esse, ex his quæ hoc ipso anno paulo ante sunt dicta, absque vlla dubitatione liquer. Rur-
sum & illud in mentem reuoca; quæ secundo loco in eo Conuentu scripta est regula fidei,
eamdem confestim ab ijsdem ipsis explosam esse, & eius exemplaria perquisita, ne vulgaren-
tur, atque sublata, Constantijque edicto fuisse vetita: quamobrem neminem ita sanæ mentis
hominem puto, qui dicere audeat, Liberium Berœea e Thracia ab Imperatore Sirmium ac-
cersitũ, vt impietati subscriberet, quam ijdẽ qui scripserant & ediderant, fuerant detestati: nul-
la igitur vel leuis suspicio esse potest, vt dictæ perfidiæ Liberius Sirmiũ vocatus subscripserit.

Sed frustra in his laboramus, cum testificatione Sozomeni in primis appareat, quamnam
fidei regulam Liberius ratam habuerit; ait [a] enim: Vicissim autem confessionis fidei formu-
lam a Liberio abduxerunt, quæ illis qui Filium Patri non substantia & ceteris omnibus simi-
B lem asseuerarent, interdixit Ecclesia.] Ecce tibi quàm perspicue declaratur Liberius primæ
fidei Sirmianæ aduersus Photinũ editæ assensum prębuisse, in qua inter alia pie aduersus Pho-
tinum statuta, hæc habet primus ordine positus anathematismus itidẽ superius recitatus: Eos
autem qui dicũt, De nullis extantibus est Filius, vel de alia substantia, & non ex Deo, & quòd
erat tempus, vel sæculum, quando non erat; alienos scit sancta & Catholica Ecclesia.] ista
& alia in prima illa Sirmiensi professione, quam S. Hilarius interpretatus cognoscit esse Ca-
tholicam. Quin & Vigilius Episcopus eamdem Synodum hac ex parte nouit æque esse Catho-
licam, cuius decretis obniti, nihil aliud esse dicit, quàm velle cum Photino damnari. sunt hæc
verba ipsius [b]: Illius vero Catholici Concilij apud Sirmium contra Photinum ex toto Orien-
te congregati, quis sufficiat fidei sanctiones comprehendere, quæ apud Nicænam Synodum
(quia talis rei necessitas fuerat) nulla non sunt omnino sancita; quæ nullus fidelium au-
C det respuere, aut cunctatur recipere, si non vult cum Photino anathematis eorum senten-
tiæ subiacere?]

CVINAM FIDEI FORMVLAE LIBERIVS SVBSCRIPSIT.
a Sozom. lib. 4. c. 14.
b Vigil. aduers. Eutychem lib. 5. tom. 5. Biblioth. Sanct.

Rursum vero cum a S. Hilario vnus Osius adducatur in crimen, quòd tacendum dixerit
vtrumque, nempe substantiæ nomen in Filio, & omnimodam cum Patre similitudinem: pla-
ne declaratur, verum esse quod de Liberio habet Sozomenus, professione fidei ipsum statuis-
se, Filium Patri substantia atque in omnibus rebus similem, cum Osius vtrumque tacendum
esse duxisset: nam Hilarius ait [c]: Oro vos, ne quisquam alius ex his præter senem Osium, &
ipsum illum nimium sepulchri sui amantem, reperiatur, qui tacendum existimet de vtroque.]
quibus vides, Liberium procul abhorruisse a crimine Osij: cui si conniuisset, ante omnes fuisset
ab Hilario nominandus. Sed quid accidit? Licet Liberius nomen diuinæ substantiæ fuisset
professus in Filio: tamen quòd Nicænam vocem illam Consubstantialitatis reticuisset; eam
D ob causam calumniam illam passus est, quòd nomen Consubstantialitatis (vt tradit Sozome-
nus) damnasset: quisnam autem id de Liberio diffamasset, idem docet, dum ait [d]: Cũ Eudoxius
& ceteri cum eo Antiochiæ hæresis Aetianæ fautores, epistolam Osij nacti fuissent: rumorem
dissiparunt, Liberium quoque verbum Consubstantiale reiecisse, asseruisseque ipsum Patri
dissimilem esse.] Sed hæc per calumniam iactata esse, idem Sozomenus consentit.

LIBERIVS PROFESSVS EST SOLIDVM DIVINAM SVBSTANTIAM ET SIMILITVDINEM.
c Hilar. de Synod.
d Sozom. lib. 4. c. 14.

At longe aliud & plane diuersum est, dicere Liberium reiecisse, ac damnasse in Filio no-
men Consubstantialitatis cum Patre: aliud vocem illam silentio suppressisse. Illud quidem ip-
sum effecisset hæreticum; istud autem nequaquam: nam asseuerando Filium esse eiusdem cum
Patre substantiæ, idem est quod dicere esse Filium Patri consubstantialem; licet hæretici in
alium sensum substantiæ vocem inflecterent: quam ob causam maioris ponderis esse, a Patri-
bus iudicatum, dicere consubstantialem Filium, quàm eiusdem substantiæ: cum tamen ob id
E nequaquam hæreticum esset dicere Filium eiusdem esse substantiæ; sed maxime Catholicum;
quantumlibet eo quoque nomine subdole vsi fuissent hæretici: quorũ malitia nequaquam in-
uertere potest legitimum atque germanũ sensum, qui natura atque vsu ipso vocibus inest: sicut
nec ob eam causam quòd iidem hæretici abutuntur diuina scriptura, & ex ipsa hæreses suas
efforment, Catholici eadem vti vetantur. Sed & S. Augustinum de his hic in exemplum ad-
ducamus, qui agens aduersus Pascentium [e] Comitem, Arianum hominem, sæpe pollicetur
se subscripturum esse paratum ipsius fidei, si nihil inueniret in ea quod aduersaretur Catholi-
cæ veritati, etiam si minime nomen Consubstantialis profiteretur: quod & Liberium fecisse
vidimus, qui eam ab ipsis scriptam professus est fidem, quam nouit esse Catholicam, & nihil
habere quod rectæ fidei contrarium esset. At quo modo illam fidei regulam, quam S. Hilarius
interpretatus demonstrat esse Catholicam, non licuit Liberio profiteri? cum præsertim eam
non probasse, nihil aliud videri potuerit, vt dictum est ex Vigilio, quàm hæresiarchæ Pho-
tino fauisse.

CONSVBSTANTIALE NOMEN TACVISSE NON EST HAERESIS.
e Augustin. epist. 174.

Dicam

FORMVLA, QVA PHOTINVS ET AETIVS DAMNATI SVNT, QVALIS.

Dicam amplius: quòd cum Aetius in Syria, tum Photinus in Illyrico atque aliis prouin- A
ciis abiectè nimis de Filij Dei diuinitate prædicassent, immo illam ab eo penitus reiecissent:
inde factum est, vt Eleusius, ac socij eius, nempe, Basilius, Demophilus, atque alij, qui professi
essent Sirmij aduersus huiusmodi hæresin vnam Filij cum Patre substantiam, habiti fuerint
tunc a nostris quoque Catholici: idque testificatione S. Hilarij [a], cum ait: Non peregrina loquor, neque ignorata scribo: audiui, ac vidi vitia præsentium, non laicorum, sed Episcoporum. Nam absque Episcopo Eleusio, & paucis cum eo, ex maiori parte Asianæ decem prouinciæ, intra quas consisto, vere Deum nesciunt: atque vtinam eum nescirent; cum procliuiore enim venia ignorarent, quàm obtrectarent. Sed horum Episcoporum dolor se intra silentium non continens, vnitatem fidei huius quærit, quam iam dudum per alios amisit, &c.] cum alioqui hic Eleusius Episcopus Cyzicenus ab Epiphanio, & aliis, vna cum Basilio Ancyrano inter Semiarianos adnumeretur [b], & a Sozomeno inter illos recenseatur [c], qui Liberio ob pa- B
cem Ecclesiarum persuaserit, vt vocem illam Nicæni Concilij, Consubstantialis, prætermitteret: quod expedire dixerunt, quo in eamdem fidem simul conuenientes, aduersus eos bellum gererent, qui Photini & Aetij hæresin suscepissent. quibus sic Liberius assensus est, vt tamen, quo substantiæ nomini bene consultum esset, Ecclesia (vt ait Sozomenus) interdixerit omnes, qui Filium Patri non substantia & ceteris rebus omnibus similem asseuerarent.

a Hilar. de Synod.

b Epiphan. hæres. 72.

c Sozom. lib. 4. c. 14.

LIBERIVS IN QVIBVS IVRE REPREHENSVS.

At licet ex his omnibus perspicue demonstratum sit, Liberium perseuerasse semper fide Catholicum: haud tamen probari possunt, aut iuste facta defendi, quòd victus labefactarit sacerdotalem constantiam, iniuste contra S. Athanasium subscribendo; quodque communicauerit (vt ipse fatetur) cum illis, quorum communionem hactenus exhorruisset: sed & quòd etiam professioni illi subscripserit, quæ licet Catholica videri posset, tamen voce illa Nicæna careret, Consubstantialitatis, quam maiores omnes aduersus Arianos magna semper glo- C
ria defendissent. His igitur de Liberio tam in Orientali, quàm etiam Occidentali Ecclesia peruulgatis; quo maior persona extitit, eo fama velocior emanauit, atque (vt accidit) maiora quoque veris effinxit: vt in Oriente dictum fit, Liberium non tantum verbum Consubstantiale reiecisse, sed asseuerasse etiam (quod diximus ex Sozomeno) Filium Patri omnino dissimilem. Verum & in Occidente increbuit rumor, Liberiũ inhæsisse Constantio, & hæreticum euasisse, quòd Nicænam fidem prodere visus esset tum omittendo confessionem Consubstantialitatis, tum etiam eius propugnatorem Athanasium condemnando: tanti enim momenti existimabatur Athanasij causa, vt qui in eum subscriberent, in Nicænam pariter fidem ferre calculum viderentur. hinc S. Hieronymus de Lucifero ait [d], quòd noluisset sub nomine Athanasij Nicænam fidem damnare: cum prætextu Athanasij (vt sæpius dictum est) Ariani aduersus Nicænæ fidei decreta bellum inferrent. secundum igitur eam famam de Liberio longe la- D
teque sparsam, S. Hieronymus tradidit, ipsum hæresin subscripsisse. Hic finis Sirmianæ tragœdiæ, in qua Constantius, quod optabat, obtinuit, dum sub specie Photinianæ hæresis condemnandæ, summos illos Catholicæ fidei defensores ad sua vota adeo turpiter inflexisset, & hæreticorum communione labefactasset.

d Hieron. de Script. Eccles. in Lucif.

e Sozom. lib. 4. c. 14.

LIBERIVS ROMAM REVERTI IVBETVR.

Quæ autem hæc fuerint consequuta, Sozomenus [e] ita describit: Vbi vero hæ res Legatis Episcoporum Occidentalium hoc pacto successere; Imperator dat Liberio potestatem Romam reuertendi: atque Episcopi Sirmij congregati scribunt litteras Felici tum Romanæ Ecclesiæ Antistiti, & clero eiusdem Ecclesiæ; vti Liberium recipiant, & ambo pariter sedẽ Apostolicam administrent, cõmunique consensu & cõcordia sacerdotio illo fungantur; atque tum casum acerbum, qui in electione Felicis obtigisset, tum exilium Liberij, obliuione deleãt. Nam Populus Romanus Liberiũ, cum quòd in aliis rebus vir excellẽs & spectatus erat, tũ quòd Im- E
peratori animo adeo excelso & constanti in fide defendenda contradixerat, tã eximie carum habuit, vt seditionem plane maximam eius exilij causa conflaret, resque ad cædem prorumperet. Haud ita diu post moritur Felix, solusque Liberius Ecclesiæ illi præest. Quod quidem non sine diuina prouidentia factum est, ne sedes Petri a duobus Præsulibus gubernata (quæ est plane nota dissidij, & a sacrosanctis Ecclesiæ legibus aliena) vlla infamiæ macula aspergeretur. Atque Sirmij quidem hæc gesta sunt, quo quidem tempore propter metum Imperatoris Ecclesia Orientis & Occidentis in doctrina fidei consentire visa est.] hactenus Sozomenus. Ceterum quod ad Felicem pertinet; si fidem habemus libro de Romanis Pontificibus; in Synodo Sirmiana sic decretam esse restitutionem Liberii dicitur, vt Felix depositus, cessare iussus esset. sed quæ post hæc sint subsequuta vsque ad Felicis obitum, prosequamur.

LIBERIVS REDIENS ROMAM RESPIRAVIT.

Rediens Romam Liberius, nequaquam, vt multi putant, tunc detentus est in cœmeterio S. Agnetis (quod habetur in libro de Romanis Pontificibus) id enim postea alia occasione

contigit:

A contigit:sed,quod ait S.Hieronymus,tunc Liberius quasi victor in Vrbē intrauit: tamen quòd adeo turpiter Constantio consensisset, plurimorum a se animos abalienatos inuenit: sicq. qui Felicem antea abhorrebant, vitataq. eius communione, inhærentes erant Liberio; re audita, ab eo deficientes, Felici Catholicæ fidei vexillum extollenti sese iunxerunt. A quo tempore cœpit Felix, ante schismaticus, haberi iam ab illis legitimus Romanæ Ecclesiæ Pōtifex: existimatusque Liberius, ob manifestam cum hæreticis communicationem ex epistolis ab ipso scriptis de conniuentia cum Arianis, a communicatione Catholicorum prorsus extorris: impossibile esse iudicantibus cunctis,eumdem Liberium communicare posse hæreticis,atque Catholicis. Cum igitur adeo manifeste constaret de eius communione inita Sirmij cum hæreticis: ex eo ipso necessario videbatur exclusus a communione Catholica, atque ob id etiam a Pontificatus functione penitus alienus.

B His igitur tunc Liberio obnixius resistentibus, eiusque communicationem Ariano fœdatam contagio execrantibus: magna Romæ turbatio facta est, & plane persecutio excitata a magistratibus aduersus eos, qui non parerent litteris Imperatoris pro Liberij restitutione conscriptis. Tunc plane accidit quod sic legitur in eodem commentario de Romanis Pontificibus: Ab eodem die (nempe quo Liberius in Vrbem ingressus est) fuit persecutio maxima in clero, ita vt intra ecclesiam presbyteri & clerici plures necarentur, & martyrio coronarentur.] et inferius: Persecutio magna fuit in Vrbe Roma, ita vt clerici & sacerdotes neque in ecclesiam, neque in balnea haberent introitum.] passi sunt haud dubium hæc ij qui Liberio non communicarunt: hi enim ab ecclesia vbi Liberius suos conuocabat, abhorrentes, etiam a balneis publicis abstinebant, ne vna cum illis lauarentur; vt qui scirent ex sententia Ioānis Euangelistæ, neque balnei lotione cum hæreticis participandum esse. in quos cum ma C gistratus sæuirent, aliquotque necarent: tunc pariter contigit, vt Eusebius Romanus presbyter a ministris Constantij intra cubiculum clausus, illic mensibus septem perseuerans, fame consumptus spiritum exhalarit, cuius natalis dies meruit publicis adscribi tabulis, & anniuersaria memoria in Ecclesia celebrari[a]. Etenim magistratibus vi agendum, necessarium visum est, quòd non pauci, vel paruæ æstimationis viri essent, qui a Liberio discessissent, & Felicem sequerentur Antistitem. Siquidem Damasus magni nominis vir inter alios staret a parte Felicis: cuius licet ingressus existimari potuerit vitiosus, quòd viuente Catholico Romanæ sedis Episcopo, & eodem pariter confessore, Romanæ Ecclesiæ ab Arianis præfici passus esset: tamen quòd præuaricatione Liberij aduersus impietatem Constantij strenue insurrexisset, quem & anathemate feriisset; vice sic rerum inuersa; quamplurimi, qui antea ipsum fuerant execrati, & Liberio communione tenebantur adstricti (ut dictum est) hunc proximus D detestati, Felicem veluti vindicem Catholicæ fidei consectati sunt. Tanta ab ipsis Apostolorum temporibus viguit in Romano populo amor Catholicæ disciplinæ, atque odium in hæreticos, nec non & eis vel leuiter communione coniunctos.

Porro de Felicis exitu diuersa plane scripta reperiuntur: dum in Liberio de Felice scribitur, depositum ab Episcopatu, habitasse in prædio suo, via Portuensi, atque ibi in pace quieuisse quarto Kalendas Augusti: rursum in eodem libro cum agitur de rebus gestis eiusdem Felicis, habetur ipsum ob damnationem Constantij, obtruncatione capitis, martyrio coronatum esse: et inferius, id factum dicitur in ciuitate Cora (sic restituendum esse, pro Corona, in Notis ad Martyrologium diximus) corpus vero eius in Vrbem relatum, primo ad Thermas Traiani occulte esse sepultum, inde vero a Damaso presbytero & aliis clericis eiusdem Felicis communionis esse translatum ad basilicam quam construxerat via Aurelia.

E Ceterum ministrorum quidem impetu potius, quàm præcepto Constantij, contigisse necem Felicis, ex eo quisque facile valeat autumare, quòd licet (vt dictum est) ipse sæuissimus esset, tamen erga viros Ecclesiasticos inhumanam quamdam patientiam affectauerit; cum sic eos discruciari pareretur, vt tamen absque martyrio ijdem viuerent in tormentis: quod S. Hilarius[b] in eum scribens, his plane verbis exprobrat: Omnia sæuissima sine inuidia pretiosarum mortium peragis; nouo inauditoque ingenij triumpho de diabolo vincis, & sine martyrio persequeris. Plus crudelitati vestræ, Nero, Deci, Maximiane, debemus: diabolum enim per vos vicimus; sanctus vbique beatorum martyrum sanguis exceptus est, dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur, eleuari sine laqueis corpora, & dispensis pede feminis vestes non defluere in faciem, vri sine ignibus spiritus, confiteri sine interrogantis incremento fidei. At tu omnium crudelitatum crudelissime, damno maiore in nos & venia maiore desæuis.] et paulo post: Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, vt excludas

POST LIBERII REDITVM PERSECVTIO EXCITATA IN ECCLESIA ROM.

a Martyrolog. Rom. die 14. August.

FELICIS EXITVS QVALIS.

QVALIS ESSE SOLERET CONSTANTII PERSECVTIO IN EPISCOPOS.

b Hilar. in Constantium.

& in peccato veniam, & in confessione martyrium: sed hæc ille pater tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere sine contumacia, iugulare sine gladio, &c.] A

TEMPVS OBITVS FELICIS.

a Sozom. lib. 4. c. 14.

Sed & si fidem præstemus Marcellino schismatico: post Constantij quoque obitum, Felicem mortem oppetiisse, dicendum est: nam de Felice ait, ipsum superuixisse, non quod tradit Sozomenus [a], post Liberij reditum ad modicum temporis spatium, sed vsque ad Consulatum Valentiniani atque Valentis, annis videlicet octo post Liberij reuersionem fuisse superstitem. Habetur ibidem mentio de Romano Clero, quòd Liberio in exilium misso iurauerit, se nullum creaturum Pontificem, donec Liberius ipse restitueretur: quosdam tamen ex illis periuros effectos intrusisse Felicem: ac subdit: Reuertente autem Liberio, cum gaudio exceptus est in Vrbe, quando & pulsus est Felix: qui paulo post fauore periurorum reuersus est in Vrbem, Transtiberinamque occupauit regionem: qui iterum Vrbe pellitur, ac demum Valentiniano & Valente Conss. decimo Kalendas Decembris migrauit e vita.] hæc ipse: sed fauens partibus Vrsicini contra Damasum, qui postea se Felici coniunxit, nihil de eius martyrio meminit: quod cum occulte Felicem subiisse habeat Romanum Martyrologium, fortasse ipsum præteriit. Constat etiam eodem quoque auctore, Liberium, defuncto Felice, Ecclesiam Romanam schismate scissam vniisse, atque eos qui a Felice fuerant ordinati in Clerum cum ordinibus & honoribus recepisse, factumque vnum pastorem ouilis vnius. B

CAVSA MORTIS FELICIS.

b Hilar. de Synod.
c Seuer. lib. 2.
d Lucif. pro Athanas.
e Athanas. lib. de Synod.
f Socrat. lib. 2. c. vlt. & Niceph. lib. 9. c. 50.

Ceterum causa illa, quæ in libro de Romanis Pótificibus asseritur, necis Felicis, népe quòd declarauerit Constantium esse hæreticum, eo quòd secundo rebaptizatus esset ab Eusebio Nicomediensi; minime probari potest, cum constet assertione maiorum, Constantium his téporibus adhuc perseuerasse catechumenum: id præsertim Hilario attestante, cum in ipsum inuehitur [b], quòd nondum regeneratus, vt ait, credendi formam præscribere auderet Ecclesiis: id ipsum Seuero [c] probante, nec non Lucifero [d] agête apud ipsum pro Athanasio, cum eidem persuadet, vt ab eodem Athanasio baptismum acciperet: idemque Athanasius [e] de Constantio affirmet, cum tempore mortis ab Euzoio Ariano initiatum esse baptismo, quod & ceteri quoque testantur [f]. At non hæc tantum, sed & alia pleraque in eodem commétario cum in Liberio, tum in Felice habentur, quæ erroris facile redarguantur, ac nonnulla obscura, mendisque deprauata, & aliqua inter se inuicem discrepantia, vt ex eis vix veritas aliqua elici possit, atque firmari. C

CONTROVERSIA ROMAE DE FELICE HABITA.

Quamobrem cum ingressus Felicis absque controuersia a maioribus fuerit existimatus iniquus, & de exitu ipsius eadem inter se pugnantia scripta nutent: inde & accidit, vt temporibus Pontificatus Gregorij Decimitertij, dum de emendatione Romani Martyrologij a viris eruditis ad hoc delectis frequentes haberentur conuentus, & de Felice non leuis controuersia incidisset, expungendus ne esset ob vitiosum ingressum eius, vel absque martyrij titulo relinquendus; deque his diu multumque altercatum esset; et ego in eam sententiam pedibus irem, vt Felicis nomen expungendum esset; eoque argumento volumen haud breue scripsissem, cui fauerent astipularenturque complures viri eruditi in Vrbe tunc existentes: accidit plane, veluti diuino miraculo, vt cum in Diaconia sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani in Foro, ad templum Pacis posita, quidam male consulti, sed non sine diuina prouidentia, clam altare vnum a dextris positum suffoderent, vt thesaurum inuenirent, quod acceperant, nescio quo reuelante, ibi esse repositum; in marmoream arcam inciderent, in cuius altero latere, tabulæ lapideæ interstitio ab altero distincto, repositæ inuenirentur reliquiæ sanctorum martyrum Marci atque Marcelliani & Tranquillini; in altero vero arcæ latere corpus S. Felicis, de quo agimus, vna cum lapideo laterculo ibidem intus posito hisce litteris exarato; CORPVS S. FELICIS PAPAE ET MARTYRIS, QVI DAMNAVIT CONSTANTIVM. quod accidit pridie eius diei, quo eiusdem S. Felicis in Ecclesia natalis dies agi consueuit quarto Kalendas Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo secundo, cum de eius meritis disceptatio magna esset, itemque pene ob innumeras contrarias assertiones causa cadere videretur: Quando opportune ipsemet Felix visus est admiratione omnium rediuiuus comparuisse, per se suam ipse causam acturus, cum iam valde stylo contradicentium esset oppressus. D E

Tantæ rei nónihil cũo ipse vna cum aliis admiratione percussus, adinuentisq. postea recitatis superius Liberij litteris de inita ad tempus cõmunicatione cum Arianis; accedenteque ad hæc omnia (quod maioris ponderis apud me erat) ipsa de ea re sententia Romani Pontificis: stylum modestia Christiana repressi, quem zelo veritatis acueram: vincique a Felice, felicissime accidisse putaui: cedereque Illustrissimo ac Reuerendissimo D. Iulio Sanctorio S. R. E. amplissimo Car-

A mo Cardinali, simulque disertissimo viro, qui egregie pro Felice susceperat patrocinium; me cum ipso triumphum magna gloria agere existimaui, ipsa veritate in vtroque vincente.

Quod autem ad vniuersam rerum gestarum inter Liberium atque Felicem seriem spectat: intuere mecum, atque admirare pariter, lector, summam Dei prouidentiam, qua semper moderatus est ipsam Romanam Ecclesiam. Nam labefactato ex Arianorum communicatione, etsi non hæresis participatione, Liberio; Felicem antea eorumdem communicatione coniunctum excitat ex aduerso, statimque erigit aduersus eos ipsos Arianos, quorum sane ope fuerat Romanam cathedram consequutus, & magno præsidio contra aduersarios confirmat: sicque ad pugnam roborat, vt exagitans Arianos omnes, eorumque principem Constantium feriens anathemate, fuerit pro mercede insignitus corona martyrij.

B Quæ vero fertur Athanasij nomine ad Felicem Romanum Pōtificem ex Synodo Alexandrina epistola scripta ab Episcopis Aegypti, Thebaidis, atque Libyæ, haud æque probatur: quippe quòd qualis fuerit status Ecclesię Alexandrinæ ab eo tempore, quo, exulante Liberio, Felix sedere cœpit, iam satis superius est demonstratum: vt nullus plane locus, vel tempus cogendæ Synodi potuerit esse, Athanasio fuga lapso, & in eremo latitante, atque aliis Episcopis pariter exturbatis, sunt præter hæc multa alia, quæ ibi posita minus arrident, vt cum de ipsius Felicis ordinatione Athanasius eumdem Felicem reddit certiorem. At ipse suas merces Mercator emat: de reliquis autem alij iudicent.

Quantum vero temporis Felix sederit, & hoc reuocatur in dubium: sed illud plane esse debet omnibus exploratum, totum illud biennium, quo sedit, cum Liberius Berœeæ exularet, (TEMPVS SEDIS FELICIS.)
C nequaquam in numerum annorum computandum: siquidem tunc intrusus atque schismaticus erat, nec non Arianorum cōmunione pollutus. Quòd si velimus etiam accedente consensione Liberij ipsum Romanæ Ecclesiæ præfuisse: certe non Episcopus, sed Corepiscopus dicendus fuit, cum viueret adhuc ipse Liberius legitimus Ecclesiæ Pontifex. Dicebantur autem Corepiscopi Vicarij Episcoporum, qui tamen erant Episcopi consecrati, conferreque ordines sacros poterant, vt Concilij Antiocheni canones [a] docent. Ceterum ipsum Felicem contradicente Liberio sedere cœpisse, ipsoque inuito in sede perseuerasse, quæ superius dicta sunt, satis aperte significant. Quamobrem illud certum est, haud ante numerari debuisse tempus sedis Felicis, quàm cum Liberius Arianorum cōmunicatione implicitus, a Catholica cōmunione videri poterat excidisse, nemine cum illo communicante, nisi qui pariter cum Arianis coniuncti essent, quibus ipse communione, licet non hæresi, adhæsisset. A tempore igi-
D tur, quo sedit Felix, cum Pontifex declaratus est, ab hoc scilicet anno, quantum sederit, haud quidem omnino probare possumus: quod Marcellinus tradit peruenisse vsque ad Consulatum Valentiniani atque Valentis, abhinc annos octo: sed potius ipsum Felicem sedisse annum tantum, ac tres menses, totidemque dies, vt habetur scriptum in libro de Romanis Pontificibus, quod & verius existimamus: huic enim sententiæ consentit Sozomenus, qui cum haud diu post reditum Liberij mortem oppetiisse tradit. cui quoque sententiæ illud consentaneum est; quòd non nisi vnam ordinationem fecisse dicatur, in qua, mense Decembris, ordinauerit presbyteros vigintiunum, diaconos quoque & Episcopos per diuersa loca decem & nouem. Ob breuitatem igitur temporis sedis eius, quod & habetur inclusum Pontificatu Liberij, vel ex eo quòd ingressus Felicis fuerat vitiosus: inde factum reor, vt cum ab Optato [b] Mileuitano, tum etiam a S. Augustino [c], cum recēsent seriem Romanorum Pōtificum, post Liberium, Da-
E masum, omisso Felice, successisse tradant: obiter enim cum illa tractent, atque cursim expediant; eam sedis vnius Pontificis, nempe Liberij, factam iterationem, & sedis Felicis temporis distinctionem consulto prætermisisse visi sunt.

Demum de Felice atque Liberio (quod ad exactam temporum discretionem pertinet) illud admonendum est, non sic nos omnia hæc de eisdem sub hoc anno recensuisse, vt sub eodem facta esse contendamus; sed ad lectoris faciliorem intelligentiam: cum Sirmiensem Conuentum, tot fidei formulis in eo deletis & renouatis, in sequentem quoque annum constet fuisse perductum, quo & Liberium in Vrbem restitutum esse putamus: ea ratione potissimum persuasi, quòd de immunitate clericorum Constantius edictum promulgans mense Decembris, non ad Liberium, vtpote qui nondum Romam fuerat restitutus, sed ad Felicem illud rescripsit agentem Episcopum, de Ecclesiastica immunitate: at licet cuius sit Episcopus ciuitatis minime exprimatur, par est credere illud datum ad Felicem Romanum Pōtificem. Quòd enim (vt dictum est superius ex Hilario) Iulianus in odium Con- (LIBERII REDITVS QVANDO CONTIGIT.)

a Cōcil. Antioch. c. 8. & 10.
b Optat. l. b. 2. cōtra Parmen.
c August. epist. 165.

ſtantij Occidentalis Eccleſiæ Catholicis fauerit; æquum eſt exiſtimare, quantum licuit, eumdem ſtuduiſſe Felici. Reſcriptum autem ita ſe habet[a]: A

a l. 14. de Episc. & cleric. Cod. Theod.

RESCRIPTVM AD FELICEM.

Conſtantius Aug. & Iulianus Cæſar Felici Epiſcopo.

Omnis a clericis indebitæ conuentionis iniuria & iniqua exactionis repellatur imptobitas: nullaque conuentio ſit circa eos munerum ſordidorum, &c.] in fine autem ſic: Dat. VIII. Idib. Decemb. Mediolani. Lecta V. Kalendas Ianuarij, apud Acta Conſtantio nonum & Iuliano Cæſare ſecundum Coſſ.] Præceſſerat paulo ante, nempe menſe Nouembris, aliud eiuſdem Conſtantij Imperatoris reſcriptum de confirmatione priuilegiorum clericorum Romanę Eccleſiæ ad Leonrium bis verbis datū: Eccleſiæ Vrbis Romanæ & clericis conceſſa priuilegia firmiter præcipimus cuſtodiri. Dat. IIII. Id. Nouemb. Mediolani, Conſtantio Auguſto IX. & Iuliano Cæſ. II. Coſſ.] quin etiam apparet ſic, vt dictum eſt, Conſtantium hoc anno & ſequenti, ex ſententia Ammiani, Sirmij degiſſe, vt tamen ſe interdum Mediolanum conferret, ſub qua Metropoli Sirmium (vt ſuo loco dicemus) poſitum erat. B

Felice defuncto, nullus in locum eius ſubrogatus eſt, quòd Liberius abrupta penitus, quæ recipiendæ ſedis cauſa interceſſerat cum Arianis, communicatione, ab omnibus legitimus Romanæ Eccleſiæ Pontifex, vt erat antea, cognitus & acceptus eſt. Riſu potius quàm redargutione dignum eſt recentiorum quorumdam hiſtoricorum commentum[b], dicentium Felici fuiſſe ſuffectum Leonem quemdam in Sanctum Hilarium parum æquum; quem ſeſe accedentem ad Synodum, in pœnam, humi conſidere iuſſerit: ipſum vero diuina vindicta, eadem qua Arius, pœna mulctatum, vna cum viſceribus animam efflauiaſſe. Somniaſſe iſta putantur, vel ſua ipſorum mente effinxiſſe fabellam, cuius tantæ rei, in tanta viro, in totius orbis theatro confectæ antiquorum nullus reperiatur aſſertor.

b Conrad. Alberſtat. Herman. Gyg. qui refelluntur ab omnibus.

LIBERIVS POSTERIORI CONFESSIONE PRIOREM MACVLAM ABLVIT.

Sed iam hic integram de fide Liberij hiſtoriam proſequamur: qualis enim poſt hæc fuerit, pluribus demonſtrandum eſt: Qui agitatus æmulatione Felicis (vt diximus) ſuam ipſius ſedem occupantis, eius potiundæ nimis cupidus, vt reſtitui in eam poſſet, adeo ignominioſe ſui oblitus, ab Arianis implorans auxilium, eorumdem, etſi non hæreſi, fuerat tamen communicatione pollutus: haudquaquam tamen in ea impietate diutius manſit ſui obliuione ſepultus: ſed qui ſic ceciderat, denuo ſurgens, magna animi conſtantia certamen iterum ſtrenue repatauit; et fidem Nicænam, quam ex communione cum Arianis, & tacendo vocem Conſubſtantialis videri poterat prodidiſſe, magnifice prædicauit. Hæc autem vt de his dubitantibus demonſtremus; operæpretium viſum eſt, cunctas Liberij res geſtas, quæ poſt obitum Felicis ſunt ſubſequutæ, & quæ præterea de eodem ſint Patrum teſtimonia, hic reddere. Quòd in primis poſt Felicis obitum ipſe receperit ad Eccleſiaſticam communionem clericos qui erant ex parte Felicis, conſeruatis illis ordinibus & dignitate; quodq. eodem Felice defuncto, nulla fuerit cura eius communionis clericis alium in locum Felicis ſubrogandi Pontificem maximum: plane argumento eſſe videtur, iam Liberium, abiecta procul Arianorum communicatione, ſe in omnibus bene Catholicum exhibuiſſe: aliàs nequaquam paſſi eſſent clerici communionis Catholicæ, & inter alios Damaſus, Liberij ſe communicatione fœdari. C D

At id quidem non intra domeſticos parietes, ſed in publicis Epiſcoporum Conuentibus rebus egregie geſtis idem Liberius prædicauit. ſiquidem in naufragio illo immenſo Concilij Ariminenſis, in quo (inquit S. Hieronymus[c]) vſiæ nomen abolitum eſt, & Nicænæ fidei damnatio conclamata, quando & totus Orbis ingemuit, & Arianum ſe eſſe miratus eſt: tunc Liberij Romani Pontificis virtus enituit, & eius Legati Vincentij Epiſcopi Capuani, quem habuerat in lapſu conſortem. Id ſane haud vulgaris auctoris, ſed ſancti Damaſi teſtificatione perſpicue demonſtratur in illa epiſtola, quam ad Illyrij Epiſcopos dedit: recitat eam Theodoretus[d], vbi inter alia ſcripta hæc leguntur: Numerus Epiſcoporum, qui erant Arimini in vnum congregati, præiudicij vim habere non debet; præſertim cum formula illa compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano, cuius ſententia præ ceteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis Epiſcopatum integre geſſerat, neque aliis, &c.] At hæc quæ dicit de Romano Pontifice minime conſentiente blaſphemiæ Ariminenſi, de Liberio intelligenda eſſe, Sozomenus[e], atque Nicephorus[f] fidem faciunt; cum tradunt, ea de cauſa Liberium primum omnium fuiſſe ab Eccleſia exturbatum: at quo modo ſe iſta habuerint, ſuo loco fuſius enarrabimus. ſed & hæc ſatis litteris tunc conteſtati ſunt Epiſcopi Catholicæ communionis ad Conſtantium ſcribentes, nempe affirmantes magna ex his concitanda fore diſſidia ob eam cauſam in Romana præſertim Eccleſia, ipſo ſcilicet Pontifice Romano contradicente. recitat eas litteras, in quibus hæc inſunt, Sozomenus[g]: quæ quidem omnia E

c Hieron. aduerſ. Luciferian.

LIBERIVS EREXIT VEXILLVM CONTRA CONCILIVM ARIMIN.

d Theodoret. lib. 2. c. 22.

e Sozom. lib. 4. c. 18.

f Niceph. lib. 9. c. 41.

g Sozom. lib. 4. c. 17.

aperte

A aperte demonſtant, ipſum Liberium magna animi fiducia, Arianorum procaciæ, perditiſsimis illis temporibus, reſtitiſſe.

Eſt etiam illud certum de Orthodoxa fide Liberij argumentum, quod Siricius [a] Papa ait, poſt ceſſatum Concilium Ariminenſe, miſſam eſſe a Liberio, quem prædeceſſorem ſuum venerandæ memoriæ nominat, decreta generalia, quo modo recipiendi eſſent hi qui ab Ariana hæreſi ad Eccleſiam Catholicam redire vellent: quod quidem ipſi ſtatuere minime licuiſset, niſi in Catholica Eccleſia Catholicus præſideret Epiſcopus. Extat etiam eiuſdem Liberij fidei profeſsio ad Athanaſium ſcripta, cui in ſignum Catholicæ communionis, vt ipſe quoque ſubſcriberet, rogat: quam datam fuiſse poſtquàm hæc acciderunt in Concilio Sirmienſi, facile quiſque ſibi perſuadere poteſt, dum ea a Liberio pro reconciliationis fœdere eſse ſcripta videatur, cum antea intercedente inter ambos arcto communionis vinculo B ſuperfluum viſum eſſet fidem ſuam Athanaſio velle teſtatam, vel Athanaſij Liberio fieri manifeſtam, quæ iam publicis monumentis ante Romæ fuerat conſignata. Ipſa autem Liberij ad Athanaſium ſcripta fidei profeſſio ſic ſe habet [b]:

a Siric. epiſt. 1. ad Himerium.

b Apud Athan. poſt litteras ad Epictetum.

LIBERII FIDEI PROFESSIO.

Eſt igitur noſtra confeſſio, optatiſſime Athanaſi, Verbum, Dei Filium, ſecundum naturam ex Deo, eodemque Patre ſuo genitum eſſe, non creatum, ſemper in imperio collegam Deo & Patri, & indeſinenter regnum obtinere in infinita ſæcula, Amen. Spiritum quoque ſanctum verè ex Deo naturaliter Deum, indiuiſibilem a Deo, ſecundum diuinas ſcripturas; vt ſit vere Pater, vere Filius, & vere Spiritusſanctus: neque transferri debere vnumquodque nomen a ſuo ſignificato, cui aſſignatum eſt, quo vera ſit Trinitas ſub vna Deitate, ſub vna poteſtate, & vna ſubſtantia: non enim diſpertitur Filius, aut Spiritusſanctus a Patris ſubſtantia, quæ implet cælum & terram. Eſt igitur Trinitas, vt dixi, in vna ſubſtantia non di- C uiſa, ſed per eſſentiam vna, Deitate vna, potentia vna, & regno vna, vna quoque gloria, vna item imagine, vna denique ſpiritu: Spiritus enim non diuiditur. Anathema igitur dices Sabellij & Arij dogmata, & ſupra annotatas hæreſes, ad æternam pœnam ſecundum Saluatoris vocem. Huic igitur confeſsioni, frater Athanaſi, quæ vera fides in ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia cenſetur, ſi mecum ſentis, coram Iudice Deo & Chriſto, quæſo, ſubſcribas; quo certiores reddamur, num eiuſdem nobiſcum ſuffragij ſis, eademque ſtatuas de vera fide: vt ego & ſecurior efficiar, tuaque mandata inhæſitanter obeam. Id quoque tibi cognitum velim, cariſsime, filios Veritatis confiteri, impaſsibilem eſſe Deitatem, & de aduẽtu Verbi & Dei in carne ita ſentire: Verbum ſcilicet genitum ex Patre Deo, hominem perfectum abſque peccato aſſumpſiſſe ex Maria Virgine, ſecundum Euangelia in Chriſto Ieſu. Amen.] hactenus Liberij profeſsio, ſequeſtris, vt apparet, ad diſruptam, quæ intercedebat inter eos, D cõmunionem Catholicam conciliandam. Quam quidem poſt hæc tempora ſcriptam eſſe, ex eo quoque facile poteſt intelligi, quòd tam exacta habeatur de Spiritusſancti diuinitate aſſertio, aduerſus Semiarianos hæreticos, qui eamdem hæreſin poſt hæc fouere cœperunt, quibus ipſe Sirmij communicaſſet: et quòd de carne Chriſti ex ſanctiſsima Maria Virgine ſumpta, teſtificationem adnexam habeat: vt aduerſus nouam hæreſin Epicteti eſse conſcriptam appareat.

LIBERII FIDES SINCERA PROBATA.

Quòd igitur adeo teſtata atque explorata reddita eſset fides Liberij Athanaſio; illud quoque accidit, vt idẽ Athanaſius [c] in oratione, quam ſcripſit contra Arianos, anno (vt ait) trigeſimoſexto a dãnatis hæreticis Arianis in vniuerſali Nicæno Cõcilio, nempe poſt annos abhinc quatuor, vna cum ceteris magni nominis Orthodoxis, poſt Iulium Romanũ Pontificem, Liberium quoque recenſuerit. Quid inſuper? Nihil plane oportunius ad teſtificandam, certio- E remque toto Orbe reddendam Liberij fidem accidere potuit, quàm cum Valentiniani & Valentis Imperatorum temporibus, ex Oriẽte Romam legatio mitteretur illorum Epiſcoporum, quibuscum ipſe Liberius impie Sirmij communicaſset, qui poſtea propriam conſectati ſunt de Spiritusſancto hæreſin Macedonij: hos, inquam, Legatos, Euſtathium Sebaſtenum Epiſcopum, Siluanum Tarſenſem, & Theophilum Caſtabalorum, Romam ad Liberium venientes, ipſe recipere noluit, niſi præmiſſa fidei profeſsione Catholica ex Nicæno Concilio ſcripta; quod quidem S. Epiphanius [d], S. Baſilius [e], Socrates [f], & alij teſtantur.

c Athanaſ. orat. 1. contra Arian. in princ.

d Epiphan. hæreſ. 75.

e Baſil. epiſt. 74.

f Socrat. lib. 4. c. 11. Nicephor. lib 9. c. 60.

QVALIS FIDE ET MERITIS LIBERIVS.

Qua inſuper fama fuerit Liberius in Eccleſia Catholica apud præſtantiſſimos quoſque viros, S. Ambroſij elogium prædicat; dum libro tertio, quem ſcripſit de Virginitate ad Marcellinam ſororem, ornamenti gratia, tamquam præſtans quoddam emblema, intexuiſſe voluit eiuſdem Liberij ſermonem habitum in eiuſdem Marcellinæ ſpiritualibus nuptiis, cum ſe Deo perpetua virginitate dicaret: cui hæc ipſe præfatur Ambroſius [g]: Quoniam quæ habuimus, digeſſimus ſuperioribus libris duobus: tempus eſt, ſoror ſancta, ea quæ mecum

g Ambroſ. de Virgin. lib. 3.

conferre soles,beatæ memoriæ Liberij præcepta reuoluere, vt quo vir ſanctior, eo ſermo accedat gratior,&c.]Ineſt in ea oratione de Filij Dei diuinitate excellens aſſertio,occaſione celebritatis Natalis Domini, quo idem Liberius eam ad populum habuit homiliam: qua ad verbum integre recitata, ſic poſt fatur Ambroſius: Hæc tecum ſanctæ memoriæ Liberius, quæ apud alios maiora verbis, apud te minora exemplis, &c.] A

Iam intelligis, lector, ex his omnibus, ablutam penitus præteritam Sirmij contractam impietatis ex Arianorum conſortio maculam ſed & præſtanti Catholicæ fidei confeſſione atque defenſione eo gloriæ Liberium perueniſſe, vt nihil minus habuerit honoris & laudis a præclariſſimis quibuſcumque Romanæ Eccleſiæ Pontificibus. At de Liberio modo hactenus.

AETII HAERESIS FALSO PRAETEXTV VALIDATVR.

Iam vero ad res geſtas a Conſtantio Sirmij redeamus: quem quidem non præſenti tantum anno, ſed & ſequenti quoque ibidem conſediſſe, ex Ammiano colligimus. licet autem tertia Sirmiana fidei profeſſione damnati eſſent omnes qui aſſererent Filium Patri diſſimilem; atque ijdem Imperatoris aduerſus eoſdem edictum promulgaſſent; tamen qui in Syria fauebant Aetio, iſtud ipſum impio dogmate affirmanti (inter quos Eudoxius [a] erat, qui malis artibus inuaſerat Antiochenam ſedem) eamdem hæreſin propugnabant, atque auctoritate Oſij defendebant; quin & calumnioſe nomen quoque Liberij ad validandam impietatem procaciter vſurpabant; cuius cauſa, vt dictum eſt, Liberius publice illud edixerat: Qui Filium Patri non ſubſtantia & ceteris rebus omnibus ſimilem aſſeueraret, anathema ſit.] Horum autem conatus cum accepiſſet Conſtantius a Legatis Synodi Ancyræ hoc eodem anno habitæ, ad Antiochenos aduerſus Eudoxium litteras dedit, quas recitat Sozomenus [b]; quibus & præponit Georgij Epiſcopi Laodiceni litteras ad eos qui Ancyræ conuenerant; quæ ſic ſe habent: B

a Sozom. lib. 4. c. 14.

b Sozom. lib. 4. c. 12. 13.

Dominis honoratiſſimis, Macedonio, Baſilio,& Cecropio, Georgius in Domino S. C

GEORGII LITTERAE AD OPPVGNATORES AETII.

Naufragium fidei, quod ab Aetio factum eſt, vniuerſam pene Antiochiam occupauit. Nam Eudoxius diſcipulos execrabilis Aetij, qui ſunt a vobis honoris Eccleſiaſtici gradibus dimoti, ad ſe adſcitos in clerum adſcribit, & ipſum Aetium hæreticum habet in eorum numero, quos ſummo honore proſequitur. Quare ſubuenite huic tam illuſtri ciuitati, ne eius naufragio totus orbis terrarum etiam euertatur. Atque vos cum ſitis iam in vnum coacti, vna cum ceteris qui ad vos forte ſunt conuenturi, ſubſcriptiones ab aliis quoque Epiſcopis exigite, ad eum finem, vti Eudoxius cum ipſum Aetium eijciat Eccleſia Antiochena, tum diſcipulos eius in clerum delectos inde amandet. Quòd ſi pergat cum Aetio Filium Patri diſſimilem vocare, & hos qui iſtud dicere audeant, illis qui contradicant, anteponere; actum eſt penitus, vt dixi ante, de Eccleſia Antiochena.] huc uſque Georgij litteræ; quibus illi acceptis, vna cum anathematiſmis illis quos recenſuimus aduerſus tum Sirmianam impietatem, tum Aetij hæreſin conſtitutis, hæc omnia Sirmium ad Conſtantium per Legatos miſere. Qui cunctis accurate perſpectis, ad Antiochenos aduerſus Eudoxium in hunc modum ſcripſit: D

Victor Conſtantius Max. Aug. Sanctæ Eccleſiæ Antiochenæ S.

CONSTANTII LITTERAE AD ANTIOCHEN.

Eudoxius,non a nobis miſſus,ad vos venit: neque quiſquam ſic putet. Ab eo enim longe abſumus, vt huiuſmodi hominibus fauere velimus. Quòd ſi præter cetera, iſtud præterea comminiſcuntur; certe perſpicuum eſt, eos in Deum Optimum Maximum falſo ementitos eſſe. At ecquæ res ſunt, a quibus ſe ſua ſponte abſtineant illi, qui dominandi libidine accenſi, ciuitates inuadere, & velut transfugæ ex vna in aliam deuolare, omnes denique receſſus & latebras, potentiæ & facultatum augendarum ſtudio, rimari non ceſſant? Fama eſt præterea, apud hos eſſe præſtigiatores quoſdam & ſophiſtas, quos ne nominare quidem fas eſt, officinam plane maleficam & maxime impiam. Omnino certe & vos ipſi horum conſpirationem perſpicitis: omnino etiam ex verbis ipſius hæreſis, tum eius auctorem agnoſcitis, tum ceteros, qui ad eamdem hæreſin propagandam, operam ac ſtudium conferunt; a quibus hoc vnum dumtaxat laboratur, vt populum ſui erroris contagione inficiant. Ceterum veteratores iſti, & audacia ad omnia proiecti, iam tale quoddam apud quoſdam iuueniliter iactitarunt, quòd nos ſimus eorum ordinatione, qua ipſi ſe miniſtros Eccleſiæ ordinarint, lætati. Iſta quidem ab illis decantantur, qui talia paſſim iactare ſolent. Verum res neque omnino ita ſe habet, neque prope ad id quidem accedit. Quin reuocate quæſo ad memoriam verba prima, quæ tum habebantur, cum de fide deliberatum eſt; quibus quidem demonſtrabatur, Saluatorem noſtrum, Filium Dei, ſubſtantia Patri ſimilem eſſe. E

At vero generoſi iſti, ea quæ temere ſibi ſuccurrunt, de Deo effutientes, eo impietatis proceſſerunt

A cesserunt, vti cum res a veritate alienas ipsi afferant, tum easdem alios docere moliantur. In quorum caput licet hanc impietatem tandem recasuram credamus, tamen interim placet eos a conuentibus Ecclesiasticis, & communi populi congressu prohibere. Etenim in præsentia illis hæc prædicere cogor, quæ breui post, nisi a rabie ista se temperent, sunt profecto subituri. Qui quidem (nam quid est hoc, quod non tentent, quo malum hoc adaugeant?) improbissimos homines, tamquam ex mandato in vnum cogunt; hosque, errorum scilicet duces, qui venerandum sacerdotum habitũ adulterant, in clerum adscribunt; perinde ac si ipsis liceret agere & ferre omnia. At quis est inter viuos numeratus, qui istos ferre possit? qui quidem vrbes impietate referciunt, suam superbiam vi occultare student, atque hoc vnum opus ipsis voluptati est, nimirum vt bonis perpetuo inuideant. Ac desinat tandem malitiosa hæreticorum conspiratio diuinis Episcoporum sedibus insidias tendere: iam tempus est, vt veritatis alumni B in lucem prodeant, hique veniant in medium, qui domicilijs ac sedibus relictis aufugerunt, metuque iam pridem implicati fuerunt. Nã & horum sapientia explorate perspecta est, & nulla noua machinationis ratio excogitari potest, quæ illos impietate queat eximere. Bonorum officium est, fide Patrum viuere, hancque (vt dictum est) adaugere, neque vltra curiose inquirere. Cohortarer autem eos, qui licet sero ex hoc erroris barathro se exemerint, vti assentiantur huic decisioni, quam Episcopi litterarum sanctarum valde eruditi de Deo Opt. Max. apte & conuenienter sanciuerint.] hucusque Constantius ad Antiochenos: subdit hæc de his Sozomenus [a]:

a Sozom. lib. 4. c. 13.

Ex illo quidem tempore hæresis Anomianorum, id est eorum qui Filium Dei Patri dissimilem assererent, inualuisset, nisi Imperator ipse Episcoporum opera & diligentia intercessisset] tertia scilicet Sirmiana confessione, qua asserebatur, vt dictum est, Filius per omnia C Patri similis esse. Probe vides, lector, quibus coloribus ab ipso Constantio describantur impugnatores Christi diuinitatis: vt ex his ipsis, sera licet ipsius testificatione, Constantij perfidia conuincatur: qui tantopere damnans eiusmodi hæresin, eiusque sectatores hæreticos, instar Saul interdũ prophetãtis inter Prophetas, vera dicit, prout videmus ab eo in dicta epistola factum esse: sed idem arripitur postea a malo dæmone, furensque lanceam iacit in Dauid, in ipsum inquam Christum blasphemiæ iacula vibrans, eius diuinitatem (pro amentia?) conatus est, si possit, occidere: atque adeo nihil propius Constantio inhæsit, quàm inconstantia cum impietate cõiuncta: In quem enim hac epistola adeo inuectus est, paulo post, vt dicemus, eumdem creat ex Antiocheno Constantinopolitanum Episcopum.

HAERESIS ANOMIANORVM.

Sed audi, rogo, quàm iuste ea de causa in ipsum S. Hilarius [b] inuehatur, dum ait: Post Synodum deinde Sardicensem, omnem rursus aduersus Photinum Sirmij Catholicæ doctri- D næ tuæ commoues curam. Sed tibi statim hoc, quod vtraque fide continebatur, exhorret. Eos autem qui dicunt de non extantibus esse Filium Dei, vel ex alia substantia, & non ex Deo, & quod erat aliquando tempus, aut sæculum, quando non erat; alienos nouit sancta Catholica Ecclesia. Tu his ipsis diffides, & aduersus tuos hostis rebellas, nouis vetera subuertis: noua ipsa rursum innouata emendatione scindis, emendata autem iterum emendando condemnas. Suscipis etiam aduersus deliramenta Osij, & incrementa Vrsacij & Valentis, emendationum tuarum damnationes: sed mox emendanda tua omnia esse, vel potius damnanda constituis: offenderis enim his paucis inimicissimis tibi verbis.] et paulo post: Taceo, inquir, cur nostra apud Nicæam a Patribus gesta rescindis: non enim cum his tibi conuenit: hoc tantum querar; cur tua damnas? Fidem enim vnam, & vnum baptisma Apostolus prædicat. Iam quicquid apud te præter fidem vnam est, perfidia, non fides est. Nam qui fidem emendando condem- E nas, damnationem fidei esse constituis: dum apud te aboletur per alteram, quæ per alteram rursus abolenda est. Cuius enim tu exinde Episcopi manum innocentem reliquisti? Quam linguam non ad falsiloquium coegisti? Quod cor non ad damnationem anterioris sententiæ demutasti?] Atque deinde:

b Hilar. contra Const.

HILARII INVECTIVA IN INCONSTANTIAM CONSTANTII IMP.

Damnas quoque & substantiæ nomen, quo te & Sardicensi Synodo, & Sirmiensi pium esse, Occidentalibus mentiebaris; quod tamen prophetica auctoritate suscepta, fidei intelligentiam continebat. Omne itaque quod probatum antea est, damnare iubes; quod improbatum semper est, sanctificari compellis. O tu scelestе, quod ludibrium de Ecclesia facis? Soli canes ad vomitum suum redeunt: tu sacerdotes Christi resorbere ea quæ expuerant, coegisti: probare eos id in suis confessionibus pręcipis, quod ante damnauerant: in negando reos suos absoluũt, & seipsos reos reddunt. Omnia in impietatem & in reatum detrusisti; dum omnes reos se esse atque impios, aut ex præsentibus statuunt, aut ex præteritis confitentur. Non recipit mendacium veritas, nec patitur religio impietatem. Christianum te loqueris? sed quàm non sis, ipse testaris

testaris. Nec confessioni tuæ gesta conueniunt. Substrauisti enim voluntati tuæ, sed & violentiæ. Mandas tibi subscriptiones Afrorum, quibus blasphemiam Vrsacij & Valentis condẽnauerant, reddi: renitentibus comminaris, & postremo ad diripiendos mittis. Quid? existimas Christum non nisi per litteram iudicare, & ad arguendam volũtatem indigere chartula Deũ? aut quod semel scriptum est, & per te violenter abreptum, id de conscientia posse diuinæ potestatis aboleri? Sequentur quidem te in cineres chartulæ, sed criminosorum apud Deum viuent condemnationes.] hæc Hilarius. Subscripserunt Africani Episcopi (quod ex Sozomeno[a] dictum est) Sirmianæ professioni, in qua diuina substantia Filij asserebatur. Quæ vero rursus ad abolendam a Filio Dei diuinam substantiam Constantius cum suis sit operatus, dicemus anno sequenti, in quem eumdem Conuentum Sirmiensem esse productum prolixitas rerum gestarum admonet. A

a Sozom. lib. 4. c. 14.

b Ammian. lib. 16.

IVLIANVS ACCLAMATVS AVGVSTVS.

Quod autem ad externa pertinet, quæ ad cognitionem quoque rerum nostrarum maxime interdum conducunt: constat Ammiani[b] assertione, hoc anno Iulianum Cæsarem, ab exercitu esse acclamatum Augustum; quòd huius anni exordio, cum sex Alemannorum Reges aduersus Romanos, Gallias incursando, bella mouissent, a Iuliano victi essent. B

c l. 2. de Gladiat. Cod. Theod.

QVID IN GLADIATORAS CONSTANTIVS.

Hoc pariter anno Constantius Imp. aduersus gladiatorum munera exhibentes, ad Orfitum Vrbi Præfectum, eiusmodi rescriptum dedit[c]: Vniuersi qui in Vrbe Roma gladiatorum munus impendunt; prohibitum esse cognoscant, solicitandi auctorandos milites, vel eos, qui Palatina sunt præditi dignitate, sex auri librarum mulcta imminente, si quis cõtra tentauerit. Sponte etiam ad Munerarium adeuntes, per officium sublimitatis tuæ ad Magistros equitum ac peditum, aut eos qui gubernant officia Palatina, oneratos ferreis vinculis mitti conueniet: vt huius legis statuto Palatij dignitas a gladiatorio detestando nomine vindicetur. Dat. XVI. Kal. Nouembr. Constantio Aug. VIIII. & Iuliano Cæs. II. Coss.] C

OBELISCVS ERECTVS AT RESTITVTVS.

d Ammian. lib. 17.

Hoc eodem anno, iisdem Coss. sub præfectura eiusdem Orfiti, cuius modo mentio facta est, obeliscus omnium maximus Alexandria allatus, Constantij iussu erectus est in Circo Maximo: tem gestam Ammianus[d] describit. Quem in eodem Circo fractum, iacentem, terra sepultum, nuper Sixtus Quintus in Lateranum translatum, ac pene in integrum restitutum, Crucis vexillo nobilitatum, Christi gloriæ consecrauit: de quo plura omittimus dicere, cum huius argumenti pereruditum commentarium haud pridem ediderit eodem tempore Michael Mercatus Miniatensis S. R. E. Protonotarius; quanta autem insit ornatissimo atque eruditissimo viro, post alias naturalium rerum scientias, litterarum antiquarum peritia, cum commentarius id ipse proclamet, nostro non opus est præconio commendari.

CONSTANTIVS EXAGITAT MALEFICOS.

e l. 5. de Malef. C. Theod.

Eisdem quoque Consulibus, aduersus maleficos ad Populum prope finem anni huius idem Cõstantius rescriptũ dedit, in quo hæc inter alia[e]: Multi magicis artibus ausi elemẽta turbare, vitas insontium labefactare non dubitant, & manibus accitis audent ventilare, vt quisque suos conficiat malis artibus inimicos. Hos, quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat. Dat. Prid. Non. Decemb. Mediol. Constantio VIIII. & Iuliano Cæs. Coss.] quibus etiam Consulibus notatum habetur eiusdem argumenti rescriptum in Codice Theodosiano; sed in Codice Iustinianeo, octauo Consulatu Constantij, nempe anno superiore, sub quo superius est recitatum. At cur aduersus huiusmodi facinorosos frequenter edixerit, dicemus anno sequenti. D

IESV CHRISTI ANNVS 358.	LIBERII PAP. ANNVS 7.	CONSTANTII IMP. ANNVS 22.

E

Qui sequitur annus Domini trecentesimus quinquagesimusoctauus, Consulatu Daciani & Cerealis aperitur: quo versa rerum vice Liberius Romam a Constantio restitutus, a Cleto deseritur, quòd videretur Arianorum communicatione pollutus; et Felix in Arianos magnis se spiritibus erigens, ab illis etiam qui hactenus Liberio inhæsissent, Pontifex salutatur. Hæc autẽ quo modo se habuerint, superiori anno, quo cœpta esse diximus, sunt fusius enarrata. Quo item anno absoluta Sirmiana pseudosynodo, vbi triplici professione fidei illic edita, non tã pax inter eos sanciri visa est, quàm inter ipsos etiã Arianos cœpta dissidia maioribus incrementis augeri: rursum ad hos componendos maior solicitudo Constantij Imperatoris mentem exagitat, atque de celebrando Nicomediæ Concilio primum omnium consilium inijt; quod tamen magno prodigio diuinitus edito est impeditum. ait enim

CONCILIVM NICOMEDIAE INDICTVM IMPEDITVM.

A Socrates [a]: Visum erat Constantio, vt Episcopi Nicomediæ Bithyniæ cogerentur: tamen terræmotus maximus, qui illic accidebat, cuius impetu Nicomedia corruit, impedimento fuit quo minus in eum locum conuenirent. istud factum est Tatiano * & Cereali Coss. quinto Kal. Septembr.] hæc Socrates.

a Socrat. lib. 2. c. 31.

* Daciano.

Cecidit, cecidit Babylon magna [b] (vox fuit piorum:) Reges terræ cum illa fornicati sunt. In ipsa Eusebius, ex quo Eusebiani Arianæ hæresis defensores, impietatis aperuit officinam, ex qua Reges, & cum eis totus pene Orbis factus est impius. At memorabilis ac diuinitus immissa clades sic ab Ammiano describitur [c]: Iisdem diebus terræmotus horrendi per Macedoniam, Asiamque, & Pontum, assiduis impulsibus oppida multa concusserunt, & montes. Inter monumenta tamen multiformium ærumnarum eminuere Nicomediæ clades, Bithyniæ vrbium matris, cuius ruinarum euentum vere breuiterque absoluam. Primo lucis exortu dies B IX. Kal. Septembrium concreti nubium globi nigrantium lætam paulo ante cæli speciem confuderunt, & amandato Solis splendore, nec contigua, vel apposita cernebantur: ita oculorũ obtutu perstricto, humo inuolutus vastæ caliginis squallor insedit. Dein velut numine summo fatales contorquente manubias, ventosque ab ipsis excitante cardinibus, magnitudo furentium incubuit * procellarũ. Cuius impetu pulsorum auditus est montium gemitus, & elisi litoris fragor: hæcque sequuti typhones atque præsteres, cum horrifico tremore terrarum, ciuitatem & suburbana funditus euerterunt. Et quoniam ad ciuitatem * colliũ ædes pleræque vehebantur, aliæ super alias concidebant, relanguentibus * cunctis sonitu ruinarum immenso.

b Apocalyp. 18.

c Ammian. lib. 17.

NIDOMEDIA TERRÆMOTV CORRVIT.

* Inualuit

* accliuitate.

* reclangẽtibus

Interimque clamoribus varijs excelsa culmina resultabant queritantium coniugum, liberosque, & si quid necessitudinis arte constringunt. Post horam denique secundam, multo ante tertiam, aer iam sudus & liquidus latentes retexit funereas strages. Nonnulli enim superruentium C ruderum vi nimia cõstipati, sub ipsis interiere ponderibus: quidam collo tenus aggeribus obruti, cum superesse possent, si qui iuuissent, auxiliorum inopia necabantur. Alij lignorum extantium a culminibus fixi pendebant, vno ictu cæsi complures paulo ante homines, tunc promiscue strages cadauerum cernebantur. Quosdam domorum inclinata fastigia intrinsecus ferebant intactos, angore & inedia consumendos. Inter quos Aristænetus affectatam regens dioecesim, curans vicaria potestate, quam Constantius ad honorem vxoris Eusebiæ, Pietatis eò cognominarat, animam hoc casu cruciatam diutius exhalauit. Alii subita magnitudine oppressi, iisdem adhuc molibus conteguntur. Collisis quidam capitibus, vel humeris præsectis, aut cruribus, inter vitæ mortisque confinia, aliorum adiumenta, paria perferentium implorantes cum obtestatione magna, deserebantur. Et superesse potuit ædium sacrarum & priuatarum, hominumque pars maior; ni palantes abrupti flammarum ardores per quinquaD ginta dies & noctes, quidquid consumi poterat, exussissent.] hactenus de clade Nicomediensi auctor.

Erant Episcopi in itinere cõuenturi ad Synodum, quorum princeps inter alios eminere videbatur Basilius Ancyranus, qui aduersus Arianos, Photinianos, atque Aetianos inferni monstra Ecclesiam inuadentia, pro substantia diuina in Filio Dei, vna cum suis videbatur subiisse certamen. Agit de iisdem Episcopis & eadem quoque Nicomediensi ruina Sozomenus [d] his verbis: Iam vero cum multi Episcopi essent in itinere, nũciatum est, grauem calamitatem Nicomediam occupasse, Deumque vniuersam vrbem terræmotu concussisse. Postquàm autem fama vbique percrebuit, ciuitatem funditus euersam esse; impedimento fuit quo minus Episcopi longius in itinere progrederentur. Nam fama, quod quidem solet efficere, his qui longe aberant nunciauit, hanc cladem non modo eos afflictasse, quos reuera afflictauerat, E verum etiam Nicæam, Perinthum, & alias vrbes finitimas, quin etiam Constantinopolim in eiusdem calamitatis societatem venisse promulgauit. Qui quidem casus non mediocri dolore affecit Episcopos, qui sanæ doctrinæ fauebant, propterea quòd ecclesia, quæ tam mirifice in ea vrbe extructa fuerat, terręmotu quassata corruit. Vnde homines nostræ religioni infensi, Gentiles scilicet, arripuere occasionem, Imperatori nunciandi, quòd multitudo Episcoporum, & aliorum virorum, puerorum, & mulierum, qui spe inducti, se in ea ecclesia fore incolumes, eo profugerant, ibi oppressa periisset; quod quidem minime verum fuit: nam hora secunda diei, quo die nullus in ecclesia ageretur conuentus, terræmotus vrbem inuasit, atque ex Episcopis solus Cecropius Episcopus ipsius vrbis Nicomediæ (hic erat Arianorum impietatis Eusebio dignus successor) & alii ex Bosphoro extra ecclesiam oppressi interierunt. Quin etiam ciuitas tam exiguo temporis momento terræmotu concussa est, vt qui cuperent alio confugere, non possent; sed prima periculi aggressione, quo quisque stetit loco, in eo magna ex parte aut seruatus est, aut periit.

EPISCOPI INIA NES EADEVNT.

d Sozom. lib. 4. c. 15.

CECROPIVS EPISC. ARIANVS MALE PERIIT.

Est

Est præterea multis in ore, Arsacium hanc ante vidisse calamitatem, quàm acciderit. Hic A genere Persa fuit, & ex milite, qui Imperatoris leones nutriebat, insignis confessor regnante Licinio factus; relictaque militia, in arce Nicomediæ intra murum, monasticam disciplinam exercens, habitauit. Quo in loco diuina visio ei oblata, iussit ex vrbe egredi, quo vitaret cladem, quæ esset eam postea occupatura. Qua re confecta, mature ad ecclesiam profectus, dat mandatum clericis, vt Deo preces supplices sedulo adhibeant, & orationes ad eum placandum faciat, quo clades, quam vrbi minatus fuerat, ab ea depelli posset. Vbi autem illis frustra persuadere conatus est, & pro ludibrio habitus, simul vt calamitatem eos nec opinantes oppressuram præsignificauerat, ad arcem reuertitur, & humi in faciem proiectus, Deum precatus est.] et post aliqua, quibus terræmotum describit, hæc de Arsacio tradit: Arsacius autem in turri, quæ steterat inconcussa, pronus decumbens, sicut se, cum orare cœpisset, extenderat, mortuus repertus est. Fama vero est, eum a Deo precibus contendisse, vt ante cladem mortem B oppeteret; morique maluisse, quàm calamitatem oculis cernere, vrbis illius, in qua primum Christum cognouerat, & Ecclesiastica disciplina imbutus fuerat.]

ARSACIVS CONFESSOR CLADIS VENTVRAE PRAENVNCIVS.

Subdit post hæc auctor multa de Arsacij virtute in editione signorum: sed quod spectat ad cœptā narrationē de Synodis hoc anno a Cōstantio Imperatore pro Arianis indictis, ista addit: Imperator autem, quoniam incertus erat quid ageret, scripsit ad Basilium (Episcopus hic erat Ancyræ) litteras; a quo sciscitatus est, quid de Concilio fieret. Qui cum eum ob pietatem, vt videtur, per epistolam laudasset; & de clade Nicomediæ inuecta, exemplis ex sacris historijs petitis, consolatus esset; hortatur, vt Concilium maturet, & ne desistat a proposito: præsertim cum studium pro pietate susceptum sit: neque Episcopos ad hanc rem conuocatos, cum iam domo exierint, sintque in itinere, re infecta, dimittat. Locum autem Concilio designauit, pro Nicomedia Nicęam vrbem, vt ibi de fide rite decideretur, vbi iam pridē de ea quæri cœptum C est. Atque hæc quidem scripsit Basilius Imperatori, ratus ita se illi rem gratam significaturum, propterea quòd ipse initio Concilium Nicææ congregari statuerat.

NOVVM CONCILIVM NICAENVM DECERNITVR.

His Basilij litteris acceptis, Imperator primum dat mandatum, vti ineunte æstate Episcopi omnes Nicæam conueniant, exceptis illis, quibus inualetudo esset impedimento; hique suo loco presbyteros, vel diaconos, quos vellent, eo mitterent, qui ipsorum declararent sententiā, & de rebus controuersis consilium inirent, vt communiter omnes de omnibus inter se concordarent. Deinde, vt Episcopi decem ex partibus Occidētis, & totidem Orientis, quos Concilium communi sententia deligeret, ad Palatium suum vna venirent, sibique ea quæ decreta essent, exponerent: ad eum finem, vt ipse quoque non cognosceret solum, verum cōuenienter Scripturæ sacræ inter se consensissent; verum etiam, quid optimum factu videretur, decerneret. At vero his confectis rebus, inito rursum consilio, iussit vt omnes aut vbi iam essent, aut D in proprijs Ecclesijs vsque eo manerent, quoad locus Concilio præscriberetur, significareturque ipsis, vt illo accederent. Postremo scribit Basilio, vti per litteras sciscitaretur ab omnibus Orientis Episcopis, quo in loco Concilium commode celebrari posset, vti sub initium veris istud omnibus constaret. Nam Nicæam locum Concilio habendo minime iam opportunum censuit, propterea quòd gens illius vrbis terræmotibus afflictata in mærore esset.}

IRRITVM REDDITVR PROPOSITVM DE NICAENO CONC. COGENDO.

Fuisse autem consilium Eudoxij Episcopi Antiocheni, id ipsum per aulicos procurantis, vt Nicææ Synodus cogeretur, Theodoretus[a] auctor est. Sed terræmotu impedita fuit. Quod quidem factū, inquit, diuinę plane sapientiæ adscribendū arbitror. Nam cum in illa vrbe fidei Apostolicæ doctrina a sanctis Patribus descripta esset, & alij postea ibi congregati, contrariam doctrinam conscribere, in animo haberent: Deus, qui Ecclesiæ prouidere non desinit, Concilium illud propterea prohibuit, ne ex similitudine nominis, ansam Ariani arriperent ad fraudem; neve Concilium istud Nicænum quoque appellando, simplicium animos circumuenirent.] in hunc modum Theodoretus; subdit his Sozomenus[b]: E

a Theod. lib. 2. c. 26.

b Sozom. lib. 4. c. 15.

Basilius autem, litteris Imperatoris præpositis suis litteris, Episcopis cuiuscumque gentis significat, vti mature consilium de re capiant, & quamprimum locum, qui ipsis opportunus videretur, indicarent. At cum, vt in eiusmodi rebus euenire solet, non omnes vnum eumdemque locum delegissent, iter suscipit Basilius ad Imperatorem, qui tum Sirmij commorabatur, & cum alios quosdam ibi offendit Episcopos priuatis ac suis negotijs occupatos, tum Marcum Arethusium, & Georgium Episcopum Alexandriæ. Vbi vero iam visum est, Concilium Seleuciæ, quæ est vrbs Isauriæ, cogendum; Valens cum suis (hic enim iam Sirmij forte aderat) Anomianorum hæresi delectatus, laborat, vt Episcopi, qui aderant in castris, formulæ fidei, quam habebat in promptu, subscribant: in qua formula nomen substantiæ minime positum fuit.

BASILIVS ANCYRENVS AD CONSTANTIVM SE CONFERT.

A Interea dum de Concilio habendo serio laboratum est; Eudoxius, Acacius, Vrsacius, & Valens, quoniam inducebant in animum, quòd Episcoporum omnium alij formulæ fidei in Concilio Nicæno, alij fidei in consecratione Ecclesiæ Antiochenę editę fauerent; atque quòd vtraque fidei formula nomen substantiæ contineret, & Filium Patri in omnibus rebus similem assereret; quin etiam, quòd si in vnum omnes conuenirent, fore vt reuera Aetij condemnarent opinionem, quam ipsi, licet ab vtraque formula discrepantē, laudabant: idcirco perficiunt, vt Episcopi Occidentis Arimini, Episcopi autem Orientis Seleuciæ vrbis Isauriæ in vnum conueniāt; eo consilio, quòd putabant facilius esse paucis, quàm omnibus persuadere; et si quidam ipsorum ad hoc, quidam ad illud Concilium profecti, efficerent, vt vtrumque Concilium suæ suffragaretur sentētiæ, recte esset; sin minus, vt alterum saltem, quo hæresis Aetij non omnium suffragijs reijceretur. Atque in his rebus, illis fuere subsidio tum Eusebius primarius eunuB chus familiæ Imperatoris, qui & necessitudine cum Eudoxio, & opinione etiam coniunctus fuit; tum complures alij potentes viri, qui Eusebio gratificari studebant.] At vero Concilium ipsum Ariminense sequenti anno celebratum constat, de quo dicendum suo loco. DVO DECERNVNTVR CONCILIA, ARIMINI ET SELEVCIAE.

In tanta rerum conflictatione de loco deligendo, in quo Concilium ageretur, anni huius tempus insumptum est: nam non tantum de conueniendo Nicomediam, siue Nicæam, tractatum est; sed etiam de conueniendo Tarsi Ciliciæ statutum fuisse, Socrates[a] tradit, quod irritum quoque redditum est; quin etiā & illud pro constanti vulgatum fuit, Episcopos in Oriente Ancyræ conuenturos, in Occidente Arimini: affirmat id S. Hilarius[b], qui hac ipsa de causa, vt Gallorum fidei integritati hactenus conseruatę consuleret, hoc ipso tempore ad Gallos de Synodis commentarium scripsit, quo eos a dolis hæreticorum cautos redderet: quod ipse profitetur his verbis: Quamquam enim responderi litteris vestris necessarium fuerit, quibus mihi C communionem Dominicam fidei vestræ scriptis miseratis; & quidam etiam ex vobis ad Synodum, quæ in Bithynia futura videbatur acciti, firmissima fidei constantia intra communionem se meam continentes, a ceteris extra Gallias abstinerent: et dignum sane erat Episcopali ministerio ac voce, in tanto hæreticorum furore, aliqua vobiscum per litteras piæ fidei consilia conferre. Non enim cum corporibus nostris exulans, vinctum ac detentum esse potuit Dei verbum, vt non communicari vobiscum posset vbicumque: sed maxime cum comperissem Synodos in Ancyra, atque Arimini congregandas, & ex singulis prouincijs Gallicanis binos, vel singulos eo esse venturos; ea quæ inter nos atque Orientales Episcopos mutuis suspicionibus detinentur, per me, qui in Orientis partibus detinebar, exponenda vobis, licet iam scientibus, atque edenda existimaui: vt cum hanc prorumpentem e Sirmio hæresin & vos cōdemnassetis, & illi cum anathemate iudicassent; sciretis tamen, in cuius fidei professione id D ipsum quod vos gesseratis, etiam ab Orientalibus Episcopis esset effectum; & vos, quos maxime vellem futuris Synodis probabiles elucere, non paterer vno atque eodem Apostolicæ fidei sensu Catholica sentientes, aliqua saltem a Catholicæ fidei sinceritate, ignorata verborum opinione, differre.]

a Socrat. lib. 2. c. 31.

b Hilar. lib. de Synod.

HILARIVS PRAEMONET GALLOS NE AB ARIANIS DECIPIANTVR.

Hæc circa animi sui consiliū de cōscribendo libro de Synodis ad suos Hilarius, qui eo voluit ipsos ad Ariminensem Synodum conuocandos, de omnibus admonitos reddere. Huius igitur anni fine, illum ab Hilario commentarium scriptum esse, non tantum quæ dicta sunt, manifeste declarant; sed & quòd ipse eius exordio, triennium, ait, iam esse sui tempus exilij. Ex his quæ modo sunt ex Hilario recitata, illud quoque liquido apparet, vocatos hoc anno Episcopos Gallicanos ad Synodum in Bithynia, nempe, vt dictum est, Nicomediæ celebrandam, scripsisse litteras ad Hilarium exulantem in Phrygia; eisdemque professionem suæ E ipsorum Catholicæ fidei eidem Hilario reddidisse testatam: idque eam ob causam, quòd cum sæpe ex dictis exilij locis Hilarius ad eos litteras dedisset, nec ab ijs aliquas accepisset, in suspicionem non mediocrem venerat, eos a sua ipsius communione abalienatos fuisse; ac propterea & ipse quoque scribendi amplius ad eos munus intermiserat. Hæc quidem ipse testatur Hilarius, cum sic ad eos præfatur[c]:

GALLI SVAM FIDEM TESTATAM REDDVNT HILARIO.

c Hilar. de Synod. in princip.

Constitutum mecum habebam, fratres carissimi, in tanto silentij vestri tempore, nullas ad vos Ecclesiastici sermonis litteras mittere. Nam cum frequenter vobis ex plurimis Romanarum prouinciarum vrbibus significassem, quid cum religiosis fratribus nostris Orientis Episcopis, fidei studiique esset, quantaque sub occasione temporalium motuum diabolus venenato ore atque lingua mortiferæ doctrinæ sibila protulisset: verens ne in tanto ac plurimorum Episcoporum calamitosæ impietatis vel erroris periculo taciturnitas vestra de pollutæ atque impiatæ conscientiæ esset desperatione suspecta (namque ignorare vobis frequenter admonitis non licebat) mihi quoque apud vos tacendum arbitra-

SILENTIVM GALLORVM SVSPECTVM HILARIO.

arbitrabar, Dominicæ sententiæ admodum memor, quæ post primam atque iteratam A
conuentionem, eos qui etiam sub testimonio Ecclesiæ inobedientes existerent, haberi sicut Ethnicos publicanosque iussisset. Sed beatæ fidei vestræ litteris sumptis, quarum lentitudinem ac raritatem de exilij mei & longitudine & secreto intelligo constitisse: gratulatus sum in Domino, incontaminatos vos & illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse; vosque comparticipes exilij mei, in quod me Saturninus, ipsam conscientiam suam veritus, circumuento Imperatore, detruserat, negata ipsi vsque ad hoc tempus toto iam triennio communione, fide mihi ac spiritu cohærere, & missam proxime vobis ex Sirmij oppido infideis fidei impietatem non modo non suscepisse, sed nunciatam etiam significatamque damnasse: necessarium mihi ac religiosum intellexi, vt nunc quasi Episcopus, Episcopis mecum in Christo communicantibus, salutaris ac fidelis sermonis colloquia transmitterẽ; & qui per metum incertorum, conscientiæ tantum antea meæ (quòd ab his omnibus essem liber) B
gratulabar, nunc iam communis fidei nostræ integritate gauderem, &c.] Plura enim in laudem ipsorum ob conseruatam in tanto naufragio fidem Catholicam prædicat, de quibus & nos quoque superius.

CONSILIVM HILARII IN ADMONENDO GALLOS DE SYNODIS.

Sed & quodnam præterea fuerit consilium Hilarij in hisce scribendis, pluribus aperiamus: Ad quod dignoscendum, illud hic primo admonendum putamus, seu potius iterum inculcandum, quod diuersis in locis pro occasione rerum gestarum attigimus: nimirum contigisse de Arianis, quod omnium hæreticorum solet esse commune, nempe vt semel a veritatis tramite declinantes, & ab Ecclesia Catholica excidentes, non vna eademque semper incedant via; sed diuisi ab inuicem, in diuersas semitas deuient, & sibi ipsis inuicem aduersentur; qua ex re interdum fiat, vt acrius inter eos prœlium agitetur, quàm quod aduersus Ecclesiam Catholicam gerunt. hinc accidit, vt cum vno eodemq. nomine omnes Ariani dicerentur; ex his alij, C
qui se detestari præseferrent Arij nomen, & diuinam in Filio Dei substantiam vtcumque specie tenus confiterentur; quòd tamen vocem Consubstantialitatis non reciperent; Semiariani sint nominati; quorum illa erat fidei professio, quæ tum Antiochiæ in Encænijs, tum Sardicæ, tum Sirmij primo loco edita fuit, atque postea Ancyræ, vt dictũ est fusius, declarata: quorum principes esse videbantur Basilius Ancyranus, Eleusius Cyzicenus, Siluanus Tarsensis, Georgius Laodicenus, Macedonius Constantinopolitanus, Eustathius Sebastenus, & illi pauci, qui subscripti apud Epiphanium reperiuntur Concilio Ancyrano [a]. Alii vero erant, qui in deterius prolabentes, nullam in Filio admittebant vocem diuinæ substantiæ, vel omnimodæ cum Patre similitudinis: erant horum antesignani Acacius Cæsariensis, Eudoxius Antiochenus, Valens & Vrsacius sæpius nominati, atque impietate spectatissimi Episcopi in Pannonia, & alij his inhærentes, quorum factio superiore longe copiosior erat: adeo vt queratur Hilarius [b], in decem Asiæ prouinciis vnum tantum reperiri Eleusium Episcopum, & paucos cum eo, qui essent Filii Dei substantiæ assertores. D

a Epiph. hær. 73.

b Hilar. de Synod.

QVOMODO SEMIARIANI VT SI CATHOLICI.

Sed quid accidit in tanta errorum offusa caligine, & densis tenebris Orientem operientibus? illud nimirum, vt qui substantiæ Filii Dei assertores essent, quasi lucernæ ardentes in caliginoso loco a nostris quoque in pretio haberentur: vtpote quòd (vt superius dictum est sæpius) nulla videretur inter eos esse discrepantia, cum in eo quod summum erat, in vnam eamdemque sententiam conuenirẽt; nempe Filium Dei, Patris Verbum, non creatum in tempore, factum ex nihilo, sed diuinæ esse substantiæ a Patre ante omnia sæcula genitũ: verum hoc tãtum pius illis Catholici haberent, quòd voce Consubstantialitatis vterentur, atque ideo perfectior horum videretur esse confessio, ad excludendas ambiguitates omnes, quæ in nomen substantiæ obrepere potuissent: cum alioqui si in ipso diuinæ substantiæ nomine nullus admisceretur cauillus, vna eademque esset omnino confessio fidei. E

HILARIVS ADVERSVS ARIANOS FAVET SEMIARIANIS.

Rebus igitur in hunc modum hoc ipso tempore se habentibus, in odium & confutationem illorum, qui Filium Dei a Patre substantia diuidebant; ac proinde inter creaturas adnumerabant; Hilarius aduersæ parti, qua defenderetur substantia Filij Dei, non nihil fauisse visus est; ita tamen, vt ad id quod perfectius esset, de bono ad optimum, conaretur adducere, quòd in habentibus symbolum facilior transitus esse soleat. Quamobrem hoc ipso secum inito consilio, non suorum tantum Gallorum causa, sed Orientaliũ quoque, commentarium illum scripsit de Synodis; ac mira quadam prudentia editas ab illis in primis diuersis locis fidei regulas, nempe Antiochiæ, Sardicæ, Ancyræ, Sirmij, recitat & interpretatur, & quidem secundum potiorem sensum eas demonstrat Catholicæ fidei consentientes; licet, vt superius dictum est, quòd sciret eos ob Consubstantialitatis nomen cũ Ecclesia Catholica minime communicasse, magna cautela adhibita, eam, quam superius recitauimus, cõtestationem præmiserit, se nimirum

A rũ internũciũ esse, qui sic eas prodat, vt hęreticæ ne, an Catholicę sint, piorũ sentētię subijciat.

Qui igitur, vt dictum est, Orientalium quoque causa volumen illud de Synodis scripsit, & conditas ab eis fidei formulas est iuxta sensum Catholicum interpretatus, sic ad eos cõuersus affatur [a]: Reliquus mihi sermo ad sanctos viros Orientales Episcopos dirigendus est: vt quia iam de fide nostra nihil inter nos suspicionis relictum est, ea quæ adhuc in suspicionem ex verbis veniunt, purgentur: et dabunt veniam ex communi conscientiæ fide secum liberius loquuturo. O studiosi tandem Apostolicę atque Euãgelicæ doctrinæ viri, quos fidei calor in tantis tenebris hæreticæ noctis accendit. Quantam spem reuocandæ veræ fidei attulistis, constanter audacis perfidiæ impetum retundendo. Antea enim in obscuro, atque in angulis Dominus Christus Dei esse secundum naturam Filius negabatur, & essentiæ inops paternæ, accepisse cũ creaturis originem, de non extantibus prædicabatur: at vero nunc publicę auctoritatis professione
B hæresis prorumpens, id quod antea furtim mussitabat, nunc victrix gloriatur. Quibus enim antea curriculis in Catholicam Ecclesiam non tentauit irrepere? quas non exercuit, falsæ religionis blandimento, sæculi potestates? Homines enim peruersi eo vsque proruperant, vt cum hoc ipsi prædicare publice non auderent, Imperatorem tamen fallerent ad audiendum. Fefellerũt enim ignorantem Regẽ, vt istiusmodi perfidiæ fidem bellis occupatus exponeret, & credendi formam Ecclesiis nondum regeneratus imponeret: cõtradicentes Episcopos ad exilium coegerunt: coegerunt enim nos ad voluntatem exulandi, dum impietatis imponunt necessitatem. Sed exulemus semper, dummodo incipiat verum prædicari. Domino autẽ gratias, quòd ignorationem per vos admonitus Imperator agnouit, & errorem non suum, sed adstantium, per has fidei nostræ sententias recognouit, & se inuidia apud Deum atque homines impiæ voluntatis exemit: cum legationem vestram honorifice habens, falsitatem eorum, quorum in inuidiam
C deducebatur, coacta a vobis ignorantiæ suæ professione, cognouit.]

Post hæc autem multa differens, eos etsi recte quidem, minus tamẽ secure affirmare & profiteri solere diuinã substantiam in Filio, pluribus docet, cũ ista præmittit [b]: Multi ex nobis, fratres carissimi, ita vnam substantiã Patris & Filii prædicant, vt videri possint non magis id pie, quàm impie prædicare: habet enim hoc verbũ in se & fidei cõscientiã, & fraudẽ paratã.] quonam pacto id accidat, pluribus declarat, & quomodo vna substantia Filii cũ Patre in Ecclesia Catholica prædicetur, insinuat. Sic & similitudinis vocẽ ambiguũ habere sensum, atque adeo quosdam esse tradit, qui sic similitudinẽ confitentes, negent æqualitatẽ. Quamobrẽ eos ad nõ excludendã vocem Cõsubstantialitatis, vt sic, cum ipsi substantiã sæpe essent professi, ab omni qua laborarẽt suspicione liberarẽtur, his verbis hortatur in fine [c]: Oro vos, fratres, adimite suspicionẽ, sed audite occasionẽ: Vt probarũ possit ὁμοιούσιον, nõ improbemus ὁμοούσιον. Cogite-
D mus tot sacerdotes sanctos etiã quiescẽtes. Quid de nobis Dominus iudicabit, si nunc anathematizãtur a nobis? Quid de nobis erit, qui rem eo deducimus, vt quia Episcopi non fuerũt, nos quoque nec cęperimus? Ordinati enim ab his sumus, & eorũ sumus successores. Renunciemus Episcopatui, quia officium eius ab anathemate sumpserimus. Date veniã, fratres, dolori meo. Impium est quod audetis: non patiar hanc vocem, vt in anathemate sit, ὁμοούσιον secundum religiosam intelligentiam confitens. Nomen nihil habere criminis, quod sensum non perturbat religionis ὁμοιούσιον nescio, &c.] hæc S. Hilarius, qui vt de eo testatur S. Hieronymus [d], in exilio positus, alios libros de religione nostra conscripsit.

Huius discipulus S. Martinus gloriosum pro fide Catholica certamẽ exegit, dum eius causa & vincula & verbera expertus est; de quo Sozomenus [e]: Primum quidem apud Illyricos ætatem degit; ac cum verã fidem tueri prompto animo contenderet, & quosdam illius regionis
E Episcopos Arii doctrinam olere deprehendisset, insidiis appetitus, & sępe palam verberibus cæsus, demum in exilium pulsus est. Qui cum Mediolanum venisset, solus vitã egit; Inde etiam cum Auxentius illius vrbis Episcopus, qui erga fidem Concilii Nicæni parum sano & sincero animo affectus erat, ei parasset insidias, se clam subduxit, &c.] His consentiẽtia Seuerus [f] tradit, additque, Martinum Mediolani in monasterio agentem, ab Auxentio dira passum, exturbatum fuisse, quando secessit ipse in insulam Gallinariam, vbi mansit vsque in annum sequentem, quo Hilarius ab exilio relaxatus rediit in Italiam.

Hoc eodem anno sanctus ille toto Orbe conspicuus Antonius Magnus, sexto Kalend. Februarii, ex hac vita in cælum migrauit, cum iam quintum supra centesimum vixisset annum. hæc quidẽ cum Athanasius [g], tum Hieronymus affirmat in Chronico. Moriturus Antonius, nihil antiquius habuit, quàm fidem Catholicam suis præclare testatam relinquere, de cuius fideli custodia eosdem sæpius antea admonuisset. Hoc enim elogio fidem suis discipulis adstantibus quasi nobile depositum commẽdauit, ista post alia subdens [h]: Custodienda est piã fides

HILARIVS QVID AD ORIENTALES.

a Hilar. de Synod.

NOMEN SVBSTANTIAE AMBIGVVM.

b Hilar. de Synod.

c Hilar. de Synod.

d Hieron. in Chronico.

S. MARTINVS QVID PASSVS PRO FIDE CATHOLICA.

e Sozom. lib. 3. c. 13.

f Seuer. lib. 2.

ANTONII MAGNI OBITVS.

g Athanas. in vita Anton.

h Idem ibid.

fides in Christũ, & Patrum religiosa traditio, quam ex scripturarum lectione, & crebro meæ A
paruitatis didicistis admonitu.] et post alia: Schismaticorum quoque & hæreticorum venena vitate; meumque circa eos odium consectamini; quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi, quòd nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis aliquando fuerit propter eorum prauam voluntatem, & pertinax contra Christum bellum.]

VIDEI CONFESSORES ANTONIVS HONORAT MVNERIBVS.

a Athanas. in vit. S. Antonij.

Sed & qui fidem Catholicam suis tantopere commendauit, eius defensores gloriosissimos confessores voluit suis exuuijs honorare, dum ad testamentum fidei, eiusmodi apposuit codicillũ [a]: Vestimentorũ autem meorum sit ista diuisio. Melotem & pallium tritum, cui superiaceo, Athanasio Episcopo date, quod mihi nouum ipse detulerat. Serapion Episcopus (hic ille est Thmueos Antistes confessione celebris, cuius sæpe mẽtio superius facta est) aliam accipiat melotem. Vos cilicinum habetote vestimentum, & valete viscera mea: Antonius enim migrat, & iam non erit in præsenti sæculo vobiscum. Verba finierat, & osculantibus se discipulis, B
extendẽs paululum pedes, mortem lætus aspexit; ita vt ex hilaritate vultus eius, Angelorum sanctorum, qui ad perferendam animam eius descenderant, præsentia nosceretur.] At quid de seipso Athanasius? Legatarius autem (inquit) Antonii benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplectitur, & tamquam magna hereditate ditatus, lætanter vestimentum recordatur imaginem sanctitatis.] hæc ipse adhuc in eremi latebris delitescens.

SEPVLTVRA ANTONII.

Sepultus est autem Antonius incognito loco: ea nimirũ ex causa, quòd id ipsemet præcepisset, vt S. Hieronymus testatur in Hilarione; ne scilicet Pergamus quidam ipsius studiosissimus, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam Sancti corpore, Martyrium fabricaret: non enim tanti se meriti esse rebatur, vt æqualem Sanctis in terris honorẽ sibi imperti-
ri vellet: ob quam etiam causam, antiquum illum in Aegypto morem inolitum, & ad Chri- C
stianos propagatum, detestatus est, quo carorum corpora nequaquam sepulturæ traderentur; sed pollinctorum arte delibuta, ita arida reddebantur, vt absque corruptione, integra seruarentur; quæ sic reddita quasi ænea, ab Aegyptijs (vt auctor est S. Augustinus [b]) Gabbaras dicebantur. id, inquam, adeo displicuit Antonio, vt nec Sanctorum cadaueribus id officij exhibendum esse diceret: cum exemplo corporis Christi, Sanctorum quoque corpora essent recondenda sepulchro; quod præstare Ecclesia Catholica consueuit, vt beatorum cadauera sepulchris clauderet, sed honorificentissimis tamen, nempe sacris altaribus.

b Augustin. de diuers. Serm. 120 c. 12.

NATALIS ANTONII CELEBRATVS.

Verum quantumlibet id magnis contestationibus discipulos suos admonens fuerit consequutus, vt corpus suum mandaretur occulto loco sepulchro: haud tamen voluit prohibere, quin honoris sanctis & Deo dilectis impertiri soliti particeps fieret; vt nempe natalis eius
migrationis dies, ex antiquo Ecclesiæ more, peruigilio, & sacris ceteris ritibus coleretur. D
Nam de Sancto Hilarione scribit Hieronymus, quòd cognito, licet longe absente, Antonij obitu, illuc magno labore se contulit, ea nimirum ex causa, vt anniuersariam illius dormitionis diem, eodem, in quo defunctus erat, loco, præuijs nocturnis vigilijs celebraret: quod piũ officium cum ceteri in Aegypto Catholici, tum etiam vniuersa Ecclesia Catholica præstare hactenus non prætermisit.

c Athan. in vita Antonij, in fine.

d Hieron. de scrip. Eccl. in Antonio.

e Hieron. ibid. in Euagrio.

f Hieron. epist. 101.

g Gelas. decret. lib. authent. & apocryph.

Post eius obitum triennio clauso cælo, elementa quoque luxisse Antonij obitum, erat in ore piorum. De scriptorum monumentis, licet de eo Sanctus Athanasius [c] tradat, nequaquam eum claruisse librorum scriptorum memoria; multas tamen ex munere constat scripsisse epistolas patria lingua, ex quibus septem in Græcum translatas fuisse auctor est Sanctus Hieronymus [d]. Res autem ab eo gestas, scriptas esse a Sancto Athanasio, cum ipse Hieronymus [e],
tum reliqui scriptores omnes affirmant: quas ex Græco Euagrius Episcopus Antiochenus E
in Latinum conuertit. Sed & hoc ipsum a se quoque præstitum, idem Hieronymus ait [f]: qui dum sententias sententijs reddidit, Gelasius ab eo scriptam Antonij vitam tradidit [g]. Quo modo autem quæsitum corpus Antonij, inuentum tandem, atque demum Viennam translatum sit, suo loco dicendum.

CONSTANTIVS SARMATICVS DICTVS.

h Ammian. lib. 17.

i Metaph. 28. Octobr.

Quod vero spectat ad res a Constantio gestas: eũ Sirmio hoc anno profectum aduersus Sarmatas, ijsdemque debellatis Sirmium esse reuersum, & Sarmaticum iterum appellari voluisse, Ammianus, res ab eo gestas pluribus prosequutus, affirmat [h]. In rebus item gestis S. Artemij Martyris habetur [i], Constantium post Sarmaticum bellum a se feliciter gestum, mandasse Artemio Duci, vt Constantinopolim corpora SS. Andreæ Apostoli, & Lucæ Euangelistæ ex Achaia transferret: eumque ab ipso, ob negotium bene gestum, Aegypti præfectura donatum. Apud Ammianum autem legitur, hoc anno defuncto Basso Vrbi Præfecto, in eius locum esse subrogatũ eumdem Artemium; quem quidem post hæc Aegypti præfecturam consequutum

fuisse,

A fuisse, negari non potest, vbi eodem Ammiano auctore constat, eo magistratu fungentem, ipso ingressu Iuliani in Imperium, occisum esse.

Quod autem spectat ad translationem eorumdem Andreæ atque Lucæ, consule notata a nobis in Romano Martyrologio: quibus addimus, quòd cum Apostolorum tẽplum, vbi eorum veneranda corpora condita esse constat, hoc tempore ex ingruenti terræmotu superius recensito adeo concussum esset, vt ruinam proximam minaretur, corpus Constantini Imperatoris Macedonius Episcopus Constantinopolitanus inde transtulit, atque in ecclesia Sancti Acacij martyris condidit; ob quod factum magnopere in se Imperatoris Constantij animum exacerbauit. Quòd si propter imminentẽ ruinam, corpora mãdata sepulchro, tranferẽda inde fuissent; in primis, si ibi antea condita essent, id ipsorum diuinorum virorum corporibus præstandum fuisset. vnde ex ijs aliqua elici videtur coniectura, vt restaurato a Cõstantio ipso Apo- CONSTANTINI CORPORIS FACTA TRANSLATIO.

B stolorum templo, tunc aduectæ sacræ reliquiæ, illic collocatæ fuerint.

Inter alias sanctiones hoc anno a Constantio promulgatas, illa magnopere pietati consentiens fuit, quæ ad Taurum Præfectũ Prætorio scripta sic se habet [a]. Etsi excepta tormẽtis sunt corpora honoribus præditorum; præter illa videlicet crimina, quæ legibus demonstrantur (etsi omnes Magi, in quacumque sint parte terrarum, humani generis inimici credendi sunt) tamen quoniam qui in Comitatu nostro sunt, ipsam pulsant propemodum Maiestatem: Si quis Magus, vel magicis contaminibus assuetus, qui maleficus vulgi consuetudine nuncupatur, aut Aruspex, aut Ariolus, aut certe Augur, vel & Mathematicus, aut narrandis somnijs occultans artem aliquam diuinandi, aut certe aliquid horum simile exercens, in Comitatu meo, vel Cæsaris fuerit deprehensus; præsidio dignitatis, cruciatus & tormenta non fugiat. Si conuictus proprium facinus detegentibus repugnauerit pernegando, sit equuleo de- LEX ADVERSVS MAGOS. a l. 6. de malef. et mathem. Cod. Theod.

C ditus, vngulisque sulcantibus latera, perferat pœnas proprio dignas facinore. Dat. III. Non. Iulij, Arimini, Daciano & Cereale Consulibus.]

Quantum cum ex hoc, tum ex alijs anno superiore aduersus Magos datis rescriptis, conijcere possumus, odoratum esse Constantium Iuliani Cæsaris nocturnos magicos susurros; sed & eum hoc ipso rescripto perstringere voluisse, qui essent in eiusdẽ Iuliani Cęsaris Comitatu; aliquid enim ipsum credimus accepisse de Iuliano & Iuliani comitibus, magica in Gallijs exercentibus. Eunapius [b] namque de his hæc habet, & ipse impius: Præter omnem expectationem, deorum beneficio ac voluntate, Iulianus vniuersa Gallia potitus est, ab omnibus ignoratus, quòd deorum cultui addictus esset. Traiecit & Rhenum amnem, receptis in deditionem, aut subactis interioris Germaniæ populis, sospesque varias insidias & machinationes ipsi nexas euasit, vti in eius historia perscriptum a nobis est. Idem accito a Græcia Antistite, IVLIANVS IN GALLIIS MAGIAE ADDICTVS. b Eunapius in Vitis Philosoph.

D postquàm cum eo, remotis arbitris, nonnulla solis ipsis cognita peregerat, ad abolendam Constantij tyrannidem sese accinxit. Horum conscij fuerant soli Oribasius Pergamenus, & Euemerus Libya (quam patria lingua Africam Romani nominant) oriundus: quæ res in historia, Iuliani tempora tangente, perscripta est.] hæc Eunapius. Igitur præstigiatores sugillasse visus est Constantius hoc edicto, qui decore pallij philosophici magica exercebant: quantopere autẽ hos ipse cuperet homines hoc tempore cum in Galliis ageret, litteris illis, quas postea ad Maximum Philosophum dedit, declarat his verbis [c]: Bellum gerens in barbaros, & trimestri spatio in ea militia consumpto, ad Gallos reuertens, circumspiciebam & percunctabar de hominibus, qui illinc venirent, num quis philosophus, num quis scholasticus, aut pallio, penulave indutus eo appulisset, &c.] Id autem genus hominum totum fuisse in laruis magicis occupatum, atque diuinationibus, dictum est superius ex Sardiano. c Iulian. epist. ad Max.

E

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
359.	8.	23.

SEquitur annus a Christo trecentesimus vndesexagesimus, Eusebii & Hypatii Consulatu relatus in Fastos: fuisse hos germanos fratres, & Constantii Imperatoris affines, auctor est Ammianus [d]. Quo anno ab Imperatore indicitur ad controuersias causa fidei componendas Oecumenica Synodus: sed eamdem consilio Arianorum in duas diuidere persuasus est Constantius; nempe vt Orientalis Synodus Seleuciæ in Isauria, Occidentalis Arimini Aemiliæ ciuitate agi deberent, idque ipse claris ea de re litteris declarauit. De his agens Sanctus Athanasius ait [e]: Primum quidem ego admiror, idemque arbitror quemlibet d Ammian. lib. 29. e Athan. de Synod.

DVAE SYNODI INDICTAE, SECVLAE AT ARIMINI. prudentem facere, quòd cum vniuersale Concilium indictum esset, idque omnes expectarent, A derepente diuisio facta sit, adeo vt isti illuc, illi conuenirent istuc: sed hoc absque dubio numinis prouidentia procuratum est, vt in singulis Concilijs, hic quidem sinceræ puræque fidei sententiæ apparerent; illic autem suspecta, incertaque ingenia cum suis moribus sese ostenderent.] et inferius, quodnam fuerit Arianorum consilium in his decernendis, idem explicat his verbis, personam illorum agens[a]: Nos, qui maioribus nostris contradicimus, & præuaricamur Patrum traditiones, postulauimus Synodum promulgari: metuentes autem, si omnes in vnum conuenianr, ne frustra laborauerimus; ita volumus Synodum indici, vt ea in duas partes dirimatur, quo ita a se inuicem disiunctis, scriptisque nostris exhibitis, aliquid susurrari possimus: minas Constantij impiæ sectæ propugnatoris assidue iactantes, simplicitatemque nimiam Nicænorum Patrum cauillantes, Acta Nicæna irrita otiosaque reddamus. hæc tametsi verba non proferebant; ad eum tamen finem omnia faciunt ac moliuntur.] in hunc modum Athanasius. B

[a] Athanas. de Synod.

COLLIGITVR SYNODVS ARIMINI. His de causa vniuersalis indictæ Synodi in duas diuidendæ præcognitis, de ambabus acturi ab Ariminensi Synodo auspicabimur, de cuius collectione hæc in primis Seuerus[b] habet: Constantius apud Ariminum Italiæ vrbem Synodum congregari iubet, idque Tauro Præfecto imperat, vt collectos in vnum non ante dimitteret, quàm in vnam fidem consentirent; promisso eidem Consulatu, si rem effectui tradidisset. Ita missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliasque Magistris officialibus, acciti atque tracti quadringenti & aliquot amplius Occidentales Episcopi Ariminum conuenere, quibus omnibus annonas & cellaria dari Imperator præceperat. Sed id nostris, idest Aquitanis, Gallis, & Britannis, indecens visum: repudiatis fiscalibus, proprijs sumptibus viuere maluerunt: tres tantum ex Britannia, inopia proprij, publico vsi sunt, cum oblatam a ceteris collationem respuissent; sanctius putantes Fiscum grauare, quàm singulos. Hoc ego Gaudium Episcopum nostrum, quasi obtrectantem, referre solitum audiui. Sed longe aliter senserim; laudique attribuo Episcopis, tam pauperes fuisse, vt nihil proprium haberent, neque ab aliis potius quàm a Fisco sumerent, vbi neminem grauabant: ita in vtrisque egregium exemplum. De reliquis nihil memoria dignum traditur.] hęc Seuerus. C

[b] Seuer. lib. 2.

CONC. ARIMINENSIS NVMERVS EPISCOPORVM. Quod vero ad numerum Episcoporum spectat; idem subdit, quòd ex quadringentis illis, non amplius quàm octoginta erant Ariani, reliqui omnes fidei Catholicæ defensores. Athanasius[c] vero quinquaginta vel plures ex Arianis fuisse tradit, illorumque facile principes Vrsacium, Valentem, Mezentium, Demophilum, & Caium. Sed deprauatum esse ex hoc coniici potest eiusdem Athanasii textum in epistola ad Africanos[d], vbi ait, ducentos partium Catholicarum Ariminum conuenisse: nam patet eorum extitisse numerum trecentorum, D inter quos eminuerit legatio missa a Liberio Papa, cuius Vincentius Episcopus Capuanus tantummodo nominatus habetur; qui (vt vidimus) antea communione Ariana labefactatus, vnà cum Liberio iisdem sordibus inquinato, cum eo pariter ad meliorem frugem conuersus, pro fide Catholica vnà cum collegis in eodem Concilio aduersus ingruentem Arianorum furorem stetit intrepidus, vt quæ suo loco dicemus, facile demonstrabunt.

[c] Athanas. de Synod.
[d] Athanas. ad African.

SECESSIO CATHOLICORVM AB ARIANIS. Cum igitur ambarum partium Episcopi Ariminum peruenissent: mox fit (inquit Seuerus[e]) partium secessio: Ecclesiam nostri obtinent; Ariani tantum locum de industria vacantem orationis loco capiunt; sed hi non amplius quàm octoginta, reliqui nostrarum partium erant.] Præerat magna tum laude Ariminensi Ecclesiæ Sanctus Venantius, de cuius egregio pro fide Catholica certamine exantlato, opportuno loco dicturi sumus. E Perierunt Comitiorum acta: quamobrem quæ ex diuersis antiquis auctoribus potuerunt reperiri fragmenta, congrua compaginatione sibi inuicem cohærentia hic intexemus: ex quibus ipsum Concilium, quantum fas est, prope integrum reddamus.

[e] Seuer. lib. 2.

ACTA SYNODI ARIMINENSIS. His ergo in vnum coactis, lectæ sunt litteræ Constantii Imperatoris ad Synodum scriptæ cuiusnam autem illæ fuerint argumenti, Sozomenus his verbis significat[f]: Vt primum de his, quæ in fide ambigua viderentur, Episcopi deciderent; ad extremum, vti lex Ecclesiæ postulat, causas etiam Episcoporum, qui quererentur, se vel iniuste abdicatos esse, vel in exilium missos (quorum vnus erat Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus) disceptarent; deque criminibus quibusdam Episcopis illatis accurare iudicarent: nam alii alios accusauerant; Aegyptii autem Georgium rapinæ & contumeliarum insimulabant: rebusque omnibus iudicatis, decem vtriusque partis ad Aulam accederent, qui quæ acta essent, ipsi renunciarent.] et paulo post: De Athanasio quidem hi, qui infenso animo atque inimico ergà

[f] Sozom. lib. 4. c. 16.

A eum affecti erant, commodissimum duxerunt, vti nulla omnino institueretur actio.]

Obserua quæso, qualia esse solerent Concilia ab Imperatore hæretico congregata: ita nimirum finere libera esse suffragia; (si tamen libera, immo vi publica infamata) vt nihilominus totius causæ arbitrium Imperator integrum sibi vellet. Subdit Sozomenus:

QVALIA CONCILIA HAERETICORVM PRINCIPVM.

Cum autem quæri cœptum est de fide, Valens & Vrsacius in medium simul prodeuntes (quibus subsidio fuere Germinius, Auxentius, Caius, & Demophilus) postulant, vt formulæ fidei iam ante editæ antiquentur, teneaturque ea, quam dudum Sirmij Latino sermone cōposuerant, quæ Filium Patri similem secundum scripturas docuit: atque vt nulla fieret in Deo mentio substantiæ: quam formulam etiam Imperatorem approbasse dicebant, eamque a Concilio recipiendam esse necessario; atque Concilium de cetero non debere curiose quid quisque sentiret inquirere, ne dissidia & contentiones inde nascerentur, cum verba in disceptationem,

SVGGESTIO ARIANORVM.

B accuratamque disquisitionem vocarentur: nam præstare imperitius disserere, modo recte de Deo sentiant, quàm inanes verborum argutias introducere, quæ sunt cum captiosis dialecticorum præstigijs cognatione quadam coniunctæ: significabant autē obscure, immo vero aperte arguebant verbum Consubstantialitatis, vtpote nec in sanctis litteris repertum, & multis obscurum & ignotum; volebant vt pro eo diceretur, Filium Patri rebus in omnibus similem secundum scripturas.] hæc Sozomenus.

Porro ipsa fidei formula tunc a Valente in Synodo recitata, descripta habetur tum ab Athanasio, tum etiam a Socrate: sed diuersa inscriptione posita, mendum in eam irrepsisse dignoscitur. Apud Athanasium [a] ita legitur ex Actis Ariminensibus: Edita est Catholica fides in præsentia domini nostri religiosissimi, præclarique Victoris, Regis Constantij Augusti, Aeterni, Consulibus clarissimis viris Eusebio & * Hypatio, Arimini, vndecimo Ka-

a Athanas. de Synod.

** Flauio*

C lend. Iunias.] Apud Socratem autem [b] sic: Fides ista Catholica coram domino nostro Constantio, Flauio Eusebio, & Hypatio Consulibus, Sirmij ad vndecimum Kal. Iunij edita fuit.] Cum vero constet Constantium non interfuisse Concilio Ariminensi, & quæ Arimini ab Arianis fides edita est, fuisse antea scriptam Sirmij, & lectam coram Imperatore, atque ab eodem probatam; necessario sic inscriptio restituenda est, vt dicat, eam esse Sirmij editam coram Constantio, Arimini vero recitatam dicto die atque Consulibus.

PERFIDIA SIRMIANA EDITA ARIMINI.

b Socrat. lib. 2. c. 29.

De eius autem die & Consule facta mentione, hæc Athanasius [c] præmisit: Cum enim scripsissent eam fidem quam voluerunt, addidere & Consulem, & mensem, & diem eius temporis, vt omnibus prudentibus palam facerent, non olim, sed nunc demum eorum fidem sub Constantio initium accepisse: omnia enim respectu suæ hæreseos scripserunt. Deinde cum simularent se de Domino scribere, alium sibi Dominum, Constantium scilicet, creauerunt: ille

c Athanas. de Synod.

DIES AC CONSVLES APPOSITI IN ARIANORVM CONFESSIONE.

D enim ipsis impie agendi facultatem præbuit, suumque Cæsarem Aeternum appellauerunt, qui Filium Dei æternum esse negant: tantos se pro impietate Christo hostes exhibent. Sed fortasse causam additorum Cōsulum se mutuatos esse ex chronographia sanctorum Prophetarum iactitauerint: quod si ausi sint dicere, multo liquidius suam inscitiam manifestabunt: nam sanctorum prophetiæ temporum memoriam habent. Esaias quidem & Osee in diebus Osiæ, Ioathan, Achab, & Ezechiæ vixerunt; Hieremias vero in diebus Iosiæ, Ezechiel porro & Daniel sub Cyro & Dario, alijque aliorum temporibus prophetarunt, non religionis fundamenta iacientes; nam ea & ante ipsos, & ante constitutionem Mundi fuit & semper est fides, quam Deus nobis in Christo præparauit. Neque fidei suæ tempora assignarunt, siquidem & ante ea tempora fideles homines extiterant, sed tempora suæ annunciationis notauerunt.] ista Athanasius, & alia plura eodem argumento, in eosdem pariter inuectus, quòd ausi fuerint

E ipsorum impietatis professioni indere titulum Catholicæ fidei. Sirmiana autem professio tertia illic ab eis edita, in Concilio Ariminensi primo loco a Valente recitata, sic se habet [d]:

d Apud Athanas. lib. de Synod.

Credimus in vnum solum, & verum Deum Patrem omnipotentem, conditorem, opificemque omnium: et in vnigenitum Filium Dei, ante omnia sæcula & initia, & ante omne tempus, quod in intellectum cadere potest, existentem, & ante omnem comprehensibilem substantiam, natum impassibiliter ex Deo, solum ex solo Patre, Deum de Deo, similem Patri suo, qui ipsum genuit: cuius (secundum scripturas) generationem nemo nouit, nisi solus, qui eum genuit, Pater. Hunc scimus vnigenitum Dei Filium nutu paterno aduenisse de cælis ad demolienda peccata, genitum ex Maria Virgine, versatumque cum discipulis fuisse; et vbi omne officium dispensationis adimpleuisset, secundum Patris voluntatem, crucifixum & mortuum esse, & ad inferos descendisse: atque ibi, quod sui officij erat, peregisse: quem ianitores infernorum conspicati exhorruerunt: Eumque tertio die ab inferis resurrexisse, & versatum cum discipulis fuisse;

SIRMIANA PROFESSIO ARIMINI PROPOSITA.

eumque, vbi negotia sua absoluerat, impletis quinquaginta diebus, in cælos assumptum esse, A & sedere ad dexteram Patris; & vltimis diebus resurrectionis venturum in gloria paterna, vt tribuat vnicuique secundum opera sua. Et in sanctum Spiritum, quem Vnigenitus promisit se missurum humano generi paracletum, quemadmodum scriptum est: Vado ad Patrem meum, eumque rogabo, & alium paracletum mittet vobis Spiritum veritatis: ille de meo accipiet, & docebit vos, omniumque admonebit. Vocabulum porro substantiæ, quia simplicius a Patribus positum est, & a populis ignoratur, & scandalum affert, eo quòd in scripturis non contineatur, placuit vt de medio tolleretur, & nullam posthac de Dei substantia mentionem esse faciendam, eo quòd sacræ scripturæ numquam meminere substantiæ Patris & Filii: Filium autem Patri per omnia similem dicimus, quemadmodum sacræ litteræ dicunt & docent.] hæc hæretici.

Qualis confessio Sirmiana. Quam tamen fidei professionem, ex Epiphanio superius dictum est, non ita aduersam fuisse B Catholicæ fidei, vt manifestam hæresin contineret: quod etiam S. Hieronymus aduersus Luceferianos agens, pluribus docet. Scimus tamen ab Athanasio hanc & omnes Arianorum formulas, in quibus consubstantialitas Filii Dei cum Patre non exprimeretur, vt hæreticas esse repudiatas, ea tantum ex causa, quòd abdicatione vocis substantiæ, iam ad Arianam blasphemiam apertus aditus videretur.

Detecta vafricies Arianorum. Quibus recitatis (inquit Athanasius) nō longe postea cognita est Episcoporū, qui hæc scripserant, vafricies. Episcopis enim proponentibus, vt ceteræ cum Ariana damnarentur hæreses, reliquisque omnibus ad id consentientibus, Valens & Vrsacius cum sociis suis abnuerunt; ac inde cognitum est, eos non sincere, sed ad abolitionem eorum quæ Nicææ acta essent, ita scripsisse, vt infaustam hæresin introducerent. Mirantes igitur dolosa eorum hominum verba, & vafrum institutum, dixerunt ad eos: Nos non quia fide indigeremus, huc conuenimus; habemus enim sanam fidem: sed vt eos, qui veritati contradicunt, & noua molirentur, confunderemus. Si igitur vos, quasi nunc incipientes credere, ista scripsistis, nondum clerici haberi potestis, vt qui nunc rudimenta fidei condiscere incipiatis. Quòd si eo animo, quo nos, huc venistis; sit omnium concordia, & hæreses anathemate execremur; & quæ Patrum sunt, retineamus, ne posthac captatæ Conciliorum occasiones obuersentur: cum semel illi, qui Nicææ conuenerant, omnia præoccuparint, & nihil non egerint pro Catholica fide. C

Probatur a Catholicis fides Nicaena. Omnibus ergo Episcopis ita suffragijs inter se consentientibus, illis ex aduerso abnuentibus, ac proinde vt inscitis, dolosis, ac potius hæreticis condemnatis, totum Concilium suis calculis Nicænam Synodum approbauit, & eam ad omnia sufficere iudicauit: Vrsacium vero & Valentem Germinium, Auxentium, Caium, Demophilum hæreticos pronunciauit; & contra eos submotos ab Ecclesia, vt non verè Christianos, litteras scripserunt.] Ipsa autem sententia a D Synodo prolata aduersus hos, recitatur ab Athanasio, quæ sic se habet [a]:

a Athanas. de Synod.

Sententia Synodi. Sententia Synodi. Quamdiu par & possibile erat, fratres carissimi, Catholica Synodus, & sancta Ecclesia sua patientia & tolerantia pertulit indigne Vrsacium, & Valentem, Caium, Germinium, & Auxentium, qui aliàs alia sentientes, omnes Ecclesias pertubarunt; & nunc in præsentia ausi sunt hæreticas sententias orthodoxæ fidei asserere, & Nicænam Synodum hostem Arianæ hæresis demoliri, suamque, sed peregrinam & alienissimā a sanctissima Ecclesia, fidem conscriptam promulgare, quam nos recipere, nefarium putauimus. Qui cum iampridem hæretici essent, etiam nunc deprehensi sunt contraria sentire: quos ad communionem nostram accedere prohibuimus; eosque in præsentia, nostris verbis condemnantes, a cœtu Fidelium reijcimus. Vos item quod videbitur de istis statuite, vt vniuscuiusque cognitio ex sua subscriptione robur habeat. Vnanimiter nos Episcopi dicimus. Prædicti isti inimici detrahantur ab E Ecclesia, vt Catholica Ecclesia in pace permaneat.] hactenus sententia ab Episcopis omnibus Catholicis subscripta. Subdit Athanasius:

Finis legitimi concilii Ariminensis. Et hæc quidem Arimini acta celeriter istiusmodi finem acceperunt. Nemo enim ibi destitit, sed omnes concorditer sua iudicia conscripserunt, & Arianos reiecerunt.] His peractis, decernitur legatio ad Imperatorem Constantium; Legatisq. Synodales litteras dederūt (vt idem ait Athanasius) Romana quidem lingua, sed in Græcam linguam, quoad fieri potuit, ad istum modum interpretatas.] hæc Athanasius: eadem quoque Sozomenus [b] ex ipso, vt apparet, Athanasio desumpta. Recitat eamdem etiam fidei formulam Socrates [c], sed alia plane translatione. Exemplum autem epistolæ Synodalis ad Constantium Augustum apud Athanasium [d] sic se habet:

b Sozom. lib. 4. c. 16.
c Socrat. lib. 2. c. 29.
d Athanas. lib. de Synod.

Dei iussui, tuoque pio edicto parentes, quæ olim dogmatibus tradita ita esse, vt tradita sunt, nostris suffragiis stabilienda iudicauimus. Nam Ariminum ex omnibus ad Occidentem

A positis ciuitatibus in vnū conuenimus, vt fides Catholicę Ecclesiæ cognosceretur, & qui alterius opinionis essent, manifesti fierēt. Ibique post longam deliberationem optima visa est ea fides, quæ hactenus vsque a priscis temporibus perdurauit; quam & Prophetæ, & Euangelistæ, & Apostoli per Dominum nostrum Iesum Christum prædicarunt, qui est tui Imperij custos, & tuæ valetudinis defensor. Statutum est igitur, vt eam retinentes coleremus, & colentes vsque ad finem conseruaremus. Indecens enim, & nefarium, aliquid ex recte & iuste decretis, & ex rebus Nicęæ publice cum illustrissimo Principe Constantino patre tuo per accuratam deliberationem constitutis immutare velle: in quibus tanta doctrina est & prudentia, vt ea vbique deprædicata ad omnium aures animosque peruenerit, quæ sola hostis & interfectrix Arianæ hæreseos, & per quam non illa sola, sed & reliquæ hæreses sublatæ sunt: in qua certe & addere aliquid, temerarium est; & auferre, periculosum: quorum si alterutrum fiat, erit B hostibus quidlibet agendi libera facultas. LITTERAE LEGITIMAE SYNODI ARIM. AD CONSTANTIVM.

Atque ea de causa Vrsacius & Valens, iampridem socij & adstipulatores Ariani dogmatis, a nostra communione, sententia data, segregati fuere: quam vt denuo recuperarent, de peccatis suis, in quibus se conscios agnoscebant, pœnitentiam, veniamque postularunt, vt eorum syngraphæ testantur; et ob id illis venia gratiaq. delictorum facta est. Hæc autem per id temporis facta sunt, cum Mediolani Synodus in consessum ibat, præsentibus ibidem Romanæ Ecclesiæ presbyteris: fuitque proinde nobis persuasissimum, iniquum esse, cum Imperator Constans ab obitu suo dignus omni memoria hanc fidem omni cura & diligētia conscriptam promulgarit, tum demum ex quo ille baptizatus, ex hominibus in requiem sibi debitam translatus est, aliquid noui in ea fide moliri velle, & tot sanctos confessores & martyres huius placiti scriptores auctoresque contemnere; qui pro veteri lege, rituque Ecclesiæ, in ea C sententia permansere: quorum fidem Deus per Dominum Iesum Christum in tępora tui Imperij contulit; per quem ita late regnas, vt etiam nostro Orbi imperes. DE DAMNATIONE VRSACII ET VALENTIS.

Verum denuo miseri isti deplorati animi, nefario ausu impiæ sententię sese præcones ostendunt, & omnia veritatis decreta conuellere nituntur. Eo enim tempore, quo pro tuo edicto Synodus cogebatur, ipsi fraudis suæ consilia denudarunt: conati enim sunt per vafriciem & tumultum, cum sociis istius factionis, Germinio, Auxentio, Caio, contentiones discordiasque seminantibus, nouas res facere. Quorum doctrina vna eademque omne genus blasphemiarum superat. Vbi autem viderent, non esse ibi homines eiusdem studij, neque qui illorum prauis sententiis adstipularentur, in nostrum consilium se transtulerunt, vt viderentur aliud quippiam scribere: sed ipsi non ita diu postea animum suum ostenderunt. Ne igitur res Ecclesiasticæ in easdem molestias cadant, neve turbatio & tumultus denuo omnia inuoluat & D confundat; constanter visum est, olim decreta pro legitimis inconcusse seruanda, & istos a nostra communione submouendos esse.

Atque ideo Legatos nostros ad tuam æquitatem misimus, qui tibi sententiam Synodi ex epistola ostenderent: idque Legatis nostris ante omnia mandatum est, vt veritatem priscis & iustis rerum allegationibus probarent; & tuæ sanctitati ostenderent, quòd non quemadmodum Vrsacius & Valens inquiunt, pax futura sit, si aliqua ex rebus iustis subuertantur: Nam quomodo pacifice agere poterunt, qui pacem tollunt? sed potius inde contentionem turbationemque tum reliquis ciuitatibus, tum Romanæ vrbi oborituras esse. Quapropter supplicamus tuæ humanitati, vt benignis auribus & sereno vultu nostros Legatos intuearis, neque ad contumeliam mortuorum aliquid noui induci permittas; sed nos sinas in institutis decretisque maiorum permanere, quos magno ingenio, prudentia, & spiritu sancto omnia fecisse, E asseuerauimus. Certe res nouæ, quas isti moliuntur, credentibus incredulitatem, incredulis crudelitatem inducunt. DE LEGATIONE AD CONSTANTIVM MISSA.

Iterum te nostris supplicationibus conuenimus, vt iubeas Episcopos peregre commorantes, quos & grauitas ætatis & paupertas affligit, quàm facillime in patriam deduci; ne Ecclesiæ, absentibus Episcopis, desertæ relinquantur. Id quoque nostris precibus addimus, quo nihil desit rerum priscarum, nihilque exuberet, sed omnia firma maneant, vsque a temporibus beati patris tui in hodiernum diem obseruata; ne nos posthac vexari, & a nostris diœcesibus segregari permittas; sed vt Episcopi cum suis populis pacē ad preces cultusq. diuinos & otium habeant, orantes pro tuo Imperio, salute, & pace, quam tibi in perpetuum Diuinitas largiatur. Nostri porro Legati subscriptiones, salutationesque Episcoporum afferūt, qui tuam sanctitatem de hac causa ex ipsis sacris litteris edocebunt.] hucusque Synodalis ad Constantium epistola, in qua apud alios mendose (vt superius alia dictum est occasione) legitur circa medium, Constantinus, pro Constante. Hisce litteris acceptis, decem ex Synodo profecti sunt EPISCOPI PETVNT MISSIONEM.

Legati

a Seuer. lib. 2.

Legati ex parte Catholicorum ad Imperatorem, totidemque, vt ait Seuerus [a], missi fuerunt A ab Arianis, quod & litteræ Constantij ad eos redditæ indicant. In titulo autē dictæ Synodalis epistolæ ad Constantiū Imperatorem nequaquā Orthodoxi Patres inscribere voluerūt Constantiū æternū, vt Ariani facere consueuerant, quod & Sozomenus tradit [b], qui & hæc subdit:

b Sozom. lib. 4. c. 16. ibi. c. 18.

IMPERATOR CONSTANT. DETINET LEGATOS.

Vrsacius autem & Valens Legatos a Concilio missos præuertentes, formulam fidei, quam in Concilio perlegerant, Imperatori ostendere, Conciliumque falso insimulare cœperunt. Imperator vero grauiter propterea fortasse commotus, quòd formulam fidei, quæ se præsente Sirmij confirmata fuisset, reiecissent; hos duos in magno honore habere, Legatos autem Concilij contemnere, eosque longa mora fatigatos negligere. Tandem vero, licet serius, scripsit ad Concilium, excusatione pro se allata, quòd iter quoddam necessarium, quod quidem esset iam ad barbaros suscepturus, ipsum districtum teneret, & propterea se non potuisse Legatos illius videre: itaque dedisse eis mandatum, vt Hadrianopoli ad suum reditum expectarent, vti cum Reipub. negotia recte constituta essent, animo a curis vacuo, illorum legationem audiret, diligenterque cognosceret: nam oportere eum qui de rebus diuinis disceptaret, animum ab aliis rebus penitus habere liberum. hæc fere ad Cōcilium scripsit Imperator.] istæc quidem omnia consilio Legatorum Arianorum: Quod propterea ab istis (inquit Theodoretus [c]) factum est, quòd putabant Episcopos, quia longinquam morā ægre essent laturi, desideraturique ad vrbes sibi commissas redire, coactos fore, vallum, quod contra hæresin struxerant, subuertere, disturbareque. Sed frustra hic conatus ab illis susceptus est: nam generosi illi fidei propugnatores aliam denuo scripsere ad Imperatorem epistolam, orauereque, vt tum reciperet Legatos, tum ipsos a Concilio dimitteret: quam epistolam in historia etiam inseram.] at quoniam illa post litteras a Constantio ad eos missas data est, hic primum epistolam Imperatoris ad eos scriptam describemus, quæ sic se habet [d]: C

B

c Theodoret. lib. 2. c. 19. in fine.

d Apud Socrat. lib. 2. c. 29.

Constantius Victor & Triumphator Augustus, omnibus Episcopis, qui sunt Arimini coacti, Salutem.

CONSTANTII LITTERAE AD CONC. ARIMIN.

Quamquam vestræ sanctitati minime obscurum est, nos maximam curam diuinæ & venerandæ religionis Christi semper habuisse: tamen viginti Episcopos, quos vestra prudentia ad legationem vestram obeundam misistis, hoc tempore ad nostrum conspectum admittendi, otium non erat: nam expeditio, quam contra barbaros in præsentia suscipimus, nos districtos tenet: et par est, vti nostis, vt ei, qui sit sacrosanctæ religionis negotia tractaturus, animus ab omni cura & perturbatione liber sit. Proinde Episcopis mandauimus, vt Hadrianopoli nostrum reditum expectent; vti cum ea, quæ ad Rempub. pertinent, rite procurata fuerint; illa deinceps, quæ sint nobis proposituri, diligenter audire, expendereque possimus. Vestræ autem grauitati interea ne molestū sit eorum reuersionē expectare, vt cum redierint, nostraq. retulerint ad vos respōsa, illa quæ sint ex vsu Ecclesiæ Catholicæ futura, possitis ad exitū perducere.] hucusq. Cōstantius ad Synodū Arimini congregatā. Has litteras cum accepissent Episcopi, qui scilicet erāt e partibus Catholicorū, hoc modo ad Imperatorē rescripsere [e]: D

e Apud Socrat. lib. 2. c. 29.

EPISTOLA CATHOLICORVM EPISC. ARIMINI CONGREG.

Tuæ clementiæ litteras accepimus, Imperator sanctissime, ex quibus didicimus, tibi propter necessaria Reipub. negotia, eo tempore non satis suppetiuisse otij, Legatos nostros in conspectum tuum admittendi; nobisque in mandatis dare, vt illorum reditum vsque eo expectemus, quoad tua prudentia intellexerit ea, quæ sunt a nobis conuenienter maiorum nostrorum institutis decisa, decretaque. Ceterum iam per hasce litteras confitemur, tibique confirmamus, nos a nostro proposito & sententia nequaquam discessuros: Legatis etiam nostris idē imperauimus. Quamobrem rogamus te, vt placido vultu litteras hasce, a nostra modestia ad te perscriptas, legendas cures: quin etiam ea quæ nostris Legatis obeunda imposuimus, æqui bonique consulas. Illud præterea tua benignitas ista nobiscum intelligit, quàm tristis & acerba res sit, tot Ecclesias, in tuis istis beatissimis temporibus, Episcopis suis destitutas esse: et propterea tuam clementiam iterum atque iterum obtestamur, Imperator Augustissime, vt ante hiemis asperitatem (modo tuæ pietati ita visum fuerit) nobis ad nostras Ecclesias reuertendi facias potestatem, quo possimus Deo Patri omnipotenti, & Domino ac Saluatori nostro Christo Filio eius vnigenito, pro tuo regno consuetas preces cum populo fundere, sicut & ante semper fecimus, & adhuc facere non desistimus.] hactenus Orthodoxorum litteræ ad Constantium Imperatorem. E

CONSTANTIVS NICAEAE THRACIAE PARAT SYNODVM.

Sed quid interea a Constantio & Legatis Arianorum ad obruendam Nicænam Catholicam fidem actum est? Ridiculum quidem, sed tamen valde temerarium illud excogitatum commentum fuit, vt Nicææ Thraciæ, qui illic aderant, conuenirent Episcopi, iussu Imperatoris, ibiq. nouā fidei formulam ex eiusdē Cōstantij sententia scriberet, quam æque Nicænam appellarent

A appellarent. hæc enim his verbis Theodoretus [a] recenset: Hac epistola ex Synodo Ariminensi ad Imperatorem allata; Ariani cum eius animum ad iracundiam concitassent, perficiunt, vt plurimi Episcopi Nicæam Thraciæ vrbem inuiti traducerentur: quorum partem propter animorum simplicitatem callide circumueniendo, partem minis deterrendo impellunt, vt eadem machina ad pietatem oppugnandam vtantur, quam ipsi iam pridem excogitarant: nimirum vt has voces, Substantia, & Consubstantialis, ex fidei formula eximant, inque earum loco, Similis, ponant. Fidei autem formulam ab istis editam, non vt quæ recte se habeat, sed vt quæ factionem Arianam manifesto coarguat, hoc loco citare est animus: qua tamen impij huius nostræ ætatis hæretici non contenti sunt; sed pro hac voce, Similis, vocem, Dissimilis, vsurpare non verentur. Credimus in vnum & solum verum Deum, &c.] consentiens est per omnia Sirmianæ tertiæ recitatę in Concilio Ariminensi; nisi quòd hæc illa id minus habet, quòd etiam ibi dicatur Filius per omnia Patri similis; hic vero tantum, Patri similis: quod ex sententia Valentis factum est, istud ipsum olim tentantis in Concilio Sirmiensi, vt diximus, cui tunc ipsemet Constantius Imperator fuerat refragatus. B

a Theodoret. lib. 2. c. 21.

Vides, quibus lapsibus Ariani a fide Catholica semel excidentes, præcipites deferantur ad ima, abiicientes primo vocem Consubstantialis, vt exoticam & peregrinam, contenti verbo Substantiæ: sed & hanc ablegantes; Per omnia similis, apposuere; modo vero tantum, Similis; ac denique, Omnino dissimilis: atque proinde dixerit impius non tantum in corde suo, sed quod maioris procaciæ est, scriptis suis, Non est Christus Deus. De eorum quoque consilio Nicęæ Thraciæ conueniendi, hæc Socrates [b]: Fidei formulam, quæ Arimini perlecta erat, in Græcum sermonem (sicuti antea scripsimus) conuersam, cœpit Vrsacius ratam facere, publicare, tamquam ex generali Concilio editam præconiis celebrare, & fidem Nicęæ stabilitam appellare; eo plane animo, vt homines imperitos, ac simplices, nominis similitudine in errorē raperet. Nam illi eam putabant fidem fuisse, quæ Nicęæ vrbis Bithyniæ erat olim confirmata. Verum istud commentum illis non magno adiumento fuit: nam non longo post tempore patefactum est, illique ipsi ludibrio habiti.] C

ARIANI IN DETERIVS PROLAPSI.

b Socrat. lib. 2. c. 29.

Sed luctuosum illud tunc accidit, quod testatur Seuerus [c], Legatos illic otiose agentes, a Constantio detentos, ab eodē quoque esse compulsos ad Arianorū perfidiam subscribendam, atque cum ipsis (pro nefas) communicandum: Ceterum autem fuisse eos ætate iūniores, & parum cautos, idem auctor affirmat. sicque eos suæ ipsius communionis participes redditos, Constantius dimisit, vt Ariminū, vbi expectabant Episcopi, redirent. Quanta vero fuerit Constantij persecutio, ex his plane metiri licet, quòd ei cesserit consolidata in fidei Catholicæ confessione senectus in Osio, sed & iuuenum Legatorum ex quadringentis fide præstantium delectorum infracta constantia adeo turpiter fuerit inclinata. De eadem vi Episcopis illata ad hanc stabilendam perfidiam, ista in Auxentium S. Hilarius [d]: Nam primum ea quæ Nicęæ Thraciæ omnium impietas ex se exoluisset, sancta esse testatur; vim scilicet illatam Episcopis, fidem veræ esse confessionis affirmans.] De eadem quoque vi adhibita sic Athanasius [e]: Qui, inquit, Arimini exauctorati erant, profugientes ad Constantium, operam dedere, vt ij, quorum sententiis ceciderant, quàm indignissime haberentur, minæque adderentur, ne in suas parœcias discederent: quibus etiam vim in Thracia per hiemem intulerunt, quo eos cogerent ad res nouas, quas ipsi moliebantur, suscipiendas, &c.] D

c Seuer. lib. 2.

LEGATI COGVNTVR SVBSCRIBERE.

d Hilar. in Auxentium.

e Athanas. epist. ad African.

Ita dimissis Legatis (inquit Seuerus [f]) Imperator Præfecto Tauro mandatum dat, vt Synodum non ante laxaret, quàm conscriptæ fidei consentire se omnes subscriptionibus profiterentur: ac si qui pertinacius obsisterent, dummodo is numerus intra quindecim esset, in exilium pellerentur. Sed regressis Legatis, licet vim Regiam causantibus [*], denegata est communio.] At lugubris casus incidit, dum exemplo Legatorum quamplurimi alij ex Catholicis manus dederunt. nam subdit: Enimuero compertis quæ decreta erant, maior rerum & consiliorum perturbatio. Deinde paulatim plerique nostrum, partim imbecillitate ingenij, partim tædio peregrinationis euicti, dedere se aduersariis, iam post reditum Legatorum superioribus, & Ecclesiam (nostris inde detrusis) obtinentibus. Factaque semel inclinatione animorum, cateruatim in partem alteram concessum, donec ad viginti vsque numerum nostrorum imminutus est: sed hi quanto pauciores, tanto validiores erant. Constantissimus inter eos habebatur noster Fægadius, & Seruatio Tungrorum Episcopus: Hos, quia minis & terriculis non cesserant, Taurus Præfectus precibus aggreditur, ac lacrymans obtestatur, mitiora vti consulerent: Clausos intra vnam vrbem Episcopos iam septimum mensem agere: iniuria hiemis & inopia confectis nullam spem reuersionis dari: quis tandem esset finis? sequerentur plurium exemplum, auctoritatem saltem ex numero sumerent. Et enimuero E

f Seuer. lib. 2.

LEGATI REVERSI NON RECIPIVNTVR.

* deprecantibus

Fægadius

Fægadius paratum se exilio, atque ad omne supplicium, in quod deposceretur, profiteri, & ab Arianis conceptam fidem non recepturum. Ita in hoc certamine aliquot dies tracti, vbi parum ad pacem proficiebant; paulatim & ipse infractior ad extremum proposita conditione euincitur. Namque Valens & Vrsacius affirmantes*, præsentem fidem Catholica ratione conceptam ab Orientalibus, Imperatore auctore prolatam, cum periculo repudiari: at quis dissidiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret? Postremo si quid minus plene præsenti fide editum videretur, ipsi adderent quæ addenda putarent; præbituros se in his, quæ essent adiecta, consensum. A

* affirmabant

Fauorabilis professio* pronis omnium animis excepta, nec vltra nostri repugnare ausi; iam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Deinde conceptæ a Fægadio & Seruatione professiones edi cœpere; in quibus primum damnatur Arius, totaque eius perfidia. Ceterum non etiam Patri æqualis, & sine initio, sine tempore Dei Filius pronunciatur. Tum Valens, tamquam nostros adiuuans, subiecit sententiam, cui inerat occultus dolus; Filium Dei non esse creaturam, sicut ceteras creaturas. Fefellitque audientes fraus professionis. Etenim his verbis, quibus similis esse ceteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen potior tantum ceteris pronunciabatur. Ita neutra pars vicisse se penitus, aut victam putare poterat: quia fides ipsa pro Arianis, professiones vero postea adiectæ pro nostris erant, præter illam quam Valens subiunxerat, quæ tum non intellecta, sero demum animaduersa est. Hoc vero modo Concilium dimissum, bono initio, fœdo exitu est consummatum.] hactenus Seuerus. B

* promissio

LAPSVS EPISCOPORVM IN CONCILIO ARIMINENSI.

Sed videamus quæ S. Hieronymus ex Actis eiusdem Concilij Ariminensis recitat[a]: Sub Rege (inquit) Constantio, Eusebio & Hypatio Consulibus, nomine vnitatis & fidei infidelitas scripta est, vt nunc agnoscitur. Nam illo tempore nihil tam pium, nihil tam conueniens seruo Dei videbatur, quàm vnitatem sequi, & a totius Mundi communione non scindi; præsertim cum superficies expositionis nihil iam sacrilegum præferret. Credimus, aiebant, in vnum verum Deum Patrem omnipotentem: hoc etiam nos confitemur. Credimus in vnigenitum Dei Filium, qui ante omnia sæcula, & ante omne principium natus est ex Deo: natum autem vnigenitum solum ex Deo Patre, Deum ex Deo, similem genitori suo Patri secundum scripturas: cuius natiuitatem nullus nouit, nisi qui solus eum genuit Pater. Numquid hic insertum est: Erat tempus quando non erat? vel, De nullis extantibus creatura est Filius Dei? Perfecta fides est, Deum de Deo credere. Et natum aiebant vnigenitum solum ex Deo Patre. Quid est, natum? certe, non factum: natiuitas suspicionem auferebat creaturæ. Addebant præterea: Qui de cælo descendit, conceptus est de Spiritusancto, natus ex Maria Virgine: crucifixus a Pontio Pilato, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, venturus iudicare viuos & mortuos. Sonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum insertum putabat. C D

a Hieron. aduersus Luciferianos.

ACTA ARIMINENSIS SYNODI EX S. HIERONYMO.

De Vsiæ vero nomine abijciendo, verisimilis ratio præbebatur; quia in scripturis, aiebant, non inuenitur, & multos simpliciores nouitate sua scandalizat, placuit auferri. Non erat curæ Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto. Denique ipso in tempore, cum fraudem fuisse in expositione, rumor populi ventilaret; Valens Mursensis Episcopus, qui eam conscripserat, præsente Tauro Prætorij Præfecto, qui ex iussu Regis Synodo aderat, professus est, se Arianum non esse, & penitus ab eorum blasphemiis abhorrere. Res secrete gesta opinionem vulgi non extinxerat. Itaque alia die in ecclesia quæ est apud Ariminum, & Episcoporum simul & laicorum turbis concurrentibus, Musonius Episcopus prouinciæ Byzantinæ, cui propter ætatem primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus est: Ea quæ sunt iactata per publicum, & ad nos vsque perlata, aliquem e vobis sanctitati vestræ legere præcipimus: vt quæ sunt mala, & ab auribus & a cordibus nostris abhorrere debent, omnium vna voce damnentur. Responsum est ab vniuersis Episcopis: Placet. E

VOCIS SVBSTANTIAE CVR FACTA ABLEGATIO.

Itaque cum Claudius Episcopus prouinciæ Piceni, ex præcepto, omnium blasphemias quæ Valentis ferebantur, legere cœpisset; Valens suas esse negans, exclamauit & dixit: Si quis negat Christum Deum, Dei Filium, ante sæcula, ex Patre genitum; anathema sit. Ab vniuersis consonatum est: Anathema sit. Si quis negat Filium Patri similem secundum scripturas; anathema sit. Ab vniuersis conclamatum est: Anathema sit. Si quis dixerit creaturam Filium Dei, vt sunt ceteræ creaturæ; anathema sit. Similiter dictum est: Anathema sit. Si quis dixerit, de nullis extantibus Filium, & non de Deo Patre; anathema sit. Omnes conclamauerunt: Anathema sit. Si quis dixerit, Erat tempus, quando non erat Filius; anathema sit. In hoc vero cuncti Episcopi, & tota simul Ecclesia plausu quodam & tripudio,

CLAVDIVS EPISCOP. PICENVS PARAT FOVEAM LAPSVI.

Valentis

A Valentis vocem exceperunt. Quod si quis a nobis fictum putat, scrinia publica scrutetur. plenæ sunt certæ Ecclesiarum arcæ, & recens adhuc rei memoria est: supersunt homines, qui illi Synodo interfuerunt: et quod veritatem firmet, ipsi Ariani hæc ita, vt diximus, gesta non denegant.

Cũ ergo cuncti Valentem ad cælum laudibus tollerẽt, & suam in eum suspicionẽ cum pœnitentia damnarent: idem Claudius, qui supra legere cœperat, ait: Adhuc sunt aliqua, quæ subterfugerunt dominum & fratrem meum Valentem: quæ, si vobis videtur, ne quis scrupulus remaneat, in cõmune dãnemus. Si quis dixerit, Filiũ Dei esse quidem ante omnia sæcula, sed nõ ante omne omnino tempus, vt ei aliquid anteferat; anathema sit. Dixerunt cuncti: Anathema sit. Multaq. alia, quæ suspiciosa videbantur, ad pronunciationem Claudij Valẽs condẽnauit: quæ si quis plene discere cupit, in Ariminensis Synodi Actis reperiet, vnde & nos ista B libauimus. His ita gestis, Concilium soluitur: læti omnes ad prouincias reuertuntur: idem enim Regi & bonis omnibus curæ fuerat, vt Oriens atque Occidens communionis sibi vinculo necterentur. SVRSVM CLAVDIVS EPISCOP.

Sed diu scelera non latent, & cicatrix male obducta, incocto pure, dirumpitur. Cœperunt postea Valens & Vrsacius, ceterique nequitiæ eorum socij, egregij scilicet Christi sacerdotes, palmas suas iactare, dicentes, se Filium non creaturam negasse, sed similem ceteris creaturis. Tunc Vsiæ nomen abolitum est: tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse, miratus est. Alij igitur intra suam communionem remansere; alij ad eos confessores, qui sub nomine Athanasij exulabãt, cœperunt litteras mittere: nonnulli initam societatem meliorum desperatione planxerunt: pauci vero (vt se natura hominum habet) errorem pro consilio defensauere. Periclitabatur nauicula Apostolorum; C vrgebant venti; fluctibus latera tundebantur; nihil iam supererat spei, &c.] Quæ autem inde sequuntur, post obitum Constantij acciderunt, nosque de ijs suo loco. DETEGVNT ARIANI PROPITIATVM VENENVM.

Sed quod ad hæc spectat, hic illud apposite dictum Apostoli iure optimo vsurpabo [a]: Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit.] Quid? inquam: num quia Valens in hæreticum sensum verba illa detorsit; fiet, vt quadringenti Episcopi in optimam potioremque significationem eam sententiam interpretati, euaserint hæretici ex Catholicis? Absit. cum præsertim noscatur, quod explicatio illa Valentis, fuerit subdola potius cauillatio, quàm quæ posset ex regula illa fidei interpretatio germana deduci. Nam in quam deteriorem sententiam potuit Valens verba deflectere: Si quis dixerit creaturam Filium Dei, vt sunt ceteræ creaturæ; anathema sit?] cum nihil sit, quòd eam ob causam creatura super alias creaturas dici potuisset Filius Dei; de quo D in eadem professione Valẽtis (vt ex S. Hieronymo recitauimus) ab eo appositum fuerit, cum nequaquam ex non extantibus, sed ex Deo Patre genitum, & ante omnia, quæ concipi mente possint tempora, nec omnino fuisse tempus, quando non erat? quæ quidẽ sententiæ omnes excludunt, vt Filius Dei, quouis modo accepta, dici creatura potuisset; cum omnem creaturam in tẽpore factam esse, affirmare oporteat. Inanis igitur fuisse videtur iactãtia ac petulantia effrontis hæretici, dicentis, se Filium Dei non creaturam negasse, sed similem ceteris creaturis. qua quidem sententia, se primo versipellem atque dolosum in illis verbis pronunciandis ostendit; deinde prorsus ineruditum, & inconstantem: imperitum, inquam, dum sensum ex verbis illis elicuit contrarium plane ceteris ab ipso tunc pronunciatis, atque confirmatis anathemate regulis: inconstantem vero, cum vna eademque fidei professione de Filij Dei coæternitate cum Patre affirmet & neget. [a] Rom. 3. INANIS, TERGIVERSATIO VALENTIS.

E Ceterum sicut indignum est, tot Patres dicta ex causa aspergere quauis leui macula hæresis: ita nihilominus reprehensione minime caruerunt, quòd passi sint, silentio sepeliri nomen substantiæ, & vocem illam Consubstantialitatis in Nicæno Concilio stabilitam, tamquam ostentum & scandalum inferentem, omitti. grauis quidem fuit illorum in eo culpa, quòd colorato nomine pacis, non institere impressis Sanctorum Patrum vestigiis, & Catholicam fidem nouis contextam verbis ab hominibus impietate vbique famosis, nimis incaute suscipere adacti sunt; ex quorum sententia, turpis facta est illa de damnatione Nicęnæ fidei conclamatio; atque perinde ac ijdem ipsi omnes verba illa æque ac ipsi essent quadam necessitate compulsi interpretari, in Arianam hæresin incidentes, fecissent vna cum illis fidei veræ iacturam. Quod igitur ait S. Hieronymus, Orbem ingemuisse, seque Arianum esse miratum; haud sic accipiendum est, vt quam adeo detestati erant, atque hactenus abominarentur, Arianam hæresim, crederent se inuitos nolentesque esse complexos, cum non nisi volens quis effici possit hæreticus: sed quòd in noua fidei regula, Consubstantialitatis nomine prætermisso, IN QVO DELIQVERVNT PATRES CONCILII ARIMINENSIS.

termiſſo, atque Subſtantiæ pariter ablegato, patefacto eam ob cauſam Arianis aditu ad inuadendam Catholicam fidem, ijdem viſi eſſent Nicænæ fidei proditores: diſiecta enim munitione illa fortiſſima, qua Patres in magno illo conſeſſu Nicæno ſumma induſtria aduerſus Arianorum impetus atque fallacias Catholicam fidem muniſſent; hoſtium negotium agere videbantur, atque cum Arianis conniuiſſe in diſpendium confirmatæ ac traditæ a Patribus Catholicæ veritatis. A

LIBERII PAPAE PRAEDICATA CONSTANTIA PRO FIDEI NICAENAE DEFENSIONE.

Sed tanto Catholicæ Eccleſiæ terræmotu, quo & montes ipſi e ſuis ſedibus diuulſi ſunt, plane inconcuſſa manſit petra ſolidiſſima verbo Chriſti in fundamento firmiter collocata: Romani, inquam, Antiſtitis, Petri Apoſtoli ſucceſſoris fides enituit; cum ferme omnibus in hunc modum captiuis abductis, ipſe Romanus Epiſcopus ſe a nouæ fidei ſubſcriptione ſubtraxit. Teſtatur id S. Damaſus Papa litteris, quas vna cum aliis ſanctis Epiſcopis ad Illyrici Epiſcopos dedit: in quibus inter alia hæc conſcripta leguntur [a]: Numerus Epiſcoporum B qui erant Arimini in vnum congregati, præiudicij vim habere non debet; præſertim cum formula illa compoſita ſit; neque Epiſcopo Romano, cuius ſententia præ ceteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis Epiſcopatum integre geſſerat, neque aliis eiſdem conſentientibus: cumque etiam (quod eſt omnium maximum) illi ipſi, vti antea diximus, qui in fraudem illecti a veritate deflexiſſe viſi ſunt, & poſt ad meliorem mentem denuo traducti, plane teſtentur; hanc formulam ſibi magnopere diſplicere.] iſta quidem Damaſus, conſentientia illis, quæ nuper ſunt ex S. Hieronymo recitata. At quiſnam hic fuerit Pontifex; certe quidem Liberium extitiſſe, ea quæ diximus ſuperius perſuadent, & quæ mox dicturi ſumus, facile docent.

a Apud Theodor. lib. 2. c. 13.

b Socrat. lib. 2. c. 29.
c Sozom. lib. 4. c. 18.
LIBERIVS EXTVRBATVR A CONSTANTIO CAVSA FIDEI.

Socrates [b] enim, atque Sozomenus [c], poſt Ariminenſe Concilium, primum omnium Liberium tradunt ab Eccleſia exturbatum eſſe: licet Socrates erret, confundens exturbationem C hanc cum exilio, in quod ante triennium, vt vidimus, a Conſtantio Mediolanum accerſitus damnatus eſt. diuerſam plane ab illa hanc fuiſſe Liberij vexationem, diuerſitas rerum, temporum, & perſonarum declarat: nam illud exilium inflictum eſt in Liberium a Conſtantio Mediolani, poſt Mediolanenſe Concilium, quòd noluiſſet aduerſus Athanaſium ſubſcribere: hæc autem poſterior Liberij exagitatio, non exilium fuit, ſed ſimplex ab Vrbe expulſio, Romæ facta per Valentem Epiſcopum Arianum, qui eam poteſtatem ab Imperatore acceperat, eijciendi eos, qui Concilio Ariminenſi ſubſcribere recuſarant. Sed & grauius in eo quoque errat Socrates, cum putat, tunc Felicem loco Liberij in Romana Eccleſia ſubrogatum; quem, omnium ſententia, ante triennium conſtat in locum Liberij fuiſſe ſuffectum. Longe quidem accuratius Sozomenus Liberij res proſequutus eſt, dum eiuſdem Pontificis duplicem vexationem recenſet; priorem [d] ſcilicet (vt dictum eſt) poſt Mediolanenſe Concilium Mediolani factum, cum exilio ab eo damnatus, amandatus fuit in Thraciam, & Felix in eius locum intruſus [e]: poſteriorem vero, cum Liberium, poſt Concilium Ariminenſe, eius regulæ fidei ſubſcribere renuentem Valens Epiſcopus mandato Imperatoris ab Eccleſia exturbauit. D

d Sozom. lib. 4. c. 10.
e Sozom. lib. 4. c. 15.

f Ruffin. lib. 1. c. 22.
LIBERIVS PVLSVS AB VRBE, HABITAT IN COEMETERIIS.

Ex his etiam non Socrates tantum, ſed & Ruffinus [f] arguitur, qui nulla in rebus geſtis enarrandis habita têporum ratione, eodem lapſus errore, poſt Ariminenſe Concilium Liberij recenſet exiliũ, atque Felicis ſubrogationẽ. Ceterum in hac vltima Liberij exturbatione neminẽ reperimus in locum eius fuiſſe ſubſtitutũ Epiſcopũ, ſed ab ipſo Liberio Damaſum presbyterũ Vicarium eſſe relictũ; quem a Felicis partibus ſtantem, vt demonſtratũ eſt, illo defuncto, Liberius vna cum reliquis, concordia inita, cum muneribus & honoribus recepit in clerum. Hæc quidem habent veterrima illa, antiquitate corroſa, in multis deprauata, atque admixtione & additione aliqua labefactata Liberij Papæ Acta: ex quibus illud ſaltem non obſcure ſignificatur, Liberium exturbatum ab Vrbe habitaſſe in cœmeteriis ſuburbanis, Nouellæ & Oſtriano nuncupatis: quem ibi poſitũ Damaſus & alij ex clero Romano conuenire ſolerent: vbi manſit vſque ad Conſtantij obitum, qui contigit poſt annum ſequentem; quando, vt teſtatur S. Hieronymus, reddita eſt pax Eccleſiæ, & ad propria exturbati Epiſcopi redierunt. Nec vero eſt quòd quis vexationem hanc Liberij, qua coactus eſt in ſuburbiis habitare, poſſit quoquo modo cum priore vexatione coniungere, qua conſtat abreptum noctu ab Vrbe, veloci curſu Mediolanum perductum eſſe: reſtitutus vero a Conſtantio numquam in ſuburbanis commoratus eſt, ſed (vt diximus) per Conſtantij miniſtros introductus quaſi victor cum pompa Vrbem intrauit. quamobrem moræ iſtæ in cœmeteriis Liberij ab Vrbe extorris, haud alij cuiquam têpori congruere poſſunt, quàm exturbationi factæ poſt Ariminenſe Concilium. His igitur quæ ſunt ex Damaſi litteris recitata de Romano Pontifice, regulæ fidei Ariminenſis E

ſubſcribere

A subscribere renuente, atque ijs quæ ex Sozomeno sunt recẽsita de Liberij exturbatione poste-
riore post Concilium Ariminense, ac denique accedentibus iis, quæ de expulsione Liberij ab
Vrbe & habitatione in cœmeteriis enarrata sunt, in vnum cõsentientibus; sed & quod tacetur
a Damaso nomen Pontificis, expressum habetur a Sozomeno; et quæ cõfusa reperiuntur Acta
Liberij, hac ex parte tum ex Damaso, tum ex Sozomeno clarius elucidãtur: his, inquam, adeo
concinne sibi inuicẽ fide cohærentibus, nullus de his iure dubitandi locus videtur esse relictus.

Quod rursum pertinet ad Ariminense Cõcilium; illud accuratius animaduertendum est, ab SYNODVS ARIMINENSIS IVRE DICENDA CATHOLICA.
aliis damnatũ vt impium, ab aliis vero commendatũ atque probatum vt Orthodoxũ, quòd il-
lius considerandi diuersa fuerit ratio diuersorum. Rei tamen veritate perspecta, nonnisi Ca-
tholicũ & summa laude dignum idem Ariminense Concilium meruit appellari, in quo Ariana
fidei professio Sirmij edita, & Arimini in Concilio recitata, omnium Patrum sententia, fuit ex-
B plosa, & Nicæna confessio cunctorũ suffragiis stabilita; ac demum ei aduersantes cum Ariani
omnes, tum denique qui præsto erant Vrsacius, Valens, ac socij, omniũ sententia anathema-
te condemnati: quibus omnibus absolutis, quorum causa vocati essent, Conciliũ pariter per-
fectum est; cum Patres, qui conuenerant, de rebus gestis, per Legatos & Synodalem episto-
lam, certiorem reddentes Constantium Imperatorem, vt ad suas Ecclesias sibi redire liceret;
missionem petierunt. Hucusque progressa est legitima Synodus, dicta Ariminensis.

Quamobrẽ S. Athanasius iure hæc cõmendat, cum ait [a]: Quis igitur nõ approbauerit piam [a] Athanas. lib. de Synod.
prudentiam Episcoporum Arimini congregatorum, qui tantum itineris laborẽ, tantaque pe- S. ATHANASIVS COGNOSCIT LEGITIMVM CONC. ARIMINENSE.
ricula maris sustinuerunt, vt Arianam hæresin sapientes ab Ecclesia detraherent, & Patrum
traditiones integras conseruarent, sancta & canonica decreta facientes? Quisque enim eorum
sibi persuadebat, si solueret aliquid ex decretis maiorum, occasionem se daturum posteris, vt
C quod ipsi egissent, rescinderetur.] ac rursum alibi [b]: Videntur autem illi, qui Arimin ẽse Con- [b] Athanas. ad African.
cilium in ore habent (de Arianis intelligit) ne illa quidem scire, quæ ibi acta sunt; quippe qui
alioqui obticuissent. Vos contra, dilectissimi, compertum habetis ex ijs, qui e vestro numero
(Africanos alloquitur) ad Ariminense Concilium se contulerunt, quo modo Vrsacius & Va-
lens illic præsto fuere, & vna cum illis Demophilus; eosque ideo depositos exauctoratosque
esse, quòd alia, quàm quæ in Nicæno Concilio decreta essent, conscribere vellent. Quo tem-
pore cum ab illis postularetur, vt Arianam hæresin anathemate damnarent, postulata præ-
stare recusarunt, malebãtque se potius eius hæreseos duces præfectosque videri. Episcopi con-
tra vere legitimi Christi serui, & fide recta præditi, numero ferme ducenti *, dicebant suf- * quadringenti
ficere Nicæni Concilij dogmata; nec plus, nec minus aut quærendum, aut credendum esse.
Hæc & Constantio significarunt, cuius iussu Concilium coierat. Verum qui Arimini exau-
D ctorati erant, profugientes ad Constantium, operam dedere, vt ij, quorum sententiis cecide-
rant, quàm indignissime haberentur, &c.] et inferius: At citant pro se Concilium Arimi-
nense, cum liqueat eos etiam ibi exauctoratos depositosque fuisse.] hæc ipse; qui & sæpe re-
petit, perperam ab Arianis Ariminense pro se citari Concilium, in quo sententiam condem-
nationis acceperant. Sed & S. Ambrosius [c] ad Valentinianum Imperatorem; Maior, inquit, [c] Ambros. epist. 32.
numerus Arimini Nicæni Concilij fidem probauit, Ariana decreta damnauit, &c.]

Quæ igitur post multos interlapsos menses, illata vi per tormenta Legatis, & Episcopis RECENTIORA ARIMINI QVAE.
ceteris, lato carcere, nempe ciuitate Ariminensi, qua tenerentur inclusi, ab ijsdem, vt vidi-
mus, acta sunt; a legitimo Ariminensi Concilio a Patribus iure fuere discreta, atque reputata
nomine Concilij indigna, quod iam pie sancteque fuerat absolutũ. Quæ vero post tantũ tem-
poris ibidem, vi adhibita, procurata fuissent, alterius plane rationis & nominis vocat ea Atha-
E nasius [d]; Recentiora Arimini, cum ait: Quis non odio habeat illos, qui quæ Patrum sunt abro- [d] Athanas. ad African.
gant, recentiora vero Arimini per vim & metum extorta anteponunt?] quæ detestatus est S.
Ambrosius & pij omnes, vtpote quod in ea nomẽ Consubstantialis abdicatũ esset, & Christus
creatura ex praua Arianorum consequentia videretur assertus: de quibus Ambrosius in nuper
citata epistola ad Valentinianum Augustum: Cum iis, inquit, plane bene conuenit Ariano, qui
creaturam Christum dicit: quod etiam Gentiles atque Iudæi promptissime confitentur. Hoc
scriptum est in Ariminensi Synodo, meritoque Concilium illud exhorreo, sequens tamen tra-
ctatum Concilij Nicæni, a quo me nec mors, nec gladius poterit separare.] hæc Ambrosius.

Ariani igitur eodem ferme modo, quo olim æmulati gloriam Concilij Sardicensis, alterum ARIANI PARI MODO PRAEPOSVNT CONCILIVM ARIMINENSE.
eiusdem nominis celebrarunt; & qui nuper Nicænum aliud, ad abolendum prius sanctum &
œcumenicum, collegerant; idipsum pariter in Ariminensem Catholicã Synodum præstiterũt,
vt ad abolendã priorem rite vereque peractam, aliã ibidem per vim & metum haberẽt; atque
abrogata priore, hãc ipsam Ariminensem Synodũ nominarent: quod præconiis extollere, & in

ore semper habere cõsueuerunt: cuius rei, veritatis aperiẽdæ causa, S. Athanasius insignẽ illam A
epistolã scripsit ad Africanos, in cuius prope exordio hæc habẽtur: Quia audiuimus, nõnullos huius Nicænæ fidei oppugnãdæ cupidos, allegare Conciliũ Ariminense, quod ipsi iactitant auctoritatem obtinuisse; necessario visum est, vt vos scripto certiores redditos admoneremus, ne istiusmodi homines tolerare velitis, &c.] Testatur quoque S. Augustinus [a], Arianos tamquam firmum sensum obijcere consueuisse aduersus Nicænæ fidei veritatem, Concilium Ariminense, pro cuius professione postea per Iustinam Augustam a Valentiniano Imperatore rescriptum [b] ijdem extorserunt, eo tempore, quo S. Ambrosius ab eadem hæretica Imperatrice dirissima pateretur, Consulibus Honorio, & Euodio.

a August. con. Maxim. lib. 1. c. 3.

b l. 4. de fide Cath. C. Theod.

CONSTANTIVS FAVIT CONC. ARIMIN.

c l. 15. de Episc. C. Theod.

Sed & ad illustrandũ eiusmodi cõuenticulum, & deliniẽdos animos Episcoporũ, Constantij fauor accessit, dum collatum nouũ Ecclesiis in Synodo priuilegiũ sustulit; anno sequenti rescribens ad eumdem, qui eidem præfuit Synodo, Taurum Præfectum Prætorio, his verbis: In B
Ariminensi Synodo super Ecclesiarum & clericorũ priuilegiis tractatu habito, vsque eo dispositio progressa est, vt iuga, quæ videntur ad Ecclesiam pertinere, a publica functione cessarent, inquietudine desistente; quod nostra videtur dudum sanctio repulisse, &c.] Sed & rata habuit quæ statuta fuere vltimo loco Arimini, cum eadem, ad vim atque auctoritatem perpetuã obtinendã, allata sunt ad ipsum Imperatorem, Cõstantinopoli tunc agentem, quo ab illo cõfirmarentur: quod ipse præstitit in fine præsentis anni; atque eis, qui ex Seleucia venerãt, Episcopis, ex Synodo, de quo mox dicturi sumus, tradidit subscribẽda: id quidẽ Sozomenus testatur [d] his verbis: Porro autem Imperator ad hanc formam approbandã ideo inductus est, quòd rationẽ duceret multitudinis Episcoporũ, qui Arimini conuenerãt.] et paulo post: Itaque cum in hac esset sententia, dat mandatũ Episcopis, vt fidei formulæ in Concilio Ariminensi editæ consentirẽt. Et quãuis se pararet postridie ad põpam celebrandã, quæ more Romano Kalẽdis Ianua- C
riis in creandis Cõsulibus fieri solet; tamen totum illũ diem, & magnã partem noctis sequentis consumere decreuit, quoad Episcopi, qui Seleucia illo venerãt, formulæ fidei ex Concilio Ariminensi allatæ subscriberẽt.] ista Sozomenus. De eadem confirmatione facta Cõstantinopoli, mẽtio habetur in superius citato Valẽtiniani Iunioris rescripto, vbi hæc legũtur [e]: Damus copiã colligendi his qui secũdũ ea sentiunt, quæ temporibus diuæ memoriæ Constantij, sacerdotibus cõuocatis ex omni orbe Romano, expositaq. fide ab iis ipsis, qui dissẽtire noscũtur, Ariminẽsi Concilio, Cõstantinopoli etiã confirmata, in æternũ mãsura, decreta sunt, &c.]

d Sozom. lib. 4. c. 22.

CONFIRMANTVR VLTIMA ACTA ARIM. AB ARIANIS.

e l. 4. de fide Cath. C. Theod.

f Ruffin. lib. 1. c. 21.

PRAESENS STATVS ECCLESIAE.

His, de rebus gestis Arimini, enarratis; qualis eius temporis esset Ecclesiæ status, [f] Ruffinus hisce coloribus tãquam in imagine repræsentat: Ea tẽpestate, facies Ecclesiæ fœda admodũ ac turpis erat: nõ enim sicut prius ab externis, sed a propriis vastabatur. Fugabat alius, alius fugabatur, & vterque de Ecclesia erat. Ara nusquã, nec immolatio, nec libamina: præuaricatio ta- D
men & lapsus erat, ac ruina multorũ. Similis pœna, sed impar victoria. Similiter cõcionabãtur; sed nõ similiter glorificabãtur: quia dolebat Ecclesia etiã illius casũ, qui impellebat ad lapsũ.] hæc Ruffinus: qui subdit mox de Liberio ea de causa ab Vrbe expulso; de quo nos nup egimus.

GAVDENTIVS EPISCOPVS ARIM. MARTYRIO CORONATVR.

Verum Arimini, vbi Concilium coactum est, tragœdia cepit exordium. Nam Gaudentius Ariminensis Episcopus, qui ingruẽte tũ impietate, Imperatoria potestate, ad tẽpus excesserat, vna cum quibusdã aliis Episcopis; Synodo iam posteriore penitus absoluta, ad suam Ecclesiam rediens, quæ ab Arianis essent gesta dãnauit, & Martianum presbyterum eadẽ labe infectum eiecit: quam ob causã Marciani Præsidis in se acre odiũ cõcitauit, a cuius militibus ad suburbia foras adductus, fustibus ac lapidibus impetitus, martyr gloriosus effectus est. Sed hæc in eius Actis fusius enarrantur. Ceteri quoque Episcopi, qui iustis de causis ad Synodum non venissent, diuersis in locis, a Valente ad hoc misso Legato ad subscribendum Ariminensi impie- E
tati solicitati sunt; renuentes vero tum exilio, tum etiam aliis pœnis mulctati.

MAXIMVS EPISCOP. NEAP. QVID PASSVS AB ARIANIS.

Inter alios autẽ Maximus Episcopus Neapolis in Cãpania, id facere omnino renuẽs, quantumlibet stomachi morbo laborãs, durũ tamen exiliũ subire coactus est: qui nihil ob eã causam remittens vigoris sacerdotalis, in Zosimum, suo loco suffectũ ab Arianis, anathematis sententiam tulit: quæ quidem, iusto Dei iudicio, nequaquam incassum abijt, sed inuasorẽ alienæ sedis ita perculit, vt ceteris fieret in exemplum cõtempti numinis, fidei temeratæ, ac temeritatis presumptæ. Nam (vt Marcellinus [g] auctor est) ex eo tempore cum coacto populo peragere vellet Ecclesiasticas functiones, atque obire sacra; inter ipsa (inquit) verba sacerdotalia, eius lingua protẽditur, nec valuit eam amplius reuocare intra oris meatum; eo quòd contra modũ naturæ extra os pẽderet, vt boui anhelo. Qui vt vidit se linguæ officium perdidisse, egreditur basilicam: et (res mira) foris, verũ in officium lingua reuocata est. Ac primum quidem intelligit, cõpleri in eum sententiã martyris & confessoris. Sed hoc ipsum toties passus est, quoties

g Marcellin. de schism. Vrs. & Damasi.

MAGNA DIRVM SVPPLICIVM ZOSIMI PSEVDOEPISCOPI.

in basi-

A in basilicā diuersis diebus intrare tētauit. Denique ob eam causam tandē eeffit Episcopatui, vt pristinū sibi officiū linguæ integre redderetur.] hæc Marcellinus, qui & addit: Nō res antiquas referimus, quæ solent quadā ratione in dubiū venire: nā & Zosimus hodie in corpore est, vsum linguæ nō amittens, postquā maluit cū amissione Episcopatus viuere dolēs suis impietatibus.]

Subdit præterea hæc de Ruffino Episcopo miræ simplicitatis, sed summæ constantiæ viro: In eum, inquit, sæuijt Epictetus Episcopus Centumcellensis, Arianorum antesignanus, & sæuus illorum minister: qui eum deprehensum ante rhedam suam tamdiu currere coegit, quousque ruptis præcordiis, fuso sanguine expirauit. Sciunt hoc (inquit) Neapolitani in Campania, vbi reliquiæ cruoris eius in obsessis corporibus dæmonia affligunt.] Idē quoque Marcellinus ista adiungit de Potamone (hunc illum putamus, qui auctor ponitur vna cum Osio perfidiæ Sirmianæ, quem Potamium S. Hilarius nominat) quòd cum iam a fide Catholica defecisset, & B prædio ob egregiam impietatē a Fisco donatus esset, dum ad ipsum prædium inuisendum ire festinat, diuinam mox vltionem, in via obitu repentino præuentus, excepit. RVFFINVS EPISC. MARTYR. POTAMONIS DIVINA VLTIO.

Addit quoque de Florentio Episcopo, quòd licet minime subscripsisset; tamen quia cum Arianis cōmunicasset; cum in conuentu plebis sederet in throno suo, repente diuina virtute in terrā elisus est, ac palpitās foras sublatus; at cum vires iterum resumpsisset, in thronū egressus eadē quoque passus est; & rursus foras ductus, ac tertio denique id ipsum obstinate pertētans, tertio elisus, ora distorquens, misere animam exhalauit. Hæc omnia ex Marcellino. In quibus autem eiusdē auctoris fides periclitetur, suo loco dicemus. Pugnauit pro defensione Nicænæ fidei signis atque prodigiis Deus, cū eius prædicatores Episcopi eādem condēnassent silētio. FLORENTII EPISCOPI DIRVM SVPPLICIVM.

Sed iam ad Conciliū Seleuciæ, eodem tēpore, quo Ariminense, celebratū in Oriente, cōuertamus orationē: de quo in primis hęc Socrates [a]: Seleucię vrbis Isauriæ, quę Aspera dicitur, cō- C ueniūt Episcopi, scilicet Oriētis. Ista vno eodēq. anno, Eusebio & Hypatio Consulibus cōfecta sunt. Episcopi, qui cōuenerunt, erant numero centū sexaginta.] Totidē quoque Athanasius [b] Seleuciæ Episcopos conuenisse tradit. At de numero Episcoporū ibidem conuenientiū paulo diuersa Theodoreti [c] sententia reperitur, dicentis centum quinquaginta Episcopos interfuisse: quorum quadragintatres Epiphanius [d] tradit fuisse ex parte Acacij: erant enim & Ariani in hac Synodo inter se diuisi; quorum alij, nempe Acaciani, Aetianorum consortes Christum omnis cum Patre substantiæ expertem esse impie traderēt; reliqui vero, Semiariani dicti, erant diuinæ cum Patre substantiæ assertores. CONCILIVM SELEVCIENSE. a Socrat. lib. 2. c. 31. b Athanas. lib. de Synod. c Theod. lib. 2. c. 27. d Epiph. her. 73.

Vocatum quoque ad hanc Synodum fuisse tradit Seuerus [e] S. Hilarium Pictauiēsem Episcopum, in Phrygia iam annum quartum in exilio agentem: quod nutu diuino accidit absque aliquo præiuio Imperatoris mandato: nam ait: Interim in Oriente, exemplo Occidentaliū, Im- D perator iubet cunctos fere Episcopos apud Seleuciam Isauriæ oppidum congregari: qua tēpestate Hilarius quartum iam exilij annum in Phrygia agens inter reliquos Episcopos, per Vicarium ac Præsidem data euectionis copia, adesse compellitur, cum tamen nihil de eo specialiter mandasset Imperator; Iudices tātum generalem iussionē sequuti, qua omnes Episcopos ad Conciliū cogere iubebātur; hūc quoque inter ceteros volētes miscere: vt ego cōiicio, Dei nutu, id ita gestum, vt vir diuinarū rerū instructissimus, cum de fide disceptādum erat, interesset.] e Seuer. lib. 2. vet. edit. S. HILARIVS VOCATVS INLEVCIAM AD SYNODVM.

Quid autem in itinere Seleuciā venturus fecerit memoria dignum, Fortunatus [f] narrat his verbis: Dum quoddam castellum adiisset, die Dominico ingressus est templum; moxque Florentia puella Gentilis irrumpens multitudinem populi, voce magna, seruum Dei illuc aduenisse, testata est; et ad pedes eius accurrens, non cessauit petere, nisi signum crucis ab ipso sibi fieri fideliter impetrasset: quam Florētius pater sequutus est, & cuncta familia in nomine Do- E mini meruerunt pariter baptizari. quæ Florentia, relictis parentibus, vestigiis eius inhęrens, vsque Pictauos perducta est: patrem vero se habere, nō a quo generata est, sed per quem regenerata est, prædicabat. Cumque Seleuciam Hilarius peruenisset, magno fauore a cunctis exceptus est; eo quòd diuina misericordia prudentissimū virum, & singulari eruditione confertū, in spectaculum Mundi perduxerit, vbi erat de fide censendum.] hæc Fortunatus. f Fortun. in Vita S. Hilarij. FLORENTIVS CVM SVA FAMILIA AD FIDEM CONVERSVS.

Missi sunt ab Imperatore duo Comites, qui Synodo interessent; de quibus Socrates [g]: Aderat (inquit) vna cum illis Leonas, vir in aula Imperatoris perquàm illustris; quo præsente, erat Imperatoris edicto mandatum, vt de fide quæreretur: Lauricio etiam, militum, qui in Isauria versabantur, Duci, erat imperatum, vt Episcopis si quid opus esset, suppeditaret.] Missum fuisse hoc anno Lauricium Ducem, adiecta Comitis dignitate, in Isauriam a Constantio Imperatore ad compescēdos latrones Isauricos, Ammianus est auctor [h]. In eo igitur loco (subdit Socrates) ad quintum Kal. Octobris congregati, disputauere; resque disputatæ, per scribas in publicos cōmentarios relatæ fuere. nam aderant scribæ manu celeri & exercitata, qui ea quæ dicebant- g Socrat. lib. 2. c. 31. COMITES INSYNODVM. h Ammian. lib. 19. in fine.

dicebantur notarent. quæ quidem in libro Sabini, qui, Collectio rerũ in Concilio geſtarum, A
inſcribitur, vberius fuſiuſque explanata ſtudioſus quiſque poterit pro arbitratu euoluere:nos
autem rerum capita dumtaxat breuiter perſtringemus. Chronographia vero huius Synodi
a Athanaſ.lib.de Synod. ab Athanaſio [a] ſic deſcribitur: Menſis erat a Romanis September, ab Aegyptiis Thoth, a Macedoniis Gorpeus nominatus: eius autẽ mẽſis decimaſexta ſecundũ Aegyptios dies, in quam qui vocati fuerant, conuenere.] ſecundum Romanos, vigeſima ſeptima menſis Septembris.

Antequàm in conſeſſum irent Epiſcopi, explorata eſt fides Hilarij: nam iactabatur de eo, Sabellij vna cum alijs Occidentalibus fidem fouere & hæreſin. Peculiare quidem fuit hæreticorum, vt aſſertores Conſubſtantialitatis Filij Dei cum Patre nominarent Sabellianos: Seue-
b Seuer. lib. 2. vet. edit. rus [b] autem hæc de his ſcribit: Primum quæſitũ eſt ab eo, quæ eſſet Gallorum fides: quia tum, Arianis praua de nobis vulgantibus, ſuſpecti ab Orientalibus habebamur, trionymam ſolitarij Dei vnionem ſecundum Sabelliũ credidiſſe. Sed expoſita fide ſua, iuxta ea quæ Nicææ erãt B
a Patribus conſcripta, Occidentalibus perhibuit teſtimonium. Ita abſolutis omnium animis, intra cõſcientiam communionis, necnon etiã in ſocietatem receptus, Concilioq. aſcitus eſt.] Hæc de Hilario Seuerus: at non ſic intelligendum, Hilarium ab illis acceptum in cõmunionem, quòd ipſe cum Arianis communicauerit; ſed receptum eſſe ad dicendum ſententiam in Epiſcoporum conſeſſu: communicaſſe tamen cum ijs, qui erant Nicænæ fidei aſſertores. erant hi Epiſcopi Aegypti, quorum ipſe Hilarius ſcribens ad Conſtantium meminit. At de
c Socrat. vbi ſupra lib. 2. c. 31. rebus diebus ſingulis geſtis, in hunc modum Socrates [c]:

PRIMA SESSIO CONCIL. SELEVCIENSIS. Primo die, quo cõueniebant, Leonas iuſſit, vt quod cuique videretur, id libere quiſque proponeret. Verum qui aderant, dicebant, non prius debere quidquam in quæſtionẽ vocari, quàm illi, qui in Concilio deſiderabantur, aduentarent. Deſiderabãtur enim Macedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Baſilius Ancyræ, & alij nõnulli, qui ſuſpicãtes ſe in crimen adductũ iri, C
dedita opera abſfuerunt: Macedonius autem morbũ cauſam abſentiæ ſuæ attulit, Patrophilus lippitudinẽ: et ob hanc cauſam ſibi in ſuburbanis Seleuciæ neceſſario cõmorandum, dixerunt. Singuli alij alias cauſas abſentiæ afferũt. Cum vero Leonas diceret, etiã illis abſentibus quæſtiones oportere poni; reſponderunt Epiſcopi, nihil ante in diſputationem vocãdum, quàm in eorum vitam & mores, qui accuſabantur, eſſet diligenter inquiſitum. Fuerant enim iã ante in crimẽ vocati Cyrillus Hieroſolymorũ Epiſcopus, Euſtathius Sebaſtiæ vrbis Armeniæ, & quidam alij: ex qua re grauis cõtentio inter eos qui aderant, orta eſt; dum pars vitã eorũ, qui inſimulabantur, ante excutiendã eſſe dicebant: pars, nihil prius quærendũ, quàm de fide diſceptaretur. Contentionẽ illam anceps & ambigua Imperatoris ſentẽtia excitauit: nã litteræ ab eo ad Conciliũ afferebantur, quæ nunc hoc, nunc illud primum quærendũ præceperũt. De qua re contentio exorta, eos qui aderant varie diſtraxit: quæ res origo & cauſa fuit, vt illud Conciliũ D
Seleuciæ in duas partes diuideretur; quarum alteri Acacius Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus, Georgius Alexandriæ, Vranius Tyri, & Eudoxius Antiochiæ, cũ quibus triginta alij ſolũ conſpirabãt, præfuere: alteri Georgius Laodiceæ vrbis Syriæ Epiſcopus, Sophronius Põpeiopolis quæ eſt in Paphlagonia, & Eleuſius Cyzici, cum quibus alij etiam complures conſentiebant.]

d Athanaſ. de Synod. Horum autem mutuæ inter ſe conflatæ diſcordiæ ab Athanaſio ſic deſcribuntur [d]: Ibi cum
DISCORDIAE INTER IPSOS ARIANOS. multi accuſarentur, multi quoque accuſarent, & cõtra alios vociferarẽtur; Acacius, Patrophilus, Vranius e Tyro, & Eudoxius, qui in Antiochenã Eccleſiã inſiluit, Leontius, & Theodotus, Euagrius quoque, & Theodulus, & Georgius ex orbe terrarũ abactus, rem callidã inſtituunt. Formidãtes enim probationes ſuorum accuſatorũ, alios homines hæreticæ factionis ſibi veluti mercenarios ad impietatem addictos, & a Secũdo, per Synodum maximã exauctorato, ad ordines Eccleſiaſticos promotos, in ſocietatẽ adiũxere: inter quos fuere Libyci homines, Ste- E
* Seras phanus, Syras *, & Pollux, de diuerſis criminibus accuſati: iſtis addidere Pancratium, Ptolemæum, & Meletianũ quemdam, ſub ea ſpecie, quaſi videlicet de fide inquirere vellent; verum non ita fallere potuerũt, quin intellectũ ſit eos metuere accuſatores, & hæreſin defendere. Poſtea ſeceſſione facta, diſciſſi ſunt: alijque Acacio, ſed pauci & ſuſpecti, adhæſere; alij vero, qui illum reliquerant, magno numero fuere. Acacius autem cum ſuis, immani vecordia, audaciaque plane abnegarunt Nicæni Concilij ſcripta, ipſam Synodum diffamantes: Alij vero, hique permulti reliqua Synodi approbabant, tantũmodo de voce Conſubſtantialitatis, quaſi obſcu-
e Socrat. vbi ſupra lib. 2. c. 31. & 32. ra, cauillantes.] Subdit his Socrates [e]: Quare cum multum ipſi inter ſe vſque ad veſperam digladiati fuiſſent; tandem Siluanus Eccleſiæ Tarſenſis Antiſtes magnopere vociferabatur; nullam nouam fidei formulam deſcribendam eſſe; ſed eam, quæ Antiochiæ in dedicatione Eccleſiæ deſcripta erat, debere integram ſeruari. Quod cum dixiſſet; qui parti fauebant Acacij, ſe inde ſubducunt; qui autem in alteram partem propendebant, fidei formulam

Antiochiæ

A Antiochiæ editam proferunt; atque illa perlecta, Concilium illo die dimissum est.

Postridie vero in ecclesiam quæ est Seleuciæ (erat hæc S. Theclæ Martyrium) foribus occlusis, fidei formulam perlectam, subscriptionibus suis ratam fecere. Pro illis autem qui desiderabantur, eorum lectores & diaconi, ibi tum præsentes (nam qui aberant, per illos se fidei decisionem approbaturos, significarunt) illi formulæ subscripserunt. Ab Acacio autem & eius factione, ea quæ in illo Concilio confecta erant, propterea admodum reprehendebantur, quòd occlusis ecclesiæ ianuis illis subscripserant: Nam ea, inquit Acacius, quæ in occulto geruntur, vt neutiquam probari debent, ita sunt plena admodum suspicionis. Ista vero dicebat, quòd esset illi in animo, alteram fidei formulam, quam habebat ibi paratam, introducere. Eam igitur coram principibus Lauricio & Leona perlegit: ad quam solam stabiliendam omni cura & cogitatione incubuit. Secundo die Concilij hæc acta sunt, præterea nihil. SECVNDA SESSIO CONC. SELEVCIENSIS.

B Tertio autem die Leonas dedit operam, vt pars vtraque in vnum conueniret. Quo quidem die tum Macedonius Episcopus Constantinopolis, tum Basilius Ancyræ aderant. Et cum vtrique isti in vnam eamdéque partem, Acacio videlicet aduersariam, conuenissent, Acaciana factio ad Concilium accedere noluit: Oportere, inquiens, eos ante e conuentu eijci, qui & iamdudum abdicati fuerant, & in præsentia erant insimulati. Vbi vero post multam contentionem hæc pars fuit superior, decedunt a Concilio hi qui erant accusati: in quorum loco Acacius cum suis succedit. Tum Leonas ait; libellum quidē sibi ab Acacio datum: sed quòd fidei formula esset, quæ eorum sententiam, qui partes contrarias tuebantur, partim clam, partim palam & aperte oppugnabat, eos prorsus celauit. Postquàm illi qui aderant conuenere, pro certo persuasi, libellum nihil minus quàm fidei formulam in se complecti; tandem fidei formula ab Acacio composita, cum proœmio perlecta est, quæ se habet ad hunc modum. TERTIA SESSIO CONC. SELEVCIENSIS.

C A nobis quidem, qui heri (hoc est ad quintum Kalendas Octobris) ex Imperatoris edicto Seleuciæ vrbis Isauriæ conuenimus, summo studio laboratum est, vt pax in Ecclesia rite conseruaretur; deque fide, sicut Propheticæ Euangelicæque voces nos docent (ita enim a sanctissimo Imperatore Constantio imperatum est) tranquillis sedatisque animis disceptaretur; atque adeo nihil contra sacras scripturas in fidem induceretur Ecclesiasticam. Verum cum essent in Concilio nonnulli, qui hos contumeliis vexare, illis ora obturare, loquique prohibere, alios inuitos excludere, quosdam ex variis prouinciis, qui erant abdicati, sibi adiungere, eosque contra veterem Ecclesiae canonem secum habere cœperint; ipsum Concilium (sicut Lauricius, illustrissimus prouinciæ Præfectus, suis ipsius oculis coram aspexit) grauissimo tumultu sane redundauit. Sed quorsum ista? Vt intelligatis, nos fidem in dedicatione Ecclesiæ Antiochenæ celebrata expositam confirmatamque minime reijcere, sed eam hic in ACACII FIDEI FORMVLA.

D medium adducere. quandoquidem constat, patres nostros id temporis in hac proposita de fide controuersia inter ipsos consensisse. Verum quoniam hæ voces, Consubstantiale, & Aequiconsubstantiale, cum superioribus temporibus, tum adhuc nonnullorum animos magnopere conturbant; atque adeo fides a quibusdam, qui Filium Patri dissimilem asserunt, innouari dicitur; idcirco tum Consubstantiale, tum Aequiconsubstantiale, tāmquā verba a scripturis abhorrentia reijcimus; tum verbum, Dissimile, anathema iudicamus: omnesque, qui illius verbi patrocinium suscipiunt, ab Ecclesia ducimus penitus alienos. Similitudinem autē cum Patre fatemur, manifesto Apostolum sequuti, de Filio sic loquentem: *Qui est imago Dei inuisibilis.*

Confitemur igitur, & credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, effectorē cælorum & terræ, visibilium & inuisibilium. Credimus quoque in Dominum Iesum Christum Filium eius ab eo sine affectione ante omnia sæcula genitum, Dei verbum, de Deo, vnigenitum, lu-

E men, vitam, veritatem, sapientiam; per quem omnia facta sunt, quæ in cælis, quæ in terra, siue visibilia sint, siue inuisibilia. Hunc credimus in fine sęculorum carnem ex sancta Virgine Maria sumpsisse, &c.] atque in fine hæc habēt: Eos autem, qui præter hanc fidem, aliam vllam prædicauerint, alienos ab Ecclesia Catholica esse decernimus. Ista quidem fidei formula fuit ab Acacio edita, cui tum Acacius, tum eius factionis fautores, qui totidē erant numero, quot paulo ante cōmemoraui, subscripsere. Contra quam, cum erat perlecta, Sophronius Pompeiopolis, quæ est in Paphlagonia, Episcopus, in hunc modum (vt eius verbis vtar) vociferatus est: Si noua in dies singulos nostræ ipsorum voluntatis & sententiæ prolatio, sit formula fidei; fieri non potest, quin accuratam veritatis perceptionem simus breui prorsus amissuri. Sic Sophronium loquutū accepimus. Ac meo quidem iudicio, si qui eum ætate anteirent, quiq. eodem tēpore cum illo viuerent, eadē semper de fide Concilij Nicæni in animos induxissent, omnis seditiosa & turbulenta contentatio prorsus extincta fuisset, hicq. temerarius & inconsultus in ecclesiis tumultus minime dominatus esset. Verum quemadmodum istæ res se habeant,

viderint illi, qui plus diligentia pollent & solertia. Vbi multa de hac re, deque illis qui essent A
in crimen vocati, ipsi inter se vltro citroque agitassent, tandem Concilium dimissum est.

QVARTA SESSIO. Quarto die in vnum conueniunt omnes: iterum verbis digladiantur. Inter quos Acacius talem profert sententiam: Si fides Nicæna erat olim semel mutata, & postea sæpius; quid obstat, quo minus iam etiam noua fidei formula describatur? Ad hæc respondet Eleusius: Concilium in præsentia conuocatum, non vt discat quæ didicerit, neque vt fidem accipiat, quam non habuerit; sed vt fide Patrum incedens, ab ea ad extremum vitæ diem non aliquando deflectat. Eiusmodi verbis Acacij sententiæ occurrit Eleusius, fidem Patrum, fidem Antiochiæ expositam appellans. At huic etiam poterit occurri: Quomodo, Eleusi, eos qui Antiochiæ conuenerunt, Patres nominas; illorum autem maiores, Patres esse inficiaris? Nam qui fuere Nicæ coacti, fideique Consubstantialis cõsenserunt, magis proprie Patres vocari conuenit; tum quòd tempore antecesserint; tum quòd qui conuenerunt Antiochiæ, ab illis fuerint ad sacerdotij dignitatem delecti. B Quòd si qui erant Antiochiæ congregati, suos ipsorum patres e medio sustulerunt; isti illorum posteri parricidas imprudentes sequuntur. Et qua ratione, amabo te, eorum delectum & ordinationem tamquam probam & spectatam amplectuntur, fidem autem tamquam parum sinceram & exploratam, irritam faciunt? Nam si illi Spiritum sanctum non habebant, qui per ordinationem in quemque descendit: isti sacerdotij functionem non acceperunt. Qui enim accipere potuerunt, cum daretur ab his, qui eum non habuerunt? Ista certe contra Eleusij sententiam non inscite dici possunt.

NOVA QVAESTIO PROPOSITA. Rursus alia inter ipsos quæstio orta est. Cum enim factio Acaciana, in fidei formula perlecta, Filium Dei Patri similem assereret; quæsitum est, qua in re Filius similis esset Patri. Respondet Acacius, Filium non substantia, sed sola voluntate Patri similem esse. At pars aduersaria, eum substantia Patri similem, constanter affirmauit. De hac controuersia toto illo C die certatum est. Acaciusque probe refutatus; cum quæreretur ab illo, qua ratione in libris, quos ediderat, Filium omnibus in rebus Patri similem affirmasset; iam tamen similitudinem, quæ est Filij cum Patre, per substantiam omnino denegaret? Tum ille: Nemo, inquit, vel qui olim, vel qui recentiore memoria fuit, ex libris, quos scripserit, dijudicari solet. Cum multa essent de hac controuersia in vtramque partem accurate disputata, nec tamen posset de illa inter eos conuenire; Leonas consurgens, Concilium dimisit. Hunc igitur exitum habuit Concilium Seleuciæ congregatum.

LEONAS COMES IRATVS IMPEDIT CONVENTVM EPISC. Postridie eius diei, cum de eo continuando rogaretur, noluit denuo cum illis in vnum locum conuenire; sed dixit, se ab Imperatore missum, vt Concilio concordi interesset: verum cum nonnulli inter se dissentiant, non possum, inquit, adesse. Abite ergo, & in Ecclesia nugas agite. Qua re confecta, Acaciana factio, occasionem, quam optabat, sibi datam exi- D stimans, ad Concilium denuo accedere recusauit. Qui autem alterius partis erant, in Ecclesiam conuenientes, accersunt Acacium cum suis, quo de Cyrillo Hierosolymorum Episcopo decideretur. Hoc loco intelligamus oportet, Cyrillum iam antea accusatum fuisse (qua de re certe non habeo dicere) & ab Episcopatu summotum, quòd sæpenumero, vt de eo decerneretur, accersitus, iam per duos annos continuos, vti eo pacto criminatione elaberetur, non omnino comparuerit. Qui simulatque de gradu esset deiectus, appellationis libello ad eos, qui eum deiecerant, misso, ad maiores Iudices prouocauit. Cui quidem appellationi Constantius Imperator suffragatus est: atque a Cyrillo solo, ac primo, perinde ac si res apud laicos Iudices ageretur, contra Ecclesiastici canonis consuetudinem, prouocatum est.]

CYRILLI APPELLATIO LEGITIMA NE FVERIT. Quidnam vero his verbis sibi velit Socrates, haud sane percipio. nã quòd dicit, prouocare E ad maiores Iudices, fuisse contra regulas, ignorasse certe visus est canones Sardicensis Concilij, & alia antiquiora iura, atque Ecclesiæ consuetudinem. Et quid ait, id primo actitatum a Cyrillo, cum constet de Athanasio ab Arianis damnato in Conciliabulo Tyrio, & alijs, ad Romani Pont. iudiciũ confugisse? Si vero intelligit fortasse, Cyrillũ ad Constantiũ prouocasse (quod non liquet) certe nec id ipse primus tentauit, cum hoc sæculo plura sint exempla de Donatistis prouocantibus a iudicio Episcoporum ad Constantinum. Quòd vero nulla sit mentio, Cyrillum appellasse Romanum Pontificem; causa in promptu est: cum enim idem auctor dicat, damnationem Cyrilli accidisse ante biennium; satis liquet, eo tempore germanum Ecclesiæ Episcopum Liberium causa fidei exulasse. Sed ad Seleuciana Acta redeamus, hæc prosequentia de Cyrillo.

a Socrat. lib. 2. cap. 32. Tandem [a] Seleuciã, vti de eo iudicium fieret, aduentauit: et ob eã causam Episcopi Acacium cum suis, vt paulo ante dixi, accersiuere: quo non solum de Cyrillo, verum etiam de illis

A illis reis, qui ad partes Acacij confugissent, decideretur. At vbi sæpius accersiti non venerunt; illum ipsum Acacium, Georgium etiam Episcopum Alexandriæ, Vranium Tyri, Theodorum Chæretaporum vrbis Phrygiæ, Theodosiũ Philadelphiæ, quæ est in Lydia, Euagrium Mitylenes insulæ, Leontiũ Tripolis Lydiæ, & Eudoxiũ, qui primo Germanicię Episcopus fuit, postea Episcopatũ Antiochiæ, quæ est in Syria, callide adeptus est, abdicarunt: quin etiam Patrophilũ, quòd a Dorotheo presbytero accusatus, & ab illis accersitus non morẽ gessisset: atque istos solos abdicarunt. Asterium autem, Eusebium, Abgarum, Basilicum, Philum, Philedium, Eutychium, Magnum, & Eustathium excommunicarunt; decreueruntque, vt vsque eo in illo manerent statu, quoad ipsi pro se respondentes, sua crimina diluerent. Quibus rebus confectis, litterisq. ad abdicatorum Ecclesias, quæ illas de ipsis certiores facerent, datis, Anianum loco Eudoxij Episcopum Antiochiæ constituunt: quem factio Acaciana comprehendens, Leonæ B & Lauricio tradit: illi eum in exilium eijciunt. Quo facto, Episcopi, qui Anianum ordinauerant, contestatione apud Leonam & Lauricium contra Acacianam factionem vsi sunt; qua significabant, iudicium Concilij violatum esse. Ceterum vbi nihil perfecere, Constatinopolim, quo de rebus in Cõcilio iudicatis Imperatorẽ docerent, recta contendũt.] Hactenus Socrates de Actis Seleuciæ, ex Sabino tamen Macedoniano, quem parum fidelem in recensendis rebus a professoribus Nicænæ fidei gestis, idẽ auctor superius testatus est: vt non mirũ videatur, si de Hilario, qui interfuit eidẽ Synodo Seleuciensi, nullam visus sit habuisse mentionem. Cuius quænam partes fuerint, audiamus ab ipsomet Hilario, de his agente aduersus Constantium Imperatorem, apud quem nonnulla leguntur, quæ apud Socratem desiderantur: ait itaque [a]: *SEMIARIANI EXCOMMVNICANT ARIANOS.* *a Hilarius contra Constant.*

ACTA SYNODI SELEVCIAE EX S. HILARIO.

Quæ enim dicturus sum, non aliunde cognoui, sed ipse audiui, & præsens affui, cum gere- C bantur (in Christo itaque non mentior, quia discipulus veritatis assisto) Orientalium in Seleucia Synodo, vbi reperi tantum blasphemorum, quantum Constantio placebat: nam post secessionem meam deprehendi, vt Christum cẽtum quinque Episcopi ὁμοιούσιον, idest similis essentiæ profiterentur; & soli Aegyptij, præter Alexandrinum hæreticum (Georgium videlicet) ὁμοούσιον constantissime obtinerẽt. Cogente itaque Leona Comite, in vnum omnes congregati sunt ex his, qui ὁμοιούσιον prędicabant. Aliqui eorum nonnulla pie verbis præferebant, quòd & ex Deo esset, idest de substantia Dei Filius, & semper fuisset. Qui vero ὁμοιούσιον defendebant, nihil nisi profanissimum asserebant, negantes quidquam substantiæ Dei simile esse posse, neque de Deo posse existere generationẽ, sed esse Christum creaturam. Itaque quòd creatus esset, id ei natiuitas deputaretur: ex nihilo autem esse, & idcirco non esse Filium, nec Deo similem. Loqnor autem vobis, quod ipse recitari in conuentu publice audiui: quod D prædicatum ab Episcopo Antiochię, exceptum habebatur. Hæc ergo ita dicta esse ab eo, commemorantur: Erat Deus quod est. Pater non erat, quia neque ei Filius: Nam si Filius, necesse est vt femina sit, & colloquium sermonis, & compunctio coniugalis verbi, & blandimentum, & postremo ad generandum naturalis machinula. O miseras aures meas, quæ tam funestæ vocis sonum audierũt, hæc de Deo ab homine dici, & de Christo in Ecclesia prædicari! Post multas autem istiusmodi impietates, cum Patrem & Filium ex nominibus potius quàm ex natura comparasset, ait: Quantum enim Filius se extendit cognoscere Patrem, tantum Pater superextendit se, ne cognitus Filio sit. Quibus recitatis, tumultus exortus est.

Cum autem intellexissent & hi qui dissimilem Deum dicunt, humanas aures tantæ impietatis verba suscepturas non esse; rursum hi ipsi Palatio potius quàm Ecclesiæ Episcopi, fidem scribunt ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον dissimilitudinem damnant. Quod cùm contrarium ipsi sensui au- E dientium esset; ipse ego quemdam eorum, qui forte ad me pertentandum accesserat, quasi ignorans rerum gestarum, percunctatus sum, quid sibi vellet istud, vt qui vnam substantiam Filij esse cum Patre dãnassent, vel esse similis substantiæ denegassent, dissimilitudinem damnarent. Tunc mihi ait, Christum Deo similem non esse, sed similem Patri esse. Rursus hoc obscurius mihi adhuc videbatur. de quo cum iterum interrogarem, tunc hæc ita loquutus est: Dico enim dissimilem Deo esse, similem Patri posse intelligi; quia Pater voluisset creaturam istiusmodi creare, quæ similia sui vellet: et idcirco similem Patri esse, quia voluntatis esset potius Filius, quàm diuinitatis: dissimilem autem Deo esse, quia neque Deus esset, neque ex Deo, idest de substantia Patris natus esset. Hæc audiens, hebui, neque credidi, donec publice ex cõsensu omnium eorum profanissimæ huius similitudinis ratio prædicaretur. Qui autem ὁμοιούσιον prædicabant, omnes, qui maxime sine aliquo impietatis pudore impudentissima hæc loquebantur, condemnauerunt. Condemnati ad Regem suum conuolauerunt, &c.] hucusque de Actis Seleuciæ Hilarius. *MIRAE ET HORRENDAE BLASPHEMIAE ARIANORVM.*

Hoc

SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA. a Ammian. lib. 19. b Athanas. lib. de Synod.

Hoc eodem anno, dum adhuc penderet Ariminense Concilium, dum inquam Episcopi Arimini congregati illic detinerentur licet inuiti, agitur ab Acacianis præsente Constantio (quem hoc anno Constantinopolim rediisse, Ammianus [a] quoque testatur) Synodus Constantinopolitana. Antequàm enim solueretur conuentus ille Ariminensis, hanc actam esse Synodum, S. Athanasius non obscure significat, dum ait [b] nouam fidei professionem scriptam esse Constantinopoli, atque eam missam ad eos qui Arimini conuenerant. Sed & ratio temporis hoc ipsum persuadet. Nam qui coiuerant Seleuciæ (vt dictum est) quinto Kalendas Septembris, atque ibi quatuor diebus, quatuor celebratis sessionibus, manserunt, & dissidentes inter se, concito gradu conuolarunt ad Imperatorē Constantinopolim: iam circa huius anni vltimos menses hanc Constantinopoli Synodū celebrasse perspicue demonstrātur: cum & etiam constet de professione Ariminensi ab Episcopis extorta, eam perlatam esse Constantinopolim vltima ferme (vt diximus) præsentis anni die. B

ITUR EX SYNODO SELEUCIAE AD CONSTANTIVM. c Socrates lib. 2. cap. 33. d Hilar. contra Constantium.

His igitur hunc in modum de tempore huius Synodi elucidatis, de ipsa modo agendū est. Dimissi iam erant qui conuenerant Seleuciæ, & decem tantum ex parte Basilij Ancyrani ad Imperatorē se Legati contulerant: quos Acacius cum suis præuerterunt, atque præoccupauerūt aures Imperatoris; cum alioqui tū ex rebus gestis Seleuciæ, tum ex his quæ Constātinopoli facta sunt, ipse Imperator semper sit visus propensior in Acacium. Ex sententia itaque Acacij a Constantio indicitur Synodus Constantinopoli, eademq. festina: nam conuocati sunt tantūmodo ex proxima prouincia (vt tradit Socrates [c]) Episcopi Bithyniç, inter quos aduenit Mares Chalcedonensis, omnes numero quinquaginta. De festino horum aduentu Seleucia Constantinopolim, fidem facit in primis S. Hilarius [d], cum ait: Condemnati ad Regem suum aduolauerunt, exceptiq. honorifice, impietates suas quanta potuerunt ambitione confirmauerunt similem Deo esse, vel ex Deo natum, vel naturalem esse filium denegantes.] & inferius quonam prętextu Constantius haud inuitus passus sit ablegari nomen substantiæ, & cōsubstantialis, idem docet his verbis, cum eum redarguit: C

STVLTE NOVAM VOCEM VITANT ARIANI.

Vtitur etiam nunc, vt in ceteris ante, artis suæ consuetudine, vt per recti speciem praua confirmet, & per rationis nomen insana constituat: Nolo (inquit) verba, quæ non scripta sunt, dici. Hoc tandem, rogo, quis Episcopus iubeat? et quis Apostolicæ prædicationis vetet formam? Dic prius, si recte dici putas: Nolo aduersus noua venena nouas medicamentorum comparationes: Nolo aduersus nouos hostes noua bella: Nolo aduersus nouas insidias consilia recentia.] & paulo post: Nouitates vocum, sed profanas, deuitari iubet Apostolus: Tu cur pias excludis? &c.]

NOVA FIDEI FORMVLA AB ARIANIS SCRIPTA. e Athanas. lib. de Synod.

Ex sententia igitur Acacianorum scripta est tunc Constantinopoli in Synodo noua fidei formula, quam nonam numerat Socrates earum, quæ post Nicænum Concilium ab Arianis sunt diuersis temporibus in hanc diem conscriptæ. Sed & ad hanc illud impietatis additum, vt sicut abolitum est ab eis nomen substantiæ, ita etiam damnatum sit silentio nomen subsistentiæ. Vnde S. Athanasius [e]: Constantinopolim profecti, veluti eius sententiæ pœnitudine affecti essent (eorum scilicet, quæ Seleuciæ scripsissent) suo more immutauerunt, additis nonnullis dictis; vt nefas esset, hypostasin dicere de Patre, Filio, & Spiritusancto: eaq. transmiserunt ad eos qui Arimini conuenerant: coegeruntq. homines istarum prouinciarum subscribere; exactis per Constantium in exilium, quicumque auderent contradicere. sunt autem ista: D

SVBSISTENTIAE NOMEN SVBLATVM AB ARIANIS.

Credimus in vnū Deum, &c;] & post multa, hæc in eadē insunt professione: Nomen autē substantiæ simplicius a Patribus editum, quia ignotum populis scandalum affert, & in sacris litteris non continetur, placuit de medio tolli, & omnino nullam eius mentionem debere fieri: quoniam sacræ litteræ nusquam substantiæ Patris & Filij meminere. immo nec hypostasis quidem, siue subsistentia de Patre, Filio, & Spiritusancto, nominari debet. Similem autem dicimus Patri Filium, vt loquuntur & docent sacræ scripturæ. Omnes porro hæreses, siue olim damnatæ, siue recens ortæ, contrariæ huic promulgatę scripturæ, anathema sunt.] hæc illi. E

f Epiphan. hæres. 73. g Theodor. lib. 2. cap. 27. QVID ACACIVS CVM BASILIO ET SILVANO.

Recitat hanc eamdem eorum impietatis regulam Epiphanius [f], & recenset cunctorū nomina, qui subscripserunt; omnes numero quadragintatres. Altercationes autem Acacianorum cum Basilide atque Siluano, ventilatæ coram ipso Constantio Imperatore, Theodoretus [g] fusius narrat, cum ait: Ex istorum numero, qui vocati sunt ab Imperatore, fuerunt Eustathius Armenus, Basilius Ancyræ Galatiæ, Siluanus Tarsi, & Eleusius Cyzici Episcopus. Isti accedentes ad Imperatorem, obsecrabant, vti Eudoxij blasphemia & nequitia coerceretur. At Imperator doctus ex aduersariç factionis sectatoribus, dicebat, de illis rebus primum disceptādum, quę fidem attingunt; deinde eius causam accurate cognoscendam esse. Cum autem Basilius superiore sua consuetudine confidens, Constantium Imperatorem, vtpote doctrinæ

A Apostolicæ insidias tendentem, libere coargueret; Constantius iniquo tulit animo; & Basiliū, tamquam procellæ in Ecclesijs obortæ auctorem, tacere mandauit.

Vbi vero Basilius dicendi finē fecerat; Eustathius, O Imperator, inquit, quoniam placet de rebus fidei disceptari; considera, quæso, blasphemias ab Eudoxio in Vnigenitum Dei Filium impudenter iactatas. Ac statim vt ista dixerat, formulā fidei ab Eudoxio scriptam tradidit Imperatori; in qua præter alia multa verba impia, hæc præterea fuere posita: Quæ dissimili ratione proferuntur, ea sunt essentia dissimilia. At vnus Deus Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, dissimilem habent prolationem, nimirum, Ex quo, & Per quem; proinde Filius Patri dissimilis est. Quam fidei formulā cum recitari iussisset Constantius, & impietate in ea comprehensa, grauiter commotus esset; percontatur ab Eudoxio, vtrū illam ipse scripsisset? qui extemplo negauit se eam scripsisse: Nam Aetius, inquit, scripsit. hic

STVLTA ARGVMENTATIO EVDOXII.

B est idem ipse Aetius, quem Leontius olim, veritus accusationem Flauiani & Diodori, abdicauit diaconatu; quemq. Georgius, qui Alexandrinis tendebat insidias, & socium impie dictorum, & scelerate factorum adiutorem habuit: qui tamen id temporis apud Eudoxium vnà cū Eunomio ætatem degit.

Nam mortuo Leontio, & Eudoxio ecclesię Antiochenæ præsulatum per ambitum nacto, redijt Aetius ab Aegypto, secumq. Eunomium deduxit. Ac cum doctrina secum consentientem reperiret Eudoxium, & præter impietatem Sibariticam etiam molliciem ac delicias consectantem, nullum locum Antiochia sibi commodiorem ad habitandum existimauit. Itaque simul cum Eunomio, Eudoxij toris velut clauo affixus inhærescens, vitæ modum, qui est assentatorū proprius, studiose excolere, & modo hujus, modo illius cōsuetudine vti, ventri denique & abdomini sedulo inseruire cœpit. Tum Imperator, hac re cognita, iubet Aetium introduci.

AETIVS CVM EVDOXIO VITAM EGIT.

C Cui ingresso, illam fidei formulam ostendit: sciscitatur, num ipse esset eiusmodi verborum parens. Aetius, terū, quæ gerebantur, prorsus inscius; &, quorsum eius rogatum spectaret, ignarus; ratus tamen se ex confessione illa non parum laudis adepturum, se illorum verborum parentem esse dixit. Imperator igitur, immani eius impietate perspecta, confestim mittit in exilium, & ad locum quemdam Phrygiæ duci iubet. Atque iste quidem ignominiam fructum suę blasphemiæ accipiens, Regia exturbatus est.

COGNOSCENS AETIVS SVAM PERFIDIAM DAMNATVR.

Eustathius autem, Eudoxium quoque eadem sentire, affirmat: Nam Aetium eiusdem cum eo domus & mensæ fuisse participem, & quo eius inseruiret voluntati, blasphemiæ scribendæ se sociū præbuisse; satisq. argumenti esse, eum illius formulæ præscriptæ cōscium esse, quòd Aetium dixerat eius auctorem fuisse. Tum Imperator: At in iudicando, inquit, nun est nitendum coniecturis, sed res gestæ sunt accurate peruestigandæ. Cui Eustathius: Proinde,

EVSTATHIVS PERSTRINGIT EVDOXIVM.

D inquit, fac Eudoxius nobis persuadeat, se non opinione cum Aetio consentire, sed formulæ ab eo conscriptæ anathema indicere. Quam postulationem Imperator lubens amplexatus ita fieri mandat. At Eudoxius tergiuersari cœpit, multas etiam quærere vias, quibus postulatum illud effugeret. Vbi vero Imperatorem illud grauiter ferentem, & minantem se eum, vtpote impiæ opinionis cum Aetio participē, in exilium itidem eiecturū, videt: suam doctrinam, quam necdum id temporis, verum etiā postea defendebat, omnino inficiatus est. Atqui cōtra vrgebat, Eustathium cum suis debere verbo, ὁμοουσίῳ, quia in scriptura minime extaret, anathema denunciare. Immo vero, inquit Siluanus, voces, Ex nihilo, &, Creatura, & ἑτερούσιον, id est, alterius substantiæ, quę neque in sacris litteris repertæ sunt, neque oraculis Prophetarum, neque Apostolorum doctrinæ consentientes, reijciendæ sunt, & ex omnibus diuinis cōuentibus excludendæ. Cui assensit Imperator, & illos his vocibus anathema indicere iussit.

E Illi etsi primo contradicere instituerunt; postea tamen, perspecta Imperatoris ira, eas ipsas voces, quas Siluanus ipsis proposuerat, licet ægre, penitus eiurarunt.

Ac deinceps acrius instare cœperunt, vt verbum quoque ὁμοούσιον anathemate damnaretur. Ceterum Siluanus ratiocinatione rite vereq. conclusa, cū illis, tum Imperatori respondit: Si Deus Filius neque ex nihilo, neque creatura, neque ex vlla alia essentia existat, idcirco Deo Patri consubstantialis est, & Deus de Deo, lumen de lumine, & eamdem habet cum Genitore naturam. At vero quamquam ista & firma ratione & vera concludebat; tamen nemo eorum, qui aderant, ei obtemperauit: immo vero factio Acaciana, Eudoxianaq. contra Siluanum crebros clamores tollere, Imperator etiam adeo ira exardescere cœpit, vt eum cum suis fautoribus in exilium pellere minaretur. Tum Eleusius & Siluanus cum alijs nonnullis dicunt, in eius situm potestate supplicium de ipsis sumere; sed pietatem sectari, vel impietatē, penes seipsos esse, & propterea numquam patrum doctrinam proditutos.

SILVANVS VRGET ARIANOS DE VOCE CONSVBSTANTIALIS.

Ibi Constantius, qui eorum sapientiam, fortitudinem, & in tuenda doctrina Apostolica loquendi

quendi libertatē admirari debuerat, eos eiecit ecclesijs, & alios in eorum loca substitui man- A
dauir. Eo tempore Eudoxius sedem Ecclesiæ Constantinopolitanæ per tyrannidem occupa-
uit: Eleusio etlam Episcopatu Cyzici exturbato, eius locum obtinuit Eunomius. His rebus
in hunc modum gestis, Imperator iubet per litteras Aetium abdicari. Vnde ipsi Aetij impie-
tatis confessores inducti, suæ ipsorum doctrinæ sectatorem abdicarunt: scripseruntq. etiam ad
Georgium Ecclesiæ Alexandrinæ Antistitem epistolam, qua quid Aetio factum esset, signifi-
cauerunt.] hæc Theodoretus.

ELEVSIVS ET SILVANVS DAMNATI EXILIO.

Sed antequàm ipsas litteras de Aetij damnatione hic describamus, monendum putamus, quod ad hæc, quæ ex Theodoreto de Actis Synodi Constantinopolitanæ recitata sunt, spectat, non nihil dubij animum pulsare, deprauatum esse textum ipsum, vt loco ὁμοιούσιον, οὐσιον tantum legendum sit: quandoquidem præteritarũ Synodorum Actis illud exploratissimũ habeatur, Siluanũ & eius collegas iam penitus ex tẽpore Synodi Antiochenæ in Encænijs abiecisse vocem Consubstantialis, & amplexatos esse in Filio diuinam substantiam: quarum vocum diuersitas iam superius ex Athanasio discriminata est: nisi dixerimus pro miraculo accidisse, vt impellente numine, facti sint defensores vocis Consubstantialis, ipsi etiam, qui eam impugnabant, vt hoc ipso tempore, quo inualescebat Acaciana impietas, non deessent qui eã veritatem defenderent, petita etiam ab inimicis confessione. Sed Synodalem ab eodem Satanæ conuenticulo datam epistolam de Aetij damnatione hic describamus, hanc scilicet oblatam occasionem illis captantibus, vt damnando hæreticum, Catholici viderentur: quod Sirmij quoque fecerunt condemnando Photinũ. Recitatur autem a Theodoreto [a] his verbis: B

ELVCIDATIO DE ASSERTIONE SILVANI.

[a] *Theodor. lib. 2. cap. 28.*

SYNODICA EPIST. CONCILII CONSTANTINOP.

Sanctum Concilium Constantinopoli conuocatum domino honoratissimo Episcopo Alexandriæ Georgio S.

Quòd Aetius ob nefaria sua scripta, eaq. σκανδάλων, id est offendiculis referta, a Concilio condemnatus sit, in ipso certe Episcopi aliud nihil, quàm quod canones Ecclesiæ postulabant, effecerunt. Nam primum abdicatus est diaconatu, deinde Ecclesia exclusus: postremo adhortationes adhibirę, ne quisquam sceleratas eius legeret epistolas, sed ab omnibus propterea abijcerentur, quòd inanitatis nonnihil & damni complexæ sunt. His accedit, quòd illi, & ijs qui in eadem opinione ac sententia cum eo perseuerant, anathema denunciamus. Atque consentaneum sane erat, vt omnes Episcopi, qui in hoc Concilio conuenerant, communi consensu, eum vt auctorem offendiculorum, turbarum, schismatum, tumultuosi sermonis per orbem terrarum grassantis, & mutuæ denique in ecclesijs seditionis, execrarentur, vnoq. ore de sententia contra eum pronunciata concordarent. C

DE AETII DAMNATIONE CAVSA, ET SOCIORVM.

Attamen contra vota nostra, contraq. omnem expectationem, Seras, Stephanus, Heliodorus, Theophilus, ac eorum socij, neque nostris sunt suffragati sententijs, neque suffragijs de eo latis subscribere voluerunt. Idq. eum Seras ipse aliud etiam arrogans facinus, & plenum insaniæ prædicto Aetio criminis loco obiectaret; eum nimirum temeraria audacia elatum, affirmasse, Deum sibi reuelasse ea, quæ vsque ab Apostolorum temporibus hactenus occultauerat. Post quæ insana & insolentia verba a Sera de Aetio pro testimonio citata, illi quos supra posuimus, nec precibus quidem adduci, persuaderiq. poterant, vt in iudicio de illo ferendo, nobis suffragarentur. Nos autem patientibus animis, eorum causa, ad prolixum temporis spatium ferre sententiam distulimus, nunc indignando, nunc adhortando, increpando interdum, aliquando obnixe orando, vt nobiscum conuenirent, consentientemq. toti Concilio sententiam pronunciarent. Itaque expectauimus diu, si forte nos audire, si intelligere, si denique cedere vellent. D

DATVM TEMPVS RESIPISCENDI.

Verum vbi longo tempore expectando, nullo modo eos ad nostris de Aetio sententijs obsequendum inducere poteramus; canonem Ecclesiæ eorum amicitiæ anteponendum arbitrati, eos a communione Ecclesiæ excludendos decreuimus: dato illis ad sententiam mutandam, ad resipiscendum, & ad alacri animo cum Concilio concordandum, consentiendumque, sex integrorum mensium spatio. Quòd si intra præstitutum diem, mutato consilio, amplecterentur eum Patribus concordiam, & decretis ab illis de Aetio sententijs assentirentur; tum non solum vt reciperentur in Ecclesiam, verum etiam vt suam in Concilijs loquendi libertatem, & mutuam nobiscum charitatem recuperarent, statuimus. Sin autem in proposito susceptoq. consilio per hominum facilitatem pertinaciter manerent, & canones Ecclesiasticos cõtemnerent, Episcopatus dignitate dimouendos esse. Quòd si depositionẽ expectauerint, alios in eorum loca Episcopos substituendos; vti sacrosancta Ecclesia, ad ordinem sibi conuenientem redacta, secum ipsa consentiat, vinculo charitatis ab omnibus omnium gentium Episcopis eadem dicendo, eademq. mente & sententia in vnum cohærescendo, firme conseruato. E

Quare

A Quare ista ad tuam reuerentiam scripsimus, vt intelligas decreta Concilij, quæ te obseruantem optamus, per gratiam Christi tuas Ecclesias tranquille legitimeq. moderari.] hactenus ad Georgium Synodus. Fuisse autem hos Episcopos in Libya, Athanasius [a] testatur. a Athanas. de Synod.

De damnatione porro Aetij hæc Sozomenus [b]: A nonnullis autem commemoratur, quòd non ex animo, sed quo opinione de se ab Imperatore concepta (accusabantur enim Arij doctrinæ fauere) se penitus liberarent, istum abdicabant.] Damnato Aetio subsequuta est quoque damnatio illorum Episcoporum, qui tum Seleuciæ, tum ibi Constantinopoli Acacianis aduersati erant: vnde subdit Sozomenus: Quin etiam occasione arrepta ex ira Imperatoris, qua contra Macedonium ob eas causas, quas ante citauimus, exardescebat, eum, Eleusium Episcopum Cyzici, Basilium Episcopum Ancyræ, Portasium Sardensem, & Dracontium Pergami Episcopum, de gradu dimouent: et quamuis de doctrina fidei ab istis dissentirent, B tamen in illis abdicandis non fidem insimulabant, sed communiter quidem omnes criminabantur, quòd Ecclesias conturbarant, & decreta Ecclesiastica violauerant: priuatim autem singulis singula obiectabant crimina.] hæc Sozomenus. Primum autem omnium constat depositum esse Macedonium Episcopum Constantinopolitanum; de quo sic Socrates [c]: Qui stabant ab Acacio, iram Imperatoris, quam cum contra alios, tum contra Macedonium in primis animo conceptam explere nitebatur, tamquam ansam opportune arripientes, primum Macedonium Episcopatus dignitate deijciunt; tum quòd multiplicis cædis auctor fuisset, tum quòd diaconum in stupro deprehensum recepisset in communionem.] Insimulatum eum quoque apud Constantium fuisse, quòd corpus Constantini a templo Apostolorum in Acacij ecclesiam transtulisset; & aliorum criminum; quam ob causam Constantius eum immenso odio prosequebatur; iam diximus ex Sozomeno [d]. Eo igitur abdicato, in locum eius Eudo- C xius Antiochenus, fæx omnium hæreticorum, in sedem Constantinopolitanā subrogatus est.

b Sozom. lib. 4. cap. 23.

DAMNATI SEMIARIANI AB ARIANIS.

c Socrat. lib. 2. cap. 34.

MACEDONIVS AB ARIANIS DAMNATVR.

d Sozom. lib. 4. cap. 20.

De aliorum vero nonnullorum Episcoporum depositione tunc in eadem Synodo facta, & criminibus in eos obiectis, hæc habet Sozomenus [e]: Basilio Episcopo Ancyrano obiectabant, quòd Diogeni presbytero, Alexandria Ancyram aduentanti, chartas abstulisset, eumq. verberasset; quin etiam quòd mandasset magistratibus, vt clericos Antiochiæ, vt Cilices, etiam Galatas, & Asianos prope fluuium Euphratem accolentes, indicta causa, exilio & alijs suppliciorum generibus mulctarent. vnde factum est, vt tum conijceretur in vincula, tum propterea in milites, qui eos abducebant, bona sua, ne qua ipsos afficerent contumelia, consumerent. Eum porro accusabant, quòd cum Imperator iussisset Aetium & quosdam eius fautores Cecropium vsque abduci, quo criminibus ipsis illatis responderet; persuasisset ei, cui hanc rem mandasset Imperator, vt quæ ipsis placerent, ea exequeretur. Itemque, quòd Hermogeni Præ- D fecto & Principi Syriæ per litteras significasset, tum quinam, tum in quem locum essent relegandi; quòd etiam cum Imperator hos ab exilio reuocaret, eos redire non permisisset, sed cū Principibus, tum sacerdotibus restitisset.

e Sozom. lib. 4. cap. 23.

BASILIO ANCYRANO CRIMINA OBIECTA.

Adiungebant præterea, quòd clericos Sirmij ad seditionem contra Germanium conflandam incitasset, & per litteras eos apud Episcopos Africæ insimulasset, quòd cum Vrsacio & Valente communicarant. His accedit, quòd in crimen adductus, crimen negasset, deq. eo peierasset, & perspicue deprehensus, periurium per cauillationem eludere conatus esset; & nō Illyricis modo, Italis, & Afris, discordiæ & seditionis, verum etiam calamitatum, quæ in Ecclesia Romana accidissent, auctor & causa fuisset. Ad hæc, quòd cum ancillam ad vincula cōijciendam curasset, eam falsum testimonium contra heram dicere coegisset. Adde his, quòd virum, qui turpem vitam & flagitiosam degebat, & non vt lex postulat matrimonij, cum mu- E liere rem habebat, cum sancto baptismatis tinxisset lauacro, tum ministerio diuino præfecisset. Quòdq. circulatorem, qui cædem patrarat, non ab Ecclesia segregasset. Postremo quòd ad sacram mensam coniurationes fecisset, & cum iureiurando ipse se obstrinxisset, tum clericos quoque ad iurandum impulisset, vt se mutuo non accusarent; & quòd hoc callide excogitasset ille ipse qui clero præerat, quo accusatorum criminationes effugeret. Atque hæc quidem sunt crimina, vt comprehendam breui, pro quibus Basilius abdicatus fuit.]

ALIA BASILII ANCYR. CRIMINA.

At hic opportune Dauidicum illud, dum ista contemplor, in mentem venit: [f] Magnus Dominus & terribilis in consiliis super filios hominum.] Qui enim a tempore Antiocheni Concilii ab eis celebrati, tam dira, tamq. dura, & aspera aduersus Catholicos vbique locorum in hanc fere diem immaniter pertractassent, Macedonius, Basilius, & alii eorumdem factionis satellites; modo ex insperato, & a collegis suis, quibuscū aduersus Orthodoxos cōuenerant, immo & ab ipso Imperatore Constantio, in cuius gratiam tot tantaq. scelera aduersus Nicænæ fidei professores iugiter aceruassent, factis dignam, licet minorem illis, sententiā damnationis

f Psal. 65.

IVSTA DEI IVDICIA.

damnationis accipiunt, atque a suis ipsorum sedibus perquã ignominiose pelluntur. Econtra A
autem factum, vt S. Hilarius, ipsis licet Acacianis infensus, in Constantium Imperatorem zelo fidei vehementer inuectus, tamen ab exilio liber cum honore fuerit in prouinciam restitutus. Sed hæc de Hilario, quòd prolixiorẽ exigant orationem, dicturi sumus inferius. Prosequamur interea, quæ de damnatione reliquorum Episcoporum hic Sozomenus [a] subdit:

a Sozom. lib. 4. cap. 23.

EVSTATHII CRIMINA ET DAMNATIO.

Eustathius autem accusabatur in primis, quòd cum esset presbyter, a patre Eulalio Episcopo Cæsareæ Cappadociæ condemnatus fuisset, & a precum communione separatus. Deinde, quòd Neocæsareę (quod est oppidum Ponti) a Concilio communione Ecclesiæ interdictus; & ab Eusebio Episcopo Constantinopolitano, propterea quòd quarumdam rerum male administratarum, quas habebat sibi commissas, condemnatus fuerat, abdicatus. Tum, quòd a Concilio Gangrensi propterea Episcopatus gradu deiectus erat, quòd contra quàm debuerat, docuisset, fecisset, sensissetque: Quòd etiam in Concilio Antiocheno periurij conuictus esset; quòdq. decreta Concilij Melitinæ coacti euertere aggressus fuisset, & cum multis criminibus teneretur implicatus, Iudicis partes suscipere, & eos qui alterius erant opinionis, incusare non dubitasset.] S. Basilius [b] autem in epistola ad Orientales de Eustathio ait, depositum fuisse in Synodo Melitinensi, Constantinopoli vero consensisse cum hæreticis. En vides, lector, quibus essent imbuti moribus, qui Nicænæ fidei aduersabantur, & hi ipsi qui hæreticorum (vt dictum est) modestiores haberentur: quos frustra delinitos ad fidem Catholicam Hilarius adducere laborauit. B

b Basil. epist. 74.

c Sozom. ibid.

ELEVSII CRIMINA ATQVE DAMNATIO.

Sed pergit de alijs Sozomenus [c]: Eleusium vero abdicabant, quòd Heraclium quemdam genere Tyrium, sacerdotem Herculis, qui ibi colebatur, præstigiarum magicarum insimulatum (qui, cum de ipso esset habenda quæstio, se ea de re fugæ mandauerat, ætatemq. degebat Cyzici) inconsiderate diaconum, quòd se simularet fidem Christi amplecti, designarat: et cũ postea intellexisset eum esse talem, non ab Ecclesia segregasset. Denique viros ab Ecclesia condemnatos, qui Cyzicum venerunt (qualis fuit Maris Episcopus Chalcedonis, qui huic Concilio intererat) temere & sine iudicio ministros Ecclesiæ instituisset. Portasium gradu mouebant, quòd sine consensu & approbatione Episcoporum Lydiæ, Sardensis creatus fuisset Episcopus. Dracontio denique Pergami adimebant Episcopatum, quòd primum in Galatia, deinde Pergami Episcopus contra leges constitutus esset. C

ABDICATIO ALIORVM EPISCOPORVM.

His rebus confectis, denuo in vnum coacti, abdicant Siluanum Episcopum Tarsi, Sophronium Pompeiopolis, quæ est vrbs Paphlagoniæ, Episcopum, Elpidium Satalorum, & Neonẽ Seleuciæ vrbis Isauriæ Episcopum. Abdicant autem Siluanum, quòd non modo alijs tum Seleuciæ, tum Constantinopoli contumaciæ auctor extitisset, verum etiam Theophilum ante ab Episcopis Palæstinæ Episcopum Eleuteropolis ordinatũ, & contra voluntatem iureiurando astrictum, se non alium Episcopatum suscepturum, Ecclesiæ Castabalensi Antistitem præfecisset. Abdicant Sophronium, quòd Ecclesiam rebus ei oblatis defraudasset, easq. ad suum quæstum vendidisset: quin etiam quòd semel atque iterum ad Concilium vocatus, vix aut ne vix quidẽ accessisset: quippe qui induxisset animũ, criminibus sibi obiectatis apud ipsos minime respõdere, sed exteros Iudices ad suam causam cognoscendã deligere. Abdicant Neonẽ, quòd dedisset operam, vt priuatim in sua Ecclesia Anianus crearetur Antiochiæ Episcopus; quòdq. nonnullos sacrarum litterarum, legumq. Ecclesiæ ignaros, & vitam inconsiderate dissoluteq. instituentes, Episcopos designasset: qui quidem postea possessionem pecuniæ sacerdotij administrationi anteponebant, & scriptis plane testabantur, se malle cum opibus vllo Ecclesiastico ministerio fungi, quàm sine illis Episcopatum gerere. Denique Elpidium abdicant, primũ quòd se socium Basilio, quo tumultus cieretur, adiunxisset, & auctor extitisset seditionis: deinde quòd Eusebium gradu dimotum, contra decreta Concilij Melitinensis, ad presbyterij dignitatem restituisset: postremo quòd Nectarium quemdam, cui propter pactum & iusiurandũ violatum Ecclesiæ communione interdictum esset, ministerio Ecclesiæ præfecisset: idq. cum per leges Ecclesiæ ei nullam dignitatem Ecclesiasticam deferre liceret. D E

CYRILLVS CVR ABDICETVR.

Porro vnà cum istis Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus abdicatur, propterea quòd cum Eustathio & Elpidio, qui Concilio Melitinensi (cui etiam ipse interfuisset) obnixe aduersabantur, communicasset: quòdq. post abdicationem in Palæstina factam, veniret cum Basilio, & Georgio Episcopo Laodiceæ in communionem: atque quòd cum Episcopus Hierosolymorum constitutus esset, velut sedis iam Apostolicæ Antistes, cum Acacio Cæsareæ Episcopo de iure Metropolitano dissensisset: vnde factum est, vt inimicitias inter se susciperent, & alter alterũ, vtpote non vere sincereq. de Deo sentientem, criminaretur. Etenim vterque ante in suspicionem venerat: alter quòd doctrinæ Arij faueret: alter (Cyrillus scilicet) quòd eos, qui

A qui Filium Patri consubstantialem assererent, sequeretur.] Magnæ quidem Cyrilli laudi cedit, eum ab Acacio vel alijs Arianis in crimen vocatum esse, quòd fidei regulam inter tot fluctus solide retineret, quam Patres Nicææ in Concilio Ecclesiæ tradidissent. Sed subdit:

Itaque Acacius cum hoc animo esset, reliquis Episcopis eius gentis, eiusq. opinionis fautoribus in vnum conuocatis, ipse prius Cyrillum tali de causa abdicat: Cum fames agrum Hierosolymitanum occuparet, multitudo rebus ad victum necessarijs destituta, ad Cyrillum, vtpote Episcopum, opis implorandæ causa confugit. Cui cum pecuniæ ad eam supplendam non suppeterent, thesaurum Ecclesiæ & sacra aulea vendidit. Qua re confecta, fama est, quādam animaduertisse mulierem scenicam indumento pretioso, quod Imperator ipse Ecclesiæ donauerat, amictam esse; curiose ab ea quæsiuisse, vnde illud haberet; comperijsse ei mercatorem vendidisse, mercatori autem Episcopum: Acacium vero, hac causa allata, Cyrillum abdicasse. Quam rem ita se habere, auditione quidem accepi.] hæc ille. Porro de veste pretiosa, ab ipso Cyrillo vendita, Theodoretus [a] paulo diuerse eam historiam recitat his verbis: Aiebat sacram stolam ex aureis filis contextam, quam excellentissimus Imperator Constantinus, ad Ecclesiam Hierosolymitanam cohonestandam, Macario illius vrbis Episcopo donauerat, vt ea amictus, sacrosancti baptismatis ministerium obiret, Cyrillum vendidisse: hancq. mercatum esse quemdam eorum, qui in pulpito scenæ cantare solent, eam induisse, inter saltandum lapsum esse, & casu obtritum interijsse.] hæc Theodoretus. Porro abdicato Cyrillo (inquit Sozomenus [b]) Episcopatum capessit Herennius, cui successit Heraclius: ei autem deinceps Hilarius. nam hos eo tempore illam rexisse Ecclesiam ad Imperium vsque Theodosij, accepimus, cuius temporibus Cyrillus ad eam dignitatis sedem reuertit.]

ALIA NOVA CAVSA CYRILLO OBIECTA.

B

a Theodor. lib. 2. cap. 27.

b Sozom. lib. 4. cap. vlt. in fine.

C hæc Sozomenus.

Rursum vero de abdicatis Episcopis, & alijs in locum eorum suffectis, sic idem Sozomenus [c]: Episcopos autem, quos abdicatos esse supra monstrauimus, Acaciani Constantinopoli expulerunt. Alijs autem, qui vnà cum illis adhuc erant ad decem numero, qui abdicationi istorum Episcoporum subscribere nolebant, mandatum dederunt, vt separatim ab alijs ad tempus ætatem degerent, & neque diuino fungerentur ministerio, neque Ecclesias vsque eo ministrarent, quoad abdicationi illi subscriberent. Quòd si non intra sex menses resipiscerēt, & omnibus huius Concilij decretis, Actisq. assentirentur: futurum esse, vt illi quoque abdicarentur, & Episcopi cuiusque gentis in vnum conuenientes, alios in eorum loco sufficerent. Vbi vero hæ res ab illis non deliberatæ solum, verum etiam reipsa perfectæ sunt; scribunt ad omnes omnium gentium Episcopos, clericosque, vt has obseruent, atque adeo exequantur.]

c Sozom. lib. 4. cap. 24.

ABDICATIO ET SVSPENSIO ALIORVM EPISCOPORVM.

D hæc Sozomenus; qui præter illos, de quibus nuper mentio facta est, subdit ab Eudoxianis substitutos diuersos Episcopos; et inter alios in locum Basilij Ancyræ Episcopi, Athanasium quemdam; in locum vero Eustathij subrogatum esse Meletium, de quo sæpe inferius dicendum erit.

Dum istæc agerentur Constantinopoli extremo huius anni tempore, perlata est a Legatis Ariminensis Synodi professio fidei illic nouissime scripta, cui iussu Constantij Imperatoris (vt dictum est superius) pridie Kalendas Ianuarij subscripserunt: adeo vt duplici fidei ijdem Episcopi subscripserint, Constantinopolitanæ, & Ariminensi; cum tamen inter se diuersę essent: quarum alteram in Oriente, in Occidente alteram (quod ridiculum plane est) voluit obseruari.

QVAE PIORES DIVERSAE EODEM TEMPORE SVBSCRIPTAE.

Meminit quoque huius Synodi Constantinopolitanæ S. Basilius [d], & de Episcopis in ea E damnatis, dum ait de Acacianis: Cum ex aula Regia omnes, & reliquos, qui quamplurimum posse putarentur, ad se consciuissent, longe superiores impetu se in res omnes intulerunt. Ipsi accusatores, ipsi Iudices, ipsi ministri publici: ipsi denique cuncta poterant, quantum concupierant, alios eijcientes, alios in locum ipsorum substituentes, alios in periculum vitæ deducentes: ipsi magna cum potestate inter se ciuitates sortiebantur. Tunc e Syria etiam quidam expulsus, Constantinopolim, quasi ad tyrannidem peruenit (hic erat Eudoxius Episcopus Antiochiæ.) Hic autem iste, nempe Eunomius, inexpugnabilis & grauis orator, in peruersæ religionis pręmium, Cyzicum obtinuit. Theosebio vero post maximarum blasphemiarum redargutionem, Sardicensis Ecclesia deuotata est. Taceo Bithyniam, Paphlagoniam, Ciliciā: prætermitto ceteros, quos est depasta circumlata improbitas.] hucusque S. Basilius.

d Basil. aduers. Eunom. lib. 1.

EVDOXIVS EPISCOPVS FACTVS CONSTANTINOPOLIT.

Lucifer quoque Calaritanus scriptis suis in Constantium de his agens, sic inuehitur [e]: Deferens Catholicam fidem, conuetsus ad fabulas, vt cancer, ita sermo tuus, quòd serpere possit: cum prædixerit ore Apostoli Spiritus sanctus, Catholicos dicis hæreticos; et paulo post, ipsam

e Luc. lib. Moriendum esse pro Dei Filio.

INVECTIVA IN CONSTANTIVM.

ipsam quam Catholicam dicebas, quamq. suscipere cogebas, dicis esse blasphemiam. item A post paulatum, quam nunc astruxeras apud Antiochenos, contra Eudoxium fatens fuisse blasphemiam, ipsam iterum nunc firmas Catholicam: vnde & Eudoxium Constantinopoli esse censueris, &c.] pluribus enim eadem ex causa in ipsum agit. Sic igitur intra quatuor mensium spatium duæ scelestissimæ Synodi habitæ sunt in Oriente ab Arianis, Seleuciæ altera impia & clamorosa, altera vero Constantinopoli execrabilis atque tyrannica.

a Greg. Nazian. oratione in laudem Athan.

De ambabus Synodis, quas vnum tamen Conciliũ vocat, S. Gregorius Nazianzenus [a] loquitur, cum pluribus de his differit; ac demum ingentem iacturam, quam ex hac Synodo vniuersa Orientalis Ecclesia perpessa est, recenset: atque in primis sic ait: Huius factionis potentia illud peperit, quod Seleuciæ primum, vbi templum est S. Theclæ egregiæ virginis, deinde in hac amplissima ciuitate, nempe Constantinopoli, coactum est: quas vrbes pulcherrimis antea nominibus claras, turpissimarum rerum notis celebres illustresq. reddidit, siue Babylonis turrim, quæ linguas pulchre diuisit, (quemadmodum vtinam illas quoque ad malum nempe concordes) siue Caiphæ Concilium, quo Christus condemnatur, siue quocumque tandẽ alio nomine conuentus hic appellandus est, qui omnia euertit, ac perturbauit. Piã enim & veterem doctrinam, ac Trinitatis patronam, iacto vallo ac machinis impulsa ac labefactata Consubstantialis voce, sustulit: impietati autem præscripti dogmatis ambiguitate fenestram aperuit; hoc quidem prætextu, quasi Scripturam vereretur, ac vocum probatissimarũ vsum amplecteretur, re autem vera Arianismum nullo Scripturæ loco proditum introducens. Hæc enim verba, Similis secundum scripturas, simplicioribus hominibus illecebra erat impietatis hamo circumiecta, statua ad omnes pertranseuntes sese obuertens, communis vtriusque pedis cothurnus, cribratio ad omnem ventum accommodata; ex nefario edicto recens perscripto, consilioq. aduersus veritatem excogitato, licentiam atque auctoritatem assequuta. Sapientes [b] enim erant ad male agendum, ac benefacere non norunt. C

DETESTANDVM CONCILIVM ARIANORVM.

b Hier. 4.

FALLVS HAERETICORVM PRAETEXTVS.

Hinc subdola illa & veteratoria hæreticorum condemnatio: vt speciosius ac probabilius esset quod conabantur: verbis quidem ab Ecclesia proscripserunt, reipsa autem in medium produxerunt, sic videlicet cum illis agentes, vt non infinitæ impietatis, sed scriptionis immodicæ crimen ipsis impingerent. Hinc profani Sanctorum Iudices, & noua & inusitata mixtio, mysticæ nempe quæstiones spectante vulgo tractatæ, atque iniqua rerum gestarum inquisitio, & pretio conducti sycophantæ, & sententiæ stata mercede pronunciatæ. Hinc alij ab Ecclesiarum thronis iniuste pellebantur, alij in eorum locum subrogabantur; sic tamen, vt ab ipsis impietatis chirographa, non secus atque aliud quippiam necessarium, exigerentur. Atque in promptu erat atramentum & calumniator a tergo. Ea res permultos e nobis, inuictos alioqui viros, in fraudem impulit, qui quamuis mente nequaquam prolapsi fuerint, D subscriptione tamen transuersi acti sunt, atque cum illis vtroque nomine sceleratis consenserunt; ac si non flammæ, fumi quidem certe participes fuerunt. Quod quidem ipse multis sæpe lacrymis prosequutus sum, cum impietatem longe lateque se effundentem, & persecutionem ab ipsis Verbi patronis aduersus Orthodoxam doctrinam excitatam viderem.

CLADES ORIENTALIS ECCLESIAE.

c Hier. 12.

LAPSVS PLVRIMORVM EPISCOPORVM.

Nam proculdubio mentis errore Pastores affecti sunt, & (vt cum Scriptura loquar [c]) Pastores multi vineam meam peruastauerunt, ac desiderabilem partem dedecorarunt, hoc est Dei Ecclesiam, multis tum eorum qui Christum præcesserunt, tum eorum qui post Christum extiterunt, sudoribus ac cædibus, ac denique magni ipsius Dei pro salute nostra supplicijs, doloribusq. collectam. Nam si perpaucos exceperis, qui vel ob nominis obscuritatem contemptui habiti fuerunt, vel propter virtutem restiterunt, quos E Israeli seminis ac radicis loco relinqui oportebat, vt de integro floreret, Spiritusq. perflatione ad vitam reuocaretur; omnes temporis iniquitate abrepti sunt. Hoc tantum inter eos discriminis fuit, quòd alij citius, alij serius in eam noxam inciderunt, quòdq. alij duces impietatis, & antesignani fuerunt, alij in secundo ordine locati sunt, vel timore perculsi, vel vtilitate subacti, vel blanditijs inescati, vel ignorantia circumuenti, atque in fraudem inducti, quod omnium leuissimum est: si cui tamen id quoque ad eorum, quibus populi cura commissa est, purgationem sufficere videtur.] & inferius, cum tam immensam cladem Orbi illatam comparat terræmotui, hæc addit:

FVNESTISSIMA CLADES ORIENTALIS ECCLESIAE.

Ego vero terræmotum hunc nostra tempestate coortum, nullo eorum, qui iam extiterunt, inferiorem esse existimo, per quem omnes monasticæ philosophiæ sectatores, Deiq. amore præditi, atque ante tempus in cælis ciuium munere fungentes a nobis dimouentur. Qui tametsi alioqui pacis studiosi ac moderati sint, hac tamen in re leues ac faciles esse non

sustinent,

A sustinent, cum per silentium & quietem Dei causa proditur: verum hic admodum bellaces sunt, atque in confligendo acres atque feroces (huiusmodi enim zeli æstus est) citiusq. aliquid, quod non oporteat, euomuerint, quàm quod ex officio sit, prætermiserint. Eodem motu non minima quoque populi pars abrumpitur, velut in auium grege, cum his qui prius auolarant, auolans, ac ne nunc quidem auolandi finem faciens. Tantum nobis præsidij in Athanasio, egregio inquam Ecclesiæ columine erat, quamdiu nobiscum versabatur: tantam rursus nobis eiusdem absentia calamitatem importauit, postquàm sceleratorum insultibus cessit.] hæc & alia de his Gregorius, dum luget ingentem cladem ex eo Satanæ conuentu vniuersæ Orientali Ecclesiæ illatam. Cui si quis addat ruinam illam superius recensitam, quam Occidentalis Ecclesia passa est; facile iudicabit, nullum vmquam antea fuisse tempus, quo vniuersus Christianus orbis magis fuerit conturbatus, cunctis ferme pastoribus Ecclesiarum, paucis dumtaxat exceptis, in præceps adactis; nec tetriorem vmquam esse visam Ecclesiæ Catholicæ faciem.

B

At quod rursus ad hanc, cuius gratia instituta est oratio, Orientalis Ecclesiæ stragem spectat, finis hic threnorum Gregorij, qui alibi domesticum priuatumq. damnum acceptum luget: cum scilicet parens eius, itidem Gregorius nominatus, licet inuitus nolensque, lapsus est tamen, quāuis prior omnium resurrexerit, atque alijs ad consurgendum manum porrexerit, collaborante in his egregie Gregorio ipso, qui ait [a]: Quo tempore a feruentiore Ecclesiæ parte ob eam causam seditio in nos excitata est, quòd litteris quibusdam, subdolisq. verbis in prauam societatem furtim pertracti fuissemus: solus illæsum cor habere, nec animum simul cum atramento fœdasse & nigrore affecisse creditus est: tametsi per animi simplicitatem abreptus fuisset; dolumque, homo doli expers, minime vitauisset. Quin etiam solus, aut certe primus, eos qui a nobis ob pietatis zelum dissidebant, & sibi & ceteris reconciliauit, postremus a nobis separatus, & primus reuersus, tum ob ipsius reuerentiam, tum ob dogmatis puritatem. Ita grauis Ecclesiarum iactatio, tempestasq. sedata est, procellaq. in auram redacta orationibus consilijsq. illius (liceat enim audacter dicere) fracta atque sublata nobis interim & pietatis socijs, & actionis: qui cum in omni honesto negotio eum adiuuaremus, ac velut cursim affectaremur, tum hic quoque, Dei beneficio, multo maximam laboris studijq. partem impendimus.] in hunc modū Gregorius. Sed quæ ait de pace cōsequuta, postea acciderunt, nosq. suo loco dicemus, cum de coniunctione monachorum cum patre ipsius agemus, quo tempore Theologus egregiam illam habuit de pace orationem.

LAPSVS GREGORII SANIORIS.

a Greg. Nazian. oratione in funere patris.

C

His addamus illud, optimos interdum viros & pios contigisse subscribere eiusmodi professioni fidei Concilii Constantinopolitani, quòd scilicet (vt in Ariminensi quoque confessione accidisse dictum est) nullam expressam contineret impietatem: Nam quod dicebatur asserendum ex diuinæ scripturæ præscripto, Filium esse Patri similem, nullus Catholicus id abnuerit: Neque quod ob scandalum prætexebant tacendum de nomine essentiæ, siue substantiæ, atque subsistentiæ; ob id ibi negabatur expresse, Filium diuinæ esse substantiæ, & subsistentiam prædicandam esse de Patre, Filio, & Spiritusancto: neque vllum in ea professione inferebatur anathema in profitentes Nicænam fidem. Quamobrem illud (vt diximus) contingebat, vt complures pij viri, ac probi, Nicænæq. fidei professores putarēt absque dispendio pietatis, posse professioni Constantinopolitanæ subscribere, ac pariter retinere Nicænam; licet longe ab his diuersum esset Acacianorum consilium.

D

EXCVSATIO PIORVM SVBSCRIBENTIVM.

Porro id quidem non solum Gregorii Nazianzeni parenti accidisse videtur, sed & alijs religiosissimis viris, vt extat apud S. Basilium exemplum de Dianæo insigni viro, de quo hæc scribit ad Bosporium * idem Basilius [b]: Circa extrema quidē vitæ illius tempora (neque enim celabo veritatem) intolerabili mærore propter ipsum cum aliis in patria, qui plurimi erant, Dominum timentibus, afficiebar, propterea quòd fidei illi, quam ex Constantinopoli reportauerant qui ad Gregorium pertinebant, subscripserat. Vt vero erat ingenio mansueto & humano, omnibus ita satisfaciebat, vt paterno affectu toleraretur. Vbi vero decidit Dianæus in ægrotationem, ex qua & mortuus est; conuocatis nobis dicebat, testem esse Dominum, quòd simplici corde in scriptum Constantinopolitanæ fidei consenserit quidem, verum nulla in re irritām voluerit eam fidem, quæ Nicææ a sanctis Patribus exposita est: neque aliud in corde habuerit, quàm quod ab initio traditum accepisset. immo precari se quoque, vt non separaretur a sorte beatorum illorum Episcoporum trecentorum decem & octo, qui piam illam fidei prædicationem promulgauerint Orbi. Atque ista satisfactione nos ita permouit, vt soluta omni cordium nostrorum hæsitatione, ad communionem illius accesserimus, & a concepto mærore quieuerimus.] hæc S. Basilius.

E

* Bosphorium

b Basil. epist. 8.

DIANAEI POENITENTIA.

Quod vero ad Gregorium seniorem spectat: monachi illi praestantissimi, quorum A meminit Gregorius Nazianzenus, desciuisse eos a patre ipsius, cum ille eidem scripto pariter subscripsisset, non sic quidem id fecerunt, quòd putarent eum haereticum esse, cuius mentis sinceritatem perspectam haberent: nam haec de illis ipse Gregorius filius, cum

EXCVSATVR PATER GREGORII.

postea reconciliarunt se cum eo: Vos autem (sic [a] praesentes alloquitur) relicta sinistra suspicione, quam scriptum illud afferre potuit, ad spiritum recurristis: atque vt simplicitatem nostram ob eum sensum, quem verba praeseferebant, minime probauistis; ita nobis impietatis crimen numquam impegistis; perspectum videlicet habentes, firmam apud nos immotamq. Trinitatem, non minus quàm in sua natura manere, neque aliter existimare.] haec Gregorius: qui quidem paulo ante Athenis in patriam reuersus erat vnà cum fratre Caesario, quem Alexandria redeuntem Constantinopoli nactus erat, vt idem ipse Gregorius testatur in oratione in funere eius habita, Porro autem Caesarius cum inuisisset paren- B tes, & praeclarum de se specimen edidisset; ad Imperatoris aulam, ad quam antea per Legatos fuerat inuitatus, ac pene coactus, se contulit, cum ipse inter haec hisce temporibus senio cōfectis parentibus assideret, donec ad Ponticam solitudinem diuinae contemplationis amore se contulit. quando autem id acciderit, suo loco dicemus.

a Gregor. Nazianz. in orat. 1. de pace.

SCHISMA IN OMNIBVS ORIENTIS CIVITATIBVS.

Accessit etiam ad turbas Orientalis Ecclesiae, quòd Episcopi, qui ab Acacianis Constantinopoli depositi erant, se haud abdicatos voluerunt cognosci, ob idq. neque destiterunt munia obire Episcoporum, atque clericos ordinare. Vnde magna ac plane incredibilis illa fuit facta confusio, dum vnius eiusdemq. ciuitatis diuersae communionis essent Episcopi, eodemq. schismate & haeresi ad posteros propagato, mutuo perpetuoq. bello, cum ipsi, cum populi inter se confligerent. Declarant id quidem, quae idem S. Basilius [b] ad Euaisenos conscripsit, cum inter alia sic ait: Non solum hac sibiipsis contrarietate repugnant, scripto nos tradu- C centes; sed quòd ab Episcopis illis, qui Constantinopoli conuenerant, communi decreto ab Episcopali functione depositi, depositionem non agnouerunt; Synodum eam appellantes Synodum reproborum; nec passi quidem eos vocari Episcopos, ne contra se latam sententiam confirmarent. Et causam adiecerunt, ob quam illi non sint Episcopi: quoniam (vt inquiunt) praesunt haeresi. Haec autem ante annos nondum plene exactos decem & septem facta sunt. Erant autem ductores eorum, a quibus isti depositi sunt, Eudoxius, Euippius, Georgius, Acacius, & reliqui nobis ignoti: qui vero iam Ecclesijs dominantur, illis successerunt, alij in illorum Episcopatus ordinati, alii ab illis ipsis ad praesidentiam euecti.] haec & alia plura Basilius de hisce altercationibus post Synodum obortis etiam sub Catholicis Imperatoribus: at de his vberius suo loco. Verum nouum quiddam & silentio minime praetereundum accidit, miro quidem Dei consilio, qui (quod aliàs inculcatum est) ne veritas Christianae fidei quauis D ingruente tempestate periclitetur, ipsos Catholicae veritatis impugnatores conuertit in praedicatores. Etenim ex his qui ab Acacianis ad sua vota explenda ordinati sunt in locum abdicatorum, ex ijs nonnulli facti sunt Nicaenae fidei robustissimi propugnatores; vt inter alios Meletius, qui in locum Eustathij est subrogatus Episcopus Sebastenus, de quo plurima Tomo quarto dicturi sumus; ac ipsi non impar Athanasius Ancyranae Ecclesiae in locum Basilij abdicati suffectus; quem redditum plane Catholicum S. Basilius summo laudis praeconio celebrauit [c]; de quo pariter suo loco agendum pluribus.

b Basil. epist. 72.

EPISCOPI ACACIANI REDDITI CATHOLICI.

c Basil. epist. 67.

At e contrario, qui iniuste videbantur ab Acacianis depositi (licet ob persecutionem in Catholicos per annos plures illatam grauioribus fuissent afficiendi supplicijs) in haeresi permansere, &, quod deterius est, alia addidere: siquidē Geminiani isti (sic dicti, quòd cum iuxta suum ipsorum sensum profiterentur substantiae nomen in Filio Dei, Nicaenum tamen symbolum ex- E plodebant, nec eum dici Consubstantialem sunt passi) immanem illam addiderunt impietatē, vt Spiritussancti diuinitatem negarent: cuius quidē horrendae blasphemiae auctor extitit Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, postquàm depositus est. Sed de his anno sequenti.

SEMIARIANI IN DETERIVS LAPSI.

Ad haec autem quae dicta sunt de Synodis, ad mutandas fidei regulas superioribus a Constantio saepe vocatis, & hoc anno collectis eius iussu Concilijs, atque toties fidei regulis mutatis & editis, nempe Arimini, Nicaeae Thraciae, Seleuciae, atque Constantinopoli: addimus corollarium ex Ethnico quoque scriptore, aliàs rebus nostris infenso, Ammiano inquā Marcellino, qui prauos Constantij mores recensens, inter alia adscribit illi haec crimini, cum sic ait [d], & quidem egregie: Christianam religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens: in qua scrutanda perplexus, quamquam componendi gratia, excitauit dissidia plurima: quae progressa fusius aluit concertatio verborum: vt cateruis Antistitum iumentis publicis vltro citroque discurrentibus, per Synodos quas appellant, dum ritum omnem

CONSTANTII INCONSTANTIA TAXATVR AB ETHNICIS.

d Ammian. Marcell. lib. 21 in fin.

A ritum omnem ad suum trahere conatur arbitrium, rei vehiculariæ succideret neruos.] hæc Ammianus. Fuit quoque Iuliani [a] Apostatæ de Constantio querela, eius tempore cursus publicos nimium fatigatos.

Porro de eodem Constantio idem Ammianus [b] ait, hoc anno valde permotū esse aduersus idololatras, contra leges ab eo sæpius latas sacrificantes, atque responsa quærentes; adeoq. aduersus eiusmodi scelus se vindicem seuerum præbuisse tradit, vt de illis, qui ad remedia quartanæ, vel alterius morbi, amuleta collo gestarent, vel per sepulchra errare comperti essent, iuberet in quæstionem vocari, ac de eis sumi supplicia, dato rei negotio Paulo sæuo homini, qui ad harum rerum cognitionem,& iudicia exercenda, ciuitatem elegit Scythopolim, mediam inter Antiochiam & Alexandriam, e quibus permulti criminosi ad supplicia trahebantur.

B Hoc item anno vigesimotertio Constantij Imperatoris, S. Paulinum, ante annos quinque fidei causa exulem, apud Phrygiam vita functum, percepisse de fidei confessione coronam, S. Hieronymus [c] auctor est: quē anniuersaria memoria adscriptum tabulis Ecclesiasticis pridie Kal. Septembris Catholica Ecclesia celebrat. Migrasse quoque ex hac vita Rhodanium, quē Tolosanum Episcopum fuisse, & vnà cum Hilario fidei causa exulem diximus, Seuerus affirmat [d]. Horum omnium atque aliorum malorum auctor & architectus Constantius Imperator, in hanc diem summa Dei patientia, in summa felicitate permissus est agere; adeo vt (quod dictum est superius) ex optatis rerum successibus sanciret perfidiæ fidem: qui iam ad imum impietatis, Acacianis dans manus, omnem substantiæ similitudinem cum Patre negans in Filio, & silentio damnans Concilij Niceni memoriam, inuersa rerum alea, omnibus in contrarium commutatis, vsque in diem obitus habitus est posthac infelicissimus.

C Ac primum quidem aduersus Persas male pugnatum est: adeo vt, quæ primo occurrerunt Regi Persarum, Romanorum propugnacula, Remam & Brosam confestim caperet: Vbi (inquit Ammianus [e]) inuentas virgines, Christiano ritu cultui diuino sacratas, custodiri intactas, & religioni seruire solito more, nullo vetante, præcepit.] Post hæc autem profligato iterum Romanorum exercitu, Amida fortissimum propugnaculum expugnatur. Sed funestiora his sequuta sunt anno sequenti, de quibus suo loco dicemus. Agebantur hæc in Mesopotamia sub Duce Sabiniano, hoc anno ab eodem Imperatore illuc cum exercitu misso, licet (vt Ammianus testatur) ad bellicas functiones minus idoneo.

At dum cogito nomen & munus Sabiniani Præfecti Orientis, & Ducis exercitus in Mesopotamia militantis, in mentem venit opinari hunc ipsum esse, qui apud S. Hieronymum Sabinus in Mesopotamia Dux Romani exercitus nominatur in rebus ab eo scriptis in vita Mal-

D chi. Cui si assenserimus coniecturæ; dicendum quoque erit, perelegantem illam historiam, qua mira Dei prouidentia tum puniendo tum miserando declaratur, hoc ipso anno contigisse. Digna quidem relatu esset historia, quæ intexeretur Annalibus; sed quòd cunctis ferme nota sit, & præ manibus pene omnium habeatur, consulto hic eam describere prætermittimus; cum qui eam ignorat, Hieronymum quem consulat, habeat. At iam hic statuatur finis rerum gestarum præsentis anni.

a l. 11. de curs. public. Cod. Theodos.

b Ammian. lib. 19. prope finem.

CONSTANTIVS INQVIRIT DE IDOLOLATRIS ET MALEFICIS.

c Hieronym. in Chronico, anno 23. Constantij.

PAVLINVS ET RHODANIVS CONFESSORES MORTVI RELATI.

d Seuerus lib. 2.

CONSTANTII MVTATIO RERVM STATVS.

e Ammian. lib. 18. in fine.

MALCHI MONACHI CONVERSIO HOC ANNO.

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
360.	9.	24.

E

Sequitur annus Domini sexagesimus supra trecentesimum, Consulatu Constantii Augusti quartùm, & Iuliani Cæsteríi adnotatus, haud multo felicior anno superiori; cum agitationibus præteritæ tempestatis, Constantinopoli tamquam in alto pelago fluctus impulsi, sese in diuersa littora latius effudere: dum, inquam, quæ in Constantinopolitano Concilio ab impiis impie decreta essent, edicto Imperatoris, indicta contradicentibus pœna exilii, fuere in omnibus Romani Imperii prouinciis promulgata. In hunc ipsum quoque annum Concilium Constantinopolitanum propagatum esse, iam supra dictum est. Porro cladibus singularum Ecclesiarum prosequendis impar visa est quæuis oratio, & plane gracilis ac debilis omnis stylus: vnde Sozomenus [f] argumenti magnitudine superatus, summatim rem complexus, vna ferme periodo rem absoluit, cum sic ait: Perdifficile esset, omnes Episcopos & sacerdotes, qui cum a suis ciuitatibus pulsi erant, enumerare: nulla enim gens Romano subiecta Imperio, ab hac calamitate, credo, vacua, liberaq. fuit.] hæc ipse.

CALAMITAS INGENS EX CONCIL. CONSTANTINOP.

f Sozom. lib. 4. cap. 26.

S. HILARIVS AB EXILIO RELAXATVS.

Sed illud plane accidit admirandũ, quod nonnisi præpotẽti manu Dei dici potest esse confectum, vt inter tot Ecclesiarum naufragia, proscriptiones & exilia Episcoporum, vnus S. Hilarius, qui exulabat, huius anni exordio, his ijsdem increbrescentibus turbis, fuerit ab exilio relaxatus, & in Gallias liber redire permissus; cum alioqui aduersus Acacianos, quibus valuit viribus, obniti conatus sit, & ipsum Imperatorem grauissimis orationibus sæpe perstrinxerit. Sed quo modo istæc se habuerint, iam aggredimur enarrare: atque primum hæc ex Seuero [a], dum agit de Episcopis ex Seleucia Constantinopolim conuocatis: Aderat, inquit, ibi tum Hilarius e Seleucia Legatos sequutus, nullis certis de se mãdatis, opperiens Imperatoris voluntatem, si forsitan redire in exilium iuberetur. Is vbi extremum fidei periculum animaduertit, Occidentalibus deceptis, Orientales per scelus vinci; tribus libellis publice datis, audientiam Regis poposcit, vt de fide coram aduersarijs disceptaret. Id vero Ariani maximopere abnuere. Postremo quasi discordiæ seminarium, & perturbator Orientis, redire ad Gallias iubetur, absque exilii indulgentia] nempe, vt vbicumque esset, reus haberetur exilii. Id quidem pro miraculo habendum esse, qui legerit libellos ab eodem Hilario tunc Constantio datos Constantinopoli, haud puto negabit. A B

a Sulpit. lib. 2.

LIBELLI AB HILARIO OBLATI CONSTANTIO.

De his dicturi, illud primum de ipsis libellis admonendum putamus: tres illos, quos oblatos Constantio Seuerus ait, diuersos esse a libellis pro defensione fidei ad Constantium datis, vel aduersus ipsum scriptis. Siquidem hi tres (vt Seuerus ipse declarat) supplices erant, atque eius argumenti, vt audientiam Imperatoris exposceret; quo aduersus insultantes hæreticos coram ipso de veritate fidei disceptaret. Quod cum minime impetrasset, apud eumdem Constantiũ fusioribus scriptis egit; binos, alterum post alterum, libellos scribens: de quibus singulis suo ordine dicendum est. Sed in primis, ad rerum gestarum elucidationem, illud præmittendum existimamus, tres reperiri libellos ab Hilario ad Constantium, seu contra Constantium scriptos: quorum ille primus habendus, qui mox post exilium Italorum Episcoporum, Eusebij Vercellensis, & collegarum, ad eumdem Constãtium scriptus est, vt ex illius contextu facile potest intelligi. est eius exordium: Benignifica natura tua, &c.] de quo suo loco superius actum. Secundus vero ille libellus est, seu potius oratio, quam ipse coram Constantio hoc anno habuit, cum esset Constantinopoli: quæ sic incipit: Non sum nescius Imperator, &c.] Tertius demum ille, quem post præcedentem hoc pariter anno dedit Imperatori; licet perperam illi indita sit inscriptio, qua dicitur, ab Hilario scriptus post ipsius Constantij obitum: deceptus est nimirum, quisquis ille fuit qui illam apposuit, quòd S. Hieronymus [b] tradat, alium quemdam librum ab Hilario scriptum post mortem Constantii, cum antea meminisset de libello ab eo dato eidem Imperatori, dum esset Constantinopoli, cuius in Chronico itidem meminit. Porro libellus ille scriptus post mortem Constantii, desiderari videtur, sicut & ille, quẽ idem S. Hieronymus editũ affirmat aduersus Vrsacium & Valentem, qui cõtineret historiam Synodorum superiore anno gestarum Arimini atque Seleuciæ: quem periisse, dolendum est. C D

b Hieronymus de script. Eccl. in Hilario.

QVID HILARIVS CORAM CONSTANTIO.

c Hilar. ad Constantium.

Agamus autem hic primo de oratione hoc anno coram Constantio habita, cuius est exordium: Non sum nescius piissime Imperator.] quam quidem hoc anno scriptam esse, ex eo certum deducimus argumentum, quòd in ea ait [c] expostulans: Incerto enim doctrinarum vento vagamur; et aut dum docemus, perturbamus; aut dum docemur, erramus. Iam vero proximi anni fides quid iam de immutatione in se habet? primum, quæ homousion decernit taceri; sequens rursum, quæ homiusion decernit & prædicat; tertium deinceps, quæ vsiam simpliciter a Patribus præsumptam per indulgentiam excusat; postremum quartum, quæ non excusat, sed condemnat. Et quo tandem progressum est, vt neque penes nos, neque penes quemquam ante nos sanctum exinde aliquid, atque inuiolabile perseueret?] hæc Hilarius, sugillans inconstantiam hæreticorum, cum in quatuor Synodis tunc habitis, nempe Ariminensi, Nicæna, Seleuciensi, & Constantinopolitana, tum ab Acacianis, tum ab eorum aduersariis, quadruplex forma fidei edita esset. Scripsisse namque hæc visus est Hilarius, cum adhuc speraret a Constantio se publice audiendum: nam post multa sic habet: E

RETINENDA SEMEL SVSCEPTA FIDES.

d Hilar. ad Constantium.

Loquuturus sum tecum cum honore regni & fidei tuæ, omnia ad Orientis & Occidentis pacem profutura, sub publica conscientia, sub Synodo dissentiente, sub lite famosa. Præmitto interim pignus futuri apud te sermonis mei, &c.] In ipsius vero libelli exordio, cum de causa, cur exulet, plura disserat; subinde admonet, ne adeo laboret in immutanda sæpius fide; satisq. illam esse, quæ in baptismo esset accepta; atque ait [d]: Recognosce fidem, quam olim, optime ac religiosissime Imperator, ab Episcopis optas audire, & non audis. Dum enim, a quibus ea res quæritur, sua scribunt, non quæ Dei sunt prædicant; orbem terrarum erroris, & redeuntis in se semper certaminis circumtulerunt. oportuerat enim humanæ cognitionis modestia

omne

A omne cognitionis diuinæ sacramentum illis tantum conscientiæ suæ finibus contineri, quibus credidit: neque post confessam & iuratam in baptismo fidem in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti, quidquam aliud vel ambigere, vel innouare. Sed quorumdam aut præsumptio, aut facilitas, aut error, Apostolicæ doctrinæ indemutabilem constitutionem, partim fraudulenter confessa est, partim audacter egressa; dum in confessione Patris, & Filij, & Spiritussancti, veritatem naturalis significationis eludit, ne id maneret in sensu, quod in regenerationis sacramento est confitendum. Ob hoc penes quorumdam conscientiam, nec Pater, Pater; nec Filius, Filius; nec Spiritussanctus, Spiritussanctus est. Sub cuius necessitatis tamquam improbabili occasione, scribendæ atque innouandæ fidei exinde vsus inoleuit. Qui postquàm noua potius cœpit condere, quàm accepta retinere, nec veterata defendit, nec innouata firmauit; et facta est fides temporum potius, quàm Euangeliorum, dum & secundum annos scribi-
B tur, & secundum confessionem baptismi non tenetur. Periculosum nobis admodum, atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates; et tot nobis doctrinas esse, quot mores; et tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt: dum aut ita fides describitur, vt volumus; aut ita, vt volumus, intelligitur.] hæc & alia ad Constantium S. Hilarius, leuitatis arguens mutatæ sæpisime fidei.

Sed illud ipsi singulare remedium proponit, atque eum egregiis hisce formulis instruit, quibuscumque a Catholicæ fidei certo tramite aberrantibus, etiam profuturis. Quod, inquit [a], hieme vndoso mari obseruari a nauigantibus maxime tutum est, vt naufragio desæuiente, in portum, ex quo soluerāt, reuertantur: vel incautis adolescentibus conuenit; vt cum in tuenda domo sua, mores paternæ obseruantiæ transgresi, profusa libertate sua vsi sunt; iam sub ipso amittendi patrimonij metu, solus illis ad paternā consuetudinem necessarius & tutus recursus
C sit: Ita inter hæc fidei naufragia, cælestis patrimonij iam pene profligata hereditate, tutissimum nobis est, primam & solam Euangelicam fidem, confessam in baptismate, intellectamque retinere, nec demutare quod solum acceptum atque auditum habeo bene credere: non vt ea quæ Synodo Patrum nostrorū continentur, tamquam irreligiose & impie scripta, damnanda sint, sed quia per temeritatem hominum vsurpantur ad cōtradictionem, &c.] inferius vero: Hoc qui repudiat, Antichristus est; et qui simulat, anathema est. Sed vnum hoc ego pet hanc dignationis tuæ sinceram audientiam rogo, vt præsente Synodo, quæ nunc de fide litigat, pancis me de scripturis Euangelicis digneris audire.] hæc & alia ipse; quibus sane comperitur, ea non pet libellum, sed coram egisse, antequàm ipsa Constantinopolitana Synodus ob accusationem plurium Episcoporum longius in hunc quoque annum producta absoluta esset.

a Hilar. ad Constant.

REMEDIVM NECESSARIVM OMNIBVS NAVFRAGIS, VT SANENTVR.

D Sed cum tertio (vt ex Seuero diximus) libellis oblatis, sibi denegatum omnino esse sentiret, publice aduersus ibi existentes hæreticos agere licere, Catholica fide prodita, & manifesta perfidia introducta; zelo æstuans, acrimonia plenum libellum conscripsit, eidemque Constantio obtulit: quem illum ipsum esse putamus, cuius meminit S. Hieronymus, cum ait, Constantinopoli dedisse Constantio viuenti hoc ipso anno vigesimoquarto eiusdem Imperatoris, vt habet in Chronico. De quo mea quidem illa est sententia ex iisdem scriptis accepta: vt Hilarius cum vidisset adeo prostratam Catholicam fidem, & perfidiam exaltatam, inualescentem impietatē summa potentia, grassantemque Imperatoris auctoritate; audientia sibi, quam petierat, publica denegata, meliorum rerum desperatione commotus, libellum illum scripserit, obtulerit que Constantio, quo non amplius blandimentis, vt antea, ageret causam fidei, sed sacerdotali auctoritate tempori congrua, intrepido animo, Imperatoris incōstantiam exa-
E gitaret, atque perfidiam grauiter exprobraret; et si nihil eidem profuturus, ex eo tamen inde promeriturus martyrium.

DE LIBELLO OBLATO CONSTANTIO AB HILARIO.

Sed antequàm de ipso agamus; vt omnem de eo ex falso titulo, quæ irrepsit de scripto libello illo post Constantij obitum, tollamus ambiguitatem: ipsum hoc anno ab Hilario scriptum esse, ex ea certa firmaque eiusdem assertione probatur, dum ait, quinque interlapsos esse annos ab exilij tempore Occidentalium Episcoporum, vsque ad tempus illud, quo ea scribebat; nam inquit [b]: Post sanctorum virorum exilia, Paulini, Eusebij, Luciferi, Dionysij, quinto ab hinc anno a Saturnini & Vrsacij & Valentis communione, me cum Gallicanis Episcopis separaui, &c.] erat hic plane annus quintus exilij dictorum Episcoporum, quos exulasse constat ex Concilio Mediolanensi, Coss. Arbetione & Lolliano, anno Domini trecētesimo quinquagesimoquinto. Hac igitur habita de quinquennij temporis ratione, hoc ipso anno libellum illum ab Hilario lucubratum esse, affirmare certa fide compellimur.

FALSA INSCRIPTIO LIBELLI ARGVITVR.

b Hilar. contra Constan.

His itaque in hunc modum perspicuis de scripti libelli tempore redditis, ex eo aliqua hic adduce-

MIRA HILARII LIBERTAS.

adducemus, quibus intrepidi animi, sacerdotalis roboris, & inuictæ constantiæ egregium specimen editur; vt cum sic orationem aggreditur: Tempus est loquendi, quia iam præteriit tempus tacendi. Christus expectetur; quia obtinuit Antichristus. Clament pastores; quia mercenarij fugerunt. Ponamus animas pro ouibus; quia fures introierunt, & leo sæuiens circuit. Ad martyrium per has voces exeamus, &c.] Quemnam per Antichristum intelligat, inferius declarat, cum hæc subdit in eum vehementer exacerbatus: Vtinam illud potius omnipotens Deus, & vniuersorum creator, sed vnius Domini nostri Iesu Christi Pater, ætati meæ & tempori præstitisset, vt hoc confessionis meæ in te atque in Vnigenitum suum, ministerium, Neronianis, Decianisve temporibus explessem.] & paulo post: At nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat; non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem; non tradit carceri ad libertatem, sed intra Palatium honorat ad seruitutem; non latera vexat, sed cor occupat; non gladio caput desecat, sed animam auro occidit; non ignes publice minatur, sed gehennam priuatim accendit; non contendit, ne vincatur; sed adulatur, vt dominetur: Christum confitetur, vt neget: vnitatem procurat, ne pax sit: hæreses comprimit, ne Christiani sint: sacerdotes honorat, ne Episcopi sint: ecclesiæ tecta ponit, vt fidem destruat.] sed & post hæc: A B

CONSTANTIVS ARGVITVR ANTICHRISTVS.

Si falsa dicimus, infamis sit sermo maledicus: si vero vniuersa hæc manifesta esse ostendimus, non sumus extra Apostolicam libertatem & modestiam, post longum hæc silentium arguentes. Sed temerarium me forte quisquam putabit, quia dicam Constãtium Antichristum esse. Quisquis petulantiam istud magis quàm constantiam iudicabit, relegat primum, Ioannem dixisse ad Herodem, &c.] Inducit in exemplum sanctissimos viros, qui veritatis amore ipsos Reges redarguerunt. Sed & vehementius in eumdem inuectus, his addit: Proclamo tibi, Constanti, quod Neroni loquuturus fuissem, quod ex me Decius & Maximianus audirét. Contra Deum pugnas: contra Ecclesiam sæuis: sanctos persequeris: prædicatores Christi odis: religionem tollis, tyrannus non iam humanorum, sed diuinorum. Hæc tibi a me, atque illis socia atque communia sunt. C

CONSTANTII SCELERA SVMMATIM COLLECTA.

At vero nunc propria tua accipe. Christianum te mentiris: Christi nouus hostis es: Antichristum præuenis, & arcanorum mysteria eius operaris. Condis fidem, contra viuens. Doctor profanorum es, indoctus piorum. Episcopatus tuis donas: bonos malis demutas: sacerdotes custodiæ mandas: exercitus tuos ad terrorem Ecclesiæ disponis: Synodos cõtrahis, & Occidentalium fidem ad impietatem compellis: conclusos vrbe vna minis terres, fame debilitas, hieme conficis, dissimulatione deprauas. Orientales autem dissensiones artifex nutris, blandos elicis, fautores instigas, veterum turbator es, profanus nouorum es. Omnia sæuissima sine inuidia gloriosarum mortium peragis: nouo inauditoque ingenij triumpho de diabolo vincis, & sine martyrio persequeris. Plus crudelitati vestræ, Nero, Deci, Maximiane, debemus; diabolum enim per vos vicimus.] et infra: Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, vt excludas & in peccato veniam, & in confessione martyrium.] D

CONSTANTII FRAVDES.

Et post multa de Constantij in persequẽdo Christianos fraude magis infesta, quàm gladio, hæc etiam in eumdem: Vestem ouis tuæ, lupe rapax, cernimus. Auro reipublicæ sanctum Dei honoras, & vel detracta templis, vel publicata edictis, vel exacta pœnis, Deo ingeris: osculo sacerdotes excipis, quo & Christus est proditus: caput benedictioni submittis, vt fidem calces: conuiuio dignaris, ex quo Iudas ad proditionem egressus est. Censum capitum remittis, quem Christus, ne scandalo esset, exsoluit: Vectigalia, Cæsar, donas, vt ad negationem Christianos inuites: Quæ tua sunt relaxas, vt quæ Dei sunt amittantur. hæc tua; falsa ouis, indumenta sunt. At nunc fructus operum tuorum, lupe rapax, audi: neque alia potius, quàm quæ gesta sunt in Ecclesia, referto, &c.] Pergit enim narrare illa quæ aduersus Catholicos vbique locorum egisset; vt dicat: Breuius enim aduersus Persam, quàm aduersum nos armis certatum est. Mutati Præfecti, electi Duces, corrupti populi, &c.] postque narrata exilia Episcoporum, addit, quod summum scelerum fuit, proscriptionem Liberij Papæ, & de eo quod perpetrasset in Ecclesiam Tolosanam in Galliis: Quos (inquit) tu deinde in Ecclesiam Tolosanam exercuisti furores? clerici fustibus cæsi, diacones plumbo elisi: et in ipsum (vt sanctissimi mecum intelligunt) Christum manus immissæ.] ita Hilarius, intelligens Rhodanium Episcopum Tolosanum in exiliũ ab eo missum. ex quibus perspicias auctoritate Hilarij probari lectionem Seueri a nobis superius positam, vt loco Dosanus, legendũ sit, Tolosanus. Reliqua autem ab eodem in Constantium prolixius perorata; si lector hæc auidius cupiat, apud ipsum Hilarium legat. E

At quo-

A At quo modo post talia tantaque in Imperatorem prolata potuit Hilarius ipse a Constãtio non occidi? sed & a decreto exilio relaxari? quin immo & in Gallias quoque restitui? At qui facit [a] ventis pondus, non pro arbitrio eos perflare siuit, sed nutu compescuit. et quemadmodũ ad Laban de Iacob loquutus est Dominus [b]: Caue ne quidquam asperum loquaris contra Iacob, sed in pace sine abire] ita Constantio præcepit de Hilario, quem in pace reuerti iussit ad suos. Quod autem ad Hilarij reditum spectat; hoc ne anno vel sequenti contigerit, reuocari posse videtur in dubium: cum quem constat a viuente Constantio relaxatũ, post eius obitum, qui anno sequenti accidit, reuersum esse in Gallias, S. Hieronymus tradat [c]: cum tamen in Chronico hoc anno vigesimoquarto Constantij Imperatoris in Gallias rediisse idem affirmet.

a Iob. 28. HILARIVS EX INSPERATO RELAXATVR. b Genes. 31. c Hieron. aduers. Lucifer.

Redeunti vero, Romamque primum aduentanti, S. Martinus ex Gallinaria insula, in
B qua solitariam vitam agebat, festinauit occurrere; sed cum iam inde abiisse comperisset, eum est sequutus in Galliam. Hæc ex Seuero: eadem & Fortunatus de Hilarij in Gallias reditu: quibus addit: Sed hunc ipsum diuino nutu seruatum testificor pro correctione multorum. Nam pene totum Mundum graui errore cõfusum, factis sæpe in Gallia Synodis, per Hilarium fuisse ad viam veritatis adductum, confitetur lingua multorum. Quid autem interest, vel pro æterna vita factum martyrem fuisse, vel amplius vixisse, reliqui ne perirent? Igitur sanctissimam animam etsi gladius persecutoris non abstulit, ipse tamen palmam martyrij non amisit.] hæc Fortunatus.

Sed luctui iam cedit oratio, & stylum e manu excutit inopinatus euentus: cum inter hæc de Hilario cõscribenda, affertur nuncium acerbissimum obitus Illustrissimi ac Reuerendissimi D. Antonij Cardinalis Carafæ S. R. E. Bibliothecarij: quo auctore, monitore, dicam &
C impulsore, Annales hi nostri, qualescumque sint, intra ipsa tamen septa domesticæ cellulæ, instar puellæ sese verecundius continentes, prodire tandem cœperunt in lucem. Ceterum qui tanti viri claritudine atque splendore præuio summa alacritate feliciter incedere videbantur; eius discessu, densa obtecti caligine, mæsti resiliunt. Nam sicut eorum egressus ac progressus ipse extitit dux atque promotor; et totũ id quod sunt, eidem lector debes acceptum ferre: ita iacturam quoque tuam in eo ex ipsius obitu senties, si forte lentiore gradu eosdem senseris mærentes incedere. Quanta vero putas illum solicitudine pro te laborasse, cum nutu, voce, quin & clamore impellebat ad cursum, & addebat currenti calcaria? licet ad longioris viæ terminum Nisæus quoque equus ipsi segnior videretur.

DE ANTONII CARDINALIS CARAFAE OBITV AVCTORIS LVCTVS.

At priuata hæc dixerim damna, & nullius ferme momenti, si conferas cum illis, quæ vniuersa Christiana Respublica passa est tanti obitu sacerdotis, doctrina etsi non primi, inter
D primos certe adnumerandi, probitate vero nulli secundi. Quis vmquam compluribus retro decursis sæculis adeo de Christianis litteris bene meritus reperitur? cuius industria, intermortua editio Septuagintaduorum rediuiua inexpectata comparuit; & nostra Vulgata, plurimo excusso puluere, enitescit; cuius & diligentia, Oecumenica antiqua Concilia tam Latine quàm Græce conscripta, iam sunt candori pristino restituta: Quæ Federicus Borromæus S. R. E. diaconus Cardinalis amplissimus, ei in adeo honestissima functione dignus heres accedens, recognita & aucta sub prelo habet. Sed & eiusdẽ venerandæ memoriæ viri industria tres etiam tomi Epistolarum Romanorum Pontificum, ingens plane Ecclesiæ Romanæ thesaurus e ruderibus antiquissimis effossus, iam habentur excusi. Quo quidem nomine quis neget vniuersam ei Ecclesiam Catholicam debere plurimum; nisi ille tantum, qui instar porci negligit margaritas, & sacerdotum merita redituum amplitudine & excrescentia sordide
E dimetitur? At dum hæc mecum versor, haud absque speciali Dei prouidentia accidisse videtur, vt post Hilarij recensita trophæa, præclarissimi sacerdotis monumentum hic intexamus: quippe qui in eo quod spectat ad ingenuã illam, nulloque humano affectu præpeditam in dicendo sententiam, & reprehendendo qui reprehensibilis esset, animi libertatem, Hilarium egregie fuerit imitatus; quin & ceterarum quoque virtutum splendore coruscus, ac virginitaris præsertim nitore refulgens, vere reuerendissimus atque illustrissimus & vixit, & obiit. At iam inuita licet, tanto ductore orba, ad contextum rerum gestarum reuocetur languida ac tristis oratio.

QVANTAE AESTIMATIONIS ANTON. CARD. CARAFA.

Quod vero hæreticorum omnium commune est, nempe vt in deterius prolabantur: simulatque Macedonius Episcopatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ abdicatus fuit; licet ab Acacio dissentiens, diceret Filium Deum esse, & cum aliis rebus omnibus, tum substantia Patri similem; Spiritum tamen sanctum non eiusdem cum Patre & Filio honoris participem esse docuit, sed ministrum eum & famulum vocauit; eademque de illo, quæ de Angelis vere dici possint, disseruit.

MACEDONIVS ET COLLEGAE QVID IN SPIRITVM SANCTVM.

disseruit. In cuius opinionis cum eo societatem venere Eleusius & Eustathius, & quotquot eo tempore ab illis qui contrariam sectam sequebantur, abdicati fuerunt. Basilium quoque Ancyranum eadem Macedonij venena ebibisse vnà cum Eustathio Sebasteno, testatur S. Hieronymus[a], eumque Macedonianæ partis principem nominat. A

a Hieronym. de script. Eccles. in Basilio.
b Sozom. lib. 4. c. 26.
MARATHONIVS PROPAGATOR HAERESIS MACEDONIANAE.

Quorum quidem doctrinæ (inquit Sozomenus[b]) non exigua populi multitudo tum Constantinopoli, tum in Bithynia, Thracia, & Hellespontο, tum denique in aliis nationibus finitimis paruit. Etenim vitam, cui populus maximè solet animum attendere, non male instituebant. Nam incessus grauis illis, & viuendi ratio similis monachorum fuit: oratio non indiserta: indoles ad persuadendum apta; qualem etiam eo tempore Marathonium fuisse tradunt: qui cum Quæstor esset publicus militum Præfectis inseruientium, multas collegit diuitias: et vt primum militiam deseruit, ad conuentus ægrorum & pauperum cura ac studio subleuandos, se totum contulit; postea vero Eustathij Episcopi Sebastiæ vitam monasticam amplexatus est, & conuentum monachorum Constantinopoli coegit, qui etiam ad hoc tempus successionis serie continuatus manet. Hanc hæresin partim studio, partim pecunia adeo auxit Marathonius, vti non sine causa (vt mihi quidem videtur) Macedoniani a nonnullis Marathoniani vocarētur. Nam solus iste cum collegis suis monachis causa extitit, quo minus hæc hæresis Constantinopoli penitus extincta esset. Etenim ex eo tempore, quo Macedonius abdicatus erat, ad Imperium vsque Arcadij, Macedoniani neque ecclesiam, neque Episcopos habebant: nam illud minime ab Arianis permissum est, qui omnes secum doctrina & opinione dissentientes ecclesiis eiecere, grauibusque affecere supplicijs.] hæc Sozomenus. B

c Greg. Nazian. ad Nectar.
ELEVSIVS PROPAGATOR SECTAE MACEDONIANAE.
d Sozom. lib. 4. c. 25.
e Anast. Nic. qq. lib. 23. tom. 6. Bibl. SS. Patrū.
PRAESTIGIAE MACEDONIANI EPISCOPI.

Qui tamen in eo corrigēdus est, quod ait ab hoc anno vsque ad tēpora Arcadij Imperatoris Macedonianos Episcopis caruisse: nam in primis liquet ex his quæ ex Basilio dicta sunt, Eustathium, Eleusium, Basilium Ancyranum, & si qui alij depositi ab Acacianis in Concilio Constantinopolitano Episcopi, hos omnes hæresi Macedonij adhæsisse: ex Gregorio Nazianzeno item constat ad Nectarium Episcopum Constantinopolitanum scribente[c], iam tempore Theodosij Macedonianos sibi Episcoporum nomina vsurpasse: nam ait: Macedoniani autem factione contendentes eo temeritatis & vesaniæ proruperunt, vt Episcoporum nomen sibiipsis adsciscant, atque his in locis appareant, caputque exerant, Eleusium suæ electionis auctorem garrientes.] hæc Gregorius. Quòd autem Eleusius Cyzici Episcopus eiusmodi Macedonianorum hæresis habitus sit facile princeps, inde accidit; quòd cum Macedonius in suburbiis Constantinopolis agens, haud diu post excesserit ex hac vita[d]; post obitum Constantij Eleusius Cyzici præualens, ibidem propagauit sectam Macedonianorum: ob eamque causam eadem vrbs dicta fuit ciuitas Macedonianorum: sic enim eam appellat Anastasius Nicænus Episcopus, cum præstigias eiusdē Macedoniani magi recēset his verbis[e]: C D

Fui & aspexi hæreticum Cyzici, quæ est ciuitas Macedonianorum, qui dicuntur Pneumatomachi; qui oleam arborem, ex loco in quo stabat, in alium locum precationis prætextu transtulit, adumbraturam fenestram inanis eorum auditorij. Et cum quidam iniquus fœnerator vexaret mulierem viduam propter æs alienum mariti, & ab ea exigeret non quod debebat, sed longe amplius; hoc cum resciuisset prædictus Episcopus hæreticus, eius marito nondum sepulto, cum adhuc efferretur, detinuit lectum in quo iacebat, & effecit vt loqueretur mortuus, & diceret quantum deberet maritus suo creditori. Hoc autem hæretico mortuo, in eius quoque monumento efficta sunt diuersa spectra & signa. Propterea ergo non oportet, quemlibet qui signa facit, tamquam sanctum admittere, sed examinare conuenienter ei qui dicit[f]: Nolite omni spiritui credere: Probate spiritum, num ex Deo sit.] hæc ipse.

f 1. Cor. 12.
QVALES AVCTORES SECTAE MACEDONIANAE.

Magna igitur facta est Macedonianis accessio tum ex affectatis operibus sanctis, tum etiam quorumdam ipsorum præstigiis. Ceterum prouocasse eos ad suum ipsorum auctorem, hoc ipsum confutasse erat. siquidem (quod testificatione antiquorum omnium constat) Macedonio nullus vmquam hæreticorum reperitur extitisse crudelior: et Eunomio sectæ propagatore nemo scelestior, vt quæ sequenti anno de ipso dicenda sunt facile demonstrabunt: de immanitate autem Macedonij suo loco superius actum est: de Macedonianis vero sæpe dicendum inferius: modo satis de ipso exordio hæresis, post Synodum Constantinopoli habitam, eiusque propagatione significasse. E

SERAPION AD ATHANASIVM DE MACEDONIANIS SCRIBIT.
g Athanas. ad Serap. de Spiritu sancto.

Iam vero cum increbrescens fama nouæ hæresis peruasisset quoque Aegyptum, Serapion ille Magnus Episcopus Thmuis reddidit de his certiorem Athanasium latentem hoc quoque tempore in eremo: quibus ille auditis, licet e latebris, continuo & ipse primus iacula intorquere aggressus est in monstrum: id quidem redditæ ab Athanasio litteræ ad Serapionem suo ipsarum initio his verbis significant[g]:

Litteræ

A Litteræ tui ſanctiſſimi affectus datæ mihi ſunt in eremo: etſi tum acerba erat contra nos perſecutio, & multiplex perueſtigatio eorum, qui me ad necem quærebant, tamen Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis nos in litteris tuis conſolatus eſt: nam refricata mihi memoriæ tuæ pietatis, ceterorumque qui legitimi ingenuique Chriſtiani ſunt, videbatur mihi eos præſentes habere. Diu igitur eas litteras cum gaudio in manu tenebam. Ceterum vbi eas perlegiſſem, incepi denuo mærore angi. Scripſiſti enim, cariſſime, & vere deſideratiſſime, & ipſe quoque mæſtus, quoſdam ex Arianis prodiiſſe, qui cum male ferant blaſphemiam in Filium, ipſi tamen male ſentiunt de Spirituſancto; dicuntque non ſolum creaturam eſſe, ſed vnum quoque ex ſpiritibus miniſtris, & gradu tantum a ceteris Angelis differre, &c.]

Sed eo periculoſius eadem hæreſis graſſari cœpit, quòd licet prodiret ex Arianis, tamen B eius promulgatores aduerſari ſe Ario profitebantur; atque adeo venenum melle illitũ, nempe Catholico nomine ſuperinducto, propinabatur. Vnde idem Athanaſius ad eumdem, prope finem, poſt multa in confutationem nouæ hæreſis egregie lucubrata, hæc addit: Sed gratiæ Deo, quòd, vt ſcribis, latere nequiuerunt ſub eo prætextu, quo ſe ſimulant Arianis contradicere: nam & apud illos in odio ſunt, eo quòd Spiritum dũtaxat, & non pariter cum eo etiam Verbum creaturam eſſe pronunciant; et male apud omnes audiunt, vt perduelles, oppugnatoreſque Spiritusſancti.] & paulo poſt: Ego igitur etſi agam in eremo; tamen ob improbitatem eorum, qui alios auertunt a veritate, nihil faciens eorum de noſtræ dictionis tenuitate & humilitate ſubſannationes, paucis ſcripſi, & tuæ pietati tranſmiſi, plurimum te exhortans, vt in iſtis legendis quædam emendes, & vbi imbecillior eſt dictio, veniam dones. Ego enim ſecundum Apoſtolicam a patribus acceptam fidem iſta tradidi, nihil prorſus aliunde adiiciẽs; C ſed ſicut didiceram, ea ſcripſi, quæ cum ſacris ſcripturis congruerent, &c.] *Prodit hæreſis Catholico nomine.*

Ab Athanaſio igitur, & ex eremo, vbi velut ſagitta in pharetra latitabat [a], primum tamquam e nubibus fulmen, aduerſus Pneumonachos recens obortos, ſcriptio prodiit: vt quem acerrimum diuinitatis Filij vindicem idem diuinus Spiritus conſtituerat, eumdem quoque voluerit eſſe ſuæ vnius cum Filio & Patre ſubſtantiæ defenſorem. Hic rurſus illud lector conſidera, a quonam eiuſmodi hæreſis promulgetur, & a quo primum pariter impugnetur: vt vel ex perſonis ſaltem diſcas dignoſcere dogmatis veritatem. Ecce tibi Macedonius, ex hominum carnificina exiens, ſanctorum cæde cruentus, martyrum madens ſanguine, totus tumens, totus furens, adeo vt eam ob cauſam ceteris Arianis, quòd eius nomine ſecta nimium infamaretur, & ab ipſo Imperatore Conſtantio Catholicorum alioqui pœnarum auido, odio haberetur, atque a ſede Conſtantinopolitana pariter deponeretur magna cum ignominia: D Hic, inquam, ſic comparatus, cum in odium ſuorum, a quibus ſententiam iuſtam paſſus erat, Arianæ hæreſi inceperit aduerſari; ne tamen impius & veternoſus hæreticus impietate careret, hæreſin talem, tantamque Satanæ afflatus ſpiritu aduerſus Spiritumſanctum blaſphemiam furibundus euomuit. Cui ex aduerſo pro aſſertione diuinitatis Spiritusſancti progreditur e ſancta eremo Athanaſius, mitiſſimus omnium hominum; non inferens, ſed patiens perſecutiones; non perdens quemquam, ſed factus ceteris cauſa ſalutis, deque exantlatis pro veritate tuenda certaminibus, mille coronis auctus, vbique ſpectatus, & Eccleſiæ Catholicæ laudibus commendatus, licet numquam ſatis laudatus. Hos, inquam, cum tamquam in campo ad certamen poſitos contemplaris; quem horum diuino afflatum Spiritu, veritatis patrocinium ſuſcepiſſe dixeris? Macedonium ne inferni fuligine plane furuum, gehennæque ignes ſpirantem; an Athanaſium iubare operum ſanctorum coruſcantem, & diuini Spiritus gra-E tia ſublimatum? Erit id perfacile cuique iudicare: vt nec opus ſit, ex aliis probationibus ſuperadditis, ſecundam, vel tertiam a Iudicibus expectare ſententiam. Sit tibi (quod alias te admonuiſſe meminimus) ad alia omnia dijudicanda dogmata, quænam vera, vel falſa, collatio iſta tamquam lapis Lydius. Cum enim perſpexeris quis qualisve fuerit, & quem finem ſortitus ſit dogmatis cuiuſque auctor, & qui pariter qualesve eius impugnatores extiterint; erit, vt in his dignoſcendis, compendioſa quadam via ſcopum veritatis attingas.

a Hieron. s. *Athanaſius primus oppugnat hæreſin Macedon.* *Ex meritis perſonarum cognoſce infanda dogmata.* *Perutilis admonitio.*

Sed vt ad Athanaſium redeamus; admiranda plane in eo elucet modeſtia, animique demiſſio, dum ſua ſcripta a Serapione cupit emendari. Talis namque eſſe conſueuit Orthodoxorum tractatorum, quantumlibet ſcientia eminentium, mentis non ſublime ſapientis, vel faſtu turgentis inſtitutio, vt libenter ſua exponant aliorum arbitrio; eorum præſertim, quos nouerint cum fidei ſinceritate egregiam ſcientiam habere coniunctam. Erat huiuſmodi quidem Serapion iſte, ex monacho Epiſcopus, & Theologicis facultatibus apprime imbutus: de cuius ſcriptis hæc S. Hieronymus [b]: Serapion, inquit, Θμούεως Aegypti vrbis Epiſcopus, qui ob ele-

Athanaſii modeſtia. *b Hieronym. de ſcrip. Eccleſ. in Serapione.*

ob elegantiam ingenij, cognomen Scholastici meruit, carus Autonio Monacho, edidit ad- A
uersus Manichæum, egregium librum, & de Psalmorum titulis alium, & ad diuersos vtiles
epistolas: et sub Constantio Principe etiam in confessione inclytus fuit.] hæc ipse.

Porro blasphemia ista postea ab ijs quoque qui Filium Dei pariter blasphemabant, ab

ARIANI IIDEM ET MACEDONIANI.

Arianis inquam, auide suscepta est; ac proinde vbicumque tam in Oriente, quàm in Occi-
dente, Ariana hæresis diffunderetur, Macedoniana æque propagabatur: adeo vt ad nouellam
hæresin fulciendam nihil omitterent Ariani, falsantes ea de causa etiam sacros codices. hinc

a Ambros. de Spiritusancto, lib. 3. c. 11.

iusta illa S. Ambrosij querela in commentarijs quos edidit de Spiritusancto [a]: Ipse (inquit)
Dominus dixit in Euangelio: Quoniam Deus spiritus est: quem locum ita expresse Ariani
testificamini esse de Spiritu, vt eum de vestris codicibus auferatis: atque vtinam de vestris, &
non etiam de Ecclesiæ codicibus tolleretis. Eo enim tempore, quo impiæ infidelitatis Au-
xentius Mediolanensem Ecclesiam armis exercituque occupauerat, vel a Valente atque Vr- B
sacio nutantibus sacerdotibus suis incursabatur Ecclesia Sirmiensis, falsum hoc & sacrile-
gum simulacrum tamen in Ecclesiasticis codicibus deprehensum est: et fortasse hoc etiam
in Orieute fecistis. Et litteras quidem potuistis abolere, sed fidem non potuistis auferre: plus
vos illa litura prodebat, plus illa litura damnabat. neque enim vos poteratis oblinire verita-
tem, sed illa litura de libro vitæ nomina vestra delebat.] hæc Ambrosius.

DONATVS FAVET HAERESI MACEDONIANAE.

Sed & eodem ferme tempore Donatum Episcopum Carthaginensem partis schismatico-
rum, quòd fœdus (vt dictum est) inijsset cum Arianis, testatur S. Hieronymus scripsisse li-
brum de Spiritusancto, Ariano dogmati congruentem. Sic igitur vides, eam hæresin ipso
sui ortu, fauentibus Arianis, eamque ferentibus, perinde ac Arianum cõtagium, vniuersum
prope Christianum orbem occupasse: qua de re sæpius inferius.

Quod autem ad Eudoxium fæcem hæreticorum omnium spectat, quem tamquam osten- C
tum Constantius Imperator in Ecclesia Constantinopolitana euexit Episcopum; Sozome-

b Sozom. lib. 4. c. 25.

EVDOXII PETVLANTIA.

nus [b] hæc habet: Ad decimum vero Consulatum Constantij, Iuliani vero Cæsaris tertium;
primo tempore quo conuentus in dedicatione magnæ illius ecclesiæ, quam Sapientiæ nomi-
ne nuncupant, agebantur; fertur, Eudoxium conscenso Episcopali solio, quo populum do-
ceret (subrogatus erat in locum Macedonij eius ciuitatis Episcopi) in ipso concionis exordio
dixisse, Patrem impium esse, Filium vero pium. Quo dicto cum populus tumultuari incipe-
ret; Conquiescite, inquit: Patrem impium dico, quia neminem colit: Filium vero pium, quia
Patrem colit. Quod cum dixisset, risus auditoribus excitatus est.] sic ludebat scelestus in re-
bus maximi ponderis, veluti ioculator. at subdit Sozomenus:

Est porro ab isto & Acacio communi consensu maxime laboratum, vt omnes in obliuionem

STVDIVM EVDOXII ET ACACII.

decretorum Concilij Nicæni adducerentur. Quin etiam formulam fidei Arimini perlectam, D
cum appendiculis, quas ipsi, quasi eam meliorem effecturi, adiecissent, passim in vniuersum
Imperium miserunt: iusserunt, idque de Imperatoris mandato, omnes qui ei subscribere re-
cusarent, exilio mulctari. Nam ferunt hoc studium ab illis susceptum esse, quòd putabant fa-
cile se, ac sine negotio conatum suum ad exitum perducturos. Quod quidem calamitatum
initium erat plane maximarum. Siquidem perturbatio non dissimilis his, quas ante com-
memorauimus, per totum Imperium peruasit: itemque persecutio par fere illis, quas Genti-
les Imperatores iam olim excitauerant, omnes omnium Ecclesias occupauit. Nam licet qui-
busdam, quantum ad cruciatus corporis attinebat, remissior videretur; prudentibus tamen
propter dedecus multo reuera acerbior. Nam vtrique, & qui persecutionem ciebant, & qui
erant eadem afflictati, de Ecclesia fuerunt. Itaque eo turpior clades erat, quòd quæ hostes
facere solent, eadem iu tribules facta sunt. Atqui sacra lex vetat, tales nos ostendere etiam E
aduersus exteros & peregrinos. Ista quidem nouitas a multis approbata, in dies magis magis-
que creuit, & ad aliarum rerum nouandarum studium serpsit; atque arrogantia elata, patria
& auita instituta cœpit contemnere, legesque proprias & suas condere.] hæc ex Sozomeno.

Ceterum quod item ad Eudoxium spectat: tantæ compertus est fuisse impietatis, vt cum

EVDOXIANI DICTI AETIANI.

Eunomio paria de Filio Dei sentiret, esse Patri dissimilem: sed occultabat scelus; suadens
quoque scriptis Eunomio, vt eamdem horrendam blasphemiam ad tempus tegeret, fore ali-

c Theodoret. lib. 2. c. 29.

quando vt eamdem magnifice propalaret. istæc quidem de eo pluribus Theodoretus [c]: cuius
quoque assertione illud compertum habetur, Eudoxio ob excellentiam impietatis Aetium
inhæsisse, illum vero ambitiose obtinuisse, vt eorumdem hæresis sectatores non ab Aetio Ae-
tiani, sed ab ipso Eudoxio Eudoxiani nominarentur. Eunomius autem licet ab Eudoxio ad-
uersus accusatores sæpe defensus; tamen cum impius esse conuictus omnino fuerit, consilio
eiusdem Eudoxij fugam arripiens, hæresin quam fouerat verbis, scriptis audacius propa-

lauit.

A lauit, atque præstans impietate euasit hæresiarcha, Aetio magistro non impar; de quo S. Basilius [a]:

Eunomius iste Galata, qui e rebus sibiipsi turpissimis factus illustrior (Gloria enim, inquit Apostolus, in confusione ipsorum) cum futuris pietati præmiis eum honorem prætulisset, qui ipsum consequeretur, si quæ nullus vmquam attigit, conscripsisset; blasphemiam, quam pressis adhuc labiis aliqui obloquebantur, splendidis his scriptis suis ausus est prædicare: princeps enim, atque defensor totius hæresis appellari cōcupiuit.] hæc S. Basilius: qui cum Eunomium appellet Galatā, erroris arguitur Sozomenus, dum eum Cappadocē patria fuisse tradit; ex eo deceptus, quòd quem constat vixisse in Cappadocia, natum in ea prouincia existimauit: homo certe nequissimus, & si quis alius vmquam immenso tumore mentis elatus. Etenim quo eius processerit fastus, vel insania potius, vix credibile videtur: nam de eo Theodoretus [c] hæc ait:

B Ausus est enim dicere, nihil se ex rebus diuinis ignorare, sed ipsam etiam diuinam substantiam exacte nouisse; eamdemque de Deo se habere cognitionem, quam de seipso habeat ipse Deus. Hoc eius furore perciti qui sunt execrandæ illius sectæ participes, audent & aperte dicere se ita Deum nosse, vt ipse seipsum.] ita Theodoretus.

Istæc de procacia Eunomij cum S. Basilius accepisset, vt eius retunderet efferentem se adeo petulantiam, sic ad ipsum Eunomium scripsit [d]: Qui ea quæ sunt, scrutatu facilia esse dicit: omnino viam quamdam ac rationem, ex eorum quæ sunt, cognitione, mente sua complexus est, & in his quæ comprehensibilia sunt, & minutiora, exercitatus, per huiusmodi cognitionem & incomprehensibilem phantasiam vltra omnem cognitionem promouit. Itaque qui se existentium scientiam assequutū esse gloriatur, exponat nobis, quomodo quod minimum est eorum quæ in lucem prodierunt, natura habeat; et, quæ formicæ sit natura, dicat:

C an spiritu, vel anhelitu vita ipsius contineatur: an corpus habeat ossium districtione concinnatum, ac discretum: neruis ne ac nodulis coniuncturarū roborata sit: an musculorum & glandularum complexu, neruorum natura vndequaque conseruetur: an e sincipite per dorsuales nodos ad caudam vsque medulla prorogetur: vtrum ex neruosæ pelliculæ conflexione motis membris sit progrediēdi facultas: habeatne hepar: an sub hepate sit flauę bilis folliculus: vtrum renes habeat, & cor, & arterias, & venas, & membranas, & diaphragmata: nuda ne sit, vel crinita: an vnius tantum generis, aut multifariis vtatur pedibus: quamdiu viuat: et quæ sit illi propagandæ posteritatis ratio: quotuplo fœtu, dum generat, fœcundetur: Et quomodo nec pedestres omnes sint formicæ, nec alatæ omnes; sed aliæ humi repant, aliæ vero per aera volitent. Dicat itaque formicarum nobis naturam, qui eorum quæ in natura sunt scientiā cum fastu se prædicat assequutum: atque ita demum de potentia illa omnem intellectum

D superante disputet. Si vero scientia minutissimæ formicæ nondum es assequutus naturam; quomodo incomprehensibilem Dei potentiam imaginatione tua comprehensam esse gloriaris?] hactenus Basilius ad Eunomium.

At qui tantam sibi diuinarum rerum arrogabat scientiam; quiq. negabat Filium Patri similem; ipse se (proh scelus!) similem scientia prædicabat Altissimo. Sed quid inde euexit iste, cum scrutatus diuinam maiestatem, in terram descendens homines docuit? Audi Gregorium Nazianzenū [e] Eunomij & Eunomianorū prodentem horrēdam auditu blasphemiā: Deum quidē (inquit) Filium esse fatentur, cum hoc ab eis & ratio ipsa & Scripturæ testimonia extorqueāt; sed æquiuoce Deum dici, ac nominis solius participem esse contendunt] perinde ac animal pictum, animal nomine tenus dicere consueuimus. Et de Incarnationis incomprehensibili mysterio quid assequutum se dixerit homo vaniloquus, recitat Gregorius Nyssenus [f]: nimirum,

E Dei Verbum non secundum substantiam, at secundum virtutes tantum humano corpori vnitum esse.

Sed & si ad inferiora descendas; videas, quid docuerit in Ecclesia homo scientia Deo non impar: qui Filium Dei negauit Deum; nec Verbum hominem factum, Ioanne iste sapientior affirmabat: Hic, inquam, fidem quam ipse prædicabat, sufficere ad salutem iactabat, etiam si grauia atque enormia quis crimina perpetraret, atque in ijsdem perseueraret assidue. Testatur id de Eunomio Augustinus [g]. En quàm mirificum & excellentem recentiores hæretici gloriari possunt se nactos esse doctorē; qui, quæ ille ex intimis penetralibus diuinæ mētis secreta hausit, affatim participātes, id ipsum eructēt; satis scilicet fidē esse absque operibus ad salutē.

Quin & hic idem illorū magister eas in ipsorū animos instillauit blasphemias, quas & auide acceperunt; nimirum, sanctorum martyrum reliquiarum, miraculorum, eisdemque adhiberi soliti religiosi cultus contemptū. de eo enim hæc habet S. Hieronymus [h] in Vigilantium: Rides de reliquiis martyrū cum auctore huius hæreseos Eunomio; Ecclesiis Christi calumniam

[Margin notes:]
a Basil. aduers. Eunom. lib. 1. prope princip.
EVNOMIVS HAERESIARCHA PROCACISSIMVS.
b Sozom. lib. 7. c. 17.
c Theod. lib. 4. haeret. fabul.
BASILIVS REDARGVIT EVNOMII TEMERITATEM.
d Basil epist. 168.
EVNOMII ARROGANTIA QVO PROGRESSA.
e Greg. Nazianz. de Theolog. orat. 3.
f Greg. Nyss. de anima lib. 2. c. 12.
BLASPHEMIAE ALIAE EVNOMII.
g August. de haeres. c. 54.
RECENTIORVM HAERETICORVM CVM EVNOMIO ANTIQVA COGNATIO.
h Hieron. adu. Vigil. to. 2.

ftruis; nec tali focietate terretis, vt eadem contra nos loquaris, quæ illa contra Ecclesiam loquitur? Omnes enim fectatores eius basilicas Apostolorum & martyrum non ingrediuntur, vt fcilicet mortuum adorent Eunomium, cuius libros maioris auctoritatis arbitrantur, quàm Euangelia, & in ipso credũt esse lumen veritatis.] et inferius de eodē Eunomio tradit, ipsum, inftar Porpbyrij, impie detraxisse miraculis sanctorum martyrum, quæ dicebat esse præstigias dæmonum. Docuisse pariter eumdem Eunomium anabaptismum, cum fcilicet rebaptizaret eos, qui in nomine fanctissimæ Trinitatis baptizati essent, Epiphanius[a] auctor eft. De origine præterea & creatione animæ male fensisse, a S. Gregorio Nysseno redarguitur[b]. A

a Epiph. hær. 75.
b Greg. Nyss. de anima, c. 6.

ALIA EVNOMII DELIRAMENTA.

Porro adeo infensus hostis fuit fanctissimæ Trinitatis Eunomius, vt quęlibet etiā signa, quibus illa repræsentaretur, amouerit: nempe trinā in baptismo fieri folitam immersionē. Sed & illud ridiculum in baptizando homine excogitauit, vt magna cautela ageretur, ne aqua baptismi alia membra, quàm quæ funt fupra pectus, cum quis baptizatur, abluerentur. Testatur id quoque de ipso Theodoretus[c], qui addit: Ad hoc vt id integre præstare posset, plures baptizādi modos excogitauit, & inter alios illũ, cum baptizandũ hominem fupra fubselliũ inclinatũ ponũt, foras tantũ capite prominēte: vel modũ illũ, cum hominē in baptisterio positũ totum pānis inuolutũ vfque ad vngues, parte fuperiori pectoris cũ capite nudo relicto, baptizabat.] B

c Theod. lib. 4. hæret. fabul.

EVNOMIVS IMPVRISSIMVS.

Sed qualis doctrina Eunomius, talis & vitæ moribus fuit: quippe discipulus Aetij, asserentis, abfque peccato licere fe carnis libidinibus quomodocumque polluere, ficq. omni ex parte turpissimus, a quibusnam putandus fe tēperasse impudicitiis, quas cenferet fibi perpetrare fas esse? Vir (inquit Ruffinus[d]) corpore & anima leprosus, & interius exteriusque morbo regio corruptus.] Magno namque damno fidelium, vitam longius Eunomius propagauit: fiquidem anno decimoquarto Theodosij Imperatoris adhuc fuperftes erat, quādo S. Hieronymus fcribebat commentariolum de viris illustribus: de quo cum meminit, ait: Vfque hodie viuere dicitur in Cappadocia, & multa cōtra Ecclesiā fcribere. Responderunt ei Apollinarius, Didymus, Basilius Cæfariēsis, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus.] hęc S. Hieronymus. Legibus quoque Imperatorum Catholicorum dānatus eft, quòd fecreto conuentus cogeret; vnde, inquit Theodoretus[e], accidit, vt ijdē Eunomiani dicti fuerint Troglodytæ. Sed & testatur ad fua tempora in exiguum numerum eius fectam redactam esse. Habuit discipulos magiftro impietate non impares, & inter alios Vrbicum Potentinum, cuius meminit[f] Athanasius: habuit & Philostorgium discipulum, ingentem laudum fuarum præconem[g]. C

d Ruffin. lib. 1. c. 25.
e Theod. de hær. fab. lib. 4.
f Athanas. de fing. nom.
g Niceph. lib. 2. c. 29.

EVNOMII SCRIPTA QVALIA.

Quod autem ad Eunomij lucubrationes pertinet, non tantum fuerunt impiæ, fed plane infulsæ, vtpote hominis dialecticis tantummodo disciplinis exculti, qui facras litteras leuiter attigit. Socrates[h] eius fcriptorum monimenta recenfens, hæc de ipso ait: Eunomius Aetij cognomento impij fcriba fuit: qui cum eo vitā degens, fallaces ratiocinandi, concludendique modos, qui funt fophiftarum proprij, ab illo didicit, eosque fedulo imitatus eft. Quin etiam inanibus ineptisque vocibus operam dare, fophismataque quibus ipse irretiretur, contexere impudens aggressus, illisque arroganter inflatus ad blasphemiam præceps ruit.] et paulo poft: At tametsi facrarum litterarum prope ignarus imperitusque fuit, neque potuit omnino eas intelligere; tamen verba variare, eademque femper aliter atque aliter dicere potuit. At quod fibi ad dicendum proponebatur, numquam attigit, ficut feptem tomi ab illo in Apostoli Pauli ad Romanos epistolam tam inepte compositi fatis perspicue declarant. Nam cum multa verba inaniter de ea epistola profuderit; institutum tamen Apostoli animo capere nullo modo valet. Extant alij eius libri his confimiles; de quibus fi cui in animo fit periculum facere, in magna verborum copia miram fententiarum inopiam reperiet.] hactenus Socrates: his confentientia alij quoque fcripsere, & inter Græcos nouissimos late Suidas. D E

h Socrat. lib. 4. c. 7.

HAERESES EX ARIANA PROPAGATAE IMPIETATE.

Iam vides, lector, ex infelici radice Arianæ hæresis tot praua germina propagata, nempe Eufebianos, Aetianos, Photinianos, Eudoxianos, Acacianos, Eunomianos, Macedonianos, atque Psatyrianos, quorum meminit Theodoretus[i]: qui impie dixerant, idem esse in Deo gignere, atque creare: quibus adiungit Cyrtianos, atque Dulianos, qui Dei Filium Patris feruum phanatice dixerunt. His igitur de hæresibus, quæ ex Ariana hæresi pullularunt, deque amotione & fuffectione diuerfarum fedium Episcoporum, ordine recenfitis; reliquum eft, vt de Antiochena fede, cui præerat Eudoxius translatus Conftantinopolim, cuinam poft illum obtigerit, pauca dicamus. Atque illud primo memoria repetendum, Amianum illum, qui Eudoxio in Concilio Seleucienfi damnato, ab eadem Synodo fuerat fubftitutus, a Comitibus eidem Synodo præsidentibus fuisse in exilium amandatum: atque ob eam caufam relicta erat ipsa ciuitas abfque paftore, libentius ferens folitudinem fuam, quàm hæreticum fibi Episcopum dari.

i Theod. lib. 4. hæret. fab.

Quo

A Quo tempore (inquit Sozomenus[a]) Eudoxio Ecclesiam Constantinopolitanā gubernante multi sedem Antiochenam magno studio ambire cœperunt, & contentiones ac seditiones variæ (quod credibile erat in rebus eiusmodi euenire) tum in clero, tum in populo forte ortæ sunt: nam singuli, eum quem sperabant secum fide consensurum, ad Ecclesiam gubernandam delegerunt. Nondum enim desierant de doctrina fidei diffidere, neque adhuc in psalmorum & hymnorum cantu consenserant: sed quod canebatur, singuli ad suam opinionem (vt ante dictum est) accōmodabant. Cum hic igitur esset Antiochenæ Ecclesiæ status; percommodum visum est Eudoxianis, Meletium Sebastia Antiochiam transferre, virū tum ad dicendū, tum ad persuadendū valde idoneum, ipsa quoque vitæ ratione spectatū, & cum ipsis iam ante opinione coniunctū. Nam fama & æstimatione eius futurum putabant, vt non modo accolas Antiochiæ, verum etiam vrbes finitimas, & maxime olim Eustathianos, qui ita de Deo, sicut B Concilium Nicænum tradiderat, sentiebant, omnino ad suam sectam attracturos.

a Sozom. lib. 4. c. 27.

MELETIVS AB EVDOXIO DATVR EPISCOPVS ANTIOCHENIS.

Sed longe ipsos sua fefellit opinio. Nam vt venit Antiochiam, dicitur magnā populi multitudinem tum Arianorum, tum communionis Paulini in vnum conuenisse; partim quo eum, de quo tam celebris fama ante eius aduentum eo peruenerat, oculis viderēt; partim quo quid dicturus, & quibus partibus esset suffragaturus, intelligerēt. Etenim fama iā illo peruaserat, eū doctrinæ Concilij Nicæni approbatorem esse. Quod quidē euentus rei plane declarauit. Nam tametsi principio eo genere concionū, quod ad mores informādos pertinet, publice vtebatur; ad extremū tamen, Filium eiusdē cum Patre substantiæ esse, palam asseruit. Dicitur porro, archidiaconū illius cleri, dum adhuc cōcionaretur, ad eū accurrisse, & manu admota, eius os obturasse; cum autē manu multo euidentius, quàm voce, sententiā suam populo indicasse. Nā primum tres tātum digitos palam, vt omnes viderent, extendisse; deinde eosdē rursus cōpressisse, C vno solo porrecto. qua quidem manus suæ figura, tamquam effigie quadam populo expressit tum quæ sentiret, tum quæ dicere constituisset. Cum autē hic conatus archidiaconi frustratus esset, & ore dimisso manum Meletij comprehendisset: Meletius cum linguam haberet liberam, clamore, voce, & oratione planiore suam declarauit opinionem, populumque cohortatus est, decretis Nicæni Concilij adhærescere; ingenueque apud auditores testificatus, eos qui aliter sentirent, a veritate penitus aberrare. Vbi vero non intermisit eadē ipsa, quantum poterat, aduersus archidiaconum ipsum impedire conantem, modo ore efferre, modo manu vicissim demonstrare, & in vtraque re enixe præstanda, homini omni certaminis genere exercitato se similem præbere; Eustathiani exclamare, gestire, & præ gaudio tripudiare; Ariani autem animos demittere cœperunt.

MELETIVS EX INSPERATO FIDEM CATHOLICAM PROFITETVR.

Qua re audita, Eudoxiani grauiter succensere, sedulo operam dare, vt Meletius vrbe illa D pellatur: eum denuo accersere ad se, quo pœnitentia adductus tum opinionem mutaret, tum ea quæ dixerat, corrigeret. At cum de sententia minime desisteret; Imperatoris mandato & exturbatus Ecclesia est, & in exilium eiectus. Quo facto sedes Antiochena Euzoio delata est, qui quidem iam antea simul cum Ario abdicatus fuerat: Meletij autem fautores se ab Arianis segregantes, conuentus separatim egerunt. Nam qui ab initio Filium Patri consubstantialem asserebant, hi cum illis communicare propterea detrectarunt, tum quòd Meletius ab Episcopis Arianis creatus fuerat Episcopus; tum quòd hi qui eum sequebantur, a sacerdotibus quoque Arianis baptizati. Atque isti quidem, licet doctrina fidei consentientes, ob hanc causam diuisi sunt. Imperator autem, simul vt accepit, Persas res nouas moliri, venit Antiochiā.] hæc Sozomenus. Porro aduentum Imperatoris Antiochiam nonnisi circa finem huius anni contigisse, Ammianus tradit[b]. Eadem quoque de concione a Meletio habita E Antiochiæ Epiphanius[c] meminit; immo & ipsam integre recitat: cuius est exordium: Sapientissimus Ecclesiastes dixit, Melior est finis orationis, quàm principiū, &c.] vtpote quòd Meletius in suæ ipsius orationis fine confessus esset sanctissimam Trinitatem. Ceterum de his agens Theodoretus[d] confundere videtur depositionem & exilium Meletij cum ingressu eius in sedem Antiochenam: nam Synodum, cuius meminit, tempore depositionis eius potius contigisse, ex his quæ ceteri tradunt, affirmari posse videtur.

MELETIVS EIECTVS IN EXILIVM.

b Ammian. lib. 20. in fine.
c Epiph. hær. 73.
d Theod. lib. 2. c. 31.

Sed quod ad Meletium spectat, hallucinatus est Socrates[e], dum ait, ipsum Meletium ex sede Sebastena translatū Berœeā, & ex hac ciuitate Antiochiā, cum potius Berœea in sedem Sebastenam in locum Eustathij nuper depositi fuerit subrogatus, & communi decreto populi annuētibus Acacianis Antiochiā accersitus. Eusebius enim Episcopus Samosatenus, cum Meletij animū satis exploratū haberet, sentire eum quæ pia sunt, cōsentientia Nicænæ fidei, ad eū eligendū Antiochenos Catholicos persuasit; cū reliqui putātes Meletium a suis partibus stare, quòd ab Acacianis Sebastenæ Ecclesiæ præpositus fuisset, haud inuiti electioni Meletij cōsen-

e Socrat. lib. 2. c. 34.

EVSEBIVS EPISCOP. SAMOSAT. MELETII PROMOTOR.

ſerint: quod quidem decretum electionis firmatum pactis cõuentis, apud Euſebium tamquam ſequeſtrem, depoſitum eſt. Sed cum (vt diximus) in publica concione ſeſe Meletius ſecundum Nicænam fidem recte ſentire profeſſus eſſet, ob eamque cauſam e ſede Antiochena depoſitus: Acaciani, qui tunc erant Antiochiæ, decretum illud de electione Meletij per ipſum Imperatorem niſi ſunt ſurripere ab Euſebij manibus: at vicit eius conſtantia. Rem porro geſtam Theodoretus [a] narrat his verbis: A

a Theod. lib. 2. c. 31.

Euſebius vero ille admirabilis, cuius ſupra mentionem feci, cuiq. commune de Meletio decretum commiſſum fuit, cum videret pacta violata, ad vrbem ſibi concreditam abiit. Ariani autem, veriti ne decreti illius conſcripti teſtimonio plane coarguerentur, perſuadent Conſtantio, vt nuncium mitteret, decretum ab Euſebio petiturum. Imperator ergo eorum impulſu mittit nuncium, qui equis in itinere crebro mutatis, quàm celerrime tum aliquo proficiſci, tum reſponſa ferre conſueuerat. Vbi venit ad Euſebium, & mandàta Imperatoris ei exponit: Euſebius, vir ſane numquam ſatis laudatus: Non poſſum, inquit, commune decretum apud me depoſitum reddere, niſi omnes, qui meæ fidei illud cõmiſerunt, in vnum conueniant. Quod reſponſum nuncius refert ad Imperatorem. Ille ardens iracundia, nunciũ mittit denuo: iubet decretũ reddi: additq. in litteris ſe mandaſſe nuncio, vt niſi redderet illud, dexteram eius amputaret: cum tamen hæc ad eum perterrefaciendum ſolum ſcripſiſſet. Siquidem vetuerat, tabellarium illud facere, quod per litteras Euſebio minatus fuerat. Simulatque vero diuinus ille vir reſignatis litteris intellexit ſupplicium, quod Imperator ei minatus fuerat; non dexteram ſolum, ſed læuam etiam extendit, iubetq. vtramque abſcindere: Nam decretum, inquit, non reddam, quod Arianæ improbitatis tam clarum indicium dat. Itaque Imperator, intellecta eius animi magnitudine & conſtantia, & tum eum plurimum admiratus eſt, & poſtea laudibus efferre non deſtitit. Etenim inimici, præſtantes aduerſariorum virtutes, magnitudine rerum geſtarum ad id compulſi, etiam admirari ſolent.] hactenus de his Theodoretus. B C

EVSEBII EPISC. SAMOSATENI CONSTANTIA.

Quòd autem depoſitiones Epiſcoporum ab ipſis quoque Arianis abſque Synodo minime peragi ſolerent; plane demonſtrat, eam ipſam quæ fertur Synodus Antiochena hoc tempore habita auctoritate Conſtantij, ad exauctorandum Meletium & ſubſtituendum Euzoium fuiſſe collectam. Meletium vero hoc anno vigeſimoquarto Conſtantij electum Epiſcopum Antiochenum, & paulo poſt deiectum, S. Hieronymus teſtatur in Chronico. Quæ igitur cauſa Meletij conuenit Synodus Antiochiæ, nouam rurſus fidem, eamdemque omnium deterrimam condidit, de qua hæc in primis Sozomenus habet [b]: Acaciani vero adhuc quieſcere non poterant; ſed Antiochiæ rurſus in vnũ cum paucis quibuſdã congregati, decreta quæ ipſi ſanciuerunt inſimulabãt: ſtatuebantq. nomen, ſimile, ex formula Arimini & Cõſtantinopoli perlecta, eximendũ eſſe: et Filium Patri tum ſubſtantia, tum voluntate diſſimilẽ eſſe, & ex nihilo ortum, ſicut Ario iam ab initio placuerat, docebant. Quibus fuere ſubſidio ſectatores Aetij, qui primus poſt Arium his nominibus palam auſus eſt vti. Vnde factũ eſt, vt tum ipſe ἄθεος, id eſt auerſus a Deo, tum eius doctrinæ approbatores Anomiani, & Exucontij, id eſt Filiũ Patri diſſimilem & ex nihilo ortum ſtatuentes, appellarẽtur. Ac cum fautores decretorum Concilij Nicæni ſciſcitarentur ab illis; quemadmodum cum Filium Deum de Deo confiterentur, eum diſſimilem Patri, ex nihilo ortum, idque contra ſuam ipſorum fidei formulam aſſerere auderent? Reſpondebant, Paulum Apoſtolum dixiſſe, omnia ex Deo eſſe: et Filium in hac voce, Omnia, includi: hacque ratione ſcriptum a ſe propoſitum, in quo fidem ſecundum diuinas ſcripturas expoſuerant, intelligendum eſſe. Atque iſtud quidem hoc modo inuertere, captioſeque eludere conati ſunt. Ad extremum cum non poſſent his qui eos accuſarent, arguerentque, ſatis plane reſpondere; lecta denuo fidei formula Conſtantinopoli approbata, decedunt, & ad ſuas ipſorũ ciuitates reuertuntur.] hæc Sozomenus: atque hic finis Arianorum ſub Conſtantio Synodorum. Habet eadem Athanaſius [c], ex quo videtur idem accepiſſe Sozomenus. D E

SYNODVS ANTIOCH. IN CAVSA MELETII.

b Sozom. lib. 4. c. 28.

EX VLTIMA PERFIDIA ARIANORVM ANOMIANI HAERETICI.

c Athanaſ. de Synod.

Porro horum omnium fuiſſe Conſtantium Imperatorem anteſignanum, idem Athanaſius ſubdit, eumque affirmat in hac ipſa perfidia omnium extrema vſque ad obitum perſeueraſſe, in qua & baptizatum eſſe ab Euzoio hæreticorum impuriſſimo. Ceterum etſi ex Athanaſij ſententia Conſtantius horum omnium ſcelerum auctor eſt habitus; Acacius tamen, qui eius inhærebat lateri, ab eodem Athanaſio prædicatur totius impiæ molitionis architectus: quod enarrata de eo ſuperius facile docent. Cum igitur omnium ſententia Acacius iſte Cæſarienſis Epiſcopus nullo refragante exiſtimatus ſit Arianorum omnium nefandiſſimus; hic elucidandus eſt Hieronymi [d] locus ſubobſcurus, quo ab hæreticorum claſſe

ACACIVS OMNIVM SCELERVM ARCHITECTVS.

d Hieron. epiſt. 152.

A classe visus est Acacium subtraxisse, cum ad Minerium* scribens sic ait: Ego & in adolescentia mea, & in extrema ætate protestor, & Origenem & Eusebium Cæsariensem viros esse doctissimos, sed errasse in dogmatum veritate: quod e contrario de Theodoro, Acacio, & Apollinario possumus dicere: et tamen omnes in explanationibus scripturarum sudoris sui memoriam reliquere.] hæc S. Hieronymus. *Minerium

At Victorius emaculator atque elucidator scriptorum S. Hieronymi, licet vir plane disertus, nescimus quo modo cum in locum hunc incidit, memoria temporum lapsus, quod S. Hieronymus de Theodoro & Acacio tradit, intelligendum putat de Acacio illo Episcopo Constantinopolitano, quem damnauit Gelasius Papa, & Theodoro illo Episcopo Mopsuesteno, damnato in sexta Synodo; quorum ætates longe post Hieronymi tempora successere. LOCUS S. HIERONYMI DE ACACIO ELUCIDATUR.
Ceterum licet ex recitatis Hieronymi verbis aliqua possit de eorum sensu emergere dubi-
B tatio; certe quidem de Hieronymi sententia, quin hos semper habuerit hæreticos, nulla penitus potest suboriri suspicio: nam & in eadem epistola, cum Acacij & Theodori scripta sæpe citasset, hæc subdit: Si quis autem contrariæ factionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorū dogmatibus non acquiesco; sciat me illud Apostoli libenter audire: Omnia probate; quod bonum est, tenete: et Saluatoris verba, dicentis, Estote boni nummularij.] Ceterum illud non male Victorius, vt id quod a Hieronymo dicitur, e contrario, idem sit quod, a fronte, & quod Græci dicunt ἐναντίον. At magis placet, vt pro Quod, legendū sit Quid, addito accentu interrogatiuo, in hunc modum: Quid e contrario de Theodoro, Acacio, Apollinario possumus dicere? et tamen omnes in explanationibus scripturarum sudoris sui nobis memoriam reliquerunt.] quæ si sic legas, nihil in Hieronymo inuenies obscurum, vel prauum. At de his hactenus.

C Vltima hæc Antiochiæ celebrata Synodus Arianorum sub Constantio fuit; atque hic tandem finis magnæ tragœdiæ ab Arianis post Nicænum Concilium, per triginta & amplius annorum spatia confectæ; cuius tot fuerunt actus, quot celebrata Concilia: quorum vltimo, funestum illud, quod primum in eorum insedit animis, Dei Filium (pro scelus!) substantia & voluntate esse dissimilem, infeliciter conclusum est. VLTIMA SYNODUS ARIANORUM SUB CONSTANTIO

Sed (o prodigium!) quo tempore a Constantio adimitur diuinitas Filio Dei, eodem quoque ab ipso Imperium abripitur, cum in Galliis Iulianus a militibus aliàs acclamatus, Imperator eligitur, & quantumlibet inuitus cogitur imperare, a quo esset anno sequenti Orientali quoque Imperio exuendus & vita, nisi eum mors citiot confecisset. Hæc de Iuliano, creato ab exercitu Augusto, pluribus Ammianus [a]. Inuitum autem, nolentem, atque penitus reluctantem, se ab exercitu coactum Imperium suscepisse, idem ipse Iulianus in Misopogone contestatur. Hisce peractis, celebrans quinquennalia, diademate visus est lapidum fulgore distincto: cum antea, præ penuria, torques aurea fuisset à milite capiti ipsius imposita. Defunctam inter hæc coniugem Helenam, Romæ in suburbano viæ Nomentanæ, vbi Constantina soror eius, Galli coniux, sepulta erat, condi præcepit. Hæc omnia apud Ammianum [b]. IVLIANVS ACCLAMATVS IMPERATOR. a Ammian. lib. 20. b Ammian. lib. 21. & 22.
D

Ista dum aguntur in Occidente, inualescunt res Persarum aduersus Romanos in Mesopotamia, expugnatis munitione dicta Singata & aliis locis. Quo vero tandē exterminij prolapsę sint sub Constantio res Orientales, & in quod discrimen ipse Constantius positus fuerit, Ammianus [c] illis verbis significat: Sabinus fortuna & genere inter municipes clarus, ore volubili replicabat, Constantiū immani crudescente bellorum materia, superatum a Persis, deductumq. posttemo per fugā cum paucis adhibitā stationem intutā, panis frusto vixisse precario ab anu quadam agresti porrecto.] cetera autem anno sequenti, quo eadē contigerūt, dicenda sunt. PERSAE VRGENT ROMANVM IMPERIVM. c Ammian. lib. 25.

E Hoc eodem anno ciuitas Alexandrina, Georgio reuertente ex Synodo, dire vexata est eius tyrannica potestate: de qua sic Sozomenus [d]: Eodem tempore, Athanasio adhuc in latibulo latitante, Georgius Alexandriam reuersus, tum Gentiles, tum Christianos, qui opinione ab ipso discrepabant, grauibus affecit incommodis: vtrosque ad suam religionem per vim adducere conatus est: et si qui renuerent, eos acerbe exagitauit. Habebatur odio tum a viris principibus, propterea quòd ipsos contemnere, & magistratibus imperare; tum etiam plebi, quòd tyranni partes agere, & omnes potentia superare visus est. Sed maxime omniū Gentilibus inuisus erat, & quòd immolare idolis ipsos, & quòd dies festos patrios peragere prohibuerat, & quòd militibus, ac Duce Aegypti cum armis in vrbē introductis, statuas, monimenta, & omnia fanorum ornamenta abstulerat. quæ res causa extitit, cur sit postea interfectus.] sed de hoc inferius. De eo illa quoque fuit querela, quòd cirros puerorū licentius tondebat. Hæc cum dicat Ammianus [e], idem est ac si diceret ipsum Georgium inuitos pueros in clerum cooptasse. Istæc vltimis ferme Constantij Imperatoris temporibus acciderunt. d Sozom. lib. 4. c. vlt. REDEVNTE GEORGIO ALEXANDRIA VEXATA. e Ammian. lib. 22.

A

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
361.	10.	25.

IVLIANVS SIMVLAT SE CHRISTIANVM.

TRecentesimus sexagesimusprimus Christi annus Tauro & Florentio Consulibus adscribitur Fastis, famosus morte Constantij Imperatoris. At quæ sint eius obitum antegressa, seruato rerum ac temporum ordine describamus. Iulianus Augustus ipso mense Ianuarij, licet animo auersus a Christiana religione prorsus esset; tamen ad stabiliendum collatum sibi a militibus nuper Imperiũ, quo sibi Christianorũ animos conciliaret, quorum magna vis esset, eam ex more excolere simulans, vna cum illis sacros celebrauit conuentus: Ammianus enim de eo hæc habet [a]: Agebat (inquit) nihil interim de statu rerũ præsentiũ mutans, sed animo trãquillo & quieto incidentia cuncta disponens; paulatimque sese corroborãs, vt dignitatis augmento, viriũ quoque congruerent incrementa. Vtque omnes, nullo impediẽte, ad suum fauorem alliceret; inhærere cultui Christiano fingebat, a quo iam pridem occulte desciuerat, arcanorum participibus paucis, Aruspicinæ auguriisque intentus, & ceteris quæ deorum semper fecere cultores. Et vt hæc interim celarentur; feriarum die, quem celebrantes mense Ianuario Christiani, Epiphaniam, dictitant, progressus in eorum ecclesiam solemniter numine orato discessit.] hæc Ammianus. B

a Ammian. lib. 21.

IVLIANVS FINGIT EX NVMINE COLLATVM IMPERIVM.

At quàm diuersa a rebus gestis a Iuliano huius anni principio, quæ postea sunt ab eodem facta cessere! Siquidem obfirmato omni ex parte, vt sibi videbatur, Imperio, palam exuit, quam diutius occultauit, hypocrisin. Antehac autem, velut impellente numine, subire Imperium cogeretur, multa variaque dictitabat, & ad amicos pariter conscribebat; vt illud in primis, quod narrat Ammianus [b] his verbis: Nocte quæ declarationis Augusti præcesserat diem, iunctioribus proximis retulerat Imperator, per quietem aliquem visum, vt formari Genius publicus solet, hæc obiurgando dixisse: Olim, Iuliane, vestibulum ædium tuarum obseruo, latenter augere tuam gestiens dignitatem: et aliquoties tamquam repudiatus abscessi. Si sic nunc quidem recipior sententia concordare multorum, ibo demissus & mæstus. id tamen retineo in meo corde, quòd tecum diutius non habitabo.] huic plane haud dissimile illud est, quod idem ipse Ammianus inferius de eodem tradit [c]: Item (inquit) cum apud Viennam postea quiesceret sobrius, horrore * mediæ noctis imago quædam visa splendidior, hos ei versus heroos modò non vigilanti aperte dixit, eadem sæpius replicando, quibus fretus nihil asperum sibi superesse existimabat. C

b Ammian. lib. 19.

c Ammian. lib. 21.

* hora media

D

ζεὺς ὅταν ἐς πλατὺ τέρμα μόλῃ κλυτοῦ ὑδροχόοιο,
παρθενικῆς δὲ κρόνος μοίρῃ βαίνῃ ἐπὶ πέμπτῃ
εἰκόσῃ, βασιλεὺς κονστάντιος ἄσιδος αἴης
τέρμα φίλον βιοτοῦ συγερὸν καὶ ἐπώδυνον ἕξει.

» *Cum Iuppiter in excelsum terminum veniet turbulenti Aquarij,*
» *Virginisque Saturnus in parte ingredietur quinta*
» *Vigesima, Rex Constantius Asiaticæ terræ,*
» *Finem amicum, vitæ odiosum, & doloribus plenum habebit.*] hæc apud Ammianum ex Græco translata. Recitat eosdem versus Zosimus, diuersa tamen translatione, Latinitate donatos. E

Eiusdem quoque generis & argumẽti ea sunt, quæ idem ipse Iulianus ad Oribasium Sophistam magni nominis his ferme tẽporibus scripsit in hæc verba [d]: Ego hodie tale quiddam vidi: Arborem proceram in quodam triclinio peramplo & spatioso sitam putabam, quæ in terra se inflecteret, atque arbusculam paruam & teneram valdeque florentem ad radices adgnatam haberet. Angebat me autem vehementer metus de exigua illa arbore, ne a quopiam vnà cum magna auelleretur. Et cum propius accessissem, cerno magnam arborem humi prostratam, paruam autem erectã quidem, sed a terra suspensam. Quod cum vidissem, æstuans ac laborãs: Heu, inquam, quanta arbor! et tamen periculum est, ne surculus etiam ei adgnatus intereat. Hic quidam mihi ignotus omnino: Cõtemplare, ait, diligenter, & bono sis animo: radice enim humi manente, paruula illa arbor permanebit, firmiorque hærebit.] istæc de somnio Iulianus, seu potius de his quæ effingẽdo vigilans somniabat de futuro, quod iam prope adepturus erat Imperium; se per arbusculam, Constantium per grandem arborem præfigurans.

d Iulianus epist. ad Oribasium.

IVLIANI VISIONES NVGACES.

Ceterum

A Ceterum cum primum tantum sibi inesse virium vidit, & exercitu ad sua vota in omnibus comparato, quod clanculum paucis arbitris sibi amicitia & superstitione coniunctis agere (vt ait Ammianus) solebat, iam palam facere non erubuit. Id quidem ipse ad Maximum Ephesium scribens, quo (vt dictum est) ad omnem impietatem vsus fuerat pædagogo, affirmat his verbis [a]: Illud maxime te audire conuenit, & quemadmodum vno tempore præsens auxilium deorum sensimus, & tantam insidiatorum multitudinem effugimus; nemine occiso aut spoliato, sed ijs tantum custodiæ traditis, qui in scelere ipso deprehensi erant. Atque hæc quidē fortasse melius erit dicere, quàm scribere; puto tamen abs te libentissimo animo auditum iri. deos publice & palam colimus, & totus meus exercitus pietatem amat. Nos aperte boues immolamus. Dijs gratias agimus nullis hecatombis. Me iubent dij pure & caste, quoad potero, viuere. Ego vero iis pareo, & quidem libenti animo. Magnos fructus laborum pollicentur, nisi segniter agamus.] sic Iulianus ad Maximum, cum ex Galliis (vt iisdem litteris ipse B testatur) ad Illyrios peruenisset; cum iam vltro citroq. a Iuliano atque Constantio missis legationibus, iisdemq. cassis redditis, in apertum bellum progressa res esset.

IVLIANVS PALAM COEPIT DEOS COLERE.

[a] Iulianus epist. ad Maxim.

Insidiæ vero illæ, a quibus se deorum beneficio liberatū tradit Iulianus, descriptæ videntur ab Ammiano [b]. cum enim Constantius per secreta internuncia tentasset fidem Vadomari Regis Francorum, sibi antea fœderati, vt eum in Iulianum armaret: ille Rex ad fallendum idoneus, & insidias struendas satis callidus, officium omne suum per litteras Constantio pollicitus est. Sed dum hæc agerentur, litteris Vadomari ad Constantium interceptis; re comperta, capitur Vadomarus, atque vinctus a Iuliano in Hispanias amandatur. quādo Iulianus, mox victis Barbaris, qui prope erant in armis, pro acceptis (vt ipse tradit) a diis beneficiis, placauit (vt inquit Ammianus) secretiore ritu Bellonam, habuitq. ad exercitum concionē, & a singulis C militare iuramentum exegit. Sic igitur cum appareat, Iulianum, quamdiu fuit in Gallia, deos secreto coluisse; erroris arguitur Zosimus [c], qui tunc in Galliis eum publice immolasse testatur. Sed ex Iuliani ad Maximū litteris Ammianus [d] item redarguitur, cum de Iuliano ait, nō antea se palam sacrificum exhibuisse, atque manifestum deorum cultorem, quàm cum Constantinopolim peruenisset. At de Iuliani rebus gestis Constantinopoli, cum non nisi post mortē Cōstantii ad tertium Idus Decembris illuc ipsum contigerit peruenisse, suo loco dicendū erit.

INSIDIAE IN IVLIANVM.

[b] Amm. lib. 21.

[c] Zos. lib. 3.

[d] Amm. lib. 22.

Consules autem Taurus & Florentius, cum audissent Iulianum in Pannoniam peruenisse, fuga ex Vrbe se subduxerūt: quos in publicis memorijs Iulianus describi voluit, Consules fugitiuos. Scripserat ad Senatum litteras Iulianus, vt Vrbem sibi conseruaret. hæc Zosimus [e]. Interea conflato iam bello inter Iulianum atque Constantium: idem Iulianus, dum ageret ille in Oriente, præoccupare Constantinopolim conatus est. Strauisse quidem Iuliano ad Imperiū D inuadendum, atque etiam obtinendum, viam sua impietate Constantium, certum est. Etenim quo modo passuri essent Fideles, apostatam a fide regnare, nisi Constantij tyrannidem tum in Occidente, tum etiam in Oriente, quamdiu imperauit, experti essent; quem & Christianæ religionis nuper iam senserint perduellem, cum in Synodo Constantinopoli acta ipse cum suis Christum negauerit esse Deum? Christianorum igitur qui Catholici essent, consultius rati sunt pati dirum apertum fidei inimicum, quàm dolo serpentem aduersarium, qui abnegata Christi diuinitate, ipsam integram (quod in se esset) Christianam religionem penitus conuulsisset. Ceterum qui essent hæretici, quòd ipsis (vt sæpe dictum est) insitum esset temporibus inseruire, Iuliani gratiam potius promereri, quàm illi aduersari, in animum induxere.

FVGA CONSVLVM.

[e] Zos. lib. 3.

Porro quid Iuliano obtigerit, cum est ingressus Illyricum, vnde (vt dictum est) ea ad Maximum scripsit, Sozomenus narrat his verbis [f]: Fertur autem, cum primum fines Illyrici in-E grederetur, vites post vindemiam circiter Virgiliarum occasum, vuis acerbis minimeq. maturis onustas visas esse: roremq. tum in eius, tum in comitum suorum vestes ex aere delapsum singulis guttis signum Crucis in eis impressisse. Quæ res cum visæ fuissent; non ipse solum, verū etiam alij qui eum comitabantur, vuas haud maturas intempestiue apparentes aliquid boni portendere; rorem autem demissum, vestem eius, in quam forte cadebat, tali nota, casu ac fortuitò signasse existimarunt. At vero ab alijs dicebatur; ostentorum alterum significare, Imperatorem immaturo ætatis suæ tempore, non aliter atque vuas immaturas periturum, & Imperium ad exiguum tempus duraturum: alterum indicare, religionem Christianam cælestem esse, & omnes figura Crucis signari oportere. Quæ coniecturæ fuere eorum, qui doctrina & religione ab Imperatore dissentiebāt; neque certe, vt videtur, a veritate aberrantes: nam temporis progressio vtrumque demonstrauit vere dictum esse.] in hunc modum Sozomenus.

IVLIANO QVID CONTIGERIT IN ILLYRICO.

[f] Soz. lib. 5. c. 1.

CRVCIS SIGNVM IN MILITVM VESTIBVS.

Iulianus vero quantumlibet sibi viam, quocumque progrederetur, vi exercitus aperiret; tamen excusationem quamdam, vt se purgaret apud Constantium de suscepto Imperio, forinsecus

EXCVSAT SE IVLIANVS APVD CONSTANTIVM.

rinſecus obtexebat, ne videretur eſſe tyrannus. Id ſane S. Gregorius Nazianzenus in ipſum agens, atque acriter inuehens, teſtatur his verbis [a]: Primum quidem illius contumaciæ profligatæq. vecordiæ facinus fuit, quòd ſibi diadema impoſuit, magniq. illius nominis honorem arrogauit (quod non fortunæ inſolentia, ſed pro virtutis præmio vel tempus, vel Imperatoris calculus affert, vel, vt moris antiqui fuit, Senatus iudicium) nec honoris modum eius arbitrio permiſit, quem Imperii arbitrum, dominumq. habuerat. Deinde (iam enim ob ea quæ perpetrarat, neceſſitatem ſibi in omne flagitium ruendi impoſitam eſſe perſpiciebat) quid cogitat, & quo tum impietatis, tum furoris progreditur? O mirã illius animi veſaniam! aduerſus eum expeditionem ſuſcipit, atque ab Occidente pedem mouet; in ſpeciem quidem, quaſi de ſuſcepto diademate purgare vellet (adhuc amentiam ſuam occultare videbatur) reuera autẽ, vt totum Imperium ad ſe transferret, atque perfidia ſua & ingratitudine in hominum admirationem veniret.] hucuſque Gregorius. A B

a Greg. Nazian. orat. 1. in Iulian.

At de cauſa aduentus ſui, ipſe epiſtola illa, quam, audita morte Conſtantii, ſcripſit ad Iulianum auunculum, agit his verbis [b]:

b Iulian. epiſt. ad Iulian.

EPISTOLA IVLIANI DE CAVSA ADVENTVS SVI.

Ad tertiam horam noctis incuntis, cum neminem qui ſcriberet, haberem, quòd omnes occupati eſſent, vix potui hæc ad te ſcribere. Viuimus deorum beneficio, liberati ab externis malis patiendis, vel faciendis. Teſtis verò mihi eſt Sol, cuius auxilium opemq. in primis popoſci; teſtis Iuppiter Rex, quòd Conſtantium occidere numquam optauerim; immò magis, id ne accideret, exoptauerim. Cur igitur veni? Quia videlicet dii aperte hortabantur, ſalutem polliciti, ſi parerem; ſin vero remanerem, id quod dii prohibeant. Accedit, quòd cum hoſtis iam appellatus eſſem, terrere eum dumtaxat cogitabam; eoq. pacto res ad colloquium aliquod lenius & mitius deuenturas eſſe: aut ſi etiam bello decernendum foret, fortunæ diiſq. omnia permitterem; atque exitum, qualem ipſorum clementia afferret, expectarem.] hactenus ad Iulianum Iulianus. Naiſſum autem cum perueniſſet, ibidemq. ſubſtitiſſet, accepiſſe nuncium de Conſtantii obitu, auctor eſt Zoſimus [c]. C

c Zoſim. lib. 3.

Sed ad res geſtas Conſtantii hoc anno vſque ad diem obitus, reuertamur. Antiochiæ quidem eum hiemaſſe vſque ad veris tempus, cum profectus eſt in Perſas, Ammianus teſtatur [d]. Ibi dum Conſtantius ageret, defuncto Hermogene Præfecto Prætorio in Oriente, in locum eius ſubrogauit Helpidium. Hic (idem inquit Ammianus) ex Paphlagonia oriundus adeo æquus ac mitis fuit, vt cum ei coram ſe innocentem quemdam Conſtantius torqueri iuſſiſſet; æquo animo abrogari ſibi poteſtatem orabat, hæcq. potius aliis ex ſententia Principis agenda permitti.] At quòd de tanto viro Præfectura nobiliſſima aucto incidit mentio: nolumus hic prætermiſiſſe, quod de eo eiuſq. coniuge Ariſtæneta, clariſsima ac prudentiſsima femina, ſcribit S. Hieronymus in rebus geſtis B. Hilarionis; quam quidem hiſtoriam hic retexere, antequàm ad res Conſtantii vlterius progrediamur, dignum fore exiſtimamus. ipſe ergo S. Hieronymus de his agit his verbis [e]: Ariſtæneta, Helpidii, qui poſtea Præfectus Prætorio fuit, vxor, valde nobilis inter ſuos, & inter Chriſtianos nobilior; reuertens cum marito, & tribus liberis, a beato Antonio, Gazæ propter eorum infirmitatem remorata eſt. ibi enim ſiue ob corruptum aerem, ſiue (vt poſtea claruit) propter gloriam Hilarionis ſerui Dei, hemitritheo pariter arrepti, omnes a medicis deſperati ſunt. Iacebat vlulans mater, & quaſi inter tria filiorum excurrens cadauera, quem prius plangeret, neſciebat. Cognito autem quòd eſſet quidam monachus in vicina ſolitudine, oblita matronalis pompæ; tantum ſe matrem nouerat: vadit comitata ancillulis & eunuchis; vixq. a viro perſuaſum eſt, vt aſello ſedens pergeret: Ad quem cum perueniſſet; Per ego te, ait, Ieſum clementiſsimũ Deum noſtrum obteſtor, per Crucem eius & ſanguinem, vt reddas mihi tres filios, & glorificetur in vrbe Gentiliũ nomen Domini Saluatoris: ingrediatur ſeruus eius Gazam, & Marnas corruat (erat idolum ibi famoſum, quod illi Marnam, alii Iouem nominant) D E

d Amm. lib. 21.

PRAEFECTVRA HELPIDII.

e Hieronym. in Hilarione.

Renuente illo, atque dicente, numquam ſe egreſſurum de cella, nec habere conſuetudinẽ, vt non modo ciuitatem, ſed ne villulam quidem ingrederetur: proſtrauit ſe illa humi, crebro clamitans: Hilarion, ſerue Chriſti, redde mihi liberos meos: quos Antonius tenuit in Aegypto, a te ſeruentur in Syria. Flebant cuncti qui aderant: ſed & ipſe negans fleuit. Quid multa? Non prius mulier receſsit, quàm ille pollicitus eſt, ſe poſt Solis occaſum Gazam introiturum. Quo poſtquàm venit, ſingulorum lectulos & arentia membra conſiderans, inuocauit Ieſum. Et (o mira virtus!) quaſi de tribus fontibus ſudor pariter erupit Eadem hora acceperũt cibos, lugentemq. matrem cognoſcentes, & benedicentes Deum, Sancti manus deoſculati ſunt. Quod poſtquàm auditum eſt, & longe lateq. percrebuit, certatim ad eum de Syria & Aegypto confluebant, ita vt multi crederent in Chriſtum, & ſe monachos profiterentur. nec-

S. HILARION INTERPELLATVR AB ARISTAENETA PRO FILIIS.

A dum enim tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam monachos ante S. Hilarionem in Syria nouerat. Ille fundator & eruditor huius conuersationis & studij in hac prouincia fuit. Habebat Dominus Iesus in Aegypto senem Antonium; habebat in Palæstina Hilarionem iuniorem.] hactenus S. Hieronymus: hæcq. nos occasione Helpidij, hoc anno a Constantio in Hermogenis locum creati Præfecti Prætorio: quem tamen cum omni laude dignissimum dicat ob mansuetudinem & æquitatem; Ammianus [a], more videlicet Gentilium, carpentium quoscumque Christianæ religioni addictos, sugillat hominem, dicens fuisse simplicioris ingenij. Porro de eadem Aristæneta, cum Præfectura Helpidij, idem S. Hieronymus hæc inferius [b]: Aristæneta illa, cuius supra fecimus mentionem, Præfecti tunc vxor, sed nihil de Præfecti ambitu habens, venit iterum ad Hilarionem, volens etiam ad Antonium pergere. Cui ille flens; Vellem, ait, ipse quoque ire, si non carcere huius monasterij clausus tenerer, & si eundi fructus esset: biduum enim hodie est, quòd totus Mundus tali parente orbatus est. Credidit illa, & substitit, & post paucos dies veniente nuncio, Antonij dormitionem audiuit.] hæc cum ipse dicat de Helpidij Præfectura tempore mortis Antonij; nisi dixerimus præter omnium sententiam, in hunc vsque annum Antonium fuisse superstitem; errasse oportuit Ammianum, Helpidij Præfecturam in hunc ipsum annum referentem: nisi secundum, hoc eodé anno, eum contigerit obire magistratum. Sed iam ad Constantium redeamus: Qui Antiochiæ hiemauit; atque (vt Ammianus auctor est [c]) antequàm expeditionem pararet in Persas, defuncta Eusebia coniuge, de qua multa superius, aliam Faustinam nomine, vxorem sortitus est, ex qua genita est filia posthuma, Constantia dicta, quæ postea matrimonio iuncta est Gratiano. Constantius igitur Antiochiæ agens, aduersus Persas, in Mesopotamiam irrumpentes, expeditionem parat. Aduentante autem vere, antequàm proficisceretur, conciliaturus sibi numen, sic ad Antiochenos pro Christiana religione rescripsit [d]:

[a] Amm. lib. 21.

[b] Hieronymus in Hilarione.

[c] Amm. lib. 21.

SECVNDAE NVPTIAE CONSTANTII.

B

C In qualibet ciuitate, In quolibet oppido, vico, castello, municipio: Quicumque voto Christianæ religionis meritum eximiæ singularisq. virtutis omnibus intimauerit, securitate perpetua potiatur. Gaudere enim & gloriari ex fide semper volumus: scientes magis religionibus, quàm officiis & labore corporis, vel sudore, nostram Rempub. contineri. Dat. xvi. Kal. Mart. Antiochiæ, Tauro & Florentio Coss.]

[d] l. 16. de Episcop. & cler. C. Theod.

RESCRIPTVM PRO CHRISTIANIS.

Quibus item Consulibus, contulit Themistio Philosopho Præturæ insignia, deq. ea ad Senatum rescripsit [e]. Hic ille Themistius, qui egregiis commentariis editis, Aristotelis scripta elucidauit; cuius meminit Suidas, aitq. eum a Iuliano Constantii successore designatum fuisse Constantinopolitanæ vrbis Præfectum. Porro cum aduersus Iulianum se bene putasset Occidentale Imperium muniuisse Constantius; ipso primo vere (vt ait Ammianus) aduersus D Persas moués exercitū, peruenit Edessam, cum adhuc Iulianus moraretur in Galliis: Qui cum superatis montibus peruasisset Illyricum; Nuncii (inquit idé Ammianus [f]) ad Constantium percrebuere certissimi, quorum clara fide compertum est, Iulianum Italiam & Illyricum cursu celeri prætergressum, claustra interim occupasse Succorum, accita vndique præstolantem auxilia, vt multitudine stipatus armatorum peruaderet Thraciam. Quo cognito, mærore offusus Constantius, solatio vno sustentabatur, quòd intestinos semper superauerat motus.] communicatoq. cum suis consilio, communi omnium consensu decretum est, eum cum expeditione reuerti; idq. tunc opportunum, quòd & Persarū Rex ad propria quoque reuerteretur.

[e] l. 12. de Præt. Cod. Theodos.

CONSTANTIVS PROFICISCITVR IN PERSAS.

[f] Amm. lib. 21.

In hoc rerum aduersarum tumultu (subdit Ammianus [g]) hærens eius fortuna, iam & subsistens, aduētate casum vitæ difficilé modo non loquentibus signis aperte monstrabat. Nāque & nocturnis imaginibus terrebatur, & nondum penitus mersus in somnum vmbram viderat E patris obtulisse pulchrum infantem, eumq. susceptum & locatum in gremio suo, excussam ibi proiecisse longius sphæram, quam ipse dextera manu gestabat. Id autem permutationem temporum indicabat: licet interpretes placentia responderēt. Post hæc confessus est iunctioribus proximis, quòd tamquam desolatus secretum aliquid videre desierit. quod interdum affuisse sibi squalidius æstimabat, & putabatur genius esse quidam tutelæ salutis appositus eum reliquisse, mundo citius digressurum. Ferunt enim Theologi, in lucem editis hominibus cunctis, salua firmitate fatali, huiusmodi quædam velut actus rectura numina sociari, admodū tamen paucis visa, quos multiplices auxere virtutes. Ita & oracula, & auctores docuerunt præclari.] ista, & alia de his, pluribus Ammianus: quibus, paucis quibusdam demptis, concordat Christiana religio. atque idem auctor sic paulo post de Constantii obitu [h]:

[g] Amm. ibidem.

FVNESTA VISA OBLATA CONSTANTIO.

Ingressus itaque Antiochiam festinando Constantius, ad motum certaminum ciuilium, vt solebat, auide surrecturus, paratis omnibus, exire properabat, immodice renitentibus plurimis murmure tenus: nec enim dissuadere palam audebat quisquam, vel vetare. Autumno iam senescente

[h] Amm. lib. 21.

CONSTANTII IMP. OBITVS.

senescente profectus, cum ad suburbanum venisset disiunctum exinde tertio lapide, Hippocephalum nomine, lucente iam die, cadauer hominis interfecti dextera iacens capite auulso, conspexit contra occiduum latus extensum; territisq. omnibus, finem parantibus fatis, destinatius ipse tendebat (ita loquitur Ethnicus scriptor) venitq. Tarsum, vbi leuiori febre contactus, ratusq. itinerario motu imminutæ valetudinis excuti posse discrimen, petit per vias difficiles Mopsuestiam Ciliciæ, vltimam hanc pergentibus stationem sub Tauri mótis radicibus positam. Egrediq. sequuto die conatus, illabente morbi grauitate detentus est; paulatimq. vrente calore nimio venas, vt ne tangi quidem corpus eius posset, in modum foculi feruens, cum vsus deficeret medelarum, vltimum spirans deflebat exitium. Mentisq. sensu tum etiam integro, successorem suæ potestatis statuisse dicitur Iulianum. Deinde anhelitu iam pulsante letali, conticuit, diuq. cum anima colluctatus iam discessura, abijt e vita tertio Nonarum Octobriũ, Imperij, vitæq. anno quadragesimo, & mensibus paucis.] hactenus Ammianus. B

At quod ait, Constantium vltimo elogio statuisse Iulianum sui Imperij successorem, puto commentum Ethnicorum Iuliano fauentium excogitatum, quo a tyranni nomine ea arte redderent ipsum immunem: nam S. Gregorius Nazianzenus de Constantio in extremis laborante hæc tradit [a]: Hic vitam cum morte commutat, pastoris aduersa rij (nempe Georgij) confirmator & patronus, malum haud malo Imperio finem imponens; atque inutili, vt ferunt, pœnitentia in extremo vitæ spiritu affectus: cum nimirum ob alterius sæculi tribunal, rerum suarum æquus est vnusquisque iudex. Tria enim hæc mala, Imperioq. suo & principatu indigna, ipsum agnouisse narrat: Vnum, quòd generi suo necem attulisset (ipso nimirum eius ingressu in Imperium) Aliud, quòd Iulianum Apostatã Imperatorem nominasset (creando eum Cæsarem) Tertium, quòd nouis fidei dogmatibus studuisset: simulq. cum his vocibus e vita discessisse.] C

a Greg. Nazian. orat. in laud. Athanas.

CONSTANTII MORIENTIS POENITENTIA.

Ceterum vtcumque hæc extrema Constantij se habuerint, illud exploratum habetur; ipsum eo tempore fuisse ab Euzoio Ariano Episcopo Antiocheno baptizatum. Id quidem S. Athanasius testatur, cum ait [b]: Constantius hæreticus fuit, qui ad finem vsque permanens in ea impietate, ac deinde moriens, voluit non a pijs viris, sed ab Euzoio, non semel, sed sæpius ob Arianam hæresin deposito reiectoq. baptizari.] hæc Athanasius. De obitu eiusdem Constantij sic etiam S. Hieronymus [c] ad Heliodorum: Constantius Arianæ fautor hæreseos, dum contra inimicum paratur, & concitus fertur ad pugnam, in Mopsi viculo moriens, magno dolore, hosti reliquit Imperium.] & alibi [d]: Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia moritur, tranquillitas redit, &c.] At de baptismo suscepto ab hæretico homine Euzoio, absque controuersia ab omnibus affirmatur.

b Athanas. lib. de Synod.

CONSTANTIVS BAPTIZATVS AB EVZOIO.

c Hieron. epist. 3.

d Hieron. contra Luciferianos pro pe finem.

Cum igitur maiorum omnium constet assertione, Constantium Catholicos exagitantem, atque Arianis fauentem vixisse impium, & impie ab hæretico Episcopo baptizatum, clausisse infeliciter diem extremum: præconia de eo a S. Gregorio Nazianzeno conscripta permoleste piorum auribus ingeruntur. At quænam illa sint, hic describamus; ita tamen, vt & quonã modo valeant excusari, æque subdamus. Ab ipso itaque exordio laudum eius ab apostrophe illa orationẽ auspicemur; qua Constantiũ ipsum hoc modo cõpellat: Quid, inquit [e], tibi accidit, o Imperatorum præstantissime, ac diuinissime, Christiq. amantissime? Eo enim prouehor, vt tecum velut cum præsente atque audiente expostulem: etsi multo excellentiorem te esse non dubitem, quàm vt expostulatio nostra & reprehensio in te hæreat, vtpote qui Deo adiũctus sis, cælestisq. gloriæ hereditatem acceperis, atque hactenus a nobis migraris, vt Imperium cum maiore commutares. Quodnam hoc consilium inijsti, qui omnes non tui solum temporis Imperatores, sed etiam ætate tua superiores animi solertia atque acumine longe antecellebas? Qui barbaras nationes per gyrum repurgabas, tyrannosq. intestinos ditioni tuæ partim sermonibus, partim armis subiiciebas: et quidem vtrumque ita dextere & egregie, quasi ab altero nihil molestiæ tibi exhiberetur: cuius cum magna & eximia trophæa, armis & prœlio quæsita, tum maiora & illustriora sine vlla cruoris effusione parta: ad quem legationes & supplicationes vndecumque confluebãt: cui nationes omnes partim obediebant, partim iam iam obedituræ erant: vt in eadem causa essent omnes hi, quorum expugnatio in spe posita erat, ac si iam domiti & in potestatem redacti essent. D E

GREGORIVS NAZIAN. QVOMODO LAVDET CONSTANTIVM.

e Greg. Nazian. in Iulian. orat. 1.

Qui Dei manu ad omnia consilia, resq. omnes agendas vtebaris: cuius denique & prudentia maiorem admirationem sui mouebat, quàm manuum vires; et rursum vires maiori admirationi erant, quàm prudentia; atque vtraque præclarior illustriorq. erat pietatis gloria. Quonam igitur modo hic solum rudis, & imperitus, parumq. circumspectus apparuisti? Quæ hæc inhumanæ humanitatis & clementiæ celeritas? Quis dæmonum ad hanc deliberationem simul

LAVDES CONSTANTII.

A mul irrepsit? Quomodo magnam illam hereditatem, & patrium decus atque ornamentum (Christianos intelligo) gentem illam toto passim Orbe lucentem, Regale sacerdotium multo labore multisq. sudoribus auctũ, tam breui atque exiguo tẽporis puncto cõmuni huic pesti ac furiæ tradidisti?] Iuliano videlicet. et post multa eodem argumẽto exaggerata de eiusdem Constantij summo in Christiana religione propaganda & cohonestanda studio, hæc subdit: Neque enim quisquam vmquam vllius rei tam acri & vehemẽti amore ac cupiditate correptus est, quàm ille Christianos crescere, atque in summam gloriæ potentiæq. amplitudinem peruenire cupiebat. Ac neque subactæ nationes, neque Respublica præclaris legibus cõstituta atque gubernata, nec pecuniarum copia, nec amplissima gloria, neque quòd Rex Regum esset & diceretur, nec quibuscumque alijs rebus hominis felicitas declaratur, neque quisquam ex omnibus rebus humanis summopere ipsius animum oblectabat, quàm vt & nos per ipsum, & B per nos ipse tum apud Deum, tam apud homines floreremus, ac perpetua & in omne tempus indelebilis potentia permaneret. Illud enim probe perspiciebat, altius videlicet, magisq. regie, quàm plerique soleant, de rebus nostris cogitans, quòd cum Christianorum rebus, Romanorum simul increuerunt, simulq. cum aduentu Christi Imperium ingressum est, cum nondum prius hoc euicisset, vt in vnius principatum plane deueniret. Atque ea de causa causam nostram, vt par erat, studiosius mihi fouere videbatur.] hæc ipse.

Idemq. tacitæ illi occurrens obiectioni de Constantio, quòd quãplurimos Christianorum & meliorem Ecclesiæ partem exagitasset, hæc statim subinfert: Qui quidem etsi quid nobis negotij facessiuit, non eo facessiuit, quòd nos contemneret, contumeliaq. opprimeret, aut quòd alijs quibusdam potius quàm nobis gratificari cuperet: sed vt omnes in vnum coiremus, consensioneq. animorũ iungeremur, ne dissecti, schismatisq. & dissidijs inter nos direpti atque C disiuncti essemus. Sed, vt dicebam, parum cauta est simplicitas, clementiæq. adiuncta est imbecillitas, minimeq. is malitiam fraudemq. suspicatur, cuius animus a malitia liber est, & immunis. Ac proinde ab optimo Principe, quod futurum erat, ignoratum est, nec fucus simulatioq. deprehensa est, sensimq. obrepsit impietas; ac duæ benignitates simul occurrerunt, altera erga pium genus, altera erga omnium hominum impijssimum, maximumq. diuini numinis contemptorem, nempe Iulianum.] ita ibi Gregorius. Sed & his iungamus quæ idem auctor aduersus eumdem Iulianum agens de funere eiusdem Constantij, quod ad hoc ipsum spectat, recenset his verbis [a], postquàm egit de infausto Iuliani obitu: EXCVSATVR A GREGORIO CONSTANTIVS.

[a] Greg. Nazian. orat. 2. in Iulian.

Quoniam, inquit, nos quoque mortuum habemus, eum scilicet qui ante iam e vita excessit; videamus hic quoque, quantum inter vtrumque Imperatorem discriminis fuit; si quid hoc etiam ijs ad felicitatem vel infelicitatem momenti habet, qui ex hac vita migrarunt. Ille igi- D tur, nempe Constantius, publicis laudibus, faustisq. ominationibus, pompisq. deducitur, ac religiosis etiam his nostratibus cultibus, nocturnis cantionibus, facumq. gestationibus, quibus nos Christiani pium e vita discessum honore prosequi consueuimus. Ac lætitia luctu permixta efficitur huiusmodi corporis exportatio.] sic ibi. Post hæc vero Gregorius magnũ ac plane mirandum quid subditurus, primo liberans fidem suam, quam sciret apud plurimos periclitaturã, istæc caute præmittit: Quòd si cui hæc oratio credibilis videtur, id quoque multorum auribus diuulgatum est: Quòd cum corpus, Tauro monte superato, ad paternam ciuitatem (nempe Constantinopolim) hanc inquam illis cognominẽ, in primisq. claram & nobilẽ, veheretur: vox quædam e summis locis a nonnullis exaudiebatur, velut psallentium, & prosequentium (angelicorum, opinor, cœtuum) quod pietatis illi præmium erat, funebrisq. remu- E neratio. Nam etsi rectam & orthodoxam fidem nonnihil luxare visus est; hoc tamen crimen procerum importunitati, fideiq. peruersitati tribuendum est, qui simplicem, parumq. in pietate firmam animam, minimeq. barathra prospicientes, quo libuit abduxerunt, exactæq. doctrinæ fuco atque prætextu, vitij zelum effecerunt. At nos, quod communius est, tum patrem, a quo Imperatoriæ potentiæ, & fidei Christianismo fundamenta iacta sunt, tum etiam doctrinæ hereditatem ad filium deuolutam cogitantes, eius qui iuste semper in Imperio vixerat, pioq. fine vitam clauserat, nobisq. principatum reliquerat, merito tabernaculũ honore complectebamur. Vt autem magnæ & Imperatoriæ vrbi propinquus fuit; quid totius exercitus satellitium & stipationem, armatamq. turmam, Imperatori, tamquam viuo exhibitam, commemorare attinet, aut præclaræ ciuitatis effusionem, omnium quæ vmquam fuerunt, aut futuræ sunt, celeberrimam?] hactenus de laudibus atque Constantij funere Gregorius: quod curatum fuisse per Iouianum Protectorem domesticorum, Ammianus testatur [b].

CELEBRARE NIMIVM VIDETVR GREGOR. IVLIANVM.

FVNVS CONSTANTII.

[b] Amm. lib. 21.

Videre iam videor, lector, ex obducto tuæ frontis inter legendum supercilio, te hæc infenso animo accepisse: sed amabo te, animæquior esto, & patere nos de his paulo fusius differentes, atque

GREGORIVS AB AVCTORE EXCVSATVR.

atque suspende interea de Gregorio tanto viro ferre sententiam. Primũ quidem illud absque A
contentione puto concedes, nullius animum vel leui saltem suspicione iure pulsari posse, Gregorium (quod sæpe factitare solent encomiastæ oratores) in his dicendis adulationis vitio laborasse: siquidem eius laudes prædicabat, qui vita defunctus esset, a quo aliquid sperare nõ poterat, nec a successoribus eius, infantula posthuma tantum post se relicta.

Hoc igitur narrationis ingressu paucis hisce turpis adulationis suspicione prorsus abstersa, quæ esse solet ad mentiendum illecebra; illud quoque velim, pie lector, attendas, scriptionũ atque tractationum genera cum soleant esse diuersa, non eadem ab omnibus requirenda, atque frustra in altero quæri, quod in altero tantum præstari solet. Quis, rogo, nesciat, encomiastis tractatoris alios esse numeros, alios vero ab eo diuersos historiarum scriptoris? Ille namque parua, etsi vera, amplificationibus tamẽ reddere solet maxima, & facere verisimilia vera: coarctatur hic inter angustos limites veritatis, quos cũ semel excesserit, esse desiuit quod profitetur historicus, & in alienis iam castris perfuga vagatur; ita vt ex huiusmodi tessera agnoscatur encomiastes, & qui censeatur historicus. B Cum itaque Gregorius noster summo studio eloquentiæ binas illas in Iulianum luculentissimas scripserit orationes: vnde magna vis dicendi, ac vehemens suppeditari solet oratoribus argumentum, ex comparatione probi viri, aliquem demonstrare esse deterrimum: haud arbitror quemquam adeo seuerum, ac plane rigidum posse Gregorij esse censorem, vt non hic aliquid eidem concedendum putet, si comparans cum Iuliano Constantium, vt illum in locum infimum deprimat, hunc super sidera sit conatus extollere: Quæ enim impetu quodam dicendiq. copia fertur oratio, nescit habenas; cum in his præsertim opinione hominũ videatur oratoris gloria collocata, si quæ minima existant, maxima omni ex parte esse demonstret. Hac igitur ratione licuit Gregorio, cõparatione Iuliani laudare Constantium, & in laudando excusationem mereri, si petitis vndique argumentis, & quibuscumque ascitis coniecturis, in eo fuisse nimius videatur. C Comparatione pessimi laudari interdum malum, vsu sæpe venisse, immo & ex diuinæ Scripturæ præscripto, quis ignorat? vt illud Ezechielis [a] demonstrat, cum comparatione scelestissimę Hierusalem, iustificari ait, nempe videri iustas Sodomam atque Samariam.

a Ezech. 16.

At cum nec liceat oratori omnino mentiri, præsertim Christiano; hic modo accuratius inuestigemus, an Gregorio, quem comparatione cum Iuliano inita Constantium iure laudasse diximus, & eo in argumento versatũ ex paruis magna componere voluisse, possit aliquo modo mẽdacij crimen impingi: in hoc nãque totius huiuscemodi controuersiæ verti cardo videtur. Cum enim multus est in commendando Constantio ex pietate, nempe ex cultu erga Christianam religionem exhibito: certe quidem ex promulgatis ea de causa ab se legibus, alijsq. edictis aduersus idololatras, superstitiosos, incantatores, & magos sæpe sancitis, cum patri D suo Constantino, tum alijs compluribus orthodoxæ etiam fidei Principibus Constantius impar existimari minime potest: qua de re cum a Gregorio merito laudatur, tum inter alios ab Ambrosio [b] digno elogio prędicatur, cum ait: Constantius augustę memoriæ nondũ sacris initiatus mysterijs, contaminari se putauit, si aram illam videret: iussit auferri, non iussit reponi.] Id quidem Romæ accidisse diximus, cum ipse ascendens Capitolium, aram Victoriæ inde tolli præcepit. Ex his igitur summarum laudum sibi Constantium præconia comparasse, nemo est qui iure inficias ire possit. hocq. sensu accipienda sunt ea quæ alibi idem Gregorius [c] de eodem ipso Constantio ait, fuisse religiosissimum Principem, vt quisque alius eorum, quos ipse nouisset Imperatorum.

CONSTANTIVS VNDE VERE LAVDEM MERVIT.

b Ambros. ad Valentin. epist. 31. vet. edit.

c Greg. Nazian. in carm. de verecundia.

Quod vero spectat ad cultũ Catholicæ pietatis: licet idem Gregorius ipsum excuset, haud tamen eum non errasse defendit, quem a suis fuisse deceptum, tum ibi, tum alijs etiam in locis E constanter affirmat. Qua quidem in re, id ipsum quod Gregorius, præstiterunt Athanasius & Hilarius, qui grauissime a Constantio vexati sunt; cum scilicet interdum sic eum redarguant, vt excusent: nam inter alia sic Athanasius [d]: Illi (nempe Episcopi Ariani) præter mentẽ Constantij Imperatoris humani & pij, pro libidine quæ volunt promulgant, & faciunt ea quæ libet, & in faciendo vtuntur magna vafricie, &c.] habet & id genus multa in Apologijs suis ad Constantium scriptis: id ipsum Hilarius in libris ad Constantium, alijsq. locis superius recitatis, quos, prolixitatis causa vitandæ, hic iterum repetere prætermittimus.

d Athanas. orat. 2. contra Arian.

Verum quód Gregorius non Constantium modo excusasse, sed & visus sit absoluisse, quin etiam in cælis cum beatis spiritibus collocasse; in his quidem a ceteris longe discrepat. Sed venia dignus error: cum ignorans facti, cum putauerit pœnitentem, quem vltimis illis verbis, quibus absolutis efflauit animam, doluisse ferunt, quòd nouis [e] studuisset dogmatibus. magna profecto ista fuit Imperatoris confessio, vltimo elogio rescidisse, quod vigintiquinque annorum

ALIQVA CONSTANTII MORIENTIS POENITENTIA.

e Greg. Nazian. orat. in laud. Athanas.

A rum spatio magno labore & industria extruxisset. Habuit id quidem pro constãti Gregorius, quod disertis verbis affirmat [a], pio fine vitã clausisse Constantiũ. Quod si vere, prout ipse putauit, accidisse contigerit; haud abhorret a fide, quod relatione multorum fuerat diffamatum de audito cælitus cantu: cum gaudiũ fiat in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente. At hæc, quæ de Constantij pœnitẽtia a Gregorio enarrantur, post susceptũ ab Euzoio baptismũ oportuit accidisse, cum iam (vt ait) proxime moriturus esset. Istæc autem a nobis dicta sunto, non tam ad absoluendum Constantium, quàm ad excusandum atque defendendum Gregorium, quẽ inuerecunde atque admodũ temere complures in crimen vocant proditæ veritatis. [a Greg. Nazian. orat. 2. in Julian.]

Reliqua vero, quæ ad eius mores laudabiles spectãt: cum enituisse egregia castitate, adeo vt nec aliqua potuisset aduersa vel leui suspicione pulsari, Ammianus affirmat. Quod autẽ pertinet ad alios probe compositos actus, necnõ quæ eidẽ vitio vertebantur, atque de eius vultus B effigie: habes hæc omnia fusius ab Ammiano recensita. Cum vero ipsum constet, ex ijs quæ a Gregorio dicta sunt, fuisse Christiano ritu sepulturæ mandatum: miramur dici eumdem Constantium inter diuos esse relatũ: nisi fortasse id Iulianus Apostata præstitit ad abolendas contractas ex ingratitudine notas. Hic tandem finis Constantij Imperatoris plane felicissimi, & nulli Augustorum secundi, nisi Catholicæ fidei professoribus negotium facessisset. Vixit, inquit Victor historicus [b] (quem hoc anno Iulianus Consularem præfecit secundæ Pannoniæ, & ærea quoque statua honorauit [c]) annos quadragintaquatuor. Imperauit cum patre, fratribus, ac demum solus annos trigintanouem; factus Augustus annos vigintiquatuor expletos; octo solus, cum fratribus & Magnentio sexdecim, Cæsar quindecim.] hæc cum ita legantur apud Victorem, deprauata esse noscuntur. Illud autem de annis Imperij Constantij certum est, eius Imperium inchoatum esse ab obitu Constantini, anno Domini trecẽtesimo vigesimoseptimo, XI. C Kal. Iunij, quo ille mortuus est, productumq. ad præsentem vsque annum, quo obijt tertio Nonas Octobris: ex quibus constat ipsum imperasse post patrem annos vigintiquatuor, menses quatuor, & dies quatuordecim. Cetera vero, quæ contigerunt hoc anno post Constantij obitum, cum Iulianus solus cœpit moderari habenas Imperij, dicemus sequẽti Annalium Tomo. [MORES LAVDABILES CONSTANTII.] [b Vict. in Iulian.] [c Amm. lib. 21.]

His igitur, quæ ad statum Romani Imperij pertinent, enarratis: modo, quonam statu essent res Ecclesiasticæ, pertractandum. Vbique luctus, vbique dolor, dominantibus Arianis, Orthodoxis vero fidei defensoribus magna ex parte exilio pulsis, vel factis extorribus: reliquis ferme omnibus, perpaucis exceptis, fœdus fœde ineuntibus cum Arianis. Sed qui regia sibi iuncta potentia in populũ Christianũ diabolus adeo publice & aperte grassabatur vt leo: in secretiorẽ illam Ecclesiæ partem, quæ eremi detinebatur ergastulis, in monachos inquã illos, qui seclusi e sæculo, cælo viderẽtur inclusi, Angelis parẽ vitã in terris agẽtes, sese serpẽtis instar, D occultis spiris obuolutũ ingessit: peruasitq. primũ (quod superius dictũ est) Aegypti solitudinis monachos, schismatis Meletiani & Arianæ hæresis complures cõplicatis nodis obuoluẽs. [MISERANDVS STATVS ECCLESIAE.]

Penetrauit eiusdẽ quoque serpẽtis virus monachos qui erant in Mesopotamia (extitit prouincia illa, in qua primũ de abrenunciatione iussio data est a Deo fidei parenti Abrahã, monachorum germinibus fertilissima) dum per pseudomonachos quosdã, quorum nomina recenset Theodoretus [d], Dadoen [*], Sabbam, Adelphiũ, Simeonẽ, Hermã, & alios quosdã inter eos hæresis spargitur [*] Massalianorũ, qui ijdẽ Euchaitæ sunt dicti, Latine autẽ Precatores sunt nominati: quos & se spirituales dicere solitos idẽ Theodoretus affirmat [e]. A tẽporibus nãque Constantij hanc hæresin coaluisse in Mesopotamia, auctor est Epiphanius [f], cui maiorẽ fidem præstandam putamus, vtpote tunc viuenti, & aduersus eam scribenti, quàm Theodoreto affirmanti temporibus Valẽtiniani atque Valentis Impp. prodiisse. His iure congruit illud Da-E uidicum [g]: In via hac, qua ambulabã, absconderũt superbi laqueũ mihi.] dũ enim (quod decet sanctos monachos) orationibus iugiter vacant (nam & Dominus [h] admonuit semper orandũ) eo superbiæ atque arrogantiæ elati sunt, vt præter orationem cetera cuncta esse parui vel nullius plane momenti affirmarent. [MASSALIANI HAERETICI.] [d Theod. haeret. fabul. lib. 4. c. 10] [* Daodem.] [* Massalian.] [e Theod. haeret. fabul. lib. 4.] [f Epiph. hær. 80.] [g Psal. 141.] [h Luc. 18.]

Sed hic primum altius est repetenda ex Epiphanio Massalianorum origo. Secta illa erat nõ ex Christianis, vel Iudæis, Samaritisve comparata, dicta Euphemitarũ, sed ex Gentilibus: qui cũ plures deos assererent, nõ nisi tamen vnũ adorarẽt, quẽ dicerent Omnipotentẽ: hiq. solerẽt in publicis a se ædificatis oratoriis cõuenire precũ causa. Hos quoque seipsos nominasse Martyrianos, quòd cum Gentiles essent, a prouinciarũ Præsidibus persecutionem sint passi, & complures ex illis occisi a Lupiciano Prætore, idẽ Epiphanius tradit. Sed & Satanianos eosdẽ se appellasse, propter cultum, quẽ exhiberent Satanæ, ne ab eo læderentur, idem affirmat. Ceterum diuersi plane ab his sunt, de quibus hic agimus, a precibus item dicti Massaliani: qui Constantij temporibus prodiere ex Christianis, ijsdemq. monachis, ijs scilicet, qui (vt [EVPHEMITAE MARTYRIANI HAERETICI.]

dictum est) solitudinem Mesopotamiæ incolebant: qui quidem illud primum iecerunt struen- A
dæ impietatis fundamentum, vt assererent ex sententia Domini semper orandum, ac pro-
inde precationem sempet vacandum esse, ac cetera omnia negligenda: idque affirmantes
esse tanti momenti, vt solum sufficeret ad omnes potestates aduersarias superandas. Ex hoc
in primis prouenit, vt quod erat monasticæ disciplinæ coniunctum, opus manuum penitus
(a Ioan. 6.) prętermitterent: illud Domini [a] vsurpantes: Operamini cibum, qui non perit.] sed & ieiunium
penitus ignorabāt: satis dicentes sufficere ad mentē expurgandā, orationē: ijdē quoque ad pre-
ces coibant permixti mulieribus, quod a sanctis Christianorū institutis penitus abhorrebat.

(DELIRAMENTA HAERETICORVM MASSALIANORVM.) At parum fuit illis, ex eiusmodi male assumpto principio, labefactare monasticam disci-
plinam, nisi etiam corrumperent Ecclesiastica dogmata: Siquidē eos nefandum illud dogma
excogitasse, Theodoretus affirmat, vt dicerent, sacramenta Ecclesiæ nec prodesse, nec obesse,
sed oratione tantum peccata laxari, dæmonesq. fugari: seq. habere, impie iactabant, baptismū B
ad instar nouaculæ: vt sicut hæc pilos corradit, & tamen ijdem ex tadicibus iterum pullu-
lant; ita, ex illorum sententia, post baptismum remaneat peccatum originale: perpetua tamē
oratione peccati radicem prorsus euelli, asserebant: habereq. vnūquemque hominem dicebāt
habitantē in se dæmonem; nec ipso caruisse Apostolos; eum vero tantū oratione fugati: qua
aiebant posse quoque effici homines impassibiles, atque participes diuini Spiritus, & coniun-
ctione animi cum cælesti spōso, mira dulcedine perfrui. Duas insuper addebant possidere ho-
mines animas, quarum alteram esse supercælestem: garriebant etiam capaces se esse corporeis
oculis videndi sanctissimam Trinitatem. Vnde accidebat, vt huiuscemodi visionibus, quæ per
dæmonum illusionem solent fieri, delectarentur. quarum apparitionibus, ac pariter reuelatio-
nibus eo insaniç peruenere, vt non tam dicerēt se esse perfectos, sed vel Angelum, vel Prophe-
tam, immo & Christū esse iactatent, reliquos autē indignos esse Christiano nomine. Addit his C
(b Theodo. heretic. fab. lib. 4.) Theodoretus [b]: Multa quoque alia faciūt, quæ eorū phrenesin arguunt. Nam (inquit) repēte
saltāt, & super dæmones se saltasse iactant: et digitis sagittantiū speciem præseferunt, se in dæ-
monē iaculari affirmantes: et quædā alia faciūt simili furore plena: et ideo Enthusiastarū, hoc
est diuinorū furore correptorū, nomen sortiti sunt.] ita Theodoretus. Et sane quidē eiusmodi
visi sunt esse, vt inter insanos, mēte captos, & furore arreptos numerandi potius fuissent, quàm
inter hæreticos, nisi omnes hæretici diuersis modis insania laborarent, & furore perciti essent.

(c Damasc. heres. 80.) (CRVDELITAS MASSALIANORVM HAERETICORVM) Tractātur istęc nō a Theodoreto tantū, sed etiā a Damasceno, qui & de eorū in pauperes im-
manitate hæc addit [c]: Inhumanitatē (inquit) in mēdicos inducūt: negāt enim ijs dandū, qui pu-
blice ea quæ ad victū pertinent, quærunt; aut ijs, quorū manus opere labefactatæ sint; aut ijs,
qui aduersa fortuna vtantur, vel corporū debilitate, vel morbis, vel acerbitate creditorum ve-
xentur, vel furū iniurijs; vel alijs, qui huiusmodi casus experti fuerint, subuenire oportere eos, D
qui ab illis discreti sunt, & aliquid boni agere instituunt: sed sibi omnia esse suppeditanda, eo
quòd ipsi soli sint pauperes spiritu.] hæc Damascenus, qui de his plura subdit; additque, eosdē
docuisse, ad libitum dirimi posse coniugia; suadereq. filijs neglectū parentum, & ad sibi omnia
conferenda solitos exhortari: negasse quoque eos, quemquā initiari sacramentis, nisi super
quem visibilis gratia Spiritus sancti descenderet. phantasticis enim huiuscemodi visionibus a
dæmone illudebātur, vt super eos visibili signo apparere videretur Spiritus sanctus, cum prę-
sertim ordinationes celebrarent; nam habebant sacerdotes & Episcopos.

(d Aug. de heres. cap. 57.) (LVDIBRIVM MASSALIANORVM.) Quòd vero in vnoquoque sacramento requirerēt visibile signum, istæc de eisdē risu digna
narrat S. Augustinus [d]: Nōnulli dicūt eos de purgatione animæ nescio quā phantasticā & ridi-
culā fabulam narrare: porcā scilicet cum porcellis suis videri exire de ore hominis, quādo pur-
gatur; & in eum visibili similiter specie, ignē, qui non comburat, intrare.] hæc Augustinus. Eo E
(e Theodo. heret. fabul. lib. 4.) quoque illusio dæmonis ipsos impulit, vt (quod testatur Theodoretus [e]) futurorū reuelationes
se habere gloriarentur. Quomodo autē hos expulerint Catholicæ professionis Episcopi. La-
toius Melitensis, Amphilochius Iconij, & Flauianus Antiochiæ, idē subdit: sed de his suo lo-
co dicendum. Non leuis negotij erat opus, hos habitu sancto latentes detegere: nam illis ex
dogmatis præscripto iurare ac peierare fas fuisse, idem qui supra, tradit Damascenus. Massa-
(f Hieronym. dial. aduers. Pelag. in prefat.) lianorum quoque eam sententiam fuisse, S. Hieronymus docet [f], vt dicerent, posse hominem
ad perfectionem, atque ad similitudinem & ęqualitatē Dei, humana virtute & scientia perue-
nire: ita vt assererent, se ne cogitatione quidem & ignorantia (cum ad consummationis cul-
men ascenderint) posse peccare. sic de his S. Hieronymus.

(g Epiph. her. 80.) (MASSALIANORVM HABITVS.) Quod vero ad habitū corporis spectat, hæc Epiphanius [g]: Sed & in alia forma inuenti sunt
ijdē venerādi nostri fratres, qui in monasterijs per Mesopotamiā degunt (quas & Mādras, hoc
est ouilia, siue cohortes appellant) nā comas muliebres producunt, & sacco conspicuo incedūt:

Oportebat

A Oportebat autem filios sanctæ virginis matris nostræ Ecclesiæ esse reuerēdos in tonsura,& colere Deum occulte videntem occulta.] & paulo post: Alienum est a Catholica Ecclesia saccus conspicuus; & coma extenta, a prædicatione Apostolorum.] hæc ipse. Quod autem ad propagationem huiuscemodi generis monachorum: haud prętergresſi visi sunt Mesopotamiã, vel Syriam, occulte serpentes, eo quòd expellerentur ab omnibus, sicubi detecti essent, cum occulte serperent sicut cancer.

Quod vero ad disciplinam monasticam pertinet: eam partem complures etiam in Occidente tunc sectati sunt ignaui monachi, qua negarent esse manibus operandum: aduersus quos S. Augustinus commentarium illum scripsit, De opere monachorum. Eiusdem plane generis ille visus est esse monachus, quem Siluanus Abbas ad meliorem frugem restituit, de quo sic [a] in Vitis Patrum: Quidam peregrinus frater venit ad Abbatem Siluanum in monte Sina, & B vidit quòd fratres operarentur, & dicit eis: Quare operamini escam, quæ perit? Maria autem optimam partem elegit. Tunc senex dicit discipulo suo Zachariæ: Da illi codicem, vt legat, & mitte illum in cellulam, quæ nihil habet. Hora autem nona circumspiciebat frater ille viã, si forte vocaret eum senex ad comedendũ. Postquàm autẽ transijt hora nona, venit ad senem, dicens ei: Numquid hodie non comederunt fratres, Abba? Cumq. senex fateretur; ait ille: Quare me non vocasti? Tunc dixit ei Abbas Siluanus: Tu homo spiritualis es, & non habes necesse hanc escam: nos autem tamquam carnales opus habemus comedere, ideo operamur: tu autem optimam partem elegisti: legis enim quotidie, & non vis carnalem escam accipere. Quod cum audisset, cœpit pœnitere, & dicere; Indulge mihi Abba. Tunc respondit illi Siluanus: Ergo necessaria est Martha Mariæ: propter Martham enim & Maria laudatur.] hæc ibi de monacho ea ex parte Massalianorum errorem sectante: ipsi enim qui eius sectæ erant (vt C diximus) hi spirituales se nominabant, reliquos vero carnales.

MONACHI NEGANTES OPERANDVM MANIBVS.

[a] Vit. Patr. par. 2. §. 51.

Quòd autem ijdem dicerent Massaliani, ab hominibus orantibus dæmones foras egredi per excrementa, per sputa, mucum, & alia: in memoriam reuocatur, his contraria conatum esse dæmonem suadere monachis quibusdam Aegypti; nimirum, peccatum esse eiusmodi necessaria corporis excrementa egerere: in quos iure expostulat Athanasius, sic scribens ad Ammonem monachum, cum inter alia hæc ait [b]: Diaboli artes nequeo nõ mirari: qui lues & corruptela cum sit, sanctitatis & puritatis specie plenas rationes subiiciat: at id potius vt insidietur, quàm vt probet, facit. Ideo enim ista auribus Ascetarum insusurrat, quæ nihil ad vitam commodi aliud, quàm quòd nouitatis & nugarum plenas rationes diligenter euitandas (vt antea monui) conferunt: vt dum eos a consueto & salutari studio reuocarit, regnare solus & rerum potiri videatur. Quid enim, rogo te dilecte, & in primis pie, sceleris aut labis habeat ip D sa, quæ postulante natura fit, excretio? verbi gratia, si quis erumpentem e naribus mucorem vel ipsa oris sputa vitio vertat? atque & his ampliora longe possumus addere; ventris nempe deiectiones, quæ ita cunctis existunt necessariæ, vt sine his ne viuere quidem animal natura voluerit. Deinde cum hominem manuum Dei opus esse, diuina Scriptura [c] docente, credamus: qui fit, vt ex munda facultate polluti aliquid & contaminati operis prodeat? Deinde si, quod in Actis Apostolorum [d] didicimus, Dei genus sumus; immundum prorsus in nobis & contaminatum nihil habemus. Tum enim inquinamur solum, cum pessimi odoris opus, peccatum operamur.] Subdit autem, ex sententia Domini male accepta, hanc eos hausisse hæresin; qui ait [e]: Non quæ intrant per os coinquinant hominem, sed quæ exeunt.]

MONACHI QVIDAM AEGYPTII FATVO ERRORE LAPSI.

[b] Athanas. ad Ammonem monach.

[c] Genes. 2.

[d] Act. 17.

[e] Matth. 15.

Porro ea scripta epistola Athanasius emergentem e scrupulo quorumdam & dæmonis fallacia hæresin cito compresſit, atque succidit: quam eo vsque progressam esse declarat, vt eaE dem ratione matrimonium quoque damnarent, quòd in procreatione prolis e corpore progredi semen necesse esset. Detecta est plane diaboli mira calliditas, qui sic (quod est apud Isaiam [f]) deduceret iniquitatem in funiculis, vt ex eis efficeret vinculum plaustri. Demum vero Athanasius ad eumdem Archimandritam Ammonem eadem epistola hæc perorat: Quare hoc vnũ abs te cõtenderim, Pater, vt qui tuæ fidei cõmisſi sunt greges aduersus ista munias, & Apostolicis verbis horteris, Euãgelicis demulceas, eisdẽ Psalmis cõsulas, suadeasq. vt secundũ Dei oracula viuificari postulẽt: quę nihil aliud, quàm vt puro corde eidẽ seruiamus, docet, &c.]

[f] Isa. 5.

In horum pariter classem adlegendi sunt illi pseudomonachi, quorum S. Epiphanius in sua Anacephalæosi meminit, atque in primis de Zacchæo, cum ait: Zacchæus, qui nuper mortuus est in Montana circa Hierosolymam regione, penitus cum nullo homine preces faciebat; sed & ob eam causam audẽter sancta mysteria contrectabat; & sacrificia, cum laicus esset, impudẽter tractabat. Alius vero quidam (quisquis tandem ille erat vir) qui vitam sane piam viuere putabatur, & in monasterio circa deserta Aegypti habitabat: itemq. alius & Sinæum montem

MONACHORVM QVORVMDAM DELYRIA.

montem habitans: qui ex somniis iuueniliter ac fortiter, sed temere egerunt, vt impositionem A manuum ad Episcopatum susceperint, sederintque; ac quæ Episcoporum sunt, facere aggressi sint ad se non pertinentia. Alii autem non pauci seipsos castrare ausi sunt, præter mandata, nimirum iuuenilis & robustæ actionis gratia. Alii vero fortiter sibi agere videntur, qui audent non consultis aliis, & præter aliorum morem, velut ab Orthodoxis progressi, collegium sibiipsis contrahere, & citra vniuersalis Synodi approbationem, rebaptizare eos, qui ad ipsos accedunt, nimirum ex Arianis: cum nondum res sit ex censura Synodi, velut dixi, decisa.] et paulo post: Sunt & alii, quorum vnusquisque per seipsum precatur, & non cum aliquo in totum (nemini scilicet communicare volentes.) Aliqui vero precantur in vinculis præter Ecclesiæ statutum.] hæc Epiphanius.

EVSTATHIVS HAERESIARCHA.

At longe his tetriora videri possunt, quibus Eustathius infecit monachos, atque, si licuisset, vniuersam Dei Ecclesiam: hic enim adeo fauit monachismo, vt spreuerit reliquos Christianorum ordines, & prætextu quodam sanctitatis, Dei Ecclesiam, quæ instar sagenæ omnium B genera piscium cōgregantis, cunctos amplectitur, pessumdederit, atque ferme penitus fuisset demolitus, nisi cito securis Apostolica infaustos palmites succidisset: cum auctoritate Rom. Pontificis, Gangris ciuitate in Paphlagonia congregata Synodo, quot hæreses delirus Eustathius statuerat, tot aduersus eas statutis canonibus, Patres paribus suffragiis damnauere. Porro hic de his agere ad calcem ferme Tomi huius distulimus, vbi simul cōgessimus quæ ex monachis, toto hoc annorū periodo, quo præsens Tomus includitur, hæreses prodiere; cum quoto potissimum anno Constantini dicta Synodus fuerit celebrata, minime appareret. Cum tamen certum sit, ex præsentia Osij Episcopi Cordubensis, qui eidem Synodo interfuisse legitur; ipsam celebratam esse temporibus Constantini Magni, cum Osius a Romano Pontifice Legatus in Orientē missus est, vt omnem labantem Ecclesiarum statum cōponeret, prout superius pluribus diximus. Quòd igitur idem Osius Apostolicæ sedis Legatus eidem Gangrensi C Concilio præsto fuit: inde puto accidit, vt Symmachus Papa in sexta Synodo Romana libere testatus sit, canones Gangrenses Apostolica auctoritate conditos esse.

CONCILIVM GANGRENSE AVCTORITATE ROM. PONTIF. COLLECTVM.

At priusquàm de his agamus, de Eustathio prauorū huiusmodi dogmatū architecto disserendum est. Hūc fuisse Eustathium illum Episcopum Sebastiæ in minori Armenia, de quo sæpe superius, atque sæpius quarto Tomo dicturi sumus, Socratis [a], atque Sozomeni [b], & aliorū recentiotum, qui hos sunt sequuti, historicorum assertione traditur. Quod quidem mihi nulla prorsus ratione probatur: cum e contrario plura sint, quæ dictis auctoribus magnopere aduersentur. Et in primis, quòd S. Basilius duabus epistolis cum diligenti scopa cunctas eiusdem Eustathii Sebasteni turpitudines in vnum congerat, easdemq. singulas spectandas palam exponat; nullam prorsus de huiuscemodi hæresibus, vel eius damnatione facta in Gangrensi Concilio, mentionem habuit; quæ quidem ad totam eius vitam sugillandam, ante omnia ponenda esse videbantur. Nec est quod dici possit, ante Conuentum illum Gangrensem, eas a S. Basilio fuisse scriptas epistolas: cum illæ datæ habeantur tempore Valentis Imperatoris; Synodus autem illa, cui interfuit Osius, Constantini temporibus superius a nobis notatis habita esse intelligatur. D

a Socrat. lib. 2. cap. 31. b Sozom. lib. 3. cap. 15.

EVSTATHIVS SEBASTENVS DIVERSVS AB HAERESIARCHA.

Rursum vero cum in compluribus Synodis, teste ibidem S. Basilio, & aliis, reperiatur Eustathius fuisse damnatus a Catholicis ob perfidiam Arianam, quam sectabatur; in nulla ipsarum apparet proposita fuisse querela, vel saltem in memoriam reuocata hominis damnatio, aut ad infamiam ipsius aliqua ex more facta mentio tot eius hæresum, quæ damnatæ cum auctore habētur in dicto Gangrensi Concilio. Sed & quod magis istud ipsum persuadendi vim habere posse videatur, illud plane est; quòd fungente ipso Eustathio cum collegis legatione E apud Liberium Romanum Pontificem (vt suo loco dicetur) cum, vt audiretur, professio ab eo exigeretur Catholicæ fidei; nulla alia ab ipso edita est, præter illam, quæ se fidei a Patribus Nicææ editæ professorem esse significaret: cum alioqui hæresum omnium, quarum causa in Synodo ante damnatus fuerat, expressa mentio habenda, & peculiaris detestatio, plenaq. illarum abdicatio, ex instituto Ecclesiasticæ disciplinæ, adiicienda fuisset, si reuera ipse tot hæresum prauus inuentor, atque promulgator extitisset.

Insuper cum apud neminem antiquorū auctorum, qui hæreticorū catalogum scriptis fuerit prosequutus, idem Eustathius Sebastenus ea laboret infamia, vt illorū errorum, qui Gangris recensiti atque damnati fuere, auctor esse dicatur, non apud Epiphanium, aut Philastriū, Augustinum, Theodoretum, vel Damascenum: plane satis aperte demonstrari posse videtur, aliquem alium Eustathium a Sebasteno diuersum, fuisse earumdem hæresum institutorem. Sed rursum, cum sicut nec eius, ita nec ab eo promulgatorum dogmatum apud ipsorum aliquem,

qui

A qui diligenti studio hæreses omnes atque hæresiarchas recensuere, mētio facta esse reperiatur: illud facile persuadet, vt existimem ipso sui ortu hæreses illas cum hæresiarcha compressas, atque adeo extinctas penitus esse, vt etiam ab omni memoria fuerint obliuione deletæ. Cum igitur eiusdem Gangrensis Synodi Actis Socrates & Sozomenus inuenerint eorumdem errorum in crimen adductum Eustathium quemdam: quòd quisnam ille fuerit, haud haberetur expressum, quodq. alium nescirent Eustathium hęresis infamatum ea ætate, præter Sebastenum, qui hæresis Arianæ causa reperiretur sæpe dānatus: eidem ea omnia adscripsere: perinde ac si vno inuento fure, eidem furta omnia eius regionis absque alio indicio tribuantur, quem tamen complures contrariæ probationes absoluant.

Sed malus opinator Sozomenus errores ex errore deducens, atque vna consarciens, tradit eumdem Eustathium Sebastenum auctorem fuisse vitæ monasticę, quæ viguit in Armenia, B Ponto, & Paphlagonia: nam ait: Apud Armenos vero, Paphlagones, & Ponti accolas fertur Eustathium Ecclesiæ Sebastiæ, quæ est vrbs Armeniæ, Episcopum, primum cœpisse vitā monasticam, & austeram illius institutionem colere; a cibis ad viuendum necessariis, & a vestibus, quibus vtendum est, abstinere, morum & vitę accurate traductæ auctorem extitisse: adeo, vt nonnulli constanter affirment, librum Basilij Magni Cappadocis, qui Ἀσκητικὸς, id est, de Vita & disciplina monastica, inscribitur, ab eo editum esse. Dicitur porro, præ nimis exquisita disciplinæ norma in absurdas obseruationes lapsus esse, easque a legibus Ecclesiasticis penitus discrepantes. Attamen sunt quidam, qui illum crimine eripiant, inculentque nonnullos ex eius discipulis, quòd nuptias reprehendant, &c.] enumerat enim errores omnes in dicto Gangrensi Concilio condemnatos.

a Sozom. lib. 3. c. 13.

EVSTATHIVS SEBASTENVS FALSO CREDITVS AVCTOR MONACH. ARMENIAE.

Sed hic siste, lector, ne inconsulto auctorem errantem sequens, æque cum illo in errorum C foueas te præcipitem dedas. At iam singula ab eo descripta, hic vero recitata exactissime disquiramus. Tantum abest vt Eustathius Sebastenus auctor dici possit monasticæ vitæ, quæ in Armenia, Paphlagonia, atque Ponto coaluit; vt nec si ipse monachus fuerit, aliquo digno teste probari posit. Siquidem S. Basilius eiusdem viri vitam a cunabulis prope retexens [b], cum eius institutionem Alexandriæ sub Ario magistro recenseat, reditumque in patriam referat, & quas passus est abdicationes ob Arianam hæresin, antequàm Episcopus esset, vel cum factus Episcopus: nullam vmquam habuit mentionem de suscepto ab eo monastico instituto: quod certe minime prætermittendum fuisset. Quin insuper scribens ad eumdem Eustathium ipse Basilius [c], & opportuna occasione recensens diuersarum prouinciarū, quos nouerat, monachos; necessaria quadam illatione, de ipso Eustathio, quòd monachus fuerit, mentionem facere debuisset; at cum ne verbum quidem, vel saltem nutum expresserit, omnis plane de D Eustathij monachismo existimatio & coniectura penitus deficit. Rursus vero S. Epiphanius [d], qui eodem quoque vixit tempore, dum de Aerio hæresiarcha agit, quem condiscipulum fuisse tradit Eustathij, vtpote qui simul Arianam hæresin didicerint, nullam prorsus de Eustathij monachismo habuit mentionē: qua quidem occasione, Aerij praua dogmata æque disseminantis minine prætermittenda erant. Quo igitur teste prodit Sozomenus Eustathium monachorum primum in Armenia, Ponto, & Paphlagonia auctorem, quem nec fuisse monachum, certa alicuius testificatione poterit affirmare?

EVSTATHIVS NEC MONACHVS FVISSE PROBATVR.

b Basil. epist. 74. & 82. prope fin.

c Basil. epist. 79.

d Epiph. hæres. 75.

Sed demus licet Eustathium Sebastenum ante Episcopatum fuisse monachum: non tamen vlla prorsus ratione probare quis poterit fuisse in nominatis regionibus monachorū primum auctorem, institutoremque. Etenim quonam pacto, quæso, homo sub Ario Alexandriæ institutus, reuersus in patriam semper perseuerans Arianus, potuit auctor fieri monachorū, quos E fide Catholica præ ceteris enituisse constat? Id quidem de Ponticis monachis pluribus testatum esse Gregorium Nazianzenum, superius demonstrauimus. Ceterum ante Basilium nullum viguisse cœnobiticæ vitæ vsum in Armenia, Ponto, Paphlagonia, alijsve adiacentibus prouinciis, ex his quæ S. Basilius scribit ad Neocæsarienses, perfacile intelligi potest: vbi hæc ipse, quæ licet longe superius alia occasione recensuerimus, sunt tamen hic necessario repetenda: Accusamur vero (inquit [e]) & huius, quòd homines habeamus monachos pietatis studiosos, qui Mundo renunciarint, & vniuersis sæculi istius curis, quas Dominus comparat spinis fertilitatem verbi impedientibus: qui huiusmodi sunt, mortificationem Iesu corpore circumferunt, ac cruce quisque sua accepta, Deum sequuntur. Ego vero omnem vitam meam impenderem, vt mihi possent ista impingi delicta, haberemque apud me viros, qui, me doctore, hoc pietatis studium amplexi hactenus fuerint. Nunc autem in Aegypto quidem audio talem esse virorum quorumdam virtutem, & forsan in Palæstina quoque sunt, qui ad Euangelij normam, vitæ suæ conuersationem perfectam reddant. Audio & in Mesopotamia viros esse perfectos

e Basil. epist. 63.

MONACHORVM PONTICORVM AVCTOR BASILIVS. perfectos & beatos.] hæc Basilius. Quòd si in propinquioribus prouinciis, nempe minori Armenia, Ponto, & Paphlagonia monachi tunc fuissent, auctore (vt ait Sozomenus) Eustathio propagati: vtique de illis dicere ob sui defensionem, sicut de ceteris, Basilius necessario debuisset. Quid enim & Neocæsarienses, Ponti primariæ ciuitatis accolæ, stulte admodum eius rei auctorem Basilium accusassent, si antea, Eustathio inuentore, monachi iam in Ponto coaluissent? En vides, lector, quàm longe a scopo veritatis Sozomenus erret, cum primas deferat Eustathio Sebasteno institutionis vitæ monasticæ in regionibus nominatis; quæ sunt iure tribuendæ Basilio, non tantū sua, sed & Neocæsariensium æmulantium assertione: vt de his nihil penitus reliquum sit, quod dubites: cum tamen in Cappadocia alii tunc cœperint eiusmodi institutionem vitæ sectari, vt idem ad Eustathium ipsum scribens [a] affirmat: quos in vnum collectos ipse Basilius regulis editis ad perfectam monasticæ disciplinæ normam primus excoluit. A B

a Basil. epist. 79.

LIBER ASCETICVS VERE BASILII. Sicque & inanis prorsus esse conuincitur illorum assertio, qui adeo temere effutierunt, commentarium illum egregium S. Basilij de regulis, quibus monachi simul victuri, essent instituendi, fuisse dicti Eustathij Sebasteni, non autem Basilij; cum assertione Gregorij Nazianzeni, vt suo loco dicturi sumus, id exploratissimum habeatur: vt hoc in dubium reuocasse, summa stultitia sit. Ceterum in eo quod demum idem Sozomenus aliorum assertione excusare videatur Eustathium, quasi non ipse, sed discipuli eius fuerint illarum hæresum assertores; plane videtur minime accurate legisse dictum Gangrense Concilium, in quo primū mentio habetur de Eustathio, inde vero de eius discipulis: quos quidem in Armenia docuisse hæreses, Synodica Patrum tunc ad Armenos scripta demonstrare videtur.

EVTACTVS HAERESIARCHA. Sed quinam fuerit hic Eustathius, quòd minime esse potuerit ille Sebastenus Arianus; cum remaneat sane incertum: moueor interim coniectura, vt loco Eustathij, Eutactus reponendus sit: facile enim in scribendo error potuit irrepsisse, vt pro Eutacto (quòd esset nomen exoticum) sciens volensque librarius, Eustathium scripserit. mentio namque est de Eutacto monacho Armeno apud Epiphanium [b], quem vixisse ait Constantij Imperatoris temporibus: ipsumque educatum refert in Palæstina a quodam Petro professione anachoreta, reuera autem impostore: Qui (inquit) reuersus ad suam patriam, multos eiusdem paruæ Armeniæ polluit, corruptis quibusdam diuitibus & quondam Senatorij ordinis, & multis spectabilibus viris, per quos illustres homines multos illic perdidit. Verum Dominus citius ipsum e vita sustulit.] relictos autem ab eo esse libros ait confertos hæresibus: Sed quòd in dicto Concilio Gangrensi nullius earum mentio habeatur, sed tantum ipsarum quæ pertinent ad Ecclesiasticam disciplinā: facile consenserim, illas post eius obitū, ex Eutacti libris ipsius discipulos promulgasse, ipsam vero Synodum adhuc eo viuente celebratam esse. Quòd igitur hunc ipsum existimemus esse, quem Eustathiū dicunt, cum similitudo nominis persuadet, tum locus, nempe Armenia, vbi docuit; tum etiam quòd sic de eius discipulis subdit Epiphanius: Decipiunt (inquit) simpliciores homines habitu solitarie degentiū, renunciationē quamdam iactantes.] At quænam hæc singularis renunciatio? vtique ad illam Epiphanius visus est allusisse, qua dicerent (vt habet Patrum epistola ad Armenos) Nisi Christiani omnibus renuncient diuitiis, spem nullam apud Deum salutis suæ sibi reliquam fore: sed & illud, Non tantum filios relinquere debere parentes, & hos illos, verum vxores viros suos, vt salutem consequerentur: aduersus quem errorem extant canones [c] eiusdem Gangrensis Concilij. C D

b Epiph. hær. 40.

c Concil. Gangren. cap 14. 15. 16.

EVTACTO CONVENIVNT DAMNATA IN GANGR. CONC. Sed & quod ad habitū spectat: hoc illud est quod idem ait Epiphanius, hos quamplurimos, habitu decepisse, nempe quòd nouum quemdam sanctitatem præseferentem gestarent amictum; (fuisse namque eos in sæculo nobiles atque prædiuites, ex eodem Epiphanio vidimus) ad quem canon ille Gangrensis Concilij respexisse videtur; cum hos damnat, qui sic circumspecte vestiti pallio, contemnerent eos, qui breuioribus vterentur indumentis, nępe byrris [d]. Quòd insuper ijdē sectarentur instituta Petri illius Palæstini, Eutacti magistri, quē Epiphanius refert quotidianas erogasse eleemosynas: inde potuit accidisse, vt ijdē oblationes ad erogādas in pauperes sibi dari, populo persuaderent; aduersus quos hæc decernentes sanciti fuerint in dicta Synodo canones septimus & octauus. Horum igitur omnium conuenientia inducimur, vt credamus Eutactum pro Eustathio esse reddendum: cum præsertim nullus alius hac ætate reperiatur, qui in minori Armenia id genus hominum in vnum collegerit: Sed quòd cito (vt Epiphanius ait [e]) ex hac vita ipse decesserit, ob id remanserit eius nomen obscurum. Rursum vero quos reliquit ille post se libros impietate refertos, eosdem probe cognitos idem Epiphanius impugnauit, prætermissis erroribus illis ad Ecclesiasticam disciplinam spectantibus in Concilio Gangrensi damnatis, quòd vel post dictum Concilium esse desierint, atque E

d Concil. Gangren. c. 12.

e Epiph. hæres. 40.

obliuione

A obliuione sepulti, vel fuerint cum ipsorũ auctore simul extincti. His addere non prætermittimus, errare Gratianum [a], cum existimat hos Manichæos extitisse. Nam quòd isti eleemosynam facerent, plane ab ipso Manichæorum instituto alienos fuisse constat: cum illi (vt superius dictum est) ex suæ ipsorum legis præscripto vetarent eleemosynas dari pauperibus; licet multa fuerint, quibus ijdem participarent cum Manichæis. At de Eustathij nomine hactenus: reliquum est vt singulos hic recenseamus errores, qui ab eodem Concilio Gangrensi reperiuntur esse damnati.

a c. illud autem distinct. 30.

EVTACTI PRAVA DOGMATA.

Eustathius itaque, siue Eutactus potius dicẽdus, scelestissimi illius Petri discipulus, illud primũ impie excogitauit, vt damnaret nuptias, virumq. cum vxore dormientem execraretur, edentes carnes culpabiles esse iactaret: doceretque seruos debere dominos suos, cultus diuini prætextu, contemnere: inculcaret pariter, presbyteros illos contemnendos, qui aliquando B habuissent vxores; nec ab illis oblationem esse accipiendam: cõtemptibiles esse ecclesias, in quas Fideles promiscue conuenirent: celebrans ipse conuentus cum suis seorsum; sibique ac suis oblationes dandas esse absque Episcopi scientia: itemque contemnendas esse agapes a Fidelibus fieri solitas, dictitaret; vituperaretque ipse palliatus birro vtentes (quidnam autem per birrum, indumenti genus, intelligi debeat, secundo Annalium Tomo diximus) hortareturque idem Eutactus feminas sub continentiæ prætextu mutare habitum, induereque virilem vestem, capillos amputare, atque relinquere viros suos, necnon filios, religionis obtentu; parentibusque similiter ingratos esse, nec rependere illis vicem, præferendum his omnibus dicens diuinum cultum: admoneretque insuper suos, propter continentiam ieiunandum esse die Dominico, reliqua vero ab Ecclesia vniuersali solita seruari ieiunia dissoluenda: contemnendosque prædicaret sacros conuentus, qui in basilicis martyrum celebrari solerent; C ipsasque Sanctorum memorias execraretur; quod ex Eunomio accepisse videtur: quæ cuncta, viginti distincta capitulis, apposito singulis anathemate, eadem S. Synodus Gangrensis dãnauit. Quæ cum ex Socrate [b] ac Sozomeno [c] colligãtur, facilius exprimuntur in epistola ab eadẽ Synodo scripta ad Armenos, sed vberius in dictis viginti canonibus, ex quibus hæc summatim voluimus collegisse; quibus addimus appendicem ab eis hisce verbis appositam [d]:

b Socrat. lib. 2. c. 33.
c Sozom. lib. 3. c. 13.
d Concil. Gangren. in fine.

SANCTORVM PATRVM CATHOLICA ASSERTIO.

Hæc autem scripsimus, non vituperantes qui in Ecclesia Dei secundum Scripturas sanctum propositum continentiæ eligunt: sed eos, qui abutuntur proposito in superbiam, & extolluntur aduersus simpliciores, abscindimus: et damnamus eos, qui aduersus Scripturas, & Ecclesiasticas regulas, noua introducunt præcepta. Nos autem & virginitatem cum humilitate admiramur; et continentiam, quæ cum castitate & religione suscipitur, approbamus; et renunciationem sæcularium negotiorum cum humilitate recipimus, & nuptiarum castum vinculum D honoramus, & diuitias cum iustitia & opibus bonis non spernimus, & habitum simplicem ac vestem viliorem pro corporis indigentia non fucatam laudamus: sicut solutas & fractas in vestibus processiones reprobamus; et domos Dei honoramus; & conuentus qui in eis fiunt, tamquam sanctos & vtiles suscipimus, pietatem in priuatis domibus non claudentes, sed omnem locum in nomine Dei ædificatum honoramus; et congregationem in eadem Ecclesia factam pro vtilitate communi recipimus: et bona opera, quæ iuxta vires * in fratres pauperes exercentur, secundum Ecclesiasticas traditiones beatificamus; et omnia quæ per sanctas Scripturas & per Apostolos sunt tradita, in Ecclesia celebrari exoptamus.] hactenus Patres ad Armenos, & alia plura superius in exordio Synodi: qui & apposite vltimo canone aduersus eosdem hæreticos, sanctorum martyrum cultum improbantes, ista decernunt:

* supra vires

E Si quis per superbiam, tamquam perfectum se existimans, conuentus qui per loca & basilicas sanctorum martyrum fiunt, vel accusauerit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur; spernendas esse crediderit, memoriasque sanctorum contemnendas; anathema sit.] Non aliũde quippe, quàm ex officina impij Eunomij, vt dictũ est, hęc ipsos mutuatos esse, vel a Manichæis accepisse, dici potest: vt plane intelligas, ex fæce Christianorũ, omnique scelerũ impuritate pollutis hæresiarchis ista blasphema atque delira in Ecclesiã irrepsisse: nã quotquot hoc sæculo pij, sancti, atque eruditi claruere in Ecclesia Catholica viri, miraculorum quoque operatione, diuina gratia, illustrati (quorũ haud exiguus numerus fuit) omnes æque ex maiorũ traditione, frequẽti vsu in Ecclesia stabilita, Sanctorũ cultũ ardẽti studio retinuere: cuius quidem rei testes sunt crebræ illæ atque disertæ habitæ ab ipsis ad populũ in natalitiis martyrum homiliæ coram frequenti populo ad ipsorum Martyria vndique confluente. Qui autem adhuc sub tam claræ lucis fulgore cæcutiunt, iam cum impiis in tenebris conticescant [e].

VNDE ACCEPTA CHI PLVRIBVS.

e 1. Reg. 2.

Decursis his quæ ad nouas noui hæresiarchæ blasphemias spectant, confutatisque aliorum erroribus: quæ rursum ad huius anni res gestas spectare noscuntur, adducamus in medium, finemque

ATHANASIVS E LATEBRIS SAVCIAT ARIANOS. nemq. iam optatum Tomi huius historiæ imponamus. Hoc ipso anno Athanasius adhuc in latebris agens, quòd sciſſet Arianos fauore Constantij ſumma rerum potitos, ſuam ipſorum perfidiæ profeſſionem tradidiſſe Catholicis ſubſcribendam, additoque eiuſdem Imperatoris præcepto quãplurimos eamdẽ ſua ipſorum ſubſcriptione corroboraſſe: ſummo dolore æſtuãs, clamat e deſerto, vt leo rugit e lacu: dum hoc ipſo anno, adhuc viuente Constantio, quatuor pro veræ pietatis defenſione elaborauit atque edidit orationes, quibus Catholicæ fidei fundamenta ſtabiliret, & aduerſariorum falſitates retunderet. Extant illæ, & ſane Magno Athanaſio dignæ: in quarum prima, in ipſa ferme peroratione, certis notis ſe eam hoc anno ſcripſiſſe declarat, dum de Arianis hæc ait [a]: Isti vero ante trigeſimumſextum annum hæretici declarati, & ab Eccleſia ſummoti, idque iudicio Synodi vniuerſalis, &c.] Eſt quidem hic ipſe annus, qui a Nicæno Concilio celebrato, in quo vniuerſali ſententia Ariani damnati ſunt, fluxit trigeſimusſextus. Ceterum quòd hoc anno, ſed viuente adhuc Constantio eæ ab Athanaſio elucubratæ fuerint orationes; quæ de eodem Constantio ſuperius dicit, perſpicue demonſtrare videntur, cum illũ his verbis [b] excuſat: Illi præter mentem Constantij Imperatoris humani & pij, pro libidine, quæ volunt promulgant, & faciunt quæ libet, & in faciendo vtuntur magna vafricie; duabus potiſſimum de cauſis, vt mihi quidem videtur: quarum vna eſt, vt nobis ſubſcribentibus, infamiam Ariani nominis interquieſcere faciant, nec ipſi interim ſentiantur Ariane ſapere: altera vero cauſa eſt, vt iſta ſcribendo obliterent Concilium Nicænum, fidemque inibi contra Arianos editam.] ſic Athanaſius; qui & de eodem in fine: Nos enim ſcimus, humaniſſimum Imperatorem, vbi rem cognouerit, cohibiturum eſſe eorum malitias; ipſoſque diuturnos in vita non fore; ſed ſecundum quod ſcriptum eſt; Corda impiorum breui deficient.] ita ipſe, & quidem quod ad hæc nouiſſima prophetice præloquutus: nam ſequenti anno (vt ſuo loco dicemus) eorum anteſignanus, & ſcelerum omnium architectus Georgius, furore Gentilium debacchante, dira morte e medio ſublatus eſt. At iam Constantij exitu præſentem tertium Tomum claudat oratio, quartum ab Imperio Iuliani aggreſſura.

[a] Athanaſ. orat. 1. contra Arian.

[b] Athanaſ. ibi.



AVCTORIS PERORATIO. CVM autem (vt ait Eccleſiaſtes [c]) ad locum vnde exeunt, flumina reuertantur, vt iterum fluant: dignum plane eſt, vt quo ex fonte iſtæc omnia noſtra dimanarunt, illuc tamquam ad ſuum proprium principium reuocentur, eodemq. fluxu reciproco refundantur, vt inde in nos rurſum effundantur vberius. Ipſi igitur, per quam a Deo totum id nobis muneris eſt, ſanctiſsimæ inquam DEIPARAE MARIAE Virgini, præſentem tertium Annalium Tomum, ſicut alios antea editos, ſupplicibus votis offerimus: vt per quam in nos a Deo vberrima gratiarum fluenta fluxerunt, per eamdẽ, quaſi per alueum, ad ipſum velociore impetu plurima gratiarum actione recurrant: quo denuo ipſe eadem in nos per eam copioſius influat, vt effluant, adeoque exundent, vt fiant tandem in nobis (ex promiſsione Domini [d]) fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. Amen.

[c] Eccleſ. 1.

[d] Ioan. 4.

ANNALIVM TOMI TERTII

FINIS.

INDEX IN TOMVM TERTIVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM.

Agatho-

A L

Antonius

A P

A Q

Atha-

A V

A Z

B A

B E

B I

B L

B O

B R

B Y

C A

C E

C H

C I

C L

Con-

Con-

Constan-

Con-

Constantius

C R

Crucis

C V

C Y

D A

D E

D I

D O

E I

E L

E M

E N

E P

Episco-

Episco-

E R

E S

E T

E V

Euse-

Euse-

E X

F A

F E

F I

F L

F O

F R

F V

G A

G E

Georgius

G Y

H A

H Æ

Hæresum certa nomina.

Hæreses in communi.

Hæretici.

H E

H I

H O

H V

H Y

I A

I B

I D

Idolo-

Ioannes

Iulianus

L A

Lactan-

L E

Leon-

Liciniani

L O

L V

L Y

M A

Marci

M E

Meletius

M I

M O

M V

N A

N E

N I

Nicæna

Ora-

O R

O S

O T

O X

P A

Pon-

P R

P S

P V

R V

S A

S C

S E

Semia-

S I

Ste-

T H

T I

Tolo-

Visio

FINIS.

INDEX RERVM QVAE PAVLO FVSIVS IN HOC TERTIO TOMO ANNALIVM PERTRACTANTVR.

Conci-

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag.	Linea	Mendum	Emendatio.
33	C 1	Iouiniano	Iouiano
51	C 2	Maximianus	Maximinus
52	E 9	Hierenarcho	Hirenarco
52	C 6	Chalcedonia	Chalcedone
61	B 2	consequimini	consequemini
68	C 11	cui	cum
74	D 2	inculceat	inculcet
74	E 5	omnibus	ominibus
75	C 1	violenti	violenta
78	E 8	sui	ipsius
79	A 6	quod	hæc
89	C 6	Fusco	Tusco
92	E *in marg.*	MAXIMIANVS	MAXIMINVS
93	E 11	memoria	memoriæ
94	E 12	octo	tredecim
96	C 7	experturum	experturus
96	D 7	xi	*xis*
96	D 9	&	*dele*
97	B 1	tertio	*dele*
102	B 6	Cassensem	Casensem
122	A *in marg.*	CYRIANO	CYPRIANO
124	A 4	Imperatoris	Imperatorem
134	D 4	tandem	*dele*
138	E 6	Constantij	Constantiæ
142	A 8	illustrem	*adde*, virum
143	A 11	segens	segnes
155	D 3	violentes	violentos
170	C 7	offodienda	effodienda
174	E 7	Gregorius	Georgius
177	D 7	oppositus	appositus
180	E 11	habeant	habeantur
181	C 6	septuaginta	septingentas
195	E *in marg.*	hæres. 79.	hæres. 69.
211	D *in marg.*	*adde*	L. 1. de indulg. crim. C. Theod.
217	B	Alcmanæ	Alcmene
245	E 4	Consulaum	Consulatum
254	C 7	alteram	aliam
256	A 4	Sopotamos	Mesopotamos
269	E 11	Tryphillium	Triphylliũ *vt sic in Indice.*
276	D 7	Triphon	Triephon
278	E 2	Marete	Mari
296	C 10	quia	quin
314	B 11	Constantinus	Constantius
318	C 1	Enyelica	Encyclica
323	B 12	soleatis	solebatis
335	E 3	dimissam	demissam
342	E 4	antiquitus	antiquitas
366	B 4	Massadiani	Massaliani
372	E 8	obeliscuum	obeliscum
385	B 11	postlimio	postliminio
386	C 6	Dalmatium	Delmatium *sic in cæteris* 389. 390. 420.

Pag.	Linea	Mendum	Emendatio.
390	A *in marg.*	hæres. 58.	hæres. 68.
390	E 2	diaconum	presbyterum, *sic in alijs locis ex Athanasio, licet alij diaconum nominent.*
392	C 3	e	&
401	B 6	prodire	prodere
403	B 4	potestationem	protestationem
415	A 5	a Catholicis	Catholicis
416	E 7	apriter	pariter.
421	C 9	quidem	quidam
427	C 6	reuerent	ruerent
434	D 11	Etropius	Eutropius
437	C *in nũmo*	AVGG.	AVG.
476	A 3	densensores	defensores
476	A 9	Euphrasium	Euphrasius
476	A 11	Dommen	Domnem
480	C 4	reapsæ	reapse
480	E 2	viribus	iuribus
502	D 10	& iam	etiam
519	B 1	Iouinianum	Iouianum
526	A 2	Philippoli	Philippopoli
528	E *in marg.*	ARRIANI	ARIANI
530	B 10	Athanasius	Athanasium
536	E 13	istæ	istæ
549	A 5	Euphratem	Euphrataram
565	D 8	Germanum	germanum
574	E 10 *&* 575 B 1	Daphnes	Daphne
575	A 5	patrium	patriotum
575	C 2	ali,j quod	alij, quod
643	D 6	Mediolani	Mediolanensi
648	E 4	Ni	Nicæni
648	E 6	cæni	*dele*
650	B 8	insignum	insignium
650	C 5	redditu	redditur
654	A 9	moritur	mortuus)
654	C 11	criminorum	criminum
661	D 1	consilio	Concilio
673	E 12	credulitatem	crudelitatem
676	A 6	Idibus	Idus
676	B 10	tanta	tanto
677	A 4	missam	missa
685	E 8	sexto Kal.	sextodecimo Kal.
686	C *in marg.*	CELEBRATVS	CELEBRATVS
688	C 10	Mezentium	Auxentium
712	D 11	Geminiani	Semiariani
713	E 2	quartùm	decimùm
ibid.		Cæstertij	Cæs. tertiùm
717	D 9	antiquissimis	antiquitatis
725	C 9	Imperio	*adde* ipse Constantius
731	C *in marg.*	IVLIANVM	CONSTANTIVM
53	*in indice*	Massiliani	Massaliani *& sic in cæteris.*

REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq

a b c d e f

Omnes Terniones, Qqq. Duernio, f vero Quaternio.

EMENDANDA IN INDICE.

CA	*lin.* [illegible] *col.* 1	introducta	a quibusdam vsu recepta
CO	*lin. vlt.*	permissum	Eusebius voluit
FI	*lin.* 17 *col.* 1	Diuinitatem,&c.	*dele*
ibid.	*lin. vlt. col.* 1	& factus	& non factus
MO	*lin.* 7 *col.* 1	Monachi,&c.	*adde* quales
ibid.	*lin.* 13	Monachi operentur	operantur
RO	*lin.* 31 *col.* 1	Romani Concilij	Rom. Pontificis